Jungwirth delet Sc. M.

<36603904820013

<36603904820013

Bayer. Staatsbibliothek

BLE

H. L. No ~~40~~ 34

P 7
S. I.
23Y.

St. L. Ref. 34. 2°

Handt

HISTORIA
LITERARIA
REFORMATIONIS

St. Ref. 34. 2°

Hardt

HISTORIA
LITERARIA
REFORMATIONIS

ALCORAN

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

DE

MAHOMA

HISTORIA LITERARIA REFORMATIONIS

IN

HONOREM JVBILÆI ANNO MDCCXVII.

CONSTANS

QVINQVE PARTIBVS.

Pars I. De BONIS LITERIS & ERASMO, num fuerint fons Reformationis?

Alberti Pii Principis Carpensis, Opus MSctum Romanum, foliorum 77. perhumanum & elegans, in originem Reformationis, in Erasmum, bonas literas, Reuchlinum, Huttenum, Lutherum: Scriptum Romæ 1526 quod MSctum fuit in manu Cardinalis Scirleti, Romæ 1577.

II. De REVCHLINO JC. num fuerit ansa Reformationis?

Reuchlini, pro Fontium hebraicorum V. T. studio, Præmonitio An. 1506.

Ejusdem liber illustris, pro studiis hebraicis, Speculum oculare, An. 1511.

Ejusdem defensio Speculi ocularis, An. 1513.

Acta *Judiciorum* inter Jacobum Hochstrat & Reuchlinum, An. 1518.

Bilibaldi Pirckheimeri Cæsarei Consiliarii, Patritii & Senatoris Norib. Apologia pro Reuchlino, An. 1517.

Hermanni Comitis Nuenarii, Hermanni Buschii, Hulderichi de Hutten, Equitis, Epistolæ pro Reuchlino An. 1518.

Vlrici ab Hutten Encomium Reuchlini, An. 1519.

Pars III. De PVBLICA CORRVPTIONE, num causa fuerit Reformationis?

Magnorum Virorum, sub Concilio Basileensi Opuscula Varia, de publica Ecclesiæ corruptione emendanda MScta.

IV. De INDVLGENTIIS num fuerint origo Reformationis?

Diploma Indulgentiarum *Leonis X.* per Albertum Electorem Mogunt. cum sigillo An. 1517. figura ænea.

Tezelii instructio Sacerdotum, pro indulgentiis An. 1517. libellus hodie ignotus.

Lutheri prima Disputatio de virtute indulgentiarum An. 1517. ex autographo emendatissimo

Judicium Joannis Episcopi Chiemensis de hac controversia An. 1521.

Phil. Melanchthonis Hypotyposes Theologicæ An. 1521. opus rarissimum.

V. *Introductio* in Sculteti Annales.

Abrahami Sculteti Annales Evangelici, ab Anno 1516 ad An. 1536. Libri II.

OMNIA RARA, PARTIM MANVSCRIPTA,

CVM INTRODVCTIONIBVS

HERMANNI von der HARDT,

Academ. Jul. Prof. & Præp. Mar.

ET INDICIBVS LOCVPLETISSIMIS.

FRANCOFVRTI ET LIPSIÆ, ANNO MDCCXVII.

SVMPTIBVS SOCIETATIS,

ET PROSTAT IN OFFICINA RENGERIANA.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

HISTORIÆ LITERARIÆ REFORMATIONIS

PRO GENVINO ILLIVS ORTV
ET FVNDO
AB EXORDIO SECVLI XVI.
IN HONOREM ET SECVLAREM MEMORIAM
CAROLI V. AVSTRIACI
MONARCHÆ

A. M. D. XV. BVRGVNDIONVM DVCIS REGENTIS,
A. M. D. XVI. HISPANIARVM REGIS,
A. M. D. XIX. ROMANORVM IMPERATORIS,

SVB QVO BONÆ LITERÆ IN IMPERIO NATÆ, PRÆCLARIS RERVM INCREMENTIS.

PARTES V.
RARISSIMA
MSCTA INPRIMIS MONVMENTA.
DE LOCUPLETISSIMO MANSVETIORVM STVDIORVM
IN ECCLESIAM ET REMPVBLICAM FRVCTV:
EX RECONDITIS REBVS
ERASMI, CAROLI V. CONSILIARII
ALBERTI PII, CARPORVM PRINCIPIS, CAROLI V.
IN ROMANA CVRIA ORATORIS,
NEC NON REVCHLINI, CÆSAREI CONSILIARII,
ALIORVMQVE CLARORVM VIRORVM
PRIMI ILLIVS ÆVI
A. M. DCC. XVII.
SERENO HVMANIORVM LITERARVM JVBILÆO
AD ÆTERNAM GLORIAM
CAROLI VI. AVSTRIACI
MONARCHÆ AVGVSTISSIMI
SVB QVO MANSVETÆ LITERÆ IN IMPERIO LÆTÆ
CRESCVNT ET AVGENTVR

RECENSVIT
HERMANNVS von der Hardt/
ACAD. JVL. PROF. ET PRÆPOS. MARIÆB.

)(

SERENISSIMO
POTENTISSIMOQVE
PRINCIPI
AC DOMINO
DOMINO
AVGVSTO
WILHELMO
BRVNSVICENSIVM
AC LVNÆBVRGENSIVM
DVCI
PATRIÆ PATRI
ACADEMIÆ SVÆ IVLIÆ
DIRECTORI MAGNIFICENTISSIMO
VERITATIS ET VIRTVTIS
PROTECTORI CLEMENTISSIMO
ELEGANTIVM SCIENTIARVM
PROMOTORI GRATIOSISSIMO
LITERARIAM HANC
REFORMATIONIS HISTORIAM
CANDIDVM SERENÆ LVCIS
ANTE HÆC DVO SECVLA ORTÆ
INDICIVM
GENVINOS PRIMOS
EMENDATIONIS FONTES
VERA ET INFVCATA
PVBLICÆ SALVTIS PRINCIPIA
VIVAM
ELEGANTIORVM STVDIORVM
FACIEM
SOLIDVM HVMANITATIS NATÆ DECVS
BLANDVM ET VEGETVM
MANSVETVDINIS INCREMENTVM

PRO

PRO INEXHAVSTA

DIVINÆ PROVIDENTIÆ GRATIA

IN PERENNEM ECCLESIÆ VSVM

INTEGRAM

PVRIORIS DOCTRINÆ COGNITIONEM

LVCVLENTAM VERITATIS NOTITIAM

IN COMMVNE REIPVBLICÆ EMOLVMENTVM

RECTVM OMNIGENÆ VIRTVTIS EXERCITIVM

NITIDVM

IVSTITIÆ ET ÆQVITATIS SPLENDOREM

DESIDERATAM COMMVNEM TRANQVILLITATEM

FIRMAMQVE SALVTEM

IN SANCTAM ET LÆTAM

IVBILÆI MEMORIAM

PRO FAVSTO

AVGENDÆ PROSPERITATIS AVGVRIO

AD LOCUPLETANDAM PATRIÆ BEATITVDINEM

HVMILLIMA DEVOTIONE

CONSECRAT

HERMANNVS von der Hardt.

CAROLI V.
AVSTRIACI
PRVDENTIA ET MVNIFICENTIA
ANTE HÆC DVO SECVLA
A. M. D. XIV. XV. XVI. XVII.
IN IMPERIO
GLORIOSISSIME CONDITIS
ET SVSCITATIS

CAROLI VI.
AVSTRIACI
INVICTISSIMI MONARCHÆ
AVGVSTISSIMI CÆSARIS
ROMANORVM IMPERATORIS
HISPANIARVM, HVNGARIÆ BOHEMIÆQVE
REGIS
VICTORIOSISSIMI TRIVMPHATORIS
EMINENTISSIMA SAPIENTIA
ET EXVBERANTISSIMA GRATIA
ADMIRABILI INCREMENTO
HODIE AVCTIS
BONIS
ET MANSVETIS
LITERIS
IN POTENTISSIMÆ
FORTVNATISSIMÆ
AC CLEMENTISSIMÆ
AVSTRIACÆ DOMVS
GLORIAM SEMPITERNAM
A. MDCCXVII.
HOC MONVMENTVM
POSVIT
HERMANNVS von der Hardt
OSNABVRGENSIS WESTPHALVS.

)()(

AVSTRIACÆ DOMVS POTENTIA ET MAJESTAS, quæ in CAROLO V. CÆSARE effulſit, in CAROLO VI. MONARCHA longe ſupereminet, vaſtoque gradu excellit. Per ſeculorum vices rediit in AVGVSTISSIMA AVSTRIACA DOMO CAROLI V. fulgor; Auctusque in CAROLO VI. ſplendor ab occidente in orientem ſe longius pandit latiusque diffundit. VTERQVE fato admirabili BVRGVNDIONVM DVX, FLANDRIÆ ET BRABANTIÆ DOMINVS, VTERQVE HISPANIARVM REX, VTERQVE ROMANORVM IMPERATOR: junctis BOHEMIÆ ET HVNGARIÆ REGNIS, Sceptro ſublimiore ac fulgidiore. Accedit hodie peramplo incremento, ultra Pannoniæ & Tranſylvaniæ fines, dominium in Thraces, in barbaros quoque populos, truces imperii Chriſtiani hoſtes, quos victricia CAROLI VI. arma EUGENIO SABAVDO belli Duce, ſubigunt & ad devotionem proſternunt. Exercitus barbarorum prope Petrovvaradinum nuper fuſus, manubiis immenſis, Temesvvaria recuperata, excelſa triumphorum ſunt monumenta Thracum tyrannidem quam nonnihil verebatur CAROLUS V. compeſcit CAROLVS VI. iſtrumque a feroci & contumaci jugo liberat, ut ultra Helleſpontum indomiti Dardani truculenti hoſpites rem eare cogantur pavidi. Vaſtiſſimi limites imperii CAROLI VI. a mari occidentali ad maris Ægei & Ponti Euxini atros gurgites. Acinaces ſuos VICTORIOSISSIMO MONARCHÆ CAROLO VI. offerunt victi & domiti, ſævi antea nunc trepidi caſtrorum Duces, & munimenta tradunt.

JVLII

JULII CÆSARIS & AUGUSTI, primorum imperatorum Romanorum augusta potentia, per orbem diffusa, comparata cum CAROLI VI. MAJESTATE, multo augustiore, agnoscit læta CÆSAREAM AVSTRIACÆ DOMVS FORTVNAM longe sublimiorem atque eminentiorem. Armorum hodie vis fortior, prudentiæ penetrantius robur, regiminis autoritas mansuetior, regnorum & provinciarum cultura elegantior atque locupletior, divina etiam providentia benignior, concedunt CAROLO VI. quæ JULIUS CÆSAR quondam & AUGUSTUS eminus ostensa non impetrarunt. Servata illa coeli terræque benignitas in AUSTDIACÆ DOMVS MANSVETVDINEM: Hæc Numinis providentia in orbe revelato rectiusque imbuto. Orbis plane jam alius, coelum serenius, & tellus formosior, Imperii forma nitidior, dominium æquius & firmius, sub CAROLO VI. quam sub JULIO CÆSARE & AUGUSTO, longoque Augustorum consessu. Germaniæ facies, & Vindobonæ conspectus, a Taciti colore tantum differt, quantum cœlum a terra distat. In quo præstantiore omnis generis cultu venerabilem locum habet *mansuetissima mitissimaque doctrina Christiana*, quæ orbem innovat penitus, quæ novos condit homines, blandissimam ingenerat virtutem, reipublicæ animam donat puriorem, floris & tranquillitatis limpidissimum infundit sanguinem. Cujus in Christiano imperio beatitudinis momentum prænobile, amicissima societate, *elegantiorum artium & scientiarum spectabilis decor.* Bonæ literæ debent AVSTRIACÆ DOMUI, debent CAROLIS V. & VI. MONARCHIS, vitam in imperio prosperrimamque fortunam. CAROLUS ILLE AUSTRIACUS PRIMUS, in Imperio QUINTVS, fons est & principium Musarum puriorumve quarumcunque scientiarum in Imperio surgentium, omnis bonæ humanitatis politæve doctrinæ conditor & fundator, qui *opera usus sui ministri & Consiliarii Erasmi*, potissimi viri, adornatum nati. CAROLVS V. ab A.M.D. XIV. optimis literis, mansuetis studiis, primam dedit sedem in sua Flandria & Brabantia, ut elegantia paradiso digna. Exinde se diffundere jussit decorem oris & pectoris per amplissimos imperii fines. Placuit ita Deo, placuit CAROLO AVSTRIACO, annuente applaudenteque CAROLI *Cancellario, Sylvagio*, viro sagaci & comto, adhibito *culto Erasmi ministerio.* CAROLVS VI. quam in SVA AVSTRIACA DOMO a CAROLO V. nactvs ex optimis literis Imperii dignitatem, formositatem, spectatissimumque cultum, publicæ rei nitorem, (qui Romanam sub JULIO Cæsare Augustoque elegantiam, & ex fama præstantiam longissime superat,) gratiosissime

prote-

protegit, clementiſſime promovet, munificentiſſime ornat, auget & evehit, CAROLO V. & hæc gratia maior, qua & Imperium fortunatius, & res communis decentior atque floridior.

Gravis ratio, quare glorioſa CAROLI V. AUSTRIACI MONARCHÆ memoria, cujus clementia optimæ literæ, Imperii decus, ante hæc duo ſecula natæ ſunt & altæ, fuerit renovanda; ut intelligat noſtra ætas perpolita & ſecutura comtior, quod AVSTRIACÆ DOMUI in CAROLO V. præſentem debeat fortunæ dexteritatem. Auget hanc Imperii & fatorum ſerenitatem, ex elegantiorum literarum pretio abunde aucto, AVGVSTISSIMI MONARCHÆ CAROLI VI. SVPREMA MAJESTAS. Noſtri ſeculi devotionem ornatiorem ſereniſſimo vultu admittit, AVGVSTORVM OMNIVM MAXIMUS, CAROLO MAGNO MAJOR, CAROLO IV. FORTUNATIOR, CAROLO V. POTENTIOR. Tuetur potentiſſimos Imperii Sui limites, extendit ad Barbarorum Portas, quas perfringat: Protegit manſuetas literas, per quas arma & triumphi VICTORIOSISSIMI IMPERATORIS, inter dulciſſimos Muſarum applauſus, ad orbis finem vivent.

S. in Acad. Julia Helmſtadii
A. MDCCXVII.
d. 3. Januar.

Integritati atque ſinceritati!

SOrs humana, ex natura corrupta multis & infinitis expoſita damnis & periculis, expectat ab educatione, inſtitutione, prudentia, uſu & experientia, levamen, adjumentum & quandam redintegrationem. Ex omni interim parte adhibita ſolerti cura, eo deduci virtus quæſita non poteſt, ut obtineatur integra & plena, quæ levandis omnibus malis reſpondeat. Eſt cujuscunque virtutis, ingenti ſtudio & labore impenſo acquiſitæ, ea imbecillitas, ut vacillet citius, quam firmo ſtet talo, ubi vires ſumas omnes intendere oportebat. Longa quoque fluunt ſecula, quibus parum incrementi ſumat vis mentis, virtutis robur, & publicæ rei emendatio. Quin haud raro, comparatæ alicujus integritatis atque proſperitatis decus, vel negligentia vel impedimentis ſubinde novis defetiſcit, collabaſcit & ſubſidit. Quomodo per vices ſecula ſurgunt & cadunt, ægriusque iterum reſurgunt, propinquiora ſemper ad lapſum & vigoris remiſſionem. Et mille anni momentum ſunt, quo publicæ rei incolumitas vibrata, nec ſurgere, nec ſtare, nec nutare, nec cadere, nec reſurgere viſa, ex fatorum ambiguitate & imbecillitate communi. Creſcit proſperitas ex aucta virtute difficulter, & tardo admodum longis ævis greſſu. Naſcuntur interea, divina benignitate, nunc Principes, nunc privati homines, qui inſtinctu quodam divino feruntur in virtutis uſum promovendum, incrementa paranda, ad communis rei emendationem, inſtaurationem, lucem & præſtantiam. Inter gentes quondam tenuia & exilia, præclara tamen conamina, quæ juſtitiam fori protegerent, & ſocietatum honeſtatem vindicarent, comparuerunt. Sed imbecillitas temporum illam virtutis aliquam uſurpationem plus armis, minis, pœnis, obtinuit aut ſervavit, quam animi lubentia, promptitudine, & juſto virtutum pretio. Coacta magis omnia & vi imperata, ſi non extorta, quam læta ac ſpontanea allubentia exercita & exculta. Frigida pleraque, lenta, momentanea, inconſtantia, in ſpeciem magis quam uſum. Et nihilominus ex qualicunque virtute, etiam fucata, flos aliquis publicæ rei, apud Græcos, Romanos, Ægyptios, Syros, Perſas, per orbem. Sagacitas Antiſtitum, præſidum, conſulum, regum, potentiæ & armorum præſidium, ſuffulcivit virtutem qualemcunque, ſuam & ſubditorum, in gentis & regni gloriam. Pro tenuitate cognitionis, in illis gentium tenebris, in divinis & humanis rebus, in ſuperſtitionis ſervitute, vel radii virtutum, legibus demonſtrati & muniti, urbes & gentes extulerunt, opibus locupletarunt, ut caput in orbe efferrent. Leges, ad virtutem, pro virtute, contra ſcelera, fraudes, injurias, in tranquillitatem ſocietatum, & commerciorum tutamen. Et hæc omnia inter populos, pro priſtina caligine, in fortunæ ſplendore, vaga, ſubitæ mutationi obnoxia, ob virtutis inconſtantiam, quæ, in vitia prona, bene etiam conſtitutam rem funeſtis ſceleribus everteret.

Acceſſit tandem *Chriſtianæ diſciplinæ lumen admirabile*, quod omnigenæ virtutis indolem, vim, uſum detegeret orbique aperiret. Quæ exuberans rerum reconditarum emergens cognitio, divinâ gratiâ homines fecit novos, animis geniisque, conſiliis & inſtitutis, ut bene rectèque agere conarentur omni pectoris allubentia

& ſancta voluptate animi. Quæ nova hominum ſors, omnipublicæ rei ſalutem attulit & proſperitatem, ut integritas morum & mentium, virtutis & ſinceritatis, communem rem omnem bearet, juſtitia & æquitate ſolida, mutua benevolentia & juvandi promptitudine blanda, ſine ſordibus, ſine fraudibus & injuriis, amica civium conjunctione. Introducta hæc Chriſtiana vivendi agendique forma, pro cognitionis luce admiranda, ſenſim ſenſimque, Pauli primum operâ, in populos varios. Non diffitendum, *profeſſionem tantæ elegantiæ & exquiſitæ beatitudinis*, quæ univerſam hanc alteramque vitam complectatur, in totas mox gentes penetraſſe, ut Chriſtianum nomen avide apprehenderent, vera interim virtute atque indole Chriſtiana poſthabita. Ex nomine beneficiorum ſpes placuit forte omnibus, ſed virtutis Chriſtianæ vim innatam conſequi paucis contigit, cum mallent dici quam eſſe Chriſtiani. Atque ita per Græcos ad Romanos, per utrosque ad Gallos, Hiſpanos, Germanos, & vicina regna nomen pervaſit glorioſum, ut ſe Chriſtianos profiterentur, etſi non fierent. Cultus externus novam omnino induit faciem, ut priora idola ex aris & fanis removerentur, ſacrificia pecorum & cineres cruorque brutorum eliminarentur; ut Chriſti nomen per omnium ora ferretur, illique in templis vota fierent. Qua ratione occidens tandem univerſus, Carolo Magno inprimis adjuvante, novum admiſit doctrinæ characterem, & jus in Chriſtianam beatitudinem. Veruntamen, nemo non intelligit, ſubitam generalem integrorum magnorum populorum converſionem, à vaſto paganiſmo ad integrum Chriſtianiſmum, non tam vere quam ſpecietenus evenire. Satis in principio, jus contigiſſe univerſis, perveniendi pedetentim ad beneficiorum uſum. Relinquebatur ſeculis ſequentibus induſtria & vigilantia, præter nomen etiam vim inſitam populis conferendi, in communis rei emolumentum, in proſperitatem, quæ per omnem hanc alteramque vitam ſe diffunderet. Sed tarda hæc & lenta admodum poſterorum cura, quæ acquievit facile in nominis uſu vulgato, & cultus externi ſplendore indies aucto: Nec ſollicita de integriore Chriſtianæ rei cognitione plebi tradenda. Populi contemptus, plebis ſpretæ neglectus, liquit illos ſordibus prioribus, ignorantia veteri ſervata. Sacerdotum & antiſtitum dignitas ſpectata, nec parum locupletata, civitatis incolumitatem non attendit, ſibi ſufficiens, ſibi tuta. Quomodo civitas ex Chriſtiano nomine, novoque cultu, parum vel nihil ſenſit commodi ac emolumenti. Neglecta miſella turba, maxima civitatis & regionis pars, non ultra provecta, quam ad nominis mutationem, quæ ſua neſciret commoda & communia bona Civium numerus ingens priorem in paganiſmo animum, affectum, genium, morumque habitum ſervavit inſcius, nulla emendatione ſui & communis rei. Quorum erat, populum formare, informare, reformare, efficereque meliorem, ſuis & publicis uſibus; ceremoniis acquieſcentes, otii tandem abundantia & opum affluentia faſcinati, ſuperſtitionem priſcam roborarunt magis, novo colore, alia appellatione. Nihil adhuc in rempublicam fructus & ex Chriſtianiſmo commodi, virtutis ſinceræ cultu ignorato & deſerto. *Doctorum* etiam character, à quibus populo debebat proficiſci ſalus, & reipublicæ fortuna proſpera, ex doctrinæ ſinceritate, degeneravit in ſpeculationes otioſas rerum plerarumque inanium. Nobile theologiæ inſigne, quo populus ex imperitia eruendas, & Dei ſuæque omnigenæ proſperitatis cognitionem perducendus, in ſpinas, ſentes & vepres, in quæſtiones & diſputationes, ſupervacaneas, frivolas & inutiles eſt prolapſum. Quæ jactata ſubtilitas tantum abeſt publicæ rei vel hilum profuerit, ut potius obeſſet plurimum: Quippe quæ præ arrogantia induit autoritatem, ut qui ſic mente & ingenio vagarentur, exiſtimarentur Chriſtiani doctores ſoli & genuini. Quomodo inſomniorum imagines in Scholis fictæ & pictæ, populo ſunt ad adorandum oblatæ, pro veteribus idolis & monſtris novæ elegantiores larvæ. Minimè vero proſpere ſucceſſit, quando Eccleſia à civitate diſtingui cœpit, ut, qui rebus ſacris, ceremoniis & cultibus externis obſervandis invigilarent, nomen ſibi Eccleſiæ & Eccleſiaſticorum vindicarent, tota reliqua civitate & provincia regnove, cum ipſis Principibus & regibus, mundi, aut ſeculi nomine damnatis. Quod non tam arroganter quam imprudenter adeoque infeliciter evenit, cum diſſidio partium & ſtatuum immortali. Quæ incauta & intempeſtiva ſeparatio, Eccleſiaſticorum & laicorum nomine, odia peperit mutua, inteſtinaque bella. Inprimis cum illis tanta accederet dicendi ſtatuendique autoritas, ut his nil ſupereſſet præter cœcum obſequium & fulminum metus. Quem ſacræ poteſtatis abuſum non ſine dolore experti Cæſares etiam & Reges, clavibus Eccle-

ſiæ

siæ perculsi, ad necem usque. Quæ intemperantia, publicæ rei manifeste exitiosa, commovit tandem Cæsares & Reges, ut de Ecclesia nimiopere corrupta, & de Ecclesiastico statu corrigendo ac reformando seriò dispicerent. Orsus præ allis hoc salubre instaurationis negotium SIGISMUNDUS IMPERATOR. Nec potuit tamen, cum Alberto, Friderico & Maximiliano, inter immensos labores efficere, ut Ecclesia emacularetur, civitas communis suis ex Christianismo juribus restitueretur, & publica res liberata servaretur. Potuit tamen Numen supremum, quod humanas superabat vires: Cujus æterna sapientia ex fundo malum corrigere sustinebat. Excitavit igitur sub exordium seculi XVI. *Erasmum*, qui à primis literis emendationem universam ordiretur. Humanitatis studia præire jussit cœli providentia, quæ mansuetudinem barbariei pristinæ opponerent, ut bonis literis emolliti & mansuefacti animadvertere discerent, aliam restare Christianæ rei benignitatem, quæ universam communem rem beare posset. Quæ initia tam auspicata jussit esse divina gratia, ut orbis nasci videretur novus, renasci, & novam induere indolem, quæ communem rem servare sustineret. Erasmo dextram præbuit *Reuchlinus*, pari scopo & usu. Successum prosperum cum turbaret temere rudis & barbara indulgentiarum venundatio, tabernas illepidas & subrusticas concussit cœlestis manus, ut velut nummularii ex templo ita hi quæstores ex foro sacro fugerent inanes cum pudore.

Quæ Ecclesiæ noviſſima fata, in quadam gentium & populorum Occidentalium emendatione, ante hæc duo secula animadversa, digna visa sunt, quæ hodie æqua modestia commemorarentur. Quando igitur hæc qualiscunque *rei communis beatitudo ex bonis literis orta*, per literatos viros est instructa, *Historiæ literariæ* nomen meruit sobria recensio. Emendationis summam necessitatem ipse *summus Pontifex Adrianus* An. 1522. in Comitiis Norimbergensibus ingenue agnovit; ut in re ipsa suscipienda inter nullas partes, sobrie judicantes, ullus esset dissensus: CÆSARIS MAXIMILIANI *augusta reformationis postulata* ne repetam. Nihil in recensendo dedimus affectui, veritati litantes, non partium studio. Nude & simpliciter rerum gestarum seriem contexuimus, ut judicii integritas cuivis lectori maneret salva. Erasmo utique debentur primæ partes, cui omnis posteritas primas referat gratias. *Magna pars*, & nobilis quidem, omnis in hunc diem *emendationis* erat *bonarum literarum instauratio.* Barbarus sit, qui barbariem prioribus seculis neget. Averruncavit illam primus, certe præ ceteris, nitidus Erasmus. Hanc primam gloriam nulla viro derogabit invidia, nulla subtrahet æmulatio. Præstitit, quod ante ipsum nemo. Germaniam, & finitima quædam regna, perpolivit, candida & ingenua mansuetudinis principia ingeneravit, Scholasticas in doctrina labyrinthos dissipavit, tenebras ignorantiæ disjecit, ad Pontes sacros, limpidos & puros, invitavit, primusque omnium Novum Testamentum Græcum, cum integriore versione, manibus Christianorum tradidit. Emendavit orbem non advertentem, humanitate, modestia, lenitate, mansuetudine, viamque monstravit ad reipublicæ Christianæ usum commodumque locupletissimum ex puriore Christianæ rei cognitione. Singulari contigit fato, disponente Deo, *sub* CAROLO AUSTRIACO, *tunc* BURGUNDIÆ DUCE, *mox* HISPANIARUM REGE, *dein* & ROMANORUM IMPERATORE, *hanc instaurandæ publicæ rei telam ab Erasmo inchoari*, atque aliquo usque produci, utpote cujus magni Principis auspiciis hæc in Imperii salutem sunt feliciter instituta ab illo tanquam Caroli Consiliario. Tanto justius pretium fati & illius ministri, quanto manifestius, hanc lucem ab illo esse suscitatam in media Romana Ecclesia, quæ non foris convellenda, sed intrinsecus illustranda. Detegere verò maculas non est hostis sed amici, mundare non est male sed bene cupientis. Hoc *emendationis communis filum*, *ab Erasmo textum*, delineare sumus annisi *Parte prima hujus literariæ historiæ.* Abstinuimus ab omni affectu, rerum & successuum vincula blandissime commonstrando, veritatemque rei gestæ comiter tuendo.

Uti Erasmus *latinas & græcas, Novi inprimis Testamenti res* orbi commendavit, ita eodem tempore *Reuchlinus*, res hebræas veteris Testamenti illustrare sategit, & Judæos non ferro & flammis, sed verbo & mansuetudine vincendos atque ad fidem Christianam pelliciendos esse asseveravit. Quorsum *Pars II.*

Juste utrumque horum emendationi manum admovisse, submonstratum *Parte III.* ex amaris de infanda publica corruptione querelis, quæ cumulatim præcesserant. Quæ monumenta ex vetustis & fide dignis MSCtis promsimus.

PRÆFATIO.

Qui incidit tandem *ex indulgentiis motus publicus*, autore Tezelio, documentis expoſuimus genuinis & irrefragabilibus. Neque vel verbum miſcuimus, quod non fide conſtaret publica. Nec enim hic contendere animus fuit, ſed rem geſtam nude commemorare, pro hiſtoriæ jure. Eò *Pars IV.*

Poſtremò, ut aliqua eventuum liqueret ſeries, ſelegimus rarum & candidum *Abrahami Scalteti* opuſculum, quod illibatum dedimus *Parte V.*

Hoc Tomo unus nobis & verus fuit ſcopus, *fundamenta & exordia mutationis iſtius* commonſtrare, quæ vel præterita hactenus aut neglecta, vel oculos multorum fugerunt. Hæc ſine ſanguine ſcribi aut referri potuerunt, parique animi tranquillitate legi poſſunt. Veritas interim fucum neſcit, & diſſimulari recuſat, juſto veteris hiſtoriæ loco. Cur ignorent poſteri, ab omni parte, quæ in communem proſperitatem, publicum rei civilis æque ac ſacræ commodum, ante aliquot jam ſecula, prudenter & proſpere ſunt cœpta vel contecta? Quidni DEO providentiam tribuamus, & DOMUI AUSTRIACÆ gratiam, quorum nutui & manibus beneficia humaniorum literarum, & ex illis proſperis res regnorum, civitatum, ſocietatumque, debemus accepta. Pars hæc gloriæ, pars majeſtatis DOMUS AUSTRIACÆ, dediſſe Imperio & finitimis provinciis elegantiſſimum decus manſuetiorum ſtudiorum. CAROLI V. hæc felicitas, mitioribus diſciplinis innovaſſe Germaniam, ſui miniſtri & Conſiliarii Eraſmi operâ redintegraſſe ſalutem communem. Auguſta CAROLI V. fortuna, per ſuum miniſtrum, peritum, fidum, omnis boni fontem aperuiſſe, Novi Teſtamenti lucem accendiſſe, Chriſtianos feciſſe ſubditos, cives reddidiſſe probos, publicæ rei emolumento. Beneficia CAROLI AUSTRIACI incomparabilia, elegantiores literæ, humaniores diſciplinæ, ipſa manſuetudo, ipſa veritas, imperii per omnia ſecula beatitudo, dum orbis erit, & cum orbe AUSTRIACA DOMUS. Inæſtimabilis theſaurus, in publicæ rei uſus infinitos, Chriſtianæ doctrinæ, puræ & illibatæ, Corpus, veri divini & humani Juris Corpus, ad quam normam longa poſteritas publicam ſalutem exigat, æſtimet, componat, redintegret & inſtauret. Non fruantur hæc ſecula tantis bonis, niſi vel obiter, vel parce, fruentur circumſpectiora ſecula alia, DOMUIQVE AUSTRIACÆ immortalis agent gratias. Sub CAROLI AUSTRIACI protectione natæ elegantiſſimæ manſuetiſſimæque literæ! Quod ſereniſſimum fatum, ſempiterna memoria dignum, læti recolimus hodie gemino jam elapſo ſeculo, qua CAROLI VI. AUSTRIACI MAJESTAS ab iisdem humaniſſimis literis adoratur, quas CAROLUS V. in AUSTRIACA DOMO quondam apparavit. Dulciſſimum fatum, CAROLUM V. & CAROLUM VI. gemini ſeculi intervallo, EJUSDEM DOMUS AUSTRIACÆ AUGUSTISSIMA CAPITA, iisdem annis BURGUNDIORUM DUCES, HISPANIARUM REGES, & ROMANORUM IMPERATORES, manſuetiorum ſtudiorum eſſe clementiſſimos protectores ac defenſores, munificentiſſimos Muſarum heros & dominos. Præſtantiſſimæ hujus glorioſiſſimæque fortunæ honos per longos ſeculorum anfractus ad ultimos mundi fines commeabit, durabit quamdiu Chriſtiana res manebit. Gratulamur ſerenis literis ex CAROLI V. AUSTRIACI gratia! Gratulamur mitioribus ſtudiis ex CAROLI VI. AUSTRIACI clementia. In utroque Monarcha ſupremi Numinis adoramus benignitatem!

De reliquo, præmittimus toti huic Operi *breve prioris illius ævi compendium hiſtoricum*, quod circumſtantias potiſſimas rerum tunc geſtarum comprehendat, ſuis nervis argutum valde, quod attentum poſcat lectorem, *ſcriptum A. 1518. menſe Auguſto, Auguſtæ Vindelicorum, in Imperii Comitiis, ab Equite Franco Ulrico ab Hutten*; nomine ὄντις, *Nemo*, græca appellatione, in *Hutteni* nomen alludendo. Nemo non miretur Ulyſſem.

Scr. in Acad. Julia A. 1717.
Cal. Januar.

OΥΤΙΣ: NEMO.

ULRICI de HUTTEN, Equitis Germani, ad CROTUM RUBEANUM in *Neminem* præfatio.

ACcipe igitur hoc tibi *nihil*, Crote, quod toto anno ſcriptum a me conqueſtus es, idque in epiſtola tua, quodam quaſi tragico ploratu vicies repetis: Quaſi qui *nihil* eſt, ab eo aliquid extorquere liceat. At nunc ipſum illud *nihil* ad te mitto, & ita mitto, ut *Nemine* perferente accipias. Qui cum enim rectius *Nihil* quam cum *Nemine* verſatur, *cum Nemo nihil ſcribat ac faciat?* Sed jam noſſe vis, unde hoc repente commentum. Ex perverſa, Crote, hominum opinione, ſimul tua tragica epiſtola. Nam ut tu *nihil à me ſcribi* quereris: Ita ſunt homines, qui *ſi quid ſcribas etiam aut facias, & ipſum illud, & te autorem nihil dicant.* In ea tempora incidimus, in id vulgi judicium ſuccumbimus. Si adhuc quid ſibi hoc velit *Nihil* dubitas, priora revolve, ac quædam ut contigerunt in memoriam revoca. Periculum feciſti mecum, *quid mereantur, qui optima ſtudia ſtudioſiſſime ſectati ſunt* Nempe ut *nihil didiciſſe, & ipſi homines nihili dicantur* propalam. Qua in re clementiores adhuc judices expertus es, quam ego, qui poſt tot annorum meam per Europam peregrinationem, tot additis periculis, tot exhauſtis calamitatibus, nullis non ærumnis afflictus, cum tandem ad meos rediiſſem, quid aliud ſperare debui, quam homines longa mei expectatione feſſos, advenienti occurſaturos, obviis manibus excepturos, blanda aliqua præfatione ſalutatum amplexaturos, gratulaturos incolumitati meæ, probaturos quod cum patriis Muſis rediiſſem in gratiam? At paucioribus curæ fuerunt hæc, quando reperti ſunt, qui me accuſarent etiam. Jam enim fama præceſſerat *quibus ſtudiis quam operam impendiſſem.* Itaque reprehendere omnes, ac fruſtra laboraſſe, & tempus perdidiſſe dicere. Atque eo omnium tandem calculi conjecti ſunt, & quod vix credis in patria miſer inveni *Neminem* æquum meorum ſtudiorum judicem. Illum vide *Neminem*, qui hoc de ſe dicit. *Nemo refert ſtudiis præmia digna bonis.* Non aliter, atque ille ego ſcin decoctor filius, qui ad porcorum aras & commeſſandas ſiliquas relegari debeam. Aut non *melius* ſit *ita ſtuduiſſe, quam ſtudiiſſe omnino nihil.* Nam ex æqualibus, qui neque literas neque natare didicerunt, nihil offendebant. Adeo *tutius eſt, non ſtudere quam ſic ſtudere.* Et hanc quidem impegerunt mihi culpam, ut eſſet quod duritiei ſuæ prætextum obtenderent. Tuncque primum divagatus eſt rumor, *nihil didiciſſe* me, ac *eſſe nihil*, magnis ille quidem autoribus. Nam ubi in illos quis inciderit *jactatores leguleos*, aut ad hos adpulerit *ſupercilioſos Theologiſtas*, non dico quomodo poſſet *ſcire aliquid*, hoc dico, quomodo poſſet *eſſe aliquid?* Diogenes Cynicus *ultro nihil ſcire vult, poſt eum qui omnia ſcire profitetur, at eſſe aliquid contendit.* Id quod ego adhuc conſequi tot laboribus non potui. Nam cum *inter meos* verſor *Equites*, haud numeror; *Ex iſtis* vero *indoctis doctis nemo ne agnoſcit.* Ac neſcio an alicujus eorum umbra ſim. Ita *plane non ſentio ipſe me*, quoties ſua ſtudia prædicant, ſuam eruditionem, ſua ingenia oſtendunt. At vero in me quicquid eſt, omni contemptu contemptius judicant. Tunc *jactantur* ab alteris *Felini, Baldi, Bartoli, Iaſones, Actarſii ſpeculatores*, ac id genus *doctorculi*; ab alteris vero *ſubtilis Scotus, Seraphicus Bonaventura, bis ſanctus Thomas, unice magnus Albertus*, ac *irrefragabilis quidam*, cujus mihi nomen per incuriam excidit. Et à tantis magiſtris, tanti diſcipuli, ab iſtiusmodi fontibus hi rivi ſunt, *ut ſciat aliquis, ad Scotum quantum nobis reſtet:* qui inter ſectatores illius, tam nihil ſcimus, tam ſumus inerudite eruditi. Quanquam tu ſolitus ſis imitari, qui nos olim docuerunt Colonienſes, & *ſyllogiſmis fulminare*, ac ſi quando provocaris, *alacriter congredi, opponere, aſſumere, reſpondere, concluſiones ſuſtinere bis triginta, nonnunquam arguere pro & contra*: Quem illi non ſtatim probant, quod *non formaliter conſuis argumenta.* Quod genus eſt illa quæſtio: *An acutius aliquid videre potuerit raptus in tertium cœlum Paulus, quam in ſua cella cum tantis ſpeculationibus indormiret aliquando Doctor ſanctus?* acute ut mihi videbatur per te diſputata, ſed ab *illuminatis Thomiſtis*, qui ſoli cerebrum habent, diſcutienda. Non magis orto ſole evaneſcunt ſidera, quam nos, Crote, quantocunque conventu, quodam ſe iſtiusmodi farinæ clamoſo tripudiatore ingerente, obſcuri ſimus. Sed audi meum in hac re conſilium, poſtquam mihi ſtomachum moverunt iſti olim *ſuperbi legum diſpenſatores.* Fateor, *eſſe aliquid* contendi: Et eò ſtudium contuli meum: Ac diſpeream, ſi ulla alia ratione, quam vel ut eorum deſiderio ſatisfacerem, vel ipſum illud, *quantumcunque nugatorium eſt, quo iſti triumphant Bartoliſtæ*, aſſequutus, acceptoque *doctrinæ titulo, quo decipi vulgus amat*, ab illis poſtea audiri mererer, quod aliter per contemptum non fiebat. *Doctorem enim eſſe oportet nunc, doctum neque neceſſe eſt, neque omnino aliquid eſt.* Quanta literarum jactura hoc facies, ajebat aliquis? Nullâ, reſpondi, quippe impendendum aliquid ſucciſivi temporis, *cum iſtas illiteratas literas atque hanc doctrinarum fecem jactare diſcam.* Nam intelligere nullo negotio licet. Sum enim plane in ea opinione, ut *qui in his ſtudiis ſuperbire ſciat, & pro tempore ingerere ſe audeat*, eum *conſummatum hoc tempore jureconſultum* exiſtimem. Quod *inſtitutum*, quid refert, quomodo poſtea *immutaverim*, ſcribere, cum tu illi interfueris Senatui, quo illud factum eſt conſultum? Ad *Bartholiſtas* redeo. Tales ſunt qui *nunc in auribus Principum quaſi ſpongiæ hærent: quibus conſultoribus reſpublicæ gubernantur: Ad quorum præſcriptum omnia domi foriſque geruntur: qui ſoli docti ſunt, ſolique doctrinæ pretium inveniunt:* Quibuscum ſuum iſti divites aurum commune habent. Quos ſolos benignius ſalutant. Ac *neſcio an uſpiam manifeſtius ſtultitiæ ſuæ documentum, quam in demerendis rabulis* præbeant. *Quos cum reddunt purpuratos, ipſi aliquando egent inepti homines.* Quaſi non *melior fuerit Germaniæ ſtatus, antequam iſti invaderent,*

)()()()(

derent, tot voluminibus instructi: tunc cum plus valerent hic boni mores, quam usquam scriptæ leges. Aut non *adhuc tanto quælibet civitas prudentius gubernetur, quanto ab ea longius absunt hi glossatores.* Ac illos mihi intueatur aliquis *apud Balticum mare Saxones*, quam *incunctanter, ac nulla injuria jus dicunt, non consultis* quidem illis quos dixi *leguleis*, verum *suo illo ab antiquis more*, cum *nos hic viginti annos, inter triginta sex Doctores pendeamus*, qui *quomodo persuadebunt mihi doctrinæ opinionem cum tot annos, tot perlectis voluminibus invenire quid juris non possint?* Obscure igitur intelligimus *quis alat istas in Germania contentiones?* istas *discordias?* quis *intestinis bellis connectat Principes? Rebuspublicis tumultus invehat? omnia seditionibus impleat?* Ex his quendam novi, *insignem asinum*, quod mihi videtur, quod ipsi, jure consultum, qui aliquando simul audientibus nobis Papiæ illud juris columen Jasonem, cum is prælegeret, ac multis citatis autoribus subjiceret: *Et Alexander de Imola ac sequaces*, conversus ad proximum quæsivit, quis ille esset *sequaces?* Putabat enim, ex glossatoribus uni *sequaces* nomen esse. At idem ille, qualis qualis est, nuper *ex Italia rediit* libris ac vestibus splendide instructus, & inter *Doctores* numeratur, ac me qui melius capio Jasonem, post tergum relinquit. O mores, ô studia, ô temporis hujus capita, *quin istas abstergimus nebulas? & aliquando verum intuemur!* At valde interim *ex suis sibi isti commentariis placent, studium alioqui tractabile, omni caligine involventes, ac Cymmeriis plane tenebris obscurius reddentes.* Quorum ut *densiorem* quis *nebulam, atriorem noctem libris Digestorum admolitus* est, ita pro classico autore celebratur, & in admiratione habetur. Cujus enim lucubrationibus non antefertur *Accursius* quidam, *ex cujus tenebricoso ingenio hic offusus est Juri civili fumus?* Non injuria igitur miserebat mei olim, cui ut studiosus essem, ad hujusmodi studium divertendum erat. Tam *inconsulta* sunt *hominum super humanis studiis consilia.* Quare ut mihi videtur, qui ingenuo sunt animo ac recte libero, omnia malint, quam in has se demittere sordes. Hæc ego accusare in illis, quanquam iniquissima sunt, non ausim, nisi repetita bis veniæ petitione, præfatus, *dicturum me, quod nemo sentiat, ac nihil dicturum.* Sumus enim nihil, Crote, nec prius desinimus nihil esse, quam aliquam nobis in hac Comœdia personam assumamus. Quanquam *nisi obessent mihi literæ*, poteram satis reverenter *Eques Germanus* salutari, & tu sacerdotis appellatione satis honoratus eras, nisi & *præter Equestrem dignitatem esse* putaretur, *literas discere*, & penitus nihil saperent, qui se valde hoc seculo putant sapere. Hi sunt, qui *cum literas ignorent, consilium tamen nobis dant quid discere oporteat*, & *studiorum censores agunt, quorum à titulis præmia metiuntur*, sic fere quærentes: quid est iste? quibus respondere licet, *Doctor est, Magister est, Baculaureus est.* Aut si nullum istorum attigit, *nihil est.* Nuper ex quodam meorum quæsitum hunc in modum est, ab istius professionis homine, curioso illo quidem salutandis amicis, qua me honoris præfatione salutari oporteat? Tum meus respondit: *Nondum aliquid esse me*: Hoc volens scilicet homo simplex, *nullo insignitum titulo*: *Quod* satis fuit huic salutatori. Hodie enim non qualis quisque sit, sed quo vocetur nomine, quæritur. *In casu ac pecuniis omnia insunt. Virtuti proprium est nihil illud*, proh Christe, *nihil*, quod nunc optimus quisque vocatur. *Cur* igitur *sapere quis velit; quando sapere extrema hoc tempore dementia est?* Hinc mihi hoc *Nihil* excidit, atque hic prodit *Nemo*, nullis ille quidem calumniis, nullis obnoxius contumeliis, plenus fiduciæ, qua elatus, hoc audet *Nihil* in lucem adducere, impune credo ad omnes eventus. Quia qui *nemo* est, quid obstat, quo minus loquatur hoc suum *nihil?* quod si non probabunt qui vocantur *Theologi*, suo more fecerint. Quanquam probabunt forte, cum *aut nihil eis placeat, aut quædam magis quam nemo putet nihil.* Quibus aliquid meum nonnunquam ostendens, Ecce vobis nihil inquio, ab eo, qui per vos nihil est. Ibi *tum accurate legunt, investigantes, num hæresin sapiat*, & statim *si quid minus placet, quanquam sit hoc nihil, enotant.* Inde *in articulos errata digerunt.* Sunt enim pensiculandis hominum sermonibus acuti valde judicii. Ubi *si quid offendit, frontem contrahunt, labra exporrigunt, nasum suspendunt*, nonnunquam *ad ignem, ad ignem* ingeminant. Quam colluvionem movere tutum non est, non magis quam cum sentibus luctari, aut præsens aliquod ultro sibi malum accessere. Apud hos cautum est nequid temere loquamur, *metuendum genus hominum*, ac *fari omnia solitum, audire nihil.* Quis liberius enim carpit vitia nunc, quam isti sapientes? Imo quis petulantius quoquo vult invehitur? si quæres, ipsi interim quomodo vivant, *pallium & cucullum ostendere satis habent.* Quæ si nihil dicas, ibi tum in articulos tuum referunt nomen. Probarunt tot, inquiunt, Pontifices, ac privilegia proferunt, tibique negotium faciunt, malum minitantes, ni Palinodiam occinas. Longum esset scribere tibi, quoties illis jam displicui, donec consensi in hoc *Nihil.* Quod quia nihil est, nihil ab illis fit: & *omnino concessum est, nihil dici aut neminem dicere:* Hac lata lege, nihil dixeris, aut nemo dicere audeat. Atque ita me tueor prudentius, quam ubi quendam olim *ex his Crabronem* (*Hochstratum*) *vehementer irritaveram, cum dixissem, nihil scire nunc Theologos, quod non discere quis vel sine præceptore possit.* Quod meum peculiare verbum, quo dii boni supercilio exceptum est? quæ conclusiones, quot syllogismi, quanta Enthymemata sequuta sunt? Obtundebar infelix. At ille iratus dominus virgines deprecatrices poscere videbatur, ut mihi propicius esset. Cui omnia concludenti, omnia concessi, herbam quod ajunt porrigens, in hoc etiam assensus, ut supra vulgarem ipse hominum sortem, numinis loco sit, ego nihil sciam, nihil sim: quodque doctus ipse fulgeat quasi splendor firmamenti, ego in his delitescam tenebris meis, ubi loqui nihil liceat. *Capnionem ab animi magnitudine omnis admirabitur posteritas, qui descendere cum his in aciem, ac pugnam capessere ausus sit, & mira hoc felicitate, præter omnium opinionem.* Qui si qua forte laborasset, tunc cum multis mihi commune nihil fuisset hoc nihil. *Omnia debentur Maximiliano Principi, qui se furentibus opposuit,*

posuit, non passas everti optimum virum, & de hoc Imperio suis consiliis suaque industria sic meritum. Secus Theologistæ Parrhisienses judicarunt, sua maxima infamia, suoque dedecore. Quod recordanti mihi, subit, *quid in Christianam religionem invexerit, hæc trecentorum annorum Theologia. Postquam* enim *discessum est, ab illa veteri & germina, tum vero cum studiis declinavit simul religio, ac illa increbuit, omnium pestium pestilentissima superstitio*, quæ sua caligine ita verum Dei cultum infuscavit, ut nesciat Christi sint, quæ observas, multa, an alicujus novi dei, qui hoc sibi vendicet ultimum mundi tempus. *Habent* tamen *pessimorum librorum magnos acervos.* Ac *dum istos negligunt antiquos, & recte doctos autores, in his versantur nugamentis, & in scripturarum sordibus, non secus, ac in luto Scarabeus, deliciantur.* Neque tunc vilius quid nostris studiis tractare se putant, quoties *pro concione sordidam aliquam fabulam, aut axile deliramentum, vulgi credulitate abusi, deblaterant.* Qui cum tales sint, quicquid tamen extra suam farinam est, contemnunt ac aspernantur. Cumque omnium insulsissimi sint, eos tamen esse se contendunt, quibus semel Christus dixit, Vos estis sal terræ. Quare & sapientes credi volunt, ac Apostolis quicquid olim datum est, jure hæreditario ad se trahunt, & in compellationis præfatione, *Magistri nostri, mira & inaudita ambitione dici gestiunt.* Forte quia *confessiones audiunt, ac consilia Regum & Principum ediscunt*, deinde *mulierc*ularum quoque secreta nimis avide rimantur*, ut *se iccirco plus omnibus sapere credant*, & non immerito à discipulis Magistri, à filiis patres (proh dolor) salutentur. Qua de re facetissimam tu olim ad me Epistolam. Sed quid ego hæc? Quasi hoc tempore Theologi non sint? Minime. Sed *quod tam nihili homines in Apostolorum locum succedant:* in ejus rei indignitatem aliquis *Nemo* exclamare potest: omnia inverti, omnia confundi & misceri, omnia secus ac sint haberi: Nihil sibi constare: *Neminem aut à morum integritate bonum, aut ab eruditione doctum judicari, sed alterum cucullo ostendi, alterum titulo utcunque acquisito exprimi.* Tu, Crote, qui acutius omnia intelligis, *quid vidisti tempestate nostra Christianum magis, quam illos nuper Erasmi labores?* aut quid contra magis *invisum* his *Thomistis?* Ut susurrabant, ut fremebant, ut stringebant supercilia ut nasos suspendebant! Ilia rumpi his credas, quoties tale aliquid viderint. Ita alienis virtutibus invident pessimi homines. Ita conscientia ignaviæ suæ cruciantur nebulones. At tunc strenui sunt, quando in suo illo regno, publico suggesto, apud indoctum vulgus, ac leviss*i*mi sexus turbam declamant. Ibi lacerant, ibi invidentiæ suæ stimulos exerunt, ac illud ejaculantur terribile fulmen, & mirum evomunt venenum, non in eos in quos necesse est, sed quos sibi molestos esse ubilibet contigit. *Alexandrum sextum* nostra memoria *Pontificem Maximum dixisse ferunt, cum potentissimo Rege aut Principe malle sibi bellum esse quam cum uno ex fratrum mendicantium ordinibus.* Omnia enim habere eos, qui nihil habent, ac inexpugnabile id esse hominum genus, quacunque certandi via adoriaris. Nescio, acutissime hæc considerem, an vero dolore meo latius efferar: Hoc certe puto, neminem non civiliorem reperiri victorem, si quos disputando concludendoque vinci contigerit, quam hos præposteros Christi apostolos. Quid enim crudelius unquam sensisti, quam cum ubi quempiam arripuerint eorum, hæreticos quos vocant? Tunc quippe omnia Christo, præter unam misericordiam, concedunt. Et quid illi proprium maxime est, hoc tum longissime ablegant. Quin etiam adeo insolentes se gerunt, ut nemo non damnari malit, quam ab his consequi veniam. Qui cum oppugnandis nobis, quorum patrimoniis aluntur ventricosi Hypocritæ, adeo feroces se exhibeant, nullus tamen reperitur, qui religionis Zelo in Turcas eat, fidem Christi prædicaturus. Aut illos saltem in medio nostrum *Boëmos* ut erudiat, *quos illorum vitio secretos ab ecclesia Pius secundus Pontifex Maximus non obscure queritur.* Profecto ubi nihil opus est, ferociunt: ubi faciundum periculum, ibi se subtrahunt providi pugnatores, ac quietem allegant, quæ debeatur religioni. Ad quid igitur istas putem conferre *scholasticas disceptationes:* tot viis, tam diversis inter se opinionibus contin-natas? unde hæc nomina, hos usurpant titulos? Hieronymus à piscatoribus sumi, quod fidem Christi astruat, oportere credidit; & dialecticam abesse jussit: Quam si his ademeris, quid reliqui facies? Iterum dico igitur, Crote: Qui ingenuo sunt animo, ac recte libero, his *faciendum hoc tempore, ut omnia malint, quam vulgi inservire judicio.* Ita passim erratur, ita *nihil sumus, ob id quod boni esse studemus:* Ac *nihil scimus, quia aliquid recte scimus.* Quod si tibi videtur, & in ea es sententia, ut magnopere non cures, quid istiusmodi probent judices, perpetuo erimus nihil. Ac suaviter interdum ridebimus hominum mores. De me sic habe: Certum est, non obsequi his, qui me *Doctorem* esse volunt. Quorum proxime quidam: *Adde* (inquit) *nomen rei.* Si possem, respondi, *rem postea nomini.* Nec illos moror, qui mihi nulla virtutis opinione, sed *pretio quæsitis titulis* præferuntur. Ac libenter nihil sum, ut ne in hoc impingam ambitionis studium, & vel latum digitum ab instituto discedam meo. Tu interea, Crote, quandoquidem & ipse mecum nihil es, hoc *Nihil* satis habe, quod perlegas. Et illud tecum cogita, *eum quoque qui nihil sciat, aliquando facere aliquid:* & qui nihil scribat, scribere multum sæpe. Vale, & me ama, à quo te immortaliter amari non obscure sentis. Deinde hunc audi Neminem.

Nemo loquitur.

Quisquis ades, si forte novos mirabere lusus;
Ne rigida faciles accipe fronte jocos.
Sed qua læta probis ageres convivia mensis,
Quoque decet vultu res variare graves.
Inter se mutata placent. Non omnibus idem
Est locus. Haud poscunt omnia tempus idem.
Et quandoque leves veniunt ad seria risus,
Quo jucunda graveis temperet hora dies.
Este alii tristes semper, semperque severi:
Qui sapis, alternas omnibus adde vices.
Scilicet hic modus est. Tu qui mea nosse labores
Fata, cleanthæum pone supercilium.
Qui loquitur *Nemo* est, loquitur *Nihil.* At tibi si quid
Insonuit, dicas, *Neminis esse Nihil.*

Sum *Nemo*: Vivam, nec ne, cui dicere promtum eſt?
Non etiam promtum eſt hoc mihi: Vivo tamen.
Nemo agitat vitam. Tu quid te contrahis? an quod,
Si vivet *Nemo*, vivere non potis es?
Ille ego ſum *Nemo*, de quo monimenta loquuntur:
Ipſe ſibi vitæ munera *nemo* dedit.
Nemo fuit ſemper, *nemo* iſto tempore vixit,
Quo male diſpoſitum dii ſecuere chaos.
Ante ortum *Nemo* eſt aliquis: Poſt funera *Nemo*.
Nemo quid invito fertve facitve deo.
Omnia *nemo* poteſt. *Nemo* ſapit omnia per ſe.
Nemo manet ſemper. Crimine *nemo* caret.
Nemo fugit mortem: *Nemo* eſt à fine ſuperſtes.
Nemo exors certi naſcitur interitus.
Nemo animos novit ſuperum, ſenſusque latenteis.
Nemo quod eſt, quod erat, nemo futura tenet.
Nemo ſalutiferas præter ſervabitur undas.
Nemo fidem Chriſto non habet, & bonus eſt.
Nemo ſorte ſua vivit contentus, & intra
Fortunam didicit *nemo* manere ſuam.
Nemo ſacerdotum luxus, vitamque ſupinam,
Nemo audet Latium carpere Pontificem.
Nemo in amore ſapit, *nemo* eſt in amore fidelis:
Nemo alii propior quam ſtudet eſſe ſibi.
Nemo vagas numerat ſtellas. Ipſo ordine novit
Nemo, quid in terra, quidque feratur aqua.
Nemo poteſt dominis ſimul inſervire duobus.
Nemo quod, & quoties expetit illud, habet.
Nemo bonus, *nemo* eſt ex omni parte beatus.
Nemo ſimul potis eſt omnibus eſſe locis.
Nemo omnes poſita Germanos lege coercet.
Nemo jugum Rheni gentibus impoſuit.
Nemo per innocuos mores emergit, & aulæ
Sontica proſequitur munera *nemo* pius.
Nemo Quirinalem dominata liberat urbem:
Nemo laboranti ſubvenit Italiæ.
Nemo feros bello Turcas adit, & bona curat
Publica, privato munere *nemo* magis.
Nemo certa ſequi ſibi conſcius optima legit.
Nemo audet ſubitis rebus habere fidem.
Nemo errore vacat. *Nemo* ſibi cavit ubique.
Nemo placet cunctis, invidiaque caret.
Nemo quæ placeant ſtupido facit omnia vulgo:
Nemo refert ſtudiis præmia digna bonis.
Nemo voluptatem nullis languoribus explet.
Nemo renaſcentem ſedat avaritiam.
Nemo eſt in terris Germano Cæſare major;
Nemo Deum pariter divitiasque colit.
Nemo vagam ſtabili fortunam temperat orbe:
Nemo gravi caſus ſub ratione leves.
Nemo quas congeſſit opes, ſecum auferet iſtuc,
Mortuus unde ſemel *nemo* redire poteſt.
Nemo maris guttas, numerumque recenſet arenæ.
Nemo dat æſtivis nomina pulveribus.
Vertere *nemo* vices, infectum reddere factum:
Nemo poteſt lapſos huc revocare dies.
Et quæ præterea numero foret edere longum:
Quid valeat *Nemo*, *nemo* referre poteſt.
Una meum cenſet leve turba domeſtica Numen,
Servorumque cohors, & puerile genus.
Horum eſt in famam tam prona calumnia noſtram,
Ut nihil exoptent quam mihi obeſſe prius.

Nil moror hæc, ὀλίγοστὲ καὶ οὐτιδανὸς καὶ ἄχνυς,
Opprobrio infelix ulteriore petor.
Atque ubi peccarunt, neque enim peccaſſe fatentur,
Transponunt labes in mea terga ſuas.
Quicquid ab his culpæ, quisquis committitur error,
Si quæris, quis agat: omnia *Nemo* facit.
Amiſſum eſt aliquid; *nemo* abſtulit. Excidit aurum,
Nemo habet. At nullas *Nemo* cupiſcit opes.
Quid quod fraude mihi gravidam obtruſere miniſtram
Tot famuli: quanquam haud tacta ſit illa mihi?
Quærendus puero pater eſt: *Nemo* obtigit. At tu,
Si me audis, alium ſtulta require patrem.
Ecce infarcta jacent heſterno vaſa tumultu,
Olla, lebes, patinæ, vitreolusque calix:
Et variæ ſignis phialæ, ſamiumque toreuma,
Et carum infauſti cupula pignus heri:
Oenophorumque capax, & ad uncæ cantharus anſæ,
Sympiniumque ingens, Herculeusque ſcyphus:
Fracta jacet lampas, jacet unguentaria pixis,
Quæque gravis gelidas urna miniſtrat aquas:
Suſtulit hæc eadem fragileis inſania teſtas:
Ad cocus ad ſolidum læſit ahena focum.
Læſit & everſos tripodas, tenuesque quadrantes,
Neglectusque ſuo follis in igne perit:
Abjectumque alio piſtillum, abacique revulſi,
Nec relocata ſuis ſtannea vaſa locis:
Et quærenda diu ruptis cochlearia thecis,
Fuſcinaque & cœcæ cara lucerna viæ:
Decidit excuſſa ferrata ſagitta pharetra:
Ante ſuos manant vina refuſa cados:
Hinc cyathi, tinæque graves, & aquatilis obba:
Illinc Hetruſco ſeria amata Numæ:
Tympana rupta jacent, jacet amphora, nec tenet apte
Pulvurulenta ſuos bybliotheca libros:
Cum ſparſus hinc inde colum fuſosque viderem,
Hæc etiam dixi culpa futura mea eſt.
Vos quoque culter, acus, radii, ſubtegmina, forfex,
Turpiter irata ſparſa jacetis hera.
Ebria ſecuris domini petulantia ſervis
Nil curare domum ſuadet, opesque domus.
Quos petulans inter proſtrato ancilla pudore,
Non nihil in rerum perditione facit.
Ipſa penum ſtruit, & patinas inducit opimas,
Quæque tibi ſollers multa reſervat herus.
Vina dehinc promit, dehinc rarum quicquid ad uſum eſt:
Arte cibi varium docta parare genus.
Eruitur ſimili tucetum nobile furto:
Craſſaque furtivo ſumina toſta foco.
Hic bibitur totas menſura æquante lagenas,
Lætaturque meo libera turba malo.
Et varia exequitur ſub multam gaudia noctem,
Gaudia non uno pernicioſa modo.
Multa refringuntur, titubanti cum pede ſervus
Poſt epulas & poſt pocula ſtrata petit.
Preſſit in ollatum gravidum caput ille caminum:
Nec cubitum lapſi pulſa feneſtra tulit.
Semireclusa canis ſubiit cellaria, & illic
Quod ſupereſt avido devorat ore cibi.

Hæc

Hæc quoque depoſito venit fortuna caniſtro,
Et quæ præterea diruta multa jacent.
Ipſe domum tandem rediens herus, anxius ambit
Diſcere vaſtatæ ſingula damna domus,
Quo ſeriem quærente mali, tegor indice primo
Efficiorque omnis criminis autor ego,
Criminis autor ego. Quid enim quis dicere poſſet
Confeſtim brevius, quam, mala *Nemo* facit?
Quis ego, pro meritis etiam benefacta rependo:
Illorum ſubiens corpore quodquod onus.
Et ſi quid mandavit herus curæ atque laboris,
Ni faciam infelix omnia, *Nemo* facit.
Nemo curat equos. *Nemo* huc diſcurſat & illuc;
Pro domino *Nemo* eſt anxius, atque domo.
In me tuta fides, audet committere lecto
Neminis, uxorem qui cupit eſſe probam.
Non tamen eſt mirum, quenquam hos invadere mores:
Non adeo exemplo, qui facit iſta; caret,
Multa licent multis, poſtquam ſemel hoſtis Ulyſſes
Suppoſuit ſceleri nomina noſtra ſuo.
At tu ſi dederis veniam mihi candide lector,
Quod fuerit nimium fabula longa: Vale.
Οὔτις ἔλεγεν. *Nemo* dicebat.

(Secundus hic Hutteni Nemo, A. 1518. diverſus à priori Hutteni Nemine, qui editus A. 1513. cum Reuchlini Scenicis Progymnaſmatibus.)

ULRICUS DE HUTTEN EQVES Julio PFLUGK Equiti, Salutem.

UT tu quidem valeas, multorum crebro ad nos relatione perfertur. *De ſtatu Germaniæ*, neſcio an identidem tu intelligas. Proinde breviter accipe. Primum varii ſunt hic (Auguſtæ, in Comitiis) *motus*, verum ita *occulti, ut vix aliquando ſuſpicione aliquid aſſequi liceat.* Deinde *maximas res agitans plurimos hoc tempore Germaniæ proceres huc* (Auguſtam, ad Comitiæ A. 1518.) *protraxit Cæſar. Si procedit, quod ille* (Maximilianus) *molitur, nihil adhuc pigere nos debet horum temporum.* Sin aliquid intercedat, quo minus *expergefiat Germania*, ille quidem *merebitur gratiam, qui hæc conatus eſt*, (Maximilianus Cæſar) verum nos aut in fatum, aut in Homericam illam Aten rejiciemus culpam. Certe jucundiſſimum hic omnibus ſpectaculum ob oculos verſatur. Tot principes juventa ſimul & corporis ſpecie præſtantes. Tanta Comitum ac Equitum multitudo, flos ſcilicet Germaniæ nobilitatis, ut qui hos intueatur, formidandos magnopere Turcas non putet. Quod ſi hodie tantum cerebri eſt Germaniæ, quantum virium, auſim Orbi terrarum minari jugum. Faxit Deus Optimus Maximus ut ſibi conſulant hi, à quorum conſiliis omnia pendent. *Quid aliquid optare enim debemus, quam ut nunc maxime agnoſcat ſe Germania?* Agit hic legatus ſummi Pontificis, in cujus mandatis eſt, excitare in Turcas bellum. Quam cauſam egit in oratione, quæ qualis ſit, videbis, ubi editam ad te transmiſero. Exigitur viritim pecunia, quam in expeditionem inſumere oporteat. Quid admiſſuri ſint Germani, adhuc in deliberatione verſatur. Si tempus eſt, ut nos Dii reſpiciant, neque Ducum eſt, Juli, neque militum inopia. Ipſe mihi propono, & ſpem concipio non exiguam. Fœcundus eſt *hic conventus.* Nam & *Regem Romanorum* parturit: Et meis literis ac ſua virtute clariſſimum per Germaniam Principem *ALBERTUM Archiepiſcopum fecit Cardinalem:* Ac *Chriſtophorum Brunſvigium in Archiepiſcopum Bremenſem extulit:* Et Caſimiro Marchioni ex nobiliſſima Bavarorum domo nuptam conciliavit. Eadem ſi bellum Turcis invehet, tum felices nos, quibus neque prius neque poſterius naſci contigit. *Mea ad Principes exhortatio* non editur in lucem, quod inſunt quædam liberiora, quam ferat hæc ætas. Noſti quam in partem ſoleam παῤῥησιάζεσθαι. Sed non ingenuitati locus. Petit & contra irruptiones Tartarorum auxilia Polonus per legatos. Ac quiddam eſt hic etiam Gallis negotii. Tum ab Hungaris Orator eſt Hieronymus Balbus. Quod mihi ſumme placet, *minori apparatu noſtri, quam ſoliti ſunt aliis conventibus, agunt*, ſive ob annonæ difficultatem, ſive *quod in multis mihi reſipiſcere Germania videtur.* Quanquam eſt adhuc *mira veſtium luxuria*, à Gallis ſumpto exemplo, quos præter patrium morem æmulari in hoc certamus. *Et ſtrenue bibitur, nondum ſanitatem accipientibus, qui rectis ſemper monitionibus reclamare ſolent.* Ut *bene agantur omnia, obſtinatiſſime ſtudet Cæſar.* Ipſe mihi negotium his diebus feci, diſcurrendo, ambiendo, apprehendendo, dum optimum quemque ex aulis Principum *in partes Capnionis* traham. Quanquam huc ultro illi concedunt, nec jam opus ſit parare nobis amicos. Ipſa cauſa emortuæ ſimilis eſt. Nihil enim auditur, niſi quod *Comes Hermannus de Neuvenar Hogoſtratum fertur Colonia expuliſſe*, propter impurum nebulonis figmentum, in quo hominem proſciderat. *Ex Gallia ſcribunt Faber, Budæus, Ruellius & Copus, nihil iſtic eſſe Capnionis nomine celebrius, & Theologiſtis ademptam omnem penitus ſpem.* Vos in Italia quid agitis? Aut quod ipſi quoque incendium conflatis? Sed ad illud iterum venio Principum decus, ALBERTUM, quod *præter Romanum morem factum* omnes putant, *gratis illi miſit galerum & purpuram Leo X.* tam ob perſuaſas ſibi multorum commendatione hominis virtutes, quam ut gratificaretur puto Cæſari, qui ALBERTO mire favet. Damus hoc pietati ipſius, & propenſo in bonos omnes ſtudio. *Calendis Auguſti Galerum ſumpſit ille, apponente legato Pontificio.* Jucundum fuit id ſpectaculum, maxima nobilitatum frequentia facto ſacro, ac ingenti omnis generis hominum circumfuſa multitudine. Ipſe Cæſar à ſacris domum reduxit ALBERTUM, deinde munera miſit, regiam lecticam, equos, & tapetes

tapetes opere simul ac materia admirabiles. Juxta hæc *Leonis Maximi donum, gemmis, auro, ac margaritis intextum pileum, & ensem deaurata vagina.* Sequentibus aliquot diebus Magnates officium fecerunt, ad illum venientes congratulando, ob novi honoris accessionem. Deus bene vertat, ac spem foveat meam. Neque enim potest ille non charus esse diis, cui tantus brevi tempore honorum cumulus, non ambienti etiam se se offudit. Timothei fortunam dixeris, de quo illud aliquando divulgatum est ἔυδοντι κὐρτος ἀιρεῖ. De me sic habe. Adhuc in ALBERTI Principis aula exerceor. Scripsique per negocia quantum licuit præter *Orationem ad Principes exhortatoriam, Dialogos* aliquot, inter quos est *de vita aulica*, non omnino contemnendus arbitror, quem nunc edere paro. Nam hic composui, Stromeri Medici instinctu, qui me singulariter amat, & quem ego vicissim unice colo. *Nemo* revixit, & ad Crotum mittitur. Super quo nugamento debes Italorum judicia explorare. *Erasmus Basileæ agit*, nova iterum cudens. *Philippus Melanchthon* præter ætatem eruditus juvenis Wittebergam accersitus est, non illiberali salario *Græcas literas ut doceat.* Quo etiam *qui Hebraica prælegat* quæritur. Thomas Anshelmus Hagenovi *Plinium* una cum indice typis excudit. *Magna est studiosis omnibus cum barbarie lucta, spe ingenti, fore ut pervincamus, ac literæ vigeant.* Jam enim *despectius audiuntur magisterculi, & recta se ubique studia excitant.* Hæc volui ne ignorares. Ipse aliquid ad me vicissim ex Italia, præsertim de statu Bononiensi scribito. Crotum commendo tibi, ut pro tua in doctos homines benignitate observes. Præterea ex me salutabis istic Jo. Mariam Jureconsultum, & Sauromanum Silesitanum, cum aliis omnibus nostris. Ipse optime vale, ac me ama. AUGUSTÆ VINDELICORUM. IX. KALEND. SEPTEMBRIS. (A. M. D. XVIII.)

HISTORIA CERTAMINIS
INTER
ERASMUM ROTERODAMUM
CAROLI V. CONSILIARIUM,
ET
ALBERTUM PIUM, CARPORUM PRINCIPEM,
CAROLI V. IN ROMANA CURIA ORATOREM,

DE BONIS LITERIS AB ERASMO SUSCITATIS, DE NOVO INPRIMIS TESTAMENTO GRÆCO, CUM NOVA VERSIONE ET NOTIS, A. 1516. PER ERASMUM EDITO,

COMMUNIS EMENDATIONIS AC MANSVETÆ REFORMATIONIS FONTE.

Optimis Literis!

Raſmo & Reuchlino, Maximiliani & Caroli V. Cæſarum Conſiliariis, *ſuum debet Germania decus ex mitioribus ſtudiis optimisque literis*, qui græci & latini oris dignitatem Germanis conciliarunt primi, illi *veterum autorum* græcorum & latinorum, poëtarum, oratorum, hiſtoricorum, *Patrum* quoque *primorum*, genuinum expreſſere genium. Quod omnem porro orationis elegantiam & humanæ doctrinæ vim ſuperat, pro vagis & illotis obſcurorum temporum traditionibus, *limpidos manſuetudinis fontes, hebræos & græcos, Veteris & Novi Teſtamenti ſacros genuinos codices*, divino nutu, admirabili fortique facinore, in totius Chriſtiani orbis uſum *aperuerunt*, viamque ad mitiorem ſincerioremque doctrinam, in candidiorem Eccleſiæ & reipublicæ formam, appararunt primi.

Optime meriti de Germanis, de Europa univerſa, *duumviri*, pro immenſis beneficiis invidiam, odia, lites, pro gratia contumelias & convitia indepti, ab illis, qui infelici barbariei veteri radicatæque vagæ ſuperſtitioni erant mancipati. *Reuchlinus*, Juris conſultus, ætate major magnæ apud Fridericum & Maximilianum Cæſares autoritatis, perferendo præivit, qui ab anno 1510. ultra decennium, ad vitæ fere finem, cruentas *Hochſtrati* & innumerorum ſociorum *inſidias*, ex hebraicis literis ſuſcitatis, *forti animo ſuſtinuit ſenex*. *Eraſmus* ſimiliter, quam carus Cæſaribus, Regibus, Principibus, Magnatibus, orbique literato, ex græcis & latinis humanitatis fontibus redditis, ultra viginti annos, cum Hiſpanis, Gallis, Italis, Germanis, *animo magno conflixit ſenex*. Argutiorem hic, vel & politiorem, inter mordaces hoſtes non expertus *Italo, Carporum Principe, Alberto Pio*.

In tantis adverſitatibus ſuperiores, duumviri, Germani, omni laude vere majores, felici fato nati ſeculo XV. *Reuchlinus* Anno 1455. *Eraſmus* A. 1465. die 28. Octobr. Simonis & Judæ feria, deo volente ac providente ſeculo XVI. *orbem melioribus literis innovarunt*, horrida aſperaque ruditate pulſa, craſſa ſuperſtitione flexa aut emollita, & pro tremenda caligine *ſerena* apparata *luce*.

De Reuchlino *ſecunda* dicemus *Parte*. Nunc, de Eraſmi ad bonas literas in communem emendationem ſuſcitandas contentione & fortuna, differendum prius. Ut liqueat *exordium fati, & principium doloris in Carpenſi Principe, quod Eraſmus blandæ humanitatis apparatu publicæ mutationis fundamentum poſuerit*.

Solennis & turgida Monasteriorum querela, ex Minorum ordine nata: *Erasmus posuit ova, Lutherus exclusit*, aures totumque Carpensis pectus repleverat, ut in ore semper haberet nec concoquere posset *Erasmi ova & Lutheri pullos.*

Audivit mature lepidam hanc ex Minoritarum choro *cantilenam* Erasmus, *in nidum, quem nitidis construxisset literis*, phœnix. Juvabit audivisse Erasmum, in mimos illos ludentem. Anno 1524. anno ætatis 59. antequam cum Carpensi esset confligendum, apud *Joannem Cæsarium* hos minimorum modulos submisse risit, *Epistolarum libro 20. ep. 24. f. 989. ed. Lond. Ego peperi ovum: Lutherus exclusit. Mirum vero dictum Minoritarum illorum, magnaque & bona pulte dignum. Ego posui ovum gallinaceum, Lutherus exclusit pullum longe dissimillimum.*

Auctus dein cum annis argutulus cantus, quem mox An. 1526. accineret, auribusque Erasmi sexagenarii *integro libro* insusurraret *Carpensis Princeps.*

Locupletatæ amplius vocales pleniori choro, præcinente *Romæ Nicolao Herborn*, ex celebri Franciscisodalitio. Celebravit Erasmus jam ferme septuagenarius anno 1534. numerosiores illos susurros, *Epist. l. 30. ep. 63. f. 1951. ad Joannem Cholerum, Præpositum Curiensem:* „Romæ est quidam Franciscanus, nomine Nicolaus Herborn, amplissimæ ditionis, „quippe Commissarius Cismontanus. Is Antverpiæ emisit librum sermonum quadrage„simalium, quasi eos habuerit apud populum, cum scribat latine, nec in his quicquam sit „populare, tantum autem ineptiarum, ut nullus populus laturus fuerit talia deblaterantem. „In eo libro nulla mica est nec ingenii, nec facundiæ, nec ullius eruditionis, ac ne piæ qui„dem mentis ullum vestigium. Videtur in hoc tantum ea coacervasse, ut sub religioso ti„tulo haberet occasionem offundendi sua venena. Ex officina miserunt ad me tres pagel„las, in specimen gustumque magnifici operis. In una, præter alia convitia, hæc scribit: Lutherus magnam Ecclesiæ partem ad se traxit: Nonnullam Zwinglius & Oecolampadius; maximam Erasmus. *Et addit:* Bonum esset, si natus non fuisset homo ille. „In „altera vocat Lutherum, Zvvinglium & Oecolampadium, milites Pilati, qui crucifixerunt „Christum, me illis annumerans: *Addens*, me eodem Spiritu eodemque consilio scripsisse, quo scripserant illi: Nihil interesse, nisi quod ego jocer, illi rem serio agant. *Adjicit dictum de Monachorum dictis melioribus*, me posuisse ova, Lutherum & ceteros exclusisse pullos.

Ceterum, ut decantata illa *Erasmi ova. quæ reformationem pepererint*, repetantur ab ovo; fas esto, *ovarium* tetigisse *Parisiensis Academiæ*, in qua *Erasmus, annos triginta quatuor natus A. 1499.* admodum mature lentis succesibus præluit. amara *de tenebricosa Scotistarum theologia* salsaque querela. In juventute, in Daventriensi Schola, fortunæ benignitate inciderat in Scholæ moderatorem *Alexandrum Hegium, Westphalum*, qui humanitate excultus, latina & græca præter exemplum traderet pure. *Rudolphi Agricolæ* adjutus opera. In Academiam digressus, *Lutetiam has literas secum advexit, illas cum sacris studiis conjuncturus.* Ibi familiaritatem cum Anglis quibusdam contraxit, qui bonis literis faverent. Interea *utrumque coluit forum, literarium & sacrum*, decus non inimicum ratus rebus sacris.

Sic multis, per intervalla annis, sæpius illuc reversus, cum Cameracensis Episcopi sumtibus *Lutetiæ* rebus theologicis sedulam navasset operam, dignitatem sacris conciliaturus ex humanitatis præsidiis. *cum dolore deprehendit, respui & temni a Scholasticis doctoribus puritatem oris & bonarum literarum culturam*, quasi sacris istis inimicam. Doluit impense. Nec premere dolorem sustinuit indesinenter. Questus igitur apud amicos, & per literas, in his *apud Thomam Greium, Anglum, de inanibus Scholasticæ rei tricis*, quibus somniis *Academiæ* illa ætate laborarent.

En ergo vel *primum Erasmi ovum, in Academia Parisiensi positum, quod reformationem secuturam portenderet. Epist. l. 6. ep. 39. f. 378.* Positum inquam in *Collegio Montis acuti, Mont-aigu*, ubi *Johannes Dunsius, Scotus*, devote adoratus. In quo subtilitatum theatro, acutissimo Collegio, ex putridis ovis & infecto cubiculo morbum contraxit Erasmus, ut ad Anglos Parisiis degentes, literarum humaniorum amantes, se conferret, nil Scoti iram veritus. En igitur *ex tenebris lucem* in epistola ad Greium Anglum.

Salsa Epistola Erasmi, Ætatis Anno 34. scripta in Academia Parisiensi.

A. 1499. in Scoti barbariem & Scholasticæ Theologiæ inanes tricas obscuraque somnia.

Reformationis Omen.

Erasmus Roterodamus Thomæ Greio suo.

SAlve candidissime *Thoma*. Quod pristinam scribendi consvetudinem dies jam aliquot intermisi, nihil est, quod metuas. Ut vere res est solliciti plena timoris amor. In amore nihil refrixi. Quid igitur? inquies, scribere dedidici. Quid accidit, quid factum est, ut Erasmus calamum amiserit? *Rem oppido quam prodigiosam audies, sed veram.* Ego ille *vetus Theologus* nuper *Scotista esse cœpi:* quam rem, ut superi bene vertant, tu quoque debes apprecari, si mihi faves. Conterranei tui so-

somniis; (nam *Scotum*, ut olim fuit Homerus, à diversis regionibus certatim adoptatum, Angli potissimum sibi vendicant) *adeo sumus immersi, ut vix ad Stentoris vocem videamus experrecturi.* Itane, inquies, *dormiens* ista scribis? Εἰγα βέβηλε, tu *somnum theologicum* haudquaqvam sapis.

Multi *dormientes* non modo scribunt, verum & scortantur & inebriantur, & συκοφαντῶσιν. Multa fieri re ipsa comperio, quæ inexpertis nulla ratione persuaderi queant. Ego olim *Epimenidis somnum* plusquam *fabulam* esse putavi: nunc nihil miror, quippe *simile expertus.* Hic tu, sat scio, dicturus es, quas malum mihi fabulas narras? Quanqvam profanus es, & à sacris Theologiæ adytis procul arcendus, tamen vide, qvantum te amem, cui rem tam arcanam aperiam. Olim *Epimenides* quispiam fuit, is qui scripsit *Cretenses omnes mendaces, ipse Cretensis*, neque quicqvam tamen interim mentiens.

Nec satis erat ad multam usque senectutem vixisse, quin & *extincti pellis post multum tempus reperta est, literarum formulis notata.* Eam quidam affirmant, & hodiernis temporibus *adservari Lutetiæ in Sacro Sancto Theologiæ Scotisticæ templo Sorbonæ*, nec in minori haberi precio, quam olim fuerit apud *Cretenses diphthera*, aut apud Romanos *libri Sibyllini.* Siquidem *ab hac oracula petere dicuntur, sicubi destituuntur Syllogismis*: nec fas obtuerî, nisi qui *quindecim annos totos M. N. (Magistri Nostri) titulum gesserit*: Si quis alius ausit oculos profanos intendere, continuo fit talpa cœcior.

Quod narro, non esse nænias, vel antiquissimum Græcorum proverbium arguit, Ἐς ἐπιμενίδειον δίφρα, quo rem abstrusam, neque vulgo proferendam significabant. Quin & libros *edidit theologicos*, nam *Theologiæ professione potissimum fuit insignis*, etiamsi vates idem habitus est, & Poëta. *In his ejusmodi Syllogismorum nodos nexuit, ut nec ipse unquam quiverit dissolvere; ea mysteria congessit, quæ nunquam ipse fuerit intellecturus, nisi vates fuisset.*

Is fertur aliquando prodeambulandi gratia urbem egressus, quod domi nihil non displiceret. Tandem specum quendam longissimo recessu subiit, sive frigus captans, jam æstu laborans, sive quietem quærens, labore fatigatus, sive quod, quia via aberrasset, (nam aberrant & Theologi) metueret, ne nox in agris deprehensum feris objiceret; sive, quod vero proximum est, locum captans ad cogitandum idoneum. Illic *ungues arrodenti, multaque comminiscenti, de instantibus & quidditatibus, de formalitatibus, somnus obrepsit.* Non creditu-rus es, scio, si dixero, non fuisse experrectum ante vesperam postridianam, *qvum diutius dormiant etiam temulenti.* Imo *somnus ille theologicus productus est*, ut constanter ferunt autores, *ad annum usque quadragesimum septimum.* Et hoc negant vacare mysterio, quod nec citius, nec serius dormire desierit. O hominem mortuum, inquies! imo mihi præclare videtur actum cum Epimenide, *qui vel sero ad sese redierit.* At *plerique nostri temporis Theologi nunquam expergiscuntur, & qvum mandragoræ indormiant, maxime vigilare sibi videntur.* Sed ad *Epimenidem expergiscentem* revertamur. Expergiscens igitur, ubi somno conniventes oculos confricuisset, nondum sibi satis fidens, *vigilaretne, an somniaret*, speluncam egressus est, ibi quum cerneret totam circumjacentis regionis faciem immutatam, videlicet tanto spacio annorum, fluminum alveis aliò translatis, sylvis alibi recisis, alibi enatis, campis in colles tumefactis, collibus in plana demissis, qvum & ipsum specus aditum muscus obsidens ac vepreta mutassent, *cœpit homo de se ipso quoque dubitare.* Adit urbem & hic nova omnia, non agnoscit mœnia, non vias, non monetam, non homines ipsos, alius cultus, alii ritus, alius sermo. Tanta est rerum humanarum volubilitas. Ut quisque erat obvius, compellat: Heus tu, non tibi videor Epimenides? Ille se rideri putans, ἐς κεφαλὰς inquit, hospitem quære. Ita ridiculus menses aliquot obambulat, donec in compotores aliquot incideret jam admodum senes, ab his utcunque est agnitus. Sed age, mi Thoma, *quid tu Epimenidem tot annos somniasse reris?* quid aliud, quam *has subtilissimas subtilitates, quibus nunc se jactitant Scotistæ?* Nam *Epimenidem in Scoto renatum* vel dejerare non dubitem. Quid si videres *Erasmum inter sacros illos Scotistas* κεχηνῶτα sedentem, *e sublimi solio prælegente Gryllardo?* Si cerneres frontem contractam, oculos stupentes, vultum sollicitum? alterum esse diceres, *Negant hujus disciplinæ mysteria percipi posse ab eo, cui quicquam omnino commercii sit cum Musis, aut cum Gratiis. Dediscendum est, si quid bonarum literarum attigeris: removendum, si quid hauseris ex Helicone.* Adnitor pro virili, *ne quid Latine dicam, ne quid venuste aut salse!* & videtur res procedere: *spes est, fore ut Erasmum agnoscant aliquando.* Quorsum autem hæc? inquies. Ne quid post hac expectes ab Erasino, quod pristina studia moresve sapiat, memor inter quos versor, inter quos quotidie sedeam: tu tibi alium congerronem quære. Verum ne quid erres, mellitissime Grei, nolim hæc interpreteris in ipsam dicta theologiam, quam ut scis, unice semper colui: sed *in nostræ tempestatis theologastros quosdam* jocari libuit, *quorum cerebellis nihil putidius, lingua nihil barbarius, ingenio nihil stupidius, doctrina nihil spinosius, moribus nihil asperius, vita nihil fucatius, oratione nihil virulentius, pectore nihil nigrius. Bene Vale. Lutetiæ Anno M. CCCC. XLIX.*

Primus fere ille *Erasmi conatus*, maximi momenti, Scotistas, Thomistas, ceterosque Scholasticæ theologiæ professores monendi, corrigendi, vel ad emendationem pelliciendi, ad integriora ac mitiora studia, Ecclesiæ & publicæ rei utiliora, illos invitandi, *cum annis vires acquisivit*, ut apertius subinde & fortius idem submoneret. Hoc *illud primum terribile Erasmi ovum*, quod similia dein apud viros quoscunque peritos & prudentes, vota, monita & desideria pareret, parlous querelis totam Germaniam, vicinaque regna impleret. *Puritatem oris & mentis, integritatem judicii, bonarum literarum studio* commendare nunquam destitit. *Primum hoc terriculamentum, pro Scholæ caligine lumen doctrinæ, pro veteri barbarie decor & ornatus, pro noxiis tricis & nodis utilis perspicuitas, pro fabulis & nugis veritas & integritas.* Hoc Erasmi monitum, hoc salubre consilium, intolerabile onus, quod *mutationem* præsagiret *morum inveteratorum.*

Facto initio, ovum mox succesit priori ovo simile; *Non vulgatis versionibus Veteris & Novi Testamenti rem sacram esse superstruendam, ut factum vulgo, sed ipsis fontibus: Versiones vulgatas esse ad*

fontes examinandas atque emendandas. Linguis opus esse ad studia sacra: Linguarum studium necessarium esse ad versionum examen ac emendationem: Jus esse, novas apparandi versiones.

Quod ut alias frequenter, privatim, per literas, indicavit, ursit, declaravit, ita publice mox professus est *editis Laurentii Vallæ in Novum Testamentum annotationibus*. Ausus hac editione, ex codice MSCto adornata, opus aggredi periculi plenum, expositum iræ & furori communi imperitorum. Quadragesimum annum agebat, cum *Laurentii opus philologicum in Novi Testamenti lucem* ederet, *Anno 1505. Lutetiæ. Vallæ* nobili Romano genere oriundus, theologiæ Doctor, *natus sub Concilio Constantiensi, A. 1515.* omine quodam tecto, *illum emendationi quæsitæ* optimarum literarum cultu *opem quandam laturum*, humanitatis artes excoluerat præclare. Qvibus præsidiis abunde instructus, *ruditatem dicendi docendique communem acriter perstringere ausus*, varios etiam illorum seculorum *in publica Schola errores convellere conatus*: Ut orbem literatum plusculis bearet ornamentis. Quæ linguæ & calami acies cum pungeret publicam doctrinæ autoritatem, acerbos invenit inimicos, impatientes notæ ac reprehensionis. Asperitatem odii serenitate pectoris & *spe commodi publici* vicit, omnia molesta temnens modo publico prodesset & serenas literas promoveret. Obierat quinqvagenarius, *anno quo Erasmus natus 1465. Vallæ in hoc opere successor Erasmus*, tanto *Valla cautior*, quanto *humanior*, tanto plus emolumenti Germaniæ & Europæ universæ publicæ rei attulit, quanto *prudentior*, sed & *peritior*.

Hujus itaque viri, *Itali*, *Romani*, ante quadraginta annos defuncti, cum edere constituisset in *Novum Testamentum observationes*, in Gallorum metropoli, *ut Romani viri elegantia inter Gallos Parisiis surgeret, eosque ad imitationem invitaret*, non potuit, quin *Vallæ* fortunam & ex invidia fatorum asperitatem in se contracturus, *apologiâ pro Valla*, odia vel declinaret vel mitigaret. Quamobrem *præfatione in Vallam erudita, jus* tuitus est *vertendi*, versiones veteres emendandi, linguarum necessitatem urgendo. En ergo *novum Erasmi ovum, plenum ubere emendationis materia*.

Erasmus pro Valla, pro Jure Versionis, & usu Linguarum.

Anno 1505. Annorum 40.

Reformationis Præsagium.

Christophoro Fischero protonotario Apostolico

Erasmus Roterodamus

S. D.

ÆState superiore, qvum in *pervetusta quapiam bibliotheca* venarer, (nullis enim in saltibus venatus jucundior,) forte in casses meos incidit *præda neutiquam vulgaris Laurentii Vallæ in Novum Testamentum annotationes*. Hanc equidem ilico magnopere volebam *studiosis omnibus impertire*: videlicet ingenerosum esse ratus, quod venando nactus essem, id solum me ac tacitum devorare. Sed deterrebat nonnihil, cum *vetus illa Laurentiani nominis invidia*, tum *hoc argumentum, multo in speciem invidiosissimum*. At tu, simul atque *librum evolveras*, non solum meam opinionem tuo gravissimo judicio confirmasti, verum etiam *hortari* atque adeo conviciis extundere *cœpisti*, ne propter paucorum *oblatrationes*, simul & autorem merita gloria, & tot millia studiosorum tanta commoditate fraudarem, negans, dubitare te, quin *opus illud sanis & candidis ingeniis, ut utilissimum ita & gratissimum esset futurum*, cæterum *alios cum suo morbo fortiter esse negligendos*. Denique patronum te propugnatoremque offerebas, exiret modo in publicum vel tuo unius periculo. Equidem opinor, ornatissime Christophore, *Vallam* tuum, tametsi per se non *instrenuus invidiæ contemptor* semper fuit, tamen *aliquanto, fidentius in aciem proditurum*, tanti videlicet, tamque invicti ὑπερασπιςοῦ fretum præsidio, tum *hac præfatione velut Ajacis clypeo præmunitum*: in qua quidem ex tua sententia de *hujus operis* ratione atque *utilitate* differemus: sed si paucis prius generalem *Laurentiani nominis invidiam* fuerimus amoliti. Primum igitur, si *candorem*, quem ab aliis exigimus, ipsi præstaremus iis, erga quos non solum non maligni, verum etiam grati esse debemus, profecto *Laurentianum nomen apud omnes, qui bonas amant literas*, pro invidioso *gratum ac venerandum* haberetur: quippe qui, *studio restituendæ rei literariæ, partes multo odiosissimas sciens ac prudens sibi sumserit*. Neque enim non videbat *Vir acutus, tam inveteratum morbum non posse sanari nisi tristibus pharmacis, usturis, ac sectionibus*: idque *magno cum dolore plurimorum*. Neque vero nesciebat, adeo delicatas esse mortalium aures, ut *vix etiam inter bonos viros invenias, qui verum libenter audiat*: foreque ut non *ii* tantum exclamarent, *quorum ulcera tetigisset*, verum etiam illi, *qui ex alieno malo sibi metum fingerent*. Tamen pio quodam calore percitus *nullum laborem, nullam recusavit invidiam*, modo paucis non ingratis (omnes autem gratos esse oportebat) beneficium suum commendaret. At nunc nostro vitio fit, ut *præposterе obsequium amicos, veritas odium pariat* Sed fœnum, inquiunt, habet in cornu, & neminem non lacerat. Itane tandem *lacerare* vocant *dissentire in literis*, ac docendi studio, qvum plurima laudaris, paucula quædam fugillare? Quod si juxta Fabium nihil tam efficax est *in docendo*, quam in artificum operibus non imitanda modò, sed etiam vitanda quæ sint, commonstrare, quanto magis idem oportebat in *dedocendo*, facere? Ausus est *Laurentius* in autoribus aliquot voculam taxare. Indignum facinus, quasi vero non omnia pene in omnibus reprehenderit Aristoteles, quasi non totam Ciceronis dictionem contempserit Brutus, Maronis ac Livii Caligula, Senecæ Fabius atque Aulus Gellius, Augustini Ruffinique Hieronymus, postremo Quintiliani Philelphus. Quidqvod *Plinius* non credit, librum suum amico placuisse, nisi cognoverit quædam displicuisse? Adeo vitio *danda non est, ut etiam vehementer optanda sit ista in studiis dissensio, conflictatioque*, quam Hesiodus utilissimam esse mortalibus scripsit, *modo ne in rabiem exeat, ac citra convitia consistat*. Mihi quidem sa-

no

no non gratior sit amicus applausor, quam vel inimicus reprehensor, dum ne plane sutor ultra crepidam. Nam ut nusquam fere non nocet laudator, ita semper prodest reprehensor. Etenim si vere reprehendit, discedo doctior, sin falso, tamen acuor, extimulor, expergesio, reddor attentior, cautiorque, animor ad defensionem veri. Siquidem minus acre calcar habet gloriæ cupiditas, quam ignominiæ metus. Jam vero quod *quosdam in totum damnavit*, quid obsecro tam erat *necessarium*, quam *indoctis autoritatem* hoc est ὄνῳ λύρην *detrahere*, ne turba imperitorum pessima pro optimis sequeretur? Quibus in rebus, si quando vir ille videtur nimis excandescere, non hujus vitio, sed depravatoribus istis erat imputandum. Denique nimio consultius fuerat, alieno abuti vitio, quam ob unam maculam à tot commoditatibus alienari. Sunt enim prorsum quædam ἀναγκαῖα κακὰ, quibus tamen vel sua causa, sapientes abuti consueverunt, *Postulabant sic depravata, sic contaminata literæ audacem Zoilum*, ac βαρβαρομάστιγα magis quam Partheniam, id est, *acrem censorem*, ac plane Minoum quempiam, & si vis etiam contumelioſum, qui nimirum auderet ἀκοκέρδειν πρὸς ἰὰς βροτὰς, ut vetus habet Comœdia, quique *malo nodo malum cuneum* adhiberet. Itaque unius *Laurentii mordacitas* (siquidem ita malunt appellare) non paulo plus *conduxit rei literariæ*, quam plurimorum ineptus candor, omnia omnium sine delectu mirantium sibique inuicem plaudentium, ac mutuum, quod aiunt, scabentium. Quod si quis perpenderit, *quam fœdè disciplinas omnes confuderint isti Gotti, quanto supercilio suam insciticm perdocœant, quam stolida pervicacia & propriam tueantur ignorantiam, & alienam eruditionem aspernentur*, fortasse *permodestus* videbitur *Vallæ dolor*, pia stomachatio, ac necessaria magis quam procax reprehensio, quæ quidem vel ob hoc ipsum favorem eruditorum promerebatur, quod, quum per se sit invidiosa, tamen est ab Laurentio *nostri juvandi causa* susceptа. Ac vide quæso, quam hic studio sumus iniqui, imo quam nobis ipsis inutiles. Pogius, rabula adeo indoctus, ut, etiamsi vacaret obscœnitate, tamen indignus esset, qui legeretur: adeo autem obscœnus, ut etiamsi doctissimus fuisset, tamen esset à bonis viris rejiciendus: Hic, inquam, talis, ut homo candidus, scilicet sine invidia passim habetur in manibus, lectitatur, in nullam non linguam transfusus. *Laurentius* neque obscœnus, & centuplo doctior, *laborat invidia mordacitatis*, atque ut bos cornupeta vitatur, *etiam ab his, qui scripta hominis nunquam legerunt.* Sunt enim qui, quod est nimis profecto ridiculum, nihil quicquam de Valla didicerunt, nisi quod est mordaculus, atque hac una in re illum imitantur, vel superant potius, quod mordent etiam ignotum. Prorsusque homines sapientes, ideo *perpetuo barbari esse præoptant, quod mordax est Laurentius.* Quin Epicteti magis pulcherrimam regulam secuti, ea quemque ansa prehendimus, qua commode teneri queat, hac nimirum, qua Virgilius Ennium, Cyprianus Tertullianum, Hieronymus præter alios Origenem, Augustinus Ticonium arripuerunt? *Laurentium*, quum tam multas habeat ansas, quibus possit utiliter teneri, cur hac sola apprehendimus, quod est mordacior? Cur non potius leve vitium tot virtutibus compensamus? Imo cur ingrati *necessariam libertatem* maledicentiæ titulo depravamus? sed his de rebus hactenus. Nunc ad ea veniendum, quæ hujus argumenti sunt propria. Futurum enim auguror, ut quidam vix dum perfecto operis titulo priusquam de re cognoscant, ilico τραγῳδικῶς sint exclamaturi, o cœlum, o terra! Quam bellè moneat Aristophanes in Pluto, ὦ σχεδιάζειν καὶ βοᾶν, πρὶν ἂν μάθῃς. Atque haud scio, an *hi* sint *omnium odiosissime obturbaturi, ad quos maxima pars utilitatis pertinet*, nempe *theologi.* Non ferenda, inquient, temeritas, *hominem grammaticum, post vexatas disciplinas omnes, ne à sacris quidem literis petulantem abstinere calamum.* Atqui si *Nicolaus Lyranus* auditur, non dico indoctus, sed certe recens, *Hieronymum*, γεροσαγωγῶν, *multaque convellens, tot iam seculorum consensu consecrata*: Idque ex Judæorum libris, (unde ut donemus nostram hanc manare editionem, tamen haud scio, an studio depravatis.) Quod tandem flagitium est, si *Laurentius collatis aliquot vetustis atque emendatis Græcorum exemplaribus quædam annotavit in Novo Testamento*, quod sine controversia totum ab illorum fontibus manat, *quæ vel dissonent*, vel *dormitante interprete parum commode reddita videantur*, vel *quæ significantius apud illos dicantur.* Postremo, si quid *apud nos depravatum* appareat? An dicent, *non idem esse juris Vallæ grammatico*, quod *Nicolao theologo*? Ut ne respondeam interim *Laurentium* à magnis viris *inter philosophos quoque ac theologos* referri. *Lyranus* quum vocem excutit, num Theologi ac non magis *grammatici* vices agit? *Imo totum hoc, divinas vertere Scripturas, Grammatici* videlicet, *partes sunt. Neque vero absurdum, si quibusdam in rebus plus sapit Jethro, quam Moses.* Ac ne ipsa quidem, opinor, disciplinarum omnium *regina theologia* ducet indignum, admoveri sibi manus, ac debitum exhiberi obsequium, a *pedissequa Grammatica: Quo tametsi nonnullis est dignitate posterior, nullius certe opera magis necessaria. In minimis versatur, sed sine quibus nemo evasit maximus: nugas agitat, sed quæ seria ducunt.* Quod si reclament, *majorem esse theologiam, quam ut Grammaticæ legibus teneatur*: Totum interpretandi negotium de sacri Spiritus afflatu pendere: *Nova* vero *theologorum dignitas, si solis illis licet barbare loqui.* Sed expediant interim, quid sibi velit, quod Desiderio suo scribit *Hieronymus: Aliud est*, inquiens, *esse vatem, & aliud interpretem. Ibi Spiritus ventura prædicit, hic eruditio & verborum copia, quæ intelligit, transfert.* Tum quorsum attinuerit, eundem *de ratione vertendi divinas literas præcipere*, si facultas ista divino contingit afflatu? Postremo, cur Paulus in hebraica lingua quam Græca dictus est disertior? Quod si fieri potuit, *ut veteris interpretes Testamenti erraverint* alicubi, in his præsertim, in quibus fides non violatur, quid ni potuerint labi & *Novi*? Quod quidem *Hieronymus non tam vertit, quam emendavit, idque modice*, relictis, ut ipse testatur, *verbis, quæ potissimum excutit Laurentius.* Verum *num etiam nostros errores ad Spiritum autorem referemus*? Esto, bene verterint Interpretes, sed *bene versa pervertuntur.* Emendavit Hieronymus, at *rursum depravantur emendata.* Nisi forte nunc aut minor audacia semidoctorum, aut peritia linguarum major, aut non facillima depravatio, propter artem chalcographicam, quæ unicum mendum repente in

mille propagat exemplaria. At *fas non est, inquiunt, in sacris Scripturis quicquam immutare, propterea quod illic ne apiculi quidem mysterio vacant.* Imo tanto magis nefas est, depravare, tantoque *attentius corrigendum à doctis, quod per insciitiam est adulteratum*, ea tamen cautione temperantiaque, quæ quum omnibus libris, tum sacris inprimis debetur. Verum *non recte*, ajunt, *sibi sumit Laurentius, quod Hieronymus mandante Damaso suscepit.* Ne propositum quidem simile. *Hieronymus veterem editionem nova sustulit: Laurentius* quod annotavit, in privatos commentarios refert, neque postulat, ut hinc quicquam in tuo codice demutes. Quanquam *ipsa nostrorum exemplarium varietas satis arguit, ea non carere mendis.* Porro *ut veterum librorum fides de hebraïs voluminibus examinanda est*, ita *novorum veritas, Græci sermonis normam desiderat*, autore *Augustino*, cujus verba referuntur *in decretis distinct. IX.* Quo quidem in loco neminem esse tam saxeum arbitror, quin misereat, neminem tam *ἀγέλαστον*, quin rideat *insulsissimum glossema*, nescio cujus, somniantis, Hieronymum in Epistola ad Desiderium affirmasse, Latina exemplaria castigatiora esse, Græca Hebræis. Non vidit autem, eum illatione rei palam absurdæ confirmasse, quod proposuerat, atque hæc verba, *aliud est si*, perinde valere, ac si dicas: *nisi forte.* Alioqui quæ tandem dementia fuerat, alterum Testamentum ab Hebræis vertere, alterum a Græcis emendare, si nostra erant utroque in genere meliora? Quorsum attinebat, ut in *Viennensi Concilio* (quod refertur Clemen: libro secundo, titulo De magistris) *tam sollicite statuerit autoritas Ecclesiastica de parandis trium linguarum doctoribus.* Quo in loco rursus *admiror, quo consilio Græcam linguam eraserint.* Verum hæc doctos admonuisse tantum sat habeo, illud audio, *quosdam dicere, veteres interpretes, trium linguarum peritos, satis explicuisse sicubi fuit opus.* Primum, *malim ego meis oculis cernere, quam alienis:* deinde, ut pluriuna dixerint, certe *multa posteris dicenda reliquerunt.* Quid quod, *ut ea enarrantes intelligas, opus est mediocri lingvarum peritia?* Postremo ubi *veterum libros in omni lingva depravatos* (ut sunt) offenderis, quo te convertes? Proinde vero verius est, quod tu, doctissime Christophore, sæpenumero soles dicere, *neque cor, neque frontem esse eis, qui audent, non solum in sacros, sed omnino in ullos veterum libros scribere, ni literaturam utramque mediocriter teneant:* Fieri enim, ut dum isti moliuntur maxime seseque doctissimos ostentare conantur, ibi *lingvarum peritis sint maxime deridiculi*, totusque ille tumultg, prolata græca voce eludatur. Quod si quibus non vacat *totam græcorum lingvam perdiscere*, hi tamen *Vallæ studio* non mediocriter adjuvabuntur, *qui mira sagacitate Novum omne Testamentum excusit*; non pauca obiter annotans, & ex Psalmis, quorum usitata nobis editio à Græcis fluxit, non Hebræis. *Plurimum* itaque *studiosi debebunt Laurentio*, Laurentius tibi, per quem publicum accepit, cujusque & judicio bonis ingeniis erit commendatior, & patrocinio contra maledicos instructior. Vale. Lutetiæ. M. D. V.

Non subitus hic *Erasmi in Vallam* ejusdemque severa in publicam rem studia *affectus*, qui â prima jam juventute pectori illius insederat, quem coluerat, quem defenderat dudum. Ut maximo dicamus jure, *ex Valla natum Erasmum: Vallam prius posuisse ova, quæ excluderet Erasmus:* Erasmum dein majori virtute imbutum majora in reipublicæ salutem condidisse adiumenta.

Annos natus 24. anno 1489. contra censuras Cornelii Aurotini, qui *corvum crocitantem* dixerat *Vallam*, strenue hunc defendit. „Omnes, inqvit, læsisti literatos, cum unum læderes Laurentium. „Si quid male dicendo peccasti, bene dicendo corrigas, Laurentium pro corvo crocitante Svadæ me„dullam & Atticam Musam appellabis.

Annorum 25. Anno 1490. longam, eruditam & gravem *pro Valla apologiam* texuit apud Cornelium Gaudanum, *Epistol. lib. 7. ep. 3. f. 384. seq.* Digna oratio, quæ legatur integra. Nos linea hic erimus contenti, qui *ad literariam Reformationis historiam* viam sternimus, *Vallam ante Erasmum & in Erasmo* demonstraturi. „*Nihil*, ait, *agunt, qui objiciunt*, quod Laurentianum nomen apud pleros„que gravi flagret invidia: Nam semper huic malo virtus insignis fuit obnoxia. Multis non placet „Laurentius. At quibus? Nimirum his quibus non placent politiores literæ. Porro quibus rebus „Laurentius tantam sibi conflarit invidiam, in promptu est docere. Nam scite Terentianus ille So„sia dixit, obsequium amicos veritas, odium parit. --- ---

„Vulgo mordax & inamœna res est veritas. Proinde Laurentius noster, si barbarorum impe„ritiam reticere quam prodere maluisset, venustus & gratiosus haberetur: Nunc quoniam id effecit, ut „quorundam male comparatæ gloriæ fucus detraheretur, ut putari desinerent, quod non erant, offensi. „Quis tam exigui animi est, cujus pectus tantis invidiæ angustiis concluditur, ut Vallam non & magni„fice laudet & amet quam maxime: Qui tanta industria, tanto studio, tantis sudoribus barbarorum „ineptias refellit, literas pene sepultas ab interitu vindicavit, prisco eloquentiæ splendori reddidit Ita„liam: Doctis etiam id præstitit, ut posthac circumspectius loqui cogantur.

Justa hæc in Vallam, elegantiæ & nitoris pararium, affectio, per omnem vitam non est in Erasmo extincta. Quæ igitur in Vallam æquissima propensio animum juvenis obsedit, in maturiore vires collegit majores, donec *post quindecim annos, Notas Vallæ in Novum Testamentum edere non vereretur*, nullos metuens imperitiæ susurros & invidiæ morsus.

Annum agens 59. anno 1524. proxime ante litem cum Carpensi, *Larentium Vallam pono*, inqvit, *inter eos, qui sempiternam posteritatis memoriam promeruerunt.* Ingenti pretio & affectui tenerrimo nihil derogat, quod alicubi Erasmus a Valla dissentiat. Quem *dissensum* cum non diffiteatur, excusat subinde, inprimis *A. 1515.* cum suas ipsius in Novum Testamentum ederet Annotationes, in *epistola ad Dorpium:* „Sciebam Laurentium Vallam ante nos hoc laboris occupasse, quippe cujus an„notationes primus curarim evulgandas, & Jacobi Fabri in Paulinas Epistolas Commentarios videram. „Atque utinam ab his sic esset elaboratum, ut nostra industria nihil foret opus. Equidem Vallam pluri-

„plurima laude dignum arbitror, hominem rhetoricum magis quam Theologum, qui ſhac diligentia „ſit uſus in ſacris literis, ut græca cum latinis contulerit, cum non pauci ſint Theologi, qui nunquam „universum novum Teſtamentum perlegerint. Quanquam ob hoc aliquot locis diſſentio, præſertim „in his, quæ ad rem Theologicam pertinent.

Notis Vallæ per Eraſmum editis, tantum abeſt offenderit valde ingenuos, ut potius animum addiderit aliis peritis viris, *Vallam imitandi*, jure eodem utendi, novas notas contexendi, verſionem veterem emendandi, de novo vertendi. Secutus namque mox *Jacobus Faber Stapulenſis*, Theologus Pariſienſis, Commentariis in Paulum, Vallæ æmulus. Donec *ipſe Eraſmus* eopte in omnibus uteretur jure, integro novo Teſtamento notis illuſtrato, quo de infra.

Fœcundum hoc Vallæ ovum non minus ac Eraſmi ovum, a multis citra controverſiam excluſum, proxime quidem ab operis editione, ante Lutheri res. Dein hoc jure & uſu tota Europa inclaruit, *multis* citra frenum aut metum *idem tentant.bus.* Qui in Vallæ in Novum Teſtamentum annotationes publicus favor, per Eraſmum conciliatus, ſæpius illas reſuſcitavit, velut Baſileæ 1526. Et apud nos pretium ſervant.

ERASMI, annum 43. agentis, ENCOMIUM MORIÆ in Scholaſticorum ineptias. Reformationis nuncium. 1508.

A Recdito Valla anno tertio, 1508. *annorum 42.* opus *Moriæ* multo ſale conditum concinnavit Eraſmus, quod *ſtultitiæ laudatæ ovum* viſum gignere *contemptum rei ſcholaſticæ & Cœnobialis*, quæ *larvarum inſtar* crederetur *effigiata*, *in publicum ludibrium. Valla* peccaſſe exiſtimatus invectivis in ruditatem & ſordes doctrinæ vulgaris. Corrigendum illius peccatum *ſalis acrimonia*, quæ ſine dentibus mordeat validius & penetret profundius. Humanitatis callentiſſimus *Eraſmus*, cum ſuperioribus monitis non corrigi animadverteret horridam in Academiis & Collegiis hiſpidamque barbariem, in dicendo docendoque, lepore non inamœno, aculeis pleno, velut ſale perfricandam judicavit, ut imperitos puderet ſuæ ruditatis, & Scholaſticos ſubtiliſſimæ ſuæ hebetudinis pigeret.

Arriſit hæc *Moria*, *receptorum morum condimentum*, medicina ſubacida, Scholis propinata, viris quibuscunque cordatis, Principibus etiam & Magnatibus, humanitatis conſciis. Momordit interim Moria politioris doctrinæ imperitos & hoſtes, qui crudam ſuam rem ſale perungi ac perfricari ægre ferrent, inter ſuſpiria & anxios anhelitus. Hæc ſcena vehementer turbavit circulos communes, & afflixit illepidos quosvis doctores & ſcriptores. Rideri ſenſim molliter Scholæ veteris faſtus, arrogantia, tyrannis, ruditas interim, ſtupiditas & ineptia. Temni ridicula immenſæ & infinitæ ſubtilitatis jactantia: Deſpui vagæ traditionis gloria. Paulo forte in perſtringendo liberior juſto, indulgentior in carpendo: Quod intolerabilis eſſet inter Monachos & doctores bonas literas repudiandi pertinacia, & in nugis & tricis perſeverandi quæſita poteſtas, cum injungendi, compellendi, ſed & perſequendi, inquirendi, cruento imperio, in execrabili etiam furore. Hinc *publica ſalus integros ſalis modios illis capitibus affundendos autumavit*, ut riderentur incorrigibiles. Larvas dum pinxit Moria, larvas detraxit vulgato ſtupori, ut prudentes magis magisque abhorrerent a monſtris, & traditionum autoribus impolitis. *Una Moria fortius pepulit & validiori motu in fugam egit morum in ſcholis tenacitatem, quam omnes invectivæ & ſcribendi machinæ.* Puduit tacite infinitos priſtinarum ineptiarum, ut tecti mutarent os animumque, doctrinæ ſerenioris cupidi, quos pœniteret temporis male locati, & ætatis inter nugas conſumptæ.

Reſuſcitatum ob ſalis dulcedinem, inprimis cum *Gerardi Liſtrii* notis, hoc *ampliſſimæ ſtultitiæ encomium* ſingulis fere annis, multis in locis; *ut ſine Eraſmi ſale nil videretur ſapere inter doctos, viros prudentes.* Quando A. 1514. Baſileæ ex typographia Frobeniana ſurrexerat, *Holbenius*, pictor excellens, *octoginta picturis*, in operis margine, *calamo delineatis* mirifice illuſtravit, ut non ſolum Eraſmi verbis, ſed & *Holbenii Figuris & imaginibus, publica Stultitia nitidiſſime effigiaretur*, non ſine ingenti voluptate viſenda. Quas *nitidulas effigies, ex Holbenii manu æri inciſas*, nuper A. 1676. cum ipſo opere edidit Baſileæ inclyta *Caroli Patini* cura. Quamobrem nec lineam ex tam delicato opere hic promemus, nec ex tanto ſalis acervo micam decerpemus, cum in omnium hodie ſit eruditorum menſis, ſapiatque ſanis.

Animus illo tempore fuerat Eraſmo, *tres* parare *declamationes*, *in laudem Moriæ*, *naturæ & gratiæ*, ſed impatientia ſeculi, quod veritatis pertæſum ſuo vult linqui arbitrio, ſine cenſura vetuit, ne Scholæ nimis multum ſibi ſimul ſubduci conquererentur, & clauſtra nimis viderentur coërceri. In Catalogo Lucubrationum, „Moriam luſimus, inquit, apud Thomam Morum, tum ex Italia reverſi; „Quod opus cum mihi ſic eſſet contemptum, ut nec editione dignarer: Nam aderam Lutetiæ cum „per Ricardum Crocum peſſimis formulis depravatiſſime excuderetur: Tamen vix aliud majore plauſu „exceptum eſt, præſertim apud Magnates. Paucos tantum monachos eosque deterrimos, ac Theo„logos nonnullos moroſiores offendit libertas. Sed plures offenſi ſunt, ubi Lyſtrius adiecit commen„tarios, quod antea profuerat non intelligi. Conceperamus id temporis animo tres ſimul declama„tiones, Encomium Moriæ, naturæ & gratiæ; ſed quorundam moroſitas fecit ut verterem conſi„lium.

Interea dum illa tempora riderentur publice, puncti, in tenebris plorare, indignari, frendere, ſuſurrare, Eraſmo minari, quod de rebus ſuis caliginoſis videretur tandem actum. Sed in Eraſmum tamen publice adhuc nemo inſurgere auſus. Conſultius creditum, invadere prius *Reuchlinum*, illum convel-

convellere, peſſundare, extinguere, vi & armis, quod hic nuper A. 1506. hebraicis rebus ſuſcitatis, *veterem latinam verſionem veteris teſtamenti emendare* tentaſſet, uti Eraſmus per Vallam Ao. 1505. in Novo Teſtamento. A Reuchlino extincto, ad Eraſmum communi manu impetendum, viam fore planiorem. Quapropter A. 1509. & ſequentibus omnes machinæ in Reuchlinum verſæ, ad res Hebraicas cum illo extirpandas. De quibus motibus *Parte Secunda.* Interea hoſtilis illa Monachorum & Academicorum, Theologorum Scholaſticorum, in Reuchlinum invaſio, quæ flammas & fumos ſpargeret, aëremque clamoribus impleret, bonas literas non diſſipavit, ſed novo exemplo *Eraſmi Moriam illuſtravit*, ut obſcurorum virorum Epiſtolæ, magnis faſcibus apportatæ, cachinnos moverent, omnesque humanitatis ſurgentis hoſtes exploderent. Neque Eraſmi mens erecta illis machinationibus flexa aut ad fugam acta, quin tanto ad pergendum magis accenſa, quanto indigniora facinora impolitæ ignorantiæ.

Neque DEO viſum, locum concedere petulantiæ, malitiæ & furori hominum, puriori doctrinæ adverſantium, quin potius Eraſmum *conſilium* dare juſſit orbi in Principum curiis.

In communis rei emendationem impenſum Eraſmi ſtudium, ex publico Curiali illius officio in Domo Auſtriaca.

Per Caroli Auſtriaci, Burgundionum Ducis *Cancellarium*, *Johannem Sylvagium*, eminentis doctrinæ virum, in Ducalem Caroli Senatum *Conſiliarius* accitus *Eraſmus*, quadraginta novem annos natus, A. 1514.

Domus Auſtriaca emendati orbis origo.

PHilippus *Auſtriacus*, Belgarum Princeps, Bruxellæ ſedens, *Maximiliani Cæſaris Filius*, per uxorem Johannam, Ferdinandi Hiſpaniarum Regis Filiam, *Monarchiæ Hiſpanicæ hæres*, A. 1502. ex Brabantia, Bruxellenſi Ducali ſede, iter difficile ſed fortunatiſſimum, in Hiſpaniam inſtituerat, Caſtiliæ & Arragoniæ Rex in Toletana Eccleſia, ſolenniſſime inauguratus. *A quo Auſtriacæ domui glorioſiſſimo itinere*, quod per Philippum *in Carolo Cæſareæ Majeſtati Catholicorum Regum Majeſtatem junxit, Ao. 1504. redux Philippus* felix, *Bruxellæ in Curia vidit Eraſmum*, qui magno Duci gratulaturus *Panegyricum* obtulit, Magnatibus aulæ præſentibus, *boni Principis in Philippo Auſtriaco ſimulacrum*, ut ipſe vocat Eraſmus, Epiſt. lib. 3. ep. 31. f. 197. reſpondente & gratias agente *Cancellario de Maigny.* Quæ Tomo IV. operum Eraſmi f. 390. comparet hoc charactere: „Ad illuſtriſſimum Burgundio„num Principem Philippum, invictiſſimi Cæſaris Maximiliani filium, de triumphali illius in Hiſpani„am profectione, deque felici reditu, Panegyricus gratulatorius, nomine totius patriæ per Deſ. Era„ſmum Roterodamum conſcriptus, & eidem exhibitus in aula Ducali Bruxellæ, aſſiſtentibus clariſſimo „Comite Naſſovienſi, Epiſcopo Atrebatenſi & Audientiario: Summus autem Cancellarius, „cognomento de Maigny, Principis vice reſpondit, Anno ab orbe redemto M. D. IV. Feſto Epi„phaniæ.

Edita mox oratio hæc ab Eraſmo *Antverpiæ*, addita ad *Johannem Paludanum*, in Academia Lovanienſi Oratorem, cujus hortatu adornaverat, Epiſtola. Scopum ſuum ſaluti publicæ ſacrum, ſubindicavit Eraſmus in Catalogo Lucubr. „Hæc ſerio nobis ſcripta ſunt, quæ faciunt ad vitæ rationem „ac pietatem: Panegyricus, quem Philippo Principi porreximus, primum ex Hiſpania reverſo: „Quem ſic laudavimus, ut eadem opera ſubmoneremus, quid eſſet bono Principi ſpectandum. Quod „ſatis teſtati ſumus in Epiſtola ad Johannem Paludanum, quam tum operi adjecimus.

Perſpecta in Philippi Curia Eraſmi virtus anſam dedit, hunc iſti Curiæ devinciendi. Philippi ſcopum non diſſimulavit Eraſmus, cum Panegyricum ederet, epiſtola ad *Nicolaum Ruterium Epiſcopum Atrebatenſem*, quo præſente orationem Philippo nuper tradiderat: *Nihil non obtulit Philippus, ſi voluiſſem in aulicam immigrare familiam.*

Poſthæc Philippus Caſtiliæ Rex in Hiſpaniam iterum digreſſus, Burgis, Caſtellæ urbe, A. 1506. defunctus, inter duos *filios, Carolum & Ferdinandum, Carolo*, natu majori, jam Caſtellæ Principi Hiſpaniæ regnum per leges reliquerat juveni admodum, ſex annorum.

Eraſmo interea animus erat, *apud Anglos*, quorum gratiam partim expertus, partim expectare juſſus, permanere, & apud illos fixam locare ſedem. Verum, quod vota alicubi non ſuccederent, in *Brabantiam* ſe convertit, *in Curia Caroli Auſtriaci* operam ſuam præſtiturus, ubi *Sylvagius Cancellarius* jam eminebat, *literatorum Mecænas.* Cujus occaſionis meminit ipſe Eraſmus in ſuo vitæ compendio, quod Conrado Goclenio, apud Lovanienſes Profeſſori Buslidiano, perſcripſit: „Decreverat „(Eraſmus) in Anglia reliquum ætatis peragere, verum, ubi ne tum quidem præſtarentur promiſſa, ſub„duxit ſe in Brabantiam, invitatus in aulam Caroli, nunc Cæſaris, cui Conſiliarius factus eſt, opera Johan„nis Sylvagii, Cancellarii magni.

Viam ex Anglia in Curiam Caroli, quam initurus eſſet, mature & diſerte monſtravit Eraſmus, in Anglia adhuc verſans, *A. 1513. pridie idus Martias* epiſtola ad Antonium a Bergis, S. Bertini Abbatem, qui in Caroli Curia plurimum valebat, Londino perſcripta, Epiſt. lib. 2. ep. 18. f. 142. „Ex ora„tione Epiſcopi Dunelmenſis & Andreæ Ammonii Secretarii Regii, (in Anglia) cognovi ſtudium in me „tuum planeque paternum quendam amorem: Quo magis geſtio me patriæ (Belgio) reſtituere, ſi „modo detur a Principe (Carolo) fortuna, quæ poſſit otiolum noſtrum alere. Non quod mihi diſpli„ceat Britannia, aut Mecænatum pœniteat. Sunt & hic amici complures, multorum Epiſcoporum

non

„non vulgaris in me benignitas: Tum vero Cantuariensis Archiepiscopus sic me fovet, sic comple-
„ctitur, ut si frater esset, aut si pater esset, non posset amantius. Ex hujus domo pensionem habeo,
„sacerdotio resignato, satis amplam. Tantundem addit alter ille Mecænas de suo. Accedit non pa-
„rum ex procerum benignitate, multoque plus accederet, si vel paululum ambire velim. Sed bellum,
„quod adornatur, genium hujus insulæ subito vertit, rerum omnium charitas hic in dies crescit, de-
„crescit liberalitas. Quidni parcius dent homines toties decimati? Et nuper ob inopiam vixi, ex
„malis vappis collecto calculo propemodum extinctus fui. Ad hæc cum omnis insula per se sit rele-
„gatio quædam, tum nunc bellis etiam arctius excludimur, adeo ut nec epistolis sit exitus.

Fretus igitur favore Antonii a Bergis Angliam reliquit, ad Caroli curiam commeans, fortunæ sedem quæsiturus, quam & mox invenit. Educaverant hactenus Carolum *Guilielmus Crojus Marchio Chevrensis*, (de Ciervia,) *& Adrianus Florentius Ultraiectinus*, mox Cardinalis & Caroli legatus in Hispaniam, mox Pontifex Romanus: Sed neuter literis solide favens. Ast *Burgundiæ Cancellarius Johannes Sylvagius tanto in Caroli curia celsius bonarum literarum præsidium, quanto ipse peritior.* Hic mansvetis Erasmi literis, reipublicæ beandæ usui consecratis, valdopere delectatus, hoc egit sollicite, ut ministerio Caroli eum devinciret. Quæ Sylvagii sententia tantum valuit apud Principem Carolum, mox ex curatelæ annis excessurum & Belgii imperio inaugurandum, ut Bruxellæ *Consiliariorum* ordini, *juramenti vinculo accedente*, jungeretur, Sanctioris Senatus consensu. Quæ spectabilis dignitas Erasmum *in Brabantia* degere aut sedere jussit, pro redituum usu, *pensionis annuæ.* Quod vinculum tamen Erasmus ea conditione admisit, ut si videretur consultum, digredi alio posset, pro bonis literis promovendis. Libertatem hanc sibi servavit, eundi ad tempus aliquod, dies aut menses, quo foret opus, velut ad Anglos, unde illi beneficia, aut Helvetos ob typographiam. Quam commeandi libertatem prætulit omnibus reditibus, qui nil ageret impensius, quam ut diversis in locis appararet, quæ ad operum editionem spectabant.

Hoc præsertim functionis decus *ansam* Erasmo dedit ampliorem, in publicæ rei emolumentum & Brabantiæ honorem, in optimarum literarum foro *magna moliendi*, quæ sine illo ornamento & præsidio non tentasset aut confeciisset. Quando igitur Deo visum, ad restituendam publicam rem, inprimis sacram, Erasmi uti opera, hoc officii decoramento illum acciendum ac velut animandum aut compellendum, vel demulcendum judicavit. Quæ humana est imbecillitas, quæ sine externo aliquo humano vehiculo ad ardua non procedat, lubentius eat vel & contendat, ubi ex dignitatis vel colore vel præsidio videatur jus esse majus aut tutamen. Pauci, qui ad magnas utilesquo res pericula subeant & labores, sine comite & duce, solo publici commodi studio nixi. Erasmo igitur, genii timidioris, & valde aut nimium circumspecti, calcaria addita cum animo, per Carolum. *Ita fata dederunt viam ad publicam per humaniora studia emendationem*, viam *Duce Carolo Austriaco.* Jam quinquagenarius Erasmus, judicii robusti, usus multi, jam tempestivum, Deo providente, sub *Maximiliano Cesare, qui Ecclesiastici reiminis reformationem his annis Wimphelingio juvante impense quærebat*, serio agere quod salutis publicæ, omnibus intensis viribus. Quomodo forum Erasmi, humanitas, mansvetæ literæ, solida studia, antiquitas, decor, divina providentia hac tempestate patuit, sub Caroli tegmine. *Austriacæ domui merito debetur gloria* elegantiorum ac solidiorum studiorum, comtioris ac mundioris doctrinæ *blandæ ac nitidæ, primæ reformationis, Erasmi opera.* Caroli Austriaci minister primum perutile, DEO, Ecclesiæ & publicæ rei præstitit ministerium. *Caroli Consiliarius optimis literis optime consuluit communi saluti.* Juramentum, quo Erasmus Carolo se devinxit, ad Ecclesiæ commoda promovenda & Caroli honorem augendum, valida Dei manus, quæ reformare cœpit. Cum Pontifici Leoni X. significaret, A. 1516. 5. id. August. hanc suam in Caroli curia fortunam Consiliarii nomen pressit, Lib. 2. ep. 6. f. 104. *Illustrissimus Princeps CAROLUS Rex Catholicus, hujus seculi nostri lumen ac decus incomparabile, in cujus ditione natus sum, cujusque Patri Philippo quondam sui non modo notus, verum etiam charus, & absentem me annuo salario benignissime invitavit, idque nec ambientem, nec expectantem & reverso, ac vix etiam reverso, sacerdotium tum amplum, tum honorificum detulit.*

Modestia Erasmi, quæ humaniores decebat literas, ab omni arrogantia immunis & libera, raro illo officii charactere usa est; Nec penitus tamen fugit, qui A. 1518. cum Carolus jam Hispaniarum regna occupasset, ad *Johannem Sylvagium, Cancellarium*, sum Patronum ita scripsit: *Johanni Sylvagio Regis Catholici Caroli Cancellario summo, Des. Erasmus Roterodamus, inter ejusdem Regis Consiliarios minimus*, Tom. IV. f. 431. Ita *Regium* nunc se dixit *Consiliarium*, Carolo jam Rege.

Nec dissimile vero, illum tanto sollicitius abstinuisse, qnanto simul erat devinctior Anglis, Regi æque Henrico VIII. ac Archi-Episcopis, Episcopis, Curiæque ministris, a quibus annua nanciscerctur beneficia. In quibus præcipuus, *Waramus, Archi-Episcopus Cantuariensis*, cujus munificentia præ aliis gauderet. Neque destitit, tametsi in Caroli regis ministerio, *ad Anglos excurrere* sæpe, & diu apud illos commorari. Hæ interim *sine ordinario* publico nomine. Certe, quando ex eo tempore, vel a Galliæ Rege, vel ab aliis Germaniæ Principibus, quæsitus est, ad officii curam, utrumque vinculum, *Regis Hispaniarum Caroli* ordinarium & publicum, & *Anglorum* extraordinarium & peculiare, conjunctim submonstrare solitus est, *pro declinanda alia functione.*

Commoda hæc & plana ad emendationem publicam semissa, ut *bono animo, & quadam officii fiducia*, grandia volvere saxa inciperet, in communem abitura reformationem, divina providentia res humanas gubernante.

Jam pridem optaverat degere *apud Gallos*, in quos admodum propensus, postquam juvenis Lutetiæ discendo & docendo literis operam dederat, magnatum quoque in bonas literas favorem expertus erat, bonis literis ibi primum surgentibus. Quem in Gallos affectum A. 1504. in Panegyrico,

Bruxeliæ in Philippum ſcripto, ſtudio declaraverat. Cujus primi veterisve in Galliam animi non potuit unquam dememineſſe, quem & apud Germanum Brixium A. 1528. repetiit, Lib. 27. ep. 28. f. 1170. *Tametſi natura plurimum abſum ab iſtorum ingenio, qui ſic addicti ſunt huic aut illi nationi, ut ceterat propemodum oderint, tamen ſi in ullam nationem animo propenſiore fui, ſemper in Galliam fui. Cujus rei teſtes eſſe poſſunt, tum hi qui mecum familiariter vixerunt, tum mea lucubrationes, in quibus libenter immoror Gallicæ gentis encomiis; nominatim autem Panegyricus, quo Principi Philippo ex Hiſpaniis reduci gratulor.*

Sed aptius Deo & fatis viſum *apud Germanos obſequium Carolo Hiſpaniarum mox regi præſtandum, cum ſede in Brabantia*, quæ velut meditullium, unde liberius nunc ad Anglos, nunc ad Germanos, ob viciniorem Baſileam, excurrere liceret. Quæ *libertas*, nunc huc nunc illuc divertendi, operaque literaria Baſileæ edendi, vix alibi fuiſſet indulta, quam ſibi hic peculiariter reſervavit. Providentiæ proinde tribuendum, quod Carolo fuerit obſtrictus, *Conſiliarii* munere, qui brevi poſt ex Hiſpaniæ rege Romanorum Imperator futurus ſupremum Germanorum caput, a quo dein *regius* & *Cæſareus* coli meruit *Conſiliarius*.

Hoc fortunæ genus *Joannni Sylvagio, Cancellario*, adſcribere & illi acceptum ferre nullus dubitavit. Veluti A. 1517. 6. Cal. Mart. Antverpiæ, (non 1516.) ad Ludovicum Canoſſam, Epiſcopum Bajocenſem, Lib. 1. ep. 21. f. 63. *Abeſt Cancellarius Burgundiæ, cujus opera pridem aſcitus ſum in famulitium Catholici regis Caroli.*

Promiſit ampliora *Sylvagius*, quando cum Carolo abiit in Hiſpaniam. Quod nunciavit Eraſmus Bil. Pirkheimero, A. 1517. d. 2. Nov. lib. 30. ep. 23. f. 1913. „Hic (Lovanii) licet maximo meo „ſumtu vivam, tamen certum eſt menſes aliquot deſidere, partim ut abſolvam quod eſt in manibus, „partim ut videam, quorſum evaſuræ ſpes amplisſimæ, quas Principis (Caroli) nomine mihi hic diſcedens „(in Hiſpaniam) oſtendit Cancellarius Burgundiæ Joannes Sylvagius, vir ut eruditiſſimus, ita literatorum „omnium patronus.

Si æſtimandæ fuerint *occaſiones*, tanquam eventuum proſperorum ſcaturigines, ut ſucceſſus rerum tribuantur primis æque autoribus, ac *miniſtris proximis*, omnino *Cancellario Burgundiæ Sylvagio* magna pars debebitur proſperitatis publicæ, ex manſvetioribus literis per Eraſmum paratæ. Profeſſus candide *Eraſmus*, hujus *Sylvagii* gratia imminere ſereniora tempora. A. 1516. menſe Junio circiter, Antverpiæ agens, ad *Guilielmum Budæum*, Lutetiam, ſpem ex Sylvagio apud Brabantos ſignificavit, *Lib. 1. ep. 7. f. 23.* „Haud ſcio, qui fit, ut mea ſententia nusquam quam hic contemptiores ſint bonæ „literæ. Αἴτιοι οἱ ἄρχοντες; ἀμεταθέτατοι. Magna tamen ſpes eſt, in Johanne Sylvagio, Burgundiæ „Cancellario: Qui quidem, ut ipſe non ſolum maximus eſt ac prudentiſſimus, verum etiam eruditisſimus, „ita impenſe favet omnibus, quos inſignis eruditio commendat. Hunc heroa ſi nobis ſuperum benignitas „diu velit incolumem, ſpes eſt fore, ut apud nos quoque proveniant, qui ingenii ſui monumentis Princi„pis ſui regnum, cetera feliciſſimum, illuſtrent & ornent.

Alia ad Budæum epiſtola, „*A. 1516. 5. Cal. Nov.* Lib. I. ep. 10. f. 36. Jam nunc omnia me debere „ſentio vel optimo Principi Carolo, vel omnibus omnium virtutum numeris abſoluto Johanni Sylva„gio, Burgundiæ Cancellario; qui talem quendam heroa præbet noſtræ ditioni, qualem pridem ille „vel tuo unius præconio futurus immortalis, arupe forti Guido tuæ præſtitit Galliæ.

Rurſus alia ad Budæum epiſtola, *A.* 1517. (non 1516) *15. Cal. Mart. Lib. 1. ep. 12. f. 51.* „Hic (*in „Brabantia*) neſcio quo pacto durius adhuc habentur bonæ literæ, cauſa eſt opinor, quod frigeant Mecæ„nates, & regnent meliorum literarum hoſtes. Unus prope, clarisſimus vir, Joannes Sylvagius, Burgundiæ „Cancellarius, ut patriæ ita etiam optimis ſtudiis conſulere ſtudet: Sed cujus bonam partem nobis adi„munt publica regni negotia.

Memor Eraſmus, ſobrie & modeſte hoc aulico charactere utendum eſſe, in uſum magis publicum, quam privatum commodum, vel ſuum vel amicorum vel clientum uſum, horum cauſas ſtudio a ſe amolitus eſt, ne ulla appareret ſuſpicio, in invidioſo officio ſe reculis ingerendi alienis, vel affectuum ſtudii. Quam ſobriam abſtinentiam neceſſariam credidit, ne bonarum literarum promovendarum ſcopo vel minima obſiſteret arrogantiæ ſpecies. Aperto ore hoc ſignificavit duobus Abbatibus Brisgaudiæ, qui per Eraſmum quid apud Cæſarem quærerent, *Lib. 14. ep. 11. f. 661.* „Nullus eſt mortalium, qui libentius abſti„net ab aulæ commercio, quam Eraſmus. Et illic valere non poteſt, niſi qui ſubinde ſuo ſaltus choro, „fabulæ partem agat. Ego nec factiones ambire poſſum, nec ingerere memet, nec alium cubito protru„dere: Nec ignorat veſtra prudentia, qualis ſit aula Cæſaris, nimirum bellua capitum innumerabilium: „Adeo ut ſi mihi incidat aliquid negotii, malim jactura rei otio meo conſulere, quam perſequi. Aſcitus „quidem ſum in ordinem Conſiliariorum, ſed ita, ut ne vocatus quidem adſim, tantum abeſt, ut me„met ingeram.

Poſtquam igitur Carolus A. 1519. Romanorum Imperator imperium ſuſceperat, *Eraſmus Cæſaris jam Conſiliarius*, per Joannem Glapionem, Franciſcanum, Cæſaris Caroli Concionatorem & Confeſſionarium, *ſubinde ſui officii eſt commonefactus*, inprimis ut ſe miſceret rebus religionis in controverſiam vocatæ; ubi Eraſmi conſilio opus eſſe exiſtimatum. Reſpondit Eraſmus A. 1522. f. 945. 946. ſe ſui „illius officii non immemorem fore, ubi neceſſe viderit. Si quid eſt in quo poſſum gratum facere Princi„pi meo, aut illius dignitati aut religioni Chriſtianæ conſulere, tribus verbis ſcribito. Ego ſane ſum is, „qui ſilere norim. Mea vena, quam tu divinam appellas, ſane quam exilis eſt; Et tamen ea qualis qua„lis eſt, ſervitura eſt gloriæ Chriſti, & ſecundum hanc dignitati Principis mei. Mihi quidem eſt animus, „& tuendæ fidei Chriſtianæ & ornandæ dignitatis Cæſareæ percupidus: Sed ut præſtare queam quod „cupio, bona ex parte ipſi Cæſari in manu eſt, cui ſumma rerum in manu eſt. Non ambio apud illum in„gentes fortunas, tantum otium præſtet ac tranquillitatem, ego modis omnibus efficiam, ut illius maje„ſtatem nunquam pœniteat hujus conſiliarioli.

Jure-

Jurati Conſiliarii Cæſaris clypeo avertere ſolitus armata & aurea aliorum Principum tela, qnibus capiendus & in illorum terras pertrahendus. *Rex Galliarum* (ſcribit ad Paulum Bombaſium, A. 1524. 14. Cal. Febr. libr. 21. ep. 11. f. 1082.) *montibus aureis allicit ad ſe. Non audeo ire, ne videar me conferre ad hoſtem Cæſaris, cui iuratus ſum conſiliarius.*

Caroli Cæſaris gratiam erga ſe commendaturus apud Sylveſtrum Prieratem, A. 1523. *Epiſt. f. 1012.* „ Habemus, inquit, Cæſarem propitium, cujus ſalario gaudemus conſiliarii nomine, de hoc certus ſum. „ *Eandnm* ex Curiali illo apud Cæſarem Carolum vinculo *rationem*, cur non iverit ad Gallos, tam honorifice toties invitatus, *anno. 1523. allegavit* Epiſtola ad Marcum Laurinum, Collegii S. Donatiani apud Brugas Decanum; Obſtabat, inquit, bellum inter tres reges; quorum uni, nempe Carolo, jurejurando „ etiam addictus ſum; alteri, nimirum regi Angliæ, pluribus nominibus ſum obſtrictus, atque adeo „ toti illi nationi: Tertium, videlicet Galliarum regem, ob tam propenſum in me ſtudium non poſſum „ non amare.

Ceterum, uti *divinæ providentiæ nutum* in hoc Eraſmi fato, munereque publico, *in Caroli Auſtriaci curia*, juſte veneramur, propter fructus admirandos, quos ab illo tempore in orbis ſalutem paravit Eraſmus, quos alibi forte non perfeciſſet: *Tectum prudentis Sylvagii, magni Cancellarii conſilium* forte non ſilentio prorſus prætereundum. Præterquam quod *affectus Sylvagii in literas & literatos* eſſet impenſus, prævit facile, in negotiorum faſtigio collocatus, *Carolum Hiſpaniarum Monarcham* evaſurum; nec vane auguratus, *Carolum Maximiliani Cæſaris nepotem*, avo defuncto, ab *imperii ſtatibus iri electum in ſucceſſorem avi, Cæſarem ac Imperatorem.* Quæ perauguſta potentia non ſolum armis ſuffulcienda, ſed & literis & ſalubribus conſiliis: quæ armorum ſæpe anima & virtus. Deinde literas rempublicam ornare, juvare, emendare, inſtaurare, non modo juventutis inſtitutione, etiam per Academias apte formata aut emendata, ſed & utilibus artibus & ſcientiis, ſacris & civilibus decenter illuſtratis. Regnorum adeo Caroli intererat, Eraſmum, literatorum illo ævo caput illuſtre, Carolo & illius curiæ devincire, ut haberet Carolus, quo uteretur in regnorum ſuorum atque imperii decus & emolumentum. Vel ideo quoque Sylvagius Eraſmum Carolo ejusque futuro imperio mature & fortiter obſtrinxit, ne vel ad Gallos, uti facile apparebat, commearet, illis ſuam operam, vere ſane magnam, deſtinaturus, vel ad Anglos, quibus jam tum fuerat deditus. Quod apud exteros miniſterium viri tam verſati mille modis potuiſſet, cum annis, Caroli rebus obeſſe, quia Eraſmus in notitiam plerorumque Principum jam penetraverat. Quin magnum decus vel ex *ſolo Eraſmi*, elegantis & eruditi viri, *ſpectabili nomine* ingens regnorum Caroli futurum *ex illius honore & fama ornamentum*, prudenter cenſuit Sylvagius. Delicata quippe provinciarum gloria, dominos illarum, Reges & Principes, favere literis manſuetis, easque ornare: uti non parva regionum & curiarum ignominia, & dedecus grande literarum manſuetiorum culturam in illis negligi, cultores virosque peritos ab illis temni, aut vix ferri. Prudentum & poſteritatis judicium inevitabile.

Sylvagius proinde ſalubriter proſpexit Carolo, ejusque imperio, *allecto Eraſmo*, in amplisſimos Caroli & provinciarum ejus honores, quin & rei publicæ literariæ, Eccleſiæ quoque lucem clarisſimam. Qui ſi iviſſet ad Gallos aut Anglos, firma ſede, illa regna mirifice illuſtraſſet, Germania nec polita, nec ornata, ſed priori barbariei relicta. Duo juramenti Eraſmiani momenta, in Caroli Curia; *Honorem Caroli augere, & Eccleſiæ commoda promovere.* Utrumque præſtitit abunde, modis, & mediis, optimarum literarum auxilio, congruentisſimis. Germania ſane & auguſtum imperium non vidiſſet opera Eraſmi fructuoſisſima, quæ ab hoc Curialis officii tempore in ſinu Germaniæ concinnavit. Ex Eraſmo jam nacta eſt Germania, poſtquam ille Carolo Auſtriaco devinctus, beneficium cœli incomparabile, *Novum Teſtamentum Græcum, omnis emendationis fontem & principium*, dum orbis erit. Gallis aut Anglis obſtrictus fuiſſet, vinculo ſimili, juramento pari, Germania certa caruiſſet hoc honore & ſalutis apparatæ gloria. Forte in aliis regnis vivente Eraſmo, plane non vidiſſet lucem, aliis obſtaculis aut conſiliis, aut Germanis minus aut parum profuiſſet, vel & uſu horum interdicto, pro Academiarum illius ætatis impatientia. *Germania manſiſſet barbara, Eraſmo abſente. Carolus Auſtriacus Germaniam beavit, Eraſmo Auſtriacæ domui devincto.* Immortalis Auſtriacæ Domus gloria, ex Eraſmo per Carolum Germaniæ poliendæ & exornandæ ſervato.

Domus Bavarica ab Eraſmo quæſivit Ingolſtadienſium lucem.

Ab Erneſto, Bavariæ Duce, per Urbanum Regium, *invitatus Eraſmus* A. 1514. ad Profeſſionem in *Academia Ingolſtadienſi*, peramplis & admodum honorificis conditionibus: ut vel *doctrina vel ſola præſentia priſtinam barbariem inde pelli dignitatemque ſtudiorum ſuſcitari* juvaret. *Declinavit Eraſmus, quia Principi Carolo Auſtriaco jam devinctus.*

CArolo Auſtriaco ex officio devinctus *Eraſmus*, Sylvagio Cancellario annuente ex Brabantia *Baſileam diverterat*, An. 1514. ad inſtruendam rem *pro edendis duobus magnis operibus Novi Teſtamenti & Hieronymi*, in publicæ rei emendationem. Eraſmum *Baſileam* veniſſe, cum fama nunciaſſet vicinis, celſis etiam Principum Germanorum curiis, velut in fulgidum ſidus omnium oculi tanquam in communem ſalutis publicæ ſpem. In his *Bavariæ Dux Erneſtus*, in Academiæ Ingolſtadienſis lucem & florem intentus, cum viros quæreret, qui barbariem veterem diſpellerent, & ſtudiorum manſuetiorum dignitatem appararent, vicini jam Eraſmi, obtinendi, curam habuit maximam. Auctor hic fuerat hactenus purioris cujuscunque doctrinæ. Auctorem itaque ipſum ad Ingolſtadienſes adſciſcere volupe erat, per quem res tanta optime poſſet inſtrui. Eo jam res Eraſmi devenerat, humanitatis puta ſtudium,

ut quocunque perveniret ille, tanquam numen aliquod exciperetur. Qui in optimas literas affectus tacitum erat commune odium fœdæ barbariei in ſcholis & collegiis, ſub ſpe reformationis. Bonæ literæ pro fonte aguitæ & habitæ omnis munditiei & concinnitatis, quæ ad inconcinnam ſcholaſticam rem corrigendam apta nata. Publica hæc mundioris ac elegantioris doctrinæ cupido indubitatum reſtituendæ rei erat præſagium.

Bavarus igitur in ſuæ Academiæ lucem cupiebat ipſummet Eraſmum. Hunc per *Urbanum Regium* amplisſimis pollicitationibus Ingolſtadium ad colloquium invitavit, neſcius illum jam Carolo Hiſpaniarum Regi eſſe obſtrictum. Ut felicius negotium ſuccederet, interprete uſi ſunt *Johanne Fabro, Epiſcopi Baſileenſis officiali*, viro docto, Eraſini amico. Ad hunc *Urbanus Regius* nomine Ducis rem omnem perſcripſit. *Pretium* attingit *Eraſmi*, quod ubi legatur, facile ſubolet, quam ſpem ex Eraſmo conceperint Principes rerum in melius mutandarum, humaniorum literarum beneficio. *Fama eſt*, inquit, lib. 2. ep. 17. f. 121. *Eraſmum, lumen illud doctorum eſſe apud vos*, (Baſileæ) *cui te* (Johannem Fabrum) *& ſtudiorum & vitæ ſimilitudo jam pridem reddidit conjunctiſſimum.* Fabro, & Capitoni, Profeſſori Theologo in Academia Baſileenſi, & templi Cathedralis Paſtori, rem cum Eraſmo agendi, committit Regius, nomine Principis: *Quæ illum* (Eraſmum) *ſcire pervelim tuæ humanitati Doctorique Volphgango Fabritio Capitoni committam, quod ego ad tantum virum citra decori rationem ſcripſiſſem.*

Ducis ſcopum, ex Academia Ingolſtadienſi barbariem profligare, definit: „Credo te non latere, „quanto amore, & benignitate plusquam paterna, Dux Herneſtus, illuſtriſſimus Bavariæ Princeps, Gym„naſium noſtrum Angelopolitanum confoveat, excolat, ditet, ſuæque præſentiæ ſplendore illuſtret, ut „vel cum ſummis Academiis literariis contendere audeat. Eſtque ei in animo, doctiſſimos paſſim, ubi „in Germania fuerint, conducere, ſuavi liberalitate magnifice exornare; Quo tandem ſuo auſpicio „omnes bonæ literæ, quæ utroque cornu hactenus laborarunt, profligata barbarie, refloreſcant, nativo„que reſtituantur nitori.

Impenſum Principis deſiderium, ad Ingolſtadienſem Academiam per Eraſmum ornandam: „In„primis Eraſmus polyhiſtor ille, vir admirabili & divino ingenio, ac doctrina ſingulari, viſus eſt Princi„pi noſtro omni honore & favore dignisſimus: Ob id & diligenter inquiſivit, an aliqua ratione magnus „ille literarum antiſtes poſſit induci, ut aliquid apud nos ordinaria profeſſione docens, ſuæ tum eloquen„tiæ, tum eruditionis multijugæ flumine noſtram irrigaret ariditatem, quibusdam obnixe negantibus, ali„is vero ejus viri præſentiam ſperandam adferentibus. Princeps ipſe propoſito ſuo pertinacisſime ad„hæret, non ſumtibus ullis parſurus, quo Eraſmum ad nos perducat. Cupio itaque ex te ſcire, quid ſen„tias, an conditio opulenta Eraſmo ſit offerenda. Si putas eum perſuaderi poſſe ad annuendum tanto „Principi, cui eſt acceptisſimus, ad me quamprimum perſcribe.

Commoda in Eraſmum reditura, ſi amplectatur: „Multa ſunt, quæ eum permovebant, ut Germa„nus in Germania reliquum vitæ tranſigat. Primum omnium tanti Principis favor pro„penſisſimus, & ſincerus in ſtudia politiora amor, in iis enim a præceptoribus minime pœnitendis pul„chre eruditus eſt Princeps. Quare ei foret Eraſmus vel ipſa charitate charior, quod magnani„mo viro debet videri magnum. Dein ſalario honeſtisſimo, ſacerdotiisque, ſi acceptabit, uberrime pro„videbitur & condonabitur. Quod ſi ſenium, cui labores docendi ſunt moleſti, cauſabitur, nihil hoc i„pſum remoretur, quippe ſuavisſima dabitur quies. Non enim vocatur, ut fatigetur, verum ut videa„tur vir ratus, ſuique præſentia lucem afferat noſtro Lycæo. Accedit gratisſima loci amœnitas aërisque, „quantam non facile alibi reperiet, mira quædam ſalubritas, ut merito ſtudioſorum ſedes appellari queat „Angelopolis. Adde honorem, quem erecta mens ceu virtutis præmium exoſculatur, qui tam cumulate „homini impendetur certatim, ut onerari potius ſe officiis (quæ ejus eſt modeſtia ſingularis) quam ho„norari ſit conqueſturus. Et ut ſemel finiam, nihil non abblandietur Eraſmo.

Invitatur Eraſmus ad inviſendum Principem: *Quod ſi antequam hujusmodi conditionem recipiat, placeret adire noſtrum Principem, inviſere locum, Princeps viarum impendia, & honorarium neutiquam deſpicabile libentisſime offert.*

Ultima vis perſuaſionis, ut patriam, Germaniam, juvet. „Tuum (Fabri) fuerit, Eraſmum con„venire, omnibus quibus potes modis allicere, adhortari, extimulare, & quam gratus ſit Principi, cum ex„aggeratione manifeſtare, &, ſi licet urgere, ut in Germaniæ cœlo patrio potius cum ſuis vivat, illis proſit, „quam cum exteris; ubi etſi omnia, quæ vel ad vitam vel honorem ſpectant, ſuppetant ſupra vota, anti„quior tamen & venerabilior debet eſſe patria, præſertim tot votis tam ardentibus deſideratus, omnis do„ctrinæ principem & præceptorem ſuum ſitiens & ſuſpirans.

Hæc argumentorum pondera, quibus ad honorificum obſequium vincendus Eraſmus. Scripſit hæc Regius *Ingolſtadii An. 1514.* ſub anni principium. Adjecit adhuc *Regius* epiſtolæ appendicem, ut ſi non ad munus amplectendum poſſit perſuaderi Eraſmus, ad minimum permoveatur ad iter, ad inviſendum Principem. Non diſſimulat Regius, hæc de Eraſmo obtinendo conſilia deberi *Leonardo Eck, ICto*, Principis Conſiliario: „Illa ego ſcripſi ex juſſu Principis Herneſti & Leonardi Eck, viri nobilis, artium & jurium „Doctoris, noſtri Gymnaſii moderatoris, cui ſum familiariſsimus: ille noſtras literas vidit approbavitque.

Tabellarius miſſus, ad vocandum Eraſmum: „Ita expectat Princeps Eraſmum, ut hunc quem „vides tabellarium ad Baſileam, ſolum illius negotii gratia, Eraſmi utpote vocandi, miſerit.

Vis perſuadendi in vivo colloquio a Principe poſita: „Quod ſi animo apud nos manendi ve„nire recuſaverit, aureos ducentos quotannis ſi noluerit, & opulentiſſima ſacerdotia reſpuerit, Prin„ceps tamen hoc unum petit, confiditque ſe exoraturum, ut videlicet Eraſmus viſendi Gymnaſii cau„ſa veniat. Huic itineri menſem impendat, ut a Principe videatur, excipiatur, amplexetur. Videre „enim Eraſmum ex animo cupit. Et ſumptus ad iter miniſtrabit magnificos remunerabitque virum „liberaliſsime, ut videat Principem nihil æque ac literatos & literas amare, obſervare, ſuſpicere.

Eraſmus

Eraſmus in hoc negotio non fluctuavit diu, nec Principem ſivit hærere ambignum, quando ſtatim Urbano Regio reſpondit, breviter, ſed nervoſe, ſe non poſſe jam, tametſi vellet, obſequi, qui & Hiſpaniæ regi Carolo, & Anglis arcte eſſet obſtrictus.

Ante omnia ſubindicat, urbanitatem Urbani ſibi placere. Dein aperte & diſerte excuſat ſuum obſequium, ex officiorum vinculis, quibus tum in Brabantia tum apud Anglos ſit devinctus. „Talem „Principem vere magnum magnopere gratulor noſtræ Germaniæ, cujus utinam eſſent quam plurimi „ſimiles, qui ad eas res, quæ ſemper egregiis heroibus dignæ ſunt habitæ, adjiciant animum. Cui ſa„ne jam pluribus nominibus debeo plurimum, vel quod tam amanter errat in Eraſmo, vel quod tam „munifice provocat & invitat ad ea, quæ mihi ſtudiis omnibus erant ambienda, ſi modo liberum eſſet „cuiquam me addicere, poſteaquam illuſtriſſimo Principi Carolo & meo Principi ſum addictus, idque „ſuffragiis conſilii Principalis.

Submo[illegible] Eraſmus, illud officii apud Carolum ea lege ſe admiſiſſe, ut libertatem ſuam ſervaret ſalvam. *Ex[illegible]ptæ ſeu receptæ potius libertate.*

Quæ *habet* ab Eraſmo in officii vinculo conſervata, erat jus & licentia, pro optimis literis ornandis, operibus edendis, huc illuc digrediendi ac divertendi, ut tunc ſueverat, nunc ad Anglos, nunc ad Baſileenſes. Quæ indulta a Carolo, libertas ſi patiatur periculum, tunc demum ſe ex honorifico illo munere diſceſſurum. *Quam* (libertatem) *ſi videbo periclitari, cuncta reſignavero.* Subinnuit tacite, officium, Carolo præſtandum, beneficium comprehendere *libertatis*, qua gaudeat Eraſmus; Neque adeo Ingolſtadienſe negotium illo beneficio eſſe deſtituendum.

Obſervantiam inſimul, quam debeat Anglis, conſtare cum officio regio apud Carolum, ſubmonet; Quod vinculum nullo alio vinculo ſit ſolvendum, uti non apud Carolum, ita nec apud Bavaros; ſi qua aliquando annuat. *Neque tamen defeci, nec unquam defecturus ſum ab eximio Mecænate meo Archi-Epiſcopo Cantuarienſi.*

Ad argumentum, patriæ eſſe ſerviendum, non exteris, aut præ exteris, reſpondet, ſe omnino jam patriæ, Germaniæ, inſervire, in obſequio Caroli, ſed & Angliæ operam ſuam dicari, quod ſit velut altera Eraſmi patria, in quam, pro Anglorum more, ſit quaſi cooptatus: *In confinio,* (in Brabantia) *conſtitutus, confido futurum, ut utrique ſatisfaciam patriæ, tum ei in qua natus ſum* (Germaniæ) *tum ei in quam ſum cooptatus* (Angliæ.) Tecte ſignificans, patriam eſſe, ubicunque ſit bene, ubicunque fas agere bene recteque. *Libertatis* in Eraſmo ſervandæ indicium obliquum.

Senectutis tacitam ſignificationem, quaſi Eraſmus illius difficultate ſit ad ſedem apud Bavaros fixam admittendam inducendus, declinat Eraſmus, *ſuæ veræ ætatis* adhuc vegetæ definitione, qui *nondum* ſit *quinquagenarius*, ſed *annum* demum *agat quadrageſimum nonum.* Tametſi imbecille ſit corpuſculum, laboribus facile fractum aut frangendum: *Alioqui ne ſenectutem quidem excuſarem, tametſi plus eſt ſenii quam ſenectæ. Nam annum ago, non plus, undequinquageſimum. Sed ætas non annis eſt æſtimanda, imo viribus.*

Nec præterit, iter ad Bavaros *in menſem*, nimis eſſe longum, qui *biduo* aut *triduo* poſſit abeſſe: *Quod ſi fieret itineris mei ratio, non gravabor bidui triduive diſpendio, tam eximii Principis conſpectum mercari.*

Brevitatem arctiſſimaque epiſtolæ ſuæ vincula cum negato officio, excuſat Eraſmus præſentis in Baſileenſi officina laboris mole ac tenacitate: *Epiſtolæ noſtræ brevitatem ſimul & ruſticitatem excuſabunt occupationes. Quæ ſi tibi vere cognitæ eſſent, mirareris, etiam hoc ipſum qualecunque eſt, a me ſcribi potuiſſe, tantum abeſt ut offendereris.* In exordio epiſtolæ jam tum expreſſerat, præoccupaturus, laboris præſentis cumulum, in *Hieronymianis* præſertim *operibus*, digerendis, ſegregandis, illuſtrandis, ad editionem proximam: *Jam non ſolum in ipſa operis calce ſimul & capite, tumultuanti, ſed multorum etiam menſium perpetuis laboribus enecto verius quam fatigato.*

Scripſit hæc Eraſmus *Baſileæ, ſexto Calendas Martias, Anno M. D. XIV.* in codicibus, etiam primis, error grandis, in quibus annus expreſſus *M. D. XVI.*

Liquet hoc manifeſte ex *ætate Eraſmi*, cujus *annum* expreſſe determinavit in epiſtola, ajens, *ſe quadrageſimum nonum agere annum, non plus.* Atqui *natus* Eraſmus *A. 1465. ad d. 5. Cal. Nov. diem 28. Octob. Simonis & Judæ.* Annum ergo quadrageſimum nonum *agere cœpit* ab anno 1513. 28. Octob. *egit* A. 1514. usque ad 28. Octobr. Qui ab hoc die 28 Oct. 1514. in annum 1515. *egit* annum quinquageſimum. Porro a die 28. Octob. anni 1515. usque ad 29. Octob. 1516. *egit* annum quinquageſimum primum.

Quod ſi proinde ſcripta illa eſſet epiſtola *6. Cal. Mart. 1516.* dicendum fuiſſet ab Eraſmo, ſe annum agere quinquageſimum primum. At vero, ſcopus epiſtolæ eſt, demonſtrare *annis minoribus*, ſe nondum eſſe ſenem. Nullus adeo error in epiſtola ipſa annorumque numero per ipſummet Eraſmum definito, ſed in anno ſubſcripto, errore vel amanuenſis vel typographi, qui pro M.D XIV. ſcripſit M.D.XVI. Quales errores innumeri, non ſine maximo labore pro hiſtoriæ integritate corrigendi & reſtituendi: ſine qua emendatione *in epiſtolis Eraſmi, magno hiſtoriæ literariæ theſauro*, mera caligo, Eraſmi mors, ex qua emergat velut in lucem ac ſolem, & cum illo hiſtoria illius ævi, *chronologiæ reſtitutione.*

Manifeſtior altera ratio, quod illo die & anno, puta *6. Cal. Mart. 1516* extiterit Eraſmus *Antverpiæ*, non *Baſileæ*, qui *A. 1516. 6. Cal. Mart. Antverpiæ* ſcripſit ad Guilielmum Copum, Lutetiam, *lib. I. epiſt. 18. f. 62.* In alterutro loco nondum apertum. Nec enim eodem anno eodemque die ſimul in diverſis locis, longiſſimo terrarum & regionum ſpatio diſſitis, *Baſileæ & Antverpiæ*, vixerit & ſcripſerit.

Sed quid fiet de tertia epiſtola, eodem anno & die, *1516. 6. Cal. Mart. Antverpiæ*, ut fertur, ſcripta, *l. 1. ep. 21. f. 63.* ad Ludovicum Canoſſam, Epiſcopum Bajocenſem? Quaſi vero non multæ eodem die, & anno, eodemque in loco, ad diverſos ſcribi poſſint epiſtolæ. Quod quotidianum & hodie.

Quis neget? Nihilominus & hic *error totius anni*, quem hac occasione libet detegere, ut constet, quantus errorum chronologicorum cumulus, per amanuenses, confuderit historiam literariam illius memorabilis ævi. Cui hoc superest remedium, ut totum, etsi grande, *Epistolarum volumen suæ restituatur integritati, nec non justo annorum ordini.* Sed hoc obiter. Epistola ista Erasmi ad Canossam, non est scripta A. 1516. sed 1517. quod elucet *primo* ex tenore & ordine responsionis. Scripserat Canossa, Episcopus Bajocensis, ad *Erasmum, idibus Nov. 1516.* quem invitarat, ad se diverteret, novi officii titulo, cui quotannis ducentos ducatos penderet, præter alia beneficia. Respondit Erasmus Canossæ illa quærenti & offerenti. Quodsi ad *Erasmum* epistola scripta est *sub finem anni 1516.* necessario responsio Erasmi non exarata est initio anni 1516. sed *sub exordium anni sequentis 1517.* puta, *6. Cal. Martias 1517. Deinde* argumentum responsionis annum 1517. dilucide nunciat. Respondit Erasmus, non esse in sua positum manu, Canossæ accipere oblatum munus cum annua pensione, eo quod Regi Carolo jam sit devinctus. Abesse vero *Cancellarium Sylvagium*, a quo dependeret præsens munus, quocum de illa mutatione conferre posset. Atqui Sylvagius cum Rege Hispaniarum Carolo A. 1517. ibat in Hispaniam, ad occupanda regna, ad quæ invitatus erat ab Hispaniæ Primate Cardinali Ximenio, ne Ferdinandus Caroli frater, in Hispania vivens, regna invaderet. Hæc illa ab Erasmo significata *Sylvagii Cancellarii absentia, Anno 1517.* Quomodo *historia* chronologiam emendat & restaurat. Laboris fateor immensi res, vastum illud volumen eo pacto redintegrare, sed fructus infiniti. Ceterum, *Bavaricam* hanc *vocationem* apud alios celebrare non dubitavit Erasmus; velut apud Episcopum Rossensem, A. 1517. lib. 7. ep. 9. f. 388. „Dux Bavariæ Hernestus misso hujus rei gratia Basileam usque nuncio, „ducentos obtulit aureos annue, præter sacerdotiorum spem, præter munera magnifica, tantum ut An„gelopoli, ea est Bavariæ schola, viverem.

Ut grati erga *Ernestum Bavarum* animi daret indicium, aliquo tempore elapso, *A. 1517.* illi Curtium dedicavit a se illustratum. Quare in Epistola ad Ernestum A. 1517. prid. Non. Nov. Lib. 3. ep. 34. f. 201. rationem dedicationis allegat pristinam ad Ingolstadienses vocationem. „Hoc quicquid „est vel fructus vel studii, tibi visum est dicare, cui tum ipse privatim plurimum debeo, ut a quo fue„rim pridem amplissimis conditionibus provocatus, tum publice debent omnes bonarum literarum „mystæ, quos tu sic ornas clarissimis majorum tuorum stemmatis, sic morum integritate commendas, „sic benignitate foves, sic autoritate tueris, ut brevi nihil sit illis futurum felicius, si ceteri Principes o„missa bellandi rabie tuum exemplum æmulentur.

Tam flagrans apud Principes desiderium melioris formæ & fortunæ in suis provinciis *ex meliori institutione. Scholæ inferiores illis annis carnificinæ potius & pistrinæ ingeniorum: superiores*, Academiarum nomine, barbariei sedes publicæ, in quibus os rude & pollutum, doctrina spinæ & dumeta inutilium vel & perniciosarum contentionum theatra, unde in Ecclesiam & rempublicam non nisi inepta instrumenta. Emendari optabant, Erasmi consilio, his infandis malis eliminatis, doctrinæ forum, ut Academiæ induerent decorem, dicendo, agendo, consulendo & gubernando. Citra dubium, qualia in senatu capita, talis civitatis fortuna. Formentur in Academiis ingenia imbuanturque bonis, rectis, justisque principiis, in sacris non minus ac civilibus, res publicæ inde fructum capiunt. Exempli loco, ars dicendi in Academiis tunc inconditus clamor, & boatus potius quam suasio aut persuasio. Talis in civitates delata oratio, quæ horrida terreret, non juvaret. Ars judicandi, Logicæ nomine, nonnisi impostura, sophismata, verborum captationes, negotiis inimicæ, litium parentes, jurgiorum genitrices. Unde in foro, civili & sacro, mera litigia, fallaciæ & fuci. Res medica, rudis, sine veterum græcorum ope & consilio, empyrica ars, quæ Judæos in curiis principum præferre juberet, eorumque fraudes peritiæ nostrati. Forum ex legibus veterum male intellectis & explicatis bonis literis absentibus plus ludibrium publicum, arbitrium fallendi, circumducendi, emungendi & rempublicam expilandi, quam justitiæ tribunal.

Scholasticæ rei in sacris chaos confusum nimia subtilitate nec pervium nec cognoscendum, docentes reddidit ex mera traditione sine ratione imperiosos, & ex ignorantia veræ doctrinæ Christianæ temerarios, ut populus non fieret nisi mera superstitio, interim nullus virtutis sensus, cæcum obsequium, sine ullo civitatis emolumento. Publicam hanc ex depravata Academica institutione corruptionem corrigi cupiebant Principes, qui caliginem communem, & reipublicæ detrimenta, quotidie animadverterent. Erasmi in his emendandis quæsita a Principibus opera, & in his a Bavariæ Duce emendationis cupido.

Educationis emendandæ illustre exordium, *Principis Christiani institutionem*, pro Carolo Austriaco Flandriæ & Brabantiæ Belgiove jam imperante quindecim annorum juvene, scripsit *Erasmus, Caroli Consiliarius*, A. 1515.

Carolus, primogenitus Philippi Austriaci, Castellæ regis filius, *Maximiliani Cæsaris nepos*, Gandavi in Flandria natus A. 1500. 25. Febr. Dux Luxemburgensis, Mechliniæ educatus, annum decimum quintum agens, A. 1514. annos tutelæ egressus Bruxellæ 1515. *inauguratus Belgii imperio, Flandriæ & Brabantiæ regimini*, fidam *Erasmi Consiliarii sui* operam mox est expertus, *idea boni Principis* accepta. Quando enim celsi & erecti genii Carolus imperium illud Statibus applaudentibus tam mature susceperat, Cancellarii Sylvagii nutu Erasmus *effigiem Principis Christiani* delineavit, & Carolo Principi suo commendavit. Noverat Sylvagius Erasmi ingenium, literas & integritatem, quibus congruam primam in Curia materiam officio parem suppeditavit, scribendam *Principis Christiani institutionem*. Numinis supremi, reconditæ providentiæ consilium, de *Europæ emendatione, radices* ponere debebat

in pectore

in pectore Principis Caroli, qui mox Hispaniarum Rex, mox etiam Imperator, magnam Europæ partem erat gubernaturus. A *capite* igitur cum universum corpus sensum, vitam, motum & usum hauriscatur, placuit Deo, in hoc Carolo experiri *regiminis Christiani dignitatem ac majestatem.* Cæsares quondam, ut alii reges, etiam inter gentes barbaras, quid ni paulo dein cultiores, Romanos præsertim, dein & a Magno illo Carolo I. inter Germanos uti potentia ita & prudentia Augusti, senserant pleriique in tanto fastigio infaustos successus & exitus, cum extrema subditorum clade. *Nominis Christiani* accessione parum imperii fortuna adjuta; quin sub tanto Episcoporum supremi quoque Romani Episcopi præsidio regiminis virtus in deterius versa, tantum non extinguenda. Quæsita sacri status prærogativa capitibus jugum injecit velut servis, ut Cæsares fugere, cadere, vel & occumbere viderentur, sacris Christianorum Episcoporum fulminibus perculsi. Juvandum regimen, pro Christianæ doctrinæ tenore ornandum, extollendum & ad commodissimum supremæ Majestatis usum evehendum; non Christiani nominis prætextu infringendum, extenuandum, aut supplantandum. *Christiana res regnandi jus & autoritatem nullo colore reddit minorem, sed auget potius & præstantiorem atque illustriorem quin & fortunatiorem facit.* Longa proinde multorum seculorum bella, religionis Christianæ nomine prætexto, ab Episcopis Romanis adversus Reges & Cæsares gesta, perexiguum Christianæ rei usum regnis reliquerunt, quin odia mutua inter civilem & sacrum statum vim omnem Christianæ professionis extinxerunt, ut non nisi nominis fama, eaque plerisque ex religiosa tyrannide odiosa, supereſſet. Remediam Conciliis universalibus Pisano primo, Constantiensi & Basileensi, vel & Pisano II. a Cæsaribus, Sigismundo, Alberto, Friderico, Maximiliano, sollicite quæsita, religiosis artibus elusa. *Maximilianus* A. 1510. editis publicis suis & imperii querelis, nominis Christiani exilium sub illius ostentatione vulgata demonstraverat, quando hoc tandem cepit consilii, *Episcopi Romani dignitatem esse imperatoriæ majestati reddendam aut reduniendam.* Quod *Cæsaris consilium* Joannes Faber, Episcopus Viennensis, Maximiliani orator & consiliarius, in oratione funebri non sine laude manifestavit.

Quamobrem *Deo* tandem visum, post tot seculorum tenebras, secuturis accendere lucem, *imperantium dignitate autoritateque vindicata, illustrata ac roborata.* Exordia omnis emendationis, juste repetita *a restauratione dignitatis & honoris penes magistratus, supremos & imos*; in civitatis cujuscunque provinciæ, regni, imperii usum & emolumentum. Dum orbis est, cives sunt, his bene consultum cupit Deus. *Christianum nomen tantum abest conditionem regentium reddat tenuiorem aut deteriorem, ut potius colat, exornet, & efficiat splendidiorem atque utiliorem. Favet, & beat religio Christiana rem civilem universam, omnibus modis, ordine, decore, justitia, omnigenaque virtute.* Nihil quicquam derogat autoritati, sed auget & digna veneratione locupletat. Perficit orbem Christiana res, non impedit, non convellit, non perdit. Virtus nunquam obest, sed semper juvat. Atqui Christiana doctrina omnis virtutis nervos universæ publicæ rei communicat.

Quando ergo divino arbitrio ætas appropinquabat sub initium seculi XVI. ut rei Christianæ vera indoles & integritas Europæ sensim sensimque, si non penitus simul, contingeret, constituit Deus in Carolo illo Austriaco, mox Hispaniarum & imperii Romani Domino, Rege & Imperatore salutare facere initium: ut posteri Cæsares & Reges, per longa secula pergerent orbi reddere aut conferre, quæ illi sub Christiano nomine divinitus tributa beneficia. Regiminis incolumitas incolumes facit cives. Qua cœlesti providentia evenit tunc, ut Erasmus, Caroli illius Consiliarius, in usum magni hujus, maximi mox futuri Principis, *Christiani Principis effigiem* quandam concinnaret, Carolo sacram. Consilium, non Erasini, sed Dei, sed Christianæ prudentiæ, sed publicæ salutis. Primæ illæ lineæ, pro primis emendationis elementis, sufficere visæ, brevibus aphorismis aut sententiis comprehensæ.

Constitutum omnino divinitus, doctrina salubriore publicæ rei illa ætate succurrere, ut posteri bene inchoata cum seculis perficerent. Antea res pene communis posita in tyrannide, aperta aut tuta in externa ceremoniarum aut legum qualiumcunque umbra, ut *jus* esset *non nisi vis*, *justum quod libitum* Christiana re in extrinseca pompa posita. *Institutionis & educationis* jam propius accedebant tempora, ut *animorum res* ageretur, *consiliorum & affectuum*, in communem salutem. Sera illa secula, cum Christianum nomen jam quindecin seculis durasset, sed in continua caligine populorum, in perpetuis fluctibus; *ne scholas quidem puerorum* Europæ dederant qualitercunque etiam utiles. *Barbaries profecto horrida & ruditas crassa, cives omnes plus superstitiosos fecerat, quam bonos & integros.* Sic imminebat tandem cum Seculo XVI. *alia civium formandorum ratio, ut fierent homines aliquando.* Bonæ literæ suscitatæ, Scholæ perpurgatæ, institutio inchoata, ut audirent talia pueri, quæ viri essent in usus communes adhibituri. *Informationis, institutionis, educationis cura tunc haberi cœpta, ut acciperent tandem & discerent, quæ bona, quæ vera, recta, utilia, necessaria.* Voluit Deus *ab educatione fieri emendationis initium*, ut Europa tandem aliquando exueret pristinam barbariem animorum & actionum, fiererque cultior, ut hominibus, tandem & Christianis dignum.

Cum exemplum nullum posset evenire illustrius, quam *in illustrissimi Principis institutione*, contigit, *institutionem boni aut Christiani Principis in Augusto Carolo* eminere, ut hoc exemplo eminentissimo duceretur sensim & flecteretur ad imitationem orbis reliquus. Quæ *divinæ providentiæ vestigia* devote & juste observantur *in Carolo* illo, & per Erasmum suppeditata *boni Principis imagine.* Dum orbis erit durabit, *parvum licet* illud, sed *magni tunc momenti opusculum*, in primo Caroli adhuc juvenis imperio, non tam Carolo quam orbi traditum. Hoc *reformationis secutæ & secuturæ fundamentum* jure habetur. Capitis salus, imperantis virtus, imperii dignitas, juste præibat; civium incolumitas & beatitudo, melior hominum fortuna, succedere debebat.

Et *primum* quidem *hoc Erasmi monumentum* in officio illo suo in curia Caroli, sub *Consiliarii* charactere. Et *primum* quoque illud *opus*, quod in imperio suo recens inchoato, pro salubri consilio accepit Carolus. *Decimo quinto ætatis suæ* anno regimen suum in Flandria & Brabantia exorsus erat

Carolus,

Carolus, quando Eraſmus pro fauſto regiminis omine, *primum hunc ſui muneris fructum*, in ipſo imperii exordio, exhibuit. Aſſervatur integrum *Tomo IV. operum Eraſmi f. 433. ſeqq. ed. Baſil. 1540.* In Epiſtola ad Carolum, libro præmiſſa, *ſui in curia officii primitias* vocat. „Et nos jam tui, inquit, „his ceu primitiis animi in te noſtri ſtudium utcunque teſtificamur. Scopum ſubindicat: *Cum non „ignorarem, tuæ celſitudini nihil opus eſſe cujusquam monitis, „nedum meis, tamen viſum eſt optimi Principis ſimulacrum in commune proponere, ſed tuo ſub nomine, ut qui magnis imperiis educantur, per te rationem accipiant adminiſtrandi, abs te exemplum, quo ſimul & tuis auſpiciis hæc utilitas ad omnes permanaret.* Subjunxit operi Iſocratis de regni adminiſtratione regulas, de quibus diſcernendis hoc fert judicium: „Iſocratis de regno adminiſtrando præcepta latinitate donavimus, ad cujus æmulatio„nem adjecimus noſtra, velut aphoriſmis abſoluta, quo minus eſſet tædii legentibus, ſed tamen ab illi„us decretis haud parum diſſidentia. Siquidem ille Sophiſta regulum neſcio quem ſeu tyrannum po„tius inſtituit, ethnicus ethnicum, ego theologus inclytum & integerrimum Prinipem, adhæc Chri„ſtianus Chriſtianum.

In exordio regiminis Caroli, A. 1514. imperium ſuum aggreſſi, concinnatum hoc opuſculum eſſe, docent ipſa Eraſmi verba: „Cum hic libellus dicatus ſit ei, qui tametſi ſummam de ſe ſpem præ„beat, tamen ut admodum adoleſcens. (15. annorum) & nuper inauguratus imperio, ne potuerit qui„dem admodum multa gerere, quæ ſolent in aliis principibus aut laudari aut reprehendi, liber ni„mirum ullaque ſuſpicione, (adulationis vel procacitatis) non poſſum aliud quæſiſſe videri, quam „publicam utilitatem, quam ut regibus, ita & regum amicis ac famulis oportet unicum eſſe ſcopum.

Magna hoc libro uſus dicendi libertate, qui nil quæreret, niſi publicam ſalutem. Neque ſalubris illa & æqua libertas offendit vel aulam vel alios prudentes viros. Totam libri hujus hiſtoriam brevibus complexus eſt *Eraſmus*, „in Catalogo ſuarum lucubrationum: Libellus de Principe „Chriſtiano, quem Carolo, nunc (1523.) Cæſari porreximus (1515.) recens in aulæ principalis famu„litium acciti, ut eſſemus inter Principis Conſiliarios. Atq; hoc pacto primum fidelis conſiliarii partes ſu„mus auſpicati. Hoc enim epitheton (fidelis) ſolenniter addi ſolet conſiliariis, cum plerique Principes „nihil minus ament quam vere fidos conſiliarios, & plerique conſiliarii nihil minus præſtent quam co„gnomentum ſuum. Et tamen hujus libelli libertate nemo Magnatum offenſus eſt. Ferunt Principes „liberam admonitionem, ſeditioſam licentiam non ferunt.

Poſt aliquot annos, A. 1518. reſuſcitavit Eraſmus Baſileæ nervoſum hoc opuſculum, *integrè verique chriſtiani Principis ſimulacrum*, ut cum libello Carolum appellabat, in uſum nunc *Ferdinandi*, Caroli fratris minoris, poſtquam Carolus, jam Catholicus Rex in Hiſpania inauguratus, ſceptrum gerebat. Inſcripſit jam *Johanni Sylvagio, Regis Caroli Cancellario ſummo*, Eraſmus, ejusdem nunc regis Catholici conſiliarius. In qua epiſtola declarat abunde, quam ſatisfacere ſtudeat ſuo conſiliarii officio, Chriſtianæ religioni illuſtrandæ ac propagandæ intentus totus. „Ego, inquit, inter libros „muſſans (Baſileæ, pro edendis libris, Novi inprimis Teſtamenti ſecunda redintegratione) pro mea virili „honeſtiſſimorum ſtudiorum negotium ago, nihilo ſecius interim & Principis (Caroli) agens negotium, „(ut conſiliarius regis) cui ſcio nihil eſſe magis in votis, quam ut ipſius auſpiciis Chriſtiana pietas, ac „eruditio digna Chriſtianis, magis ac magis apud nos effloreſcat & latisſime propagetur. Atqui ditio „fortaſſis poteſt armis propagari, vera religio aliis copiis aliisque præſidiis propaganda eſt. Hac in „parte, quam ego vel primariam eſſe puto, ſi non dicam ducem, ſed certe gregarium quempiam mi„litem præſto, non me pœnituerit decertaſſe.

Quod in gratiam *Ferdinandi* reſuſcitaverit libellum ſignificat Sylvagio: *Audio Ferdinandum illuſtriſſimum* (ex Hiſpania) *feliciter ad nos appuliſſe. Ei libellum de Principe inſtituendo inſtauravi, quandoquidem eum Carolo jam dudum ſupervacaneum reddidit tum ipſius indoles, ultro ad omnia ſummo rege digna, prævolans, tum tua* (Sylvagii Cancellarii) *non minus fida quam cordata conſilia.*

Aphoriſmorum titulo paſſim liber hinc inde venerat, ob brevitatem ſententiarum. Cum Budæus hoc nomine Pariſiis quæreret, Eraſmus explicuit A. 1516. 6. Cal. Martii Antverpiæ, Epiſt. libr. I. ep. 18. f. 62. „Quod aphoriſmos noſtros deſideras, cave putes iſtius eſſe generis, cujusmodi ſunt „tui Hippocratis. Alia res eſt. At ſi libellum poſces Eraſmi, de inſtitutione Principis Chriſtiani, iſt„hoc titulo citius inveneris.

Ingens libri pretium apud Reges & Principes. Quo æſtimio & magna rei dignitate illecti poſtea plures viri eruditi ad æmulationem, qui exemplo Eraſmi, in Rege Carolo, ſimiles ſcribere *Principum inſtitutiones* anniterentur, Eraſmo etiam collaudato. In quibus, ut paucos commemorem ex multis, *Reinhardus Lorichius*, *Hadamarius*, A. 1538. Marpurgi ſcripſit, „De inſtitutione Principum „Locos communes, quorum cognitio non modo iis, qui cum imperio ſunt, verum quibusvis aliis ma„giſtratibus & ſubditis in primis utilis & neceſſaria. Inſcripſit *Principi Erico Juniori, Brunsvicenſium Duci. Francofurti, A. 1541.*

Similiter apud Gallos *Guilelmus Budæus*, vir literatiſſimus, Regius Secretarius, Eraſmum imitatus, librum conſcripſit de inſtitutione Principis, ad Franciſcum I. Valeſium, Galliæ regem. Qui ſero tandem editus *Pariſiis A. 1548.* hoc titulo: *Le livre de l' inſtitution du Prince, au Roi de France treſ creſtien Francois premier de ce nom, fait & compoſé par M. Guillaume Budé, ſon Secretaire & maitre de ſa librairie.*

Explicaverint hoc negotium *plures poſt Eraſmum*, viam ſane hic ſtravit poſterisque monſtravit, tanto majori honore dignus, quanto negotium primum difficilius, & in tam ancipitibus negotiis conſilium nobilius & ſalubrius. Prima illa reformationis facula, *inſtitutio prima & educatio ſolers & ingenua.* Ante Eraſmum uti in civitatibus nulla inſtituendi peritia, nulla educandi ſolertia, morum animorumque barbarie communi, regendi adeo inter cives violentia magis quam prudentia: ita ab

Eraſmi

Erasmi studio novos vidit & admisit mores, ætas prima & adulta. Pervidit Erasmus, viros in civitate, non flecti, frangi citius, & horum proinde regimen vix posse carere vi. Quæ misera & brutalis regendi ratio, non hominum, nec imperantium. Viri ex consvetudine quacunque, inconditis moribus, actionibus, consiliis, roborati & firmati, dum velint, desistere non possunt, premere quadantenus malitiam aut dissimulare possunt, non deponere: Foris alium habitum præ se ferunt, animum non mutant. Iniquus, avarus, sordidus, audit hæc dedecere & ipsis autoribus damno esse, credit, non desinit, sed celat & tanto fortius nocet quanto tectius & callidius. Viri igitur vix ac ne vix quidem emendantur, male assueti, rationibus non a pravo abstrahendi, vix metu pœnæ.

Vera ac solida emendatio civitatis & regni ex primis pueritiæ seminibus, ubi connata corruptio nondum usu corruptiore vires acquisivit. Tenerrima ætas, ubi vix sensuum videatur habere usum, formanda, & cum mensium & dierum tractu, sensim sensimque summa sollicitudine instruenda, ut cum primo etiam anno sensus & mentis primi igniculi in recti, honesti & boni gestum & usum ducantur. Primi anni uti sanitatis & in corpore incolumitatis sunt basis, ita inprimis omnium sensuum, mentis, ingenii, judicii sunt fundamentum. Rempublicam vis quietam, bonos para aut habe cives: Non nascuntur interim sed fiunt boni. Fiunt non casu aut spontaneo motu, sed cura multa, primæ institutionis aut educationis. Uti formamur pueri, sumus viri.

Prospexit itaque divina gratia illi ævo de præsidiis *melioris civitatis formandæ ex educationis integritate.* Erasmus laudem feret in universa posteritate fortunæ in republica beatioris, serenioris, tranquillioris, *ex institutionis solidioris fundamento.* Forma, reforma, viros, cœtus, collegia, adultos omnes, & vel senes: Nulla in illis subnascetur alia forma, quam color & fucus. Forma, informa juventutem, primam, alteram, tertiam, & formam induent, mente animoque, corpore & ore, vita & factis, decoram, politam, commodam, honestam, publicæ rei congruam, totique civitati utilem & salutarem.

In enixam publicæ emendationis spem *Enarrationem Psalmi primi,* acrem & copiosam *abusuum* in Ecclesiis & Academiis regnantium, *censuram,* scripsit *Erasmus, Caroli Consiliarius* Anno 1515.

COgnita Erasmi facultas bene & salubriter monendi movit cordatos, ut Erasmum invitarent ad recensendum *Psalmum primum,* de hominis beatitudine. Obsecutus, qui ansam sibi dari exist mabat, perditos sui seculi mores pro viribus corrigendi & salutaria monendi. *Scripsimus,* ait, *in Catalogo Lucubrat. in psalmos duos* (primum & secundum) *commentarium, quibusdam magnis flagitationibus ad hunc laborem vocantibus.* Inscripsit *Beato Rhenano Slestadiensi,* qui Basileæ agebat, *A. 1515. idibus Aprilis,* ex *Divo Audomaro,* (S. Omer,) Artesiæ, pro omine fausto nominis *Beati.* In qua præfatione corripit depravatam illa ætate in Ecclesia consuetudinem, *Beatos* aut *Sanctos* renunciandi, proclamandi, & in canonem referendi, apud quos nihil etiam bonitatis ac beatitudinis. Beatos pronunciat bonos, probos, integros, sinceros, christianæ fidei & virtutis. „Nihil magis abest a veræ be„atitudinis appellatione, quam isti, quos stultissimum vulgus beatos appellat. Sic enim illis tribuit „beatitudinem, ut tribuit & divinitatem, vel turpiter errans, vel turpius assentans. Toties in mysti„cis literis iteratur hoc beati cognomen, nec tamen usquam tributum offendimus opulento, nusquam „monarchis, nusquam Sardanapalis. Lego beatos, qui timent Dominum.

Cum totum libri *argumentum* sit *morale,* nobis satis vel exigua quædam attigisse momenta, quæ doceant, quanta contentione animi quæsiverit Erasmus *publicæ corruptionis emendationem. Quid spei de populo, si sal ipse fuerit insipidus? Annon hoc faciunt sacerdotes quidam, qui superstitiosam plebeculam ceremoniis involvunt, ut hu freti velut nare ducantur, nec unquam ad veram Christi doctrinum adolescant, semper infantes, semper imbecilles in Christo?*

Uti inanes ceremoniarum Ecclesiasticarum ambages, populi fascina, taxavit, ita & Constitutiones reprehendit sacras, conscientiis onerosas, quæ non nisi retia ad populum illaqueandum. „Annon id „faciunt (ut nare ducant populum) qui suo studentes emolumento, suam tuentes tyrannidem, divinas „literas suis affectibus servire cogunt? Qui constitutionibus irretiunt & onerant populum, non quæ „Christum sapiant, non quæ publicam spectent utilitatem, sed meram *φιλαυτίαν.* Annon videmus „quotidie ad hujusmodi constitutiones, pios & verecundos ingemiscere, infirmos offendi, simplices de„cipi? Tantum in his est (de malis loquor) ambitionis, avaritiæ tantum, tantum stultitiæ, tantum „impietatis, ut qui magistri pietatis esse debuerant, apud hos pene sit hæreticus, qui pure studeat es„se Christianus.

De immenso legum civilium æque ac sacrarum cumulatarum numero, cum Christiana integritas unam caritatis legem urgeat & attendat: „infinitæ sunt Mosi leges de ritu sacrificiorum, de cibis „mundis & immundis, de lepra, de vestitu, de festis diebus ac profanis, de jejuniis, de votis, innumeræ sunt Philosophorum, & aliorum Principum leges. Ego, inquit, non nisi unam fero legem, ut „diligatis invicem. Hanc unam si servetis, nihil opus fuerit aliis legibus: Hæc una si negligatur, „frustra leges legibus cumulabitis. Nec simpliciter dixit, in lege, sed in lege Domini, non in legibus „Principum, in quibus est multum falsitatis admixtum, plurimum adulationis, quæ mundanam duntaxat habent prudentiam, quæ divitem aut splendidum fortasse facere possunt, beatum non possunt: „Denique quæ velut remedia, vel pro temporum habitu, vel pro Principum arbitrio subinde mutantur. Non in his voluntas ejus, qui quærit æterna, qui sitit cœlestia. Una lex Domini immaculata, sapientiam præstans parvulis. Hominum leges etiamsi justæ sunt, tamen quia crassis vulgi mori-

„bus cohibendis adhibentur, non poſſunt non habere aliquid craſſum ac ſordidum, ſi ad dominicam le„gem conferantur.

Hæc vel ideo digito monſtrare libuit, ut liqueat, quanta ſollicitudine *interiora reipublicæ damna detexerit*, qui legum ſuo modo uti honeſtatis amicus, qui honeſtatem inter omnes cupiat, quod in rudi plebe ſine legibus non contingit: ſed &, qui communem civium ac provinciarum perniciem in immenſurabili civilium & ſacrarum ſeu eccleſiaſticarum legum caterva latere demonſtraverit: Cum ſervi quidem illis fiant & rudia mancipia ad ingenuam virtutem inepta, non homines, ingenui, multo minus Chriſtiani: Quod immenſo & inexhauſto legum mari abſorbeatur communis civium ſalus, in infinitis & perpetuis fluctibus, absque ulla tranquillitate & deſideratiſſima quiete: Quemadmodum forum quotidie furit, homines pro brutis habens, cives pro ſervis, bonos pro ſceleratis, ſceleſtos pro bonis, pro legum ambiguarum latebris & intolerabili tyrannide. Uti nulla publicæ rei ſalus expectanda in iſtis ancipitum legum laqueis, qui civium, inſontium maxime, collo toto die injiciuntur, ut ad juſtitiam, Chriſtianorum gaudium, horreant, cum *jus* nil ſit, niſi *vis*, & *cliens* ſit, *collo legibus illaqueato enecandus nece ſuperba*. Quæ utriusque fori, civilis & eccleſiaſtici beatitudo. Hæc Eraſmo in legum piſtrinis carnificina civitatis, ſine ulla ſpe virtutis ingenuæ & quietis neceſſariæ. Infandi hujus damni ſub honeſtiſſimo legum colore, ingraſſante tyrannide laudabili, emendationem peroptabat Eraſmus, in foro perpurgando a tot fœdis & olentibus jurium ſordibus, quæ urbem velut peſte occulta continuo inficiant, & virtutem omnem velut vitam extinguant. Hanc noxiam & peſtilentem eluviem ex utroque foro everri & auferri cupiebat, in honeſti, æqui & recti, veri & boni ſpem, pro Chriſtianæ doctrinæ in rempublicam juvandam & ornandam indole.

Tangit ſimiliter Eraſmus & ulcera theologica Scholaſticorum. „Auſim & illud addere, hujus „beati voluntatem non eſſe in Quodlibetis, & argutiis ſophiſticorum theologorum, non in quæſtionum „labyrinthis, quæ pariunt contentionem, nihil utiles ad pietatem: non in decretis aut conſtitutioni„bus Pontificum hominum. Non quod eas contemnat pius, maxime ſi Chriſtianum & apoſtolicum „reſipiant ſpiritum, ſi ab una illa charitatis lege profectas appareat, quæ non alio ſpectat, quam ad „publicam utilitatem: Atque hanc utilitatem, non harum rerum acceſſione, quas vulgus miratur, „metitur, ſed veræ pietatis incremento. Ceterum ubi conſtitutiones hujusmodi præter titulos nihil „habent apoſtolicum, ſed totæ pertinent ad privatum commodum, vel parandum, vel tuendum, vel au„gendum, ubi nihil reſipiunt præter mundanam quandam prudentiam, quam in ethnicis etiam tyran„nis cernimus, ubi meris minis ac terriculis, non ſpiritu lenitatis ac manſvetudinis res agitur: Quid „aliud efficitur, his fine fine multiplicandis, quam ut pluribus laqueis irretiatur libertas Chriſtiana? „Poſtremo ad id periculi tenditur, ne juxta græcam parœmiam, plus æquo tenſus funiculus rum„patur.

Emendationis ſummam in eo collocat Eraſmus, ut magiſtratus omnis ſerio curet *cives intus charitate mutua ſincera & infucata*, quæ tot legum vincula, tot minas, tot fulmina faciat ſuperflua, quæ legum innumerarum vim, una charitatis ineffabili virtute complectatur: ſine qua civium conjunctione omne regimen infelix, inquietum, turbulentum, omnibus momentis exitium minitans. „Huc igitur, *ait*, potiſſimum annitantur boni Pontifices, ut illa vera charitas ſuſcitetur in mentibus „hominum, ut vigeat illa lex, non hominum, ſed Domini. Si flagrarit divina charitas, quorſum o„pus tot minis, tot vinculis, tot conſtitutionibus? Sin ea friget, nec ſincerum nec diuturnum, quod „metus extorquet. Quid non factum eſt a priſcis illis tyrannis? Quæ non leges in hoc excogita„tæ, ut oppreſſo populo ſuam communirent potentiam? Nulli horum imperium diuturnum fuit. „Si tractabiles ſunt, quibus imperas, paucisſimæ leges ſat erunt: Reliqua ad charitatis regulam exi„gentur. Sin immorigeri, nihil inutilius quam plures induci leges, quas utcunque inſtitutas, ma„lorum perverſitas fere ſemper in magnum reipublicæ malum conſvevit vertere: ut eſt ad male agen„dum ingenioſa mortalitas. Si quid novi conſtituendum, ejusmodi leges ferant principes Chriſtiani, „non ad quas ſuſpirent piæ mentes, muſſent timidi, male dicant improbi, ſed in quibus Chriſtum „illum manſvetiſſimum, & quovis potius quam ad ſuam ſpectantem commoditatem, poſſimus „agnoſcere.

Neque fas eſt præterire exceptionem judicum & magiſtratuum, ſupremorum & infimorum, quod non ſit populi judicare de lege, ſed obedire vel cœco obſequio. Ad quam cœcitatem Eraſmus: „Non eſt plebis, de Principum decretis temere judicare, fateor. Sed viciſſim Principum eſt in con„dendis legibus meminiſſe, ceteris quoque mortalibus ſenſum eſſe communem, & homines eſſe, qui „lecturi ſunt, non pecudes: Poſtremo, liberos eſſe, non ſervos. Ut nihil horum contingat, tamen „optandum eſt, ut unica lex ſit, quemadmodum unus eſt Dominus & una fides. Ea dictabit, quid in „omni re ſit agendum, nusquam enim ceſſat charitas.

Speciatim, ubi Eraſmus ad *ſtudii theologici* conditionem pervenit, occaſione *meditationis* in pſalmo commendatæ, *meditationis* inquam *in lege Domini*. De legendis proinde Scripturis pronunciat: „Jugi meditatione a pueris imbibendæ divinæ literæ, ſic multo uſu multaque iteratione in„culcandæ, ut eas memoriter non ſecus ac digitos noſtros teneamus. Ita collatis hinc & hinc locis, facile „ſenſum verum aſſequemur. At nunc bonam vitæ partem in ſophiſticis inventiunculis, in Ariſtote„lis voluminibus, imo in noſtris ſomniis conſumimus, ita ut vix unquam ſit otium, magnis etiam Theo„logis, ex ipſis hauriendi fontibus. Deinde, ſi quid citandum, ad indices & canones curritur.

Pro ſtudio lingvarum & fontium ſacrorum, in theologiæ campo, differit: „Citra trium lin„gvarum peritiam divinæ literæ nullo modo percipi poſſunt: Citra phyſicen ac metaphyſicen Ari„ſtotelicam poſſunt. At nos, id quod eſt neceſſarium, omittimus, id quod officit etiam ſolum ample„ctimur. In fontibus verſetur oportet, qui velit eſſe verus theologus.

Hoc

Hoc illud reformationis, ab Eraſmo cupitæ, centrum. Sed nec longe abeſt alterum vicinum momentum: Scripturam ſacram non pro ſolis facere Theologis, ſed pertinere ad omnes, ad imum popellum. Omnibus eſſe par jus, illam legendi, nec excludi plebem ab illius uſu, nec intelligi a ſolis theologis, ſed patere univerſis. „Neque vero theologiam profitentium, *ait*, duntaxat eſt, medi„tari in lege Domini, niſi his ſolis beati nomen tribuendum eſſe putamus. Omnibus, qui beati ve„lint eſſe, meditandum eſt in lege Domini. Legant & idiotæ legem Domini, quacunque lingua, le„gant & Scythæ, meditentur in ea pro ſua virili. Scrutentur pro ſuo quisque captu, de hac inter „ſe confabulentur, de hac colloquantur. Qualis vir talis oratio: imo tales reddimur, qualis eſt no„ſtra quotidiana confabulatio.

Dehinc diſpicit, an ſoli Theologi poſſint intelligere Scripturam, ut plebs excludatur a Scripturæ ſtudio? „Nunc ſunt, qui ſummopere cavendum putant, ne quid vulgus attingat de literis ſacris, „in popularem verſis linguam, clamant, eos nihil intelligere, prolabi in hæreſin. Quaſi vero ea ſit „doctrina Chriſti, ut non niſi a paucis Theologis poſſit intelligi. Imo, ut ipſo Chriſto nihil fuit com„munius, ita doctrina illius nihil popularius. Legat arator, erit quo paſcatur: legat eruditiſſimus, „erit quod diſcat. Poſtremo non tam ingenio quam pietate percipiuntur. Spiritus eas docet, non „Ariſtoteles, gratia non ratio, afflatus non ſyllogiſmus. In quem potius ſolet deſcendere ſpiritus „Chriſti quam in humilem & manſvetum? Non in falſa ſcientiæ perſvaſione turgidum ac ferocem, „non in ſidentem ſophiſticis captiunculis, non in Ariſtotelicis ratiunculis inflatum. Chriſtus ipſe „gratias agit Patri, quod cœleſtis ſapientiæ myſterium abſconderit a ſapientibus & revelarit parvulis. „Habet, mihi crede, divinus ille Spiritus ſuum faſtidium, habet ſuas delicias. Nec adduci poſſum, „ut credam, eum dignari quenquam communione ſui, qui tot profanis diſciplinis, qui tot Ariſtote„licis ſyllogiſmis, qui tot gentilium philoſophorum decretis, imo qui harum rerum non cognitione, „ſed falſiſſima ſcientiæ perſvaſione fretus, irreverenter ac confidenter ad arcanarum literarum adyta „acceſſerit.

Rationes quoque reconditas iſtorum detegit, qui nolint Scripturam a populo legi, ſed ſolis putent ſervandam Theologis. „Vereor, ne iſti, qui velint populum nihil attingere, non tam periculo „commoveantur illorum, quam ſui reſpectu, videlicet, ut ab iſtis ſolis velut ab oraculis petantur o„mnia. Quid hac de re ſcriptum eſt? Hoc ſcriptum eſt. Quem habet ſenſum, quod ſcriptum eſt? „Sic intelige, ſic ſenti, ſic loquere. Atqui iſtuc eſt bubalum eſſe, non hominem.

Hæc una ratio, ne populus diſcat ſapere, ne deſinat obbrutescere. Alia, ne prodant, quam ſuæ res a Scripturæ ſcopo & tenore prorſus diſcrepent; „Fortaſſis movet & hoc nonnullos, quoni„am animadverterunt, divinam Scripturam parum quadrare ad vitam ſuam, malunt eam antiquari, „aut certe neſciri, ne quid hinc jaciatur in os. Et ad humanas traditiunculas populum avocant, quas „ipſi ad ſuam commoditatem probe commenti ſunt.

In *docendi* officium penes Epiſcopos: *Juxta Paulum, præcipuum atque peculiare munus Epiſcoporum eſt, docere plebem Chriſtianam, nec docere Platonem, aut Ariſtotelem, aut ſcholaſticas quæſtionum argutias, ſed Chriſti doctrinam, ſimpliciſſimi ſimpliciſſimam. Quo magis admirandum eſt, nonnullos hujus tempeſtatis epiſcopos, hanc pulcherrimam omnium functionem in quosdam rejicere, quos ipſi quoque deſpectui ac ludibrio habent, & contumeliæ cauſa fratres appellant. Nec hoc contenti, quod huic erat proximum, ſacramentorum adminiſtrationem conductitiis quibusdam, ac pene dixerim factitiis epiſcopis delegant, cauſarum cognitionem & pecuniarum rationes, rem omnium ſordidiſſimam, & vel infimis committendam, ſibi ſervant, perinde quaſi nihil aliud ſit magno epiſcopo dignum.*

Eccleſia & publica res, exſerto capite expectavit ab Eraſmo reformationis & ſalutis fundum,

Reſtitutionem Novi Teſtamenti Græci, rem omnium maximam, difficillimam & periculoſiſſimam, Hieronymo ſimul reſtaurando, in luculentum exemplum Fontium ſtudii, inter Chriſtianos poſthac inſtituendi.

QUando fama accepit Eraſmus, Hiſpaniæ Cardinalem, ignorantiæ, traditionis & ſuperſtitionis frena eo usque excuſſiſſe, ut vel ringente orbe *ederet veros codices ſacros*, a quibus vera res ſacra penderet: Non dubitavit & ſuam adhibere operam, ad quam divino fato ſe trahi ſentiret. Quamobrem, *de edendo apud Germanos Novo Teſtamento Græco, & verſione veteri emendanda*, conſilia iniit: Ut acciperet tandem respublica Chriſtiana genuinam doctrinæ ſuæ corpus a ſcholæ nugis immune. De adjiciendis *notis* conſultatum, ut quas olim in Novum Teſtamentum græcum conſignaſſet obſervationes, poſt Vallam, repeteret, ac inſtauraret. Sic *placuit numini ſupremo*, cuius voluntatem non refrenat improbitas, nec poteſtatem impedit ruditas, *eodem fere anno in Hiſpania & Germania, ad Codices ſacros genuinos pure edendos orbique ſubminiſtrandos, Ximenem excitare & Eraſmum.*

Eraſmus igitur anno 1514. rem omnem ad *magnum & præclariſſimum illud Novi Teſtamenti edendi opus* inſtruxit. Eraſmus Zaſio f. 582. „Apparatur mox excudendus Hieronymus cum anno„tamentis & ſcholiis noſtris. Adornatur Novum Teſtamentum, noſtris purgatum & illuſtratum ſcho„liis A. 1514. 9. Calend. Octobr. Frobeniana officina tam felix & beata, ut hoc incomparabile beneficium *in ſinu Germaniæ Baſileæ* compararet. Atque ita *Eraſmus, vir quinquaginta annorum, A. 1515.* rem hanc arduam eſt aggreſſus, quæ Chriſtianum orbem doceret clare, dilucide, candide, pure, conciſe, plene & luculenter.

Acceſſit eodem ſtatim anno alterum Eraſmi negotium, *Hieronymi opera ex MSctis codicibus reſuſcitandi*: Ut loco ſcholaſticarum næniarum haberent *inclyti quondam Eccleſiæ doctoris integriorem doctrinæ apparatum.* Placuit *Hieronymus* hac tempeſtate præ ceteris Patribus, quod is poſſet exemplo tueri præſens Eraſmi aut Eccleſiæ negotium, qui *lingvarum* fuerat *peritus*, *veterem latinam verſionem examinaverat*, *emendaverat*, *ad Fontium tenorem:* Qui & *notas in Fontes ſacros* adornaverat amplas: Qui & immunis adhuc & liber a ſpinis recentiorum ſcholaſticorum; qui Scripturæ illuſtrandæ operam navaſſet, & ad illius ſtudium invitaſſet. Quanquam vero nec omnia in Hieronymo probaret Eraſmus, præſtare tamen credidit, illum pro Thoma, Alberto, Scoto, manibus tradere, quam putidas recentiorum quæſtiones, & frivolas de rebus ſacris diſputationes, publicam Eccleſiæ calamitatem, diſſimulando ferre.

Atqui hæc *nova Eraſmi ova*, magnitudine orbi paria, anno 1515. ponenda, viſa ſunt barbaris omnium perniciosiſſima, quæ metuerent magis, quam fœtum ſerpentum. *Nova verſio* noviſſimum portentum, quod ſcholæ muro terribiliorem minaretur lapſum, quam *nova Joſuæ muſica* Hierichunti. *Ex Eraſmi Novo Teſtamento Græco, jam jam edendo, terror panicus per Academias & cathedras.* Prævisa damna & pericula lubricis traditionibus imminentia. Hic opus propugnaculis, robore, fortitudine, clamoribus, artibus & inſidiis, *ſi qua Eraſmus ab opere abſtrahi aut deterreri poſſet*, aut ſi pergeret, cum novo Novo Teſtamento maturrime ſupplantaretur. O vah! nova nova ova! Hæc frangenda, effundenda, & ſcholæ pulvere obruenda, ne fiant pulli, pulli.

Cum igitur ſacra illa moliretur Eraſmus A. 1515. illi citra moram, momento, eodem anno 1515. iu Eraſmum arma, tela, machinas, arietes, catapultas. *Ille annus omnium Eraſmi rerum & periculorum ſcopus & centrum:* Nil præclarius per omnem vitam editurus, nil utilius peracturus, ſed & nil moleſtius experturus. Ab hoc anno, hoc immortali opere, omnes ad arma in Eraſmum, in bonas literas, in lingvas, in verſionem, in puritatem, ſinceritatem, candorem oris & pectoris. Cum abunde præſentiret Eraſmus tempeſtates & turbines ex Schola Lombardi, per Academias & cœnobia, quibus nec Novum Teſtamentum cum nova verſione arriſurum, nec Hieronymus reformatus placiturus, ſe primum omnium munire adverſus hos impetus contendit, in exordio operum edendorum A. 1515. *Leone X. Pontifice conciliato.* Huic *epiſtolam* ſcripſit *A. 1515. 3. Cal. Mai.* Londino, prolixam, typis mox impreſſam. Hac Mediceam domum, unde Leo, in cœlum extulit, ex optimarum literarum cognitione profunda, acquiſita a *politiſſimo Politiano*, quo uſus præceptore Leo. *Cujus opera non ſpinoſis iſtis ac rixoſis literis, ſed veris illis, non ſine cauſa bonis appellatis, ac manſuetioribus ut vocant Muſis ſit initiatus, quæ ferum etiam ingenium mite placidum que ſoleant efficere.* Dein inter virtutes Leonis *manſvetudinem* ejus deprædicat, qui pacem in orbe Chriſtiano paraverit. Inſimul Chriſtianæ religionis integritatem ſe quadantenus adiuturum ſubindicat Eraſmus Hieronymo edendo, in cujus laudes mirifice cumulandas digreditur. *Perſpiciebam*, ait, *divum Hieronymum ſic apud latinos eſſe Theologorum Principem, ut hunc prope ſolum habeamus, Theologi dignum cognomine. Non quod ceteros damnem, ſed quod illuſtres alioqui, ſi cum hoc conferantur, ob hujus eminentiam velut obſcurentur; denique tot egregiis cumulatum dotibus, ut vix ullum habeat & ipſa docta Græcia, quem cum hoc viro queat componere. Quantum in illo Romanæ facundiæ? Quanta lingvarum peritia? Quanta omnis antiquitatis, omnium hiſtoriarum notitia?* Hunc fœde corruptum, reſtituendum pronunciat. Huc ſe impelli ait ab Archi-Epiſcopo Cantuarienſi, nec non a Johanne Petro Caraffa, Epiſcopo Theatino, apud Anglos Nuncio Apoſtolico. Optat, hac via & bonas literas adjuvari & ſinceram Chriſtianam pietatem. Præliminaris hæc Eraſmi ad Leonem epiſtola, pro munimento futura adverſus ſuſurros imperitorum in Scholis & clauſtris. Vid. lib. 2. ep. 1. fol. 87. ſeqq.

Primum certamen, inter Eraſmum quinquagenarium, Conſiliarium Auſtriacum, & Martinum Dorpium, Academiæ Lovanienſis Theologum, florentis ætatis, A. M. D. XV. interea dum novum Teſtam. imprimeretur: de bonis literis, lingvarum ſtudio, verſionis jure, emendatione, totaque Scholaſtica re,

Reformationis calcar.

ANtequam Eraſmus ad Novi Teſtamenti græci editionem ſe componeret, ante annum hunc 1515. nullum apertum & publicum Eraſmo bellum. Clandeſtina murmura, aëre leviora, Moriæ encomio molliſſimo diſpuncta. Aſt quamprimum *religioſiſſimum opus*, *puriſſimæ Chriſtianæ rei nitidiſſimum corpus*, *Eccleſiæ theſaurum*, *Novi Teſtamenti codicem græcum*, ex tenebris in lucem proferre anniſus, humanioris doctrinæ & lingvarum uſum orbi demonſtraturus, ut ſua Chriſtiani agnoſcerent bona: Omnes inſtar fermenti intumeſcere, turgere, & tantum non rumpi.

Prima omnium Lovanienſis Academia, apud Carolum Auſtriacum Eraſmi honorem ægre ferens, feralia corripuit arma in Eraſmum & illius ſtudia, ſi qua Novi Teſtamenti editionem, novam verſionem, novasque notas extorquerent. Subornarunt nimis prudentes, quibus præcipuus autor Johannes Alenſis, Theologus primarius, *Martinum Dorpium*, *Theologum Lovanienſis Academiæ Profeſſorem*, virum alioquin bonum, integrum, nec literarum prorſus rudem: Qui intelligerent omnium inter ſe politiorem ablegandum eſſe ad politiſſimum, temperantiorem præ ceteris ad modeſtiſſimum, ne *novum ſpectabile laudatæ ſtultitiæ darent exemplum.* *Aggreſſus* proinde candidiſſimus *Dorpius*, nonnihil a ceteris accenſus, quaſi cum ceteris omnibus offenſus, *Eraſmum* mitiſſimum, literis internunciis. Initium reprehenſionis fuit a *nupera Moria*, quæ, res Scholæ perſtringendo, nimiopere laceſſivis-

ceſſiviſſet Theologos. Digreſſus ad præſentia nova opera, quæ ſub Eraſmi manibus, proxime edenda, *Hieronymum edi*, ferre vel & laudare viſus. *A Novo* vero *græco Teſtamento edendo* eum deterrere ac dehortari maximopere anniſus, præcipue *a nova verſione & notis*, quæ omnia augurarentur nova, receptis adverſa, autoritati traditionum exitioſa, ſcholæ inimica.

A probo, ſed animato, ſed impulſo, ſed præter naturam & voluntatem armato, Dorpio Lovanienſi Theologo *provocatus Eraſmus, reſpondit Antverpiæ eodem ſtatim anno 1515. perquam humaniter*, ut decebat humanitatis profeſſorem, Chriſtianum Theologum, a morum barbarie alienum. Tria tetigerat momenta *Dorpius*, *Moriam*, *Hieronymum*, & *Novum Teſtamentum græcum*. Ad ſingula Eraſmus ſumma modeſtia, ne cauſam bonam male agendo perderet, qui humanitate vincere & ad veritatem invitare conſtituerat.

Moriam purgare contendit molliſſime, cujus fere ipſum pœniteat editæ. Cedere maluit in re non magna, ſeque ipſum culpare, quam inani contentione de re ludicra jactatam offenſam augere vel alere, modo præcipuum quæſtionis argumentum, bonarum literarum dignitatem, linguarum uſum, & verſionum jus tueretur.

Facilis in re parva, in rei capite fortiſſimus. *Non aliud ſpectavimus in Moria*, inquit, *quam quod in ceteris lucubrationibus, tametſi via diverſa. In Enchiridio ſimpliciter vitæ Chriſtianæ formam tradidimus. Nec aliud agitur in Moria ſub ſpecie luſus, quam actum eſt in Enchiridio. Admonere volumus, non mordere, prodeſſe, non ledere, conſulere moribus hominum, non officere.* Offenſam Theologorum emollit ſollicite: „Tu quidem, optime Dorpi, ita propemodum ſcribis, quaſi totum ordi„nem theologicum Moriæ libellus a nobis alienaſſet. Quid opus fuit, inquis, theologorum ordi„nem tam acriter laceſſere? meamque deploras fortunam. Olim, inquis, tuas lucubrationes magno „ſtudio legebant omnes, te præſertim videre geſtiebant, nunc Moria, veluti Davus, interturbat o„mnia. Scio, te nihil per calumniam ſcribere, nec ipſe tecum tergiverſatorem agam. Quæſo, la„ceſſitum theologorum ordinem putas, ſi quid dictum fuerit in ſtultos aut malos theologos, eosque „indignos nomine? Atqui ſi placet iſta lex, univerſum mortalium genus infenſum habeat, qui quid „dixerit in ſceleratos homines. Quis unquam fuit tam impudens rex, qui non fateatur, regum non„nullos eſſe malos, & hoc honore indignos? Quis Epiſcopus tam inſolens, quin idem de ſuo fate„atur ordine? An unus ordo Theologorum, in tanto numero nullum habet ſtupidum, nullum indo„ctum, nullum rixoſum, ſed tantum Paulos, Baſilios & Hieronymos nobis exhibet. Imo contra fit, „ut quo quæque profeſſio præclarior eſt, hoc pauciores habeat, qui reſpondeant.

Cauſam offenſæ in Theologis ſubnotat, odium adverſus bonas literas & lingvas, metum ſuarum rerum evertendarum. „Nec adduci poſſum, *ait*, ut credam, ullos Theologos irritatos hoc libel„lo, niſi forte pauculos aliquot, qui vel non intelligant, vel invideant, vel natura ſint adeo moroſa, „ut nihil omnino probent. Habet enim, id quod in confeſſo eſt, hoc hominum genus admixtos quos„dam, primum ingenio judicioque adeo infelici, ut ad nullas omnino literas ſint appoſiti, nedum the„ologicas. Deinde poſteaquam pauculas Alexandri Galli regulas edidicerint, adhæc paululum ineptis„ſimæ Sophiſtices attigerint, poſt ex Ariſtotele decem tenuerint propoſitiones, nec has intellectas, „poſtremo ex Scoto aut Occam totidem edidicerint quæſtiones; Quod ſupereſt ex Catholico, Mam„motrecto, & conſimilibus dictionariis, velut ex Copiæ cornu petituri, mirum quam criſtas efferant, „ut nihil eſt arrogantius imperitia. Iſti ſunt, qui contemnunt Hieronymum, ut grammatiſten, quia „non intelligunt. Iſti græcas, hebraicas, imo & latinas rident literas. Et cum ſint quovis ſue ſtu„pidiores, ac ne ſenſu quidem communi præditi, putant, ſe totius arcem tenere ſapientiæ. Cenſent „omnes, damnant, pronunciant, nihil addubitant, nusquam hærent, nihil neſciunt. Et tamen iſti „duo vel tres magnas ſæpenumero movent tragœdias. Quid enim eſt inſcitia vel impudentius, vel „pertinacius? Hi magno ſtudio conſpirant in bonas literas, ambiunt in ſenatu Theologorum aliquid „eſſe, & verentur, ne ſi renaſcantur bonæ literæ, & ſi reſipiſcat mundus, videantur „nihil ſciſſe, qui antehac vulgo nihil neſcire videbantur. Horum ſunt illi clamores, horum „illi tumultus, horum conjuratio in viros melioribus addictos literis. His non placet Moria, quia „non intelligunt neque græce neque latine. In hujusmodi non theologos, ſed theologiæ hiſtriones, ſi „quid forte dictum ſit acerbius, quid hoc ad magnificentiſſimum bonorum Theologorum ordi„nem?

In ocioſas Scholaſticorum quæſtiunculas ſe in Moria luſiſſe pronunciat. „Ut ſolis reſpon„deam Theologis, quos ſolos audio offendi, quis neſcit, quam multa vulgo quoque dicantur in mores „malorum theologorum? Moria nihil attingit iſtiusmodi, tantum jocatur in ocioſas illorum quæſti„unculas. Nec has ipſas tamen ſimpliciter improbat, verum eos damnat, qui in his ſolis theologi„cæ rei puppim (ut ajunt) & proram collocant, quique logomachiis, ut divus appellavit Paulus, ejus„modi ſic occupantur, ut nec evangelicas, noc propheticas, nec apoſtolicas literas vacet legere. At„que utinam, mi Dorpi, pauciores eſſent huic obnoxii crimini. Poſſem tibi producere, qui annum „egreſſi octageſimum, tantum ætatis in hujusmodi tricis perdiderint, nec unquam contextum evange„licum evolverint. Id quod a me compertum ipſi quoque demum confeſſi ſunt. Ne ſub Moriæ „quidem perſona ſum auſus dicere, quod tamen non raro multos audio deplorantes, Theologos & „ipſos, ſed vere Theologos, hoc eſt viros integros, graves, eruditos, & qui Chriſti doctrinam penitus „ex ipſis imbiberint fontibus. Ii quoties apud eos ſunt, apud quos fas liberas animi voces deprome„re, deplorant hoc recentius theologiæ genus mundo invectum, & vetus illud deſiderant.

Fœdam recentioris illius theologiæ, Scholaſticæ dictæ, faciem & corruptam indolem, quæ pro primitiva Chriſtiana, pro veteri illa limpida & ſincera irrepſiſſet, Dorpio ob oculos ponit diſtinctius, ut ipſum illius pœniteat & pudeat. „Quid veteri illo Theologiæ genere ſanctius, quid auguſtius, quid

„æque reſipiens ac referens illa cœleſtia Chriſti dogmata? At hoc, Scholaſticæ theologiæ genus, ut „omittam barbari factitiique ſermonis ſordes & portenta, ut omittam omnium bonarum literarum in„ſcitiam, ut imperitiam linguarum, ſic Ariſtotele, ſic humanis inventiunculis, ſic prophanis etiam le„gibus eſt contaminatum, ut haud ſciam, an purum illum ac ſincerum Chriſtum ubique ſapiat. Fit „autem, dum ad humanas traditiones nimium avertit oculos, minus aſſequatur archetypum.

Damna ex illis Scholæ ineptiis in Eccleſiam redundantia ſubmonſtrat Dorpiò, ut confiteatur, vir ingenuus, & abominetur. „Hinc ſæpenumero coguntur Theologi cordatiores aliud apud popu„lum dicere, quam vel apud ſe ſentiant, vel apud familiares loquantur, & aliquoties non habeant „quod reſpondeant conſultoribus, cum perſpiciunt, aliud docuiſſe Chriſtum, aliud humanis traditiun„culis imperari. Quæſo quid commercii Chriſto & Ariſtoteli? Quid ſophiſticis captiunculis cum „æternæ ſapientiæ myſteriis? Quorſum tot quæſtionum labyrinthi? inter quas quam multæ ſunt o„cioſæ, quam multæ peſtilentes? vel hoc ipſo quod contentiones & diſſidia pariunt.

Deplorat amare perniciem ex illa methodo Scholæ. „Si quid ſtatuendum eſt, id velim re„verenter, non arroganter, & ex divinis literis, non ex commentitiis hominum ratiunculis ſtatui. „Nunc neque quæſtiuncularum ullus eſt finis, in quibus ipſis tamen quanta familiarum & factionum „diſſenſio? Et quotidie decretum ex decreto naſcitur. Breviter, eo reducta res eſt, ut negotii ſum„ma non tam ex Chriſti præſcripto, quam ex Scholaſticorum definitionibus, & epiſcoporum qualium„cunque poteſtate dependeat. Quibus rebus ſic involuta ſunt omnia, ut ne ſpes quidem ſit mundum „ad verum illum Chriſtianismum revocandi. Hæc aliaque permulta perſpiciunt ac deplorant ſan„ctiſſimi, iidemque doctiſſimi viri, quorum omnium præcipuam cauſam in audax hoc & irreverens re„centium theologorum genus rejiciunt.

Deinceps hortatur Dorpium theologum amiciſſime, qui græca diſcat, ut ſacra capiat rectius: „Quanto præſtiterat, dum hæc agunt, dum viciſſim & lacerant & lacerantur, ſimul & ſuum perdentes „otium & alienum, græcas aut hebraicas, aut certe latinas literas diſcere: Quarum cognitio tantum „adfert momenti ad divinarum ſcientiam literarum, ut mihi ſane videatur vehementer impudens, ca„rum rudem theologi nomen ſibi vindicare. Proinde, Martine optime, pro mea in te benevolentia, „non te deſinam adhortari, quod antehac ſæpius feci, ut ſtudiis tuis ſaltem græcarum literarum cogni„tionem adiungas. Rara quædam eſt ingenii tui felicitas. Stilus ſolidus & nervoſus, ac fluens & „exuberans, animum arguit non ſanum modo, verum etiam fœcundum. Suppetit ætas non tan„tum integra, ſed virens adhuc & florida: & vulgatum iſtum ſtudiorum curſum jam feliciter abſol„viſti. Crede mihi, ſi iſtis tam præclaris initiis græcanicæ literaturæ colophonem addideris, auſim „tum mihi, tum aliis omnibus magnum quiddam de te polliceri, & quod antehac nemo recentium „theologorum præſtiterit. Quod ſi, ut nunc habet humanarum rerum ſtatus, veram theologicæ rei cogniti„onem tibi promittis absque lingvarum peritia, præſertim ejus, in qua pleræque ſunt traditæ divinæ lite„ræ, „tota nimirum erras via. Poſſem tibi permultos enumerare nominatim, qui cani jam cœperint in his li„teris repueraſcere, quod tandem animadvertiſſent, ſine his mancum & cœcum eſſe literarum ſtudium.

Ad alterum de *Hieronymo edendo* progreſſus argumentum Eraſmus, ante omnia odia præfagit hujus editioni, ab illis theologis, qui linguas oderint vel ignorent, quas coluerit Hieronymus. *Quos tantopere offendit Moria, nec Hieronymi probabunt editionem; nec iſti multo ſunt æquiores Baſilio, Chryſoſtomo, Nazianzeno, quam nobis, niſi quod in nos licentius debacchantur, quanquam aliquoties irritatiores, nec illis indigna luminibus verentur effutire: Bonas literas metuunt, & ſuæ timent tyrannidi*

Terriculamentum primum, in editione Hieronymi ab Eraſmo inchoata, perlepidum, quando in typographiam aduolarunt ex illo hominum genere, qui monerent, ne quid hebræi aut græci in Hieronymo ferrent, eſſe illa ſuſpecta & periculi plena. *Ut intelligas, me non temere hoc divinare: Cum opus eſſet inſtitutum, & fama jam percrebuiſſet, accurrere quidem graves, ut habentur, viri, & inſignes, at ſibi videntur Theologi, per omnia ſacra typographum obteſtantes, ne quid græcitatis aut hebraiſmi pateretur admiſceri, ingens in eis literis eſſe periculum, nec quicquam eſſe fructus, ad ſolam curioſitatem eſſe paratas.*

Quid medelæ pro his capitibus ex Eraſmo? *Queſo, mi Dorpi, quid iſtis facias Theologis, aut quid preceris? niſi forte fidelem medicum, qui cerebro medeatur. Et tamen hujus farinæ ſunt aliquoties, qui in Theologorum conſeſſu fortiſſime vociferantur, hi de Chriſtianismo pronunciant. Timent & horrent ceu rem periculoſam ac peſtilentem, quam Origenes etiam ſenex magnis ſudoribus ſibi paravit, quo vere Theologus eſſet. At Auguſtinus, jam Epiſcopus, jam ſenex, in confeſſionum libris deplorat, quod juvenis ab eis literis abhorruiſſet, quæ ſibi in exponendis ſacris literis magno uſui eſſe potuiſſent. Si periculum eſt, non metuam hoc diſcriminis, quod viri tam ſapientes aſſeclarunt. Si curioſitas, nolim eſſe ſanctior Hieronymo, de quo quam bene mereantur iſti, qui quod ille fecit, curioſitatem vocant, viderint ipſi.*

His linguarum contemptoribus Theologis exprobrat poſtremo Eraſmus decretum Concilii Vienenſis, de lingvis docendis: *Extat pervetuſtum pontificii ſenatus decretum, de conſtituendis doctoribus, qui lingvas aliquot publice traderent. Cum de Sophiſtica, de Ariſtotelis Philoſophia perdiſcenda nusquam unquam quicquam ſit cautum: Niſi quod iſta in decretis vocantur in dubium, utrum fas ſit ea diſcere nec ne; atque horum ſtudium a multis ac magnis autoribus improbatur. Cur quod Pontificum autoritas juſſit negligimus? De quo dubitatum eſt, imo quod improbatum, id ſolum amplectimur: Quanquam idem iſtis evenit in Ariſtotele, quod in divinis literis. Adeſt ubique Nemeſis illa contemptæ ſermonis ultrix: Paſſim & hic hallucinantur, ſomniant, cœcutiunt, impingunt, meraque portenta proferunt. His egregiis Theologis debemus, quod ex tam multis ſcriptoribus, quos in catalogo recenſet Hieronymus, tam pauci ſuperſint, quia ſcribebant, quod Magiſtri noſtri non intelligerent. His debemus,*

quod

quod divum Hieronymum ſic habemus depravatum ac mutilum, ut aliis plus prope negotii ſit in reſtituendo, quam ipſi fuerit in ſcribendo.

In tertio reſponſionis campo *jus* vindicat *verſiones ad Fontes ſacros examinandi, corrigendi atque emendandi*, quod negarat Dorpius, qui mallet *vulgatam* linqui intactam, religione quapiam, quaſi nihil haberet vitii, quæ & longo & tenaci conſenſu eſſet confirmata. Quæ *vana argumenta pro vulgatæ autoritate* curate refellit. *Nolis quicquam a me mutari, niſi, ſi quid forte ſit apud græcos ſignificantius, & negas, in hac qua vulgo utimur editione, quicquam eſſe vitii; Nefas eſſe putas, rem tot ſeculorum conſenſu, tot ſynodis approbatam, ullo pacto convellere. Obſecrote, ſi vera ſcribis, eruditiſſime Dorpi, cur frequenter aliter citat Hieronymus, aliter Auguſtinus, aliter Ambroſius, quam nos legimus? Cur Hieronymus multa reprehendit, & corrigit nominatim, quæ tamen in hac habentur editione? &c.*

Nec præterit Eraſmus fallaciam & fraudem novi argumenti, quaſi mutatio & emendatio verſionis, puta vulgatæ, ſit mutatio ſacræ Scripturæ: Cum eo rediſſet fraus vel & malitia publica, ut verſionem illam corruptiſſimam, quæ infinita pepererat errorum ſemina in Eccleſia, venditarent pro Scriptura: Vt verſionem ad fontes hebræos vel Græcos emendare, eſſet corrigere Scripturam. Quod turpe faſcinum, in veritatis divinæ detrimentum, in ſacrorum fontium contemptum, in rudis traditionis & futilis ſuperſtitionis fucum, removet Eraſmus, ut erubeſcere diſceret Dorpius. *Neque vero quiquam aſſeverat, in divinis literis ullum eſſe mendacium, quandoquidem & hoc adductum eſt abs te neque totum hoc, de quo cum Hieronymo digladiatur Auguſtinus, quicquam ad rem pertinet. At illud res ipſa clamat, & vel cæco, quod ajunt, poteſt eſſe perſpicuum, ſæpe vel ob imperitiam interpretis, vel ob oſcitantiam, græca male reddita eſſe, ſæpe germanam ac veram lectionem a librariis indoctis fuiſſe depravatam.*

Intolerabilius, ſed & ineptius aliud Scholæ argumentum, pro latina verſione vulgata non emendanda ad græcos fontes, *quod græca pertineant ad græcos, qui ab Eccleſia Romana ſeceſſiſſent*: Nefas itaque, græcum textum, ab exteris, a Romana Eccleſia alienis, uſurpatum, accipere pro fidei regula, ad quam latina verſio ſit examinanda & mutanda. Quam coacti & aniles prætextus, contra fontium autoritatem. *Scribis, eo ſeculo* (Hieronymi) *græcorum codices emendatiores fuiſſe latinis*, nunc *contra eſſe: Nec fidendum illorum libris, qui deſciverint ab Eccleſia Romana.* Excipit Eraſmus, inter alia: *Tota Judæorum gens a Chriſto deſcivit: Prophetæ, illorum ſermone ſcripti?* Græcos autem codices neutiquam a græcis eſſe corruptos, fuſe proſequitur Eraſmus.

Ad venditatam vulgatæ dignitatem, *ex autoritate Eccleſiaſtica*, Eraſmus: *Quod ſcribis, ab hac editione non eſſe recedendum, tot videlicet conciliis approbata: more vulgarium Theologorum facis, qui quicquid ullo modo in publicum uſum irrepſit, Eccleſiaſticæ tribuere ſolent autoritati. At mihi vel unam proſer ſynodum, in qua ſit hæc editio comprobata. Nam qui comprobavit, quæ cujuſſit, nemo novit. Nam Hieronymi non eſſe, vel ipſæ teſtantur Hieronymi præfationes. Sed eſto, comprobarit Synodus aliqua, num ita comprobavit, ut nihil omnino liceat ex græcorum fontibus emendare? Num mendas etiam omnes comprobavit, quæ variis modis potuerunt irrepere? Num hujusmodi verbis conceptum fuit decretum a patribus? Hæc editio cujus ſit autoris neſcimus, ſed tamen eam approbamus. Nec obſtare volumus, ſi quid ſecus habent græci codices, quantumuis emendati: Si quid ſecus legit Chryſoſtomus, aut Baſilius, aut Athanaſius, aut Hieronymus, etiamſi illud magis quadraverit ad ſenſum evangelicum: Et tamen hos autores in ceteris magnopere comprobamus. Quin etiam, quicquid impoſterum, quocunque modo, vel a ſemidoctis & audaculis, vel ab imperitis, ebriis, oſcitantibus librariis fuerit vitiatum, depravatum, additum, omiſſum, eadem probamus autoritate, neque cuiquam volumus licere, mutare ſcripturam ſemel inductam. Ridiculum decretum, inquis. At hujusmodi neceſſe eſt fuiſſe, ſi nos autoritate Synodi deterres ab hac induſtria.*

Juvabit omnino votum audiviſſe Eraſmi pro reſtituendis ſuprema etiam autoritate integris vetuſtis autoribus: *Utinam, mi Dorpi, tantum eſſet otii Romanis Pontificibus, ut hiſce de rebus ſalutares ederent conſtitutiones, quibus caveretur, de reſtituendis bonorum autorum monumentis, de parandis & reponendis emendatis exemplaribus.*

Sed *per quos* demum illa bonorum autorum reſtitutio efficienda? quorum opera, Eraſmo judice? *In eo conſilio ſedere nolim iſtos falſiſſimo nomine theologos, qui huc tantum ſpectant, ut quod ipſi didicerunt, id ſolum habeatur in pretio. Quid autem iſti didicerunt, quod non ſit ineptiſſimum, & idem confuſiſſimum? Quibus ſi contingat tyrannis, futurum eſt, ut antiquatis optimis autoribus, inſulſiſſimas iſtorum nanias pro oraculis habere cogatur mundus, quæ usque adeo nihil habent bonæ eruditionis, ut ego ſane malim, vel mediocris eſſe cerdo, quam iſtius generis optimus, ſi nihil melioris acceſſerit doctrinæ. Iſti ſunt, qui nolint quicquam reſtitui, ne quid ignoraſſe videantur.*

Undenam apud illos metus periculi, ſi verſiones ad fontes hebræos & græcos exigantur atque emendentur? *Hi nobis fictam Synodorum autoritatem objiciunt: Hi magnum fidei Chriſtianæ diſcrimen exaggerant: Hi periculum Eccleſiæ, quam iſti ſcilicet humeris ſuppoſitis fulciunt, rectius plauſtrum fulturi, & hujusmodi fumos ſpargunt apud vulgus indoctum ac ſuperſtitioſum; apud quos cum pro Theologis habeantur, nolint ullam opinionis ſuæ jacturam facere. Verentur, ne, cum perperam divinas citant literas, id quod ſæpenumero faciunt, græcæ aut hebraicæ veritatis autoritas in os faciatur, & mox appareat eſſe ſomnium, quod velut oraculum adducebatur.*

Poſtremo ſcopum denunciat editionis Novi Teſt. græci, quæ tunc ſub prælo, ut norit Dorpius, quid expectet: *Nos univerſum Teſtamentum Novum ad græcorum exemplaria vertimus, additis e regione græcis, quo cuivis promtum ſit conferre. Adiecimus ſeparatim annotationes, in quibus partim argumen-*

gumentis, partim autoritate veterum Theologorum docemus, non temere mutatum, quod emendavimus, ne vel fide careat noſtra correctio, vel facile depravari poſſit, quod emendatum eſt.

Sufficiant paucæ hæ lineæ ex integro *Erasmi libro apologetico ad Dorpium*; qui meretur integre legi ab illis, qui curatam iſtorum temporum, certaminum, doctrinarum & moliminum notitiam quærunt. Sine hiſce monumentis, probe attenteque lectis, *literaria reformationis hiſtoria* mutila & manca. Hi ante Lutherum motus graviſſimi de rebus maximis. Quod Eraſmus in his ſubmonuit, urſit ac propugnavit, poſtea in Luthero exacte in ſcenam rediit. Animi omnium Academiarum jam in æſtu: His in Eraſmi ſententiam concedentibus, illis præ dolore frendentibus: *Scholaſtica res per Erasmum convulſa & tantum non protrita.* Bonæ literæ, linguæ, fontium ſtudia, purior Theologia, per Eraſmum in omnium auribus, quæ illis tinnirent, his applaudentibus, illis refragantibus. De his rebus arduis, inexpectatis, mutationem portendentibus, ſermones, publici & privati, in collegiis, congreſſibus, conviviis, conſultationibus, per Germaniam & vicina regna. Omnes arrecti in ſpem metumque.

In lucem mox eodem anno prodiit Apologetica hæc ad Dorpium epiſtola, cum aliis Eraſmi epiſtolis pro ſua Hieromyni editione, ad Leonem X. P. ad Cardinalem Grimanum, ad Raphaelem Cardinalem, circa initium Anni 1515. ſcriptis.

Edidit quoque ipſe *Dorpius* tum *ſuam ad Eraſmum epiſtolam*, contra novas Eraſmi in bonis literis molitiones, tum *Eraſmi apologiam*, pro melioribus literis & lingvis, contra Scholæ negligentiam: Quod hoc ipſo *anno 1515. Eraſmo* ſignificavit *Thomas Morus*, *Epiſt. l. 2. ep. 16 f. 120.* Conſervata Eraſmi Apologia *Tomo IX. operum f. 3. ſeqq.* inſerta quoque volumini Epiſtolarum Eraſmi, *lib. 31. n. 42. f. 2003. usque ad 2021.* Legat, cui volupe eſt admirari Eraſmum & fortunatis illis gratulari temporibus.

Continuata memorabilis hæc controverſia de optimis literis, Verſionum jure, & Scholaſtica in ſacris docendi methodo, eodem anno 1515. inter Martinum Dorpium & Thomam Morum, Henrici VIII. Regis Angliæ in Flandriam tunc Legatum, qui annorum 33.

Reformationis argumentum.

TUitus erat Eraſmus cauſam publicæ rei litterariæ, coram Dorpio perhumaniter, coram orbe literato graviter & maſcule: Quod *Dorpius* eſſet amicus, cauſa vero communis. Neque Dorpius ſecundo reſpondiſſet, niſi calcaria addidiſſent Lovanienſes, Egmondanus cum aliis. *Reperit* itaque *altera vice ſuorum querelas de rebus per Eraſmum novis, de literis & lingvis, de Novi Teſtamenti verſione, & Scholæ doctrina.* Neque omnino hæc iterum Dorpius ex animi ſui ſententia, ſed ex communi placito, cujus eſſe cogeretur interpres. Et hic adeo vel acerbior ſtylus Dorpii aliorum tinctus affectu & ſangvine.

De primo hoc cum Martino Dorpio, amico, certamine, amicitia haud læſa, ipſe commemoravit Eraſmus in Catalogo Lucubrationum ſuarum: „Equidem gloriari conſveveram, quod cum „tam multa joco ſerioque ſcripſiſſem, nullum adhuc mortalium meo ſtylo nominatim laceſſiſſem. „Sed hanc gloriam invidit mihi neſcio quis malus genius. Quanquam hactenus defendi laudem „innoxii ſtyli, quod in neminem ſtrinxi ferrum, niſi provocatus odioſe, neque cuiquam reſpondi, niſi „modeſtia vicerim adverſarium, inferior virulentia. Nam arbitror hoc ita liquere e ſcriptis meis, ut „mihi tantum laudis liceat citra jactantiæ notam arrogare. Primum illud erat in votis, ut nec impetitus a quoquam, nec impetens quenquam, incruento calamo luderem perpetuo. Sed hic bis infelix fui. Primum quod a multis ſum odioſiſſime liberis editis impetitus, atque etiam ab his, de „quibus nihil unquam fueram male meritus, deinde ab his quos mihi nec pulchrum erat vincere, nec „certaſſe cum talibus magnificum, ac ne frugiferum quidem. Itaque quoties huc neceſſitatis adactus „ſum, λαχωνίζω, rem quam poſſum verbis pauciſſimis perſtringens. Nec ulli mortalium hujusmodi „lucubrationum mearum quicquam dicavi; ſive quod eas victuras eſſe nec ſperem nec optem, ſive „quod nollem quenquam invidia degravare; quod ego per omnem vitam pro viribus cavi, ne quid „ex me moleſtiæ rediret ad amicos. Martinus Dorpius inſtigantibus quibusdam primus omnium „cœpit in me velitari. Cui reſpondimus ut amico amice, unica epiſtola patrocinantes Moriæ & „Novo Teſtamento. Nec ob hanc velitationem diſciſſa eſt noſtra neceſſitudo: Quod ſcirem, illum „non odio mei huc veniſſe, ſed juvenem tum ac natura facilem, aliorum impulſu protrudi.

Quamobrem non Eraſmus denuo reſpondit, qui jam ſatis abundeque dixerat, qui una potuiſſet voce reſpondere *Dixi:* Sed illuſtrior acceſſit arbiter *Thomas Morus*, eminentis apud Anglos doctrinæ, honoris & autoritatis. Et hic Dorpio æque ac Eraſmo bene cupiens, ex communi virtute, Dorpium placaturus, convicturus, & in meliorem ſententiam pellecturus, reſpondendi negotium in ſe ſuſcepit, *Epiſtola* quidem *ad Dorpium*, ſed libri magnitudine. Mira orationis gratia, affectus benignitas dulciſſima, quæ omnem Dorpii acerbitatem, ſi quæ ex illius pectore profluxiſſet, qui aliorum egiſſet perſonam, emolliret aut obtegeret: Non cum adverſario diſſerens, ſed amico conjunctiſſimo. Quæ nihilominus dictionis & affectus ſvavitas penetrantibus ubique argumentis mixta, ut nullibi non pectus compungeret, animum vehementer invaderet, convinceret, & ad tectam confeſſionem velut rationum magna vi adigeret. Dignus profecto libellus, qui legatur attentiſſime, tam elegans & tam blandus Morus, ſed & tam gravis & acutus. Perpaucæ exinde hic promendæ ſtricturæ, inſtar radiorum teſtabuntur de luce.

Indul-

Indulgentia Mori dissimulat multa ponderosa, & cujusvis linquit arbitrio, modo obtineat præcipuum, Dorpium mutatum & confitentem: „Quod Moriam insectaris, quod in Poetas inve„heris, Grammaticos omnes subsannas, annotationes in Scripturam parum probas, græcarum literarum „peritiam non admodum ad rem pertinere censes; Hæc, inquam, omnia non magni facio, ut in qui„bus citra cujusquam offensam liberum cuivis est, sentire quod velit.

Grammatici nota temserat Erasmum Dorpius: Vindicat Morus. Inter alia: „Erasmus certe „neque illis ex grammaticis est, qui tantum voculas didicerunt, neque ex eis Theologis, quibus præ„ter perplexum quæstiuncularum labyrinthum, nihil omnino cognitum est, sed ex illorum grammati„corum genere, quo Varro atque Aristarchus; ex illo Theologorum, quo ipse tu, mi Dorpi, hoc est „ex optimo; ut qui nec illas quæstiunculas ignoret, & quod tu quoque abunde fecisti, longe utiliorem „bonarum literarum, id est, sacrarum maxime, tum ceterarum quoque, peritiam adjunxerit.

Sobriæ Philosophiæ purgatæque Dialecticæ usum commendaverat Morus: Addit, pro sobrietate veteri nuper temulentos scholasticos infudisse sordes. „At nunc, ait, absurda quædam portenta, ad certam „bonarum artium nata perniciem, & luculenter ab antiquis distincta, commiscuerunt, & ad veterum puris„simas traditiones suis adiectis sordibus infecerunt omnia. Nam in grammatica, (ut omittam Alexandrum, „atque id genus alios, qui, quanquam imperite, tamen grammaticam utcunque docuerant) Albertus qui„dam, grammaticam se traditurum professus, Logicam nobis quandam aut Metaphysicam, imo neutram, „sed mera somnia, mera deliria, grammaticæ loco substituit; Et tamen hæ nugacissimæ nugæ in publicas „Academias non tantum receptæ sunt, sed etiam plerisque tam impense placuerunt, ut is propemodum so„lus aliquid in grammatica valere censeatur, quisquis fuerit Albertistæ nomen assecutus. Tantum auto„ritatis habet, ad pervertenda bonorum quoque ingeniorum judicia, semel ab ineptis tradita magistris, de„inde tempore corroborata persuasio. Quo fit, ut minus mirer, ad eundem modum in Dialecticæ locum „nugas plus quam Sophisticas irrepsisse, quæ cultoribus suis argutiarum nomine tam vehementer arrident, „ut mihi nuper his de rebus obiter loquenti, *quidam dialecticus, ut ferebatur, doctissimus, asseruerit*, Aristote„lem, (*referam ipsius verba, neque enim aliter possum tam nitidum eloquentiæ florem assequi*) nisi grosso modo scripsisse: Et nunc sunt, (*inquit*) in parvis logicalibus suis tam mirabiliter fundati, quod bene: Credo certe, quod si Aristoteles e sepulchro suo resurrexeret & argueret cum eis, illi bene concluderent, cum non solum in Sophistica, sed etiam in Logica sua.

Fuse dehinc, & admodum salse, perstrinxerat Morus rusticas illius ævi in Dialecticis subtilitates, quando deplorare incipit illarum apud theologos pretium: „Hoc hebetissimum acumen est, & stultissima „solertia, se disputando pronunciare victores, & triumphum sibi decernere, quia nos nescimus, in quem „sensum ipsi clanculum pacti sunt, sermones nostros contra communem omnium sensum accipere. At „hæc cum non nisi sophistica dici mereantur, tamen non pro sophisticis nugis ducuntur, sed inter abstrusissi„mos dialecticæ thesauros numerantur, nec a pueris tanquam dediscenda discuntur, sed a senibus quoque in „ipsa quoque theologiæ penetralia suscipiuntur. His quidam theologicas perplexitates infarciunt, ex his „propositiones tam ridiculas effingunt, ut ridendi materia nusquam oriri possit uberior.

Purgarat Dorpius theologos hac ratione, quod & Scripturæ verba memoriter recitare queant: Morus respondet, esse etiam in illis, qui Scripturam & Patres tantum non ignorent. „Tu quoque, si vera vis „fateri, non inficias ibis, ex theologorum, qui vocantur, numero, esse rursus aliquos, qui Scripturæ libros „ita rejiciant, ut rejectos nunquam resumant: qui ita sese totos theologiæ huic disputatrici devoveant, ut „non solum non poëtentur, neque rhetorissent, verum etiam sanctissimos Patres, antiquissimos quosque „Scripturarum interpretes, propemodum flocci faciant, (certe quod satis constat,) eorum in sacras literas „enarrationes negligant, unaque ipsum sacrarum literarum studium, postremo, quæcunque sunt optima, „piissima, maxime christiana, verisque theologis dignissima, ea inquam omnia, quod sint, ut ipsi vocant, „positiva, contemnant; neque eorum quidquam dignum putent, ubi ipsi nervos intendant suos; homines „ad quæstiunculas nati, res tanto videlicet intervallo maiores; ex quibus ipsi tamen maxime quæstiones „consectantur eiusmodi, quæ vel ad fidei pietatem, vel ad morum cultum minime omnium pertineant.

Dici non potest, quanta venustate porro per exempla doceat ineptissima illorum de verbis Scripturæ judicia; Sed & qua vi convellat illorum jactantiam, Scripturam esse facilem intellectu, sensum literalem ubique esse apertum, sed scholasticas quæstiunculas esse difficiles, graves, ingenio dignas, Scripturæ studio longe præferendas. Præstantiam nugarum ex difficultate indulget lubens, sed facilitatem Scripturæ præfert ex usu & fructu majore. „Sed esto, Dorpi, sit Scriptura facilis, difficiles quæstiunculæ: Nihil impe„dit tamen, quin illius cognitio harum possit esse disciplina fructuosior. Quanquam enim saltare atque „in gyrum se colligere, quod saltatriculi quidam circulatores faciunt, difficilius est, quam ambulare, & den„tibus panem facilius est quam testacea fragmenta conterere: Neminem tamen esse puto, qui rectos illos „vulgaresque naturæ usus velit hujuscemodi inanibus ostentis permutare. Quamobrem, utra res sit dif„cilior, non admodum magnifacio. At, quod utiliores etiam sacrarum literarum cognitione quæstiuncu„las istas esse vis gregi, pro quo mortuus est Christus, ferre profecto non possum. Quas si cognoscendas „assereres, haud refragarer, si veterum lucubrationibus exæquares, non tolerarem. Nunc vero, cum an„cillas istas coquinarias ipsi Bibliæ sacrosanctæ, literarum omnium reginæ, non confers modo, sed præfers „etiam, (dabis mihi, mi Dorpi, veniam) continere me hercle non possum, quin illo Terentiano procul eas „omnes ablegem: Abite hinc in malam rem, cum isthac magnificentia, fugitive. Neque profecto satis ad„mirari queo, cum ea verba lego, quibus eas ita magnifice attollis, tanquam, uti apud poëtas in Atlantis hu„meros cœlum, ita in perplexas hujusmodi quæstiunculas, hoc est, arundinem, universa prorsus inclinata „incumbat Ecclesia; alioqui videlicet periclitatura, ne tota semel collaberetur in cineres.

Prætexuerat Dorpius scholasticæ rei necessitatem pro rebus Ecclesiæ definiendis, per exempla

eundo, dicens: *Alioqui qui sciemus, quomodo sint sacramenta administranda, quanam sint eorum forme, quando absolvendus peccator, quando rejiciendus, quid præceptum sit restitui, quid servari possit?* Hanc nihili probationem repudiat Morus, vanitatem recularum demonstrans. *Itane putas, Dorpi, ista, quæ tu nusquam alibi, quam apud neotericos Quæstionistas inveniri vis, antiquos omnes, scientissimos patres, nec minus etiam doctos, ignorasse omnia? Hieronymus, Ambrosius, Augustinus ad sacramentorum formas & materias cœcutiebant? Ergo tota Ecclesia plus quam mille annos, (nam plus quam mille anni a passione Christi numerantur ad Petri Lombardi tempora, è cujus sententiis, velut ex equo Trojano, universum istud quæstionum agmen erupit) tot annos ergo, imo tot secula, universa Christi Ecclesia, aut sacramentis caruit, aut ista non habuit? Quando recipiendus peccator, quando rejiciendus, tamdiu fuit incognitum? & item, quid præceptum esset restitui, nesciebant? Nam quid servari posset, concesserim, apud veteres non fuisse tam acute quam apud istos disputatum. Sed, ut Zacchæus veritus non male parta parce redderet, quadruplum sese redditurum professus est: ita veteees illi patres, ut vel plus satis quisque restitueret, hortabantur. Non erant illi, fateor hac in re, quam isti sunt, tam in definiendo ac distinguendo curiosi. Sed ego tamen illorum, ut Terentius ait, æmulari malo negligentiam potius, quam istorum obscuram diligentiam, apud quos anxie res disputatur, & quæritur, non tam quid restitui debeat, quam quid servari possit, non quam procul a peccato fit abscedendum, sed quam prope ad peccatum sine peccato liceat accedere.*

Locorum theologicorum compendia grata Dorpio, in quibus omnia, quæ ad Christianismum per classes scite distributa. Usum concedit, abusum damnat Morus, Christianæ veræ rei perniciosum. *In hac re, Dorpi, fortasse accedo tibi, fateorque, nonnihil esse commodi, velut in domestica supellectile, sic in re literaria quoque ita seorsum habere singula quaque distincta, ut, ad quodcunque velis, illico manum possis absque errore porrigere. Et istud quidem, ut dixi, commodum. Verum hoc tanto commodo quidam tam abutuntur incommode, ut propemodum præstitisse videatur, hoc ipso etiam commodo caruisse. Neque enim aliud quid quam magis in causa fuisse puto, quare vetustissimus quisque sacrarum literarum interpres à tam multis tam diu neglectus habeatur, quam quod infelicium ingeniorum corrupta judicia, primum sibi, dein aliis quoque persuasere, nihil usquam esse mellis, quod non in illos summularum alveos congestum sit, ideoque fit, ut illis contenti solis, cetera omnia per incuriam contemnant. Dein: Quidam, qui in scholis inter primos leguntur, & sunt non minus, quam habentur, acuti, ut omittam interim, quod quasdam quæstiones de Deo tam ridiculas excogitarunt, ut putes ridere: propositiones tam blasphemas, ut censeas irridere: certe contra fidem tam gnaviter objiciunt, tam segniter objecta dissolvunt, ut prævaricatores agere, & fidem joco tueri, serio oppugnare videantur.*

Detexit Morus adhuc distinctius fucum inanis jactantiæ, illos scholasticorum communes locos facere ad disputationes cum hæreticis, nec non ad locupletandas concionesad populum. Illis prætextibus ordine refutatis, subnectit, illorum, qui illis insenuerant, miseram evadere in senectute conditionem, ut prior in loquacitate acies hebescat in egenum silentium. *Plane non video quæstiones illæ quid faciant ei quem solæ possident, nisi quod eum ad cetera omnia reddunt inutilem, ut, cui si quid ex his proponatur subtilibus magis quam solidis disputationibus, in quibus se ante millies exercuit, jam domi suæ est, jam cristas erigit, velut gallus, qui in suo sterquilinio superbit. At extra illa septa si paulo producatur longius, illico ignota rerum omnium facies tenebras ac vertiginem offundit. Nec jam dialectica, rerum cœcitate labanti, quantumvis acuta, succurrit; Quæ, ut cognita rerum natura, varias inde species multasque argumentorum formas elicit, ita rebus ignoratis ipsis, necesse est sine usu obmutescat. Adde, quod illas ipsas quæstiones, quas & penitus & solas per tot annos imbibit; cum sese jam senex scholasticorum contubernio, ubi eadem assidue ventilantur, quapiam occasione subduxerit, jam intra biennium acumina illa uuiversa, nimium videlicet evanida, nullo rerum subnixa pondere, tanquam nebula fumusque disparent Jamque ei nimirum ipsi usu venit, quod de anima pueri ex Aristotele subinde citari solet, ut ipsius anima fiat denique velut tabula rasa, in qua nihil omnino depingitur. Et mirum in modum versa rerum vice contingit, ut, qui prius omnes sapientiæ numeros in argumentosa loquacitate posuerat, jam senex infantissimus omnibus risui foret, nisi stultitiæ suæ supercilliosum silentium sapientiæ loco prætexeret, imo potius hoc ipso ridiculus, quod, qui fuerat stentore modo clamosior, nunc vitio tam longe diverso taciturnior pisce reddatur, & inter loquentes sedeat, velut caput sine lingua, atque ut ajunt, personæ mutæ, truncoque simillimus Hermæ.*

Commendato senio Scholastico ex senili stupore, ex decrepitis quæstionibus, ita postremo rem omnem temperat, ut non-nihil ex scholasticarum quæstionum farragine, ferendum censeat, si quæ ad pietatem faciant, si Scripturæ studium conjungatur. *Neque Theologos omnes taxo, neque neotericorum quæstiones omnes condemno, sed eas, quæ nihil ad rem pertinent, quæ sunt hujusmodi, ut neque quidquam eruditioni conferant, & multum pietati detrahant: Eas non improbandas modo, sed despuendas quoque censeo. Ceteras vero, quæ tractant aut humana, graviter, aut divina reverenter, tum utrisque adhibita modestia, qua veritatem sese investigare magis quam altercari probent: Modo ne quenquam sibi totum vendicent, ne quemquam nimis diu detineant, & suo se pede metiantur; neque se melioribus conferant, nedum non anteferant: Has, inquam, sic institutas, admodum libenter amplector. Hactenus tamen ut eas esse fatear tales, quibus non inutiliter exerceantur ingenia, tales esse pernegem, in quas salus universa procumbat atque innitatur Ecclesiæ. Jam Theologos non eos vitupero, qui has degustarunt; imo laudo etiam, quod ad altiorum sacrarum literarum peritiam, ad meliorem priscorum, & sanctissimorum & doctissimorum Patrum eruditionem, has quoque non abjiciendas accessiones adjecerint. Verum hujusmodi Theologos, ut ex animo dicam, non probo, qui quæstionibus cujusque generis non insenescunt modo, sed immoriuntur quoque, qui seu ingenii sterilitate quadam impediti, seu puerili scholasticorum incitati plausu, neglectis antiquorum omnium literis, posthabitis etiam ipsis, quorum se doctores profitentur, Evangeliis, nihil omnino præter quæstiunculas didicerunt, partim per se inanes, partim inanes his, qui ceterarum rerum omnium inanes ipsi sunt; idque jam senes, atque ideo deplorati, quod neque Scripturas commode tractare, incognitis veterum scriptis, queunt,*

unt, neque ad ea cognoſcenda, quæ nunc ſunt latinæ linguæ penuriæ, pares eſſe poſſunt, redire vero ad grammaticam, atque inter pueros, imo vero à pueris etiam, diſcere, hoc non ſolum diſpudet, ſed etiam ſerum eſt.

Reliquas inter Eraſmum & Dorpium controverſias Morus expedit brevius, ab Eraſmo jam ante abunde excuſſas: Nihil tamen omittit, quod ad nervum omnium pertineat. Jus, verſiones ad textum Græcum Novi Teſtamenti examinandi & caſtigandi vindicat exemplo Hieronymi, qui veterem latinam ad normam fontium græcorum exegerit. *Hieronymus auſus eſt mutare, non aliis modo & optimis & ſanctiſſimis viris approbantibus factum, ſed ipſo quoque Auguſtino hortante ut fieret. Mutavit autem Hieronymus, ut ipſe fatetur, ſi quid in ſenſu fuit, quo latinus codex diſcreparet à græco.*

Excepit Dorpius, Hieronymo fas fuiſſe mutare, Eraſmo neutiquam, quod Hieronymus jam mutaſſet ſatis, ut ulteriore correctione Eraſmi non eſſet opus. Reſpondet Morus, neminem, nec ipſum Hieronymum, de ſe pronunciaturum, quod in vertendo nihil ſubterfugerit & ſubterfugiat. Non deeſſe etiam mediocribus, poſt meliores etiam, quod porro redintegrent utiliter. Donec poſteri non inveniant amplius, quod emendent.

Sollicitus Dorpius, ne multitudo verſionum animos faciat dubios, qui quam præferant, non videant: Quæ fuerit cauſa, quare multæ veteres latinæ verſiones ſint ſtudio ſuppreſſæ & rejectæ, ſervata una. Morus negat, conſulto verſiones alias eſſe abolitas, ſed incuria temporum periiſſe, qua alia quoque præclara ſcripta deleverit. Neque opus fuiſſe extinguere alias, ſi una decreto fuiſſet omnibus prælata. *In diverſorum interpretum collatione amplum eſſe uſum, dari lectori ſtudioſo occaſionem. ſi quem verbum fefellit æquivocum, aut orationis amphibolia decepit, aut ſermonis proprietas impoſuit, ex reliquis conjiciendi quid verum ſit.* Quod utiliſſimum eſſe, ex ſententia Auguſtini, exemplo Origenis, & recentiſſimo Fabri Stapulenſis, quintuplici Pſalterio, demonſtrat. Addit Morus, tametſi Hieronymiana reſtitutio ſervaretur, ſervari tamen & jus illam ad græcum textum componendi, poſtquam tot ſeculis tot mendis ſit infecta, ut ne veſtigia quidem Hieronymianæ emendationis appareant.

Perſuadere ſtuduit Dorpius, vulgatam illam autoritatem publicam impetraſſe, quæ immutare quidpiam vetet. Morus hoc telum invertit commode: *Videris mihi ſic colligere: Auguſtinus nec Evangelio duxit eſſe credendum, niſi Eccleſiæ compelleret autoritas. At Eccleſia comprobavit, in hac translatione verum eſſe Evangelium. Conſequitur ergo, ſi quid ſit à græcis codicibus diverſum, ut verum in illis Evangelium eſſe non poſſit. Hæc eſt, ut mihi videtur, argumentationis tuæ ſumma: Quæ mihi videtur ejusmodi, quam non ſit difficile ſolvere. Nam primum, Eccleſia ſic in latinis codicibus contineri credit Evangelium, ut fateatur tamen è græco translatum. Credit ergo translationi, ſed magis tamen archetypo. Credit, Evangelium in græcis eſſe verum, in latinis verum eſſe credit eatenus, quatenus fidit interpreti: In quo, ut opinor, nunquam habet tantam fiduciam, quin eum labi cognoſcat humana fragilitate potuiſſe.*

Nova Dorpiana exceptio, *in Conciliis ex latino codice, non ex græco, citari.* Morus ſubridens, latinos latina allegare ait, non ideo ut græcis fidem derogent, ſed ut à latinis intelligantur, græci textus fide illibata. Exemplo Apoſtolorum, qui ex græca veteris Teſtamenti verſione interpretum verba citarint, ſalva hebraici textus veritate, eo quod græcis ſcriberent Apoſtoli. *Nec ideo tamen Hieronymus factum putavit eſſe præjudicium, quaſi græca translatio quam hebraica litera Apoſtolorum cenſeatur autoritate ſincerior.*

Alia Scholaſticorum per Dorpium pro latinæ verſionis autoritate atque integritate propugnatio: *Græcos codices videri corruptos, quod Græci à Romana Eccleſia deſciverint.* Morus reſellit veteris hebræi codicis exemplo: „Hæc ratio non flexit Hieronymum, quo minus inſtrumentum vetus ex hebræo ſermo„ne transferret. Quanquam, ſi quid hic valere debet, ibi multo magis debuit, cum nemo neſciat Judæos ex „profeſſo infeſtiores fuiſſe hoſtes Chriſtianis omnibus (ut quibus in univerſo repugnabant) quam græcos „latinis, quibuscum communi Chriſtianorum nomine convenerant, licet in quibusdam diſſenſerant. Et „profecto, ut vera dicam, videtur mihi neutiquam credibile, ullam gentem in depravandos libros unquam „conſpirare voluiſſe, ut ne dicam, ne potuiſſe quidem. Quod argumentum deinceps curate proſequitur Morus.

Per incuriam & græcos codices potuiſſe vitiari, Dorpii metus. Hunc eximit Morus, non ſolum Hieronymi & Auguſtini diſerta enunciatione, græcos codices eſſe emendatiores quam latinos: Sed & certa fiducia, Græcos omnino curaſſe, ut diligentia in transſcribendis ipſorum libris adhiberetur; quod non ſit dubitandum illi, qui libros eorum diligenter inſpexerit.

Vereri Dorpium, ne Eraſmus impreſſis utatur libris græcis, adeoque per typographos corruptis, prohibet Morus, cum ſcriptorum codicum græcorum ſuppetat copia, neque poſſit Eraſmus uti impreſſis, ſi velit etiam, *cum novum teſtamentum, in quod ejus deſudat labor, nunquam hactenus, quod ſciat, græce chalcographorum typis excuſum ſit;* Ximenii Codice in Hiſpania nondum vulgato.

Græca præ latinis vitioſe à typographis edi conqueſtus Dorpius, edocetur contrarium à Moro, exemplo Aldi Manutii Romani & Joannis Frobenii Baſileenſis, qui græca edant emendatiſſime, imo præ latinis. Quod blando voto addito ingerit Dorpio, græcorum prorſus imperito, quem optat ſuis id poſſe oculis obſervare, ubi græca didiciſſet: *Si te quoque aliquando ad græcam linguam pernoſcendam converteris, id quod valde opto.*

Dorpii animum adverſus græca obfirmatum flectere contendit Morus, qui faſcinum ex aliorum autoritate deponat tandem, integrius aliquando de ſtudiis græcis judicaturus. „Nec ſpem unquam de„pono, fore aliquando, nec id quidem haut ita multo poſt, ut, (ceſſantibus hac de re diſputationibus, in „quibus aſſidua tua illa in ſcholis victoria non patitur te libenter cedere) quod ut video jam nemo poteſt „alius, ipſe nimirum perſuadeas tibi, cum iſtos imperatores tuos, quibus nunc militas, quorumque interim gratiam tam magnæ eruditionis parti præfers, aut maturiore judicio neglexeris, aut certe etiam illis „ipſis, utile & ſibi & eorum conſiliis fore, perſuaſeris, quo videlicet græciſtas iſtos ſuis ipſorum gladiis con-

„fodias,

„fodias, majoreque adverſus eos autoritate differas, quam nunc de re tibi tam in totum ignorata diſputes. „Qua de re tamen cum perinde ſcribas, ac ſi ſupervacaneam putes operam, quæ in græcas literas impendi„tur, mihi profecto non perſuades ea te ſentire quæ ſcribis. Neque enim ſimile veri fit, te, vel ea pru„dentia, commoditates ejus linguæ non videre, vel, eo in bonas artes omnes ſtudio, non concupiſcere; „præſertim, cum abs te quoque, dum negligendam diſputas, propemodum afferantur cauſæ, quibus inci„tari maxime ad eam conſequendam poſſis.

Prolixe dehinc ſtudii græci neceſſitatem illuſtrat, græcorum optimorum autorum, Philoſophorum, Poëtarum, Commentatorum, Patrum etiam, ſpectabili corona, qui græce ſcripſerint elegantiſſime, nec verſi tamen, niſi ex parte, idque ruditer. In ipſum Ariſtotelem digreditur pro affectu Dorpii in illum impenſo, quem ſine græcis non capi pronunciat: Cujus novam verſionem à Thoma Linacro, Anglo, Medico pollicetur, cum recepta rudis ſit & inficeta, menti Ariſtotelis paſſim contraria; quod ex Alberti Magni & Cajetani lapſibus oſtendit. Novum iterum ad græca calcar, quo moveatur Dorpius: „Si ce„teris diſciplinis tuis literas præterea græcas adjeceris, quantum nunc alios, etiam græce peritos exſuperas, „tantum nunc te etiam ipſum ſuperabis.

Moriam, ab Eraſmo Thomæ Moro quondam inſcriptam, cum denuo laceſſiviſſet Dorpius, Morus poſt Eraſmum tutor de novo defendit. Dixerat Dorpius, Theologos in Moria non debuiſſe rideri; Morus: *Tu, mi Dorpi, putas, nullos rideri debuiſſe Theologos, quanquam tales eſſe, quales Moria joco deſcripſit*, ipſe propemodum ſerio fateris, cum ais: „Aſperæ facetiæ, quibus multum veri admixtum eſt, a„crem ſui memoriam relinquunt. Verum eſt hercle, quod dicis; Non tam acriter has tuliſſent facetias „iſti Theologiſtæ, niſi quam erant aſperæ, tam etiam veræ fuiſſent. Ergo cum tales ſint, quales ipſe fate„ris eſſe, probas? Non opinor. Vituperas ergo? Apud te certe, ſcio, facis; faceresque palam, niſi in ani„mum induxiſſes tuum, nemini eſſe adverſus, & ita te comparare ſtatuiſſes, ut te omnes prorſus, cujuscun„que modi ſint, docti, indocti, boni malique, laudent, cui, ut ais volupe ſit, ſi vel catelli cauda, velut amici„tiæ Symbolo, blandiantur.

Comparat Morus Gerardi Noviomagi, nuperas *peracerbas ſatyras* in Monachos & Fratres, in illorum ſuperbiam, luxum, inſcitiam, compotationes, ingluviem, libidines, hypocriſin, Dorpio laudatas, cum modeſtiſſima Moria, quæ non niſi tecte & oblique notet Theologos quosdam. Quin Dorpium ipſum ſuum acuiſſe ſtylum probat in religioſos & Antiſtites.

Diſtinxerit Dorpius inter Antiſtites & Theologos, illos quidem vellere fas, hos tangere nefas eſſe: Morus non diſſimulat diſtinctionem. *In Antiſtites fortaſſe quidvis licere debet, etiam mediocres, at in Theologos, utut ſint, licere debet nihil. Nam eo forte tendunt, quæ in hac noviſſima ad Eraſmum ſcribis epiſtola. Ais enim:* Miraris, tantos conciviſſe motus tuam Moriam, quæ plurimis placeat non Theologis modo, ſed Epiſcopis etiam. Atqui ego te demiror, Eraſme, qui pluris facias Epiſcoporum in hac re judicium, quam Theologorum: Siquidem Epiſcoporum noſtri ſeculi vitam, mores, eruditionem dicam an inſcitiam, noveris: quorum ut ſunt certe nonnulli tanto digni faſtigio, ita mira eſt paucitas. *Hic tu, Dorpi, cum Theologos agre leviſſimo joco patiaris opprobriis, magna cum autoritate perfundis, ut in quibus non tantam eruditionem requiris, & carpis inſcitiam, ſed vitam quoque ac mores contumelioſe condemnas.*

Quando Epiſcopos rodi & temni poſſe, Theologos in autoritate ſervandos, mens Dorpii Theologi, Morus invertit: „Theologos plurimum refert, ut ais, integræ apud populum autoritatis eſſe: „Quaſi nihil referat apud populum, quales æſtimentur Epiſcopi! Qui quem locum teneant in Eccleſia „Chriſti, quam longe ſupra Theologos tuos, non eſt ignotum tibi, qui Pontifices liquidiſſime noviſti in Apo„ſtolorum ſucceſſiſſe locum.

Convincit Dorpium Morus ſuo ipſius exemplo, qui in præfatione in Plauti Pyrgopolinicem, Theologos aperte & vehementer momordiſſet. „Donemus hoc Tibi, nihil eſſe mali, Pontifices vel ri„dere dicteriis, vel maledictis inceſſere, modo ne ſacroſanctos Theologorum magiſtratus attingas: Quid „ad hoc dices, quod illos ipſos Theologos, non nomine quidem, ſed deſcriptione tam evidente, ut non ullo „nomine deſignari potuiſſent expreſſius, ita mordes, ut pene laceres, in proœmio quod in Pyrgopolini„cem, Plauti fabulam, lepidiſſime conſcripſiſti. Cujus rei vel iſti ipſi verſus erunt indicio, quibus, ut dixi, „Theologos iſtos amuſos, quos nunc tueris, ita belle deſcribis, ut nemo derideat ſalſius, nemo inſectetur „vehementius. Nam quid his carminibus (referam enim) vel magis facetum poſſit eſſe, vel magis „elegans?

Primum omnium, qui ſint amuſi, & literis
Non proletariis male inaugurati, eos
Ablegat hinc in maximam malam crucem.
Siquidem ſtomachabundi, oblatratores, facere
Pergant etiam dum, (quod nunquam non facitant)
Clamoribus ampulloſis infremere, &
Venena livoris effunditare ſui,
Et obloqui, & oggannire, & dentibus omnia
Arrodere carnivoracibus; Et ſicut canes
Solent, quibus libet allatrare ſibi obviis.
Eos homines, (ſiquidem ſint & ipſi homines,)
Cum illiterati ſint, cum ſint agrarii,
Mihi ſedulo juſſit Plautus hinc abigere:
Sin forte ſint præſto; niſi comprimant ſibi os,
Nihilque graxint, minatu'ſt, fore ulmeos,
Ubi hoſpitio excipientur Acherontico.

En mi Dorpi, quam neque poëtis abſtinendum putaſti, & amuſos illos Theologos quam bene ſuis coloribus depinxiſti?

Erubeſcenti Dorpio, ſeque excuſanti, qui tunc nondum fuiſſet Theologus, cum in Theologos inveheretur, ruborem addit, ſubmonens, illum denuo edidiſſe, poſtquam iam factus Theologus. Quod „te neges tunc fuiſſe Theologum, ſiquidem ſcripta ſunt abhinc ſeptennium, certe vix ſesqui annus elapſus „eſt, quod eadem recollecta edidiſti, jam certe Theologus quadriennio. Quid ergo refert, an Theolo„gus effeceris an prius facta Theologus edendo comprobaveris?

Sufficerint hæc pro cognoſcendis *certaminibus inter Eraſmum nec non Thomam Morum & Martinum Dorpium*, utpote originibus ſecutæ mutationis publicæ in Eccleſia, nempe *de elegantioribus ſtudiis* pro communi in Academiis putida oratione, *de linguarum in primis græcæ ſtudio*, pro priore balbutie & coeca credulitate, *de ſerena per ſcripturam rerum divinarum doctrina*, loco vanæ & vagæ traditionis Scholaſticæ, in quæſtionum ſpinis poſitæ. *He diſputationes fundamentum quaſſabant Theologiæ in ſcholis receptæ, & formam portendebant meliorem, Chriſtiano primo inſtituto propinquiorem.* Eraſmus emendationem ſuggeſſerat, ſerenioribus literis ſuſcitatis. Eraſmi adverſarii, motis litibus, vel inviti auxerunt attentionem *orbis literati, qui mox agnoſceret deſperatam ſcholaſticæ rei cauſam, quam linqueret, cujus eam pigeret.* Sparſa per orbem A. 1515. *Eraſmi, Mori & Dorpii, de fundamentis doctrinæ publicæ ſcripta controverſa*, odium prioris caliginis excitarunt, & ſpem lucis fecerunt apud illos etiam, qui atræ nocti aſſueti, nil viderent niſi umbras & larvas, quibus delectarentur, pro priori conſvetudine.

Quando Mori hæc Apologia pro Eraſmi Novo Teſtamento venit ad Eraſmum, illa lecta doluit vicem Dorpii, quem recepta tunc Theologia Scholæ ſic faſcinaſſet. Scribit ad Morum *f. 395.* „Apo„logiam pro me tuam nondum totam legi. Ex qua intelligo quid Martinus Dorpius ſcripſerat. Ad„miror quid homini venerit in mentem. Sed tales reddit hæc Theologia.

Ipſe *Martinus Dorpius*, Lovanienſis Academiæ Theologus, præ ceteris recta ſtudia colere ſvetus, *qui in bello contra Eraſmum primus omnium prodierat*, ex decreto ordinis ſui ſacri, qui humanitatis uſum & commoda non ſuo motu, ſed communi inſtinctu impugnaverat, humanitate Eraſmi & Mori victus, conſcientia veri & recti motus, *ſuam mox & ceterorum* quorum fuerat interpres *agnovit temeritatem*, qui oblati veri fuga & odio Eccleſiam non juvarent ſed peſſundarent. Quamobrem hæſit, *veritatem in Eraſmi & Mori doctrina ſuſpexit, illam amplexus*, generoſo virtutis ſtudio impellente.

Mirum valde, *primum Eraſmi & ſerenioris doctrinæ adverſarium publicum*, virum doctum, ingenio præditum acuto, *primum evaſiſſe, qui caliginem quam defenderat, deſereret, impugnaret*, & Eraſmi aut veritatis potius limpidiora tradita palam profiteretur.

Stupuit Lovanienſe Theologorum Collegium, quod Dorpio erat uſum pro oratore erudito & ſuarum rerum interprete præclaro, *Dorpium mutaſſe animum, & amplecti illa quæ proſternere contenderet*, ille jam pro bonis literis ſolo pectore, pro linguis ex animo pro fontium ſtudiis ſerio, pro jure verſionis acriter, contra ſcholaſticas ineptias fortiter. Gaviſa cum Moro, felici conciliatore, Anglia, lætata cum Eraſmo autore Germania, gratulati communi cauſæ viri quique boni per omnia regna. *Scena præter opinionem mutata, in emendationis ampliſſimam ſpem.*

Quando igitur Eraſmus illa lite ſopita, Novum illud ſuum Teſtamentum initio Anni ſequentis, 1516. ediderat, ut jam dicetur, quando *Dorpius* hoc opus legerat, amplius inſtructus, quando dein & Eraſmum Lovanii plus ſimplici vice compellaverat, *ſe continere amplius non potuit, quin & publice in Academia Lovanienſi profiteretur*, quam præſenti animo omnem illam limpidam doctrinam, quam injuſto bello impetiiſſet, eſſet amplexus, *qui illam candide tradere & docere non vereretur.* Quapropter *in publico Collegio* loco priorum Scholaſticarum inanium quæſtiuncularum, Epiſtolam Pauli Auditoribus Academicis recenſiturus, *ſolenni oratione*, ingenua, gravi & vere erudita, animo forti & imperterrito, *mutatam ſuam ſententiam declaravit*, illa omnia quæ ex Eraſmo acceperat, aſſeruit, optimarum literarum, linguarum & fontium ſtudia auditoribus impenſe commendavit. Quam *orationem vivam*, valde luculentam, veritatis & novæ lucis documentum, fati ſereni admirabile ſpecimen, mutationis proximæ validum adjumentum, cum in tertium annum retinuiſſet, locupletatam *typis publicis omnium expoſuit oculis.* Rarum hoc & ſingulare, ſed & *delicatum hiſtoriæ literariæ monumentum*, perpaucis viſum, integrum infra dabimus, ut delectentur noſtri, & gaudeat poſteritas.

Wolfgangus Fabritius Capito Hagenoius Theologus Baſileenſis, & Orator Eccleſiaſticus, vir ſolers & doctus, 38. annorum, *ab Eraſmo*, Caroli Auſtriaci Conſiliario, annum quinquageſimum primum agente, A. 1516. 4. Cal. Martii, ante finem editi Novi Teſtamenti græci, blanda & forti adhortatione *animatus* & accenſus, *ad bonarum literarum & lingvarum publicam culturam promovendam*, in mitiorem atque puriorem in ſacris docendi rationem.

Magnum Reformationis ſubſidium.

NOndum plene lucem viderat Novum Teſtamentum græcum, orbis ſalus, quando edito illo, ut & Hieronymo, non acquieſcendum ſenſit Eraſmus, ſed *doctos quoscunque ad bene cœpta diligenter propaganda invitandos eſſe* judicavit: ut exiſterent ubique viri periti & cordati, *qui emendandæ rei communis negotium perarduum promoverent.* Adjutoribus opus eſſe meminerat, iisque & doctis & probis, peritis & circumſpectis, ſed & præſenti animo præditis. In multis magnam ſpem non ſruſtra poſuit in *Wolfgangum Fabritium Capitonem, Medicinæ & Theologiæ Doctorem & hujus Profeſſorem apud*

apud Basileenses, Eorundemque Ecclesiasten. Cujus doctrinam variam, pectusque integrum, quod perspectum haberet Erasinus, *quocum Basileæ egisset*, hunc in tam magni negotii societatem invitandum credidit. Ardebat Erasmi pectus spe & cupidine desideratissimæ emendationis publicæ. Neque vero unius erat grande saxum volvere. Accidendi igitur, viribus instructi, nec pauci. Eam nactus erat à supremo numine mentis integritatem, qua & innumerabiles defectus penetraret, & apta subveniendi videret & teneret media. Et voluntas illi contigerat tam candida, uti impensissime communem rem salvam cuperet. Sed & illa data laboris pertinacia, qui dies noctesque præsentes & absentes invitaret, moneret, rogaret, & obsecraret. Quin & ista indulta & infusa oris gratia, ut ad deliniendum ac convincendum dulcissima sed valida & efficaci uteretur svavitate. Candor pectoris enituit ex affectuum benignitate, & humanitatis dulcedine.

Injurii essemus in Erasmum, & in historiam reformationis literariam iniqui, si mellitissimam *ad Capitonem epistolam* prætermitteremus, quæ vividum exemplum & luculentum testimonium *indefessi in Erasmo studii, corruptissimum illo tempore in Ecclesia statum salubriori doctrina emendandi*, & via quidem leniissima, ad placandos austeros. Via, inquam, leni sed & recta, *bonarum literarum & linguarum cultu promoto.* Tenebræ non pellendæ minis sed luce, nec in humana barbaries corrigenda clamoribus sed humanitate. Neque finxit Erasmus aliam emendationem, quam ipse in semet esset expertus. Demonstravit opere decorem & mansvetudinem, quam svaderet aliis. Optimas literas in optimo federe animo debere censuit. Hoc adhortationum pondus in Erasmi oratione. En ergo quinquagesimo primo ætatis anno, quem ageret, *senescentis Erasmi, dulcem & mitem observationem*, in publicæ emendationis fiduciam. Basileæ ad finem exeunte Novo Græco Testamento, in orbis salutem apparato, iverat *Antverpiam.* Hinc sine mora ad *Capitonem*, quem curate noverat, in Cathedrali Ecclesia Basileensi sub Episcopo Oratorem, ingenio animoque bonum, bonis rebus promovendis aptum natum. Quæ in Erasmo virtus præ ceteris magna veneratione digna, non ad ostentationem elegantia, non ad gloriam puritas, in dicendo & docendo, sed ad usum publicum, in reipublicæ salutem. Non jactantiam voluit in ornatu, non crispas in emendatione. Non externam pompam, vel & justam condecentiam foris solum apparentem intendit, sed internam mentis animique inculpatam integritatem sinceritatemque. Non *meliores literas* ursit, quæ foris niterent, pectore sordido, impuro, scelerato: Sed ut os & intimi pectoris recessus consonarent probitate & decore. Qui sciret, dictionis decus verum non situm esse in verborum nitore, sed in rerum dignitate. Res autem decentes, justæ, rectæ, bonæ, utiles & salutares, ore promendæ ac sermone proferendæ, idea & effigies mentis bonæ. Ex mala mente nihil solidi boni, nisi in speciem, & ad momentum, nec eam debita intentione, nisu & gravitate, quæ ad persvadendum faciant. Desunt necessariæ vires, ut in animo picto & simulato, ita & sermone fucato, ubi os & mens dissonant. Non rem feliciter svadet, qui vel non recte novit, vel non fovet. Aversaris rem, oratione ægre commendabis, tametsi videri velis. Fucus excidit, ex oculis, ore, sono, motu, ut undique transpareat: Nullibi serio, adeoque nec congrue & cum efficacia. Perinde quoque sive fructus sequatur sive non. Quod grande & detestandum in ipsis bonis literis vitium, ut alibi, ita & in hac epistola abominatur Erasmus, *paganismi* nomine: ubi in comta oratione mens putida, vitiosa, abominabilis, gentium exemplo: Quando doctrina humanitatis non nisi in verbis & gestibus nitidulis posita, pectore inhumano & sordibus oppleto: ut os dicat pure, animus sentiat impure: os elutum, cerebrum pollutum & spurcus sangvis. Restauratio bonarum literarum ab Erasmo quæsita & apparata, initium sumit à pectore emendando, & desinit in sermone, qui pectori mundo respondeat mundus, rebus non minus ac verbis. Erasmo vera humanitas instauranda est ipsa vera virtus omnigena, quæ homines deceat, homines faciat in agendo & dicendo, omnia pure & ornate. Hæc illi cura in Christianæ Philosophiæ commendatione præ rancidis Scholæ rebus, foris & intus. Christianissimum, quem reparatum iret, non esse situm in integriore solum professione, sed viva & omnigena expressione, verbis & factis, ut bene ageretur beneque diceretur, in Scholis non magis ac in foro. *Paganismum* proinde execratus in ipso externo elegantiæ apparatu, qui reviviscceret. Vivere voluit rem Christi, in Scholis & civili vita, loco inanium tricarum in doctrina & fallacis fuci in vita. Sed & in Hebraicis studiis renascentibus *Judaismum* noluit reviviscere, diserto ad Capitonem monito, alibi frequenter inculcato: Ne veterum Judæorum superstitiosa ceremoniarum inutilium captatio aut imitatio, ex Judaicæ rei intempestiva admiratione, subnasceretur: Ne rituum infinitæ ambages, alio titulo, in Ecclesiam introductæ aut introducendæ, veteres iterum gignerent Judæorum hypotheses, pompam illam externam præstare religionem Christianam, religiosum esse qui cumulatissime observet ceremonias: Quam Judaicam infelicem religiositatem Paulus inter alia damnavit severissime, Christianam fidem & religionem in animo collocando, non motibus externis Sacrorum nomine. Qui horrendus fucus. Sed & ad *Judaismum* retulit Erasmus, fallaciam submetuens, recentem Judaicam doctrinam subtilitatis nomine jactatam, Cabbalæ apud Judæos aciem, quæ Scholastica apud Judæos disciplina, non majoris fructus quam Thomæ & Scoti apud Christianos. Nec dissimulandum, Erasmum quidem impensissime faviisse Reuchlino, & hebraicæ lingvæ studio, pro Veteris Testamenti rebus curatissime cognoscendis: Nihilominus Judaicæ illi rei, sub Cabbalæ charactere, non valde applausisse, sed optasse, parcius tractari, ne Christianæ simplicitati noceret, & puritati detrimentum afferret. En ergo apertum Erasmi pectus, in emendationem intentum.

Erasmus Rot. Gvolfgango Fabritio Capitoni.
S.D.

NOn sum equidem admodum vitæ avidus, eruditissime Gvolphgange, sive quod animo meo jam propemodum vixi satis, videlicet, *annum ingressus primum & quinquagesimum*, sive quod in hac vita nihil adeo magnificum aut svave video, quod magnopere sit expetendum, ei, cui *Christiana fides* vere fidem fecerit; qui *pietatem* hic pro sua virili fuerint amplexi, hos multo hac feliciorem manere vitam: sed tamen *in præsentia pene libeat aliquantisper rejuvenescere*, non ob aliud, nisi *quod videam futurum, ut propediem aureum quoddam seculum exoriatur*

tur. Adeo cernimus, ceu divinitus immutatos Principum animos, *ad pacis concordiæque studium* totis viribus incumbere, idque præcipuis autoribus *Leone Pontifice*, non titulo tantum maximo, & *Francisco Galliarum rege*, non minus egregiis factis, quam solenni cognomine *Christianissimo.* Huic cum & animus, & opes sic ad bellum gerendum superent, ut nemini Principum magis: tamen graviter perpendens hujusmodi Principum dissidiis conflictationibusque, & Christianorum vires, opesque maximopere labefactari, & è diverso nostræ religionis hostibus opes & animos addi: tum quæ major etiam pestis, quicquid est veræ religionis, quicquid bonarum legum, quicquid civilis disciplinæ, quicquid probarum morum, quicquid honestarum artium, militari licentia inter assiduos armorum crepitus, aut intermori prorsus, aut certe frigere vehementer: proque his semel universum malorum & calamitatum agmen inundare in vitam mortalium. Nihil non tum facit, tum patitur, *submovendi belli pacisque conglutinandæ studio:* his quoque ultro submittens sese, quibus haud quaquam par erat, si celsitudinis ac dignitatis suæ rationem habere maluisset, quam *communibus mundi commodis consulere:* hac quidem in re, sicut in cæteris omnibus animum vere sublimem, ac germane regium præstans. Itaque postquam video summos orbis Principes, *Regem Galliæ Franciscum, Carolum Regem Catholicum, Regem Angliæ Henricum, Cæsarem Maximilianum*, funditus recisis bellorum seminariis, *pacem* solidis, &, uti spero adamantinis vinculis adstrinxisse, nimirum *certam in spem vocor*, fore, ut non solum *probi mores, pietasque Christiana*, verum etiam *purgatiores illæ, ac germanæ literæ, pulcherrimaque disciplina* partim *reviviscant*, partim *enitescant*: Præsertim cum hoc quoque *pari studio jam agant diversis mundi regionibus.* Romæ *Leo* P.M. apud Hispanos *Cardinalis Toletanus*, apud Anglos *Rex Henricus* ejus nominis *octavus*, nec ipse literarum imperitus, apud nos *Rex Carolus*, divinæ ejusdem indolis adolescens: Apud Gallos *Rex Franciscus*, huic negotio veluti natus, qui præmiis etiam amplissimis invitat, & allicit undecunque viros virtute doctrinaque excellentes. Apud Germanos cum alii complures egregii Principes & Episcopi, tum præcipue *Maximilianus Cæsar*, cujus senectus tot jam bellis fessa, in pacis artibus decrevit acquiescere, quod simul & ipsius ætati magis fuerit decorum, & orbi Christiano felicius. Horum igitur pietati debemus, quod *passim videmus, ceu signo dato, excitari, erigique præclara ingenia*, & ad *restituendas optimas literas, inter sese conspirare.* Quid enim est aliud, quod tam multi eruditissimi viri, aliunde alius, *operas inter se partiti*, non acriter modo, verum satis etiam feliciter pulcherrimum hoc negotium aggrediuntur, ut *certa* pene *spes* sit, *disciplinas omneis multo purgatiores ac sinceriores in lucem prodituras.* Primum enim *politiores literas pridem ad internecionem pene extinctas*, jam dudum & Scoti, Danique & Hiberni colunt, amplectunturque. *Medicinam vero*, quam multi vindicant. Romæ *Nicolaus Leonicenus*, Venetiæ *Ambrosius Leo Nolanus*, apud Gallos *Gulielmus Copus*, ac *Joannes Ruellius*, & apud Britannos *Thomas Linacrus. Jus Cæsareum* instaurat Lutetiæ *Gulielmus Budæus*, apud Germanos *Udalrichus Zasius*, *Mathematicen* apud Basileam *Henricus Glareanus.* Porro *in re Theologica* plusculum erat negotii, quod *hanc fere professi* sunt *hactenus, qui a melioribus literis pertinacissime solent abhorrere*, quique *suam insciitiam hoc felicius tuentur*, quod id faciant *prætextu pietatis*, ut indoctum vulgus ab his persvasum, credat *religionem violari, si quis illorum barbariem cœperit incessere.* Nam isti apud imperitam plebeculam potissimum solent quiritari, & ad lapides provocare, si periculum viderint, *ne quid nescisse videantur.* Verum hoc quoque successurum confido, *si trium linguarum cognitio publicitus in scholas*, ita ut cœpit, *recipi pergat.* Nam & hujus ordinis, qui *doctissimi* sunt, minimeque maligni, partim adjuvant, partim *favent huic instituto* quo quidem in negotio præter alios, non instrenuam operam, præstitit *Jacobus Faber Stapulensis*, quem tu, ut cognomento, ita plerisque dotibus refers. *Nos* porro sicut par est, *infimam hujus operis partem sortiti*, an aliquid contulerimus nescio: Certe iis *qui nolint mundum resipiscere*, sic stomachum movimus, quasi nostra quoque industriola momenti non nihil attulisset: quanquam mihi quidem non hac fiducia labor ille susceptus est, quod confiderem docere me posse præclarum aliquid, sed *libuit aliis majora conaturis viam munire, quo minus offensi salebris ac lamis, speciosa illa ac sublimia facilius inveherent.* Et tamen hoc quicquid est industriæ nostræ docti candidique non aspernantur, nec *oblatrant*, nisi *quidam adeo stupidi*, ut apud Idiotas etiam paulo cordatiores explodantur. Nuper hic quidam apud plebem in sacra scilicet concione, *lachrymabili voce deploravit, actum esse de divinis literis ac Theologis*, qui hactenus fidem Christianam suis humeris sulsissent, *posteaquam extitissent, qui Sacro Sanctum Evangelium*, atque *adeo ipsam precationem Dominicam emendarent*: perinde quasi ego Matthæum aut Lucam reprehendam; ac non eos potius, quorum insciitia incuriave depravatum est, quod illi recte scripserunt. Apud Anglos unus aut alter *vociferatur, indignum facinus, Hieronymum tantum virum à me doceri*: quasi mutarim id, quod ab Hieronymo scriptum sit: ac non magis *restituam, quod ille scripsit.* Et tamen *magni Theologi sibi videntur, qui nænias hujusmodi obganniunt*, quas & fullones exsibilent paulo saniores.

Sed posteaquam *nos provinciam tradidimus*, ut multo quam ante *faciliorem*, sita non paulo minus obnoxiam jam invidiæ, age accingere, *Fabriti* optime, & *hanc lampadem à nobis traditam, accipe.* Nos pro nostra infelicitate, quod licuit, præstitimus, tibi nihil non egregie suppetit, quod ad *hoc pulcherrimum facinus* requiri videatur. *Ætas integra*, & vigens etiamnum, virensque: *corpus vegetum ac laborum patiens, ingenium felix, judicium acre, trium linguarum haud vulgaris cognitio, eloquentiæ* tantum, quantum non sustinendo solum, verum etiam illustrando negotio sufficiat: *pectus ardens, nec ullius rei appetentius, quam bene merendi de mortalium universo genere: fortuna*, si non amplissima, certe sufficiens, atque etiam honesta: *autoritas* adest, tuis potissimum virtutibus tibi parta, quippe qui sub ornatissimo præsule Basileensi Christophoro in æde celeberrima, concionatoris munus obeas. Super omnia *mores* sic *integri, fama sic illibata, ut nemo sit tam impudens sycophanta, quem non pudeat male loqui de Fabritio.* Nam ut apud Aulum Gellium olim, bonam laudatamque sententiam autoris improbitas elevabat: ita jure optimo studiorum fructum autoris existimatio commendat. Adjuvabit & illud,

quod

quod præter *istam penitiorem doctrinam tuam*, etiam illa *in scholis solennia quæ cæteri sola probant*, sic calles, tenesque, ut non alius magis, ne, quod solent, cavillari queant, te ob id ad diversum studii genus divertisse, quod illa parum fueris assecutus. *Efficacissime refellit, quisquis errorem optime novit.* Nemo melius medetur morbo, quam cui malum maxime cognitum est. *Non* quod optem *hoc Theologiæ genus, quod hodie receptum est, in scholis obliterari:* sed quod *accessione veteris, veræque literaturæ* cupiam, & *locupletius reddi, & castigatius.* Neque enim hinc vacillabit Sacrarum literarum aut Theologorum autoritas, si *quædam post hac emendata legentur*, quæ hactenus habebantur depravata, aut *rectius intelligentur, in quibus hactenus professorum vulgus hallucinabatur*; imo hoc gravior habebitur illorum autoritas, quo sincerius divinas literas intellexerint. *Primam coitionem*, quam *acerrimam* vocat Terentius, *nos sustinuimus:* quanquam huic quoque difficultati, *tu* ceu Geryones quispiam *triplici literatura instructus*, imo tot *præsidiis armatus, fultusque*, maxime poteras esse par. Ad hæc video tibi nec Theseos defore, negocium hoc semel aggresso. Tum ea est *animi tui fortitudo, ut invidiam*, quæ sic ex virtute eximia nasci solet, quemadmodum ex lumine umbra, *facile contemnas:* ea rursum *morum tuorum suavitas*, ut morosis etiam placere possis. Quid multis? Omnia mihi pollicentur, rem felicissime succesturam. Unus adhuc scrupulus habet animum meum, ne *sub obtentu priscæ literaturæ renascentis* caput erigere conetur *Paganismus:* ut sunt, & *inter Christianos, qui titulo pene duntaxat Christum agnoscunt, cæterum intus Gentilitatem spirant:* aut ne renascentibus Hebræorum literis, *Judaismus* meditetur per occasionem revivisceré: qua pestenihil adversius, nihilque infensius inveniri potest doctrinæ Christi. Sic enim fert natura rerum humanarum, ut nullius unquam boni tanta fuerit felicitas, quin hujus prætextu mali quippiam simul conaretur irrepere. Optarim *frigidas istas argutias* aut *amputari prorsus*, aut certe *solas non esse Theologis*, & *Christum illum simplicem ac purum penitus inseri mentibus hominum*, id quod hac potissimum via fieri posse existimo, si *linguarum adminiculis adjuti, in ipsis fontibus philosophemur.* Sed utinam sic hoc mali vitemus, ut non incidamus in aliud fortasse gravius. Nuper exierunt in vulgus aliquot libelli, *merum Judaismum* resipientes. Video, quantum sudarit *Paulus* ille noster, quo *Christum à Judaismo vindicaret*, & sentio quosdam eodem relabi clanculum. Tum audio nonnullos alia quædam moliri, quæ ad Christi cognitionem nihil adferant, sed fumos tantum offundant oculis hominum. Quo magis optem, *te hanc provinciam capessere, cujus sincera pietas nihil aliud spectabit, sat scio, quam Christum ipsum, cui uni omnia tua desudant studia.* Reverendo Patri *Christophoro, Episcopo Basilienſi* fac me diligenter commendes. Cæteris item amicis salutem meis verbis annunciabis: nominatim autem *Ludovico Bero, Henrico Glareano, Beato Rhenano*, fratribus *Amorbachiis, Guilielmo Neseno* LL. Doctori, *Lucæ* LL. Doctori, *Gerardo, Joanni Fabro* officiali, cæterisque omnibus, quorum cum istic essem svavissima consvetudine magnopere delectabar. Bene Vale. *Antverpiæ IV. Calend. Martias Anno M. D. XVI.*

Valuit Erasmi amica & blanda ad Capitonem adhortatio, plurimum effectu prospero & fortunato. Capito, integritate Erasmi perspecta, & magnitudine rei considerata, sine mora ac difficultate fecit, quod optavit Erasmus. Provinciam in se suscepit, ut potuit. Pro linguarum studio promovendo, ad Hebraicam grammaticam concinnandam *post Reuchlinum primus* se statim accinxit. Quod anno hoc 1516. inchoavit & eousque absolvit, anno sequenti 1517. typis sine ulteriori dilatione tradidit Basileæ, ut sub initium anni 1518. mense Januario opus lucem videret, hac inscriptione: *V. Fabritii Capitonis Hagenoii Theologiæ Doctoris & Concionatoris Basilejensis Hebraicarum Institutionum Libri duo.*

Methodus quidem pro illa ætate nondum expolita satis, ut liber fieret magnus: Attamen multis in honorem studii injectis dissertationibus ornatus non abest. In præfatione ad Hartmannum Halvilerum, & sparsim per totum librum, linguarum urget studia, humaniorum literarum culturam, & in rebus sacris methodum concinniorem, pro voto & desiderio Erasmi. Nefas esto, dissimulare Capitonis scopum, Erasmi nutui conformem, quem in fronte libri expressit. „Tres linguæ sunt ad omnem disciplinarum orbem fida præsidia maximaque adjumenta. Cujus rei specimen in illo Udalrico Zasio, seculi „hujus Juliano, factum est. Qui Cæsareas leges jam annis multis in Friburgiorum gymnasio, summa „cum dignitate profitetur juventuti doctrina, genere fortunaque nobili. Nam is re latina, ceu Vulcani armis circum undique munitus, cum universa Leguleiorum caterva pugnam decernere nihil veretur. „Quin tum libentius addubitare solet, atque diversum suffragante vero sæpius pronunciare, cum omnes „isti imitatores, quos Horatius servum pecus proprie nominat, in idem affirmatissime hallucinantur. Atque adeo elegantia linguæ latinæ potissimum confidens, jam pridem eruit ex plerisque legibus germanum sensum, quas in alienum detortas, inscitia barbarorum molesta impedivit verbositate. Easque in „unum librum collegit, quem inscripsit, singulares Juris intellectus: Egregie quidem singularem, non „dico inter multos, sed e multis, cui universa Commentariorum turba, ceu potiori, locum jure optimo cedit, quanquam pertinax hactenus errorem suum inter se mutua ineptia ad insaniam usque propugnavit. „Tantum me hercle ad legalem sapientiam una ratio latinitatis confert, ut consentaneum sit, ut illa quo„que careat, quicunque fuerit hujus expers. Non aliter nimirum ad Theologiam tres linguæ simul faci„unt, quibus omnes Christianæ religionis memoriæ continentur, quandoquidem vetus, ut vocant, instru„mentum Judæis hebraice Moses tradidit, novum græce cunctis gentibus Apostoli & Evangelistæ.

Ex linguarum & fontium sacrorum usu reddito emendatiorem religionis formam expectari submonet: „Abunde feliciter actum est mecum, si vice judicis fuco probe perfunctus, demonstratoque tibi ac „aliis ingeniis venæ melioris directam semitam, neutros consenescatis, hærentes inter salebras gotticæ di„sciplinæ, quæ dum seculis jam aliquot mundo fallaciter imponit, ipsa religio cum literis bonis non solum „est labefactata, sed prope corruit. Miserante tandem Deo, semel ubique gentium ad frugem homines „resipiscunt meliorem, ubique literas literatas, & instrumenta discendi, eruditas linguas amplexantur, si„mul itaq; redituras confido veterum virtutes Christianæque fidei pristinam puritatem. Ex

Ex Eraſmo hanc ſpem facit, *lib. 2. lit. Ff. 3. b.* „Iſtius divini viri beneficio, expectamus certiſſime „alterum ſeculum, & florentius & adornatius, huic tametſi florentiſſimo ornatiſſimoque ſucceſſurum.

Cum Joh. Oecolampadio contraxerat A. 1513. amicitiam Baſileæ Capito, Medicinæ & Theologiæ Doctor. Quæ animorum conjunctio, ex integritate, conſtans in utroque fuit ad finem vitæ. Uterque vidit, alter juvit, Eraſini luculentam Novi Teſtamenti Græci editionem. Edito hoc incomparabili opere, Capito Oecolampadium A. 1516. in Academia illa Theologiæ renunciavit Doctorem. Hi duo viri, *Capito & Oecolampadius*, prægrandia Eraſmi ova, Baſileæ poſita, ex quibus duo emerſere *ingentia reformationis capita & ſpectatiſſima lumina.*

Genuinum Juris Chriſtiani Corpus, Novum Teſtamentum Græcum,

cum nova latina verſione & Annotationibus publicam tandem vidit lucem Baſileæ A. 1515. finitum 1516. Calendis Martiis, per Eraſmum, quinquagenario majorem,

Auſtriacum Conſiliarium.

Unus verus & ſolus reformationis canon.

ADmirabile fatum, admirandum divinæ providentiæ documentum, ex denſa longorum temporum caligine & ſpiſſa ſacrorum ignorantia, Europæis, Chriſtianorum nomine inſignitis, reluctantibus interim Scholaſticis theologis, offerri per Eraſmum, & incomparabili beneficio in lucem produci *genuina veritatis & doctrinæ Chriſtianæ monumenta, Græcos Novi Teſtamenti codices.*

Primi quidem Chriſtiani ex Judæis & gentibus, in *oriente* & *Græcia*, his poſiti præſidiis: Verum, ad Europæ pectus, ultra Italiam, ad Germanos, Hiſpanos, Gallos, & remotiores, Anglos, Danos, Svecos, non penetraverant *hi vitæ & ſalutis publicæ theſauri.* His in occidente populis, ex *Eccleſiæ latinæ* nomine & regimine ſuffecerat, ut veteris hebræi ita & novi græci Voluminis *verſio latina.* *Latinorum* celebrium *Patrum ævis*, viri probi alioquin, cetera bonarum literarum conſcii, præſules & Epiſcopi, defectum linguæ & apparatus græci, adeoque & *ſacrorum græcorum uſum injuria temporis negatum*, ſupplere conati, *doctrinæ Chriſtianæ moralis*, quæ ex verſione latina hauriri poterat *pretio, zelo*, & *mentis integritate.* Euntibus annis, per occidentales Europæ partes *peritia rerum & pectoris devotio ſepulta & refrigeſcens*, longa, tenebricoſa, *rudia & barbara* genuit *ſecula*, quibus res Chriſtiana poni cœpit non in animo ſed ore, ſed profeſſione impolita, ſed geſtibus, ritibus & ceremoniis externis, *ſine bonarum literarum ſtudio*, *ſine linguarum cultu, vix vulgata verſione conſultâ.*

Petrus Lombardus, judice *Eraſmo, Not. in Matthæum, f. 235.* haud adſpernandus Theologus, *ψευδὸς* ejus *operis*, quod vocant *ſententiarum*, dumeta & vepreta ſevit imprudens. „Arbitror, inquit E„raſmus, & probum fuiſſe virum, & ut illa ferebat ætas, eruditum. Atque utinam illius labor tam feli„citer ceſſiſſet orbi Chriſtiano quam ab illo ſuſceptus eſt pio ſtudio. Siquidem apparet, illum hoc egiſſe, „ut ſemel collectis quæ ad rem pertinebant, quæſtiones omnes excluderet. Sed ea res in diverſum exiit, „videmus enim ex eo opere nunquam finiendarum quæſtionum, non examina ſed maria prorupiſſe.

Infeliciſſimi lolii, ab iſto tempore, omnes agros implentis origo *Novi Teſtamenti Græci*, veri canonis doctrinæ Chriſtianæ *ignorantia*, ætas de reliquo barbara. Non potuit diſſimulare Eraſmus illum *mali fontem* in ipſomet Lombardo & illius ſeculo, putido exemplo allegato ex Lombardi quarto ſententiarum libro. „Pudendus quidem lapſus, inquit, præſertim in iis qui ſe totius orbis Doctores profitean„tur: Sed ætati magis imputandus quam homini. Quid enim poterat eo ſeculo, quo prorſus „extincta lingua græca, maxima ex parte & latina, literis hebraicis plusquam ſepultis, obliteratis omnibus „ferme vetuſtis Scriptoribus? Si quid erat explicandum, ad Iſidorum velut ad ſacram anchoram confu„giebatur; Quem idem (Lombardus) ſecutus, *μητρόπολιν* interpretatur a *μέτρον* menſura & *πόλις* civi„tas, & Acolytos ceroferarios, aliaque conſimilia.

In hac intempeſta ſeculorum nocte, in bonarum literarum exilio, autoribus vetuſtis græcis & latinis non neglectis ſed plane ignotis, nullo politiorum linguarum ſtudio, *Novi Teſtamenti Scriptores græci nec viſi, neque lecti, neque conſulti, nec quæſiti.* Qui omnis puritatis neglectus, non niſi ſuperſtitionis, externi cultus, & cujuscunque traditionis pigmenta ſubornavit. Donec ſub finem ſeculi XIV. aliquis *latinæ linguæ decor* emergeret: Labente ſeculo XV. *græcæ linguæ cultus*, Græcis in Italiam profugis, enitesceret, Reuchlinus quoque *hebraïs ſtudiis* viam aperiret. Medicea domus largiſſimis beneficiis *profugos* aluit *græcos*, inter Italos. Gratiam illi rependerunt, græcarum literarum luce apud Italos primum accenſa, quæ Italiæ tandem tenebras diſpungeret, Chriſtianæ non minus rei ac omnis elegantis doctrinæ ſplendorem Europæ conferret.

In monaſteriis quidem Barcinonenſibus apud Hiſpanos *ſeculo XIII. per Raimundum Martini*, regii ſanguinis virum, *linguæ orientis*, pro Sacræ doctrinæ ſtudio *moveri cœperunt*, ad convertendos Judæos & Mauros, in Hiſpania tunc dominantes: Sed *muta adhuc manſit lingua græca.* Prima quoque illa balbuties monaſtica, *ore hebræo, Chaldæo, & Arabico*, nondum attendit fontium hebraicorum, Moſis & Prophetarum, ſenſum & ſcopum, ſed Judæorum & Maurorum aggregationem ad Chriſtiani nominis qualemcunque profeſſionem. Profuit tamen publicæ rei ſacræ, quando ab illo tempore, per ſecula XIII. XIV. XV. non damnata illa ſtudia, ſed tolerata, tametſi tariſſima manerent, intra cœnobiorum angulos delitescerent, inter ſpem metumque, nec anguſta illa ſepta exirent. His ergo lentis temporum præludiis præeuntibus, (ut ſecula integra non ſunt niſi oculorum ictibus paria temporum momenta) *ſub exordium tandem ſeculi XVI.* ardens Europæ deſiderium, videndi auroram ſi non ſolem, velut impetu quodam & inſtinctu divino, *prorupit, in hebræa, ſimul & græca, linguarum ſtudia.* Chriſtiana res in tenebris diuturnis ingemiſcens poſtulavit *Fontium Sacrorum, hebræorum & græcorum, publicam editionem.*

In quibus enixis votis & ſuſpiriis Eccleſiæ defetiſcentis, divina miſericordia & occulta providen-

tia accedente, *Batavus* & *Hiſpanus*, duumviri, varia doctrina excellentes, eruditæ Europæ decora, prima in his lumina, *Eraſmus Roterodamus* & *Ximenius*, *edendis inaudito exemplo monumentis ſacris, hebraïs & græcis*, in Chriſtianorum ſalutem velut orbis oraculo *deſtinati*. Divino, profecto, & occulto motu, nobis non perſpecto cœleſti nutu, inter grandia obſtacula & tenaciſſima impedimenta, hæc hebræorum & græcorum. Sacrorum monumentorum edendorum, ſingularis inter Europæos opera gubernata. Nec enim vel conſilia in his, vel via, vel initium, vel progreſſus, in ſeculi arbitrio, vel communi deliberatione aut conſenſu. Oriuntur, fiunt, pergunt, adornantur, perficiuntur, ſeculo non animadvertente. Accipit beneficia, immemor qua via & unde. Contingunt & hæc, ut alia, nemine augurante. Quare nec odia, nec inſidiæ, nec convitia, nec tumultus, imperitorum vel indignantium, quidquam proficiant, tecto cœli nutu juvante, protegente ac promovente. Mox ſeculum ſentit, animadvertit, velut ex ſomno expergefactum, lucis inſperatum uſum, qua jam gaudet & delectatur. Hæc fortuna ſeculi XVI. vix inchoati, exſurgentibus ex improviſo ſacris hebræis & græcis indubitatæ doctrinæ monumentis.

Poſtquam *Reuchlinus* hebraicam & græcam lingvas Europæ commendare cœperat, præter omnium expectationem, urgente divina manu *Hiſpaniæ Primas*, *Franciſcus Ximenes*, *Cardinalis*, *Archiepiſcopus Toletanus*, *editionem Codicum hebræorum & græcorum*, *veteris & Novi Teſtamenti immenſis ſumptibus apparare aggreſſus*. Cum magnum hoc & ſtupendum facinus, immenſi uſus, moliretur *Hiſpania*, conſpiravit, benigniſſimo cœli regimine, inexplicabili fato, *Germania* in ſolem integrum protrudendum, Græcis Novi Teſtamenti codicibus ſacris ſubito in lucem producendis. Nec Ximenius juvenis, nec Eraſmus adoleſcens, inter Hiſpanos & Germanos, Seculo XV. præviderunt ſolis ipſorum ſenum opera accendendi radios fulgentes. *Senes* tandem illi, in limine ſeculi XVI. ad arduum iſtud & perdifficile non minus ac fructuoſiſſimum opus ſe cœlitus trahi & velut compelli animadverterunt. Non vidit in virorum horundem fronte vel Hiſpania vel Germania blandam auroræ faciem antequam emergeret. Vidit orbis lucem, priusquam oriri ſentiret. Nunc immortalis gloria accenſæ lucis, Fontium ſacrorum utriusque fœderis publico uſu, Ximenium manet & Eraſmum. Æternus utriusque honos, ex æterno & infinito commodo Europæ præſtito, quem nulla invidia tegere, nulla æmulatio extinguere, nullum odium delere potuit poteritque.

Laudati ſeculi XVI. exordio, annis 13. 14 15. 16. moliti utrique excellens ſuam Europam beandi opus, inſcii negotium ita ſunt partiti, latente molimine, ut *Eraſmus præcederet*, ſeparatum ſuum *Græcorum Novi Teſtamenti codicum opus illuſtre abſolveret prior*, *ſequeretur* mox in diffuſiori & operoſiori *Hebræorum*, *Chaldaicorum*, *Græcorumque Voluminum editione Ximenes*. Siquidem *Eraſmus uno Volumine*, *Ximenius tribus*, ſuum quisque corpus ſacrum complexus.

Inſtrumentum uterque cœli & divinæ manus, *ad orbem condendum novum*, *novis illis luminibus*, *hebraïs & græcis monumentis ſacris*. Quoniam omnis reipublicæ forma, præter divinum ſupremum gubernaculum, a doctrinæ publicæ, ſacræ & civilis, forma atque conditione originem trahit. Homines ſunt qui regunt & reguntur; ut ſunt imbuti vel imbuuntur, ita ſentiunt, ita ſtatuunt, ita ducunt, ita volunt, ita jubent. Alia doctrina aliam fert rerum cum annis faciem. Doctrinæ publicæ horror horridam fert moderandi formam, mitior ac cultior cultius gignit regimen. Inſtitutionis communis caligo noctem vehit & rude imperium, vel neglectu vel vi conſtans, omni mutationi obnoxium: Informationis integritas & lumen decorem conciliat & ſplendorem univerſæ adminiſtrationi, cum fortunæ proſperitate. Ut enim ſunt affecti qui præſunt & parent, ita imperium & obſequium ſua nanciſcitur fata. Ex principiis effectus: Exaptis aptus, bonis bonus, melioribus melior. Blanda inſunt vincula. Quandoquidem ergo priorum ſeculorum hiſtoria, ex remotis etiam ævis populisque per orientem & occidentem, docet abunde, publicæ doctrinæ principia formam dare communi fortunæ in regnis & rebus publicis: Experientia ſimul docuit, quanto propius acceſſere doctrinæ communis principia ad ſolidam virtutem, tanto ſereniorem affulſiſſe fortunam, quanto recederet longius a ſerenæ virtutis uſu, tanto propiorem ſemper extitiſſe vagæ mutationi & ruinæ. Irrefragabile profecto, ex affectu & voluntate præſidum, leges ſuam ſortiri vim & habitum: Prout igitur ille animatus, ita & corpus animatum. Quo pacto, ratione & experientia teſtibus, in omni orbe, in omnibus regnis, hiſtoria aſſentiente, quanto integrior in gente, in capite & membris, ſentiendi forma, tanto benignior fortuna. Quam rude in Germania, ut reliquum orbem mittamus, ante Carolum Magnum, imperandi & parendi genus, tam parum cultus publici, decoris vel & quietis: Sylvæ in regnis, urbibus, domibus. Leges magis occupatæ in coercendis quam ornandis civibus, in plectendis quam evehendis. Diſciplina ſub Carolo & poſt Carolum prænunciavit pluſculum culturæ in gentibus adhuc barbaris. Pleraque adhuc dum ex vi, publice & privatim, pauca ex ordine. Carolus IV. melioris ordinis cupidus, veteres turbines præcavere contendit. Viſus aſſurgere aliquis decor. Concilia ſeculo XV. apparuere aliquid collatura ordini cuipiam & dignitati, Cæſaribus & Principibus annitentibus. Obſtitit autem vehementer *publica Canonum civilis & Eccleſiaſtici juris recepta profeſſio*, *tametſi perpaucis Europæ regnis congruerent*. Ex his tot ævis pependit res communis, invita, infelix. Quando igitur eluctari tot ſeculis non potuerat Europa, ſervilibus illis vinculis, quæ non niſi vim haberent, tanquam in profunda nocte, divina profecto ſuggeſtione in lucem tandem prodiere *primæva inſtitutionis Chriſtianæ remedia*. Hoc *Novi Teſtamenti Chriſtianæve doctrinæ Corpus*, *alium motum*, *alium ſenſum*, *aliam vitam*, *aliud decus*, *Chriſtianæ reipublicæ congrua*, *vehere & exhibere animadverſum*. Priſco hoc ſurrogato publicæ doctrinæ genere, infinitis prioribus damnis remedium iri paratum, perſpexere cordati: Aliter quod adminiſtret rem vir bonus, aliter malus. Illa vero primæva doctrina Chriſtiana viſa ferre ac polliceri prudentem bonitatem & bonam prudentiam. Siquidem ad civilem adminiſtrandi ſolertiam adferat hæc inſtitutio virtutis ſenſum & decus, ut prudentia civilis ſit fortunata, æquo juſtitiæ & gratiæ libramine. Proinde, *quanto integrius perſpecta prima iſta & una doctrinæ Chriſtianæ norma*, *tanto ex uſu major ſocietatis ut & reipublicæ*

reipublicæ & regni prosperitas. Neutiquam pugnant civiles constitutiones salubres cum his, sed ornantur his, juvantur, fulciuntur & roborantur, suavi consensu. Sic ded t seris his seculis Europæ nostræque Germaniæ, codices nativos & genuinos, græcos, divina providentia, ut per illos communis res emergeret, assurgeret, omnibus modis beanda. Juste recolimus illa fata, ingrati in Deum, in májores, in pública nostra commoda, si illa prætermittamus somnolenti.

His jam *annis secularibus*, 13.14.15.16.17. Deo devotas posteri persolvimus gratias, cui placuit uti *Ximenio & Erasmo* aptis & præclaris instrumentis, *qui Græcum Novi Testamenti purissimæ doctrinæ Corpus ex reconditis MStorum latebris eruerent, habitu puro ac nitido in lucem proferrent, atq; nostris & omnis posteritatis usibus, publicis privatisque destinarent.* Beneficium inæstimabile, nostra & posterorum æstimatione longe superius. *Nec enim ipsi capimus, quanti sit hoc munus, à quo universæ rei civilis ornamentum, salus & tranquillitas communis proficiscitur.* Unum hoc in orbe Christiano salutaris doctrinæ principium, basis ac munimentum.

Potenti quoque Hollandorum Reipublicæ Roterodamo, *εὐρώπῃ, εὐρωπαίῳ ἀνδρὶ*, populo armis & literis valido, hoc felicitatis damus & gratulamur fastigium, autorem tam vastæ, solidæ & salubris doctrinæ progenuisse. Jactat *Roma* cum centenis *Ciceronem:* Jactet *Roterodamum* in centenis *Erasmum.* Erasmus suo genere Cicerone major. Ingenio & eloquii puritate non impares, doctrinæ suis ævis congruæ copia pares. *Et nostris Roterodamus plus profuit rebus publicis quam Cicero suæ.* Ingrati in viri manes, nisi millies & plus millies *his diebus* illi acclamemus: Vive, immortalis, virtute & meritis. Humana quæ passus, ex seculo, ex coetu, non imminuit virtutis pretium. Nec Petrus desiit esse Apostolus, tametsi Judæis plusculum aliquando præ gentibus conversis videretur concedere. *Immaculatum & irreprehensibile opus, Græcorum sacrorum codicum prima in orbe Christiano, in publicos omnium rerum publicarum usus, editio. Incontaminatum, purum, laudabile & gloriosum facinus, cui in orbe literato, in coetu Christiano, vix ullum par, ex quo innumera in Europam universam commoda profecta, & sine fine profectura.*

Primæ hæ, ante hæc duo secula, publicæ Christianorum *editiones, Complutensis & Basileensis*, pro Hispanis & Germanis, illustria exempla fati prosperrimi, pro luculentissima providentia divina. *Tergemina antea seculo* ingemiscere non desierant regna omnia, *sub infanda superstitionis mole, quæ vix hiscere conscientias sineret, quæ Cæsares & Reges, Principes & magistratus juberet esse tantum non servos.* Cæsarum capita senserunt tot seculis intolerabilia imperiosæ superstitionis pondera, quæ non solum è sedibus illos humum prosternerent, dignitateque & regnis exuerent, sed & humeros pedibus calcari imperarent. Quæsita fuerant remedia, pro his oneribus levandis, tot Conciliis universalibus, Constantiensi inprimis & Basileensi; sed aptior medela nondum illuxerat, servata seculo XVI. in Ximenii & Erasini manus fortunatas, in *Corpus*, inquam, *græcum divini juris.* Maximilianus imperator, quæ hoc ab Anno 1510. agitaverat consilia pro onere amoliendo, ut ingenua emergeret libertas pro dira servitute. Nec iisdem annis, 1513. & sequentibus, sub Julio II. & Leone X. emendationis opera quæsita fructum vidit in Concilio Pisano II. votis licet, per tot graves orationes in publico Concilio cumulatis. Divina sapientia reservarat omnem opem, pro componendis his motibus publicis, pro implendis desideriis communibus, pro liberandis regibus & principibus, pro redintegrandis rebus publicis, totam, inquam, opem reservarat Deus *Juris universalis Corpori græco, per Ximenium in Hispania, per Erasmum in Germania suscitando orbique exhibendo.* Brevis hæc via ad scopum, certum desideratissimæ salutis remedium, sine ferro, sine vulnere, sine molestia, sine tædio, sine periculo. *Hic Codex validior, omnibus Conciliis penetrantior omnibus consultationibus, omnibus conatibus fortior.* Vix lucem viderat hoc opus A. 1516 quando omnium oculi aperti, cunctorum animi erecti, mentes illustratæ, ut pene alii fierent omnes, qui attenderent, *alia publicæ rei administratio, alia regiminis forma, pro cognitionis incremento.*

Quamobrem grati nos posteri, non solum devoti exosculamur Dei gratiam, hoc munere nobis benignissime impertito, sed & curamus merito, ut maximo illo beneficio utamur & fruamur. Nostræ gratitudinis monumentum esto, *in literaria reformationis historia ex genuinis fatorum fontibus derivanda,* secularibus his annis, *recensio primi illius vere augusti codicis, operis memorabilis omnium optimi, maximi,* cujus *exempla* supersunt *rarissima*, quodlibet centenis vel millenis imperialibus pretiosius, pretio cum seculis majore futuro.

Est profecto in foro literario *codex hic Erasmi antiquus ducentorum jam annorum, verus thesaurus, novem vetustis MStis, unde haustus, aquiparandus.* A primo typographiæ exordio, quinquaginta illis primis circiter annis, nullus nobilior prodiit codex, argumento & editionis studio. Omnia Scholasticorum opera, sermonum congeries, Patrum latinorum segmenta, Poëtarum & historicorum quorundam prima rudimenta, in typographiæ ortu publicata, cum hoc opere collata, vix umbra ad lucem. *Si quis ex illa ætate servandus liber, dignum bibliothecæ apud posteros ostentum, vel unus ille præ omnibus dignus, salutandus eminus, & colendus decenter, vel aureo vestiendus habitu.*

Volumen est, quod multa comprehendat, omnia præclara. *Prater formæ magnitudinem*, chartæ & typi *decor nitidus & spectabilis*, pro rei magnæ dignitate.

Primum & præcipuum operis decus, nervus & anima, *textus* est *primæ originis græcus*, qui in cujuslibet paginæ duabus columnis *primum* habet *locum.* Depromtus ex MStis græcis, optimis, antiquis, fide dignis, pluribus, iisque novem, magna sollicitudine & incredibili solertia ab Erasmo collectis. Quod ingens & verum libri pretium, cum in hoc opere simul *comprehensa tot præclara* sint *sancte asservata MStis*: Ut *allegare hunc primum codicem* sit *ipsa antiqua allegare MStia.* Fidemprofecto habent parem.

Accuratam editionem, ut humana fert cura, apparavit non solum spectata Erasini integritas, tot jam græcis & latinis Patribus & scriptoribus exacta diligentia editis probata, sed & græcæ literaturæ peritia insolita, nec non *familiaris MStorum usus.* Quos invenit codices Græcos novem, hos dedit fideliter & curate.

In his *peculiaris ornatus* est *textus sacri*, quod pro MSctorum contextu, *integrum* reliquerit, *non in capita sectum.* Nondum illis annis textum græcum lacerandum credidit in partes, quas *vulgata latina* acceperat nuper, *quas capita* dicerent. Meminerat Erasmus, infarcire ex latinæ versionis vulgatæ habitu *capita*, esse frequentem inferre injuriam integritati textus, quoad filum orationis & sensum. Quandoquidem capita illa, nuper demum in Ecclesia latina constituta, frequenter abeant à scopo. *Textum* itaque *reliquit integrum, sine capitum spatiis aut intervallis.* Interea *latinæ versioni in marginem receptum numerum adjecit,* ut juvaret lectores, capitibus jam assuetos.

Maximum *integritatis momentum est*, quod filo totius orationis integro servato, *nulla omnino in versus aut partes minores sectio in Græco facta sit textu.* Minutulum hoc textum in minimas partes secandi studium, pro versuum recentiorum quantitate, tunc nondum in usu. De distinctione textus hebræi in V. T. per versus, veteres & recentes, nos alibi curate. Erant jam illa ætate universis illis hebræis codicibus versus, majores plerumq; veteribus : Sed novi Testamenti græci codices nondum ita divisi. Primus id tentavit *Santes Pagninus Lucensis*, qui ad exemplum Veteris Testamenti, *versionem suam novam latinam Novi quoque Testamenti, in similes sed grandiores versus distinxit, numeravitque primus, editione Lugdunensi* 1527 Neque vero quisquam ausus hos *Pagnini versus* versionis suæ latinæ inferre textui græco. Donec medio seculo *Robertus Stephanus*, inclytus Parisiensis typographus A. 1551. 10005. *parvos sisteret in græco & latino vulgato & Erasmi textu versus.* Quod inventum dein pervasit omnes codices in hunc diem. *Qui Stephanei versus minutuli, non distinxisse, sed laceræsse imprudenter textum & sensum millenis lotis deprehensi.* Quæ ab incautis autoribus grandis passim textui immissa caligo, intempestivis vulneribus inflictis, movit Theologos & philologos, ut non modo conquererentur de injustis illis subinde sectionibus, sed enixe optarent emendationem per peritos, quæ hactenus neglecta aut dilata, aut posteris servata. *Erasmus* idcirco *non peccavit, qui textum integrum, continuo filo nexum, ut decebat, dedit. Quæ forma servanda fuerat in textu græco in omnem posteritatem, ad primæ illa præclara illibata exempla.* Neque emendabitur vitiosa illa per versus receptos novi græci textus divulsio, nisi *restituatur primæva integritas, vulneribus omnibus curatis & sanatis.* Ad primorum illorum exemplorum integritatem restituatur græcum novum Testamentum, quod doctis inserviat, aut nulla lux desiderata novo Testamento speranda. *Ex qua integritate MSctis pari, primus hic Erasmi codex pretium habet vere magnum.*

Ex quo *aliud* porro *præclarum commodum* & lectionis emolumentum, quod nondum infartis versibus, *nec totidem intempestiva puncta versibus adaptata* irrepserint, *à quibus hic Erasmi codex liber & immunis.* Nondum vis illata textui per versus, neque adeo per *nova distinctionum signa, quæ à Stephanorum ætate intolerabili ausu innovata. Præstitisset primam simplicitatem, ab Erasmo expressam, servasse modestius.* Eritque è republica, ad primævos hosce & proxime secutos codices redintegrare nostros, etiam quoad distinctionis per membra congruentiam. Scimus, recentem esse omnem illam per signa, per commata & cola, distinctionem, ab Apostolis haud profectam : Nihilominus, postquam subnatum per membra periodos distinguendi institutum, una distinctio multo est aptior altera. Quale *satius, talem habere, qualis in MSctis vel ab Erasmo animadversa & expressa.*

Hæc *textus græci*, in prima illa Christianorum aut Erasini editione, *ex justa integritate ornamenta & decora*, ingens Operis pretium, quod *venerandæ antiquitatis* quandam *faciem* devote colere jubeat.

Juncta textui græco, in columna altera, *versio latina*, non vetus illa vulgata, ab Hieronymo quondam emendata, sed *nova*, ab *ipso Erasmo* græcæ linguæ peritissimo, multo studio *adornata*, aut *vetus de novo emendata atque amplius reformata.* Immane periculum quod subiit Erasmus hac versionis reformatione, nova versione, vel emendatione, saltem concinnata, promulgata, & communi totius Ecclesiæ usui exhibita. Facinus plusquam heroicum, animus sublimis, pectus erectum.

Vere magnanimus Roterodamus, hoc consilio, hoc studio, hac reformatione. Erat hoc calamo suo clavam extorquere superstitioni universali, autoritatem vulgatæ, robur traditioni, & quod præcipuum, fascinum ignorantiæ communi. Hæc nova aut emendatior versio latina, hæc versionis reformatio, lucem accendit ingenuæ libertati Christianæ, doctrinæ indolem non ex populari versionis veteris usu & formulis inconditis æstimandi, sed ex Fontibus ipsis petendi. *Novæ versionis* jus jus dedit veterem examinandi, linquendi, seponendi, jus dedit meliorem sententiam ex ipsis Fontibus primis quærendi : Solvit vincula barbariei & superstitiosæ credulitatis.

Nova versio latina, pro latina Ecclesia, reddidit latinæ Ecclesiæ libertatem, ex ipsis fontibus petendi doctrinæ sacræ regulam, vitæ & fortunæ mensuram. Servitutem sustulit & jugum barbaræ scholæ, quæ formulis latinis, ex veteri incondita latina versione excerptis, & in alienum sensum tractis, conscientias hominum ligarat & obstrinxerat. Viam monstravit Erasmus nova sua versione latina ad Fontes, eorumque justum, liberum & ingenuum usum, pro publico Ecclesiæ usu & salute universali. Vulgatæ hæc versionis reformatio per Erasmum, proxima fuit semita ad desideratam Academiarum emendationem, Scholasticæ doctrinæ purgamentum, & secutæ solennis reformationis forte initium & validum fundamentum. Hæc versio Europam, Ecclesiam, res publicas, magistratus, scholas, Academias, ex veteris paganismi, avitæ insciticæ pulvere caput efferre jussit, circumspicere, assurgere, humanam induere indolem, agere, dicere, integrius, sincerius, ut hominibus, Christianis dignam.

Ea industria, fide ac probitate veterem reformavit ac immutavit versionem, ut pura ac sincera stylo & sententia evaderet. Jus veterem latinam ad Fontes ipsos, textum græcum, examinandi, uti tibi juste tribuit, ita reliquit aliis, & hanc suam novam aut reformatam similiter ad fontes ipsos porro & curatius exigendi. Quin versione sua hoc imprimis agere contendit, ut ad textum græcum à latere positum, invitaret lectores. Nihil sibi, nihil versioni suæ tribuit autoritatis, quam solis fontibus græcis vindicat : Versio hæc, aut prioris vulgatæ reformatio, est *Apologia juris communis in fontes græcos legendos, & versionem quamcunque ad fontes examinandam, ut veritas doctrinæ ex ipsis solis fontibus sit æstimanda.* Quare nec

sibi

ſibi nec aliis negavit *jus* verſionem corrigendi, ut veterem ita & ſuam, imo *meliorem apparandi.* Quod *jus vertendi,* verſionesque omnes emendandi mox in Eccleſia *agnitum* à viris quibuscunque doctiſſimis, *uſurpatum* à multis, novis, aliisque iterum novis & melioribus adornatis, in hunc usque diem, quavis dialecto, per omnes terras, ab Eraſmo Roterodamo ad Eraſmum Schmidium, Wittebergenſem Profeſſorem ad Sebaſtianum Schmidium Argentoratenſem Theologum.

Quandoquidem igitur *de jure verſionis quæſtio perardua* in Eraſmi oculis, qui *ex nupero bello cum Dorpio* Lovanienſi Theologo, & per illum cum Lovanienſibus Theologis, contradicentium machinas expertus erat, qui amplius præſentiebat diriores imperitorum contumelias, vehementiores arrogantium clamores, quin & invidorum ſuſurros, ſuperſtitioſorum inſidias ac delationes, amarulentas denique traditionem crepantium criminationes: His denuo obviam ire omni contendit opera, qua erat prudentia & vigilantia.

Huc ipſam ſtatim *operis frontem* compoſuit, ut primo intuitu demonſtraret *novæ ſuæ verſionis latinæ jus & regulam.* Titulus operis ne nunciat quidem, græcum textum ipſosque fontes in Codice comparere, quod illa adhuc ætate futurum nimis fere invidioſum, ut in Dorpio viderat; ſed pro ſola innovata aut *nova verſione latina* differit, *quod ad græcam veritatem illam exegerit, quod ad Patrum græcorum & latinorum allegationes eam contulerit, adeoque nil in verſione expreſſerit, ſine urgenti ratione.* Quæ eſt publica ſignificatio, *ſe à vulgata verſione abiiſſe juſte, novamque verſionem meliorem concinnaſſe juſte.* Apologia conciſa pro nova verſione in prima fronte.

Frons integra hæc eſt: „Novum Inſtrumentum omne, diligenter ab Eraſmo Roterodamo recogni„tum & emendatum, non ſolum ad græcam veritatem, verum etiam ad multorum utriusque linguæ codi„cum, eorumque veterum ſimul & emendatiorum fidem, poſtremo ad probatiſſimorum autorum cita„tionem, emendationem ac interpretationem, præcipue Origenis, Chryſoſtomi, Cyrilli, Vulgaris, Hiero„nymi, Cypriani, Ambroſii, Hilarii, Auguſtini. Una cum Annotationibus, quæ lectorem doceant, quid „qua ratione mutatum ſit. Quisquis igitur amas veram theologiam, lege, cognoſce, ac deinde judica. Ne„que ſtatim offendere, ſi quid mutatum offenderis, ſed expende, num in melius mutatum ſit.

Vindiciæ Eraſmi quinquageſimum primum annum agentis apud Leonem X. Pontificem, & Gvilielmum Waramum, Archi-Epiſcopum Cantuarienſem, ſecundum novæ verſionis & religionis inſtaurandæ libertatem, editæ A. M. D. XVI. Cal. Febr.

LIs nupera cum Dorpio anſa vindiciarum. Dixerat Eraſmus: ſe neutiquam vereri, terribile hoc viſum facinus Codicem græcum cum nova verſione promulgandi, ipſi ſiſtere Pontifici Romano, cujus judicium non metueret, negotii integritate fultus. Quapropter hoc conſilium ſalubre executus, coram ipſo Pontifice *per literas publicas* cautam agendi non ſuam ſed Eccleſiæ ſuſcepit provinciam. Brevis quidem *epiſtola*, ſed *totum emendationis quæſitæ negotium complexa.* Pontificis animum in operis novi & inviſi frontiſpicio delinire ſuæque rei momentoſæ conciliare anniſus, laude domus Mediceæ, unde prognatus Leo X. utpote quæ præcipua apud Italos exulum græcorum & per illos traditæ humanitatis ſedes. Quæ avita Leonis X. in græcas literas gratia juſte commendata, ſcutum Eraſmi contra omnia adverſantium tela, qui græca extinctum irent. Neque adulationis hic vel minimus color, quando oblique Eraſmus Romam ipſam accuſare non eſt veritus in hoc ipſo apud Leonem ſermone, extremæ improbitatis & tyrannidis. Quæ ingenua & aperta frons Eraſmi non dubitavit coram Pontifice non modo jus novi ſui operis aſſeverare, ſed & *ſcopum* palam profiteri, *religionis emendationem*, Theologiæ, quam *Chriſtianam* vocat *Philoſophiam*, reformationem. *Hunc fructum operis*, opinione & ſpe communi majorem, quem pauci prævideant aut ſubodorentur, niſi ſint emunctæ naris, forti nutu ſub finem præmonſtrat, *humilem hunc ſuum laborem apparere* dicens, attentum tamen lectorem mox penetraturum, *quod plus habeat in receſſu, quam prima fronte præ ſe ferat.* Integras legiſſe juvabit has vindicias, in difficili negotio atque periculoſo caute & prudenter adornatas, nec ſuo ſale deſtitutas, literariæ hiſtoriæ illius ævi momentum non poſtremum.

Antequam opus totum in lucem prodiret, in principio Anni 1516. præcedenti anno 1515. denunciavit *Petro Caraffa, Epiſcopo Theatino, Nuncio apud Anglos Apoſtolico*, tum operis ſucceſſum tum conſilium, Leoni X. inſcribendi. Fecit hoc Eraſmus Baſileæ *ſub finem Anni 1515.* (non *decimi quarti*, ut in impreſſis Codicibus,) *decimo Cal. Januar. lib. 7. ep. 12. f. 390.* „Novum Teſtamentum jam propemodum ab„ſolutum eſt, & quidem ſatis feliciter; niſi quod ego laboribus enecor. Adeſt (Oecolampadius) qui in Hebrai„cis nonnihil ſuccurrat. Operis ſumma ſuccreſcet ad octoginta ferme terneones. Certum eſt Leoni De„cimo dicare. Epiſtolam ad illum ſcriptam (Anno 1515. 3. Cal. Maji) opinor te vidiſſe. Jam enim ty„pis excuſa eſt, in qua tui quoque memini. Hieronymus graviter procedit, ſed opus immenſum.

En igitur *propugnaculum Eraſmi, quo tutum redderet Novi Teſtamenti opus* adverſus inſultus barbarorum. Obiter obſervabitur, ſub Epiſtola hac Eraſmi ad Leonem X. loci & temporis characterem exprimi hunc: *Baſileæ, Anno reſtitutæ Salutis M. D. XVI. Calendis Februariis.* Qua formula *non Eraſmi*, qui illo anno, menſe & die, non fuit Baſileæ ſed in Belgio, ubi nunc Bruſſellæ, nunc Antverpiæ menſe Februario A. 1516. egit. Sed *typographiæ Baſileenſis*, in qua vel Frobenius ipſe, quod vero ſimile, vel Oecolampadius, *characterem editionis* epiſtolæ Eraſmi ſubjecit, quod fuerit *impreſſa illo tempore.*

Leoni Decimo Pontifici modis omnibus ſummo,
Eraſmus Roterodamus, Theologorum infimus,
S. D.

INter tot egregia decora, *Leo decime, Pontifex maxime*, quibus undique clarus & ſuſpiciendus ad pontificiæ dignitatis culmen adiſti: Hinc infinitis *Mediceæ domus* ornamentis, non minus eruditorum hominum monumentis, quam majorum tuorum imaginibus & honoribus *inclytæ*: Hinc innumeris corporis animique dotibus, quas partim divini numinis

minis indulſit benignitas, partim eadem adſpirante tua paravit induſtria: Non alia res te verius aut magnificentius illuſtravit, quam quod ad iſtum honorem, quo major inter homines homini non poteſt obtingere, parem *morum* attuleris *innocentiam*: Neque vero *vitam* modo ab omni dedecore longe lateque ſemotam, verum etiam *famam*, nulla unquam ſiniſtri rumoris labe aſperſam. Id quod cum *ubique difficillimum* eſt, tum *præcipue Romæ, cujus urbis tanta eſt libertas, ne dicam petulantia, ut illic a convitiis parum tuta ſit, & integritas, ac ne ii quidem abſint à crimine, qui plurimum abſunt à viciis.* Quibus rebus factum eſt, ut, Leoni non paulo plus veræ laudis pepererit, quod ſummum pontificium promeruiſſet, quam quod accepiſſet; Jam in ipſa pulcherrimi ſimul ac ſanctiſſimi muneris functione, cum tot præclaris factis, tot eximiis virtutibus ſuſceptum honorem vicisſim cohoneſtes, nihil tamen eſt, quod te ſuperis pariter & mortalibus commendet efficacius, quam quod *ſummo ſtudio parique ſapientia illud potiſſimum agis ac moliris, ut in dies in melius provehatur Chriſtiana pietas, hactenus temporum, maximeque bellorum vicio nonnihil labefacta, collapſaque*: Ut eſt cæterarum item *omnium rerum humanarum natura, ni manibus, pedibusque obnitamur, paulatim in deterius relabi, velutique degenerare.* At res egregias aliquoties, ut *difficilius, ita & pulchrius eſt reſtituiſſe quam condidiſſe.* Proinde, quando tu nobis velut *alterum exhibes Esdram*, & ſedatis quod in te fuit bellorum procellis, *ſarciendæ religionis provinciam ſtrenue capeſſis*, par eſt nimirum, ut omnes ubique gentium ac terrarum Chriſtiani, *rem omnium pulcherrimam ac ſaluberrimam* conantem pro ſua quisque facultate adjuvent. Jam video paſſim excellentes ingenio viros, ceu magnos & opulentos reges, Salomoni noſtro in templi ſtructuram mittere marmora, ebur, aurum, gemmas. Nos tenues reguli; ſeu potius homunculi, qualescunque materias, aut certe caprarum pelles, ne nihil conferremus, mittere ſtudemus, vile quidem munuſculum, quod ad *noſtram* attinet *operam*, ſed *unde*, (niſi me fallit animus) *Chriſti templo*, ſi *non multum ſplendoris, certe non parum utilitatis* ſit *acceſſurum:* Præſertim ſi ejus calculo comprobetur, de cujus unius nutu ac renutu ſumma rerum humanarum pendet univerſa. Etenim cum illud haberem perſpectiſſimum, *præcipuam ſpem, planeq; ſacram* ut ajunt *ancoram reſtituendæ ſarciendæq; Chriſtianæ religionis in hoc eſſe ſitam*, ſi *quotquot ubiq; terrarum Chriſtianam Philoſophiam profitentur, inprimis authoris ſui decreta, ex Evangelicis Apoſtolicisque literis imbibant*, in quibus verbum illud cœleſte, quondam e corde patris ad nos profectum, adhuc nobis vivit, adhuc ſpirat adhuc agit & loquitur, ſicut mea quidem ſententia nusquam alias efficacius aut præſentius. Adhæc, *cum viderem ſalutarem illam doctrinam longe purius ac vividius ex ipſis hauriri fontibus, quam ex lacunis & rivulu*; *Novum* ut vocant *Teſtamentum, univerſum ad græcæ originis fidem recognovimus*, idque non temere, neque levi opera, *ſed adhibitis in conſilium compluribus utriusque linguæ codicibus*, nec iis ſane quibuslibet, ſed *vetuſtiſſimis ſimul & emendatiſſimis*. Et quoniam novimus in rebus ſacris, religioſe quoque verſandum eſſe, nec hac contenti diligentia, *per omnia veterum Theologorum ſcripta* circumvolantes, *ex horum citationibus aut expoſitionibus ſubodorati ſumus, quid quisque legiſſet, aut mutaſſet.* Adjecimus *Annotationes noſtras*, quæ primum lectorem doceant, *quid qua ratione fuerit immutatum*, deinde ſi quid alioqui perplexum ambiguum, aut obſcurum, vel explicent, atque enodent: Poſtremo, quæ obſiſtant, quo minus proclive ſit imposterum depravare, *quod nos vix credendis vigiliis reſtituiſſemus.* Quamquam ut ingenue dicam, quicquid hoc eſt operis, videri poterat humilius, quam ut ei dicandum eſſet, quo nihil majus habet hic orbis, niſi conveniret, ut quicquid *ad religionem inſtaurandam* pertinet, haud alii conſecretur, quam ſummo religionis Principi & eidem aſſertori. Neque metus eſt, ne munus hoc noſtrum qualecunque ſit aſpernaturus qui non loco tantum referas illum, qui donaria non preciis, ſed animis ſolitus ſit æſtimare, qui duo minutula pauperculæ viduæ ſplendidis & opimis divitum donariis prætulerit; Jam an non quotidie videmus inter auro gemmisque radiantia regum donaria pratenſibus floſculis, aut hortenſibus herbulis, concinnatas corollas ſuſpendi divis, quas re tenuis pietate dives offert plebecula? Alioqui quicquid illud eſt, ſeu magnum ſeu puſillum, ſeu ludicrum, ſeu ſerium, quod hujus ingenioli fundus produxerit, id omne, ut nullus dedicem, ſuopte jure ſibi poteſt vindicare. *Summus ille apud ſuos virtutum ac literarum omnium Mecænas & antiſtes Gulielmus Archi-Epiſcopus Cantuarienſis, totius Angliæ*, non tituli tantum honore *Primas*, ac tuæ ſanctitatis *Legatus*, ut vocant, *natus*; Cui me ipſum quoque quantus quantus ſum debeo, non modo univerſum ſtudii mei proventum: ſiquidem *is* (ut ne dicam interim cujusmodi tum publice, tum privatim in me fuerit) *id præſtat ſuæ Britanniæ, quod Leo præſtat orbi terrarum.* Quodque Medicea domus jam olim eſt Italiæ, vel hoc nomine terrarum omnium felicisſimæ, hoc is ſuis eſt Anglis, *ceu ſalutare quoddam ſidus, ab ipſis fatis in hoc datus, ut eo præſide, quicquid eſt bonarum rerum, repullulet, ac ſuboleſcat.* Nam perinde, quaſi *uno in homine plures* ſint *heroes*, & unicum pectus non ſimplex inhabitet numen, ita *miris modis Archi-Epiſcopum gerit Eccleſiæ, legatum ſedi Rhomanæ, conſiliarium regiæ, cancellarium juſtitiæ, Mœcenatem ſtudiis: Cujus opera potiſſimum factum eſt, ut inſula*, jam olim viris, armis opibusque pollens, *nunc optimis item legibus religione, moribus, ad extremum ingeniis omni literarum genere perpolitis, adeo floreat*, ut cum quavis cæterarum regionum posſit exæquo contendere. Verum quo latius hujus laboris noſtri manaret utilitas, viſum eſt, tui nominis, apud omnes ſacroſancti, ceu lenocinio quodam, ad publicam orbis abuti commoditatem. Præſertim cum huc vocet ipſa quoque rei ratio, quod pulchrè congruebat, *ut illius auſpiciis hæc Chriſtiana Philoſophia derivaretur ad omneis mortales, qui Chriſtianæ religionis tenerent artem*, ac per eum proficiſceretur doctrina cœleſtis ad univerſos homines, per quam Chriſtus nos voluit accipere, quicquid homines e terris evehit in cœlum. Quamquam adeo, quid tandem vetat, quo minus *hic liber gemina commendatione ſultus* hoc etiam felicius & auſpicatius exeat in manus hominum, *ſi duobus totius orbis ſummatibus viris communiter ſuerit conſecratus*? Quandoquidem aris templisque videmus hoc plus accedere majeſtatis ac venerationis, quod pluribus ſimul divis ſint dedicata. Jam hoc quantumlibet novum videatur, modo publicæ conducatutilitati. Et ea eſt *Leonis modeſtia* facilitasque,

ut

ut hac parte non minus ſit maximus, quam ea qua maximos omnes longo ſuperat intervallo: Et ea eſt *Archi Epiſcopi in omni decorum genere præſtantia*, ut Leonem omnibus numeris ſummum; non alius magis deceat collega. Poſtremo, ſi fas eſt apud tantum Principem nonnihil Thraſonis e Comœdia referre, quantumvis in ſpeciem *humilis* videatur hic meus *labor*, tamen confido *futurum*, ut *attentus lector aliquanto plus deprehendat in ſeceſſu, quam primâ ſtatim fronte præ ſe ferat opus.* Sed ne ſi celſitudinem tuam jugi ſollicitudine terrarum orbi conſulentem longiore ſermone remorans, in publica peccem commoda, quod reliquum eſt, cum plebejo lectore transigam, ſed prius illud apprecatus, ut cujus providentia Leo decimus contigit ſublevandis rebus mortalium, idem eum nobis & quam maxime longævum eſſe velit, & feliciſſimum.

Archiepiſcopum Cantuarienſem, *Waramum*, quem lateri Leonis junxit, optimarum literarum Mæcenatem munificentiſſimum, reliquumque cœtum clarorum virorum, *qui bonis literis iſto anno 1515. excellerent*, commemorandos digne, & juſto quemque elogio condecorandum judicavit ſuo loco, in quibus & *Huttenus* & *Philippus Melanchthon*, qui in præſentibus ancipitibus controverſiis, Eraſmo, ad Eccleſiæ emendationem novo hoc opere contendenti, porro faverent. *Tanti erat, negotium hoc Novi Teſtamenti verſare, à quo ſalus expectaretur Germaniæ, & totius anhelantis Eccleſiæ.* Nil intermiſit Eraſmus, quo literas promoveret in barbariei fugam, & in ſerenioris doctrinæ amorem pertraheret optimos, in hujus ipſius operis progreſſu, *Annotationum f. 553.* Nefas in literaria hac reformationis hiſtoria præterire illuſtrem coronam virorum, *in reformationis aditu primo A. 1516.* ad lucem adſpirantium. Inter ornamenta operis magni comparent *politæ & ſolidæ Apologiæ, pro jure verſionis*: Fas fuiſſe & eſſe vertere curatius Novum Teſtamentum græcum, quam factum antea: Nulli verſioni partam eſſe autoritatem, vel ex ætate vel conſvetudine.

Præter illas vindicias in illo apparatu eminet blanda & gravis *adhortatio ad Novi Teſtamenti lectionem ſedulam*, præ ſcholaſticis tricis excutiendis. Cujus admonitionis amicæ & ſeriæ ſcopus, molliter invitare rei ſacræ addictos, Eccleſiarum præfectos, ad purioris doctrinæ ſacræ cognitionem & curam. Quæ eſt tecta ſignificatio, ſine motu & tædio, emendanda eſſe ſtudia communia in foro ſacro, ut pro humanis inventis, ſtatutis, collectionibus, ambagibus, quibus Academiæ differant à Chriſtiana re, diſcant inſpicere fontes veritatis, ſinceritatis & ingenuæ probitatis.

Cui accedit *Methodus* ſeu *Compendium doctrinæ Chriſtianæ*, docendæ & diſcendæ, præ Scholaſticis labyrinthis, opuſculum auro carius, omni melle dulcius, omnique medicina ſalubrius, pro re Chriſtianâ redintegranda.

Altera pars operis fructuoſiſſimi *Annotationes* ſunt, in verſionem magis novam Eraſmi & vulgatam priorem, quam textum ſacrum. Jus verſionis defendendum erat hujus bonitate atque integritate. Quæ obſervationes, Patrum præcipuorum, Græcorum & latinorum, quos indefeſſo labore, evolvit, ſunt velut nervus & compendium. In quibus non prætermiſit recentiores ſcholaſticos, Thomam inprimis, deinde & Lyram, Burgenſem, ceterosque, nec non Fabrum Stapulenſem, quos etiam cum elogio cenſeret. Illa namque in Eraſmo conſvetudo, ut ad veritatem non tam acerbitate reprehenſionis, quam laudis illecebris pelliceret etiam adverſantes.

Opus profecto. Caroli Auſtriaci, cujus erat Conſiliarius, auſpiciis editum, primum, potiſſimum, præſentiſſimumque Chriſtianæ rei emendandæ præſidium, quo formoſius, nitidius, ſed & validius in orbe Chriſtiano nulla viderat ætas. In Caroli miniſtrum ſervatum hoc divina manu commune orbis beneficium & inexhauſtum emolumentum.

HIERONYMUS Patrum eruditiſſimus, pulvere Scholæ ſepultus, *Eraſmi* quinquagenario majoris *opera ſurrexit* Baſileæ A. 1515. 1516. ut luculentiſſimum omnibus exiſteret *exemplum meliorum literarum* ut & *linguarum ſtudii*, in ſacris, nec non *rerum* in *doctrina Chriſtiana ſalubriorum*, pro recentibus Scholaſticorum & Summulariorum ambagibus & tricis.

Reformationis Exemplar.

FErviduin ſuperioribus annis negotium Eraſmi, neque tectum amplius ſed publicum, bonas literas, linguas, & in Scholis ſaniorem doctrinam reſuſcitandi. Quo fine *Græcum Novum Teſtamentum* fortibus Apologiis munitum ediderat: Addito manifeſto nuncio, ſe & *Hieronymum* jam jam ſuſcitaturum, qui irrefragabili ſuo exemplo doceret, literas humaniores, cum lingvis, limpidiorem vehere doctrinam, & ſalubriorem propinare uſum, quam rudis recentior tuliſſet ſchola. Hieronymo uti voluit Eraſmus interprete publico, qui neglectarum literarum & linguarum argueret Scholaſticos, horumque in Theologia recentiori argutias damnaret. Viſi erant hi, Eraſmo judice, ſuppreſſiſſe tot ſeculis Hieronymum, utpote ſuis reculis & ſtimmulis adverſum, caligini præſenti inimicum, quem partim non caperent & intelligerent ob ignorantiam linguarum, partim vitarent, ne ex ſereniori illius doctrina præſentes tenebræ damnum paterentur. Oppoſitus igitur Hieronymus per Eraſmum Lombardo, Thomæ & Scoto, priſtina elegantia dicendi novæ barbariei, lingvæ cultæ obverſæ horridæ balbutiei, & doctrinæ candor obſcuritati. Hieronymus emendationem deſideratam adjuvare aut promovere juſſus, homo autoritatis magnæ & ſpectatæ eruditionis, Lombardis & Scotis doctior, exercitatior, & Chriſtianæ Religioni ornandæ aptior.

Stitit Hieronymum, huic amplisſimo uſui reſuſcitatum, Eraſmus, inſcriptione, *Gvilielmo Waramo, Archi-Epiſcopo Cantuarienſi, Anglia Primati & Cancellario*, nuper laudato. Conqueſtus Eraſmus in hac oratione, de præſenti negligentia Academicorum & Collegiorum, aut Eccleſiarum, quibus vel nulla vel perexigua hactenus fuiſſet cura, veteres bonos autores ipſosque præſtantiſſimos Patres ab interitu ſervandi

vandi aut ad usum revocandi : Qui unice dispexerint de ineptis reliquiis convasandis, pro superstitione alenda & plebe fascinanda. „Ex tot eximiis, inquit, vereque sacrosanctis autoribus, quos nobis vel eru„dita dedit Græcia, vel hujus æmula prodidit Italia, vel olim studiis florentissima produxit Gallia, vel in„genioſa peperit Aphrica, vel laboris patiens edidit Hispania, rara quadam eruditione suspiciendos, eloquen„tia claros, vitæ sanctimonia venerandos, quæso te quam pauci supersunt, casu servati magis quam nostro „beneficio ! Atque hi rursum ipsi, quam fœde mutili, quam contaminati, quam prodigiosis mendis undique „scatentes, ut non magni referat sic super esse. Equidem, ut non aspernor simplicem vulgi pietatem, ita „non possum non mirari tam præposterum multitudinis judicium : Calceos sanctorum & sudariola muco „sordentia exosculamur, & eorundem libros, sanctissimas divorum reliquias, neglectos jacere patimur. „Tuniculam aut indusiolum divi aureis gemmatisque thecis reponimus, & libros ab illis elaboratos, in „quibus id, quod illorum fuit optimum, nobis adhuc vivit spiratque, cimicibus, tineis & blattis impune „rodendos relinquimus.

Putidi illius neglectus aut fœdi contemptus causam, in tam specioso superstitionis apparatu, palam detegit Erasmus, insciti am veteris melioris doctrinæ, ex linguarum ignorantia. Quæ meliorum ex antiquitate imperitia illos degenerare jusserit, & in rancidas vocaverit quæstiunculas & frigidas disputationes. *Neque difficile sit, ait, hujusce rei causam conjecturis assequi. Postquam Principum mores plane jam in barbaricam quandam tyrannidem degenerassent, tum Episcopi prophanam ditionem magis cœpissent amplecti, quam ab Apostolis traditum docendi munus, mox universa docendi provincia in istos quosdam est relegata, qui charitatis & religionis cognomen hodie ceu peculiare sibi vindicant. Jam negligi coepta bona literæ, fastidita græcanici sermonis peritia, multoque magis hebraici : spretum eloquentiæ studium : Quin & ipsa lingua latina sic conspurcata est, subinde novæ barbariæ, ut jam nihil minus esset quam latina. Nec historiæ nec Geographiæ, nec antiquitatis ulla cura. Tantum ad Sophisticas quasdam argutias contracta res literaria : Et eruditionis summa penes Summularios quosdam collectores & excerptores esse cœpit, hoc nimirum impudentiores, quo minus eruditos. Proinde veteres illos scriptores facile vel antiquari passi sunt, vel, quod vero propius est, ipsi abolendos curarunt, ut quos jam frustra legerent, nimirum his rebus destituti, sine quibus illi non queant intelligi. Et tamen ex illis utcunque decerpta quædam suis commentariis admiscuerunt ; Qua gratia magis etiam in rem istorum erat illos interire, ne quando vel plagii convincerentur vel insciti æ. Scilicet tanti erat, antiquari Clementem, Irenæum, Polycarpum, Origenem, ut horum vice, Occam, Durandum, Capreolum, Lyranum, Burgensem, & his etiam indoctiores legeret orbis. Sub horum igitur diutina tyrannide, tanta fuit bonarum literarum ac bonorum autorum παναλήθεια, ut è doctorum ordine pelleretur, qui vel paulum literaturæ melioris attigisset. His rebus factum est, ut tot orbis lumina, quorum titulos duntaxat, nec id sine lachrymis legimus, funditus interierint. Et si quos contigit suis superesse fatis, hi sic modis omnibus depravati sunt, adeo truncati contemeratique, ut felices videri possint qui perierant.*

Longa dein succedit Hieronymi commendatio ex prægrandibus virtutibus : Non quod omnia in illo probet, sed quod illum omnibus præferat Scholasticis. Novum Testamentum Græcum nuper esse editum in doctrinæ publicæ emendationem, Hieronymum addi, quod puriora ac meliora dicat, quam schola. *Non dissimili studio, inquit, nuper dedimus Novum Instrumentum adjectis annotationibus nostris ; Cujus lucubrationis nuncupationem Leoni Pontifici Max. Tuaque celsitudini (Waramo) communem facere visum est, quo novum opus, duorum totius orbis summatum nomine tam munitius tam commendatius exiret in manus omnium. At Hieronymum, velut ab inferis in lucem revocatum, Tibi (Waramo) proprie dicatum esse volumus, vel quod citra exceptionem uni Tibi mea debeam omnia, vel quod Tu Hieronymi gloriæ soleas unice favere : Nimirum prudenter intelligens, nihil esse secundum Evangelicas & Apostolicas literas, digniusquod legatur à Christianis.*

In Hieronymi vita, illum ex variis literis ad sacra tractanda aptum, recentiores ex literarum imperitia ineptos evasisse, ut Hieronymum commendet præ suo ævo, diserte pronunciat. *Demum ascito Bar Chanina Judæo, quod in literis hebraicis aut diminutum erat, aut exciderat, supplevit & instauravit. Jam itaque longo rerum usu comparata prudentia, multorumque doctissimorum hominum congressu, justa eruditione collecta, ad tractandas divinas literas accinxit sese. His instructus præsidiis vir prudentissimus, theologi munus aggressus est : Cum hodie quidam, omnium bonarum literarum prorsus rudes, & ἄμυσοι, pauculis sophismatibus & male degustata Aristotelis Philosophia freti, pedibus ac manibus illotis irruant in Theologiæ professionem.*

Susurros quorundam suæ ætatis, Hieronymum nimis pro Theologo fuisse doctum, plus eloquentiæ fuisse deditum, quam Theologum deceat, placide componit Erasmus. *Piget etiam meminisse, quod audimus quotidie quosdam impie religiosos, & insciteDoctos nobis ad aurem obgannire, id in Hieronymo calumniantes, quod in eo pulcherrimum est ; nimirum, doctrinam ut ipsi vocant immodicam, & plusculum eloquentiæ, quam Theologum deceat. Neque quicquam omnino norunt de Hieronymo, nisi quod Ciceronianus dictus vapularit. Verum huius rei ab eruditissimis abunde responsum est, Laurentio Valla, & Angelo Politiano, & nos olim adolescentuli, minores annis viginti, lusimus in istorum stultitiam in Dialogis, quos Antibarbaros inscripsimus.*

Aliud illius seculi convitium in Hieronymum, illum scripta exterorum nimium legisse, nimium in subsidium vocasse, exacte retundit Erasmus. *Si crimen est, habere libros seculares, & si Christum negavit, quisquis hos legit, cur solus vapulavit (in irsomnio) Hieronymus ? Cur hodie in theologorum scholis celebrior est Aristoteles quam Paulus aut Petrus ? Ego certe malim cum Hieronymo vapulare, quam melle perungi cum istis ; quos adeo scilicet terret Hieronymianum somnium, ut ab omnibus bonis literis sanctissime temperent, at non temperantes interim à vitiis eorum, quorum libros religionis causa*

non

non audent attingere. Sunt e diverso quidam, qui quam arroganter sibi plus quam theologi videntur, tam impie negant theologum esse Hieronymum.

Novam hanc in Hieronymum contumeliam, Hieronymum non fuisse theologum, quod exemplo Scholasticorum non ore Scoti balbutiret, Sophista religiosus, refellit Erasmus appositè. „Negant esse Theologum Hieronymum, primum quod non satis Theologicè σελοικίζει, quam primam „theologiæ dotem autumant: Deinde quod nusquam argutetur, quomodo Capreolus, Alexander, „Ægidius, & Scotus: Nec usquam adducat theologicas conclusiones, rythmos scilicet belle concinentes: „Quod non crepet majores ac minores; Quod nusquam Sophisticis argutiis ac puerilibus captiunculis in„eptiat; Quod non in anxiis quæstiunculis torqueat sese, quod non passim insulciat philosophum. At æ„quum erat, hac quidem in re veniam dare Hieronymo. Nam qui suspicari potuit vir ille, fore ut novum hoc „theologorum genus nasceretur apud Christianos? Cum nihil simile nec in divinis & apostolicis libris com„periisset, nec apud eruditissimos horum interpretes: Præsertim cum a Paulo didicisset hujusmodi quæsti„unculas, ad nihil utiles, nisi ad subversionem pietatis, esse devitandas. Qui potuit divinare futuros, qui to„tam Theologiam, a capite, quod ajunt, usque ad calcem retexerent, & ex divina facerent Sophisticam aut „Thomisticam, aut Scotisticam, aut Occamisticam. Atqui si hanc ob causam in theologorum sena„tum non recipiunt Hieronymum, ne Paulum quidem aut Petrum recipient, neque quenquam omnino, qui „ante quadringentos annos vixerit. O miserum illud seculum, o calamitatem orbis Christiani, qui „plus mille annos absque theologis fleterit, præsertim cum illis temporibus latissime patuerit religio „Christiana, nunc in arctam contracta, ut tot hæreticorum turmæ libris essent revincendæ, non fas„ciculis. Minori studio liceret bis Magistri nostri parare titulum, quam Hieronymianam assequi di„ctionem! Nullus inficias ibit in bonis literis exercitatus. At ille tot linguis excelluit. Ut omittam „tam multa disciplinarum adminicula, sine quibus in divinis voluminibus necesse sit passim halluci„nari: Quis unquam sacras literas sic ex ipsis hausit fontibus? An ideo theologus non erit, quia „nobiscum non balbutiat, ne dicam ineptiat? An ideo grammaticis annumerabitur, & Scotistis, in sublimi „cathedra tonantibus, Hieronymus ad horum pedes minis sedebit subtellis, quod divina maluit di„cere, quam hominum somnia? quod inter vernantia scripturarum prata versari maluit, quam in„ter horum spineta luctari: Quod non frigidissimis distinctionibus omnia confoderit, sed velut aure„um quoddam flumen ire maluerit, multas simul opes secum deferens. In singulis verbis sæpenu„mero singuli sunt Syllogismi. Num ideo parum est acutus, quia nos illius acumen non assequimur?

Velo dein remoto, distincte confert Erasmus Hieronymi doctrinam salubrem cum ægris & egenis scholasticorum nugulis. „Tractavit Hieronymus eas quæstiones, quæ tum in Ecclesiis ac Sy„nodis vertebantur: & ita tractavit, ut nemo copiosius, nemo nervosius, nemo magis theologicè, nihil „addivinans a theologorum sacris arcendo, qui de formalitatibus, de instantibus, de quidditatibus, de „ecceitatibus, deque aliis id genus argutiis non disputaret.

Cum Scholastici Patres præ se contemnerent, invectus in horum arrogantiam, justa indignatione commotus, „gestit animus, inquit, pavos istos, qui sic de Hieronymo sentiunt, cum Hieronymi con„ferre, sed reprimam me, ne quod in nebulones dixero, probi theologi in se dictum existiment. U„num illud tacere non possum, tot editis voluminibus quid valuerit, declaravit Hieronymus. Si quis„quam istorum, unicum Hieronymi volumen suo marte possit intelligere, si quadraginta istius factio„nis theologi, communi opera, conflatisque studiis, possint unicum excudere libellum, qui sit ullo „modo cum Hieronymianis conferendus, imo quos dictavit Hieronymus, non scripsit: Fatebimur „Hieronymum non esse Theologum. Sed istorum judicium minus demiror, cum magis mirum „foret, si probarent quod nec didicerunt, nec intelligunt.

Generosum inprimis in Erasmo, quod Hieronymum vitæ redditurus, studiose admodum ab illo secreverit aliena, suppositicia, fucata, falsa, putida & fabulosa, illius operibus dolose etiam infarta. Quæ perpurgatio immensi laboris sed & subacti judicii, animi quoque imperterriti, qui imperitorum clamores & contumelias non vereretur. Defendit in vita Hieronymi infatigabilem hanc industriam, ut desinerent rudes in Schola, Hieronymi nomine tueri rancidas fabulas & fallacia miracula. *Gratiani autoritatem*, qui Hieronymi nomine pluscula alleget inepta, Hieronymo afficta, convellit *Tomo II f. 190. Restat scrupulus eorum, qui plus operæ contriverunt in Sophisticis contentionibus, quam in evolvendis bonis autoribus. Hi forte cavillabuntur, nimis audacter a me reiici quædam, e quibus tamen permulta citat Gratianus in Pontificum decretis. Respondere poteram, quemadmodum & ante sum testatus, opus illud usu modo Scholasticorum receptum. Nec enim ullis constat argumentis, quis fuerit Gratianus, quo tempore suum exhibuerit opus, cuius Pontificis, cuius concilii autoritate fuerit comprobatum. Nam ea quidem fabula, quæ de palea iactatur in scholiis, prorsus affinis videtur illi, quæ de permutatione Diomedis & Glauci, deque legibus a Græcis petitis fertur in Pandectarum glossematis. Deinde in tam confusa rerum congerie, cum interim velut a disputante pugnantes sæpe numero sententia recitentur, non continuo pro oraculo convenit accipi, quicquid ibi scriptum offenderis. Primas illic tenet Isidorus ac summis de rebus pronunciat homo grammaticus. Nil enim is aliud, quod equidem sciam, scripsit, & ita grammaticus, ut a grammaticorum quoque collegio reiiciatur. Ac mihi quidem videtur is quisquis fuit, sive Gratianus, sive Crassianus, hoc potissimum consilio veterem illam decretorum collectionem antiquare nova voluisse, ut Isidorum suum conterraneum opinor & alios quosdam recentiores nobilitaret. Nam Bedam inter eruditos numero. Hoc eam ob causam admonui, ne cui mirum videatur, si quem librum Hieronymi nomine citat Gra-*

tianus, qui non sit Hieronymi, videlicet homo seculo natus infelicissimo & veteris literaturæ prorsus rudis & imperitus, adeo ut sæpe numero cum ex Hieronymianis commentariis citat testimonia, si quid incidit, quod vel ob antiquitatem vel græcitatem admixtam minus intellexerit, transiliat, cum ea magis etiam ad rem pertineant. Postremo labi potuit summus Pontifex, hallucinari potuit summi Pontificis consilium, in his inquam quæ ad fidei necessitatem non pertinebant. Ad hæc multa passim irrepunt in publicam consvetudinem, episcopis vel insciis vel conniventibus, quæ deinde, quoniam extorqueri vix possunt, publicis condonantur affectibus, & tolerantur verius quam approbantur. Atque utinam tantum esset otii Romanis Pontificibus, ac ceteris episcopis, ut in his quæ ad Christianam pertinent eruditionem, tantum studii curæque possent impendere, quantum & ipsa meretur res, & publica flagitat utilitas. Hoc loco sentire puto cordatum lectorem quid reticeam, ac tacitæ cogitationi relinquam. Siquidem expedit nonnunquam & vera tacuisse.

Quem *editi Hieronymi scopum* denunciaverat Erasmus; Eundem diserte confirmarunt *Bruno & Basilius Amorbachii, præfatione in Tomum V. A. 1516.* Postquam indicaverant, se linguas, hebræam & græcam curate didicisse, ut Hieronymo edendo opem ferre possent, parentis voluntate, addunt de illo: „Futurum sperabat, ut si vetus illa theologia reviviscceret, minus valeret spinosum illud „sophistarum & frigidum Theologorum genus, & Christianos haberemus magis ingenuos & germanos. „Abeunt enim studia in vitam & tales evadimus, quales quotidie legimus.

Lutherus, accepto Erasmi Hieronymo, non scopum sed usum notavit, qui Augustinum anteferret Hieronymo. Quam in rem nos *Part. IV.*

Placuit orbi literato prudenti, ad emendationem enixe adspiranti,

Erasmi Novum Testamentum Græcum, A. 1516. editum, instar novi sideris.

Vix dum in conspectum venerat publicum apud Anglos & Gallos, novum illud expectatum opus, quando pro fama de illo accepta impense gavisi viri periti, gaudio apud Erasmum etiam explicato. Johannes Watsonus, Anglus, Theologus Anno 1516. ad Erasmum: *Castigatione Novi Testamenti, simul & annotationibus suis mirum quam illustrasti Christum, optime meritus de omnibus eius studiosis. Meo iudicio non potuisti facere quicquam Christiano professore dignius.* Respondit Erasmus, Bruxellæ, id. Jan. 1517. (non 1516.) Watsoni animum in sinceriorem theologiam commendans & scopum editionis illi conformem exprimens. *Novum Testamentum tibi, hoc est viro tum integro, tum erudito probari, non moleste fero: De quo tamen ipse nihil ausim profiteri, nisi nos annixos pro virili, ut qualicunque industriola nostræ, Christi philosophiam bonis mentibus commendaremus. Tuumque animum magnopere probo, qui sic in Scoticis labyrinthis versaris, ut tamen hæc simpliciora crassioraque non asperneris, pariter & illis satisfacies, & tuo nihilominus fruens iudicio.*

Quamprimum inquam opus in oculos manusque venit hominum publico applausu est exceptum, non nisi rudibus mussitantibus, de quibus suo loco. *Adrianus Barlandus, Lovanii 1516. Novissime Novum Testamentum græce simul ac latine primus omnium nobis dedit, illa sua editione ad veterum exemplarium & interpretum utriusque linguæ collationem diligenter emendatam, una cum annotationibus. Quod opus miro studio docti candidique omnes amplectuntur. Epist. lib. 1, ep. 25. f. 68.*

Cardinali Grimano denunciarat Erasmus A. 1515. prid. Cal. April. Londino, propositum suum edendi Novum illud Testamentum: *Proxima æstate emissuri sumus varias nec infrugiferas, ut opinor, annotationes nostras in Novum Testamentum una cum Apostolicis epistolis sic a nobis versis, ut intelligi possint. In quo labore ita puto me versatum, ut non sine causa post Laurentium Vallam, post Jacobum Fabrum virum iuxta doctum ac diligentem, videar hoc negotii suscepisse.* Postquam opus jam editum, rationem illius reddit ampliori relatione apud Leonem Pontificem, *addito iudicio publico, A. 1516. Londino, 5. id. Aug. Novum Testamentum, simul & græce & latine editum, a nobis recognitum, una cum annotationibus nostris iam pridem in lucem exiit faustissimi Tui nominis auspiciis. Quod opus an omnibus probetur, nescio: certe hactenus a probatissimis ac primariis theologis probari comperio: Cumprimis autem ab incomparabili Antistite Christophoro, Episcopo Basilienſi, quo teste liber excusus est. Nec enim hoc labore veterem ac vulgo receptam editionem convellimus, sed alicubi depravatam emendamus, aliquot locis obscuram illustramus: idque non ex animi mei somniis, nec illotis, ut aiunt, manibus, sed partim ex vetustissimorum codicum testimoniis, partim ex eorum sententia, quorum & doctrinam & sanctimoniam Ecclesiastica comprobavit autoritas, nempe Hieronymi, Hilarii, Ambrosii, Augustini, Chrysostomi, Cyrilli; Semper interim parati, aut modeste rationem reddere, si quid recte docuimus, aut libenter corrigere, sicubi imprudentes, ut homines, lapsi sumus.*

Guilielmo Waramo, Archiepiscopo Cantuariensi, Angliæ Primati, miserat Erasmus editi Novi Testamenti exemplar: Quod quantopere placuerit, nunciavit Erasmo, A. 1516. d. 20. Julii. *Editionem tuam in Novum Testamentum aliquot fratribus meis, Episcopis & Theologiæ doctoribus communicavi: Qui maxime operæ pretium in ea re te feciſſe uno ore profitentur. Quorum iudicio adhærens & omnia summa iudicans, quæ a tuo divino ingenio multiplicique doctrina proficiscuntur, eam omnibus laudibus effero.*

Redierat Erasmus in Angliam, A. 1516. media æstate, quando Cantabrigia *Henricus Bovillus*, de illius reditu impense gavisus, Novo illius græco Testamento est gratulatus. *Hic (Cantabrigiæ) acriter incumbunt literis græcis, optantque non mediocriter tuum adventum, & hi magnopere favent huic tuæ in Novum Testamentum editioni, dii boni, quam eleganti, argutæ, ac omnibus sani gustus suavi, ac perneceſſariæ.*

Bilibaldus

Bilibaldus Pirkheimerus, Senator Noribergensis, Erasmo A. 1516. d. 20. Maji. *Clarissima tua editio, qua non minus sancte & fideliter, quam fauste & feliciter Novum explanatum est Testamentum. Vindicasti tuum nomen ab omni temporis iniuria, peregistique rem non minus Deo optimo & maximo acceptam, quam omnibus Christi fidelibus necessariam & utilem. Macte igitur virtute, qui negotium, cunctis hominibus a mille annis citra, negatum, absolvisti.*

Quam magni faceret *Stephanus Poncherius, Episcopus Parisiensis*, Erasmi Græcum N. T. aperuit *Budæus*, Parisiis, Nonis Febr. 1517. Epist. lib. 1. ep. 15. f. 58. *Vidi tuam Novi Testamenti editionem apertam in cubiculo eius remotiore. Nam & ipse contra istos archaismi, id est, inveteratæ ac deploratæ ignorantiæ patronos & assertores, Saturnias lernas olentes, ut est in proverbio, tui veritatisque postliminio redeuntis impugnatores, propugnare tibi ac veritati summa autoritate solet.*

Andreas Ammonius, Londino A. 1517. 13. Cal. Mart. ad Erasmum: *De Novo Testamento equidem plurimum gaudeo, & tibi gratulor. Est enim mea sententia opus ut religiosissimum ita & maxime necessarium, quod ab omnibus excolatur, ingeniique & doctrinæ capacissimum dignumque inprimis te, & Pontifice Maximo, cui inscribendum destinasti. Macte animo, sic itur ad astra.*

Franciscus Deloinus, Senatus Parisini Præses, Erasmo A. 1517. sub anni exordium, Epist. l. 1. epist. 13. „f. 54. „Ecquis tam duro, tamque ingrato animo esse potest, quin tibi libens gratuletur, tot tamque præ„clara in omnium disciplinarum genere, ingenii atque industriæ tuæ contrectans? Quibus tu plane cum „ipsa antiquitate certare, & omnibus nostræ ætatis scriptoribus palmam præripere videris, doctorum o„mnium opinione, non nostra tantum: dum e mediis ignorantiæ tenebris ingenuas artes atque adeo sa„eras literas vindicas; & longo veluti postliminio redeuntes in suam quodammodo regnum dignitatem„que restituis. Nam adagiorum chiliadas, Moriæ encomium, Militem Christianum, Novum Instru„mentum, ceteraque id genus, quæ ex tua officina felicibus avibus profecta, ad nos plausibiliter perve„nerunt, jam pene quantum per occupationes nostras licuit, legendo contrivimus. Sunt in manibus divi „Hieronymi opera, strenuus sane labor, & non nisi Herculis cujusdam, hoc est Erasmi viribus suscipien„dus, in quibus ipsum Hieronymum mihi videre videor, tua cura, diligentia, labore summo, in lucem „rediisse, & promissum sacris elogiis anastaseos diem quodammodo prævenisse, ut qui purgatis, quibus un„dique scatebat, nævis, nova quadam immortalitatis veste abs te donatus, nativo germanoque decori abs „te restitutus est. Succurrunt Annotationes tuæ. Deus optime quam eruditæ, quam religiosæ, quam „omnibus numeris absolutæ. Quibus ita quorundam, qui se magnos videri volunt, luminibus obstruxisti, „& ut dici solet, cornicum oculos confixisti, ut splendore nominis tui excæcati, & maximis eloquentiæ „tuæ viribus in ordinem coacti, manus tandem dare, & communem temporum suorum inopiam in citiam„que miserantes, præsentis seculi felicitatem admirari cœperint. Quos etiam videas abjectis crassis, ne„dicam, sesquipedalibus verbis, quibus olim tumentibus buccis uti consueverant, submissos, & suo se pede „nunc primum metientes. Perge itaque, mi Erasme, de literis, de rebus divinis, de Christiana philoso„phia, de republica ecclesiastica, optime semper, ut facis, mereri.„ Deloino respondens Erasmus, *Antverpiæ, 9. Cal. Mart.* A. 1517. (non 1516.) l. c. f. 55. 56. sui illius studii scopum attingit. „Scripsimus „ista crassulis quibusdam & amusis theologis, quibus antehac erat ad Catholicarios, ad Mammetrectarios „velut ad Apollinis tripodem frustra confugiendum. Horum Cimmeriis tenebris conati sumus quantu„lumcunque lucis aperire.

Joh. Ludovicus Vives Erasmo, Tom. Epist. f. 753. l. 17. ep. 10. „Novum Testamentum suæ „integritati redditum, labor longe Christianæ pietati utilior, quam quæ sunt intra mille annos in scholis „clamata.

Cuthertus Tonstallus, Anglus, tunc Brugis degens, A. 1517. 18. Cal. Octobr. ad Erasmum, *lib. 3. „ep. 2. f. 173.* „Tu nuper editis in Novum Testamentum annotationibus, Græcos non modo aperuisti „fontes huic nostro seculo, verum tam alte cuncta es rimatus, ut nihil a quovis annotatum, quod operæ „pretium fuit legere, non tam exacte excussseris, ut nihil cuiquam feceris reliquum. Quæ tu lucubratio„num tuarum splendore, velut sol oriens stellas condit, ceteris ex ea re famam ante tuam editionem ca„ptantibus, æternas offudisti tenebras.

Germanorum favorem indicavit Erasmus Johanni Episcopo Rossensi, A. 1517. lib. 7. ep. 9. f. 388. „Timebatur hoc opus, antequam prodiret. Ceterum, editum, mirum est quam probetur omnibus et„iam theologis vel eruditis, vel integris & candidis. Prior Friburgensis, vir summæ autoritatis apud suos, „is est autor Margaritæ philosophicæ, cum degustasset opus, ait se malle carere ducentis florenis aureis, „quam eo libro. Ludovicus Berus, Theologus Parisiensis (Parisiis promotus, Theologiæ Professor in „Academia Basileensi) vir in ea promotione, ut vocant, primus, exosculatur, adorat, ac deplorat tot an„nos in scholasticis illis conflictationibus consumtos, idem sentit Wolphgangus Capito, Concionator pu„blicus Basileensis, vir hebraice longe doctissimus, ad hæc in theologica palæstra exercitatissimus; uter„que græcis literis sedulo dat operam. Hunc similem reperi Moguntiæ Theologum & Colonienſem „suffraganeum. Ut reliquos omittam, Episcopus Basilienſis, vir grandævus, vitæ integerrimæ, & im„pense doctus, quid non humanitatis in me contulit? Quid non obtulit? Cum omnia recusarem, coëgit „tamen, ut equum acciperem, quem mox urbem egressus, quinquaginta florenis aureis revendere potu„issem. Gaudeo qualescunque nostras vigilias non displicere bonis. Multi legunt hac occasione „divinas literas, nunquam alias lecturi. Quod ipsi fatentur. Complures græcari cœperunt, imq „passim.

Erasmus, editis Novi Testamenti & Hieronymi voluminibus, melioris humaniorisque doctrinæ fidis nunciis atque doctoribus a Gallorum Rege Francisco I. Episcopo Parisiensi Poncherio, Curiæ Præside Deloino, literatissimo Budæo A. 1516. magna ambitione *invitatus Lutetiam*, ad blandissimam humanitatem apud Gallos promovendam.

DEderat divina manus per Erasmum orbi Christiano arma validissima, diuturnæ barbariei paganæ & irreligiosæ superstitioni, in scholis receptæ, opposita, *Græcos Novi Testamenti fontes*, præter Hieronymi laudabile exemplum, & mansuetarum literarum usum. Agnoscebant hæc cœli beneficia Reges etiam & Principes. *Rex Hispaniarum Carolus*, tametsi juvenis, Erasmum & mitissimas literas ex animo veneratus. *Rex Angliæ Henricus VIII.* Erasmum & in illo mansueta & decora studia coluit impense. *Rex Galliæ Franciscus*, Erasmum & in literis humanitatem & venerabile decus æstimavit maximi. Adjuverunt hanc in meliores, & literas & homines, gratiam, *supremi regum horundem ministri*, ipsi cultissimi vereque politi, in curia non magis quam choro Antistites. Quanquam florere dicerentur tot Academiæ & Collegia sacra, nec minus monasteria, innumeris doctoribus & Professoribus, quibus tum Sorbonæ tum Scholæ nomen datum: Pervidebant tamen reges illi & magnates obscuram caliginem, noctis instar, in tam amplis Collegiis & augustis ædificiis, quin spatiosissimis templis, auri etiam fulgore non obstante, totis diebus & annis regnare. Detexerat Erasmus spissas nebulas, quæ forum & choros implerent lucique usum negarent. Nec *Moria* defuerat, quæ lusus in tenebris illis demonstrarat. Cupidii proinde lucis, pro regni quisque sui salute & beatitudine, consilia cum ministris suis iniverunt frequentia, de modis consulendi: Hac in re magna subditis, in choro æque ac foro, ut crassis ignorantiæ nebulis dispunctis, horrida & barbara superstitione scholastica coërcita, in populum & cives rediret vi tutis omnigenæ radius, oris & mentis puritas, mores concinni & decori, humaniorum literarum præsidio atque adjumento. Sub Carolo Hispano, Cardinalis Franciscus Ximenes, regni Primas, Caroli absentis locum tenens, literis probe excultus, senex grandævus, *Veteris & Novi Testamenti Fontes sacros*, ab A. 1513. usque ad A. 1517. impensis incredibilibus, Hispanis præsertim suis exhibere annisus. In Anglia Henricus, per Waramum Archi-Episcopum Cantuariensem, Fischerum Episcopum Roffensem, per Morum, Montioium, Coletum, in Academias & Collegia introduxit nitidiora studia quælibet, græcas præsertim disciplinas, Erasmi ubique consilio & ope. In Gallia Franciscus, per Poncherium Parisiensem Episcopum, curiæ antistitem Deloinum, Budæum mox regium Secretarium, his annis, 1516. 1517. summo studio huc contendit, ut viros alios, quam in Scholis sine numero haberent, peritiores ac ornatiores, veræ humanitati & virtuti sacros, quæreret & in Galliam pelliceret.

Visum ipsis felicitatis momentum optimum, *ipsum nanciscI Erasmum*, cui faveret cœli benignitas, humanitatis fortuna, magnatum judicium, infiniti fructus experientia. Hunc Galli quærere & ambire, hunc ad se invitare, rogare, persuadere. Nullis hic parsum precibus, monitis, votis, interpretum, amicorum.

Unus esto, nomine multorum, *Germanus Brixius, Antissiodorensis*, qui ambabus ulnis, arctissimis amplexibus, Erasmum Lutetiam pertrahere, superiorum hortatu nisus. Mollissima Brixii vincula, quæ Erasmo injicere, ac Lutetiam amicissima manu deducere conatus, habentur *Tomo Epistol. f. 273. seq. lib. 4. ep. 8.* Scripta hæc epistola *Parisiis Anno 1516. 8. id. Aprilis.*

Poncherii elogium, ex optimarum literarum peritia ac promovendi inexstinguibili ardore, præire voluit Brixius; Quod & nobis audivisse non displicebit, ut meminerimus, quibus magnatibus salus illa publicæ rei ante hæc duo secula constiterit. „ Antistitem hunc nostrum, difficile adeo dictu est, quanto„pere Gallia hæc demiretur, quantopere observet, quantopere etiam revereatur. Neque id sane temere. „Nempe is unus est Parisiensis, qui reliquos omnes Galliæ nostræ Pontifices, absit verbo invidia, tum mo„rum honestate, comitate, gravitate, tum vitæ simplicitate, continentia, integritate, simul ingenii „facilitate, candore, bonitate, simul juris utriusque, theologiæ, philosophiæ, disciplinarumque pene „omnium cognitione quadam incomparabili, sine controversia antecellit, & longo post se intervallo re„linquit. Ut non immerito in eorum albo antea semper vel in primis adscriptus sit, quorum consilio, pru„dentia, judicio, regni hujus molem moderentur. Eundem enim jam Galliæ hujus reges tres, quadam „veluti successione, alius subinde post alium, perinde atque consuetissimum quendam Nestora, in consi„liis suis delectum, magna ubi ubi penes se autoritate honestarunt, magno in pretio atque æstimatione „nunquam non habuerant; usque adeo probata spectataque illis fuit Antistitis fides, & explorata perspe„cta que prudentia, ac præsens quædam in rebus agendis omnibus providentia. Adde, quod vel in tantis „reipublicæ negotiis, ac ut verius dicam, negotiorum fluctibus, quibus ille assidue non implicatur modo, „verum etiam tantum non obruitur, solus de tanto Episcoporum nostratium choro, bonarum literarum can„didatos non respicit solum aut appellat, sed etiam præmiis exhortatur, liberalitate demeretur, comitate „invitat, humanitate allicit, autoritate sua fovet, dignitate protegit, splendore ornat & illustrat: Atque „ita demum hæc omnia præstat, ut numeris omnibus singularem quendam apud nos agat Mecænatem in „eos omnes, quos cognoverit literarum cognitionem cum honestate morum conjunxisse. Felicem ve„ro ac multo fortunatissimam Galliam futuram, si decem præterea Mecænates huic uni similes habeat; „Quorum favore & benignitate honesta tandem studia ingentiæque artes, principum horum tenacitate & „odio extinctæ, excitarentur, & veluti ex umbra, quod ajunt, in lucem producerentur.

Tenerrimum hujus Poncherii in Erasmi virtutem affectum posthæc testatur, quando ex colloquio cum Erasmo, in regia legatione, reversus Erasmum mirifice celebrare perseveraverit. Orationum Poncherii in Erasmum nervos tangit Brixius, & nos ex Poncherii ore audire delectabit. „Magna, inquit „Poncherius, Erasmum fama præcesserat, major inventus est. Quid enim vetat eadem nos de Erasmo pronun-

„pronunciare, quæ de Iseo quondam suo Plinium pronunciasse legimus? O vere atticum lepôrem, o vere „Nestoream eloquentiam, o raram eruditionem, ac certe non seculi nostri. Nihil unquam Erasmo cis„alpinus orbis produxit omnibus literariis dotibus cumulatius, absit verbo invidia! Habuit nostra hæc ætas „bonarum literarum proceres duos, Hermolaum Barbarum, atque Angelum Politianum. Deum im„mortalem, quam felici ingenio, quam acri judicio, quanta facundia, quanta linguarum, quanta disciplinarum omnium scientia præditos? Hi latinam linguam jam pridem squalentem, & multa barbariei rubi„gine exesam, ad pristinum revocare nitorem conati sunt, atque illis suus profecto conatus non infeliciter „cessit: Suntque illi de latina lingua tam bene meriti, quam qui ante eos optime meriti fuere, itaq; immorta„lem sibi gloriam, immortale decus paraverunt: Manebitque semper in omnium eruditorum pectoribus „consecrata Hermolai ac Politiani memoria, nullo ævo, nullo casu, nullo fato abolenda. Vidi & ipse „in Italia olim aliquot magni nominis, magnæque in literis opinionis, in quibus & doctrina non vulgaris, „& judicium acre, & rara adeo inerat facundia. Sed tamen illud ego citra invidiam & cum Italiæ pace „dixerim, cui equidem cum favi antea multum, tum tribuo semper in studiis plurimum: Unus profecto „Erasmus transalpinis ac cisalpinis omnibus palmam præripit: Unus Erasmus omnium luminа eruditionis „ac facundiæ fulgore præstringit, & quod est in proverbio, cornicum oculos configit. Etiam nunc Eras„mum ipsum loquentem videre videor: Dii superi, ut omnia apte, omnia appositè, ut nihil non erudite, „nihil non eleganter & ornate, nihil non distincte & ad amussim loquitur. Summa est facultas, copia, „ubertas, oratio ejus pura, aperta, facilis, dulcis, sermo proprius, tersus, exquisitus, gravis, sensus abstru„si ac reconditi. Neque theologiam Erasmus, quod nonnulli fortasse opinantur, primoribus tantum la„bris degustavit, sed plane ad penetralia usque penitissimosque recessus penetravit. Porro philosophiam, „artium omnium reginam, non obiter aut veluti e limine tantum salutavit: Nota illi sunt & domestica ar„cana, mysteriaque omnia, quæ vel divinitus a Platone vel ingeniose ab Aristotele, vel quicunque alii in „Philosophia excelluerunt, prodita ac relicta sunt. Atque in tanta tamque copiosa disciplinarum supelle„ctile bonarum, ecquis modo inveniri poterit, qui cum Erasino manum conferere, & in arenam descen„dere audeat? nisi si quis forte Thersites viribus longe inferior cum Achille aut Diomede congredi præ„sumserit, mox magno suo dedecore hastam abjecturus, & tota arena turpiter cessurus.

Hæc in laudem Erasmi Poncherius, qui illius in Galliam pertrahendi spe tenebatur & cupidine. „Idem Regis nomine, in Galliam commearet, invitavit, ipsomet Poncherio reduce teste: „Hominem „ipsum invitavi regiis verbis, ac stipendiis, ac nonnihil etiam meis seorsum promissis, ad Galliæ nostræ „contubernium. Ac venisset quidem ille non invitus, nisi quod suam jam fidem Catholico regi principi „suo obstrinxit, & fortuna illi sua vel potius virtus, fautores aliquot apud Principem, clarissimos quidem „illos ac Principalis aulæ primarios viros comparavit, quorum favore atque autoritate studiorum suo„rum messem facere & laborum omnium fructum haud ita multo post colligere expectat.

Reliquum peramplum laudandi campum, in quem digressus Brixius, illis relinquimus lustrandum, quibus volupe est pretium Erasini apud Gallos præcipuos illo ævo cognoscere.

Respondit Erasmus Brixio, laudibus Erasmianis exuberanti, Anno 1518. ut in codice Londinensi. f. 279. imo in ipsa Farragine Basileensi, Anni 1519. f. 62. ut & in opere Epistol. Basileensi A. 1529. f. 208. Quanquam verosimile, annum fuisse 1517. Galliam declinavit „speciosis coloribus: „Quo prolixius me laudant isti, hoc magis deterrent ab adeunda Gallia. „Nam qui ausim venire tam onustus, ut istis tam magnificis præconiis scirem esse respondendum? Mihi „semper arrisit Gallia, neque clam est, quam hic invisæ sint bonæ literæ, τυραννευόντων Μουσῶν τινων „καὶ μαστιγοφόρων, qui facile Paphlagonibus acchidis imponunt. Sed adhuc nescio, quibus compedibus „me meus alligat genius. Amplissima sunt fateor, quæ mihi liberalissimi regis nomine deferuntur: Apud „me tamen plus habet momenti tam insignium virorum familiaritas quam regium auctoramentum, „quandoquidem & hanc vestro nomine pro se quisque pollicemini.

Multæ magni momenti fuere causæ, quæ Erasmum a Gallia retinerent, ab ipso prudenter dissimulatæ. *Carolo* erat devinctus, *Anglis* obligatus, libertati assuetus, edendo Novo iterum Testamento, non apud Gallos sed Germanos, incumbens, futura prævidens aut præsagiens: Jam tum Lovanii in Academia magnum Collegium trilingue struens, novo inaudito fundamento, secuturæ communi emendationi destinatum. Ad cujus Lovaniensis Collegii fundati exemplum, *Gallorum Rex simile & Parisiis instituere* decrevit: Quo iterum vocatus Erasmus, illius *novi trium linguarum Collegii* futurus *præses & director.*

Meminerat etiam Erasmus, *Budæum & Fabrum*, utrumque amicum suum, maximæ apud Gallos tunc æstimationis ea æmulatione facillime iri offensum, ut difficilius æger retraheret ex Gallia pedem, quam sanus inferret. Quem inprimis amicorum offensa plus morderet & maceraret, quam multorum inimicorum conjuncta arma. Recordatus simul, in recentissimis Annotationibus in Novum Test. Budæum & Fabrum alicubi esse, tametsi mollissime & fere tecte notatos. Unde jam tum nonnihil simultatis erat verendum viro circumspecto & experto. Quod dies mox docuit, utroque Erasmum vellicante, uno callidius & subtilius, altero rudius: Quorum utrique respondit pro causæ & personæ dignitate, uti jam jam memorabitur.

Neque flecti deinceps potuit Erasmus, sequentibus annis, cum Galliæ Rex, Franciscus I. Erasmum, qui inter arma Cæsaris, Galli & Angli ex Brabantia Basileam concesserat, A. 1522. Lutetiam de novo invitavit, diplomate etiam misso, *Caroli Cæsaris consiliarius, honeste non poterat, ne a Carolo hero suo ad castra Galli, inter quos tunc bellum, videretur commeare;* Qui alioquin Gallis & Anglis ex animo addictus, ex favore in Erasmum & bonas literas. Et sanitatis ratio pellexisset eum in Galliam, ob Burgundiæ propinquitatem, unde vina Burgundica, senis Erasmi vita, commode obtinenda. Sed *devotio erga*

Carolum Cæsarem, cuius minister, omni prosperitate potior: Quæ nisi retinuisset Erasmum, apud Gallos eminuisset, honore & mansueta studia promovendi potestate major, ut & fortunatior, quin & tranquillior, quam apud Germanos.

Celebravit Erasmus hanc Gallorum in se propensionem & Regis Francisci gratiam, ab A. 1516. ad annum 1523. *qui iter in Galliam constanter urgerent, illum in magno habituri pretio.* Marco Laurino, Brugis Decano, sua illa explicuit fata A. 1523. Cal. Febr. „De Gallia adeunda, quod eam mihi velut „unicum asylum supereſſe dictitabant, non omnino de nihilo nata est fabula. Cœpi leviter de Gallia ad„eunda cogitare. Hac de re cum mentionem feciſſem ap. R. P. Franciscum Archi-Episcopum Ebredu„nensem, qui tum hic (Basileæ) legatione fungens, nos semel atque iterum invisit, ultro pollicitus est ille, „se curaturum a Rege suo diploma, quo tutius eo liceret proficisci, si ita visum fuisset. Juvenis humanis„simus gestiens, ac sibi gratulans, apud mensam regiam, quod Basileæ vidisset Erasmum, egit de diplo„mate. Aderat autem id temporis R. D. Card. Lothoringiæ. Rex lætus etiam indulsit quod petebatur. „Deinde ubi Budæum vidit, quem ascivit inter intimos aulæ primores, Heus, inquit, Budæe, mox habebi„mus Fabrum in nostra Gallia. Cum Budæus respondisset, Fabrum non abesse a Gallia, rex, intellecto „nominis errore, Erasmum, inquit, Erasmum volebam dicere. Nam diploma paratum est, quo tuto „veniat.

Renovat Erasmus memoriam *primæ Gallicæ vocationis A. 1516.* quam non admissam tantum non dolet: „Invitabat me vetus illud Galliæ hospitium, quæ mihi nunquam non fuit jucunda. Invitabat, „quod ante sex annos, (A. 1516.) magnificis conditionibus me revocavit: Quas si tum accepissem, ut ni„hil aliud dicam, certe non tam diu digladiandum mihi fuisset cum aliquot stolidis matæologis Lova„niensibus (Egmondano, Atensi, Latomo) nec mihi calerent aures hujusmodi furiosis tragœdiis, quibus „hic fervent omnia. Et res esset aliquanto, quam nunc est, amplior, aut certe minus angustia, fortasis & „valetudo melior, qui toties ob hæc vina & nidorem hypocaustorum sum de capite periclitatus. Invita„bat & illud quod in Gallia versans multo propius abfuturus essem a Brabantia, quo vel in bello transcur„rere licuisset, ob notitiam & privatam amicitiam eorum, qui civitates hinc & hinc obtinent, quæ sunt in „confiniis.

Ratio declinatæ Galliæ præcipua, vinculum quo Carolo Cæsari obligatus, Consiliarii munere: „Unum obstabat bellum inter tres reges, quorum uni, nempe Carolo, jurejurando etiam addictus sum: „Alteri, nimirum regi Angliæ, pluribus nominibus sum obstrictus, atque adeo toti illi nationi; Tertium „videlicet Galliarum Regem, ob tam propensum in me studium non possum non amare. Diploma jam „multos menses apud me est, nec usus sum.

Ex Novo Testamento Græco motâ primum Erasmo mollissima, tenax tamen liticula, a politissimo *Guilielmo Budæo JCto Gallo;* Quorum uterque in bonarum literarum cultu excelleret, pari affectu contra scholasticam rem, A. 1516. ignem in cineribus sopiente Gutberto Tonstallo, Anglo, Legato regio & Ludovico Vive, elegantissimis viris.

Duo illius ætatis in bonarum mansuetarumque literarum cultu lumina maxima, *Erasmus* & *Budæus*, ille Germanus, hic Gallus, ætate, ingenio, judicio, ferme pares, nec emendandi scopo dispares, nec fructu dissimiles: Quorum ille *Erasmus*, natus inter Hollandos, A. 1465. hic, *Budæus*, Parisiis, A. 1467. Amicitia non minus conjuncti. Major tamen paulo, in omni genere Erasmus Budæo: præterquam quod *forum* utriusque primarium esset diversum, *Erasmi theologicum, Budæi civile.*

Cum uterque Philologus græcæ linguæ notitia emineret, omnique humaniori doctrina, qua *Erasmus rem sacram, Budæus ius forense redintegraret, communi in receptam in Scholis barbariem odio:* Erasmus non intermisit editi A. 1516. Novi Græci Testamenti exemplar cum epistola mittere Lutetiam Budæo, amico veteri ex elegantiorum literarum communione.

Budæus, utut applauderet operi, fama tamen & honore publico aliquanto inferior Erasmo, ut elato erat animo æmulatione ne dicam invidia commotus, arripuit *ex Annotationibus Erasmi locum perexiguum*, quem in litem vocaret. Celebraverat Erasmus, *Notis in Lucam f. 316. 317.* Budæum mirifice & ex merito. Dissentit tamen in voce παρακολουθεῖν a Budæo, sed tecte admodum, ut consensum potius utriusque pronunciaret Erasmus: ut erat hic artifex dissimulandi & tegendi exercitatus, veritatis non magis ac humanitatis studio pari.

Suboluit Budæo obliqua & mollis amici notula; qua tantopere irritatus, ut ex tempore moveret litem, pari usurus artificio, tecte, sub amicitiæ pallio, inter grandia elogia, Erasmum reprehendendi. Ortum exinde non bellum literarium, sed concertatio ac dimicatio amicorum, longa quidem, multorum annorum, sed acris tamen, multo sale per omnes literas fuso, servato semper amicitiæ charactere. Mirum dictu, qui undique aculei, sub mellitissima oratione, inter blandimenta continua. Genius utriusque argutissimus, qui vellendo & acerbe pungendo nullibi videretur referre sanguinem aut vulnus inferre. Possint profecto *hæ literæ Budæum inter & Erasmum* illustre esse & incomparabile exemplar delicatissimæ sed & perquam aculeatæ concertationis, quæ videretur suavissimo absolvi risu & velut familiarissimo palpo. De alterutrius integritate neuter visus dubitare; uterque tamen semper anceps, tot annis, commercio frequentissimo. Dissimulandi artificium inexplicabile, quod attenti lectoris admirationem vehat, eumque præ dissertationum dulcedine subamara in stuporem vertat.

Locus hic, & peranguſti quos nobis præfiximus cancelli, non sinunt momenta, attentione dignissima, ordine pertexere, pro illius ævi luce perspicienda: Nihilominus hanc gratiam cupido & humanitatis conscio lectori faciemus, ut justam demus literarum superstitum seriem, quæ in legendo observata delicias

licias ferat copiosas. Hactenus quidem in Volumine Epistolarum Erasini adeo confusa omnia, ut pro luce, quæ in illis clarissima, densæ irrepserint tenebræ. *Traiectæ pene omnes literæ sine omni vel rerum vel annorum ordine;* ut nulla causa illo tempore acta possit cognosci integra aut distingui. Quomodo concinnus rerum gestarum ordo confusione illa ac temeraria mixtura abiit in chaos & rudem massam. Neque inenarrabilis Epistolarum Erasmi usus quicquam valet, quam diu illa incondita servatur confusio. Accedit, quod frequenter admodum *annorum & mensium defectus* caliginem auxerit. Quin & *anni* expressi, ut & *menses*, vel & *dies*, *valde corrupti*. Poscit profecto *historia literaria reformationis*, & prima illa bonis literis affulgens lux, *reformari*, *redintegrari*, *& ad annorum rerumque iustum ordinem restitui*, *Corpus* istud *Epistolarum Erasmi*, doctrinæ thesaurus, justo elogio. Viam monstrabimus; *memorabili præsenti* certaminis inter Erasmum & Budæum *exemplo.*

Miserat Budæo Erasmus Novi Testamenti græci recens editi exemplar cum epistola, uti aliis viris magnis & doctis per varia regna, amicis, & elegantioris doctrinæ patronis & præsidibus. Factum hoc A. 1516. postquam cum initio mensis Martii lucem viderat Basileæ. Acceperant circa festum Paschatos Parisiis *Franciscus Deloinus*, curiæ Gallicanæ caput, & *Budæus*, literas & exempla. Evolvit uterque, præ gaudio gestiens uterque, Volumen: Apologias, Paracleses, Præfationes, sed & Annotationes. Animadvertit in Notis in Lucam Deloinus Budæi encomium spectatum. Budæus attonitus, cum secum agens, cuncta expendisset, visus sibi ab Erasmo post tantas laudes mollissime ob græcam unam vocem tangi aut notari. Quare ad Erasmum mox literas dedit, melle & felle conditas, itaque mixtas, ut amaritudinis nullus videretur animadverti gustus. En ergo litis ortum & progressum.

1. *Budæus Erasmo Parisiis A. 1516.* (qui legitimus *annus* in Volumine non comparet: Sequimur vero hic editionem Londinensem Anni 1642.) *Festo Ascensionis*, Tomo Epist. f. 17. seqq. lib. 1. ep. 6.
2. *Erasmus Budæo, Antverp. A. 1516. mense Junio* exeunte. Et hæc epistola *sine die & consule*, uti Budæus in sua responsione ipsemet de eo conquestus, Erasmo exprobrans. Tomo Epist. f. 20. seqq. lib. 1. ep. 7.
3. *Budæus Erasmo, A. 1516. Nonis Julii.* Et hic *annus* abest, Tom. Epist. f. 24. lib. 1. ep. 9.
4. *Erasmus Budæo, Antverp. A. 1516. pridie idus Julias.* Neque hic *annus* Tom. Epist. f. 23. lib. 1. ep. 8.
5. *Erasmus Budæo, Bruxellæ, A. 1516. 15. Cal. Nov.* Non 5. Cal. Nov. Tom. Epist. f. 17. seqq. lib. 1. ep. 10.
6. *Budæus Erasmo, A. 1516. 6. Cal. Nov.* Et hic annus omissus. Tomo Epist. f. 31. seqq. lib. 1. ep. 11.
7. *Budæus Erasmo, A. 1517. Nonis Febr.* Neque hic annus. Tom. Epist. fol. 56. seqq. lib. 1. epist. 15.
8. *Erasmus Budæo, Antverp. A. 1517. 15. Cal. Martii.* Non A. 1516. ut in Volumine Epist. f. 42. seqq. lib. 1. epist. 12.
9. *Erasmus Budæo, Antverp. A. 1517, 9. Cal. Mart.* Non A. 1516. ut in impressis. Tom. Epist. f. 59. seqq. lib. 1. ep. 16.
10. *Erasmus Budæo, Lovanii, A. 1517. die Andreæ*, 30. Nov. Tom. Epist. f. 141. lib. 3. ep. 56.
11. *Budæus Erasmo, A. 1517. die brumæ, 12. Dec.* & hic *annus* nullus. Tom. Epist. f. 123. seqq. lib. 2. ep. 20.
12. *Erasmus Budæo, Lovan. A. 1518. 8. Cal. Mart.* neque hic *annus*, Tom. Epist. f. 211. seqq. lib. 3. ep. 51.
13. *Budæus Erasmo, A. 1518. pridie idus April.* Nullus iterum *annus* Tom. Epist. f. 218. seqq. lib. 3. ep. 52.
14. *Budæus Erasmo, A. 1518. 12. Cal. Mai.* Neque hic annus. Tom. Epist. f. 251. lib. 3. ep. 65.
15. *Erasmus Budæo, Lovan. A. 1518. Id. Octob.* Tom. Epist. f 227. lib. 3. ep. 53.
16. *Budæus Erasmo, A. 1518. pridie Cal. Nov.* sine anno. Tom. Epist. f. 227. seqq. lib. 3. ep. 54.
17. *Erasmus Budæo, Lovan. A. 1518. 11. Cal. Jan.* Tom. Epist. f. 230. seqq. lib. 3. ep. 55.
18. *Budæus Erasmo, A. 1519, Cal. Febr.* sine anno. Tom. Epist. f. 241. seqq. lib. 3. ep. 57.
19. *Erasmus Budæo, Lovan. A. 1519. 13. Cal. Mart.* Tom. Epist. f. 261. seqq. lib. 3. ep. 70.
20. *Budæus Erasmo, A. 1519. 5. Cal. Martii.* sine anno. Tom. Epist. f. 263. lib. 3. ep. 71.
21. *Erasmus Budæo, Mechliniæ A. 1519. 12. Cal. Apr.* Tom. Epist. f. 241. lib. 3. ep. 58.
22. *Budæus Erasmo, A. 1519.* die Dominico ante quadragesimale jejunium. Tom. Epistol. f. 245. seqq. libr. 3. ep. 59. itidem sine anno.
23. *Budæus Erasmo, A. 1519.* eodem mense Martio, 4. *Cal. April.* Non 14. Et sine *anno*, Tom. Epistol. f. 246. libr. 3. ep. 60.
24. *Erasmus Budæo, A. 1519.* mense Aprili. Tom. Ep. f. 246. seq. lib. 3. ep. 61.
25. *Budæus Erasmo, A. 1519. 4. Id. Jun.* sine anno. Tom. Epist. f. 250. lib. 3. ep. 64.
26. *Budæus Erasmo, A. 1519. pridie Cal. Julii.* Sine anno, Tom. Epist. f. 252. lib. 3. ep. 66.
27. *Erasmus Budæo, Græce, A. 1519. mense Augusto.* Sine anno, mense, die & loco, Tom. Epist. f. 252. seqq. lib. 3. ep. 67.
28. *Budæus Erasmo, Græce, A. 1519. 15. Sept.* Sine anno. Tom. Epist. f. 255. lib. 3. ep. 68.
29. *Erasmus Budæo, Lov. Idib. octob. A. 1519.* Tom. Ep. f. 625. lib. 13. ep. 16.
30. *Budæus Erasmo, A. 1519. 17. Cal. octob.* sine anno Tom. Epist. f. 258. lib. 3. ep. 69.
31. *Erasmus Budæo, Antv. A. 1520. pridie Laurentii.* Tom. Epist. fol. 725. col. 1. lib. 16. ep. 2.
32. *Erasmus Budæo, Lov. A. 1521. 14. Cal. Mart.* Tom. Epist. f. 682. lib. 14. ep. 23.
33. *Erasmus Budæo, A. 1521.* ex rure Anderlacensi Tom. Ep. f. 759. lib. 17. ep. 16.
34. *Erasmus Budæo, Basil. 1525. postr. Barthol.* Tom. Ep. f. 908. lib. 19. ep. 89.
35. *Erasmus Budæo, Basil. A. 1525. 6. Non. octob.* Tom. Ep. f. 1023. lib. 20. ep. 61.
36. *Erasmus Budæo, Basil. A. 1527. 10. Cal. April.* Tom. Epist. f. 1120. lib 21. ep. 50.

37. *Budæus*

37. *Budæus Erasmo, A. 1527. d. 12. Junii.* Tom. Epist. f. 964. seqq. lib. 20. ep. 8.
38. *Erasmus Budæo, A. 1527. 10. Cal. Julii.* Tom. Epist. f. 967. seqq. lib. 20. ep. 9.
39. *Erasmus Budæo, A. 1528. Basil.* Tom. Ep. f. 1025. lib. 20. ep. 64.

Longa hæc series & litis & affectuum, in Budæo & Erasmo, ab A. 1516. ultra decem annos, quæ controversia tenacissima orta *ex versione Erasmi in Novum Test. græcum.* Incidit huic tenacitati contendendi, lis altera inter Jacobum Fabrum Stapulensem & Erasmum, quæ Budæo nonnihil bilem movit, ut protraheretur quies, cum Budæus & Faber essent amici, æque ac Erasmus & Faber. Emendent illam historiæ texturam quibus dabitur. Negotium non parvum, usus pro historia maximi. In indissolubili pugnæ nexu, in impetu & vehementia validissima, se complexi mutuo: ut odii fomes amore pertinaci videretur extingui. Nihilominus, cum homines essent, ne in flammam erumperet igniculus, omni modo in media contentione cavit *Cuthertus Tonstallus, Regis Angliæ legatus*, doctrinæ nitidioris copia, & judicii acie vere excellens. Hic *A. 1517. mense Maio*, Budæum placare contendit, ut inter Erasmum & Budæum amicitia vel servaretur vel resarciretur. Quod illa confecit prudentia, ut nullum existeret medium nobilius & efficacius. *Epistola ad Budæum* hunc cum Erasmo tanta benignitate composuit, ut utriusque laudibus cumulatis neutri videretur dare palmam. Utrique impense favit Tonstallus, propensior tamen in Erasmum: Quod facile penetravit Budæus perspicax. Comparet *Tonstalli Epistola ad Budæum* inter Erasmianas, *lib. 2. ep. 29. fol. 145. seqq.* dignissima quæ plus simplici legatur vice, decus ævi. Appellat Erasmum & Budæum *duos seculi illius Milones in literis, qui amicissimis epistolis inter se certarent, qua alter de altero censuram ageret non ineruditam; Quorum uterque patriam suam, Germaniam & Galliam illustret, & orbi terrarum fama cognitus, ea sit apud eruditos autoritate, ut quidquid utervis illorum in literis censeret, magno consensu defendant omnes ut præiudicii vim in posterum habere videatur.* Diserte pronunciat, *illos duos plus ad veterem eloquentiam multis antiquatam seculis revocandam, plus ad instaurandas humaniores literas contulisse, quam omnes Perotii, Laurentii, Hermolai, Politiani, ceterique omnes ante illos contulisse visi.* Comparat Italos illos novissimos cum his Germano & Gallo, studiorum & fructuum præstantia his tributa præ illis, „illi ut otium oblectarent suum; Quo quemque „vocabat ingenium eo contendentes, jucunda quædam & ipsa varietate lectorem morantia, congesse„runt; Velut ex amœno prato selectissimos carpentes floseulos: Vos Herculeo quodam & indefesso „labore, densissimas barbarorum acies & Xerxis copiis majores magno uterque animo adorti fudistis, „ac jam pene profligastis, e templis alter (Erasmus) qui sacra omnia profanababant, alter (Budæus) ex „foro, qui judicia omnia pessundabant. Priores illos Italos bonas literas instauraße ait ad delectationem, hos ad vitæ usum, illos, ut in comœdiis, epigrammatis & historiis non erraretur, hos curasse, *ut de tota hominum vita errores tollerentur.* In restituendis veteribus hos illorum gloriam æquasse aut superasse, illos operis magnitudine deterritos desperabundos pleraque misisse. Prosequitur dein cum cura, necessitatem parum revocandi sermonem in templa æque ac forum. „Quamdiu, inquit, in „foro, quamdiu in templis, quibus in locis frequentissime versamur, patimur regnare barbariem? Fru„stra ad instaurandam latinam linguam diligentiam adhibueris, inanem omnem insumseris operam, nisi pri„us in templa, nisi prius in forum purum sermonem revoces. Extollit Duumviros illos, qui & *templum & forum* ante omnia *repurgare* sint anniti. Animum utriusque solidum, nullis adversantium machinis fractum, nullis barbarorum insidiis prostratum, deprædicat. Budæo reformationem fori & Pandectarum tribuit, laude copiosa, inprimis cum fuerit *αὐτομαθὴς* & *αὐτοδίδακτος*, in tam magnis negotiis & scientiis: Qui novas Servius Sulpitius jus civile cum facundia reduxerit in gratiam. Accursium ridet, in cujus verba juraßent antea, sacrosanctam auctoritatem a quoquam minui flagitium inexpiabile ducentes. Post miseram illorum temporum sortem natum, qui tenebras illas, reducta luce, è jure civili discuteret, veritatis assertor. „Quis est, qui barbaros, juris civilis puritatem sordida fœdantes inter„pretatione, ridiculaque sæpe ænigmata pro jure reddentes, e foro deturbat? Nempe Budæus. „Quis est, qui juris nodos, qui legum ænigmata solvat? Quis qui veterem in foro facundiam instauret? Budæus. „Quis, qui Scævolam, Papinianum, Ulpianum, Paulum, ceterosque juris autores, à barbaris diu in „vinculis habitos in patriam ex captivitate postliminio redeuntes, in forum reducit? Annon is est Budæus?

Budæus, animadversa Tonstalli prudentia, sub laudum Budæanarum cumulo *Erasmi societatem* in responsione ad Tonstallum evehit, *ex qua lucrum maximum fecerit.* Prolixa admodum Budæi ad Tonstallum epistola data Parisiis 14. Cal. Jun. A. 1517. in Erasmianis servata *libro 2. ep. 30. f. 148. seqq.* quam vel decies legisse neminem pœniteat. In laudibus Erasmi multus admodum recensitis illius libris potioribus, ad *Novum illius Testamentum græcum* delatus, quam in commendando copiosus! „Cum ea lego, quæ in novum instrumentum religionis ac pietatis edidit, quæ„que in divi Hieronymi libris (quo uno ferme interprete juris divini prudentia nititur) immenso „labore explicuit, enarravit, digessit, interpolavit, & plane instauravit, ibi sacrosanctam disciplinam, qua „vivendi moriendique ratio nobis constat, recte atque ordine constitutam, atque etiam restitutam, ætati „huic nostræ posterisque gratulor.

Barbariem à sacris per Erasmum pulsam gaudet & celebrat. „Simul isti triumpho in ordinem sunt „coacti, senilis infantiæ ac rusticæ & elinguis doctrinæ, ut patroni & assertores, sic improbi obtrectatores „elegantiæ, qui nihil esse sanctum putant, nisi squalore sordibusque sermonis horreat; Quique philosophiæ „ipsi, omnium bonarum artium autori & locupletatrici, honestatis gravitatisque antistiti & interpreti, „omni nitore atque elegantia verborum sententiarumque interdictum esse contendunt senatus orthodoxi „consultis, qui ex majorum quod dici solet gentium patribus conscriptisque cogebatur. Juvat animadvertere „Stoicastros illos, barbaricam loquacitatem antea populariter professos, ita nunc cum suis cavillamentis „è classibus doctorum atque adeo de ponte litteris suffragantium esse dejectos, ut qui prius arcem tenere philoso-

„ philoſophiæ putabantur, & ſuffragiorum prærogativam in diſciplinis habere, nunc Saturniis lemis ca-
„ ligare, ab omnibus dictitentur, iis quidem certe, qui aliquo ſeſe numero videri inter literatos volunt.
Emendationem ſacrorum inchoatam Eraſmo vindicat. „ Ecquis eſt tam adverſis Gratiis natus, cui jam
„ non ſordeat pinguis illa ac tenebricoſa Minerva, ex quo literæ quoque ſacræ Eraſmi induſtriâ terſæ
„ munditiem priſcam ſplendoremque receperunt? Quanquam id longe majus eſt, quod idem eadem
„ opera præſtitit, ut veritas ipſa ſacroſancta ex Cimmeriis illis tenebris emergeret: Etiamſi nondum pla-
„ ne theologia è ſcholæ ſophiſticæ pedore enituit. Quod ſi quando factum fuerit, ſeculi utique noſtri pri-
„ mordiis debebitur. Certe hactenus jam profectum eſt, ut eorum partim faſtum illum ſupercilii ponere
„ videantur, erroremque taciti agnoſcere, partim quibus integrum eſt per ætatem & vitæ inſtitutum, ſor-
„ tis ſuæ pœnitentes, nunc literas meliores capeſſere & amplecti.

Suam deinceps cum Eraſmo contentionem excuſat omni arte, pollicitus Tonſtallo valida cum Eraſmo amicitiæ vincula. Poſthæc tamen in continuato epiſtolarum commercio, Fabri præſertim rebus novis incidentibus, ancipites in utroque animi motus. Donec iterum *Ludovicus* accederet *Vives*, quem Budæus agnoſceret peraptum ad amicitiam utriusque roborandam.

Nec deſtitit Eraſmus à primo certaminis momento pluma uti molliſſima, quotiescunque ad Budæum eſſet ſcribendum, quod Budæi ſincerum in bonas literas affectum, & validum ſcholaſticæ barbariei odium, nec leviſſima offenſione optaret mutari aut imminui: Cum noſſet Eraſmus, plerasque humanas res, actionumque ordines, conſtare affectibus, firmari, mutari, ſubverti, reſtitui, iterum flecti affectibus. Scopus itaque Eraſmi, emendatio publicæ rei, literariæ & ſacræ, ſuaſit uti blandiſſimo calamo & manſuetiſſima manu, in rebus cum Budæo. Spes quoque alebat Eraſmum, uti Dorpius nuper, emollitus plane, & à ſcholæ ineptiis avocatus Eraſmi & Mori manſuetudine, ita & in Budæo humaniter excepto plures iri commotum & ad initiora ſtudia pellectum.

Budæi vero in rudia ſcholæ theatra animus in Epiſtolis ad Eraſmum voluptas Eraſmi, ſpes & fiducia Eraſmi fructus ex Budæo maximi & deſiderati. Budæus epiſtola prima ad Eraſmum, An. 1516. feſto Aſcenſ. Tom. Epiſt. f. 18. *Reddiderat mihi epiſtolam tuam juvenis is, quem mihi commendaſti, Sorbonæ nunc agentem, μᾶλλον δὲ ἐν Συρβωνίδι λίμνῃ διατρίβοντα, ὅτω γὰρ ἂν εἰκότως ἀπεκαλέσαμεν τὴν τῶν σοφιστῶν τοῦτον διατριβήν.* In *Sorbona* degere, ait, idem eſſe verius, ac *in Sirbonidi lacu* hærere, in quo abſorpti plus ſimplici vice Ægyptii. Eoque nomine, *Sirbonidis lacus*, recte & digne appellari illam *Sophiſtarum ſedem & doctrinam.*

In eadem ad Eraſmum Epiſtola, *f. 20.* ſcite ac ſolerter ab Eraſmo factum ajens, quod Novum Teſtamentum Pontifici Leoni X. inſcripſiſſet, addit illam inſcriptionem eſſe *pro phylacterio & amuleto adverſus injurias ſcholaſticorum, ἐπὶ τῇ ἀποσοβήσει τῶν κνιπῶν τούτων σφηκῶν τῶν ψευδοθεολόγων, ad averruncandas & abigendas veſpas cum crabronibus, puta Pſeudotheologos cum eorum ſuſurris.* Talem tantumque Budæum, ſibi ſemper ſimilem, impenſe coluit Eraſmus, in ſpem publicæ ſalutis, ex communium ſtudiorum emendatione.

Alia ferrea & brevis conflictatio, ex Græco Novo Teſtamento Eraſmi, Anno 1516. & 1517. ſubnata, inter Eraſmum & *Jacobum Fabrum Stapulenſem Theologum Pariſienſem*, ex una fere vocula ejusque verſione, qua Eraſmus à Fabro diſſiderat: Unde orta de variis Scripturæ locis eorumque ſenſu diſquiſitio.

EDiderat Eraſmus An. 1505. Vallæ in Novum Teſtamentum obſervationes, quibus & verſionem latinam intrepide emendaret. Secutus mox Vallam nec trepidius *Jacobus Faber Stapulenſis, Pariſienſis Theologus*, qui in Philoſophia perpurganda jam fuerat verſatus, ruditatis communis & per obſcuræ vulgatæ philoſophiæ pertæſus. Ad ſacra pariter emaculanda ut poſſet progreſſurus, ad exemplum Vallæ *Epiſtolas Pauli notis illuſtravit, vulgatam ſine metu emendans.* Eodem tempore ſimile negotium animo volverunt Eraſmus & Faber, quorum neuter de alterius conſilio aut propoſito quicquam inaudiverat. Edidit itaque prius *Faber* ſuas in Pauli Epiſtolas obſervationes. Cumque *Eraſmus* An. 1515. & ſuas Novo Teſtamento *Notas* addere conſtituiſſet, eodem anno & *Faber* priores illas *reſuſcitare* denuove edere decrevit. Uterque ſuum urſit negotium. Eraſmus in ſuis *Annotationibus*, ut alibi frequenter, modeſtiſſime ubique, ita *in Epiſtolam ad Hebræos f. 555.* leviter attigit Fabri vix unquam ſine laude nominati, mentem circa verba, *inferior Chriſtus βραχύ τι παρ' ἀγγέλους. Faber* exiſtimarat non dicendum eſſe, Chriſtum imminutum *ab Angelis*, ſed à *Deo*, pro textu Hebræo, non pro græca verſione. Eraſmus maluit *βραχύ τι* referre, *ad tempus*, non ad perſonas; *brevi tempore* inferior illis, ut ſervetur Pauli oratio quoad *Angelorum* vocem, non *Dei.* Quando ergo Eraſmi Novum Teſtamentum lucem viderat Anno 1516. Februarii fine, impetrato mox exemplo *Faber* deprehendit *Eraſmi in Fabrum notulam*, non immodeſtam. Qua offenſus nimiopere *Faber*, qui *in ſecunda editione ſuarum ad Epiſtolas Paulinas obſervationum* jam ab Anno 1515. erat occupatus, nec dum in principio An. 1516. abſolverat, cum in recenſione typographus *ad Epiſtolam ad Hebræos* perveniſſet, *diſſertationem peculiarem ferream & rudiuſculam in Eraſmum* inſeruit, nec ſane parvam. Amici alias Faber & Eraſmus, quod & ille ipſe profitetur. Perſuaſus *Faber* epiſtolam ad Hebræos hebraice à Paulo eſſe ſcriptam, adeoque Hebraica ex Pſalmo verba fuiſſe allegata: Hebraicam verò illam Pauli epiſtolam ab alio quopiam, incerto, nec apoſtolico viro græce eſſe verſam; In qua verſione interpres ille ſit lapſus, vertendo *ἀγγέλους*, cum veteri græco: Interpretis Pauli eſſe vitium, qui a Pauli verbis & ſenſu diſceſſerit.

Abſoluto An. 1516. Hoc Fabri opere, eoque ultra annum jam diſſeminato, *ſerius*, quid egiſſet Faber,

animo plus superstitioso, quam malo An. 1517. *cognovit Erasmus*, quando lis inter Budæum & Erasmum jam ferme sopita. Atqui Budæus & Faber amici æque ac Erasmus utriusque. *Imprudentem, rubiginosam & asperam Fabri invectivam* dissimulare non poterat Erasmus. Quare *Apologiam* contexuit, Lovanii finitam An. 1517. Nonis Augusti, quæ habetur *Tomo IX. operum Erasmi fol. 16. seqq.*

Cum appararet Erasmus An. 1515. editionem Novi Testamenti notis illud & versionem ejus illustraturus, per literas significaverat Fabro, se alicubi ab illo dissidere, in Annotationibus id amanter monitorum. Nihil tunc ad hæc Faber, nisi quod instituto Erasmi applauderet. Hæc in memoriam revocavit Fabro Erasmus, se defendens: „Cum adornarem editionem, ac mox in ipso jam operis cursu, præmonui „te literis, fore, ut in edendis meis aliquot locis abs te dissentirem, sed amanter. Comprobabas hoc institu„tum vel hoc argumento, quod in literis ad me tuis, quibus laboribus nostris applaudebas, nulla fieret hu„jusce rei mentio. Rursus alteris ac tertiis literis reddidi tibi facti mei rationem admonens futurum, ut „si quæ ex his, quæ nos annotaveramus in tuis, proxima editione mutare velles, ego item in proxima „mearum Annotationum editione loci castigati mentionem omitterem. Quod si cubi nobis non acce„deres, excusationem tuam, si recte dissentires, scripsi me libenter accepturum, & si quid ipse lapsus es„sem, admonitionem tuam beneficii loco habiturum.„ Nihil iterum ad omnia Faber; neque per Episcopum Parisiensem, Stephanum Poncherium, neque per Budæum, se persuaderi passus ad respondendum. Donec per insidias prodiret. Quæ ne deprehenderentur, mature quidem, neve cito rescisceret Erasmus, cautum *astu typographico*, quo opus Fabri editum diceretur An. M D XV. quasi ante Erasmi opus prodiisset, cum revera An. M D XVI. post Erasmi opus jam perfectum ac publice distributum in lucem veniisset, qui Erasmi loca ex hoc novo opere in suo illo examinaret. Quam fallaciam, Erasmo & publico factam, ridet Erasmus.

Apologia ipsa uti *varia eruditione exegetica* est *referta*, ita non præterit intima theologiæ penetralia; Quæstiones etiam philologicas de hebraicis & græcis appellationibus אלהים מעם כל ἄγγελοι βραχύ τι, &c. sollicite excutit. Posthæc in *primaria exegeseos momenta* se diffundit, ut primum, hoc Erasmi opusculum, post notas in Novum Testamentum jure habeatur pro *via ad secutam postea Fontium sacrorum interpretationem ingenuam, reformatione omnibus apertam.*

Consuevit Erasmus ad amicos, quibus cum esset contendendum, literas dare frequentes, præter publica scripta, exemplo Budæi nupero: Dedit ergo etiam *ad Fabrum*, lite durante. Sed præter *duas*, nihil reliquum.

Erasmus Fabro, Lovan. 3, id. Sept. An. 1517. Tom. Epist. f. 199, lib. 3. ep. 33. Misit Fabro Apologiam, cum voto concordiæ.

Erasmus Fabro, Lovan. 15. Cal. Maj. An. 1518. (non 1517.) Tom. epist. f. 179. lib. 3. ep. 9. Excusat suam defensionem, & dehortatur eum a recriminatione.

Interea inter eruditos *de Erasmi & Fabri contentione literaria* colloquia frequentia & judicia hinc æqua, illinc iniqua, ut fit. In momento fæ historiæ literariæ illius ævi lucem, libet indice solum digito hic submonstrare cumulum plausuum judiciorumque pro Erasmo, ejusque *æquâ apologiâ ad Fabrum.* Videantur ergo, inter multos alios de hoc certamine:

Tonstallus, ad Erasmum Brugis, An. 1517. 18. Cal. Octob. Tom. Epist. f. 172. seqq. lib. 3. ep. 2.
Erasmus, ad Tonstallum, An. 1517. Octob. exeunte Tom. Epist. f. 174. lib. 3. ep. 3.
Bombasius, ad Erasmum An. 1517. 6. Decemb. Tom. Epist. f. 130. lib. 2. ep. 23.
Budæus, ad Erasmum An. 1517. 12. Decemb. Tom. Epist. f. 125. lib. 2. ep. 20.
Erasmus, ad Glareanum, Lovan. 1518. Cal. Febr. Tom. Epist. f. 187. lib. 3. ep. 19.
Erasmus, ad Budæum, An. 1518. 8. Cal. Mart. Tom. Epist. f. 212. lib. 3. ep. 51.
Erasmus, ad Barbirium, Lov. prid. Non. Martii An. 1518. f. 188. lib. 3. ep. 20.
Budæus, ad Erasmum. An. 1518. prid. id. April. Tom. Epist. f. 218. lib. 3. ep. 52.
Erasmus Pacco, An. 1518. 10. Cal. Maj. Tom. Epist. f. 182. lib. 3 ep. 14.
Erasmus Bovileo. An. 1518. 9. Cal. Maji. Tom. Epist. f. 182. lib. 3. ep. 15.
Erasmus Bombasio, Bas. An. 1518. 7. Cal. Aug. Tom. Epist. f. 131. lib. 2. ep. 24.

Nihil hic ex celebri, & eruditis tam cara *ad Fabrum Erasmi apologia*, prominus, qui chartæ parcimus & tempori cupimusque integram a solertibus legi. Nefas interim præterire, quod *hæc ad Fabrum apologia*, etsi humanitate solita sit condita, differat tamen ab *apologia* nupera *ad Dorpium* An. 1515. & *alterâ* An. 1516. *ad Budæum.* Illæ mollissimæ tenerrimæque etsi suis locis salsæ & graves: Hæc severitate aut gravitate majore condita. Illi, Dorpius & Budæus, calamo usi circumspecto & modesto, ut literis dignum: Hic, Faber Stapulensis, fumos & ignes ex incude sparserat, servidus & plus justo calens, ore intemperantiore; qui non diceret in Erasmum, sed velut in incude cuderet, ut fabri fabrilia tractant: Qui more & ore Scholæ, cujus esset membrum, leviculam in explicando scripturæ loco à Fabri opinione differentiam, tanquam malleo detorqueret in blasphemiam; quasi à vulgo abire, vel & à Fabro, à scoriis, à scholæ dictamine, esset non illos, sed Deum, sed Christum, blasphemiis onerare. Quales scoriæ exciderant Fabro, non tam malo, quam imprudenti, quam temere æstuanti, ut in Schola erat affluetus, socios secutos, ad disputationum focos vel furnos, inter forcipes & prunas. Absurdam credebat in Erasmum fore invectivam, nisi incus blasphemias sonaret & contumelias. Condonandum quidem vidit Erasmus Fabro, amicus amico, hanc animi impotentiam & calami intemperiem, nihilominus scoreas illas rubiginosas ostentandas amico autumavit, ut illarum eum puderet, disceretque inposterum carbones restinguere, & limpha uti ad mitigandum æstum.

Prehendit igitur Erasmus manum & malleum Fabri tam fortiter, tam firmiter, tam valide, ut spectatores lectoresve robur Erasmi mirarentur, forcipes & malleos è manibus Fabri prolabi spectarent, dolerentque

lerentque vicem Fabri inermis. Doluit ipse Erasmus, amicum fuisse vincendum stylo, qui in Erasmum condens torsisset ferrum inimicum, quo transverberandus.

Dolorem Erasmi ex victo Fabro amico, ex ipsius Erasmi ore accipere, non ingratum futurum confido. Ad Barbirium supra laudatum scribens, pugnam æque ac victoriam suam mallet tectam & ignotam, in amici favorem. „Cum theologis, Lovanii, alcedonia sunt, imo mira familiaritas. Pro Hie„ronymo palam agunt gratias. De Novo Testamento nihil quæruntur: Imo primores hujus ordinis „ingenue comprobant: Tantum oblatrant sycophantæ, nescio qui, sed procul & à tergo. Multos, ut „ajunt, terret Fabri male accepti exemplum. In quem tamen viribus meis non sum usus, favens etiam, „quoad licuit, adversario. Mirum, quid sit rei, ut ille non saltem privatis literis sese vel excuset vel de„fendat. Passim mihi gratulantur Gallum devictum, Germani, Itali & Angli: Nec tamen efficiunt, quo„minus oderim meam victoriam, nec admodum glorioſam in causa tam vincibili & invidiæ obnoxiam, „quod amico detraxerim opima spolia, cui nunc etiam faveo, licet non usque adeo, ut in illius gratiam, „blasphemas in Christum haberi velim. Proinde precor, ut Deus optimus maximus iis, qui mihi bene „volunt, feliciorem mihi gratulandi materiam suppeditet. Apologia jam quater est excusa. Deleat ille „suam insectationem, ego, quatenus possum, premam Apologiam. Auferat ille tela, ego depono clypeum. Tollat ille venena, ego desinam uti antidoto. Quod si quis aliorum me similibus dictis lacessisset, longe aliter fuisset exceptus. Homo sum, ubi vere lapsus ero, non solum agnoscam erratum meum, verum etiam admonitori gratias agam, insectatori cedam. Ceterum ubi simili impudentia convitiis atrocissimis impetor, non committam, ut post hac in me velut exermem atque edentulum, quivis „asellus obrudat, quivis sus obganniat. Faber unum me lacessivit nominatim. Ego neminem adhuc „lacessivi, sed uni lacessenti respondi. Quidam ajunt, illum suas colligere copias, ut bellum instauret, „alii negant. Ego nihil malo, quam pacem, præsertim cum illo; non quod illum metuam, sed quod „ex animo diligam. Quod si repetat, ipse viderit: Sibi imputet, si parum civiliter accipietur.

Annus fere abierat ab Apologia, editâ An. 1517. mense Augusto: Monuit ista Erasmus An. 1518. à Paschate: Postquam Faber in Erasmum erat invectus An. 1516. Sic vicit Erasmus amicum imprudentem, ut prudentioris Fabri maneret amicus.

Apud Lutherum, qui *Erasmi Apologiam ad Fabrum* erat indeptus, *absolutissima* pronunciatur, *epistola ad Langum An. 1518. 11. Cal. Martii*, non An. 1517. ut Aurifabro visum Tomo Epist. p. 33. Nam Apologia Erasmi ad Fabrum edita primum *An. 1517. mense Augusto*, diu post Februarium, aut 11. Martii, quando Lutherus ad Langum literas dedit. Quanquam enim Faber haud longe ab exordio anni 1516. in suis Notis Erasmum vellicarat, Erasmus tamen id non animadvertit nisi post annum & ultra, ut ante mensem Augustum 1517. non esset respondendi locus. Dein tempus porro abiit, quo Apologia illa Erasmi ad Fabrum distraheretur, adeoque Wittebergam deferretur. Quin plures jam extiterunt editiones illius apologiæ, cum scriberet Lutherus ad Langum, ex quibus aliquam jam tum tenuit Lutherus, cum obsecraret Langum, Francofordia ex nundinis afferri curaret *Apologiam absolutissimam Erasmi adversus Fabrum Stapulensem*, addita conjectura, *nisi forte ea sit, quam jam diu habemus; Sed super versu sexto Psalmi octavi*, Minuisti eum paulo minus ab Angelis, *in qua re dolendum est, tanto impetu concurrere tantos bonarum literarum principes. Sive ergo alia sit, sivè aliter & locupletius excusa, cupio videre. Eam quam habeo, Basileæ prælum non pressit unquam.* Præterea in eadem Epistola memorat Lutherus *Wolfangi Fabritii Capitonis Institutiones hebraicas*, quas Langus Francofordia afferendas curaret. *Utcpiam* ait *Morinam sitio, & Institutiones Hebraicas Fabritianas.* Atqui Fabritius Capito non edidit institutiones illas suas Hebraicas An. 1517. & quidem ante Februarium, sed An. 1518. cui libro præfationem scripsit Frobenius, Nonis Jan. M. D. XVIII. Clausula hæc: *Basileæ apud Joh. Frobenium mense Januario, An. M. D. XVIII.* Quod jam partim ex superioribus liquet, ubi de rebus Erasmi & Capitonis.

Sed hæc in *Aurifabri lapsum* obiter, cum *errores* illi *chronologici* vehementer turbent historiam literariam. Quod & in Erasmi Epistolarum Tomo abunde nuper deteximus. Epistolæ quidem Lutheri non scriptæ ut ederentur, nihilominus cum sint editæ, & epistolarum familiaritas aperiat multas actionum & fatorum circumstantias, primum Aurifabri debuerat esse negotium, chronologiæ habere curam ut non temere miscerentur aut confunderentur epistolæ, ut in manus venirent. Distinguendæ igitur curatissime & quoad annorum seriem ex historia redintegrandæ, ut suum inveniant usum. Quemadmodum & Erasmi volumen Epistolarum, quibus nihil nitidius, per Beatum Rhenanum, ceterisque ultimis ab obitu Erasmi Collectores, innumeris locis, misere est convulsum, horridis peccatis chronologicis distractum. Videri poterat, in primis particularibus Epistolarum editionibus, per Erasmum, vel Erasmi voluntate, studiò annus passim omissus, sed & ordo epistolarum & annorum consulto trajectus, ut ne cuivis lectori statim pateret affectuum in scribentibus ac respondentibus vel vis, vel varietas, vel & humana imbecillitas, quæ tegere tutius & consultius, vel & ne data opera neglectæ integræ, rerum gestarum lacunam manifestarent. Scribebantur quidem pleræque epistolæ ab Erasmo & Magnatibus illis annis, ea cura atque diligentia, ea circumspectione & prudentia, ut edi statim possent, cum multæ epistolæ libellorum induerent magnitudinem, uti & communiter, præcipue ab utraque parte statim editæ sunt. Nihilominus tandem animadversum, non e dignitate esse personarum scribentium, constare omnibus lectoribus palam tecta consilia virorum, autorum, quæ ex ordine epistolarum justo sponte pellucerent. Satius esse arcana ista, in epistolarum serie latentia, fugere aliquos vel plurimos, quæ si cognoscere velint, clavi indigeant ex restituta chronologia. Farrago nova Epistolarum Erasmi ad alios, & aliorum ad hunc, *Basileæ, mense octobri An. 1519. in folio*, opere non parvo, vel ob illam trajectionem Farraginis nomen impetraverit. Prima illius Farraginis epistola *Erasmi ad Budæum*, prolixa, Lovanii, 8. Cal. Martias scripta, *caret anno.* Uti & secunda, *Budæi ad Erasmum*, priore prolixior *Parisiis pridie idus*

Aprilis: Rurſus *ſine anno*, magno cum lectoris incauti aut imperiti detrimento. Quod ſi vero liqueat, illam, Eraſmi ad Budæum ſcriptam eſſe, An. 1518. 8. Cal. Mart. hanc vero, Budæi ad Eraſmum, pro reſponſione, exaratam eſſe An. 1518. prid. id. Aprilis: Tunc ex hiſtoriæ & fatorum ac epiſtolarum præcedentium circumſtantiis lumen ingens utrique affuſum, utriusque viri pectore aperto. Quod admirabile lectoris delectamentum. Sine nativo ordine omnis epiſtolarum gratia periit. Similiter, in *opere Epiſtolarum Eraſmi* locupletiore, *Baſileæ An. 1529.* data iterum opera, ut apparet, neglectus ordo, præcipuam dignitatem & gratiam tegit aut celat. Prima, e. g. Eraſmi ad Rhenanum epiſtola Lovanii 6. Cal. Jan. An. 1520. Secunda Eraſmi ad Barbirium, Brugis, id. Aug. An. 1521. Tertia, Eraſmi ad Gab. Oſhuſium ex Anderlaco, prid. id. Octob. 1520. Quarta, Eraſmi ad Capitonem, Antv. 4. Cal. Mart. An. 1516. Quinta, Eraſmi ad Poncherium. Antv. 6. Cal. Mart. An. 1517. Sexta, Budæi ad Eraſmum, Pariſiis, Feſto Aſcenſionis: Sine anno, qui eſt 1516. Septima, Eraſmi ad Budæum, 1516. Qui annus in editione Londinenſi iterum non comparet. Dein jure non comparet, quia Budæus in reſponſione conqueſtus, quod Eraſmus illam ſcripſiſſet *ſine die & conſule.* Quæ nova lectoris eſt turbatio. Octava, Eraſmi ad Budæum Antv. prid. id. Julias ſine anno, qui eſt 1516. Nona, Budæi ad Eraſmum, Pariſiis, Nonis Julii, ſine anno, qui 1516. Decima, Eraſmi ad Budæum Bruxellæ, 5. Cal. Novemb. 1516. cum ſit 15. Cal. Nov. Par conſpectus ceterarum, longiſſimo ordine, ſine ordine. Quod hiſtoriæ literariæ impedimentum grande. In Præfatione Eraſmus non diſſimulavit, deſideratum eſſe ab aliquibus, annorum in edendo obſervaret ordinem. Nec tamen placuit: *Erant amici, qui per literas monuerunt, ſingulas juxta temporum ordinem digerendas eſſe: Id etiamſi fuiſſet in promtu, ob certas cauſas non eſt viſum conſultum, atque adeo nec argumentorum congruentiam ſequi placuit; quod in hoc ſcripti genere primam gratiam habet varietas.* Fuerint omnino Eraſmo urgentiſſimæ rationes, quare pro illa tempeſtate diſſimulari plurima debere exiſtimaret: Noſtra tamen ætate, pro hiſtoriæ integritate, intereſt ſcire & obſervare juſtum factorum & fatorum ordinem, ut non opus ſit amplius diſſimulare. Reſtituendi ad minimum & corrigendi anni corrupti. Epiſtola non juvat, niſi conſtet unde orta & quo tendat. Sed hæc emendaverint alii in Eraſmi non minus ac Lutheri Epiſtolarum Tomis, quibus iſta ætas illuſtranda. Nos in hanc obſervationem incidimus, occaſione *Apologiæ Eraſmi ad Fabrum, cujus mentionem fecit Lutherus An. 1518.*

Ornabimus hanc ſcenam Eraſmi judicio de hac ſua cum Fabro pugna, Catal. Lucubrat. „Succeſſit Dorpio Jacobus Faber Stapulenſis, vir integer & eruditus, mihique veteri junctus amicitia. Cui „ſic reſpondimus, ut eam neceſſitatem fatis imputare maluerimus, quam homini: Nec ob eum caſum, „tametſi gravem, illi noſtram amicitiam renunciaverimus. Nam & hodie manet incolumis inter nos be„nevolentia mutua. Hic mihi periit opera dierum duodecim.

Claudemus hoc theatrum vel unâ viri magni, *Gutberti Tonſtalli*, legati Angli, ſententiâ, de fonte & origine hujus litis, *invidia Fabri adverſus Eraſmum*, quem ferre non poſſet vel parem vel majorem. Ediderat Faber invectivam ſuam in Eraſmum An. 1516. Accepit Eraſmus An. 1517. Apologiam ſcripſit Eraſmus An. 1517. Miſit exemplum Apologiæ Tonſtallo, An. 1517. Reſpondit Tonſtallus An. 1517. menſe Septembri. Hic cenſura de lite. „Apologiam abs te miſſam qua Fabro reſpondes, una cum „tuis literis accepi, atque aliquot ante diebus alteras acceperam, quibus te illi reſponſurum ſignificaſti, „ſed citra ſtomachum. Quod certe te præſtitiſſe gaudeo. Dederam enim te hortari, ut theologum, „hoc eſt mitem ageres in reſpondendo. Quod ille, in ſua cauſa pronuncians, atque arrogantius opinio„nem ingerens ſuam, minime præſtitit, quaſi non ſit futurum aliorum potius & poſteritatis de ea re ju„dicium. Quanquam de veritate, neque illi, neque cuiquam mortalium cedendum tibi unquam putavi. „Quod verò à cornicula tuas pennas in exordio Apologiæ repetis tam modeſte, recte facis. Expecto „quem colorem dicet: Sed perfricabit frontem puto. Hominem mihi videre contigit in Italia, mode„ſtum ſane, ut tum videbatur, & cyclopædiam illam, quam adeptos magiſterii nomine Pariſiis hono„rant, penitus callere dicebatur. Nam quod græcas literas attigerat, editis ab eo Commentariis in Pau„linas epiſtolas primum intellexi. Fortaſſe, cum aliquot errata τῶν νεωλερικῶν in ſacris literis deprehen„diſſet ex græcis fontibus, operæ pretium putavit ad famam parandam, quod luſcus inter cæcos paulo „clarius cerneret, editis commentariis admonere poſteritatem. Qua in re probo hominis inſtitutum, ſi id „præſtare potuit. Præmium enim ejus rei velut in ſacris certaminibus victori cuilibet eſt propoſitum. „Sed quod in eodem ſtadio currentem quique longe relicturus videretur, maligne ſupplantare voluerit, „minime mihi videtur factum probe nedum theologice. Hic fortaſſe ex ſuis Pariſiis orbem terrarum „metitur, ubi quanquam aliquot in lingua græca doctiſſimos & ſeculum ornantes noſtrum videt, non „eam vel copiam græcis literis operam dantium, vel eum honorem his habitum, ut ſperet aliquando re„dituram priſcam eruditionem. Atque ideo fieri poteſt, ut ad editionem fuerit paratior, quod deplo„ratæ poſteritatis cenſuram non eſt veritus. At ſi ſciſſet, quam nunc in Italia, Germania, Hiſpania, flo„rent ea ſtudia, ex Horatii puto conſilio librum nonum preſſiſſet in annum; Niſi forte illam utriusque „linguæ peritiam eſt indeptus, ut provocare magis quam timere cujusquam cenſuram debuerit. Quam „an ſit conſecutus, aliorum ſit judicium. Nullum enim eruditionis ejus in eo genere ſpecimen, præter „Paulinas epiſtolas mihi videre contigit. Verum enim vero quis non videt, unde hæc eſt orta maligni„tas? Tu nuper editis in Novum Teſtamentum annotationibus, græcos non modo aperuiſti fontes huic „noſtro ſeculo, verum tam alte cuncta es rimatus, ut nihil à quovis annotatum, quod operæ pretium fuit „legere, non tam exacte excuſſeris, ut nihil cuiquam feceris reliquum. Quo tu lucubrationum tuarum „ſplendore, velut ſol oriens ſtellas condit, ceteris ex ea re famam ante tuam editionem captantibus, æter„nas offudiſti tenebras, ita glorioſam, quam editione ſua aucupabatur, ſibi vel ereptam vel imminutam „dolet. Sed gratulari magis ſuo ſeculo debuit, quo priſca repullulant ſtudia, quam eorum imitari „morem, qui pertinacia quadam nolunt cedere, cum contendere per imbecillitatem non poſſint.

Sed

„Sed quid non facit ambitio? Hic humanum impegit in vitium. Tuum eſſe arbitror, *τῶν γνησίων θεο-*
„*λόγων* more ignoſcere.

Diſplicuit barbaris & Scholaſticis, emendationem metuentibus, reſurgens humanitas: *Novum Eraſmi* in primis *Teſtamentum Græcum* illis terribile, tanquam *Herculis clava*, Ab Anno 1516.

Validiſſimum reformationis inſtrumentum.

PLus quam Herculeo labore ſuſcitarat Eraſmus humaniores literas jam annis ferme viginti, ut belluas & hydras domaret, ex publica ruditate ac barbarie, quæ in templis & ſcholis tyrannidem tot ſeculis exercuerat, afflictam publicam rem miſeramque Eccleſiam liberaret. Neque in omnibus hujus Herculis operibus, quibus pro brutis redderet homines, ullum extiterat grandius, ullum pro publica ſalute paranda utilius, ullum ſtupori ſed & ſuperſtitioni horridæ corrigendæ aptius, nullum inquam humanitati & virtuti reſurrecturæ convenientius, nullum uno nomine fortius & ſalutarius, quam *Novum Teſtamentum græcum, nova verſione ornatum, ſalubribus de ſaniorum ſtudiorum ſacrorum genere conſiliis cinctum.* Hæc An. 1516. Herculis clava, quam metuerent, ſentirent & dolerent communis ruditas, vulgata ſuperſtitio, arrogans ſophiſtica, tenebrarum illud diuturnum regnum. Præſentiebant, hac clava Scholæ cerebrum terebrari, & per omnem poſteritatem terebratum ac diſperſum iri, cum ignorantiæ inanisve doctrinæ funere. Hic metus illis in oculis, qui jam viderent, ſuis leonibus, Lombardo, Thomæ, Scoto, exuvias detrahi, ſuis hydris, per omnes ſcholas, qui in Summas commentando colla & capita erigerent, Occamo, Antonio, Gabrieli Biel, ſed & Bonaventuræ, exercitui, cervices frangi. Hinc rugitus & tremendi rouchi, ſuſurri & ſibili, contra hujus clavæ vim ac impetum, contra Novi Teſtamenti ab Eraſmo editi robur. Horrebant, eminens prævidentes, totum poſterorum orbem, hac clava, Novi Teſtamenti virtute invicta & inſuperabili, ab Eraſmo parata, iri fatum ab hydræ monſtrorumque ſimilium capitibus repullulaturis. Hinc illud odium in Novum illud Eraſmi opus, hinc inconditi contra illud clamores, hoſtle ante portas.

Juvabit, fortis Eraſmi lateri jungi, ad ſtrepitus illos obſervandos; ſed & utile & jucundum fuerit ictus illius in obſtrepentia colla cominus contemplari. Fruimur namque hodie partis illis bonis, fruimur libere, fruimur publice. Salvi nos hodie, juribus illis, tanto ſudore ante hæc duo ſecula acquiſitis. Labores itaque Herculis, proavi noſtri, Fontium ſacrorum inſtauratoris, Chriſtianæ libertatis pararii, attente luſtrare hoc Jubilæo, Deo annuente, juſtum & æquum eſt. Ingrati in Deum, in lucem, in veritatem, integritatem, virtutem, in majores laborioſos, ni ſudorum in illis acquirendis ſimus memores. Næ, ſues æquamus aut ſuperamus, qui victitamus, qui tantum non copia ſaginamur, qui fruges conſumimus, nec capita ſurſum vertimus, memores unde commoda illa, copioſa & pretioſa, ad nos pervenerint, nec arborum ramos aut faſtigia, nec cœlum intuiti. Adesdum ergo, exempli numero, priſtina quædam pro Novo Teſtamento recens edito, Eraſmi pugna & juſta victoria, Cantabrigienſibus Theologis illo ævo, An. 1516. virus in Eraſmum, Novi illius ſacri operis editorem, ejaculantibus.

Eraſmus, cum Baſileæ An. 1516. menſe Februario opus abſolveretur, & per orbem ferretur, ferrea clava ponderoſius, ad Brabantos & Flandros ſuos conceſſerat, jam menſe Auguſto ad Anglos, ad elegantiorum literarum præſides, ad Curiæ miniſtros regios, ad Archi-Epiſcopos & Epiſcopos, ad ſolidioris doctrinæ cupidos & conſcios, Theologos, JCtos, & Medicos, nec non politiores Philoſophos, amicos ſuos, ad Waramum Archi-Epiſcopum Cantuarienſem, ad Morum, ad Johannem Fiſcherium Epiſcopum Roffenſem, ceterosque, digreſſus. Communi magnatum exceptus plauſu, non Eraſmus, non muſculus, non pipire & muſſitare doctus, ſed Hercules, ferire, liberare, ſervare, dicere & ſalubriter monere ſuetus Inter alios, *Henricus Bovillus, ex Academia Cantabrigienſi*, Eraſmo in Angliam reduci gratulatus, *An. 1516. Idibus Auguſti*, illum invitaverat, ſcribens, Cantabrigiæ literis græcis operam navari ſtrenue, Novo Teſtamento Eraſmi applaudere omnes. Reſpondebat Bovillo Eraſmus ex Epiſcopi Roffenſis curia, in qua tunc ageret, *An. 1516. pridie Cal. Septemb.* Hæc epiſtola *clavæ illius* refert *effigiem*, quam in illos torqueret, qui in Novi Teſtamenti opus virus effunderent. Bovillum amplexus ex veteri amicitia, nunciat, ſe apud Lovanienſes hyematurum. Mox ſe convertit ad ſeveram apologiam, contra Cantabrigiosillos, qui Novum illud Teſtamentum diris devoverent.

Aperit, ſe libenter quidem a Bovillo accepiſſe, ſapere Cantabrigiis, quibus guſtus ſit integer, Novum illud Eraſmi Teſtamentum, ſed audiviſſe interim, decreto publico, apud illos cautum eſſe, ne illud volumen, ullo modo eo deferretur. „Novum Teſtamentum, noſtra inſtauratum induſtria, probari iſthic ab „optimis quibusque, imo ab omnibus, qui, ut ſcribis, ſani guſtus ſint, ſane gaudeo. Quanquam narra„runt mihi quidam, *πάνυ ἀξιόπιστοι*, unum apud vos eſſe collegium *θεολογικώτατον*, quod meros habet „Areopagitas: Qui gravi ſenatus conſulto caverint, ne quis id volumen, equis, aut navibus, aut plau„ſtris, aut bajulis, intra ejus Collegii pomœria inveheret.

Deplorat decernentium, prohibentium imprudentiam, qui ſua non agnoſcant, ſed negligant & ſpernant bona. „Obſecro, hæc utrum ridenda ſunt, an deploranda? O homines ſtudio pravos & ſibi „ipſis inimicos & iratos, ſuis ipſorum commoditatibus invidentes! Quod genus hoc hominum usque „adeo moroſum, ut officiis irritentur, quibus manſueſcunt & feræ belluæ: Tam implacabile, ut eos „nec tam multæ Apologiæ lenire poſſint; imo, quod eſt impudentius, illi lacerant ac damnant librum, „quem ne legerint quidem, alioqui nec intellecturi ſi legant. Tantum audierant inter cyatos, aut in

„conciliabulis fori, prodiisse novum opus, quod omnibus theologis ceu cornicibus oculos tentet con„figere; Ac mox meris convitiis infectantur, & autorem, qui tantis vigiliis, studiis omnium prodesse „studuerit, & librum, unde poterant proficere.

Illud Philosophorum apud Cantabrigios ac Theologorum supercilium notat breviter: „Istuc vero „philosophicum est aut theologicum? Pestilens quædam res sit oportet philosophia, si tales reddit, ineffi„cax & dilata, si tales non mutat. Jam non refellunt & corrigunt, quæ perperam à nobis scripta censeant, „sed hoc ipsum damnant scripsisse.

Imprudentis decreti impudentem rationem examinat, quasi non fuisset edendum Novum Testamentum novaque versio adornanda, sine generalis Concilii autoritate. „Fas esse negant, tentare quic„quam hujusmodi, nisi ex autoritate Concilii generalis. At istoc quid iniquius?

Demonstrat, depravationem fuisse liberam & quotidianam, restitutionem esse justiorem. Utramque citra Concilium. „Ipsi quotidie depravant sacros codices, sola inscitia ac temeritate in consilium „adhibita: Nobis non licebit ex veterum sententia restituere quod corruptum est, nisi totius orbis Christia„ni convocato Concilio? Adeo pejorem volunt esse conditionem mendum submoventis, quam invehen„tis, bene merentis sua industria, quam male merentis sua incogitantia.

Vulgatæ latinæ, pro qua tam acriter pugnare videantur, autoritatem ullam negat ex Concilio quocunque. Irrepsisse illam pronunciat, & ex longo temporis silentio dignitatem quandam acquisivisse. „Id mi„hi respondeant velim, hæc ipsa, quæ illis tantopere placet editio, (vulgata) utrum ab interprete suscepta „fuerit ex autoritate Concilii generalis, an prius edita, ac deinde judicio Patrum comprobata. Prius „scriptam opinor, postea comprobatam. Atqui idem potest in hac mea evenire, quod ipse tamen nec „ambio, nec postulo. Tametsi ne id quidem concesserim. Mihi magis videtur usu irrepsisse, aut paula„tim progressu temporis collegisse robur.

Varias quondam fuisse latinas versiones, submonet, sine christianæ rei damno. „Si publico Con„cilii judicio fuisset approbata traditaque, omnes ea communiter usi fuissent. Nunc aliud citat Ambro„sius, aliud Augustinus, aliud Hilarius, aliud Hieronymus. Imo nec hujus ætatis exemplaria consen„tiunt. Quod si protinus actum putent de religione Christiana, si quid usquam variet, etiamsi nos dor„missemus, jam illi periculo eramus expositi.

Colorem, aut fucum, vulgatam jactantium, a Patrum Synodis hanc fuisse usurpatam, detergit, fraudesque amanuensium detegit, qui actis & commentariis veterum pro aliis versionibus allegatis, surrogaverint vulgatæ verba, utpote notiora. „Utuntur, inquiunt, hac editione Patrum Synodi. Veteresne „an recentiores? Aut cur minus valere debeat veterum Conciliorum usus, quam recentium? Maxime, „quod ad hanc rem pertineant. Quanquam illud erat docendum, ea quæ citantur in Conciliorum actis „a nostra emendatione dissidere. Quid quod pleraque Synodorum acta græco sermone prodita fuerunt. „Denique fieri potuit, ut aliter ab illis citata, mutarit aliquis ad hanc nostram editionem (vulgatam.) Id „quod quotidie deprehendimus, factum in Hieronymianis & Ambrosianis Commentariis.

Manifestum promit exemplum infartæ vulgatæ versionis in veterum scripta: „Ante annos ferme „viginti Lutetiæ formis excudebantur sacrificiorum ac precum horariarum codices, juxta ritum Eccle„siæ Trevirensis. At opifex qui literas gustarat modo, cum sentiret pleraque dissonare, correxit omnia „ad hanc nostram editionem (vulgatam.) Idque ipse mihi confessus est, arbitratus, se rem præclaram „moliri.

Et conciliorum errores & lapsus, in talibus, urget, tametsi illa errata tegantur. „Non arbitror ab„surdum, si quid etiam fugiat generale concilium in his præsertim, quæ non attinent ad necessitatem salu„tis. Satis est, hoc reprehendi non posse, quod agitur in Synodo.

Par jus vindicat corrigendis erroribus versionum & commentariorum. Si interpretes *in enarrando* peccantes sint corrigendi, pari jure corrigi *in vertendo* lapsos. Versionis non esse majus privilegium quam commentationis. „Quam ob rem magis trepidamus, si quid secus lectum fuerit in divinis libris, „quam si quid secus enarratum? Certe utrobique par discrimen. Atqui videmus, interpretes non „modo diversa, verum etiam pugnantia dicere sæpenumero.

Manifestos dein errores versionis vulgatæ objicit, illorum emendationem non negatum iri confisus. Aliquam igitur ex parte correctionem ab illis admitti, aliquam non. Se vero emendasse corrupta asseverat, vulgatam liquisse. „Illud dilemma, si possint explicent: utrum permittant aliquid novari in sa„cris libris, an omnino nihil? Si quicquam permittant, cur non excutiunt potius, recte mutatum sit nec „ne? sin minus, quid facient illis locis, in quibus mendum inesse manifestius est, quam ut negari, dissimu„larive possit? An hic sacrificum illum malunt imitari, qui suum *mumpsimus*, quo fuerat viginti usus an„nos, mutare noluit, admonitus a quopiam *sumsimus* esse legendum.

Novus clamor debellandus: Evangelia per Erasmum corrigi; depravari potius ait per rudes, restituenda suæ integritati. „Vociferantur καὶ χιτλιάζουσιν: o cœlum! o terra, corrigit hic Evangelia! „At quanto justius exclamandum erat in corruptorem: O sacrilegium, depravat hic Evangelia! Neque „enim nos novam prodimus editionem, sed veterem pro virili restituimus, at ita ut hanc novam (vulga„tam) non labefactemus. Qui pro hac nova tanquam pro aris & focis dimicant, habent quod ample„ctuntur, nihil illis perit, aliquid de lucro accessit. Hanc, quam adamant, emendatius legent posthac, „& rectius intelligent.

Quod Erasmus jam animo volveret, pro majori rei christianæ luce, post illam suam versionem, *Paraphrases* concinnare. *jus paraphrasium adornandarum* integrum esse monet mature, cui par sit jus versionis parandæ. „Quid si libros divinos omnes paraphrasi explanassem, quo possent incolumi senten-

tia

„tia & legi inoffensius & percipi facilius: Num isti dicam mihi scriberent? Laudem etiam meruit Ju„vencus, qui Evangelicam historiam ausus est versibus includere. Quis in jus vocat eximium theolo„gum, Ægidium Delphum, qui totum ferme divinæ scripturæ corpus carmine complexus est?

Qui paraphrasium suarum præsagium, novum illorum terriculamentum, subinjecerat, redit ad *jus vertendi* vindicandum amplius, exemplis recentissimis. *Felix Pratensis, ex Judæo Monachus Augustinianus, Psalterium ex hebræo novissime verterat latine,* & Pontifici Leoni X. inscripserat; labore hoc suscepto ad mandata Cardinalium, ad quod versi psalterii exemplum totum Codicem hebræum nova versione donaturus erat: Quæ *Felicis versio* repetita iterum *Haganoæ An.* 1522. Similiter Jacobus Faber Stapulensis, Parisiensis theologus, suis in epistolas Pauli notis, vulgatam ubique perstrinxerat. Hæc novissima exempla ostentat Erasmus. „Canuntur in templis quotidie, juxta veterem editionem Psalmi, „& tamen extat divi Hieronymi recognitio: Extat ejusdem juxta veritatem hebraicam interpretatio. „Illa leguntur in Choris, hæc in Scholis aut domi. Neutra alteris officiant. Atque adeo nuper Felix Pra„tensis Psalterii totius novam edidit interpretationem, ab omnibus superioribus admodum dissidentem. „Quis huic unquam movit tragœdias? Jacobus Faber Stapulensis, amicus noster, dudum id fecit in Pau„lum, quod ego in totum Novum Testamentum. Cur hic demum, tanquam ad rem novam commo„ventur quidam? An aliis omnibus istud licere volunt, mihi uni non volunt? Atqui Stapulensis non pau„lo plus ausus est, quam ego. Ille suam interpretationem veteri oppositit, idque in Academiarum o„mnium regina Lutetia: Ego recognitorem modo professus, locos aliquot aut corrigo aut explico. Nec „hoc dixerim, quo Fabrum in communem invidiam vocem: Nam vir ille jam pridem gloria superavit „invidiam: Sed ut palam faciam, quam inique faciunt quidam, qui quod jam diu est à multis factita„tum citra calumniam, in me veluti subitum ac novum calumniantur.

Pandit metum illorum, ne versione ignorantia illorum detegatur. Quem versionum effectum declarat versionibus novis Aristotelis & Hippocratis. „Quid decessit Aristotelicis, postea quam Argyro„pylus, Leonardus Aretinus & Theodorus Gaza novam editionem produxerunt? Num ideo supprimen„da, aut abolenda censebitur horum interpretatio, ne superiores illi Aristotelicæ Philosophiæ professores „quædam ignorasse videantur? Num ea res Guilielmum Copum à vertendis Galeni & Hippocratis vo„luminibus deterret, ne mundus intelligat, superiores medicos multa perperam interpretatos?

Et sibi & jus esse pronunciat, errores patrum, scholæ magistrorum, ipsiusque Lyrani, monstrare ac sueta modestia corrigere, æque ac alii in Aristotele, Galeno & Hippocrate. Neque hic interpretum, sacrorum vel exterorum esse discrimen. Universale jus in universas versiones. „Dixerit aliquis; in humanis „disciplinis expedit, in divinis libris idem passim & à quibuslibet fieri, grave periculum est. Principio, nec „passim muto, nam summa constat: de locis modo aliquot disceptatio est. Nec omnino opinor, certe „quod ad hanc rem pertinet, de media plebe censendus sum. Ostendo locis aliquot lapsum esse Hilarium, „lapsum Augustinum, lapsum Thomam. Idque facio, sicut oportet reverenter, citraque contumeliam: „Adeo ut, si viverent, ipsi mihi qualicunque sic admonenti gratiam habituri sint. Summi erant homines: „sed tamen homines erant. Demonstrent isti, eos recte sensisse, neque refellant argumentis, non convitiis, „& apud me magnam inierint gratiam. Qui quicquid Lyranus scripserit, oraculi instar haberi volunt, tue„antur istum in iis locis, in quibus ab eo dissentio. Nam in Hugone quærere quod reprehendas stultis„simum arbitror. Paucula tantum annotavi, sed insigniter absurda: Quo nimirum cautiores redde„rem eos, qui hujusmodi scriptores, summa fiducia, nullo judicio legunt. Et tamen, qui hujusmodi „tribuunt omnia, defendant suos amasios, doceant nos hallucinatos, illos attigisse scopum.

Qui versionis novæ curam habeant, Erasmum aliosque, cum vilipenderent, qui bonas literas non didicissent, *Grammaticorum* convitio, ut putabant, quæ res exilis Theologum non deceat, Erasmus Grammaticum in Theologo extollit, ut theologus illi absque grammatica vapulet. „Indignum se judicant, „ad istas Grammaticorum minutias descendere. Sic enim vocare solent eos, qui bonas didicere literas, „atrox esse convitium existimantes, Grammatici cognomen. Quasi vero laudi vertendum sit Theolo„go, si grammaticen nesciat. Non facit theologum sola grammaticæ cognitio; At multo minus theolo„gum facit ignorata grammatica. Certe conducit ad theologiæ cognitionem hujus disciplinæ peritia, „officit imperitia.

In temtorum scholasticis theologis *Grammaticorum*, sive bonarum literarum peritorum, ordinem refert *Hieronymum, Ambrosium, Augustinum*, non veritus scholæ ferulam aut iram. „Non negari potest, „Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, quorum autoritate potissimum res theologica nititur, ex hoc „Grammaticorum ordine fuisse. Quandoquidem id temporis, nec Aristoteles etiamnum in theologo„rum scholas erat receptus: Et hæc philosophia, qua nunc in scholis utuntur, nondum erat nata. Quan„quam modesti hominis est, à quocunque libenter admoneri. Cœcus uti si monstret iter, tamen adspi„ce, inquit Flaccus.

Non veretur Erasmus *fulmen Romanum*, quod in illum vibrarent iracundi, intempestivi reprehensores Novi Testamenti Græci, quo nuperrime, superiori anno 1515. quo Erasmi illud opus græcum aut græco-latinum in lucem productum, coërcendi visi, qui quid ederent in linguis absque censura publica. Concilium Lateranense, celebratum ab anno 1511. Romæ, sub Julio secundo & Leone X. usque in annum decimum septimum, decreverat *Sessione X. An. 1515. 4. Non. Maji, nullos libros edi debere absque publicæ censura, in primis versiones autorum Græcorum, Hebræorum, Arabum, & Chaldæorum.* Necesse erit integrum Concilii decretum sistere, pro Cantabrigiensium theologorum *machina contra Erasmi Novum Testamentum Græcum* plene cognoscenda. Hic actorum tenor, in exemplari Romano:

Bulla

„Bulla super impressione librorum, lecta in decima sessione sacrosancti „Lateranensis Concilii per R. P. D. Episcopum Natanensem.

„LEo Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante Concilio: „Inter sollicitudines, nostris humeris incumbentes perpeti cura revolvimus, ut errantes in viam ve„ritatis reducere, ipsosque lucrifacere Deo, (sua nobis cooperante gratia) valeamus: Hoc est profecto, „quod desideranter exquirimus, ad id nostræ mentis sedulo destinamus affectum, ac circa illud studiosa „diligentia vigilamus. Sane licet literarum peritia per librorum lectionem possit faciliter obtineri, ac „ars imprimendi libros, temporibus potissimum nostris, divino favente numine inventa seu aucta & per„polita, plurima mortalibus attulerit commoda, cum parva impensa copia librorum maxima habeatur: „Quibus ingenia ad literarum studia percommode exerceri, & viri eruditi in omnium linguarum gene„re, præsertim autem catholici, quibus sanctam Romanam Ecclesiam abundare affectamus, facile eva„dere possunt, qui etiam infideles sciant & valeant sacris institutis instruere, fideliumque collegio per do„ctrinam Christianæ fidei salubriter aggregare. Quia tamen multorum querela nostrum & sedis apo„stolicæ pulsavit auditum, quod nonnulli hujus artis imprimendi magistri „ in diversis mundi partibus, „libros , tam græcæ, hebraicæ, Arabicæ & Chaldeæ linguarum in latinum translatos, quam alios latino ac „vulgari sermone editos, errores etiam in fide ac pernitiosa dogmata, etiam religioni Christianæ contra„ria, ac contra famam personarum, etiam dignitate fulgentium, continentes, imprimere ac publice ven„dere præsumunt; ex quorum lectura non solum legentes non ædificantur, sed in maximos potius, tam „in fide quam in vita & moribus prolabuntur errores: Unde varia sæpe scandala, prout experientia re„rum magistra docuit, exorta fuerunt & majora indies exoriri formidantur: Nos itaque ne id quod ad „Dei gloriam, & fidei augmentum ac bonarum artium propagationem salubriter est inventum, in con„trarium convertatur, ac Christi fidelium saluti detrimentum pariat; Super librorum impressione cu„ram nostram habendam fore duximus, ne de cetero cum bonis seminibus spinæ coalescant, vel medici„nis venena interniscantur. Volentes igitur de opportuno super his remedio providere, hoc sacro ap„probante concilio, ut negotium impressionis librorum hujusmodi eo prosperetur felicius, quo deinceps „indago solertior, diligentius & cautius adhibeatur: Statuimus & ordinamus, quod de cetero, perpe„tuis futuris temporibus nullus librum aliquem, seu aliam quamcunque scripturam, tam in urbe nostra, „quam aliis quibusvis civitatibus & diœcesibus, imprimere seu imprimi facere præsumat, nisi prius in „urbe per vicarium nostrum & sacri Palatii magistrum, in aliis vero civitatibus & diœcesibus, per Epi„scopum vel alium, habentem peritiam scientiæ libri seu scripturæ hujusmodi imprimendæ ab eodem „Episcopo ad id deputandum, ac inquisitorem hæreticæ pravitatis civitatis sive diœcesis, in quibus libro„rum impressio hujusmodi fieret, diligenter examinentur, & per eorum manu propria subscriptionem, „sub excommunicationis sententia gratis & sine dilatione imponendam, approbentur. Qui autem secus „præsumpserit, ultra librorum impressorum amissionem, & illorum publicam combustionem, ac cen„tum ducatorum fabricæ Basilicæ Principis apostolorum de urbe sine spe remissionis solationem, ac anni „continui exercitii impressionis suspensionem, excommunicationis sententia innodatus existat, ac de„mum ingravescente contumacia, taliter per Episcopum suum vel Vicarium nostrum respective per „omnia juris remedia castigetur, quod alii ejus exemplo similia minime attentare præsumant. Nulli „ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti & ordinationis infringere, vel ei ausu „temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei ac „beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ in publica sessione, „in Lateranensi sacro sancta Basilica solenniter celebrata, Anno incarnationis Dominicæ M D XV. quar„to Nonas Maji, Pontificatus nostri anno tertio.

Hic ille stylus Concilii tunc præsentis Romanæque curiæ, quo confodiendus Erasmus, terebrandumque Novum illius græcum testamentum, durante illo severo Concilio editum: Volumen istud non Episcopi censura & consensu fuisse editum, supprimendum ergo, & abolendum, igne & ferro. Non insicias iverit, qui illius ætatis fata in literis suscitandis attenderit, illud Concilii fulmen vibratum esse in bonarum literarum autores, Reuchlinum, & ipsummet Erasmum, cum omnibus ceteris linguarum professoribus ac cultoribus, qui verterent autores græcos, hebræos, similesque peregrinos veteris ævi. Ex quibus recentibus studiis sibi ominati scholastici doctrinæ mutationem. Cudendum proinde telum in philologos illius seculi, quo transfigendi, ubi quid a traditione vulgi diversum sint edituri. Frenum illis injiciendum, ne fucus publicus per illos patefieret.

Hoc novissimum Concilii & Papæ fulmen, in Erasmi opus philologicum tortum a Cantabrigiensibus. Quod ut manibus illorum extorqueret, aut flammam extingueret Erasmus, quæ illi nunc, ut nuperrime Reuchlino minaretur cineres, negotium aliquod facessivit Erasmo. Brachio proinde exserto has tædas, Novo græco testamento subjiciendas, elisit, demonstrans, opus illud abunde fuisse *approbatum ab Episcopo*, pro Concilii mandato, puta *Basileensi*, neque ab illo solo, sed & *a Theologis Academiæ Basileensis*, ab aliis viris religiosis doctisque. Quin & calculum ipsiusmet Pontificis produxit, quo Concilii decreto jactato abunde factum esset satis. Tanti erat servare ab interitu Novum testamentum græcum. Sed audire necesse est ipsum Erasmum de Episcopi suffragio.

„Cautum esse constat in hac Synodo Lateranensi, ut liber edatur ab Ordinario comprobatus, aut „ab iis, quibus ille suas vices delegarit. At opus nostrum & scriptum editum est, teste & approbante ejus „loci Episcopo: Neque quovis Episcopo, sed præter ætatis reverentiam, præter imaginum commenda„tionem, singulari vitæ integritate raraque doctrina insigni. Nec is verò comprobavit modo, verum „etiam nihil non detulit, si secum manere voluissem. Et abeuntem tantis officiis tanta munificentia pro-

„secutus est, vir incomparabilis, ut me referre pudeat. Ac ne his quidem contentus, ultro scriptis ad „Archi Episcopum Cantuariensem literis tum me honorificentissime commendavit, tum illi meo nomi„ne gratias egit. Itaque si non a Synodo, certe juxta Synodi constitutionem approbatus est labor meus. „Talis est autor, ut unus plurimorum instar haberi debeat: Et hoc etiam plus ponderis habere de„bet illius suffragium, quod nec precibus nec ullis obsequiis impetratum, sed ultro ac pene fugitanti „oblatum sit.

Assensus duorum theologorum Academiæ Balileensis, Ludovici Beri & Wolfgangi Fabritii Capitonis, pro justa approbatione ab Erasmo laudatus. „Quod si cui parum gravis est unius hominis (Epi„scopi Basileensis) autoritas, Episcopi judicio subscripsere duo theologiæ Professores, sed omnium lon„ge principes. Ludovicus Berus, vir, id quod constat, omnibus virtutum ac disciplinarum ornamentis „cumulatus, tum autem in theologica palæstra sic exercitatus, ut apud Parisios, inter eos, qui Doctoris „titulo insigniebantur, primum meruerit locum. Huic adeo displicuit opus nostrum, ut fortunas suas „omnes, quas habet ampliss imas, mihi communes detulerit. E duabus præbendis quas habet, alteram „ultro in manum dederit. Ad hæc Fabritius Capito, ob insignem theologiæ cognitionem in Basileensis „Ecclesiæ Collegium cooptatus, ubi publicum concionatorem agit, vir præter alias egregias disciplinas, „trium linguarum non vulgariter peritus, Græcæ, Latinæ & Hebraicæ: Denique vita tam integra, mori„bus tam piis, ut nihil unquam viderim incorruptius. His testibus liber est editus, quorum judicio nihil „addubitaret, quamlibet gravi in re, fidere Episcopus, si ipse parum certo esset judicio.

Quam deploraverint alii theologi, se græca non didicisse in juventute, qui tam præclaro opere frui jam non possint, subindicat. „Neque quisquam ceterorum theologorum damnavit opus nostrum. „Tantum deplorabant nonnulli se pueros non didicisse græce, & sibi sero librum eum prodisse in „lucem.

Bene annuentes alios theologos, vel aliquot adscivit, quorum numerum non init ob multitudinem, & ad declinandam jactantiæ speciem. In illis *Wimphelingius* Cæsari Maximiliano & notus & carus. „Referre poteram quid venerandus ille prior Cartusiensis apud Friburgum, Gregorius Reischius, cujus „sententia apud Germanos oraculi pondus habet; Quid eximius ille theologus Jacobus Wimphelingius, „de nostra senserit editione. Proferre poteram innumeras epistolas insignium virorum, quibus mihi „gratias agunt, quod ex meis lucubrationibus, præcipue quas in Novum edidi Testamentum, & meliores „evaserint & eruditiores, ni vererer, ne quis hæc à me glorios ius dici putare posset quam verius. Et ta„men qui in Germania mecum egerunt consuetudinem, & quibus in Anglia res omnes meæ perinde ut „mihi notæ sunt, norunt quam parce hæc attigerim, nimirum invitus: partim, quod à nulla re magis ab„horream quam à jactantia, partim quod nolim amicorum cuiquam quicquam ex me invidiæ acci„dere.

Provocat dehinc ad ipsius Episcopi Rossensis, Cantabrigiensis tunc Academiæ Cancellarii, consensum, cui opus pergratum. „Scis ipse, mi Boville, cujusmodi vir sit egregius ille præsul Rossensis, ve„stræ Academiæ Cancellarius, sive virtutem ac pietatem spectes, sive doctrinam. Et non pudet illos te„nebriones convitiis insectari, quod ille tantus heros approbat ac legit?

Pontificis denique, Leonis X. gratiam erga Erasmum & opus prædicat, pro tutamine contra improbos, invidos & rudes. „Non pudet τερωβόλες ἀνθρωπίσκες suo arbitratu lacerare, quod ipse summus „approbat Pontifex! Nam ni mea probaret, non utique scripsisset, se maximi muneris loco habiturum, „si studiorum meorum proventum omnem suo dicarem nomini. Plus quam approbat, qui præmium „etiam pollicetur. Ostenderam illi literis meis, quid molirer, explorans, num sibi cuperet inscribi? il„le protinus unicam epistolam duabus pensavit; Alterâ meæ respondet & amanter, & honorifice, & eru„dite: Alterâ me meaque studia Serenissimo Anglorum Regi commendat, quam diligenter, quamque „effuse, probabis ipse. Responderat uterque Cardinalis, & Grimanus & Georgianus. Misimus hieme „proxima (mense Martio 1516.) Volumen unum Leoni, cui dicatum est; Quod si redditum est, nihil ad„dubito, quin ille luminis præmiis sit vigilias nostras prosecuturus.

Summam præclaræ defensionis comprehendit brevibus. „Quid superest, quod isti in me deside„rent? Nec primus nec temere hoc negotium aggressus sum. Secutus sum synodi constitutionem. Ap„probant, si non omnes, certe primi. Si quid illic impium esset, displiceret piis, si nihil eruditionis, re„jicerent eruditi. At nulli magis amplectuntur, quam hi, quos & insignis vitæ sanctimonia & eruditio „non vulgaris commendat. Si quem magis movet doctrina, probatur à doctissimis; Si integritas, pro„batur ab integerrimis: Si autoritas, probatur ab Episcopis, ab Archi Episcopis, ab ipso summo Pon„tifice.

Nec ullum tantorum suffragiorum emendicatum esse, ut sit sæpe, profitetur intrepide. „Neque „quicquam tamen horum mihi prosit suffragium, si compertum fuerit, me cujusquam omnium ambisse „favorem. Quicquid hic datum est, rei datum est, non homini.

Periculum, quod metuant Scholastici apud Cantabrigienses, suæ propalandæ insciticæ aut negligentiæ, indice monstrat digito: „Hæc tam multa non impetrant ab illis, ut quod male didicerunt, velint de„discere. An verentur, ne ad hæc avocatis juvenibus, frigeant illorum scholæ?

Quid lucis & emolumenti per bonas literas accerserit Academiæ Cantabrigiensi, lætus & distincte commemorat. „Ante annos ferme triginta nihil tradebatur in Schola Cantabrigiensi præter Alexan„drum, Parva Logicalia, ut vocant, & vetera illa Aristotelis dictata, Scoticasque quæstiones. Progressu „temporis accesserunt bonæ literæ, accessit matheseos cognitio, accessit novus aut certe novatus Aristote„les, accessit literarum græcarum peritia, accesserunt autores tam multi, quorum olim ne nomina qui„dem tenebantur, nec à summatibus illis larcis. Quæso quid hisce ex rebus accidit Academiæ vestræ?

„Nempe ſic efflоruit, ut cum primis hujus ſeculi ſcholis certare poſſit, & tales habet viros, ad quos vete„res illi collati umbræ theologorum videantur non theologi. Non inficiantur id majores, ſi qui ſunt in„genio candido. Aliis ſuam felicitatem gratulantur, ſuam complorant infelicitatem.

Revelat metus fundum, quare tam ægre ferant, ſtudia Fontium illuſtrari; ne futilitas Scholaſticarum rerum propaletur, ne abſtrahantur Studioſi per Fontium lectionem à frivolis illorum quæſtiunculis. „An hoc iſtos male habet, quod poſthac & plures legent Evangelicas apoſtolicasque literas, & at„tentius: Et vel hoc tempus his ſtudiis decidi dolent, quibus omne tempus oportebat impertiri, malint„que univerſam ætatem in quæſtionum frivolis argutiis conteri? Atqui hoc ſane nomine non admo„dum pœnitet me mearum vigiliarum. Compertum eſt hactenus, quosdam fuiſſe theologos, qui adeo „nusquam legerant divinas literas, ut nec ipſos Sententiarum libros evolverent, neque quicquam omni„no attingerent, præter quæſtionum gryphos. Annon expedit, ejuſmodi ad ipſos revocari fontes?

Serenum proſperitatis judicium ſibi juſte pollicetur Eraſmus, inter quos hodie ſumus omnes, qui Evangelicæ doctrinæ profeſſione publica, fontes tenemus, legimus, cunctisque commendamus, libere & ſine trepidatione, qui Eraſmo æternos decernimus aut conſervamus illo nomine honores. „Ego labo„res, quos certe non mediocres omnibus juvandis ſuſcepi, cupiam omnibus eſſe frugiferos. Nam præmii „ſummam ab ipſo Chriſto expecto, tantum ut promerear. Verum ſi fieri non poteſt, ut omnibus pro„beamur, hoc interim me conſolatur, quod ubique ferme probantur a probatiſſimis. Et ſpero futurum, „ut quod nunc placet optimis, mox placeat plurimis. Aliis gratiam conciliavit novitas, at huic operi „novitas invidiam peperit. Proinde diverſum opinor accidet. Illis ætas favorem adimit, mihi fortas„ſis apponet. Illud certe præſagio, de meis lucubrationibus, qualescunque ſunt, candidius judicaturam „poſteritatem.

Depingit tandem vivis coloribus frontem æmulorum Novo Teſtamento græco adverſantium. „Nec de meo ſeculo queri poſſum. Plus mihi tribuit, non dico quam poſtulem, ſed quam aut merear „aut tueri queam. Cum enim ſint tam varia, tamque faſtidioſa mortalium judicia, præſertim in literis; „meis tamen ſcriptis, non impiis quidem illis, ſed parum eruditis, ſi cum aliorum libris conferas, nemo „detraxit hactenus, niſi pauculi quidam, ſed adeo morоſi, ut nihil omnino probent, niſi quod ipſi fa„ciunt; aut adeo ſtupidi, ut nihil ſentiant; aut adeo ſupini, ut nec legant quod carpunt; aut adeo indo„cti, ut nihil judicent; aut adeo gloriæ jejuni avidique, ut carpendis aliorum laboribus ſibi laudem pa„rent.

Manifeſtat non minus quorundam impudentem & perfrictam frontem, qui Eraſmi ſcripta privatim legant, laudent, ſuaque ex illis promant, ſuas reculas ornent & comant, foris & publice laceſſant, & vituperent, ne videantur ex illis profeciſſe. „Sunt ex hoc numero, qui foris damnant & rejiciunt, quod „domi legunt ac probant. Fortaſſe pudoris eſt, diſſimulare per quos profeceris, ſed tamen ingrati pudo„ris & illiberalis. At eorum in publico lacerare famam, quorum ſudoribus domi juvaris, id vero lon„giſſime abeſt ab omni humanitate. Quanquam hoc quoque devorandum ei, qui Chriſto imili„tet. Laudat ultimo Bovillum, qui *Chriſtum pure doceat non hominum jactet aut oſtentet argu„tias.*

Maſcula hæc & imperterrita Eraſmi facies, os candidum & apertum, frons deducta, animus erectus & præſens, pectus probe munitum adverſus omnem invidiam & detrahentium impudentiam. Stetit Eraſmi Novum Teſtamentum græcum, novaque verſio ſtetit, impetumque gigantum & Lapitharum ſuſtinuit, qui cœlum everſum iverant. Non ſuam, ſed Eccleſiæ, ſed poſteritatis cauſam, ſed noſtram, qui ducentis abinde jam annis vivimus, quique poſt ſecula victuri, egit ſtrenue. In pace fruimur bonis, quæ inter arma paravit.

Sed & pro Eraſmo audire libet *Angliæ decus, Joannem Coletum,* qui dentes elidat illis, quos acuant in Eraſmi Novum Teſtamentum, idque An. 1516. „Quod ſcribis de Novo Teſtamento intelligo. Libri „novæ editionis tuæ hic avide emuntur & paſſim leguntur, multis probantibus & admirantibus ſtudia tua, „nonnullis etiam improbantibus & carpentibus, & ea dicentibus, quæ in Epiſtola Martini Dorpii ad te „ſcripta continentur. Sed hi ſunt theologi illi, quos tu in Moria tua, & aliis locis, non minus vere quam „facete deſcribis, a quibus laudari vituperium eſt, & vituperari laus eſt. Ego vero iſta amo tua ſtudia „& iſtam tuam novam editionem ita amplector, ut in eadem varie afficiar. Nam nunc dolor me tenet, „quod non didicerim græcum ſermonem, ſine cujus peritia nihil ſcimus, nunc gaudeam in iſta luce, quam „tu ex ſole tui ingenii emiſiſti.

Addit adhæc Coletus Eraſmo calcar, ad Paraphraſes, quas in animo jam habebat Eraſmus: „Cum „dederis nobis Novum Teſtamentum latinis, illuſtra idem tuis expoſitionibus, & ede Commentaria „longiſſima in Evangelia. Tua longitudo eſt brevitas, creſcit appetitus, modo ſtomachus ſit ſanus.

Arridebit lectori & *ſuitum Eraſmi*, quod telis & morſibus maledicorum obverſum miſit Marco Laurino, *Lov. 1518.* a feſto Paſchatis, *Tomo epiſt. f. 190. lib. 3. ep. 21.* „De convitiis obtrectatorum, qui omni„bus arroſis, nunc tandem in inconſtantiam meam (per tremenda itinera) cavillantur, riſi fateor, utpote „jam aſſuetus iſtiusmodi blateramentis, ſed tamen riſum ex parte Sardonium. Nam mihi quidem ad„verſus iſtorum calumnias, ſufficeret animus bene ſibi conſcius. Ceterum, quis non moleſte ferat obſti„natam ac perverſam hominum ingratitudinem? Nulli magis indigent meis laboribus quam iſti, qui „ſic oblatrant meis ſtudiis, ſuis commodis. Nec ulli oblatrant ferocius aut immanius quam ii, qui libri „nec operimentum unquam viderunt. Fac mi Marce periculum, & comperies me verum dicere. „Ubi incideris in ejusmodi quempiam, ſine illum debacchari in Novum Teſtamentum meum. Ubi „ac ſtomachatus erit ad ravim usque, roga, num opus ipſum perlegerit. Si perfricta fronte dicet ſe le„giſſe, urge, ut locum proferat quem reprehendit. Non reperies quenquam qui id poſſit. Nunc vide

quam

„quam hoc sit Christianum, imo quam Monachorum professione dignum, apud imperitam plebem lace-
„rare famam hominis, quam etiamsi velint, sarcire non possint, cum id quod carpunt, prorsus ignorent,
„non cogitantes, vere dixisse Paulum, Maledici regnum Dei non possidebunt. Nullum autem infamiæ
„genus sceleratius quam hæreseos, quod isti statim inpingunt, si quis eos vel nutu offendat, deinde, quem-
„admodum apud Elvetios, ut narrant, uno quopiam e turba proferente digitum proferunt omnes, &
„ad prædam accurrunt: Ita simul atque ex ista grege unus quispiam grunnire cœperit, mox grunniunt
„universi, & apud populum quiritantes, ad saxa provocant: Velut, obliti professionis suæ, non aliud
„professi sint, quam ut bonorum virorum nomina linguæ suæ virulentia contaminent, ac prorsus juxta
„Psalmographi vaticinium; Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum.
„Ita qui debebant Christianæ pietatis prædicatores esse, studio sunt alienæ pietatis obtrectatores. Et qui
„se profitentur Hierophantas, exhibent Sycophantas. Et quod prodigii simile est, homines ad benedi-
„cendum infantissimi, ad mordendum ac calumniandum' linguam habent, & alias a Musis & Gratiis
„alieni, in conspurcanda bonorum virorum fama salsi sibi videntur & venusti. Postremo, quod per se
„non possunt, per subornatos agunt, conducto Chœrilo quopiam, aut malo rhetore. Tanta est læden-
„di libido, tanta sitis rei cum facillimæ tum sceleratissimæ. Prodesse difficillimum est, sed juxta pium.
„Cur non hac parte potius declarant, se magnos ac suspiciendos homines, si quid esse volunt? Et istud
„hominum genus omnino dignum, ita libris celebrari, ut posteritas non ignoret eximiam morum ingenii-
„que perversitatem, sub prætextu Christianæ religionis.

Non parva nobis, post aliquot jam secula posteris, erit voluptas, in libero jam nostro Novi Testa-
menti græci usu, meminisse, cum quibus larvis fuerit dimicandum Erasmo, ut rudi servitute pulsa, inge-
nuam nobis compararet sacris fontibus utendi libertatem. Monstra nonnulla depinxit in literis ad Pe-
trum Mosellanum, Lipsiensem Professorem, Lov. An. 1519. Tom. Epist. f. 344. seqq. lib. 6. ep. 2. Clamores
inconditi, in scenis, in templis, in choris, in claustris, in compitis, in conviviis: *Correxit Magnificat &
Pater noster.* Hæc latinæ versionis commendatio solennis apud rudem popellum, qui hic arrigeret au-
res, bilemque in librum vomeret. „Erat quidam κηρυκὴς, qui lamentabili voce deploravit apud popu-
„lum, tot vigilias, pro tuenda fide Christi susceptas, inanes ac steriles esse. Quid superest est nobis, in-
„quit, nisi ut nostros libros conjiciamus in ignem, posteaquam extiterunt, qui novis libris & Pater noster
corrigant & Magnificat? *Tum enim recens exierant Annotationes meæ in Novum Testamentum.*

Lepidior Carmelita theologus. *Ipse quendam audivi Carmelitam, hominem bonis lateribus, ac titulo
pileoque violaceo Theologiæ Doctorem. Is cum sentiret adesse me,* (stabam enim è regione) *ex peccatis tri-
bus in Spiritum Sanctum duo mihi impegit: Præsumptionem, qui novis libellis damnarem omnes veteres,
adeo ut non dubitarem, & Precationem Dominicam emendare, & Mariæ canticum: Tum impugnationem
agnitæ veritatis, quod auditis eodem die duobus Concionatoribus, in cœna dixissem, neutrum satis intellexis-
se suum thema.* Erat autem ex prioris epistolæ *Petri capite quarto;* Estote prudentes, & vigilate in o-
rationibus, ante omnia autem in vobismet ipsis charitatem continuam habentes. *Hic* bona pars concio-
nis *consumpta est in partibus prudentiæ,* cum græce sit σωφρονησατε, bona in vosmet ipsis, de ordine cha-
ritatis, cum in ἑαυτοῖς, sit, inter vos. „Nec tamen infectatus sum illorum errorem, sed laudata utrius-
„que concione: Utinam, inquam, hoc accessisset: Nam quinque verbis ex Annotationibus meis pote-
„rant ab hoc errore prohiberi. Neque tamen leve flagitium est, eum, qui apud populum cum tanta
„docet autoritate, non intelligere basin totius orationis. Hunc meum sermonem cum doctor ille, ex
„nescio quo cognovisset, sæpenumero, inquit, concionatus sum apud vos, & Christo favente concio na-
„bor: Verum, si quis dicat, concionatorem non intelligere thema concionis, præsertim cum id sumserit
„ex sacris literis, is peccat adversus Spiritum Sanctum. Adhærebat lateri meo Petrus Ægidius, mire can-
„didus amicus, is ira disrumpi: Ego risum tenere non potui. Quis enim tam ridicula non rideat? Et
„tamen isti putant æquum, ut ob unam talem rabulam ingens monachorum grex alatur ex publico.

Luculentiorem hujus fati scenam effigiavit Erasmus in gratiam Martini Lipsii, An. 1528. lib. 22. ep.
31. f. 1193. „Cum prodisset Novum Testamentum, quam stolide debacchati sunt quidam è suggestis ad
„populum, extitisse qui corrigeret Magnificat, qui corrigeret Precationem Dominicam, qui corrigeret
„Evangelium Johannis. Quantum hic sibi placebant, at triumphabant, cum interim eruditis ac sanis
„omnibus sese propinarent deridendos? Ipse præsens audivi laudes meas. Antverpiæ concionabatur
„in suo monasterio Prior Carmelitarum, theologiæ professor, id arguebat pileum violaceum, alioqui
„latine prorsus nesciebat, tantum aberat, ut sacras literas nosset. Erat autem concio frequens ob diem
„festum Pentecostes. Ibi cum non minus indocte quam insulse recitaret ea, quæ ex ineptis centonibus
„didicerat, mihi forte conspecto impegit duo peccata in Spiritum Sanctum: Alterum quod auderem
„corrigere Magnificat, alterum, quod dixissem, concionatores non intelligere suum thema, cum id su-
„mant ex sacris literis Sancti Spiritus afflatu proditis: Quasi nihil interfit inter Spiritum Sanctum & ta-
„lem monachum, quem truncum verius dixisses quam hominem. Quos risus illic vidisses non solum
„eruditorum, sed & muliercularum aliquot, quibus eram notus, nam tum ædes habebam in proximo. Ut
„autem illud diceret, hæc erat occasio. Ante paucos dies ex eodem loco seniculus ejusdem sodalitii fue-
„rat concionatus. Thema erat quod est 1. Pet. 4. Estote prudentes & vigilate in orationibus. Ibi
„è suis collectaneis multa dixit de virtute Prudentia, cum græca sit σωφρονήσατε, quod magis sonat, so-
„brii estote. Sobrietas enim, quæ opponitur luxui, & vigilantia quæ excludit somnolentiam, luxus co-
„mitem, precationi congruunt. Hoc forte dixeram in convivio nec molestе nec inimice. Nam is se-
„nex mihi visus est minime malus. Tantum dolebam, illi non adesse plus literaturæ.

Nec invenustius alius Carmelitæ theologi theatrum. „Cum primum prodisset in lucem Novum
„Testamentum à me restitutum, Carmelita quidam Theologus, suo ipsius judicio mire doctus ac pius,

„vociferabatur, ingens imminere discrimen Christianæ religioni, instare adventum Anti-Christi: Nam hu„jusmodi tragœdiis territant superstitiosam plebeculam. Ubi ventum est in Colloquium mutuum, & „hominem rogarem urgeremque, proferret, quid offenderet in Novo Testamento: Respondit satis in„genue, sibi codicem neque lectum neque conspectum fuisse.

Similis Dominicani Argentoratensis scena. „Vix dum prodierat Novum Testamentum, cum Ar„gentorati Prædicator quispiam, (nam ut olim is ordo complures habuit egregie doctos viros, ita ut „nunc habet permultos, quin escio quid tyrannidis affectant) in corona studiosorum, plenis, ut ajunt, ti„biis detonabat in opus illud. Aderat Jacobus Sturmius, juvenis ingenio faceto, summo judicio, doctri„na non vulgari ac nostri cumprimis studiosus. Is passus est hominem ad satietatem usque deblaterare. „Cum nihil jam non dixisset, atque ut ipsi visum est feliciter, rogavit hominem Sturmius, an opus vidis„set? Negavit. Qui potes igitur, inquit, tam multa prædicare de opere, quod nec legeris nec videris? „Risere cuncti, nec tamen puduit illum impudentiæ suæ.

Impudentiæ pars insignis, poscere patientiam & silentium ab illis, quibus detraxissent turpiter, Erasmum compulsuri ad ferendum immoderatos & immodicos convitiorum cumulos: Quasi justa Novi Testamenti defensio esset publicæ pacis & tranquillitatis turbatio. „Prorsus novum calumniandi ge„nus: Primum damnant, quod oderant; deinde venantur quod carpant in eo, quod damnarant. Quod „si quis obsistat aut reclamet illorum sycophantiis, tum clamitant, turbari pacem ac tranquillitatem: „Perinde quasi quem alapis cædas, jubeas conquiescere, ne quid tumultus oriatur. Horum tenera Ma„jestas, & verbo etiam irritabilis, à nobis plusquam Socraticam exigit patientiam, & tam vilem habent „alienam famam, qui suam tam charam haberi volunt.

Nec illepida comœdia apud Anglos, quam egit Theologus apud Regem, in Græca studia & Erasmum Græcorum interpretem debacchatus, qui se spiritu afflatum pronunciavit, ut in græcas literas detonaret. „Theologus quidam, cum in aula concionaretur apud Regem, cœpit in græcas literas & no„vos interpretes non minus impudenter quam stolide debacchari. Paceus in regem conjecit oculos, obser„vans quo vultu hæc audiret. Is mox Paceo suaviter arrisit. Peracta concione jussus est adesse Theo„logus. Datum est Moro negotium, ut adversus hunc tueretur græcas literas. Rex ei disputationi „voluit interesse. Ubi Morus multa facundissime dixisset, jamque Theologi responsio expectaretur, „is flexis poplitibus nihil aliud quam veniam deprecatus est; Sic tamen extemans admissum, ut dice„ret, se inter concionandum Spiritu quodam afflatum, hoc in linguam græcam effudisse. Tum Rex, „Atqui, inquit, Spiritus ille non erat Christi, sed stultitiæ. Deinde rogat, num quid legisset Erasmicum? „Neque enim latuit regem, quod in me torserat quædam. Negat legisse. At isto, inquit, argumento „declaras te palam esse fatuum, qui damnes quod non legeris. Sub hæc Theologus: Legi, inquit, rem „quandam quæ vocatur Moria. Hic Paceus interloquens: Hoc, ait, argumentum, sereniſſime Rex, huc „maxime congruit. Denique commentus est theologus & aliud enthymema, quo leniret factum: „Græcis, inquit, literis non perinde sum infensus, quod originem habeant ex lingua hebraica. Rex ad„miratus insignem hominis stultitiam, jussit abire, sed hac lege, ne unquam rediret in aula concio„naturus.

Horum occasione Regis Angliæ, Henrici VIII. laudati, justa incidit vindicta, quam sumsit a græcarum literarum contemptoribus, qui Erasmi res omnes vellent extinctas, quando mandavit invitos discere græca: „Oxoniæ, cum juvenis quidam non vulgariter doctus satis feliciter græca profiteretur, „barbarus quispiam in populari concione, magnis & atrocibus convitiis debacchari cœpit in græcas literas. „At Rex, ut non indoctus ipse, ita bonis literis favens, qui tum forte in propinquo erat, re per Morum & „Paceum cognita, denunciavit, ut volentes ac lubentes Græcanicam literaturam amplecterentur. Ita ra„bulis illis impositum est silentium.

Paucis complexus est Erasmus omnia in Novum illud Testamentum odia uno *invidiæ* nomine, in Catalogo lucubrationum suarum. „Aggressus sum Novum Testamentum, in quo decreveram adeo „verborum parcus esse, ut statuerim singula loca tribus vocibus annotare: Præsertim cum Laurentii „castigationem jam edidissem. Ceterum ubi jam accinctus esset Frobenius ad excudendum, perpule„runt amici docti, quibus aliquoties obsequentior sum quam expedit, ut mutarem etiam editionem „vulgatam, & in Annotationibus essem aliquando copiosior. Is labor noster ut plurimos excitavit, „vel ad græcas literas, vel ad studium sincerioris theologiæ, ita mihi gloriam peperit multa invidia fermen„tatam. Dedimus & hic mox pœnas non leves, vel temeritatis, vel nimiæ facilitatis in obsequendo amico„rum voluntati potius, quam judicio.

Jacobus Lopis Stunica, Hispanus, in primum Erasmi Novum Testamentum invectivas scribere cœpit, An. 1516. Sed Cardinalis Ximenes edere prohibuit; ut jacerent usque ad obitum Cardinalis.

D*Orpius*, Lovaniensis Theologus, Erasmo An. 1515. insultans, quieti datus; *Budæus & Faber*, *Galli*, Erasmum 1516. lacessentes, vel placati vel convicti: *Cantabrigienses* confutati. Quamprimum An. 1516. Novi Testamenti exempla ad *Hispanos* delata, prosiluit *Stunica* amare conquestus. Quare in Novum Erasmi opus calamum strinxit, vulgatæ versionis vindex futurus. Cum his suis stricturis advolavit ad *Hispaniæ Primatem*, *Cardinalem Ximenium*, cui exhiberet, quasi rem probe gestam, spe & existimatione magni præstiti officii. Verisimile illum fuisse persuasum, Ximenium iri commotum ad iram in Erasmum, tanquam Ximeniani operis æmulum. Occupatus illis annis Ximenius in vasto opere Veteris & Novi Testamenti edendo, servatis versionibus vulgatis. Erasmus prævenerat jam An. 1516. ut Ximenium

menium videretur antevertere & tantum non superare nova Novi Græci Testamenti & spectabili editione, novaque aut reformata versione latina. Quibus offendi posse putaretur Ximenius.

Sed sua opinione vel & spe frustratus Stunica. Tantum enim abfuit, ut viso Erasmi Novo Testamento auditisque Stunicæ criminationibus, Erasmo succenseret, & Stunicæ applauderet, ut hunc potius reprehenderet, dicens: *Si Stunica melius omnia quam Erasmus reddere & exprimere sustineret, præstaret.* Suasit Stunicæ, optimo salubrique consilio, sua dubia describeret, ac Erasmo prius communicaret, illius explicationem expectans. Quod non sapuit Stunicæ, qui existimavit consultius, premere sua in Erasmum, in obitum usque Ximenis, jam grandævi: Qui brevi post An. 1517. diem obiit. Non est dubium, quin Ximenio, Hispaniæ Primati & Cardinali, scripta contigerint, quæ jam annis duobus apud Germanos & Gallos ultro citroque edita in Novum Erasmi Testamentum. Ad minimum famâ de illis accepit potissima. Bibliothecam Compluti in nova Academia suscitarat, quorsum omnino & Erasmica perlata. Quid si & Stunica, per Gallos, per Lovanienses, per Germanos, excitatus, ad similem vel acerbiorem cum Erasmo pugnam? Quid si & ad Ximenii invidiam concitandam paratæ istæ insidiæ?

Suboluit sagacissimo Hispano, regnique Primati, eorundem studiosorum conscio, & *Stunicæ techna, & sodalium fraus.* Quamobrem, ut prudentiam Capitis decebat, *reprehensione Stunicæ*, cautius agere & quiescere ac Erasmi res præclaras intactas linquere mandavit. *Quievit* itaque *hæc nova lis Hispanica* vel in annum, sub cineribus delitescens.

Attigit hoc *Stunicæ proscenium* ipse Erasmus, postquam Stunica ab obitu Ximenii in Erasmi Novum Testamentum inventus, Erasmus ad Apologiam pertraxerat, *Tomo IX. Op. Erasmi, f. 238.* „Utinam „Stunica, quisquis est, non magis obtemperasset vel animo suo, vel quorundam instinctibus, quam pru„denti pariter & amico consilio R. D. Cardinalis Toletani, Francisci Cisnerii, cui noster successit Wilhel„mus Crojus, juvenis seni, sed dignus, qui in ea dignitate consenescceret. Siquidem audio virum opti„mum (Franciscum Ximenes) ubi vidisset, quæ moliebatur in me Stunica, dedisse consilium plane Chri„stianum, ut prius opus ad me mitteret, quam evulgaret. Quod si responsione satisfacerem, magis in „rem ipsius fore, premi librum quam evulgari. Sin autem respondere gravarer, aut proterve indocteve „responderem, publicaret suas vigilias bonis avibus meque neglecto veritati patrocinaretur. Siquidem „Stunica cum forte reperisset optimum virum, præ manibus habentem à nobis recognitum Novum Te„stamentum, demirari cœpit, quod talibus nugis admoveret oculos, librum scatere mendis ac erroribus „prodigiosis. Hic Cardinalis hominis petulantiam gravi dicto castigavit, ut referunt optimæ fidei qui„dam, qui tum Cardinali aderant, utinam, *inquiens*, sic prophetent omnes: Tu, si potes, adfer meliora, „ne damna alienam industriam. Proinde vivo Cardinale pressit libellum suum maledicum; Qui uti„nam tum prodiisset, nec dubito quin & jejunior & indoctior, quam nunc est. At ille statim à morte „Cardinalis typographis tradit opus.

Quando absolverat magnificum opus suum Complutense, die X. Julii An. 1517. Cardinalis, verè stupendo exemplo, Hispaniæ Primate digno, diem obiit supremum die IX. Novemb. An. 1517. Hunc exitum expectavit Stunica, ut liberius stomacharetur in Erasmum, in illius Novum Testamentum audacius detonando.

Prima isthæc *Stunicæ molimina*, pro historiæ luce & rerum gestarum ordine, tanto sollicitius observanda, quanto manifestius illa præcesserunt negotium Lutheri. Quo orto, Stunica ad suas in Erasmum invectivas edendas ruens scenam callide immutavit, qua Erasmum & Lutherum simul sisteret, demonstraturus, Lutherum ab Erasmo fuisse edoctum, rem Lutheranam ex Erasmica oriundam, Erasmum præiviisse ac viam Luthero parasse. Qui clamor, *consensus Erasmi & Lutheri*, orbem mox implevit. Quas voces omnes Erasmi adversarii repetiverunt, quas cunctas uno ore complexas tandem An. 1525. *Albertus Pius, Carporum Princeps*, Erasmum autorem clamans factionis illius. Neque interea destitit Stunica, Romæ degens, φωναχίζειν, clam, palam, omnium oculis offerre, & velut ostenta circumferre Erasmi ova, ex quibus Lutherana res adversus Papatum esset excluſa.

Quamobrem *frenum in curia Cardinalis Ximenis Stunicæ injectum* attente spectandum, quod, illius obitu laxatum, impetum ruentis auxit, ut tragœdiæ fieret pars maxima, in bonas literas ab Erasmo suscitatas diras excitans tempestates.

Collegium primum trilingue Buslidianum, ab illustri Buslidiorum familia, Erasmi consilio in Academia Lovaniensi fundatum & suscitatum An. 1516. 1517. Adriano Cardinale Dertusensi Patrono *Goclenio & Rescio*, primis latinæ & græcæ linguæ professoribus, irritis omnibus machinis oppositis.

Reformationis propago.

SCopus Erasmi, quo omnis & immensus illius tenderet labor, ut omnis barbaries, quæ tot seculis tyrannidem in Ecclesia exercuerat, cultioribus literis corrigeretur aut eliminaretur. Boni auctores, Græci & Latini, suscitati, exhibituri, conceptus mentis homine dignos, serenos, judicio humano aptos, adeoque & sermonem, similem mentis bonæ & ingenuæ. Oratorum veterum, græcorum & latinorum, Demosthenis, Ciceronis, ceterorum cogitandi, suadendi, disuadendi genius, humanæ indoli & rationis usui congruus, conciliaturus germanis parem sanæ mentis usum in cogitando, dicendo & scribendo. Non illi dictionis puritas prima aut sola in ore aut calamo, sed in animi agitatione serena, judicio recto, rationibus & consiliis æquis, justis atque salubribus. Nec enim oratio nisi signum & effigies mentis. Qualis mentis usus talis sermo. Rudis animus, cogitationibus rudibus & infrugiferis agitatus, verba effundit rudia. Omnia paria. Mens culta, ingenium eruderatum, judicium, rebus præclaris, virtuosis, ad vi-

tam honeſtam facientibus, ad reipublicæ uſum vergentibus, exercitatum, exemplo & ſtudio veterum oratorum, fons ſimilis orationis, cultæ, politæ, rationis uſum referentis, utilis & proficuæ. Regnaverat antea in Eccleſiis per ſcholas & cathedras, immanis barbaries, quæ mente & ore vix hominum referret veſtigia. Præter ſententias Lombardi, parum in ſacris, quod mentis ſobriæ conceptiones præ ſe ferret. Ut ſubtilitates ſibi fingerent, acumina ratiocinationum de rebus divinis ſomniarent, ita in oratione, diſputatione, prædicatione, colloquio, libro, nil niſi ſpinæ & tricæ. Non tantum in collegiis & cathedris *Quodlibetica*, ut audiebant, ſed & in templis & ſuggeſtibus eadem, quæſtiones & controverſiæ eædem, inter ſomnia, viſiones, fabulas, prodigia & ficta ſucataque portenta, quibus aures popelli arrigerentur. Moralia tam ſubtilia & obſcura, ut plebecula capere nequiret. Quomodo populus nonniſi terriculamentis à peccatorum colluvie retinendus, ad probitatem nonniſi portentoſis & incredibilibus pollicitationibus ſenſibilibus pertrahendus. Sic nihil virtutis ingenuæ, è pectore prognatæ, promptæ, lubentis, vegetæ, conſtantis & erectæ. Cuncta vi & metu. Quo modo nunquam bene agitur. Animum proinde humanum melioribus ſcholis imbuendum ſtatuit Eraſmus, ut mens primum rectius ſaperet, cogitaret, indeque porro recte diceret & ſcriberet. Inſtitutionem, inſtitutionem emendatam deſiderabat, tum primæ ætatis, tum provectioris, Academiarum inprimis & Collegiorum. Pro priori ingeniorum neglectu, humanioribus ſtudiis, optimorum veterum autorum uſu, mentes coli, erigi, juvari, exerceri, & utilibus artibus & ſcientiis inſtrui cupivit. Pro cognitione & peritia mentisque uſu ſermo; pro judicii vepribus dumoſus & ſylvoſus, pro luce & ſerenitate purus, nitidus & utilis, fruge abundans.

Hinc ex Eraſmi ſententia *prima inſtitutionis cura*, in bonorum ac celebrium autorum veterum uſu, *linguarum diſciplina*. Neque vero illi *linguæ*, regularum aut nudæ grammaticæ recenſio, ſed integrorum autorum, græcorum & latinorum lectio, meditatio, cognitio, quoad res primum, dein rebus parem dictionem: Ut res præclaræ præclare dicantur in republica & Eccleſia. Quomodo *linguarum* illi *ſtudium, græcæ & latinæ*, eſt *ſtudium rerum in græcis & latinis autoribus contentarum, rerum bonarum & publicæ rei utilium.* Quo linguarum ſtudio excluſum rancidum prius, aut frigidum ac ineptum dicendi genus, de rebus frivolis ac ludicris, rationibus illepidis & ineptis, quod in foro æque ac templis fuerat ſolenne, ſine ullo reipublicæ & Eccleſiæ fructu. Res meliores pro prioribus inanibus ſurrogari voluit, meliorum autorum veterum uſu introducto. Quæ rectior humana indoles, ex ſolertiori inſtitutione, græcæ & latinæ literaturæ cultura, & exercitatione ſereniore, foro & Eccleſiæ ſalutaris, ut docentes & diſcentes, alia audiendo non minus ac dicendo, aliter quoque proferendo, eſſent fierentque alii, pro barbaris homines, pro rudibus periti, pro incultis politi, pro malis boni; pro civitatis ſocietatiſque communi emolumento.

Poſthæc *græcæ & hebrææ linguæ ſtudium* ab Eraſmo commendatum, non iterum pro meris literis & formulis cognoſcendis ac recitandis, quod perparum; ſed pro ſacris autoribus, Veteris & Novi Teſtamenti ſcriptoribus, hebræis & græcis, legendis, expendendis atque recenſendis. De rebus potior cura. Quomodo iterum *linguarum* vox non puerilis ſed maſcula, ſed ſenilis, pro rebus illis linguis tractatis & conſcriptis. Linguarum character autorum eſt aut rerum nuncius, in peregrinæ dialecti libris. Linguas docere & diſcere eſt autores illos recenſere atque legere, qui in rebus commemorandis illis linguis uſi. *Fontium* ergo *ſacrorum* ſtudium Veteris & Novi Teſtamenti præ verſionibus vulgatis, corruptis, incertis & dubiis præ commentationibus leviculis Lyræ aut Burgenſis, ſimiliumque Scholæ Magiſtrorum, præ doctrina denique ſcholaſtica intricata & ſpinoſa, ſuperflua & infrugifera, urſit Eraſmus: Scopus, ut pro infinitis, nimia acie hebetibus, prolixis, & vere otioſis ſcholaſticæ doctrinæ ſacræ capitibus, brevis, certa, limpida & fructuoſa doctrina ſacra, præſertim Chriſtiana, reſtitueretur. Ut Studioſi meliora ac utiliora, certiora ac ſolidiora audirent & diſcerent, quam in ſcholis, indeque rectiora traderent in ſuggeſtibus, in civibus & populo. Quæ ſerenior doctrinæ Chriſtianæ facies, Scholis ſeu Academiis & Eccleſiis unice digna, efficere potis eſſet homines alios, vere homines, hoc eſt bonos ac rectos, civitati utiles. Loco ſomniorum ſcholaſticorum ut vigilarent docentes & diſcentes, ut Prophetis & Apoſtolis probe cognitis dicerent & audirent, quæ Dei, quæ ſalutis, quæ veritatis, quæ rectæ fidei, quæ vitæ innocentis & morum integrorum. Scholæ ſpinis conſoſſos quidem antea animos, non emendatos, non ſanctos, non ſervatos, *Fontibus* vero limpidis animo & pectori vitam conferri & integritatem judicii & mentis ſobrietatem, affectuum temperantiam, vitæ innocentiam & morum actionumque condecentiam. Ut ex animo bene ubique agatur in civitate, in ſalutem civitatis & æternitatis, ad exemplar Dei, mentis & virtutis decoræ.

Hoc Eraſmo *linguarum ſtudium*, reipublicæ & Eccleſiæ neceſſarium, hoc *Collegium trilingue*, pro priori rudi ſilentio in impura loquacitate, qui nihil aut perparum ſani dicerent, publicæ rei proficuum. *Linguæ* contra ſcholæ balbutiem, *autores boni*, exteri & ſacri, pro Doctoribus ſcholæ, Thoma & Scoto, cum ſua grege. Hoc deſideratæ emendationis publicum ſpecimen, reformationis vigor, Scholæ terror, ignorantiæ fuga, veræ humanitatis fœcundum ſemen, plana virtutis ſemita, publicæ rei proſperitas, & copioſum omnibus emolumentum.

Qui Lovanii velut domi agere, quorſum frequenter diverteret, ſolebat, iſtic, in celebri Academia, ſub Imperio Caroli Hiſpani, Sylvagii Cancellarii patrocinio, *Linguarum Collegium* laudatum ſuſcitaturus, apud Curiæ antiſtites, bonis literis faventes, multis de eo conſiliis egit. Conſiliarius Caroli Eraſmus conſilium ſalubrius non judicavit, quam quo non ſolum Academiæ Lovanienſis gloriæ & honori, quam totius orbis Chriſtiani commodis conſuleret, quo veterem rubiginoſam docendi & diſcendi rationem tolleret, integrioremque & ſalubriorem ſurrogaret. *Saluberrimum* agnovit *conſilium inſtitutionis emendatæ:* Quæ linguarum collegio publico promovenda, profeſſoribus tribus.

Opta-

Optaverat & *in Academiis* inſtitui talem linguarum profeſſionem, ex parte curaverat ante aliquot ſecula Raimundus de Penna ſorti, Barcinonæ in Catalonia, apud Hiſpanos, partim in Concilio Viennenſi urſerat Clemens Pontifex apud Gallos, partim in Concilio Baſileenſi roboraverat Sigismundus Imperator, apud Germanos. Sed *Eraſmus primus*, qui primo efficeret ſub Carolo Hiſpano, *Lovanii*, in inclyta Academia. Præmiſerat *Novum Teſtamentum Græcum*, ante Eraſmum nondum publicæ luci datum, Ximeniano codice in officina multis annis Compluti hærente. Ut igitur uſus eſſet publicus Novi Teſtamenti inter Studioſos, præſentes & ſecuturos, ut juxta illud Novi Teſtamenti corpus doctrina redintegraretur, *Collegium linguarum* erigi & promoveri omni conſilio ſuaſit & juvit.

Inopinata hæc Eccleſiæ beatitudo illa via emerſit, An. 1516 cum felici augurio, ſecuturos mox, Lovanienſis collegii inſtituto, Gallos, Anglos, Germanos. Quod & inſperatus fauſtus eventus docuit, ut per præcipuas mox Academias, Regum juſſu & autoritate, iret fauſta æmulatio. Poſt Novi Teſtamenti editionem hoc trilinguis Collegii inſtitutum inter heroica Eraſmi facinora maximum, uſu præclariſſimum. Exilis characteris, *linguarum* nomine, levis umbra, ſed negotium grande, emolumentum immenſum.

Prudens Eraſmus, intelligens, ſumtus poſci ad tam præclarum inſtitutum perficiendum, ad Collegium aptumque ædificium ſuſcitandum, ad Profeſſores quærendos, & alendos, tantum ſua promovit induſtria ac ſollicitudine, ut *ex Buslidiana familia illuſtri* opes ad inchoandam rem magnam provenirent. *Hieronymus Buslidius*, Arienſis præpoſitus, Regis Caroli Conſiliarius, *Franciſcus Buslidius*, Archi-Epiſcopus Beſontinus, Regis Caroli Conſiliarius, & *Ægidius Buslidius* Caroli Regis a rationibus, tres fratres, genere & doctrina eminentes, in his fratribus, *Franciſcus Buslidius*, Principem Philippum, Maximiliani Cæſaris filium, in juventute, bellis, vere humanis ac manſuetis imbuerat literis; *Veſontinorum* (Beſanzon) *in Burgundia* dein factus *Archi-Epiſcopus*, in curia Philippi adulti, Burgundionum Ducis, magnæ & ſpectatæ fidei conſiliarius, a Philippo *circa annum 1503.* comes fidus itineris per Galliam in Hiſpaniam allectus, itineris moleſtiis oppreſſus, in Hiſpania occubuerat ingenti cum Philippi dolore. Cujus *Buslidii virtutem* venerabili elogio celebravit *Erasmus in Panegyrico in Philippum*, quo *An. 1504.* ab itinere reducem Principem Bruxellæ excepit. Gratum & nobis fuerit, ſeris poſteris, recoluiſſe merita Buslidiorum, qui Collegii Buslidiani memoriam iſto etiam nomine nunc recolimus; quod tres illi fratres Buslidii, virtutis gloria & dignitatis culmine excelluerint. *Tua ſublimitas*, inquit Eraſmus ad Philippum reducem, *Tom. IV. f. 407.* „Quales in conſiliis habere gaudeat, ut alios ſileam, unus abunde docu„mento potuit eſſe felicis memoriæ præſul, Franciſcus Buslidianus, Archi Epiſcopus Biſontinus, forma„tor & moderator pueritiæ tuæ, & bonis in literis inſtitutor, vir totus ad gloriam, ad res maximas natus, „factus ad utilitatem patriæ, ſcalptus ad ornamentum aulæ principalis, ad tuendam, decorandam, am„pliandam imperii tui majeſtatem datus divinitus. Ille videlicet hoc erat tibi, quod Agamemnoni Neſtor, „quod Philippo Macedoni Parmenio, quod Alexandro Leonidas, quod Octavio Cicero, quod Phœnix „Achilli, quod Dario Zopyrus. Decem ſibi Neſtores apud Homerum optat Agamemnon: Darius Zo„pyrorum tantum, quantum granorum ineſſet malo punico, qui quidem & unum illum tanti fecit, ut „eum integrum maluerit, quam centum Babylonas capere. Sed utinam ne tantum Antiſtitem tibi ne„ſcio quod fatum invidiſſet. Suffecerat vir ille unus pro quamlibet multis, neque dubitandum, quin „unum illum incolumem malis quam totis Hiſpaniis potiri. Proh quantam jacturam ejus unius interi„tu fecit orbis. Quantum patriæ, vulnus, quantum animo tuo, quantum aulicis primoribus unius mors „inflixit. - - ille quidem, quando optimi Principis obſequiis viſus eſt vitam impendere, haud potuit „mortem appetere ſpecioſiorem, præſertim eo loci jam provectus, ut ſi non ad ætatem, certe ad gloriam, „ad virtutem ſatis ſibi vixiſſe videretur. Ad Hieronymum Buslidium ſcripſit Eraſmus Bononiâ An. 1506. menſe Decembri, cum famâ accepiſſet, Philippum Principem eſſe defunctum, cui An. 1504 ex Hiſpania tunc reduci Panegyricum ſcripſerat. Tom. Epiſt. lib. 29. f. 1718. Alter frater: *Hieronymus, magnas opes, circa annum 1516 ſtudioſorum uſibus dicatus, relinquens, ſpem fecit Eraſmo fundi fertilis ad negotium fructuoſiſſimum conficiendum.* Quamobrem & hæredibus ac teſtamenti curatoribus conſilium dedit, laudatum *Collegium linguarum apud Lovanienſes in Academia illuſtri*, tantarum opum impenſis mature condendi, ſuſcitandi & Profeſſores aptos ſine mora vocandi, alendique. Nec ſalutarius ſub cœlo, illa ætate, qua Eccleſia & publica ſalus ad emendationem adſpiraret, conſilium, ſed nec fortunatius, effectu uberrimo, qui omnia vicina regna ad æmulationem excitaret. Vix penetraverit Eraſmus operis magnitudinem, cujus uſus opinione major, per omnem poſteritatem, ad orbis finem diffundendus. Eraſmus vel hoc conſilio atque inſtituto immortali honore mactandus, in cœlum evehendus. Sic conditum velut beata Eraſmi manu *Buslidianum Collegium trilingue, purioris doctrinæ theatrum, novum humanitatis domicilium*, in celeberrima Academia Lovanienſi. Prima hæc Academia, quæ ante biennium circiter, Eraſmo, Novum Teſtamentum græcum edere molienti, in faciem reſtiterat, linguas repudiaverat. Prima jam eadem, quæ verſa, mutata, vel facile pœnitens, ſuumque repudium damnans, primum apud ſe fundum trilinguis Collegii poni vidit, ipſo facto priorem ſuam reluctantiam condemnans. Quæ divina erat providentia, quæ conſultum cuperet publico communi commodo, in veteris rei reformationem.

Beatus Rhenanus in vita Eraſmi, ad Carolum jam Cæſarem, fidus inſtituti interpres. „Jam quaſi „ſigno dato literarum cauſam in his (Brabantiæ & Flandriæ) provinciis optimus quisque promovebat. „Sed omnium maximum ſubſidium attulit, trilingue collegium illud in Academia Lovanienſi inſtitutum „ſuadente Eraſmo. Magnas opes moriens reliquerat Arienſis præpoſitus, Hieronymus Buslidius, Fran„ciſci Veſontini quondam Archi Epiſcopi, in Hiſpania peregre extincti, frater: Quas cum ille ſtudioſo„rum uſibus deſtinaſſet, Eraſmus teſtamentariis autor fuit, ut Athenæum Lovanii conſtituerent, in quo

ſtipen-

„ſtipendiis ordinatis tres linguæ publice docerentur. E quo tanquam ex equo Trojano innumeri cogni-
„tione linguarum inſtructi prodiere hactenus, & faventibus Superis deinceps ſunt prodituri: Quo univer-
„ſa ditio Tua, Cæſar invictiſſime, nihil habet præclarius.

Diſtinctius ipſe Eraſmus de hoc Buslidiano teſtamento pro linguarum trium Collegio erigendo, *in Compendio veræ Theologiæ*, ante ſecundam editionem Novi Teſtamenti Græci, *Baſil. An. 1519. f. 15.* „Ci-
„tra controverſiam prima cura dabitur perdiſcendis tribus linguis, latinæ, græcæ & hebraicæ: Quod con-
„ſtet omnem ſcripturam myſticam his proditam eſſe. Quarum cum Auguſtinus latinam duntaxat cal-
„leret, græcam leviter attigiſſet, hebraicam nec ſciret nec ſperaret: Tamen libro de Doctrina Chriſtiana
„ſecundo non dubitat, earum cognitionem ad ſacros codices vel intelligendos vel reſtituendos neceſſa-
„riam pronunciare; quod quemadmodum incognitis elementorum figuris nemo legit, quod ſcriptum
„eſt, ita ſine cognitione linguarum nullus intelligit quod legit. Neque vero mihi protinus hic reſilias,
„amice lector, negotii difficultate ceu clava repulſus. Si non deſit animus, ſi non deſit præceptor ido-
„neus, minore pene negotio tres hæ linguæ diſcentur, quam hodie diſcitur unius ſemilinguæ miſeran-
„da balbuties, nimirum ob præceptorum tum inſcitiam tum inopiam. Atque hoc ſane nomine par eſt,
„ut clariſſimi viri, Hieronymi Buslidii, quondam Præpoſiti Arienſis, memoria ſacro ſancta ſit, cum
„omnibus honeſtarum diſciplinarum ſtudioſis, tum præcipue theologiæ candidatis: Qui fraudatis etiam
„hæredibus, ingentem pecuniarum vim in hunc uſum legato reliquit, ut honeſto ſalario pararentur, qui
„Lovanii tres linguas profiterentur. Cujus laudis non minima portio debetur & hujus germano Ægi-
„dio Buslidio, qui ſic favet fratris imo ſic literis ipſe literatiſſimus, ut malit eam pecuniam juvandis ſtu-
„diis omnium, quam ſuis ſcriniis augendis dicatam.

De primis collegii ſatis, & primis trium linguarum Profeſſoribus curatius paulo diſpicere, *literaria reformationis* jubet *hiſtoria.*

De *hebræo Profeſſore* mature ſollicitus Eraſmus, incidit *in Adrianum, ex Doctore Judæo Chriſtianum, Medicum alias*, ſed virum doctum, qui Lovanium ea tempeſtate venerat, fama inſtituti Buslidio Eraſmici fortean illectus. Hunc eo nomine commendare non deſtitit Eraſmus, epiſtola ad Petrum Barbirium, Tom. Epiſt. f. 202. lib 3. ep. 36. „Mortem Buslidii ex animo doleo, & hoc magis doleo,
„quod ante diſceſſum illo tam frigide ſim uſus. Legatum de tribus linguis dici non poteſt quantopere
„probem. Et jam bona quadam fortuna adeſt Hebræus, ſuarum literarum longe peritiſſimus, cum
„meo tum omnium judicio. Quod ſi hoc negotium initio magnifice, perque celebres viros inſtituatur,
„mirum dictu, quantum gloriæ ſit noſtræ regioni allaturum. Lovanii, poſtrid. omnium ſanctorum,
„An. 1517.

Gratulatus Collegio *Guilielmus Budæus*, tum regius Secretarius, epiſtola ad Eraſmum, An. 1517. 12. Dec. Tom. Epiſt. f. 125. lib. 2. ep. 20. „Novum eſt omnino & inuſitatum, quod de Buslidiano legato
„vel fidei commiſſo ſcribis, ſed omnino plaudendum.

Cum eſſent, qui Ægidium Buslidium à teſtamento implendo & collegio conſtituendo abſtrahere conarentur, animum illi addidit Eraſmus, ne inſtitutum præclarum ſubverti pateretur, Tom. Epiſt. f. 176. lib. 3. ep. 6. „De collegio inſtituendo cave te patiaris abduci à ſententia. Mihi crede, res ea cum
„omni ſtudiorum generi ſupra quam dici poſſit, conducet, tum Buslidiano nomini, jam per ſe multis mo-
„dis illuſtri, non mediocrem decoris ac lucis acceſſionem adjunget, Lov. 1518.

Submiſit eidem Epitaphium in Collegii fundatorem, hoc lemmate: „Epitaphium ad pictam ima-
„ginem Clariſſimi Viri Hieronymi Buslidii, Præpoſiti Arienſis & Conſiliarii Regis catholici, fratris re-
„verendiſſimi Patris ac Domini Franciſci Archi Epiſcopi quondam Beſontini, qui Lovanii magnis im-
„pendiis inſtituit Collegium, in quo publice tres linguæ docentur, hebraica, græca, latina. Cujus epi-
„taphii hæc clauſula:

„Eruditio trilinguis, triplici facundia
„Te loquetur, cujus opibus reſtituta, refloruit.

Legati Buslidiani magnificentiam celebrat Eraſmus apud Budæum, An. 1518. 8. Cal. Martii, Tom. Epiſt. f. 28. lib. 3. ep. 51. „Buslidianum legatum ac trilingue Collegium pulchre procedit. Eſt autem ma-
„gnificentius quam putaram. Deſtinata enim ſunt huic negotio plus viginti Francorum millia. Uti-
„nam exemplum hoc complures inveniat æmulos.

Succeſſum prædicat amplius, lætus, fauſtioris progreſſus omine, An. 1518. prid. Non. Mart. Tom. Epiſt. f. 189. l. 3. ep. 20. „Ex bilinguibus hic omnes trilingues reddimur. Matthæus, vir ſuæ linguæ, in
„qua natus eſt, in paucis peritus, publice profitetur hebraice, quaſi parum hic fuerit ebriorum. Dor-
„pius hebraicæ factionis dux eſt. Videbis brevi novum ſeculum hic exoriri, & oſculabuntur illum paulo
„ante lapidatum Eraſmum.

Nec defuere, qui inſtitutum cavillarentur; quod linguæ nimis eſſent barbariei ſuſpectæ. Eraſmus Antonio à Bergis, Abbati Divi Bertini, Tom. Epiſt. f. 186. l. 3. ep. 18. An. 1528. „Inſtituitur hic colle-
„gium trilingue ex legato Buslidii. Sed obſtrepunt nonnulli, qui, quod ſunt, bilinguas eſſe malunt, jam
„vetuli pſittaci, quibus mutandæ linguæ ſpes non ſit.

In iſtis Collegii novi adverſariis, vel primum fuiſſe *Nicolaum Egmondanum Carmelitam*, Profeſſorem Theologum, ſubindicat Eraſmus. Fuiſſeque in principio periculum illius ſubvertendi: *Adriani* autem *Cardinalis Dertuſenſis* præſidio manſiſſe ſalvum. *Tom. Epiſt. f. 5. lib. 1. 2. ad Petrum Barbirium, An. 1521.* Cum recenſuiſſet Eraſmus, quid poſt Novum Teſtamentum editum Lovanii, An. 1516. peregerit cum Theologis, illis conciliatis, addit: „Rebus aliquamdiu ſatis tranquillis, ortum eſt trilingue col-
„legium. Ea res male habebat quosdam, præſertim Nicolaum Carmelitam. Et omnino meâ ſententiâ
„ſubverſuri fuerant rem tanto ornamento futuram ditioni principis, tanto uſui publicis ſtudiis, ni cona-

tus

„tus eorum cohibuiſſet Adrianus Cardinalis Dertuſenſis. Sic enim accipio. Huic ego negotio certe „palam ac libere favi; Nec ob aliud favi, niſi quod faverem publicæ ſtudiorum utilitati. Alioqui nihil „iſtic mihi metebatur, etiamſi feviſſem aliquid.

In primis Profeſſoribus Latinam linguam profeſſus eſt *Conradus Goclenius, Weſtphalus*, quem maximi fecit ob eximias animi & doctrinæ dotes Eraſmus, quemque amicorum omnium dilexit impenſiſſime.

Extiterat jam in nativitate Collegii aut primis ejus incunabilis optimis literis imbutus *Guilielmus Neſenus, Germanus*, qui bonos latinos autores, in his, pro ſtudio geographico tradendo, *Pomponii Melæ geographiam*, Lovanii gratis quidem in iſto Collegio recenſeret. Dilectus Eraſmo *Neſenus* ille ex humanitatis cultura, quem affectum impenſum ſignificavit Budæo, An. 1517. Non. Cal. Mart. Tom. Epiſt. f. 60. lib. 1. ep. 16. „Eſt Baſileæ Guilielmus Neſenus, optimarum literarum ardentiſſimus conſectator, mihi „ſic unice deditus, ut Pyladem meum appellare jure optimo poſſim. Is nihil contetur quodvis etiam „capitis periculum adire pro ſuo Eraſmo. Cum Neſenus hic Pariſiis degeret, An. 1518. literis eum adhortatus Eraſmus, qui ex conſuetudine cum *Cypriano Taleo*, in latinis & græcis verſato, ſuas literarum augeret copias, doctior ex Gallia in Germaniam reverſurus, Tom. Epiſt. f. 540. lib. 10. ep. 31. „O te terque „quaterque felicem, optime Neſene, cui contigerit, ſub Cypriano Taleo, viro non literis ſolum ac morum „integritate, verum etiam rara prudentia, miroque rerum uſu inſigni, merere Muſis: Cui cum græcitas „etiam acceſſerit, non video, quid hominis dotibus poſſit adjungi. Nam in omnibus honeſtis diſciplinis „ille jam olim ſic eſt abſolutus, citra profeſſionis ſupercilium, ut non videam, quem cum eo conferre „queam. Proinde etiam atque etiam vide, ne ipſe tuæ deſis felicitati. Fac nunc Germanum agas, „vince, ſpolia, nuda Galliam bonis literis. Ita futurum eſt, ut nec illam relinquas pauperiorem, & tu „pulcherrimis mercibus locuples in patriam redeas. Hic, hic nos fortes & invictos præſtemus, neque „committamus, ut Germani Gallis ingenio ceſſiſſe videantur.

Alia *ad Neſenum* epiſtola An. 1519. lib. 5. ep. 28. cum dixiſſet de Auguſtini Nebienſis Epiſcopi in Eraſmum dicteriis, horum ſcopum commonſtrat, bonarum literarum perniciem. „Compertiſſimum „habeo, barbaros undique inter ſe conſpiraſſe, nihil intentatum relinquere, quo bonas literas opprimant. „Tu cave, ne quid ad nos ſcribas periculoſe, nam literæ frequenter intercipiuntur, præſertim quæ iſthinc „(Lutetia) veniunt.

Venerat *Neſenus* Lutetiâ Lovanium An. 1519. bonos quosque autores in Collegio trilingui illuſtraturus. Qui cum *Melæ geographiam* explanaret, Academiæ Lovanienſis invidiam expertus, eorum odium incurrit, ut deſiſtere cogeretur. Conqueſtus de hoc *Lovanienſium in trilingue collegium odio* Eraſmus apud Ludovicum Vivem, Pariſiis tunc degentem, Tom. Epiſt. f. 1090. lib. 21. ep. 20. Bonarum literarum operam & metam attigerat Eraſmus, emendare rem theologicam dumetis obſitam, & à vepribus liberare: „Quid te felicius, eruditiſſime Vives, qui gratiam ineas etiam maledicendo, cum nos & be„nedicendo nobis odium & invidiam conciliemus. Conati ſumus veræ pietatis ac religionis aperire fon„tes, adnixi ſumus rem theologicam, plus ſatis prolapſam ad argutas magis quam neceſſarias quæſtiun„culas, priſcæ majeſtati pro virili reſtituere; Et ſic in me debacchantur monachi quidam, quaſi ſacrile„gium admiſerim, cum tu tam gratos & commodos experiaris ſophiſtas, irritabile, ut vulgus exiſtimat, „hominum genus. Proinde poſteaquam res tibi tam feliciter ceſſit, perge qua cœpiſti ſtudiis ad melio„ra revocandis invigilare. Dixerat, Fauſtum, mediocriter valde in his literis verſatum, à Pariſienſibus coli & evehi, ne meliores ſuccedant. Dehinc ad Lovanienſes converſus, horum amaram deplorat in trilingue Collegium *Buslidianum* affectionem, qui Guilielmum Neſenum preſſerint & Geographica prælegentem ejecerint. „Hujus Academiæ proceres non ferunt trilingue Collegium, gratis adjuvans „publica omnium ſtudia, gratis ornans non ſolum hanc ſcholam, verùm etiam univerſam Principis di„tionem. Non ferunt Profeſſores moribus inculpatiſſimis, profeſſione caſta. Hic Guilielmo Neſe„no, Pomponii Melæ geographiam profiteri gratis aggreſſo, nihilo remiſſioribus ſtudiis obſtiterunt, „quam ſi paraſſet totam hanc urbem incendio miſcere. Ante annos non ita multos frigebat hæc ſcho„la; Nunc bonarum literarum commendatione facta celebrior, mirum quas criſtas erigit, quod attollit „ſupercilium, quam meditatur tyrannidem. Sed hoc quicquid eſt tragœdiæ duobus aut tribus acceptum „ferimus. Quos etiamſi non queant miteſcere, tamen obruent tandem in dies magis ac magis invale„ſcentia rectiora ſtudia.

Cum igitur deſeruiſſet Lovanium *Neſenus*, in Saxoniam commeans, *Collegio trilingui* operam ſuam præſtitit *Conradus* ille *Goclenius*, Eraſmi pectus, Eraſmi ocellus. Hujus in Collegio linguarum commodi & apti Profeſſoris virtutem diſſimulare, injurium eſſet in Eraſmum, cujus opera Collegium ſurrexit, in puriora ſtudia a Goclenio tradita, in Dei providentiam, qui organis uſus bonis, rectis & congruis, ad tam celſum negotium, bonis literis publica commoda juvandi & ornandi vel & emendandi. Libebit igitur Eraſmum de ſuo audire Goclenio, animæ ſuæ parte nobili, quæ ſtudiorum, conſiliorum, vel & arcanorum Eraſmi particeps eſſet. Tom. Epiſt. f. 751. lib. 17. ep. 7. ad Thomam Morum, qui tunc Regi Anglorum a theſauris, non frontem viri, ſed cordis latebras depinxit & ſanguinis rivos, integritate redundantes. *Unum amicum tibi traditurus ſum in manum*, dicit Eraſmus ad Morum, *quem tu totum totus totoque pectore potes amare. Is eſt* Conradus Goclenius, *gente* Weſtphalus. „Qui populus, ut vulgo „rudior habetur, ita multos nobis dedit ſummis ingeniis minimeque vulgari doctrina præditos. Non „aliud genus mortalium laboris patientius, fide morumque ſinceritate, ſimplici prudentia, & prudenti „ſimplicitate potiſſimum commendantur. Scis nuper inſtitutum Lovanii trilingue collegium. In eo „publice latinas literas, maxima cum laude, ſummo totius Academiæ fructu profitetur, ea morum inte„gritate comitateque, ut literas quas docet etiam apud illos reddat gratioſas, qui prius averſabantur. In-

„genium argutum, quod feliciter sui specimen præbuit, etiam in his disciplinis, quas solenniter tradunt in „scholis publicis. Sales habet, sed prorsus Atticos, ac lepidis fabellis vel tecum certare queat. In car„mine peculiarem quondam habet gratiam, nusquam non dilucidus, nusquam non dulcis & amœnus. „Nec est ullum argumentum tam inamabile, quod illo tractante non mitescat. In prosa oratione sic „est sui similis, imo sic est sui dissimilis, ut illius soluta legens, putes eum longe alienum esse a carmine. „Ad amicitiam plane factus videtur. Quam si semel cum eo coieris, non est quod metuas, ne quis ca„sus eam dirimat. Hoc usu venit in his, qui vel natura perfidi sunt, vel impotentibus affectibus. Si„quidem istiusmodi solent ad enatam occasionem desciscere & amicitiæ legibus neglectis animo suo „morem gerere. Hic neque gloriæ est appetens, neque injuriæ admodum vindex, neque voluptatis il„lius immodice avidus. Invidere quid sit, ne per somnium quidem unquam intellexit, tantus est inge„nii candor. Quod ad vitæ consuetudinem attinet, nihil eo facilius, nec magis alienum ab omni moro„sitate. Ceterum a lucro nihil hoc aversius, tametsi fortuna adhuc tenuis est, nec aliud suppedi„tans quam victum mundum & supellectilem literariam. Quod si nostri Principes, prophani pariter „atque ecclesiastici didicissent egregiis ingeniis habere suum honorem, quemadmodum apud Italos habe„tur, Goclenius noster totus aureus esset. Sed tamen expergiscantur. Jam enim fere nullus est magna„tum, qui non curet suos liberos bonis literis diligenter instituendos.

Quantacunque esset fiducia Erasmi in Goclenium, rectiorum studiorum Professorem, animum tamen reddere non destitit, ad alacriter progrediendum, ne adversitate & Scholasticorum clamoribus terreretur aut frangeretur. Tom. Epist. f. 752. lib. 17. ep. 8. An. 1520. prid. Id. Aug. „Deamo te, mi Go„cleni, qui tam graviter rem geras in professione linguæ latinæ, tuaque doctrina pariter & ingenio exor„nes Collegium Buslidianum. Felix juventus nostra, quæ in hoc seculum inciderit. Prorsum invide„rem, nisi toto pectore faverem utilitati publicæ. Quo magis obstrepunt *οἱ βάτραχοι*, hoc magis ac „magis gliscit ardor juvenum, spretis illiteratis literis ad meliora grassantium. Video, quid mereatur „istorum improbitas. Sed tu quod temporis eras perditurus, aut certe male collocaturus rixando cum „malis rabulis, hoc bonis studiis juvandis impende. Vis tibi commonstrem splendidum ac magnificum „vindictæ genus? Fac, ut te ipsum præbeas & inculpatis moribus virum, & sedulum ac diligentem „optimarum literarum Professorem. Nulla ratione possis istos citius ad suspendium adigere, quo sane „dignissimi sunt, qui publicis bonis tantopere discruciantur, non aliis modo, verum etiam sibi ipsis in„videntes. Excusatius enim invidet *γείτονι γείτων ἐις ἄφενον σπεύδοντι*. At his in manu est iisdem „frui commodis, quibus alios juvari macerantur. Illud imprimis mihi semper in te placuit, quod ut „mores absunt ab omni turpitudine, ita casta est & professio, neque casta solum, verum etiam modesta. „Quid enim sensuri sunt cordati viri, cum audient Lovanii poëtices ac rhetorices professionem nec ob„scœnitatis habere quicquam nec maledicentiæ; theologicas lectiones, ac sacras etiam conciones, men„daciissimis convitiis sic esse fermentatas, ut execrentur & idiotæ.

Justi encomii vim & virtutem omnem, pro pectoris in Goclenio ingenua sinceritate, locupletissimo humaniorum disciplinarum documento, paucis complexus est Erasmus, An. 1521. epistola ad Bernardum Buchonum Frisium, Decanum in Haga Comitis, Epist. l. 17. ep. 12. f. 756. „Est, in Collegio „Buslidiano, Conradus Goclenius, vir acri judicio, doctrina minime triviali, industria indefatigabili, „animo excelso, moribus mira comitate ac jucunditate conditis, fide certissima, rerum etiam commu„nium prudentia valens, quæ fere solet in studiorum cultoribus desiderari.

Græcæ linguæ Professorem in Buslidiano hoc Collegio optabat Erasmus *natione græcum*, si contingeret, inter multos alios candidatos. Similiter & *Hebræum Professorem* commendabat doctorem medicinæ, *Judæum conversum*, virum eruditum.

Hebræus, *Adrianus*, Lovanii diu præsens, non sine difficultate quadam admissus, Erasmi commendationem meruit amplam, epistola ad Ægidium Buslidianum An. 1518. Ep. l. 3. ep. 40. f. 205. „Orna„tissime Buslidi, posteaquam fatum nullis querimoniis aut lacrymis verti potest, utinam quæ posterita„ti & immortali laudatissimi fratris tui Hieronymi Buslidii memoriæ gloriæque debentur, ita succe„dant omnia, ut hæc sane parte cœpit succedere. Commodum huc appulit Adrianus, genere he„bræus, sed religione jam olim Christianus, arte medicus, hebraicæ literaturæ totius sic peritus, ut mea „sententia non alium habeat usquam hæc ætas, qui cum hoc conferri possit. Quod si meum judicium „in hac re non satis habebit apud te ponderis, idem testantur uno ore omnes, quotquot vel apud Germa„nos vel apud Italos cognovi hujus linguæ peritos. Neque solum callet ad plenum linguam, verum „etiam in ipsis autorum adytis est diligentissime versatus, ac libros omnes sic habet in promptu, ut di„gitos unguesque suos. Is ipse est, de quo tibi nuper mentionem fecit Bruxellæ Ludovicus Vacus. „Exposui theologis qualis sit, neque dubitarim meo recipere periculo, hunc unum esse hac ætate, qui no„bis fuerit votis omnibus expetendus. Eum posteaquam Deus aliquis propitius ultro nobis obtulit, „nostri muneris esse videtur, ut oblatum modis omnibus retineamus. Non meum ago negotium, sed „impense faveo memoriæ benignissimi patroni, & amici incomparabilis. Faveo publicæ nostrorum „temporum felicitati, cui & ipse pro mea virili, tantum vigiliarum impendi, atque etiamnum impendo. „Adest ipse jamdudum apud nos, hortatu modò dicti Ludovici.

Ut gente græcum græcæ linguæ professorem impetrarent, negotium Erasmus tractavit apud *Johannem Lascarem, Constantinopolitanum ortu*, tunc vicinum, qui virum aptum commendaret: Quod factum An. 1518. Totam causam illi per literas aperuit, scite instructam, jucundam & huic ætati lectu, Tom. Epist. l. 3. ep. 12. f. 180. „Hieronymus Buslidius, homo doctus ac potens, & hujus regni decus incom„parabile, in itinere Hispanico moriens, legavit multa millia ducatorum, ad institutionem novi Collegii „apud Lovanium, Academiam hac ætate cumprimis florentem, in quo publicitus & gratis tradantur tres, hebrai-

„hebraica, græca & latina. Salario satis magnifico, circiter septuaginta ducatorum, quod tamen augeri „possit pro ratione personæ. Hebræus jam adest & item latinus. Græcam professionem complures „ambiunt. Verum, meum consilium semper fuit, ut adsciscerétur græcus natus, unde statim germa„nam græci sermonis pronunciationem imbibant auditores. Ac meæ sententiæ subscribunt auto„res hujus negotii omnes, mihique mandarunt, ut suis verbis accerserem, quem judicassem ad hoc nego„tii idoneum. Quare te rogo, vel pro solita tua erga nos humanitate, vel pro tuo erga bonas literas fa„vore, si quem nosti, quem existimes & mihi & tibi futurum honori, cura ut quam primum huc advolet. „Dabitur viaticum, dabitur salarium, dabitur locus. Erit illi res cum viris integerrimis & humanissimis. „Neque minus fidat his meis literis, quam si centum diplomatis res esset transacta. Tu cura ut deligas „idoneum, ego curabo ne hominem huc venisse pœniteat.

Sors tandem cecidit An. 1519. in *Rutgerum Rescium*, quem anno 1521. celebrare non intermisit Erasmus apud Bernardum Buchonem l. c. f. 756. „Est Rutgerus Rescius græcæ linguæ Professor in col„legio novo, quod instituit Hieronymus Buslidius, qui doctrinam non vulgarem incredibili quadam mo„destia, planeque pudore quodam virgineo condecorat.

Tantæ molis erat, pro barbarie fuganda, pro solida doctrina civili & sacra suscitanda, condere linguas, linguarum collegia, & linguis novas gentes, mente & judicio usuras, elutis prioribus inutilium disciplinarum corruptorumque morum sordibus. Sermo alius alios fecit homines, sententiâ, eloquio, genio, scopo, & negotio.

Tam prosperum & fortunatum hoc Erasmi institutum, ut magistratus ubique animadverterent salutare esse æmulari. Efflоruit Buslidianum Collegium continua annorum serie, nullis tempestatibus, turbinibus, rudium vel invidorum maledictis obruendum aut supplantandum. An. 1527. *florentissimum* audiit Erasmo. Qui cum à *Francisco Vergara*, juvene Hispano, epistolam græcam accepisset, utpote *à Græcarum literarum apud Complutenses Professore*, præ gaudio, illam Collegio Buslidiano trilingui communicavit. Quam in rem Erasmus ad Vergaram, lib. 17. ep. 28. f. 771. „Quis credidisset huc usque „progressuras græcanicas literas, ut adolescentes scriberent epistolas, tam feliciter ἑλληνίζοντας; An ex„pectas, ut senex invideam juvenibus? Adeo non invideo, ut vix aliunde capiam plus voluptatis. Qui „erga juventutem suboleſcentem paternos gerunt affectus, iis ad hunc modum obscurari vincique gratis„simum est. Hujus sane gaudii sensum toto pectore percipio. Visum est, epistolæ tuæ exemplar mit„tere Lovanium ad Collegii trilinguis, quod ibi florentissimum est, professores, quo magis illos existimu„larem.

Laudati *Conradi Goclenii* in bonis literis peritia, instituendi solertia, & pectoris integritas, allexit magnatum filios, qui disciplinam illius ambirent, Erasmi adjumento. Hic, ubi Principi Florentio ab Iselstein, de illius filiis educandis scriberet Lovanii An. 1519. „Est hic, inquit, Conradus Goclenius, ju„venis utriusque literaturæ peritissimus, stilo cumprimis felici, sive prosam orationem tractet, sive metri „legibus adstrictam, philosophicæ rei non vulgariter doctus, moribus incorruptis, spectatæque integri„tatis.

Quam *difficilia*, quam adversantium machinis impedita fuerint prima *hujus trilinguis Collegii*, *inter Christianos primi fundamenta & exordia*, non recordamur hodie, qui in omnibus Academiis illis Professoribus tranquille fruimur. Nec immemores interim nos esse oportet, quam hoc omnis emendationis fundamentum & basis in prima illius nativitate per ceteros Academiæ Lovaniensis Professores fuerit velut cuniculis subjectis tentatum, si qua subrui & confundi quiret. Quanto verò restiterunt in foribus fortius Academici, ne intromitterentur novi hospites, tanto hi pertinaciori modestia se admitti rogarunt, donec, superatis convitiis & insidiis sub ipso introitu congestis, sedem optimæ mansuetæque hæ obtinerent literæ. Uti *Nesenus*, Melam recensiturus, ob geographica studia Collegium novum deserere fuit compulsus, ita & *Græcarum literarum Professor*, *Rutgerus Rescius* innocenter tortus est, Erasmo carnificinam illam abominante. Detestatus hic apud *Joannem Robinum*, *Decanum Mechliniensem*, furiosos in *Rescium* hunc, virum omnibus modis & doctum & integrum, Lovaniensium insultus, lib. 13. ep. 31. f. 635. „Vir eximie. Vides humanæ vitæ scenas. Quid facias? Non aliter constat hæc fabula. Pau„lus gloriatur se vinctum esse Jesu Christi: Rutgerus gloriari potest, se vinctum esse collegii trilinguis. „Dissimulent quamlibet, hoc collegium illos pessime habet. Atque hæc auguria mihi portendunt, o„lim florentissimum futurum. Sic natum est Romanum imperium. Sic crevit Hebræorum gloria. „Sic orta, sic propagata, sic constabilita Christiana religio. Nulla res egregia nisi difficilibus initiis na„ta est. Argumentum omne cognosces ex Bartholomæo, qui fuit non modo spectator, verum etiam „affinis periculo. Ut sunt res humanæ non usquequaque puræ, etiamsi quid commissum esset, tamen „humanitatis vestræ fuerat aliquo usque favere professori. Nunc & tali & innocentissimo, multo mi„nus debetis deesse. Doctior an inveniri possit nescio, certe diligentiorem, ac moribus puriorem vix „invenias. Utimur eadem mensa. Et inter pocula quidvis garrimus. Ille tot modis fuit lacessitus. „Hunc enim studio expetunt, nequid offendant magis masculos. Nec unquam tamen audivi illum quic„quam impotentius loquentem. O pectus vere Christianum! Modò cum Paulo contuli Rutgerum, qui „hac certe parte vincit, quod, qui Paulum affligebant, errabant, nimirum alieni à professione Evangeli„ca. Hi proceres Christianæ doctrinæ, prudentes, de composito hæc designant. Inhibuerunt & Ne„senum, aggressum Geographiam Pomponii Melæ. Qui si domi suæ lupanar aliquod instituisset, to„lerandus erat. O sanctam Academiam, si cum aliis conferatur, sed dignam aliis, quorum arbitrio tem„peretur! Mihi multis modis videtur hoc mereri Rutgerus, ut illi salarium, quod jam aliqua portione est „auctum, augeatur usque ad octodecim libras. De Professore latino (Conrado Goclenio) prospectum „est, ni fallor, ex animi vestri sententia. De Hebræo non possum judicare, sed consulam eos, qui sine du„bio possunt. Lovanii Calend. Dec. An. 1519.

Primi linguarum Collegii *primos martyres, Nesenum & Rescium*, in suo genere cum Pauli satis & martyriis conferre non erubuit Erasmus, „qui Collegii conditor maxima parte consiliis & rectis institutis fuerat, sed & in truci persecutione præsens, doloris particeps. Altero seculo XIX. redeunte, eorundem bonorum virorum piam repetant memoriam probi & grati posteri. Nec prætereat posteritas rationem odii in bonos illos literarum optimarum professores, in novo isto linguarum Collegio. Præterquam, quod experientia doceret, humaniores literas alios dare animos, alios mores, alias sententias, alias actiones, omnia Scholæ Lombardicæ adversa; ipsi Professores istarum rerum, uti doctrina, ita & moribus ab illis distincti, sua dissimilitudine non poterant non odium incurrere illorum, qui sentirent disparitatem in docendo & agendo. Præterea si Buslidiani Professores gratis docere jussi a fundatoribus, illi quod facerent pro pretio. Uno nomine novitas in omnibus, invisa exinde omnia, rebus prioribus mutationem portendentia. Si quid veterum Professorum mores ansæ dedissent studiosis ad inquietudinem, imputatum novo Collegio ac novis literarum mansuetissimarum studiis. Quasi vero mansuetudo possit vel ciere vel admittere motus incompositos. Indignati Studiosi, veterum Professorum cupidine intemperanti ad tumultum pertracti, non meliorum studiorum introductorum culpa, sed obsoletæ sorditiei publicæ occasione. *Hos malorum fontes in Academia Lovaniensi*, circa tempus suborti Collegii Buslidiani, pro mansuetis studiis, luculenter demonstravit Erasmus, motuum universorum præsens spectator, & in ferendo ac patiendo Buslidianis Professoribus par ac consors. In principio anni 1519. Nesено adhuc præsente, sed ob Melam afflicto, postridie Epiphaniæ, apud *Iodocum Noëtium Consiliarium Brabantiæ*, illos Academicorum fatorum anfractus candide & aperte descripsit. Nolebant veteres vetera sua studia Scholastica temni, ne studiosi melioribus imbuti, illa detererent, sicque lucello, ex veteri olente re quovis colligi sueto, nonnihil decederet. Barbaries lucrosa & avida ex Studiosis exprimere sanguinem docta. Sed audiendus Erasmus. „Si clarissimus simul & prudentissimus Cancellarius favebit in hac libertati studiorum, maxime faciet ex sententia Regis nostri, „qui haud dubie cupit suam Academiam maxime florere honestis disciplinis.

Libertas studiorum, Academiæ honos & incrementum, quando, Erasmo judice, fas & integrum bonas artes & disciplinas in studiosorum usum & publica commoda profiteri: Ut Buslidiani linguarum Professores mansuetas suas literas libere æque ac ceteri profiterentur. Servitus studiorum, Erasmi sententia, si optima & utilissima premantur, impediantur aut prohibeantur, certis solum, suetis, & parum etiam interdum profuturis, statutis & regnantibus. Sed & libertas studiorum, apud Studiosos, si illis relicta sit justa & æqua optio studia eligendi, ac profitentes quos velint & utui fore judicent audiendi. Servitus vicissim studiorum, si cogantur, hæc, illa duntaxat sectari studiosi velut servi & mancipia, sine judicio, & emolumenti futuri consideratione: Si abstinere jubeantur ab aliis literis, quibus delectari pro majori usus spe videantur præ aliis. Istam studiorum libertatem commendat Erasmus Lovaniensibus, Cancellario patrocinante: tyrannidem & servitutem execratur. Ex honestis disciplinis, quales in Buslidiano collegio citra controversiam, florem Academiæ pollicetur Erasmus: Nec fert, illis imputari damnum qualecunque, quasi Academia per illa humaniora studia decrescat. Hunc fucum detegit Erasmus. Tributum falso studiosis, ut rumores astuti ferantur, illos supplicibus apud Regem literis suam & studiorum libertatem quæsituros. *Quod objiciunt de supplicando*, inquit Erasmus, *merum commentum est, & hujus quosdam jam pudet, quanquam alioqui satis perfrictæ frontis.* Culpam alicujus motus aut tumultus inter studiosos, ex studiorum servitute, palam tribuit Erasmus sordidis quibusdam, vetera studia profitentibus, qui alia ferre nequeant, ex metu decessuri lucelli, cum nihil illi agant nisi ex lucro & quæstu. *Res per paucos conjuratos acta est, qui, sua doctrina contenti, magis student augendæ rei, quam literis: Nec curant, quantum proficiant juvenes, modo ipsi Lovanii suo regnent arbitratu.* Impatientia studiosorum diserte ab Erasmo adscripta injustæ studiorum servituti: Bonas literas serio cultas efficere bonos viros bonosve studiosos, sed literarum sordes ansam dare indignationi meliorum. *Nusquam*, ait, *est Academia, quæ modestiores habeat juvenes minusque tumultuantes, quam habet hodie Lovanium. Horum bonitate jamdudum abutuntur illi, & ingenuos juvenes habent pro emptitiis mancipiis.* Justa ingenuæ libertatis apologia contra sordidam in studiis liberalibus tyrannidem. Rectoris, ait, esse & fuisse, bene consulere rei communi Academicæ, non privato emolumento; cui par fortuna aliorum senatorum. Discordiam illam aut tempestatem Academicam inter impatientes studiorum cultores, originem traxisse ex gubernantium intemperantia. *At Academiæ consul consul non erat, cui ipse non esset senator. Si quid murmuris aut tumultus est, ab ipsis est, non a juvenibus.* Subjungit Erasmus & suæ justæ indignationis rationem, qui, tametsi nihil ex tota re illa Academica capiat commodi, publicæ tamen salutis curam a se non sinat esse alienam. *Mihi hic nec seritur nec metitur, ipse nec lego cuiquam, nec audio quenquam. A nemine colligo quicquam, do nonnullis. Sed tamen movet me publica causa studiorum.* Nesenum ab Academia iniquis modis vexatum, Lovaniensium martyrem, epitaphio decorat: *Nesenus hospes est, & linguæ nostratis imperitus, quo magis favendum est viro alioqui docto, integro ac modesto.*

Dira Erasmi fata, ex bonarum quodam literarum odio communi, inprimis tamen ex Buslidiano linguarum Collegio Erasmi consiliis erecto & constituto, quod Philippo Melanchthoni nunciavit An. 1524. lib. 19. ep. 113. f. 952. „Sustinebam triplex agmen inimicorum. Theologi & bonarum li„terarum osores nullum non movebant lapidem, ut perderent Erasmum, tum quod attacti essent libris „meis, tum quod collegium illud florentissimum invexerim Lovanium, eamque regionem totam infece„rim linguis ac bonis literis. Sic enim illi loquuntur.

Juratus Erasmi hostis, ex collegio hoc linguarum Lovanii suscitato, præ ceteris, *Nicolaus Egmondanus, Carmelita, Theologus*, qui animi impotentis, bile exundans, publice privatimque in Erasmum & Colle-

Collegium linguarum evomeret convitiorum plaustra. Longa inter Erasmum & Egmondanum bella, si non sanguine bile tamen Carmelitæ cruentata. Pontificis Adriani pro Erasmo contra Egmondanum mandata & silentii vincula, Carmelitæ pro inani carmine. Non potuit Erasmus, quin An. 1524. Ferdinando, Caroli Cæsaris fratri, rem exponeret, causamque odii palam aperiret, Collegii trilinguis Lovaniensis fundationem. Lib. 20. ep. 23. f. 988. „Est Lovanii præter ceteros Nicolaus Ecmondanus Car„melita, homo, quod nemo nescit, stolidus ac furiosus. Is in prælectionibus, in conviviis, in concioni„bus, non definit deblaterare in me, quicquid illi collibuit. Ridetur à doctis: Sed non omnes è vulgo „noverunt hominis morbum. Adrianus Pontifex diplomate misso, imposuerat illi silentium. Eo „mortuo rursus insanit. Si quæris odii causam; ille pejus odit linguas ac bonas literas, quam decem Lu„theros; & collegium trilingue, quod nunc floret Lovanii, magno totius ditionis Cæsareæ tum com„modo tum ornamento, mihi velut autori imputat. Hinc illæ lacrymæ.

Odio in trilingue Lovaniense Collegium prætexuerunt mox subdoli, causam Lutheri, quod multi linguarum periti favere cœperint Luthero exorto; jactantes, studia linguarum promovere causam Lutheri, proindeque cum Luthero & linguas & bonas literas, ipsumque adeo illud Collegium trilingue Buslidianum, debere extirpari. Quas prætextuum fraudes, in perniciem Collegii linguarum Buslidiani, detexit Erasmus An. 1527. apud Joannem Carondiletum, Archi Episcopum Panormitanum; lib. 21. ep. 56. f. 1123. „Non nunc ago causam meam, quam habeo pro derelicta, sed studiorum causam tibi commen„do. Mechliniæ Carmelita quidam Paschasius, ut ex multorum literis accipio, publicitus è suggesto „debacchatur in linguas ac bonas literas, & nominatim in Collegium trilingue, quod instituit Lovanii „vir omnium seculorum memoria dignus, Hieronymus Buslidius. Agant hoc, quod habent in man„datis, pugnent adversus hæreses: At bellum gerere cum his literis, sine quibus omnes reliquæ disciplinæ „mutæ sunt, mancæ sunt, cœcæ sunt, plurimum abest ab animo tum Cæsaris tum Pontificis. Deinde refellit Erasmus argumentum Scholæ: Linguis favent Melanchthon & alii, Ergo lingua & linguarum professiones sunt extirpandæ. *At Philippus, inquiunt, Melanchthon, & alii nonnulli, græce hebraiceque periti, faverunt improbatæ factioni.* Erasmus: „Ista non studiorum è culpa sed hominum; sed longe „plures favent Luthero, qui neque græce sciunt neque latine. Multo plures his literis instructi pugnant „cum Luthero. Certe Lovanii nullus est ex hoc genere non alieniissimus à re Lutherana. Contentus hic Erasmus populari ratione ad plebejam ratiocinationem adversantium. Vim addit majorem, pro linguarum usibus. „Periculum est, ne si monachis liceat impune quicquid libet, res erumpat in majo„rem tumultum quam quisquam credat. Per universum terrarum orbem gratiosæ sunt bonæ literæ, „quarum utilitatem jam nemo non sentit, habent magnos patronos. Sint igitur isti sua contenti victoria, „nec optimas literas alienæ causæ involvant. Si submovenda est professio linguarum, quod his instructi „quidam faverunt improbatæ sectæ, eadem ratione submovenda est theologiæ professio, quod multi „Theologi propugnatores extiterunt & indies existunt hujus factionis. Submovendus monachismus, „quod innumeri monachi stant à Luthero.

Tam sollicitus sine intermissione Erasmus pro hujus Collegii flore augendo, in publicam salutem, ut pater sit pro filii commodis. Circumspexit de Professoribus optimis adsciscendis, servandis, ornandis, de reditibus augendis & locupletandis. De *extraordinario Professore Latinæ rei* egit An. 1521. mense Julio cum Daniele Taispillo, Episcopo Gebeldensi, Episcopi Morinensis suffraganeo, qui hunc in finem commendaverat *Agathium*. Cum Curatore Collegii Buslidiani, fundatoris fratre, Ægidio Buslidio negotium contulit Erasmus. „Accersivi ad colloquium Ægidium Buslidium, virum adeo propense faventem bonis literis, ut suis etiam damnis faveat. Exosculatus est animum tuum, qui cum honestis „studiis, tum Buslidiani nominis gloriæ tam ex animo consultum velles. Legit autem & tuas ad me, & „Agathii ad te literas. Placuit ingenium & cupit hominem accersi, præsertim cum morum etiam integritate commendetur, idque abs te viro bonis omnibus commendatissimo. Posthæc distincte commemorat Erasmus, quis sit *Collegii illius præsens status*, quem legisse juvabit. „De statu negotii non pla„cet secus quicquam illi scribi, quam res habet. Academia Lovaniensis frequentia nulli cedit hodie, præ„terquam Parisianæ. Numerus est plus minus tria millia, & affluunt quotidie plures. Collegium „(Buslidianum) domi pauciissimos alit, præsidem unum cui rei familiaris cura delegata, professores tres, „& duodecim opinor adolescentes, atque hos gratuitò. Extra hos paucos capit domus, qui suo sumptu „vivunt, apud præfectum ac professores. Auditorium est, ut in hac Academia satis frequens, aliquoties „non pauciores habens trecentis.

Agathio illi, futuro extraordinario Collegii Professori, opportunitatem loci & commodorum, æque ac auditorum frequentiam, commendari discupit. „Placebit illi (Agathio) cœlum hoc nostrum, nec „displicebit gentis humanitas. Collegii locus & honestus est, nec inelegantis structuræ. Salarium pro„inodo redituum satis amplum; pro ratione professorum ut ingenue dicam, nimis angustum est, sed „pro respectu personæ aut industriæ possit executorum arbitrio augeri nonnihil. Et licebit illi extra „ordinem profiteri, seu græce malit seu hebraice. Erit illi res cum viris probatissimis optimæque fidei. „Et bona spes est fore, ut brevi ex Principum liberalitate crescant collegii proventus, præsertim si tu tui„que similes suum favorem adjunxerint.

Fundationis emolumenta concelebrat: „Pium est opus, magnoque olim ornamento futurum & „huic Academiæ, & Carolo Principi. Prima laus debetur clarissimo viro, Hieronymo Buslidio, qui to„tum quod habebat, huic negotio dedicavit, fraudatis etiam fratribus. Nec fraudabuntur tamen istæ lau„de, qui pulcherrimum hoc institutum copiis auxiliaribus adjuverint. Non enim poterit latere posteri„tatem, quod trilingui facundia celebrabitur, nec minima famæ portio redibit ad illos, qui primi profes„sionem hanc, olim futuram longe clarissimam fuerant auspicati.

Tam præclaris & glorioſis illecebris illectus Agathius: *Advolet igitur te autore εὐγαθὴς τύχη tuus Agathius.*

Jacobum Ceratinum, cum de græca profeſſione ageretur, Eraſmus optarat Collegio, ex dotibus animi & doctrinæ ſingularibus, qui optimos quæreret. Sed difficilior Ceratinus poſtea, Moſellano apud Lipſienſes græco profeſſore defuncto, & Eraſmi commendatione ſucceſſor evocatus. Rogaverat Eraſmum Georgius Saxoniæ dux, Moſellano græco daret Eraſmus ſucceſſorem parem. Diſpexit Eraſmus: cumque in Ceratinum incidiſſet, huic rei aptiſſimum, reſpondit Georgio, viri nomine adhuc tecto, eſſe aliquem, *qui græcæ literaturæ peritia longe ſuperaret vel tres Moſellanos*, *nec inferior Romanæ linguæ facundia.* Mox Hieronymo Emſero An. 1525. Ceratinum nominavit non modo, ſed & miſit, hac addita commendatione: „Qui has perfert Jacobus eſt Ceratinus, homo tam græcanicæ „literaturæ callens, ut poſſit vel in media Italia profiteri, nec ſe ipſo inferior eſt literis Latinis. Ad hæc „modeſtia pene immodica, moribusque plane niveis, & ab omni ſuco prorſus abhorrentibus.„ In Saxonia jam præſentem *Ceratinum*, Medico Principis, Henrico Stromero, de meliori nota commendavit, miratus fere, qui provinciam illam in Academia Lipſienſi eſſet amplexurus, præ Lovanienſi in Buslidiano Collegio, cujus ex auditorum frequentia celebritatem non obſcure præfert, cum ſexcentos auditores, eosque continuos, profeſſio Græca apud Saxones non videatur polliceri: „Adeſt Jacobus Ceratinus, „juſſu Principis per meas literas evocatus, ut in locum Moſellani ſuccedat. Vix ſperabam hominem „amplexurum oblatam conditionem. Nam Lovanii ſollicitabatur ad capeſſendam græcæ linguæ profeſſionem in Collegio trilingui. Jam ut paria ſint ſalaria, certe Lovanienſis Academia celebritate vix „ulli cedit, niſi forte Lutetianæ, in qua nunc mire regnant Sophiſtæ barbari, frigent jacentque recta „ſtudia. Eſt aliquid, in loco magnifice extructo habere ſexcentos auditores, idque continenter, & inter hos magnorum Principum filios.

Adjunctum Ceratini præconium, teſtatur, quales viros in Collegium linguarum Buslidianum cooptari cupiverit Eraſmus: „Ceratini dotes e familiariſſimis colloquiis eque ſcriptis penitus cognitas „& compertas habeo. Moribus eſt ſinceriſſimis, & ad amicitiam appoſitis, adeo ut non minus videatur „natus Gratiis quam Muſis.

Optimos quosque ad hæc negotia admovere ſtuduit Eraſmus, qui apti ad bonarum literarum vigorem fortunamque ſervandam vel & pro re nata augendam. *Hoc*, ait, *ſummis viribus agunt ſophiſtæ, ut funditus perdant bonas literas: nobis contra machinis omnibus obnitendum eſt impiis conatibus. Hic certe vir ero.*

Nec ſuperfluum putabimus *elogium Ceratini alterum*, per Eraſmum ad Martinum Hunnum, Medicum Saxonem An. 1525. f. 994. *Ceratinus vir utriusque literaturæ doctiſſimus ſucceſſurus in vicem Moſellani. Exacte doctus, moribus omnis fuci neſciis, nec alio nævo deformatus, niſi quod immodice modeſtus eſt.* Tales ex Eraſmi ſchola, ſententia & mente, græcæ linguæ profeſſores, vel in Buslidiano vel alio Collegio. Sed nec tertium præconium fide majus, apud Georgium, Saxoniæ ducem An. 1525. f. 995, „Jacobus Ceratinus, Græcanicæ literaturæ tam exacte callens, ut vix unum aut alterum habeat „Italia, quicum dubitem hunc committere, nec in Latinis ſui diſſimilis eſt. Ad hæc philoſophiæ non „ignarus. Poſtremo ea ætate ac ingenio ut, ſi Deus illi vitam addiderit, certiſſima ſpes ſit, eum ho„neſtiſſimis ſtudiis omnibus ſummam utilitatem pariter & ornamentum allaturum eſſe. Moſellano Ceratinum pronunciat ſuperiorem, præſertim in illis literis, quas debeat profiteri. Quam comparationem juſtam dicit Eraſmus: „Magnæ doctrinæ fuit Moſellanus, ſpei majoris & amabam unice homi„nis ingenium; Nec falſo dicunt odioſas eſſe comparationes: Sed hoc ipſa cauſa me compellit dicere, „longe alia res eſt. Pergit Eraſmus de genio: Ceratini mores candidos ex intima familiaritate per„ſpectos habeo, cujus exactam eruditionem, cujus feliciſſimum ingenium, judicium acre, non ſolum ex „familiaribus colloquiis ſed & ſcriptis plurimis compertiſſimum habeo.

Nulla hæc laudum Ceratini luxuria, quibus forſan Eraſmus nondum aſſecutus virtutis dignitatem in viro. Cum rara eſſet præſtantium ingeniorum ſeges, illam recte tanto majoris fecit, quanto uſum præſtarent abundantiorem, in græcarum inprimis literarum amplisſimo campo. *Talis* ad Eraſmi nutum illa produxit ætas viros, quales longisſima ſecula præcedentia vidiſſent nunquam. Hi illi ad Eraſmi palatum profeſſores græci, humanitatis nomine digni, ſua inſtitutione facturi homines, humanitatis conſcios.

Indefeſſa cura ornamenta præclari Collegii ſubinde nova cupide apprehendit Eraſmus, & conquiſivit uberiora, qui ſciret, ex hoc diſciplinarum fonte reipublicæ & Eccleſiæ *ſalutem* promanare. In Caroli Cæſaris curia *Antonius Sucquetus* ſenatoriæ dignitatis, bonarum literarum propugnator, Eraſmo favens, cum obiiſſet, iſtius frater, *Joannes Sucquetus*, laudati patrocinii & in Buslidianum Collegium favoris hæres ab Eraſmo nominatus, quem obſecravit, ſaluberrimum Buslidiorum inſtitutum reditibus aliquo modo augendis adjuvaret, aliisque modis illi præſidio eſſet in Curia Cæſaris, contra Collegii hoſtes illud protegendo. „Sunt, ait, complures Lovanii, velut in hoc conjurati, ut collegium Buslidianum uni„cum noſtræ regionis, imo totius Cæſareæ ditionis ornamentum, ſublatum cuperent: Eique miris cu„niculis exitium moliuntur, unde cum omnibus publice pariter ac private proditura eſt ſumma utilitas, „tum aulæ Cæſaris prodibunt eruditi Secretarii, cordati conſiliarii, legati facundi, proceres non tan„tum imaginibus nobiles: Denique Principes, qui ſi videatur, poſſint oratoribus citra interpretem re„ſpondere. Poſtremo, gravioribus iſtis diſciplinis atque adeo cunctis bonis artibus, plurimum lucis „ac dignitatis accedet. Si non eſſet inſtitutum tale Collegium, nihil prius erat curandum Cæſari, quam „ut ſuis impendiis inſtitueret. Nunc rem egregiam, aliena benignitate datam, non deſunt qui conen„tur amoliri. Quosdem impellit ingenii ſoliditas, alios amor quæſtus, nonnullos livor; Sunt qui ob-

fer-

„ſerviunt alienæ voluntati. Quare te rogo majorem in modum, ut quod Antonius feliciter orſus eſt, „tu gratia & autoritate tua, qua tuo merito vales in aula plurimum, perficias, ut hoc Collegium ſit omni„bus aulæ proceribus quam maxime gratioſum. Reditus adhuc tenues ſunt: Vix alunt Profeſſores. „Eos angebit Principum ac divitum liberalitas, te tuique ſimilibus rem provehentibus.

Collegia linguarum & novæ Bibliothecæ optimorum autorum, certatim ſurrexerunt illis annis, ad Eraſmi ſcopum: Tornaci in Flandria, Lutetiæ Pariſiorum, Oxonii in Anglia: Regibus & Epiſcopis meliores literas atque neceſſariam emendationem urgentibus.

Annis 1516. 1517. 1518.

INclytum *linguarum Collegium* illa tempeſtate *Tornaci* inſtitutum, in quo floruit *Jacobus Ceratinus*. Memoriam hujus *novi Collegii* ſervavit Eraſmus, in epiſtola ad Bernardum Buchonem, Phryſium, Hagæ Comitis Decanum, epiſt. l. 17. f. 756. An. 1521. „Agit nunc Lovanii Jacobus Ceratinus, vir utrius„que literaturæ pulchre doctus, moribus probis & integris, quod ſcio te non minus ſpectare quam eruditionem. Eum peſtis ac bellum, duo maxima vitæ humanæ mala, Tornaco expulerunt. Nam illic in „Collegio linguarum, quod inſtitui cœpit, profitebatur.

Illuſtre Buslidiani Lovanienſis Collegii exemplum pellexit mox *Gallos*, ad ſimile Collegium *Pariſiis* condendum. Pro cujus luce Eraſmus illuc invitatus, utpote talium Collegiorum autor ac promotor. Regis voluntas in nova iſthæc ſtudia propenſiſſima, adjuta per Epiſcopum Pariſienſem, Poncherium, qui Eraſmum magna veneratione proſecutus. De Pariſienſi hoc linguarum Collegio, Buslidiani æmulo, *Beatus Rhenanus* luculenter diſſeruit *in Vita Eraſmi*. „Ea res, inquit, Franciſcum quoque Gallia„rum regem movit, ut ad ſimilis Collegii Lutetiæ Pariſiorum inſtitutionem animum adjiceret, Eraſmum „per literas evocando, cujus conſilio omnia diſponerentur. Et jam regium diploma acceperat, ad iti„neris ſecuritatem, ſed intervenere cauſæ, quæ profectionem impedirent. Inſtituti tamen & illic Pro„feſſores.

Eraſmus ipſe hanc Pariſienſium æmulationem, in altera Novi Teſtamenti græci editione An. 1518. juſta laude eſt proſecutus, fol. 16. „Exemplum hoc pulcherrimum (Buslidiani linguarum Collegii) „gnaviter æmulatur vir omnium ſeculorum memoria dignus, Stephanus Poncherius, Epiſcopus Pari„ſienſis, undique præmiis ampliſſimis evocans, qui linguas doceant.

Apud Joannem Carondiletum, Archi-Epiſcopum Panormitanum, f. 1083. inſtituti Pariſienſis exemplar, Buslidianæ originis, deſcripſit Eraſmus. „Cauſam, inquit, cur me toties vocarit Rex Galliæ, „per nuncium aperuit: Decrevit Lutetiæ collegium inſtituere trilingue, quale eſt Lovanii. Ei rei vole„bat me eſſe præfectum. Excuſavi tamen, memor videlicet, quantum invidiæ quantumque tumul„tuum ſuſtinuerim iſtic à theologis nonnullis ob Collegium Buslidianum.

Eraſmi nominisque ejus autoritas apud *Anglos* etiam, vel inprimis, maxima, anſam dedit, ad paria linguarum collegia maturrime conſtruenda, ex quibus ſerenos radios purioris doctrinæ elucere oculis ſuis videret. *Richardus Epiſcopus Wintonienſis*, opere ſpectabili, facinore egregio, absque mora, novum hoc diſciplinarum genus, *trium linguarum ſtudia*, magnifico collegio Oxonii apparato extulit & evexit: Optime conſcius, bonos autores, græcos & latinos, fontesque ſacros, bonos vehere tum homines tum mores. Præfectus eſt novo huic linguarum optimarumve literarum Collegio *Joannes Claymondus, Theologus Anglus*, vir Eraſmo præclare commendatus. Neque vel fortunam, vel novi cœpti formam, diſtinctius effigiaverimus, quam ipſis Eraſmi verbis, epiſtola ad Claymondum, *l. 4. Ep. 11. f. 281.* „Egregiam illam prudentiam ſuam, qua ſemper publicæ famæ præconio commendatus fuit Ricardus „Epiſcopus Wintonienſis, nullo certiore argumento nobis declaravit, Claymonde, non infimum decus „ordinis theologici, quam quod Collegium magnificum ſuis impendiis exſtructum, tribus præcipue lin„guis ac melioribus literis, vetuſtisque autoribus proprie conſecrarit. Nam qua ratione melius mereri „potuit de rebus humanis, aut quo monumento rectius nomen ſuum æternæ hominum memoriæ dedi„care? Iſtuc profecto demum eſt Eccleſiæ columen, iſtuc eſt Epiſcopum agere.

Nec privata hæc Ricardi Epiſcopi ſollicitudo, pro optimarum literarum incremento per linguarum Collegium. Quanquam enim ſuis ſumptibus hoc moliretur, quod in illius munificentiam privatam redibat, ignorare tamen non poterat, negotium hoc novum, nomine linguarum, & Collegii peculiaris pro linguarum ſtudio, tam inviſum, tam exoſum Scholaſticis, tam afflictum alibi, inprimis Lovanii, in Buslidiano inſtituto primo, non cariturum odiis, adeoque impedimentis, manifeſtis & occultis. Quamobrem muniendum vidit hoc arduum negotium autoritate, vel conſenſu, vel nutu & applauſu, regis, Cardinalis Eboracenſis, aliorumque magnatum. Nec enim contingat boni & magni quid efficere, in publicam ſalutem ceſſurum, ſine favore potentiorum. Quod illa ætas experta, quæ literarum dignitatem reſtaurabat. Wintonienſis proinde ſtipatus regis & antiſtitum regni, aliorumque Epiſcoporum, applaudentium voluntate, profecit. Quam viam Eraſmus celebravit dilucide, l. c. „Majorem autem in mo„dum gaudeo, Thomam, Cardinalem Eboracenſem, Cardinalem Campegium, ac ne ceteris commemo„randis ſiam prolixior, ipſum etiam Henricum VIII. Principem, nullo hujus ætatis vere regis doctiorem „inferiorem, toto pectore huic favere negotio. Quorum ut autoritas facile coërcet oblatrantium im„probitatem, ita benignitas abunde ſuppeditat quibus invitatur induſtria Profeſſorum, quæque poſtulat „otium literarum.

Novum hoc *Oxonienſe linguarum collegium*, ornatum & auctum ſimul *Bibliotheca trium linguarum*

rum, quod eſt, optimorum autorum veterum, priſcis illis celebribus ornatiſſimis dialectis. Ut loco Lombardi & Lombardianorum, fontes ſacri, hebræi & græci, Moſes, Prophetæ, & Apoſtoli, ſuis linguis diſſerentes; loco Thomæ, Alberti, Dunſii, Hieronymus, Auguſtinus, Theophylactus, alii priſtinæ integritatis Eccleſiæ doctores; Pro barbaris balbutientibus rudibus ſcriptoribus omnis ordinis græci & latini hiſtorici, oratores, geographi; in nova iſta linguarum bibliotheca, cum voluptate compellandi & audiendi, novo ſtudiorum flore, comparerent. Et hæc beatitudo Eraſmi conſiliis accepta ferenda. Hinc illud impenſum gaudium: „Complures regiones vulgare monumentum aliquod nobilitavit: „Ingenti Coloſſo Rhodus eſt celebris: Caria Mauſoli ſepulchro. Memphis pyramidibus: Gnidus ſcul„ptili Veneris ſigno: Thebæ magico Memnone. Mihi præſagit animus, futurum olim, ut iſtud Col„legium, ceu templum ſacro ſanctum, optimis literis dicatum, toto terrarum orbe inter præcipua decora „Britanniæ numeretur: Pluresque futuros, quos trilinguis iſtius Bibliothecæ ſpectaculum, quæ nihil „bonorum autorum non habeat, unde nihil malorum non exulet, pertrahat Oxoniam, quam olim tot mi„raculis viſenda Roma ad ſeſe pellexit.

Poſthæc inprimis venerandum novi hujus Collegii decus non ſine admiratione ſpectandum, linguarum ſtudia & profeſſores non inanibus literis, inter invenuſtos mores, ut in Scholaſticorum priori turba, nomen dediſſe, ſed ut optimæ literæ & puræ linguæ, ita optimos mores puriſſimaque pectora eſſe quæſita. Meliores literæ meliores homines, decus in ore & genio. Ornatus par utrobique. Neque ſtudia pro cerebro, ſed pro vita. In omni iſta elegantia, humanioribus iſtis novis ſtudiis paranda, modeſtia & manſuetudo, morumque ingenua blandities, ſine fuco & bile, ſine ferina mordacitate, rixandi contendendique Scholaſtica furia. Ut priores inconditi inani diſputationum nomine clamores tranſirent in modeſta colloquia, decentes & graves ſermones, ſobrias & placidas diſſertationes. Quam virtutem ingenuis illis novis ſtudiis congruam, commendat Eraſmus in novi illius Collegii primo præfecto, Theologo Claymondo, ex conſilio & ſcopo fundatoris, Epiſcopi Wintonienſis: „Quin & illud mihi qui„dem ſagax conſilium optimi præſulis arguit, quod te potiſſimum ex omnibus delectum, virum „haudquaquam novæ, ſed jam olim notæ perſpectæque probitatis, novo collegio præfecerit: Qui pri„mum poſſis eas literas, & cum dignitate profiteri, deinde poſſis vel unus eſſe documento, optimis „literis cum optimis moribus maxime convenire. Facit enim paucorum improbitas, ut qui bonis lite„ris parum bene volunt, calumnientur, hoc ſtudiorum genus corrumpere vitam humanam, & avocare a „pietate Chriſtiana.

Methodum deinceps ſuggerit Eraſmus novi hujus linguarum Collegii prafecto Claymondo, cum bonarum iſtarum literarum adverſariis decenter agendi, ne impediatur exoptatus harum literarum ſucceſſus: Non acerbitate contentionis, non rixarum æſtu, quibus ſint indigni politioris ſtudii hoſtes, quibusque nihil promoveatur, quin res tanta, res quietis, res decoræ tranquillitatis impediatur: Sed docta lenitate & prudenti manſuetudine, adverſantes benigne ferendo, injurias diſſimulando, & meliora de repugnantibus ſperando & expectando. „Sunt apud nos, præcipue Germanos, ait, juvenes aliquot, vita „quidem integra, ſed qui ſic aſſerant meliores literas, ut in harum hoſtes, magna libertate velut ex ἀμα„ξῶν debacchentur. Equidem non nego, veniam dandam ætati, imo etiam genti, præſertim cum tam „acerbis odiis irritentur, ut in adverſarios nihil poſſit ſatis aſperum dici. Sed tamen mea ſententia, „longe plus adferet momenti tua modeſta gravitas, & erudita lenitas, hos etiam qui modo reclama„bant, qui arma contra ferebant, in ſua caſtra pertractura, ex infeſtiſſimis hoſtibus fidelisſimos milites, „ac propugnatores futuros. Plus efficit, qui ſua moderatione omnibus commendat bonas literas, quam „qui cum pertinacibus harum Sycophantis aſſidue rixatur. Ego quod tandem contumeliæ genus non „ſum paſſus ab iſtis philobarbaris? Quos tumultus excitarunt? Quas movere tragœdias? Quas ſtruxe„runt inſidias? Mihi ſane nec ungues deerant, nec dentes, nec telum, ſi libuiſſet uti: Neque ſum igna„rus, quibus modis ejusmodi portenta tractanda ſunt: Verum, judicavi non ſolum Chriſto eſſe gra„tius, verum etiam ad promovenda rectiora ſtudia conducibilius, aut moderatis rationibus placare „reclamantes, aut certe cedere, donec temporis progreſſu aut evaneſcat ille ſtolidi pectoris impe„tus, aut ipſi reſipiſcant. Neque adhuc me hujus conſilii pœnitet. Lov. 5. Cal. Julii, An. 1519.

In hujus adeo Collegii Oxonienſis fundationem Eraſmus perſæpe flores contulit, laudes cumulando, in Epiſcopi Wintonienſis honorem. Ad Gvilielmum Montjoium, An. 1519. f. 369. „Deamo Richar„dum Epiſcopum Wintonienſem, qui magnificentiſſimum collegium ſuo ſumptu proprie dicavit bonis „literis.

Sic una Anglorum *Academia*, *Oxonienſis*, Eraſmi ſubſidio, Cardinalis Eboracenſis promotione, linguarum & bonarum literarum cultu cœpit enitescere. Cujus præconium reliquit Eraſmus literis ad Guilielmum Montjoium, l. c. „Magis exoſculor egregium ac prorſus Heroicum animum Thomæ „Cardinalis Eboracenſis, cujus prudentia Schola Oxonienſis, non ſolùm omni linguarum ac ſtudiorum „genere, verum & moribus, qui deceant optima ſtudia, condecorabitur.

Par altera *Britannorum Academia Cantabrigienſis*, de qua ſupra, literarum effloreſcentium decore, Eraſmi adjumento, Epiſcopi Roffenſis operâ, Regis voluntate. „Cantabrigienſis Academia, inquit, E„raſmus, jam pridem omnibus floret ornamentis, præſide Johanne Epiſcopo Roffenſi, qui nulla in par„te non egregium agit Præſulem. Ceterum hujus laudis præcipua portio regio pectori, velut horum „conſiliorum fonti debetur. Cum tot regnis ac regibus altiſſima pax eſt, atque ut augurari libet æter„na. Pelluntur nocentes, vigent bonæ leges, evehuntur optimæ literæ. Rex ipſe hiſce rebus omnibus „non ſolum autor eſt ac dux, verum etiam exemplum, primus ipſe præſtans, quod præſcribit.

Hanc bonarum literarum apud Anglos triumphum cecinit, ſubinde Eraſmus illis annis. Epiſtola ad Albertum Brandenburgenſem, Archi-Epiſcopum Moguntinum, Cardinalem, lib. 6. ep. 19. f. 364. An. 1519.

1519. 13. Cal. Jun. „Apud Anglos triumphant bonæ literæ. Rex ipse, cum sua regina, Cardinales am„bo, Episcopi ferme omnes, toto pectore tuentur, favent, alunt, ornantque. Rabulis omnibus per re„gem impositum est silentium. Spero idem fore apud Germanos. Nihil non moliantur sycophantæ „quidam, præsertim hic (Antverpiæ) ubi barbaries terris excessura videtur extrema posuisse vestigia. „Quanquam & hi mitescunt, incipiantque suam stultitiam agnoscere.

Similiter ad Antonium de Bergis, An. 1519. 13 Cal. Jun. f. 364. „Bonæ literæ passim efflorescunt, „frustra reluctantur veteris insciticæ patroni: Apud Anglos triumphant recta studia, Regis, Cardinali„um, & Episcoporum auxilio. Rabulis, qui tantum ad maledicendum linguam habent, impositum est „silentium. Hic (Antverpiæ) quoniam tales patronos non habemus, sæviunt adhuc, & libris quoque „grassantur; sed quibus nihil aliud quam suam traducunt stultitiam ac mentis stoliditatem. Mitescunt „tamen & hi paulatim, velut ex gravissima febri resipiscentes: obmutescent etiam, si Principum adspi„rarit favor.

Curia Anglorum regis universa, à rege ad magnatum ordinem, ex elegantissimarum literarum insolita & sublimi peritia, excelso præsidio, eo nomine ab Erasmo celebrari solita, quod aula jam esset politæ doctrinæ sedes, quæ ex Academiis exularet, ut theatrum virtutum dici mereatur regis curia, scholastica societas contra sordium stabulum. Sibi & optimis literis gratulatur Erasmus, qui hanc politioris doctrinæ fortunam in celsissima Anglorum curia viderit florentem. Ad Henricum Guldefordum, Equitem auratum, præfectum regis equestris regis Angliæ; f. 368. lib. 6. ep. 26. „Recta studia, præsertim „ea, quæ ad veram faciunt pietatem, provehere semper conatus sum, sed utinam perinde feliciter ac se„dulo. Mundus resipiscit, velut ex altissimo somno expergiscens. Et tamen pertinacibus animis ad„huc repugnant quidam, veterem insciticam suam manibus pedibusque, ac mordicus etiam retinentes. „Sed hos pudebit amentiæ suæ, si viderint summos reges ac regum proceres amplecti, fovere, tueri me„liores literas. O Miras rerum humanarum vicissitudines! Olim literarum ardor penes religionis pro„fessores erat: Nunc illis magna ex parte, ventri, luxui, pecuniæque vacantibus, amor eruditionis ad „principes profanos ac proceres aulicos demigrat. Nam quæ schola, quod monasterium, usquam tam „multos habet, insigni probitate, doctrinaque præditos, quam vestra habet aula? Annon optimo jure nos „nostri pudeat? Sacerdotum ac theologorum convivia madent vinolentia, scurrilibus opplentur jocis, „tumultu parum sobrio perstrepunt, virulentis obtrectationibus scatent: Et ad Principum mensas mo„deste disputatur, de iis quæ ad pietatem ac eruditionem faciunt. Nimirum ad optimi regis exemplum „properant omnes, cujus ut ceteras illas dotes omittam, quas sic habet cum aliis regibus communes, ut „plerisque præcurrat, nulla sit inferior: Quid illo ad disputandum argutius ad inveniendum felicius, ad „judicandum sanius, ad eloquendum venustius? olim ocii literarumque dulcedine captus, ab aulis re„gum abhorrebam. At in talem aulam, vel cum tota supellectile, quæ fere chartacea est, liberet immi„grare, ni valetudinis imbecillitas & ætas jam ingravescens dissuaderet. Ubi nunc sunt qui jactitant, „Principum vigori officere literarum cognitionem? Quis Henrico Octavo, vel in bellicis rebus dexterior, „vel in condendis legibus cordatior, vel in consiliis oculatior, vel in coërcenda scelerum licentia vigilan„tior, vel in deligendis magistratibus atque officiis diligentior, vel in conciliandis fœdere regibus effica„cior? Equidem aureum quoddam seculum exoriri video, quo mihi fortassis non continget frui, quippe „qui jam ad fabulæ meæ catastrophen accedam: Gratulor tamen orbi, gratulor juvenibus, in quorum „animis ob officiorum memoriam utcunque superstes erit Erasmus. Antverp. An. 1519. Id. Maji.

Hunc Angliæ in bonas literas ab Erasmo resuscitatas favorem multo laudum cumulo voluit posteris esse commendatum. Ad Jacobum Banisium, An. 1519. 12. Cal. Jun. f. 365. „Triumpharent bo„næ literæ, si Principem haberemus domi, qualem habet Anglia. Rex ipse non indoctus, tum ingenio „acerrimo, palam tuetur bonas literas, rabulis omnibus silentium indixit. Cardinalis Eboracensis „omnia studia in melius restituit, suaque benignitate passim omnes invitat ad amorem studiorum. Nec „aliud agit Cardinalis Campegius, vir omnium & optimus & doctissimus. Aula regis plus habet homi„num eruditione præstantium, quam ulla Academia.

Quæ ex literis, virtute & prudentia comta Britanniæ curia sub Henrico VIII. invitavit exteros, ut præsentes decus admirarentur, Principes quoque extranei libros suos illuc tanquam in virtutis palæstram aut domum ablegarent, pari virtutis usu assuefaciendos. In quibus cum *Principis Bergani filius*, *Antonius Grimbergius*, eo ablegaretur, ut ex quotidiana illa consuetudine curialium, ampliorem virtutis usum consequeretur, Erasmus ad Thomam Cardinalem Eboracensem honorificam illius itineris rationem perscripsit An. 1519. lib. 13. ep. 15. f. 625. „Scit vir prudentissimus, (Princeps Berganus) quantopere re„ferat, inter quos ætas ea versetur, sic in bivio virtutum & vitiorum consistens, ut levi momento huc aut „illuc impelli possit. Persuasum habet, non aliam aulam esse incorruptiorem, quæ præter regem hu„jus ætatis facile integerrimum, ac Reginam omnis probitatis exemplar, tot habeat viros doctrina præ„cellentes, morum innocentia commendatos, gravitate venerandos, prudentia consilioque suspi„ciendos.

Ut boni ad optimos commeant, ut fiant meliores, sic & iste Principis a Bergis filius, ad Britannos migrans, ad virtutis culturam, encomium meruit Erasmi, quod cultissimo Principe dignum. Ille ad Gutbertum Tonstallum, Anglum, An. 1519. lib. 13. ep. 24. f. 630. „Commigrat aulæ vestræ Antonius „a Grimberga, filius primarii viri Principis a Bergis, juvenis natus virtuti, literarum ac literatorum „amantissimus, indole mansuetissima pudorisque plena: Huic non gravaberis declarare, quantum fa„veas probitati.

Ab eo tempore linguarum Professores per plerasque Academias constituti. Ipse *Reuchlinus* senex, in *Academia Ingolstadiensi* An. 1521. hebræarum & græcarum rerum Professor. *In Hispania*, *in*

Academia Complutenſi, Franciſcus Vergara, Græcæ linguæ Profeſſor, An. 1527. celebris, Eraſmo familiaris. Univerſalis aurea Eraſmi regula, f. 608. „Bonæ literæ ſic debent irrepere in Academias, non „ut hoſtes omnia depopulaturi videantur, ſed hoſpites potius paulatim in civium conſuetudinem „coalituri.

Martini Dorpii, Lovanienſis Theologi, ingenua & ſine formidine *publica luculenta Confeſſio* de humaniorum literarum fructu maximo, de neceſſario linguarum ſtudio, de fontibus ſacris legendis, deque Scholaſticæ doctrinæ ruditate & vanitate, pro ſalubribus Eraſmi monitis, pro Novo Eraſmi Græco Teſtamento, & nova illius latina verſione. An. 1517.

NOndum integrum ediderat Eraſmus Novum Teſtamentum, quando An. 1515. *Martinus Dorpius*, a ceteris Lovanienſibus Theologis ſubornatus, bellum indixerat Eraſmo, amico ſuo, propter Novum inprimis Teſtamentum ejusque verſionem, cujus editio impedienda & ſupprimenda, propter linguarum ſtudia, quæ Eraſmus hactenus urſerat, Lovanienſium judicio eliminanda potius. Ita dimicaverat cum Eraſmo, ut ſupra recenſuimus, ut ſalva amicitia cauſa tota excuteretur ſolide & ſufficienter, accedente & Moro, qui eandem belli telam paribus molliſſimis amicisve armis pertexeret, affectu reciproco nullibi læſo. Cum *Dorpio*, bis veritatem optimasque literas impugnant, *bis* eſſet *reſponſum*, cum ab *Eraſmo* tum a *Thomæ Moro*, hæſitare cœpit Dorpius, animo convictus, qui ſe ab aliis ad periculoſum veritatis impugnandæ certamen protrudi eſſet paſſus. Cum Novum tandem illud Teſtamentum Eraſmi, ineunte An. 1516. cujus editionem refrenare contenderant Lovanienſes per Dorpium, in Dorpii veniſſet oculos, *Apologiis præmiſſis*, rem ſuam priorem convinci amplius animadvertens, *methodumque theologiæ* ab Eraſmo deſcriptam legens & perpendens, dolorem in pectore ſenſit, & pœnitentiam, quem puderet ſui nuperi intempeſtivi belli. Apud Collegas animum mutatum prodere momento, vetuit metus. Interea *cum Eraſmo*, qui Baſilea An. 1516. jam aberat, Lovanii quoque verſabatur, *frequens colloquium Dorpio* æque ac ceteris theologis, quibuscum conferret Eraſmus, auditurus, quid tandem haberent, poſt nuperum Dorpii cum Eraſmo certamen quod in Eraſmi Novo Teſtamento nunc reprehenderent, aut mutatum vellent. Ab illis colloquiis viſus Dorpius Eraſmo non adverſari amplius, arctiori amicitia reſuſcitata, poſtquam Dorpium tacite pœnituit ab Atenſi, Collega Theologo, ſeductum & callide ad inconditum bellum pertractum eſſe. Teſtatus paſſim Eraſmus in literis ad amicos, annis 1516. & 1517. inter Dorpium & ſe nullam apparere amplius litis aut diſcrepantis affectus materiam. Quæ Eraſmi in Dorpii integritatem fiducia Dorpium eo perduxit, ut Dorpius An. 1517. animum tandem ſumeret, mentem priorem plane mutatam publice in Academia declarandi. Quamobrem, ut declararet, ſe ſcripturæ ſtudio plus tribuere quam ſcholæ Quodlibetis Compendiisve ſuetis, Epiſtolam Pauli ad Romanos publice recenſere inter Academicos, inſtituit. Nec ſatis: in oratione præliminari aperta fronte profeſſus eſt, ſe animum prorſus mutaſſe, in ſententiam Eraſmi penitus conceſſiſſe, non odiſſe amplius linguas, quin magni facere & commendare, ſine quibus ſacra res intelligi aut explicari nequeat: Literas humaniores ad doctrinam ſacram vel tradendam vel illuſtrandam neceſſarias eſſe; Vulgatam corrigendi aut mutandi, novamque verſionem adornandi, jus eſſe: Scholaſticam theologiæ methodum intricatam, ſpinoſam, maximo eſſe damno Eccleſiæ: Eraſmi denique negotium eſſe ſalutare. Tanta vis veritatis in pectore ingenuo & infucato!

Cum fama accepiſſet Eraſmus, Dorpium, primum in tam arduo negotio, in publicam ſalutem vergente, hoſtem, fracta ſua abjeciſſe arma, agnoviſſe veritatem, ab Eraſmo traditam & propugnatam, confeſſum eſſe ſolenni apud Lovanienſes oratione, jam pro bonis literis pugnare, pro linguis, pro ſacræ ſcripturæ ſtudio præ inani ſcholaſtica re, pro Novo Teſtamento græco, pro verſionum emendatione, gaviſus eſt toto pectore, Dorpio per literas gratulatus. Cujus juſti in Eraſmo gaudii, ex Dorpio victo & confitente, ex Dorpio emendato & reformato, ſanato & ex tenebris emergente, teſſera epiſtola, in literaria reformationis hiſtoria admirandæ dulcedinis momentum. Adesdum ergo.

Deſid. Eraſmus Roterodamus,
Dorpio ſuo
S. D.

„Audivi non ſine ſumma animi voluptate, mi Dorpi chariſſime, quæ nobis de te narravit communis ami„cus Paludanus, quanto pectore in præfatione tua damnaris iſtos, qui, neglectis divinis literis, anxiis & „frivolis quæſtiunculis inſeneſcunt: Et, qua tuba tuos auditores ad divinæ ſcripturæ ſtudia ſis adhorta„tus. Macte animo virtuteque, βάλλ' ἔπῳ: ſic itur ad aſtra. Quæſo, ut iſtam provinciam, tuo po„tiſſimum dignam ingenio, ſtrenue cœptam, fortiter obeas. Nos, quoad licet, non ſumus defuturi. Tu, „qui & ætate flores & ingenio polles, & omnibus bonis literis affatim inſtructus es, majora illa mania pa„ri virtute ſuſtinebis. Favebimus etiam obſcuritati noſtræ, ſi ad tuæ gloriæ ſplendorem noſtri nominis „lucernula velut evaneſcet. Quæ didiceram ex Paludano, narravi Tonſtallo, Britanniæ oratori. Crede mi„hi, homo exiliit præ gaudio, quod toto animo negotium hoc capeſſeres. Demereberis tibi Chriſtum, „nomen tuum orbi commendabis, ac ſtudioſis omnibus rem ut vehementer gratam ita & ſalutarem facies. „Bene vale Dorpi omnium chariſſime. Bruxellæ VI. idus Julias.

Res profecto non exilis, ſed magni motus, Dorpium, virum Theologum, præ cæteris Collegis, Atenſi, Egmondenſi, Latomo, aliis, eruditum, primum Eraſmi adverſarium, qui bonas literas, linguas, fontium ſtudia, improbarat, ſcholaſticam rem defenderat, veritate victum, mutare ſententiam, in Eraſmi caſtra concedere, contraria jam omnia ſine metu publice in Academia profiteri. Scena profecto nova inexpecta

expectata, omen magnæ mutationis secuturæ. *Conversus Theologus!* Nunc pro bonis literis, pro linguis, pro fontium studiis, pro versionum jure, contra receptas Scholæ tricas. Prodigium, non solum Lovanienſi sed & aliis Academiis stupendum, publicum emendationis imminentis præsagium. *Pœnitentiæ Theologi admirabilis!*

Editurus Dorpius, Lovanienſis Theologus omnium optimus, hanc suam *confessionem:* illustrandam eandem & roborandam autumavit prius, quam ederet omniumque oculis exhiberet. Res quippe insolita, & mutati in his animi exemplum inauditum, quod hi convitiis impetituri, alii imitaturi. Protraxit sane editionem in tertium annum. Donec An. 1519. constantem animum, satis munitum, auctiori & locupletata oratione Academiis & literato orbi exponeret. Quod facinus egregium illos dolore, hos gaudio perculit. Cum vidisset Erasmus, non tam Dorpio & sibi, quam publicæ rei promovendæ impense est gratulatus, ingentem ex Dorpio mutato spem concipiens melioris rei statuminandæ.

Declaravit suum de Dorpio reformato animum lætum Cutberto Tonstallo, Anglo, *An. 1519. postrid. Octob. Lib. 19. ep. 24. f. 630.* Primùm detegit autorem seducti prius Dorpii, ut bonis literis adversaretur. Appellat illum Dorpii corruptorem *Noxum Solus, ut ferunt, Noxus ille fuit, qui olim instigavit Dorpium.* Quis ille *Noxus*, noxiæ autor rixæ nocens saluti publicæ, Dorpii seductor? *Joannes Atensis*, primarius illis annis Lovanienſium theologus: Quod ἔστη sit *noxa, damnum.* Edita Dorpii mutati confessio, quam grata Erasmo! *Dorpius etiam libello edito, testatus est animum mutasse sese: Ac ceteris in rebus talem se præbet, ut satis fidum.* An. 1520. prid. Cal. Aug. ad Hermannum Buschium, nobilem & elegantem virum; *lib. 12. ep. 15. f. 603. Dorpius optimis studiis se oblectat. Idem nos agimus, quod quidem licet,* An. 1520. Cal. Octob. lib. 13. ep. 43. f. 646. ad Petrum Manium Dominicanum, qui bellas Dorpii literas ab Erasmo dixerat oriundas. „Quemadmodum magnopere faveo gloriæ Dorpii mei, quem ob eximias „ingenii, doctrinæ, facundiæque dotes, ne tum quidem odisse poteram, cum à malis choragis adversum „me subornaretur: Ita non video, quid illinc mihi debeatur laudis, nisi fortasse, quod olim adolescentem „hortatus sum ad meliora studia, & lucubrationibus meis vel incenderim nonnihil illius studia vel adju„verim. Aut ego fallor, aut illi succedet, quod nos parum feliciter conati sumus.

Edendæ Confessionis provinciam cum suo & Erasmi amico fido *Beato Rhenano*, committeret Dorpius, infucatum suum in mansuetas literas affectum de novo est testatus. Quod alterum mutatæ sententiæ testimonium non prætermittendum.

Martinus Dorpius Beato Rhenano suo, Amico integerrimo. S. D.

De honestis studiis, mi Beate, cum varia sint hominum judicia, atque ea tota (quod dicitur) diametro dissidentia, visum est *mihi, eruditorum aliquot literis provocato*, quid sentiam explicare, ut *intelligant omnes, quæ sit, quæque fuerit animi mei de his sententia.* Proinde *orationem* hanc, *annos ab hinc tres a me Lovanii in celebri auditorio habitam*, tui nominis auspiciis exire volui, qua haud obscure significo, *nequaquam esse verum, quod sparserunt quidam, me non ex animo favere vel literis bonis, vel linguarum professioni:* quod tantum abest a vero, quantum quod longissime. Quid enim? an indignius quicquam evenire mihi possit, quam nunc, si videar earum esse hostis *literarum*, quas a pueritia usque, infeliciter quidem, ut hoc donem, certe studiose sectatus sim, *quæ, probe scio, quantum mihi contulerint ad scripturam sacram, ad veteres doctores, ad omne genus auctores exacte cum intelligendos, tum enarrandos.* Eas Lovanii multos annos docui, atque ita docui, ut *publica professio* mihi ne cogitanti quidem tale quicquam fuerit annos abhinc decem ultro a magistratibus Lovanienſibus oblata, neque sine justo stipendio certe aliquanto majori quam unquam antea quisquam perceperit. Non facto hæc, complures optimæ fidei viri noverunt. Tum fortasse plus in hoc genere valebam. Interea aliis occupatum studiis dicendi peritia destituit, tametsi vix ullum diem præterire passus sim, quo non aliquid tempusculi seponerem *bonis literis* impertiendum: quod adeo non pœnitet, ut si omnes diversum sentiant, non sim mutaturus sententiam. *Scio probe, quid quam sæpe iis accidat, qui veteres autores nullos evolverint.* Quid pluribus opus est? quando tota oratione hoc unum ago: In qua desideretur sane quidvis, seu elegantia, seu dictionis filum; modo eruditis viris argumento satisfaciam. Curabimus alias accuratius scribere. jam quod *hæc oratio non per omnia prorsus ita dicta fuit, uti nunc editur*, nihil accidit mihi, quod non olim clarissimis viris, atque nominatim Marco Tullio, qui longo aliter scripsit, quam dixerat. *Neque quicquam tamen inest, quod non Lovanii publico auditorio vel dixerim vel prælegerim.* Hanc tibi dicare volui, mi Rhenane, qui me literis tuis amicis. juxta & elegantis. tam amanter provocaris, & amorem constantissimum fueris pollicitus: qui quamdiu durabit (durabit autem perpetuo) mutuus erit. Oro te, ut laborem hunc meum defendas, si ulla erit opus defensione: quod miror, si futurum est. Neque enim volui quenquam vel perstringere vel lædere. Meam sententiam propono, quæ si placeat, bene habet, sin minus, non invideo melius sentientibus, idem & ipse libenter futurus, si quis doceat. Hoc officium Dorpii tui quæso ut gratanter accipias. Magister Nicolaus Busciducensis, jam inde ab adulescentia mihi amicus, vir si quisquam alius fide integerrima, doctus præterea simul & prudens, recepit se curaturum, ut oratio ipsa castigate imprimatur. Bene vale. *Lovanii X. Cal. Octobr.*

Solennis & ſerena Dorpii Confeſſio, Reformationis documentum, cui ipſemet ſequentem dedit inſcriptionem:

Martini Dorpii, ſacræ Theologiæ Profeſſoris, Oratio in prælectionem Epiſtolarum divi Pauli: De laudibus Pauli, de literis ſacris ediſcendis, de Eloquentia, de pernicie ſophiſtices, de ſacrorum Codicum ad Græcos caſtigatione, & linguarum peritia.

SI ea mihi vis eloquentiæ foret, viri clariſſimi, quam *præſens hæc adhortandi vos provincia* expoſtulet, beatum me ducerem, qui coram vobis eſſem dicturus. Futurum enim ſperarem, ut ex mea oratione multum omnino fructus proveniret, ſi docta, ſi vehemens, ſi efficax eſſet. Conarer ſiquidem in animos aduleſcentum ſumma vi *inſerere*, infigere, infulcire amorem: *amorem* autem? imo vero ardorem potius *literarum vere ſacrarum.* Conarer *ad legendum illas extimulare, ad perſcrutandum animare, ad meditandum, relegendum*, nocturna verſandum manu, verſandum diurna: *ad inſeneſcendum, ad immoriendum* denique, quanta maxima poſſem vehementia inflammare. Conarer dilucide explicare, *quis fructus, quanta* ſit *utilitas*, imo vero *neceſſitas* etiam *ipſam ſcripturam ut legant, de ipſo fonte ut bibant.* Conarer poſtremo oſtendere, divinorum eloquiorum, quanta ſit obſcuritas, quam remota in ipſis eruditio, quæ ſublimitas, quanta vel rerum vel verborum eloquentia, tum quæ pietas, quæ ſanctimonia, qui aculei, qui ſtimuli, quæ flammæ inſint, cum *in omnibus* quidem *ſacris codicibus*, tum peculiariter *in Paulinis Epiſtolis.* Quæ omnia, quæque ſingula, jure nos, omni ſepoſito tum ocio, tum negocio, impellerent ad alacriter ſuſcipiendas, ambabusque (quod dicitur) ulnis amplexandas, diviniloqui Pauli Epiſtolas. Hæc ſummis eloquentiæ ceu fluctibus perſuadenda ſunt, inculcanda ſunt, pertonanda ſunt. Niſi quis forte, ne tum quidem eloquentiam admittat, cum per eam ad honeſta flectimus: niſi in ſuadendis ſalutaribus, in commovendis ad optima animis, in excitandis ad pia affectibus, lenti, frigidi, torpidi eſſe debeamus, ac ſic loqui inſuaviter, ut audire tædeat: ſic improbabiliter credere, ut non libeat: ſic perplexe, ut intelligi non poſſit. Verum hanc eloquentiam, noſtræ provinciæ parem, ut proclive eſt optare, ita non eſt perinde facile cuivis aſſequi. Ego certe ingenue fateor, vix tenuem umbram me aſſecutum. At conabor tamen, ſi non pro rei dignitate, (quod quotusquisque poſſit?) certe pro noſtra virili *vos ad veræ ſinceræque Theologiæ ſtudium adhortari.*

Eloquentia adhibenda cum ad honeſta flectimus.

Primum ut in ceteris rebus omnibus ita in ſtudiis quoque maximi momenti eſt, *recto ordine ſtudium inſtituere. Magnum*, teſte Cicerone, *pondus habet ad bene vivendum, prima inſtitutio.* Et hoc verius nihil quicquam dici potuit. At *in bonarum ſtudiis artium* non minus refert, *qua ratione incipias*, quoque ordine porro *pergas.* Plures ſunt, qui multos annos literariis laboribus impenderint, quam, qui ſtudium recte inſtituerint. *Neque enim idem eſt inchoaſſe ſtudium & bene inſtituiſſe.* Qui certum alium *finem* deſtinavit, *quo tendat*, qui ad illum refert, quicquid legit, nec alia legit, quam huc pertinentia, is recte ſtudium inſtituit. Porro *qui temere vagatur*, nihil habens penſi, quid legat, quid ediſcat, multa modo legat, multaque diſcat, is ſeſe canum eſſe deprehendet, & indoctum eſſe mirabitur. *Paria ſunt omnia facere, & nihil facere.* Quid ſtultius, quid etiam perniciosius, quam *ſtudium ſemper inchoare?* At qui in nullo autore, nullo in libro vel tantis perhæret, an non videtur tibi ſtudium *ſemper inchoare?* Proinde *recta ad terminum eſt eundum.* Scopus ipſe petendus eſt. Non referat quam multos legas, ſed quam bonos: *non multos, ſed multum legas.* Pulchre (ut alia multa) ita hoc quoque *Seneca: Varia*, inquit, *lectio delectat, certa prodeſt.* Tu curas forte, quamdiu cotidie libris hæreas, cura potius *quam bene.* Qui *recta via* diſciplinas ſectatur, ut plus voluptatis habet, ut *plus fructus* habet, imo ut ſolus fructum habet, ita *minus habet moleſtiæ*, minus tædiorum. Commodiſſima vero ad diſciplinas eſt via, ſi ea vel ſola, vel certe *præcipue* ſectemur, diſcamus, meditemur, *quæ prima ſunt, ac digniſſima.* Apes non ex omni flore mel illud ſuum conficiunt, neque quemlibet item humorem exugunt: Primum *delectum habent* florum, deinde ex nobiliſſimis, puriſſimum liquorem extrahunt. Et nos, an ſine ullo diſcrimine in quæ fortuito inciderimus, ea in noſtrorum teſtas ingeniorum inſtillabimus, ſeu futilia ſint ac nugacia, ſeu fructuoſa? Salubriter monet Plato in Sophiſta. „Cave, inquiens, ô beate „adoleſcens ne in ſummum jacturæ diſcrimen, quæ „tibi chariſſima ſunt deducas. Nam longe gra„vius periculum eſt, in diſciplinis, quam cibis emen„dis. Etenim qui eſculenta emit, & poculenta, „poteſt antequam iis veſcatur, in aliis quibusdam „vaſculis illa domum deferre, ibique depoſita dili„genter examinare, & advocato aliquo iſtarum re„rum perito, quid edendum bibendumve ſit, quid „non, quantumque & quando, deliberare. Quam„obrem haud grave eſt in emendo periculum. Di„ſciplinas autem non licet alio in vaſe transferre, ſed „neceſſe eſt, qui eas emit, ut animo capiat, & reli„cto precio abeat, intra ſe ferens, inquinatusque „jam, vel ad meliora provectus. Videtis ex Platonis divini Philoſophi ſententia, quantum referat *quid diſcatis?* Infinita pene eſt unius artis capacitas, ut merito non vacet *ſupervacua ſectari* in tanta vitæ brevitate, temporis velocitate, & humani ingenii modulo. Si *præcipua* ergo *ſectanda* ſunt in omnibus artibus, cur in *Theologico Studio* quicquam nobis eſt prius, quam *Evangelica doctrina*, aut huic dignitate proximæ *divi Pauli epiſtolæ?* Eſto, alia minime ſint negligenda, hæc certe nemo negare poteſt eſſe *præcipua*, eſſe illis incomparabilia.

Sen. XLV. Epiſt. ad Lucilium.

Præcipua primum diſcendum.

Maximam vim habet, bene inſtituere ſtudium.

Evangelia, & Paulinæ Epiſtolæ primum evolvantur.

lia. *Ex his aliisque canonicis ſcripturis* (quamquam ex his tum copioſiſſime, tum certiſſime.) *hauriamus oportet, quicquid firmum, ſolidum, inconcuſſum afferre paramus.* Cur non hæc ſumma cura, atque adeo pia curioſitate inveſtigamus, quæ nemo poteſt repellere, nemo poteſt negare eſſe veriſſima? Citas mihi doctorem quempiam, citas ſanctorum patrum aliquem, citas gloſſam quam vocant ordinariam, non ita me ſtringis, quin liceat eluctari. Ex una ſcriptura ſacra vincula nectimus, quæ nemo perrumpat, quæ nemo evadat. Qui bonas literas amant, omnia inter legendum non oſcitanter obſervant, ſi quod inſigne verbum, ſi qua figura, ſi qua elegantia, aut decus orationis, ſi quod proverbium, ſi qua ſententia memoria digna occurrat, aſteriſco notanti. Eisdem curæ eſt, dignoſcere ſtylum Saluſtii à Liviano, Fabii à Tulliano, Terentii à Plautino, in his ſedulo, vigilanter, attente verſantur, neque vero parvo cum fructu. Et nobis non eſt tantundem curæ, *ut ſtilum ac phraſin Epiſtolarum divi Pauli noſcamus*, magni ſcribæ Chriſti ac Dei Secretarii? Ariſtotelem omnes fere nos quanta cura, quanta pertinacia, quibus vigiliis ac ſudore didicimus, non propoſitiones modo omnes, ſed & voculas omnes, ſyllabas omnes (pene dixerim) apiculos excutientes? cui an merito tantum operæ impendamus Chriſtiani Ethnico, non eſt hujus loci diſſerere. Sed cur ocioſum videatur aut alienum tantundem laboris impendere divo *Paulo*, gentium, hoc eſt, patrum noſtrorum, doctori, tanto meliori, quantum Ariſtotelem vita ſanctiſſima, ac doctrina ſuperavit? *Qua quaſo fronte Ariſtotelis dogmata ad unum omnia memoria tenemus, & totus ab illa Paulus exulat?* Delectant in philoſophis moralia? at in Paulo ſunt heroica, ſunt cœleſtia, ſunt ſupercœleſtia, quæ nec ab homine accepit, neque per hominem, ſed per revelationem Chriſti Jeſu. Capit Philoſophorum admirabilis ſapientia? at Paulus ſapientiam loquitur inter perfectos, ſapientiam vero non hujus ſeculi, neque principum hujus ſeculi, ſed Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt juvant te acuta, ſubtilia, excelſa, humilia faſtidis? Certe in Paulo non deſunt, quæ vel acutiſſimum ingenium exercere poſſint. Paulus arma habet non carnalia, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia ut deſtruant, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, & in captivitatem redigant omnem intellectum in obſequium fidei. Non me delectant, inquiet aliquis, iſta tam aperta, tam manifeſta, ac obvia, obſcura placent, in quibus operæ precium eſt verſari, ac operam inſumere. Atqui divus *Hieronymus* quæſtione ſecunda epiſtolæ ad Damaſum, multa dicit eſſe indiſſolubilia in ſcriptura. Et *Auguſtinus* quædam in his affirmat ineſſe ita obſcure dicta, ut denſiſſimam caliginem obducant. Quod, inquit, totum divinitus factum eſſe non dubito ad edomandam labore ſuperbiam & intellectum a faſtidio revocandum, cui facile inveſtigata vileſcunt. Et ad Voluſianum, *Tanta eſt*, inquit, *Chriſtianarum profunditas literarum, ut in eis cotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam ſenectutem, maximo ocio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere.* Non quod ad ea, quæ neceſſaria ſunt ſaluti, tanta in eis perveniatur difficultate: Sed cum quisque ibi fidem tenuerit, ſine qua pie recteque non vivitur, tam multa, tamque multiplicibus myſteriorum umbraculis opaca, intelligenda proficientibus reſtant, tantaque non ſolum in verbis, quibus iſta dicta ſunt, verum etiam in rebus, quæ intelligendæ ſunt, latet altitudo ſapientiæ, ut annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimis cupiditate diſcendi, hoc contingat, quod eadem ſcriptura quodam loco habet, *cum conſummaverit homo, tunc incipit.* At alius, abſterreor, inquiet, difficultate, obſcuritateque tum rerum, tum ſermonis literarum ſacrarum. Huic pro me *Auguſtinus* reſpondet: *Nihil*, inquiens, *fere de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſime dictum alibi reperiatur.* Tu fac ſolum, ut ſis humilis, ut parvulus ſis, & ſcriptura quantumvis excelſa, tecum erit parva, inclinabitque ſe ad menſuram capacitatis tuæ. Cavendum inprimis, ne accidat nobis, quod *Auguſtino*: „Inſtitui, inquit, animum intendere in „ſcripturas ſacras, & ecce video, rem non compertam ſuperbis neque nudatam pueris, ſed inceſſu „humilem, ſucceſſu excelſam, & velatam myſteriis, & non eram ergo talis, ut intrare ad eam poſſem, ſed viſa mihi eſt indigna, quam Tullianæ dignitati compararem. Tumor enim meus refugiebat modum ejus, & acies mea non penetrabat „interiora ejus, veruntamen illa erat, quæ creſceret „cum parvulis. Sed ego dedignabar eſſe parvulus „& turgidus faſtu mihi grandis videbar. Quod o utinam non multis noſtro quoque ſeculo accideret, ut credant, ſcripturæ ſacræ humilitatem indignam eſſe ingeniorum ſuorum plusquam Chryſippeo (ut ipſis videtur) acumine indignam, in quam ſtudium illi ſuum impendant.

Cujusmodi ſunt, quæ Paulus tradit.

Multa ſcripturæ inſunt obſcuriſſima.

Lib II. de doct. Chriſt. cap. 6.

Epiſt. 3.

Non tam obſcuræ ſunt literæ ſacræ quin poſſint intelligi.

Lib. II. de doct. Chriſt. cap. 6.

Lib. III. confeſſ. cap. 5.

Porro non deerit fortaſſe aliquis cui cetera quidem omnia ſatisfaciant, ſolam *in libris ſacris eloquentiam* requiret. Profecto in Paulo ineſt eloquentia, non verborum ſolum, ſed rerum ſumma, quæ quidem multo eſt potior. Ea, inquam, in ipſo eſt vehemens, efficax, flammea. Neque enim loquitur Paulus, ſed ardet, fulgurat, tonat, ima cordis petit, in intimas penetrat medullas. Non dehortatur a vitiis, ſed proſternit ea. Verba quidem ipſa, quæ legis, ſimplicia ſunt, aperta, uſitatiſſima, ſed connexa ſunt vivo ordine, flammeis aculeis, vim ſpirantia plus quam humanam, non movent, ſed rapiunt. Malorum animos invadunt, ruunt, fundunt, & proſternunt. *Nequeo ſatis*, inquit *Hieronymus*, *ſcripturæ laudare myſteria, & in verbis, licet ſimplicibus, divinum ſenſum admirari.* Hac eloquentiæ majeſtate, tot homines, tot civitates, tot regiones, atque adeo maximam orbis partem ad Chriſtum pellexit, hac plus triumphorum meruit, pluribus ſubactis populis, quam Alexander ille domito oriente, aut hujus æmulator Julius, Galliis devictis: his ille gladiis, his tormentis, his machinis portas tyrannorum, ducumque gehennæ confregit, diruit, demolitus eſt, his principes & poteſtates tenebrarum triumphavit,

Eloquentia quæ & quanta in Paulo.

Epiſt. ad Paulum.

phavit, traduxit, in servitutem adegit, vere triumphator, vere invictus, vere Augustus.

An Paulus imperitus sermone.

At, inquiunt, ipse se Paulus fatetur sermone imperitum, etsi non scientia. Hoc vero potissimum occinunt, qui nec scientia pollent, & eloquentiam abominantur, alioqui frustra, & invitis Musis eam sectaturi. Primum, quot locis Hieronymus affirmat, Paulum id non serio prorsus affirmare, sed ceu donando eis dixisse. Et ut unum ex multis locum *Hieronymi* afferam, adversus Jovianum: „Quid ais, inquit, „apostole? Non tibi credo dicenti: Etsi imperitus „sermone, non tamen scientia. Quomodo illud „de humilitate descendit, quia non sum dignus vo„cari apostolus, & mihi minimo omnium Apostolorum, & tanquam abortivo, sic & hoc humilitatis „dictum puto: Nosti sermonum proprietates. „Quamobrem & de Epimenide, & de Menandro, „& de Arato quædam sumis testimonia. Deinde ut maxime serio dixerit hoc Paulus, non sentit de eloquentia vera, ac germana, sed de πολυλαλίᾳ quadam futili, qua se multi tum venditabant, aucupia & lenocinia tantum verborum admirantes. *Pauli* vero (quod quidem negari non potest, nisi ab impudentissimo) *eloquentia est virilis, cordata, masculа.* Ut ardent omnia, ut spirant divini pectoris flammæ, ut vi quadam hominem extra hominem rapit, ut veteri exuto, novum induat.

Paulus eloquens fuisse ostenditur.

Agite dicant, qui Paulo eloquentiam non tribuunt, quidnam erat in causa ut Damasci, recens ad Christum conversus, Judæos confunderet, ora obturaret, prædicans, annunciansq; Christum, ut contra nec hiscere possent. Miracula nondum edebat, id quod ex Actorum historia liquet, & Chrysostomus insuper affirmat. Jam Athenis, quanta putatis vi cum philosophis differebat, ut inclytum Dionysium Christo assereret? Quid Eutichus ille adolescens, qua occasione decidit à fenestra factus exanimis? an non propterea, quod in multam noctem Paulus eloquentissimam dissertationem protraheret? Lycaones qua gratia Paulum putaverunt esse Mercurium, cum una adesset Barnabas, & ipse Apostolus, & ipse linguis loquens, & ipse miraculis pollens? utrumque crediderunt esse Deum, sed cur Paulum potius Mercurium? nimirum ob insignem eloquentiam: *Quia*, inquit scriptura, *dux erat verbi.* Neque enim continuo Mercurium credidissent, qui utcunque differuisset, verum qui supra humanum modum omnium animos commovebat, hunc demum putaverunt facundum (ut Flaccus ait) nepotem Athlantis. Ephesi, Corinthi, Romæ, an laturi fuissent, an audituri fuissent elinguem & verborum ineptam barbariem evomentem? *An biennium ei operam dedissent, si tam ineleganter dixisset, quam nunc plerique, ut neminem tædio non enecent?* An balbutientem audituri erant viri Græci, eloquentiæ potissimum gloria conspicui? An non continuo prima quoque periodo explosissent, vel citius etiam, quam Platonem Athenienses pro Socratis capite dicere incipientem? præcipue cum res afferret ille incredibiles, ut videbantur, res ab omni humano ingenio alienas, res omnium seculorum consensu damnatas, atque eas in speciem humiles? Vel ad nos veniat, qui latine velit orare, balbus, elinguis, infans, & dicat sane res dignissimas, communi sensui consentaneas, quis est auditurus, nisi qui proverbio locum faciat: *Balbi balbos rectius intelligunt? Pudeat jure eos, qui eloquentiam damnant, oderunt, atque detestantur*, cum Paulum constet tanta valuisse, ut Hieronymus eam inprimis prædicet, Augustinus rhetorum schemata in eo & prophetis annotet, Chrysostomus summis efferat laudibus. Et unus ut afferatur pro multis, quique unus sit instar multorum, *Hieronymus* adversus Jovianum: „Paulum, inquit, apostolum proferam, quem quoties„cunque lego, videor mihi, non verba audire, sed „tonitrua: videntur quidem verba simplicia & „quali innocentis hominis ac rustici, & qui nec „facere, nec declinare noverit insidias, sed quocun„que respexeris, fulmina sunt, hæret in causa, capit „omne quod tetigerit, tergum vertit ut superet, fu„gam simulat ut occidat.

Verum: Paulo *eloquentia* divinitus fuit influxa: Non inficior, sed an eo minus nos sectabimur humanam, quod Paulo feliciter contigerit divina? cujus nobis non est spes magna consequendæ? Divina an humana fuerit, quid refert? certe eloquentia fuit. Et linguarum donum Apostoli consecuti sunt divinitus, largitore Spiritu sancto: Ergone nos linguas non discemus? Si divinitus non donetur earum cognitio. *Cur* itaque *quidam annos plus decem minus semilinguæ didicere miserandam balbutiem? Non est satis doctori Ecclesiastico, ut doceat, etiam delectet necesse est, ut audire ne tædeat, etiam flectat necesse est, ut quæ didicerint auditores, opere exequantur. Alioqui quid refert didicisse, si operis nullus sequatur fructus?* Nonne videmus, eadem si dicantur æque docta, æque salubria, tamen hunc audiet populus illum non audiet, *non quod diversa sit res, sed quod aliter proponatur?* Plebecula quoque in concionibus popularibus eloquentiam suscipit, & à dicentis ore pendere affectat, tam est grata res, tam popularis eloquentia. *Sermo vester*, inquit Paulus, *semper in gratia sale sit conditus.* Quidnam optime Paule? si sapientiæ sal esset (nam de illo opinor tu sentis) an ulla præterea opus est gratia? Ita vero *opus est*, inquit, *ut placeas, ut gratus sis, ut in hominum animos irrepas, eosque tibi concilies: alioqui sine fructu dicturus.* Proinde licet videre & eos qui ab omni seu eloquentia, seu elegantia tam sunt alieni, quam Pan ille rustlicus ab Apollinis cithara: hos, inquam, videmus miro studio conari, ut orationi suæ decus aliquod affingant. Ergo *duo sunt, res, & elocutio.* Dionysius Areopagita gratias agit Deo, *quod de divinis bene sentiat, quodque verbis convenientibus ea possit effari.* Primum quidem est, *recte sapere:* proximum, *bene ac eleganter dicere.* Quid enim prodest, fontem si domi habeas, & desint canales, per quos aqua derivetur; aut canales ita sordeant, ut aquam nemo non abominetur? „Tune mihi cibum vel delica„tissimum apponis, lancibus oleto infectis? Tune „mihi vinum vel aromaticum misces, pateris muco „oblitis? Equidem vel frigidam malo meapte haurire manu. Tu mihi rosam porrigis, cœno oblitam? Quis non abominetur puellam ducere uxorem, *cui male oleat anima?* Quem maritum admittat puella non ignobilis, neque plane rustica, *cui*

Libro de dignitate sacerdot.

Eloquentia fuse laudatur.

poly-

polypus ſit in naribus? Ea eſt *humanæ naturæ conditio, mundiciam amat, ſordes averſatur.* Et *rebus omnibus cum ſua ſit mundicia, an nulla erit orationi?* An in ceteris omnibus ſordes deteſtamur; in oratione etiam amamus, amplectimur, exoſculamur, defendimus? Quæ Pallas iſtuc docuit? quo Apolline magiſtro ceu de tripode didicimus? Qui fit, ut unius ſermonis ſordes amaricinum oleant, fex ut meræ deliciæ eſſe videantur? Aut quæ iſta eſt *in hominibus ſuum natura, ut cæno delectentur mundiciam oderint*, cane pejus & angue? Quis (malum) genius pectori humano tam præpoſterum inſevit judicium, tam à ſe alienavit? In ſacris veſtibus candorem amamus? Sacræ patinæ, calices, lintea niſi ſplendeant, quis non exclamet, facinus indignum, tune ſordidis ſacrum perages, ſcelus? Amiculum ſi excipias, jubes illico verri omnia, purgari, & cum tota araneam deſcendere tela. „Quæ illa „eſt, in literis malignitas, ut hic duntaxat olida „placeant? Quis unquam iſto laudatus eſt nomine, quod ſorderet, immundúsque foret?

Atqui obeſt ſæpe numero eloquentia, & ad noxia pertrahit, dum vel nequitiam, vel errorem ſuaviter in hominum animos infigit, dum gladium ingerit melle litum, dum molles amores conciliat, dum juſtitiam armis juſtitiæ pervertit: breviter dum candida denigrat, & nigra loquendo dealbat.

Non continuo mala habenda, quæ aliqua occaſione nocent.

Verum eſt, hoc aliquoties evenire. Verum, cedo, quisquis hoc affers, vis omnia tolli de medio, *quæ aliqua occaſione abutentium vitio nocent?* Vis gladios non cudi, quod non raro in fraterna viſcera ſtringantur? vis ignem non eſſe, quod pagos ac oppida ſæpe pervadat incendium? Vis mare non eſſe, quod nullo non anno tot homines ſepeliat? Ne homines quidem eſſe fines. Nam unde plus homini quam ab homine mali? Siquidem lupus eſt homo homini. Ec-

Proverbium.

quænam eſt vel optimarum rerum, qua non ſæpe adeo contingat vehementer abuti? vel ad gloriam, vel ad invidiam, vel ad oppreſſionem? Quid amabilius, quid jucundius, quam liberos habere, lætiſſima indole parentum imagines referentes poſſeſſionum & morum hæredes? verum hinc quam cotidie, quanta malorum ilias & ſeges. Si ſint ſcelerati, ſi decoctores, ſi improbi, ut angunt parentum animos, ut conficiunt! Et parentibus rurſum, quid non debent liberi? procreationem, educationem, divitias, & quæcunque dicuntur hominibus eſſe bona? At ii quam paſſim moroſi ſunt, anxii, difficiles, tenaces, obſtreperi, ut non raro præſtet ubivis gentium, quam cum eis ætatem agere. Vides ergo, bone vir, *non continuo res eſſe malas, neque damnandas, quibus quorundam vitio contingit male abuti, quas contingit caſu eſſe perniciosas?* Non ſecus *eloquentia* cum ſit bona, ſit utilis, ſit neceſſaria, an una ipſa futura eſt communis omnium rerum ſortis expers, ut ſemper proſit, obſit nunquam? Quis ita deſipiat, ut hoc ſapiat? Bono rege quid queat eſſe ſalutarius? ſed interim fit, ut a tyranno populus omnibus modis prematur. *Scriptura ſacra* an quicquam datum eſt hominibus a Deo præclarius? Atqui ea quam multi ad adulationem abutuntur, ad vitiorum ſuorum velamen & prætextum, ad excuſandas excuſationes in peccatis, ut laudetur peccator in deſideriis animæ ſuæ & iniquus ut benedicatur? *Legum optimarum præſtantia*, quæ non laus eſt inferior? & harum tamen iniqua interpretatione quam multi inſontes indigne opprimuntur, dum vel iniqua fertur ſententia, legum fuco æquitatem mentita, vel æqua procraſtinatur? *Medicinæ peritia* quam eſt ab omnibus laudata, quam eſt omnibus ſalutaris: Siquidem nemo non medici ſæpe levatur ope. Et unde, quæſo, verba illa? Turba medicorum perii. Et quod ait Plinius: Noſtris periculis diſcunt, & per experimenta mortes agunt. *Liberalium artium ſtudium*, ut non eſt primum, ita ſine eo maxima conſtare non poſſunt. At, o Charites, *quanta ſophiſmatum plauſtra huic ſunt invecta, quæ mugæ, quæ quisquiliæ, quæ ſordes extremæ latrinæ, quæ barbaries, quæ deliramenta, ac Siculæ gerræ, imo vero quæ inſaniæ, ac mentium a communi ſenſu alienationes?* Ergone *dialectica* non eſt bona, non eſt utilis adoleſcentibus, quod *ejus campos nimis infelix lolium & ſteriles invaſerunt avenæ?* Negas? Cur non idem eſt de *eloquentiæ* judicium? *Grammatica* poſtremo omnium maxime neceſſaria, quas clades, quas calamitates ſeculis abhinc aliquot eſt paſſa, *quæ barbaries, quam olida, quam inſulſa pervaſit?* Quidnam igitur, an cani quoque, quo jure, quaque injuria, eliminandam cenſemus, quod *a quibusdam* fuerit *mire contaminata?* Quid an priorem revocandam cenſemus, quæ *Garlandinis, Ebrardis, Græciſtis* turgebat? cujus vel ſola commemoratio ſtomachum moveat, ac nauſeam citet? Nonne annis abhinc non ita multis, illi ſua regna regnabant, ut ab eis omnia peterentur, ſeu ſacra, ſeu prophana? At nunc, qui poteſt, vel reliquias eorum oſtendat.

Verum agite, an minus ſapiunt *theologi*, ac *juriſconſulti*, aut *medici*, quod *illorum ducum* præſidio deſtituti, *melioribus literis* ſint *inſtituti?* imo vero, quod negari non poteſt, tanto ſapiunt verius, & pede inoffenſiori per omne genus autorum obambulant. Alioqui *quis intelligere poſſit, veteres autores, qui bonarum ſit literarum præſidio deſtitutus?* ut enim quisque eorum eſt doctiſſimus, ita eſt & eloquentiſſimus, & omnibus Ægyptiorum opibus ditatus, Eccleſiam Dei locupletavit tum auro ſapientiæ tum eloquentiæ argento. Et adeo non damnaverunt, ut & vehementer probarint, & ad eam omnes ſint adhortati, ceu claſſicum canentes.

Quorum antiſtes divus *Hieronymus*, quid attinet loca afferre, in quibus *eloquentiam, literas bonas, linguarum peritiam* laudibus vehit? quando idem nusquam non facit, & ſi non faceret, tamen luculentiſſima, eloquentiſſimaque ejus opera, quanti fecerit eloquentiam, evidentiſſime teſtantur. Niſi forte parum probaſſe videri poteſt, in quo per omnem usque vitam ſtudioſiſſime verſatus fuit. Jam ad Paulinum ſcribens, quantopere in eo eloquentiam laudat, atque eam Tullianam? Eandem laudat *in Auguſtino, in Hilario*, in divo denique *Paulo*, plusquam eximie. In Joviniano, quam acriter barbariem taxat, & ſermonis confuſionem? In Apologia adverſus Ruffinum, quantopere ſermonis vitiis offenditur? cujus reliquis in rebus prudentiam ex dicendi ineptia vult æſtimari.

Hieronymus quantopere eloquentiam probarit.

Stul-

„Stultitiam, inquit, mihi objicere non potest, quem „disertissimum & eloquentissimum in suis literis „prædicavit. Alioqui stulta verbositas, fabulæ „potius & garruli hominis, quam eloquentis pu„tanda est.

Augustinus quam prædicet eloquentiam.

Porro *Augustinus*, nonne multis in locis haudquaquam frigide prædicat eloquentiam? ut *quarto libro de doctrina Christiana:* „Cum, inquit, per artem „rhetoricam, & vera suadean„tur & falsa, quis audeat dicere, adversus menda„cium in defensoribus suis inermen consistere veri„tatem? Et alio loco. „Oportet Ec„clesiasticum quando suadet aliquid „quod agendum est, non solum docere, ut instruat, „& delectare ut teneat, verum etiam flectere ut vin„cat. Et aliis locis plurimis. Idem exemplo ostendit, quanta eloquentiæ ubertate divus *Cyprianus* pollebat, si uti voluisset. Et de scriptura sacra. „Possem quidem, inquit, „si vacaret, omnes virtutes & ornamenta eloquen„tiæ ostendere in literis sacris. Illud magis admiror & stupeo, „quod ista nostra eloquentia ita usi „sunt per alteram quandam suam „eloquentiam, ut nec eis deesset, nec in eis emine„ret, quia eam nec improbari ab illis, nec ostentari „oportebat. Et paulo superius: „Hic aliquis for„sitan quærit, utrum autores nostri, quorum scripta „divinitus inspirata canonem nobis saluberrima au„toritate fecerunt, sapientes tantummodo ac elo„quentes etiam nuncupandi sunt? Quæ quidem „quæstio apud meipsum facillime solvitur. Nam „ubi eos intelligo non solum nihil eis sapientius, „verum etiam nihil eloquentius mihi videri „potest.

Lib. IV. de doctrin. Christ. cap. 10. ibidem 13.

ibidem cap. 14.

ibidem cap. 6.

Omnia ornamenta eloquentia sunt in literis sacris.

Sed quorsum hæc tam multa *de eloquentia?* Primum, ut summorum virorum autoritate ostendam, nihil minus verum esse, quam quod „quidam „parum prudenter opinantur, absurdum fore, & „alienum, si theologiæ studiosus literas bonas, ora„tionis mundiciem, atque adeo eloquentiam am„plectatur. Deinde ut omnes, qui, liberalius educati, elegantiorum literarum studio capiuntur, (quod hoc felicissimo seculo, mirum quàm floreat) ut ii inquam, *tanto avidius literas sacras discant*, cum in eis quem amant dicendi ornatum, intellexerint non solum non deesse sed eminere etiam; atque adeo *in Paulo* præcipue.

Quod cum ita prorsus habeat, ut nisi ab impudentissimo negari non possit, quidnam obsecro nobis in mentem venit, ut hoc omisso, totam ætatem in aliis studiis conteramus, in illis consenescamus, immoriamur. Omnia legimus, omnia lustramus, omnia excutimus, tot grammaticos, tot historicos, tot rhetores, tot poëtas, tot philosophos, adde etiam tot *scholasticos (ut vocant) doctores*, tam multis ac variis pectus occupamus, & Paulum ceu negligimus, quasi vero non facturi precium operæ, si illi menses aliquot impendamus. Qui *Scotistæ* sunt, gloriantur Scoto, qui *Thomistæ*, Thoma: *cur non gloriamur potius esse Paulini?* Omnia studia priora ducimus, priora & discimus, antequam ad præcipua veniamus. At-

Scripturam sacram ut primum ac præcipue legamus.

qui *Quintilianus* gravis autor, vult *optima primum esse percipienda.* Idem vult gravior autor *Augustinus*, nempe ut *sacra scriptura prima sit, ne alienæ opiniones imbecillem occupent animum:* Id quod nostra tempestate non raro videmus evenire.

Libro XX. de doct. christ. cap. 8.

Itane diem ducimus ex die, nec vacat aliquando facere, quod & primum & semper erat faciendum: *Omnia legimus, & omittimus, propter quod semel erant relinquenda omnia.* Quid retinet nos, quid moratur? quam diu cum Augustino nondum converso dicemus, *verba lenta & sommolenta: Modo legam Evangelia,* modo Paulinas Epistolas evolvam, jam prophetas inspiciam, *ubi Scotum absolverim, ubi Thomam universum imbiberim:* Sed, *modò & modò nullum habent modum.* Ergone male sani quicquam ducimus prius aut antiquius Evangeliis & Apostolorum scriptis? negamus? At facto ostendimus, si quid prius discimus, si quid attentius, si quid majori cura.

Lib. VIII. Confess. cap. 5.

Jam quid dicam de iis, qui *optimæ ætatis florem*, qui *nobilissimos* adolescentiæ *annos*, quibus quid est fugacius? *Siculis gerris terunt? Soli dialecticæ*, & (ô utinam foret dialectica & non vilior alga Sophistica) huic ergo soli, nomine quidem dialecticæ, „re ipsa cavillatrici sophi„sticæ, vix major pars vitæ apud multos satis esse „videtur, atque ea sanè melior. In hac nisi Chry„sippum longe superemus intervallo, & ceu albis equis præcurramus, *nihil nobis actum esse videtur*, nisi omnes omnium chartas evolvamus, hoc est, *nisi solido decennio, infelicissime, ac sine ullo fructu nugemur.* Neque desunt complures, quibus *unum decennium non est satis*, quorum equidem vicem (teste Deo) doleo, „qui rem preciosissimam, nem„pe annos florentissimæ ætatis tam stulte perdant. „Nec perdidisse satis est, nisi & aliis autores sint, ut „& ipsi perdant. Quibus interea minori studio, majorique oblectatione, tantum licuisset consequi veræ literarum sacrarum eruditionis: quantum haud scio, an unquam postea. „Adeo potior est, „fructuosior, & fertilior, prima illa ætas, nondum „rerum curis immersa.

In Sophisticen.

„Cur omnem ætatem quæstiunculis de lana ca„prina, & ipsam asini umbram superantibus perdi„mus? Cur Sophisticarum captionum nullus est, „neque modus, neque finis, sed perpetua quædam „argutandi, plicandi, & replicandi libido, & titillantis quidem, sed heu nimio constitutæ vanitatis, inanis oblectatio?

Itane juvat imperitissimas scientias & (quod ait Augustinus) *fatuissimam sapientiam sectari.*

Utilis est dialecticam? Bona verba quæso; *nequaquam damno*, „quam à Cicerone, quam ab Hieronymo, ab Augustino laudatam scio, qua & Apostoli, & Christus ipse usus est. *Bona est, utilis est*, adde etiam *necessaria est sincera dialectica*, quis neget? *Ergone illi soli vitam omnem dicabo, illi insenescam, illi immoriar? Quædam didicisse oportet* (inquit Seneca) *non discere.* Non damno dialecticam, sed *nolim illam in studiis utramque paginam facere solam*, quanto minus *vilissimam illam, ineptissimamque abecedariam Sophisticen, qua nihil est conspurcatius, nihil æque despuendum, nihil præclaris ingeniis*

niis indignius, addo etiam *nihil rectis studiis perniciosius*, propterea quod (teste Seneca) dulcedinem sui quandam faciat, & *juveniles animos irretiat*, stringat, moretur, *vanissimis naeniis, deliciis, vaframentis, captiunculis, bullatis cavillis.* Et quibus tandem verbis *hujusce rei mugamenta*, uti dignum est, explicem?

Adducerem sane *ociosas* aliquot *sophistarum tricas*, & ejusmodi adducerem, quas nemo non continuo rideret. At mihi non videtur jocandi, ridendive occasio, si consideremus, *quantam malorum Iliadem ridicula ista & jocularia bene natis ingeniis afferant, attulerintque aliquot jam seculis.* Optima quæque dies miseris mortalibus ævi. *Prima non labitur, sed fugit pernicibus alis, & tibi vacat mugari?* Nec *rationem* arbitraris ullam *Deo esse reddendam tam inaniter impensi temporis.* At ego sane puto vel maximam a Deo exigendam.

Tu nihil hic vides mali: At *Augustinus* vidit:

Lib. XX. de doct. Christ. cap. 31.

„Proposuit, inquit, quidam; quod ego „sum, tu non es. Et ille consensit. „Verum enim erat ex parte, vel eo „ipso, quod iste insidiosus ille simplex erat. Tunc „addidit: Ego autem homo sum: Quo admisso, „concluſit: tu igitur non es homo. Quod genus captiosarum conclusionum scriptura (quantum existimo) detestatur illo loco, ubi dictum est: *Qui Sophistice loquitur, odibilis est.* Quod scriptura tanto autore teste detestatur, *illi tu meliores annos impendis?* Porro Seneca sanctissimus Philosophorum, atque inter Ethnicos multo dignissimus Christiani hominis lectione, quam *ubique taxat, contemnit, irridet insanas istas cavillorum meditationes!* Ut in epistola quadam falsissime: „Mus „Syllaba est, mus autem caseum rodit, ergo Sylla„ba caseum rodit. Puta, inquit, me istud non pos„se solvere, quod mihi ex isto periculum immi„net, quod incommodum? sine dubio verendum „est, ne quando in musculpula syllabas capiam, aut „ne quando, si negligentior fuero, caseum liber „comedat. Nisi forte acutior est illa collectio: „Mus syllaba est, syllaba autem caseum non ro„dit, mus ergo caseum non rodit. O pueri„les ineptias in hoc supercilia subduximus, in „hoc barbam demisimus, hoc est, quod tristes „docemus & pallidi? Quid mihi lusoria ista pro„ponis? non est jocandi locus. Captiones istæ „(quo enim nomine potius sophismata appellem?) „Nec ignoranti nocent, nec scientem juvant. Et aliis locis compluribus in hæc acuminum portenta plenis velis invehitur.

Quod si has *tam simplices captiones* duo viri clarissimi (ut interim alios omittamus) tantopere damnant, quid censendum sit de *perplexissimis spinosissimisque & inexplicabilibus involucris, ac meris insaniis?* ad quas Chrysippus ille ne my quidem, *quibus Sophistæ quidam ad ambas usque aures immersi, adolescentes quoque in easdem feces torto collo pertrahunt?* Quod si quis forte captiosior sodalem suum paria sectantem *mugamenta*, ita *vepribus istis* irretiverit, ut exitum nullum inveniat, o quam triumphale id est, quanta gloria! non minor profecto, quam si Gallias devicerit.

In frivolas quorundam scriptorum quæstiunculas.

Jam vero, amissa *Sophistice*, quam multæ *mediâ in theologia* tractantur, inculcanturque *stultæ & sine ulla disciplina quæstiones*, quas Paulus tantopere præcipit vitari, propterea quod *lites generant.* „Si quis, in- 1. Tim. 6.
„quit, aliter docet, & non acquiescit sanis sermo„nibus Domini nostri Jesu Christi, & ei, quæ se„cundum pietatem est doctrinæ, superbus est nihil „sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas „verborum. Ecce nihil scire dicit eum, qui literas sacras non tenet. Eundem *languere* dicit *circa quæstiones*, hoc est, *frigide, insulse, torpide, alias super alias quæstiunculas inculcare, & nihil habere vividum, nihil efficax ad convertendum animas.* Hæc divi Pauli, & alia in eandem sententiam plurima legens, vehementer *demirari soleo, qua fronte quidam miseras vexantes chartas, tam multa deliria, prophana, inepta, stulta, anilia, vaniloqua, sacræ theologiæ invexerint*, quæ tam accurate Paulus vetuerit, præsertim, cum plurima sint ejusmodi, ut magno labore *nihil aliud assequare quam ut discas, sciri non posse:* de quibus Augustinus, „nemo, inquit, ex me „scire quærat, quod me nescire scio, „nisi forte ne scire discat, quod scire non posse „sciendum est. Quædam enim nesciendo sciun„tur, & doctius nesciuntur, quam „sciuntur. Et ut sentiamus de cujusmodi quæstionibus loquatur, unam afferam ex *duodecimo libro de civitate Dei.* „Si respondero, inquit, eis qui „quærunt, quomodo Deus semper fuerit Dominus, „cum creatura serviens ei non semper fuerit? Ec„ce illa est quæstio. Sed quid respondet? Vereor, „inquit, ne facilius videar affirmare, quod nescio, „quam docere, quod scio, ut qui hæc legunt, vide„ant à quibus quæstionum periculis debeant tem„perare, nec ad omnia idoneos se arbitrentur, po„tiusque intelligant, quam sit Apostolo obtempe„randum præcipienti salubriter, ubi ait: Rom. 15.
„Dico autem per gratiam Dei, quæ data est mihi, „omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere, „quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. „Hoc exemplum si declaret, quæ sint quæstionum „pericula, nemo opinor nostrum non facile per„pendat, quam multa interim irrepserint, non peri„cula, sed naufragia quæstionum.

Cujusmodi quæstiones Augustinus censeat esse vitandas.

Idem c. 15.

Idem pulchre prosequitur *Chrysostomus* ille, non ore tantum aureus, homilia secunda in Epistolam ad Hebræos. Sed supersedeo. Ex quibus colligere possumus, „quam perperam, quanto cum „dispendio sua studia instituant, qui optimas ho„ras nugacissimis blateramentis terunt, semper di„scentes, & nunquam ad scientiam veritatis per„venientes, qui non acquiescunt Christi sermonibus, sed suis inventiunculis, „suo ingenio, assidua „opinionum scabie prurienti, cuncta definientes, ac propemodum jurantes, quicquid ipsi ulla evasione, ullis technis ac strophis, ullo fuco ac fumo à contradictione (ut ipsi loquuntur) tueri possunt. „Unde quantum sit exortum mali, quam pestifera „invaserint dogmata, non est explicandi tempus. Hoc, inquiunt, peccatum est, hoc mortale est, illud leve, hoc gravissimum, illud inexplicabile: *Hominum traditiones nihil aliud afferentes.* Quod si quis contra mussel, ô Deus,

Ut ex Scriptura definiamus & non ex hominum traditionibus.

quanta verborum pugna, quæ digladiatio, quæ bella! Sed cur non in omnibus ſcripturam ſacram conſulunt, atque ad illius gnomonem ac regulam Eſaiæ 30. definiunt? „Væ (inquit Dominus) filii „deſertores, ut faceretis conſilium, & non ex me, „& ordiremini telam & non per Spiritum meum, „qui ambulatis, ut deſcendatis in Ægyptum, & os „domini non interrogaſtis. Non interrogant os Domini, qui è ſuo capite pronunciant, ſed qui ſcripturæ oraculum afferunt, in qua etiam num os domini loquitur, docet, arguit, increpat, hortatur, conſolatur. Atque hoc vult interrogari dominus. Quod quidem eleganter, ut alia, *Auguſtinus* contra Donatiſtas affirmat. „Non afferamus, inquit, ſta„theras doloſas, ubi appendamus, quod volumus „pro arbitrio noſtro, dicentes; hoc grave ſcelus „eſt, hoc leve, ſed afferamus divinam ſtatheram, de „ſcripturis ſanctis, & tanquam de theſauris divinis, „& illa quod ſit gravius, appendamus, imo non „appendamus; ſed à domino appenſa recognoſca„mus. Et primo confeſſionum: Optimus mini„ſter tuus eſt, domine, qui non magis intuetur hoc „à te audire, quod ipſe voluerit, ſed potius hoc vel„le, quod à te audierit. Et Hieronymus in commentariis in Epiſtolam ad Epheſios: „Omni ſtu„dio legendæ nobis ſcripturæ ſunt, & in lege domi„ni meditandum die ac nocte, ut probati trapezytæ „ſciamus, quis nummus probus ſit, quis adulte„rinus.

Hæc eò pertinent, ut ex ſcripturæ ditiſſimo penu requiramus, quid præceptum ſit, & quid vetitum, illas legamus, illas cantemus, illas meditemur, ut, quod de ſe dicit *Hieronymus* ad Principiam: *ipſa ſcriptura meditatione diuturna in naturam vertatur.* Et præſtemus ſaltem viri, ſaltem ſtudiis mancipati, ſaltem theologi, quod de virginibus à Paula ſua congregatis idem ſcribit *Hieronymus* ad Euſtochium. *Non licebat*, inquit, *cuiquam ſororum ignorare pſalmos, & non de ſcripturis ſanctis cotidie aliquid diſcere.*

Quo in loco miror quid dicturi ſint, qui *putant, nefas eſſe, ut mulieres ullæ ſcripturam attingant*, cum Hieronymi ſeculo tot fuerint *fœminæ multis theologis eruditiores.*

Proinde vobis conſulo, quotquot præclaro eſtis ingenio adoleſcentes, atque adeo conſulo, ut vehementer adhorter, ut orem ac per omnia vobis chara, per omnia amica obteſter, „ut quam primum „omnibus ſepoſitis ad ipſos ſcripturæ ſacræ fontes „advoletis, ut puriſſimas divinorum eloquiorum a„quas bibatis, amiſſis Sophiſticis nugis, in quibus „nihil eſt bonæ rei, nihil eruditionis, nihil quod vel „cerdo amet. Hoc ſi perſuaſero vobis, optimi adoleſcentes, videbor mihi non parum bene meritus, cum de vobis, tum de literis ſacris, deque republica Chriſtiana. De vobis, quibus autor fuero, *ne poſthac* rem omnium precioſiſſimam, parciſſimeque impendendam, nempe *tempus, ocioſis mugamentis, tam miſere perdatis, cujus ſemel perditi jactura nunquam poteſt reſarciri.* De literis vero ſacris, quod *non ita indigne ſophiſticis nugis contaminabuntur, uti aliquot jam ſeculis factum fuiſſe videmus.* De republica poſtremo Chriſtiana, cui multo plures hac via contingent viri docti, atque *ex Dei lege, non hominum ſomniis ſalubriter populo Dei conſulturi.*

Credite mihi, quæſo, adoleſcentes, credite, hoc vel maxime in rem veſtram eſſe, ſi non credideritis nunc amiciſſimi admoniti, „olim credetis, ſed „cum ſerum erit, & ſic credetis, ut ſitis & deplo„raturi. Neque hic aliorum exemplo abducamini neque dixeritis, „iſte ſtudiorum Sophiſticorum „curſus apud multos receptus eſt, quid mirum, nos ſi faciamus, „quod majores natu, quod pruden„tiores fecere? Inter cauſas malorum (inquit Seneca) eſt, quod vivimus ad exempla, nec ratione „componimur, ſed ſimilitudine abducimur. Quod ſi pauci facerent, nollemus imitari, cum plures facere cœperunt, quaſi honeſtius ſit, quia frequentius, ſequimur: *& recti apud nos locum tenet error, ſi publicus factus eſt.* Quid aliorum exemplo imitandum ratiocinamini, quod *feciſſe ſe doctiſſimos quosque ſcio deplorare?* An mavultis *errantium* prius *errorem imitari*, quam nunc ætate plus ſapientium pœnitentiam? Ergo omnibus nobis perſuaſum ſit, ſi ulla incantatione moveri poſſimus, nullum fore Deo gratius ſacrificium, ne ſi oremus quidem totos dies, quam ſi, ſecundum Evangelia, *epiſtolis* diviniſſimi „Pauli legendis, ediſcendis, „retinendis, prædicandis, ſemper in pectore, ſem„per in ore geſtandis, gnavam demus operam. Gloriantur ſui quique doctoris titulo: verum hic *doctor* gentium eſt in fide & veritate, vere *irrefragabilis*, cujus eſt Evangelium non ab homine neque per hominem, ſed per revelationem Jeſu Chriſti: Hic eſt *doctor* plusquam *angelicus*, qui ipſis etiam angelis anathema minatur, ſi ſecus atque ipſe Evangelium annunciaverint. Hic eſt *doctor* vere *ſubtilis*, qui in captivitatem redigit omnem intellectum in obſequium fidei. Hic eſt *doctor* vere *Seraphicus*, qui in Paradiſum raptus, audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Hic vere *melliſluus* eſt *doctor*, qui ita ſuavis eſt, amabilis & benignus, ut omnibus per omnia placeat. Hic vere *glorioſus* eſt *doctor Eccleſiæ*, cujus tanta eſt gloria, ut ei mori ſit ſatius, quam ut gloriam ſuam quis evacuet. Hic vere *magiſter* eſt *ſententiarum*, qui ſapientiam loquitur inter perfectos, non quidem ſapientiam hujus ſeculi, nec principum hujus ſeculi, ſed Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt. Quicquid *cæteri doctores* ſigillatim habent dotis, hoc omne in Paulo multo cumulatius invenias, ut pene nefas ſit, ullam inter eos comparationem admittere. At hoc non ſentiunt, *qui perpetuis quæſtionum inutilium labyrinthis ſeſe involvunt.*

Paulus omnibus præfertur doctoribus.

Cæterum auſim pio ac ſtudioſo *epiſtolarum Pauli* lectori hoc unum polliceri, nihil eum quicquam tam admirandum, tam vehemens, tam eruditum, pium, ſuave, in quocunque codice (Evangelia par eſt excipere) deprehendiſſe, quod non multo copioſius inveniet in paucis his *epiſtolis Paulinis*, ſi modo iterum atque iterum legat; ſi excutiat, ſi rimetur. Altera lectio ſemper gratior erit priore, atque altius in pectus inſidet. Adhuc torpemus? nondum accendimur, nec properamus ut experiamur ſaltem, num vera ſint, quæ tam eximia omnes Chriſtianæ eruditionis antiſtites de Paulo prædicant? Summa eſt: *Ille ſe plurimum profeciſſe gaudeat, cui Paulus valde placebit*, cui gratus, jucundus, melle ſuavior erit. Rurſus dico, quod altiſſime velim in intimos pectorum veſtrorum receſſus

receſſus inſidat: Ille ſe plurimum profeciſſe gaudeat, cui Paulus magnus ille, minimus apoſtolorum Paulus valde placebit. Nam quid utilius, quid item jucundius, quam cœleſtes illas, quas totus inculcat, divitias meditari, illis invigilare, illis indormiſcere, in illis ociari, in illis negociari, in illis eſſe totum? Quid amabilius, quid expetibilius, quam in Paulo ardores illos, illos ignes, illas flammas charitatis legere, in pectora noſtra penetraturas, a qua Chriſti charitate nihil eum ſeparare potuit; quicquid intentabatur mali? Certus ſum, inquit, quia neque mors neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu domino noſtro. O vere nobile pectus, in quo omnibus præſtantior rebus, divina charitas ita æſtuabat, ita ardebat, ita regnum poſſidebat; Quid dicam de amore in proximos Chriſtianos? Qui eum quinquies flagellaverant, qui catenis oneraverant, qui vinculis conſtrinxerant, qui cruorem anheli ſitiebant, illos quam accurate excuſat? Teſtimonium inquiens perhibeo illis, quoniam æmulationem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Pro illis erat. Fratres, inquit, voluntas quidem cordis mei & obſecratio ad Deum fit pro illis in ſalutem. Pro illis optat anathema eſſe a Chriſto. Pro illorum ſalute eſurivit, ſitivit, nudus fuit, & quid mali non eſt paſſus, ut ſalvos faceret, ſaltem aliquot ex illis? Sic quod docuit, ipſe ſemper præſtitit, quo vel uno dignus foret fide.

Pauli charitas in Deum.

Pauli amor erga proximos.

Hunc ergo *his feriis æſtivis* quanta maxima poterimus diligentia, ac perſpicuitate *enarrabimus*. Quid aliud queam polliceri? Scio, me multis deſtitui, quæ ad hanc provinciam forent accommodatiſſima, nempe eloquentia, & *Græcæ linguæ peritia*, propterea quod Paulus procul dubio Græce ſcripſit *quam linguam utinam tam fortunatus fuiſſem, ut licuiſſet diſcere*. Cuperem non exiguam pecuniæ ſummam dependere, ſed *literæ marſupium non ſequuntur*, ut vero verius inquit Hieronymus.

Linguæ græcæ cognitio plurimum confert ad enarrationem novi Teſtamenti.

Neque enim *audiendos cenſeo* quosdam, *qui linguæ græcæ cognitionem perparum afferre momenti exiſtimant ad novi teſtamenti explicationem.* Nam hoc ſi habet, quid eſt quod *Hieronymus*, *Auguſtinus*, *Ambroſius*, totaque corona veterum eorundemque clariſſimorum autorum toties *hortantur*, *ut græca exemplaria & archetypa inſpiciamus*.

Et de *Hieronymo* quidem quod hoc ſenſerit, nemo dubitabit, qui decem modo paginas ex omnibus ejus clariſſimis operibus legerit. Nam ubi id *omnis eruditionis antiſtes* vel in epiſtolis, vel ſacrorum codicum præfationibus non inculcat, ſuadet, hortatur, & ipſe (quod majorem vim habet) facit.

Porro *Auguſtinus*, quam crebro, & quam non diſſimulanter idem affirmat. „Ut veterum in„quit, librorum fides de Hebræis voluminibus exa„minanda eſt, ita novorum veritas græci ſermonis „normam deſiderat. Et de civitate Dei, libro decimo quinto: „Ei linguæ potius credatur, un„de eſt in aliam per interpretes „facta translatio. Rurſus, de doctrina chriſtiana, libro ſecundo: „Et latinæ quidem lin- Cap. 11. „guæ homines, quos nunc inſtituendos, ſuſcepi„mus, etiam duabus aliis ad ſcripturarum divina„rum cognitionem opus habent linguis, Hebræa „ſcilicet & græca, ut ad exemplaria præcedentia re„curratur, ſi quando dubitationem attulerit lati„norum interpretum infinita varietas. Et alio loco ejusdem libri: „Libros autem novi te- Cap. 15. „ſtamenti ſi quid in latinis varietatibus titubat, Græ„cis cedere oportere, non dubium eſt.

Auguſtini ſententia de linguarum utilitate & codicibus ſacris emendandis cap. 13.

Et *Ambroſius*, de Spiritu Sancto, libro ſecundo: „Quod ſi quis, inquit, de Latinorum codi„cum varietate contendit, quorum aliquos perfidi „falſaverunt, Græcos inſpiciat codices. Cap. 6.

Horum autoritas virorum extra omnem ingeniorum aleam poſitorum, ſi cui levis eſt, ab eo haud ſcio, quid grave cenſeatur. Cæterum quoniam non deſunt, qui *neotericorum* magis *teſtimonio* moventur, ut eſt ſuus cuique ſenſus: adducamus & hujus farinæ teſtem neutiquam contemnendum. Is ſit doctiſſimus ſuo ſeculo pariter & vigilantiſſimus *Petrus Aliacenſis*, qui *hac de re libellum ſcripſit*, non impreſſum quidem illum, quod ſciam, ſed quem nactus ſum ex bibliotheca Monaſterii-Divi Martini Lovanii. In quo cum plurimum omnino tribuat vulgatæ editioni, re tamen ipſa coactus, tandem annectit: „Propter „exempla corruptionis, quæ in biblia inveniuntur „& alia multa hujusmodi, expediret exemplaria „ſacri Canonis examinari diligenter & corrigi. Ad „quam correctionem non ſunt omnes indifferen„ter admittendi, ſed ſolum theologi multum in „grammatica & linguis hebræa ac græca eruditi. „Quia enim multi in his minus periti, propria au„toritate corrigere præſumpſerunt, multi ſcanda„loſi errores & corruptiones ſecutæ ſunt. Et in „hoc, prout in pluribus aliis utiliter providendis, „multum negligenter ſe habet Romana Eccleſia & „habuit prioribus temporibus.

Cardinalis Cameracenſis ſententia de codicibus ſacris caſtigandis.

Eant nunc, qui dicunt Auguſtini Hieronymique ſeculo *oportuiſſe* latinos Codices ad Græcam veritatem caſtigari, *nunc non licere*, cum *Aliacenſis*, vir tantus, cui ipſi certe plurimum tribuunt, idem cenſeat *ſuo ſeculo fieri debuiſſe*, cum in hanc noſtram editionem fateatur errores, & depravationes irrepſiſſe. Quin & ipſe *exempla quædam depravationis adducit*, quæ licet videre in libello, quem citavi. Quo fit ut *diſtinctiuncula*, qua elabi volunt quidam, non faciat ſatis, *quod olim quidem caſtigare licuerit, nunc idem non liceat*. Nam quæ in noſtra ſunt editione, plurima Hieronymus reprehendit, quorum aliqua eximius vir *Jacobus Faber* annotavit, & *Auguſtinus* ac *Ambroſius* multo plura ſecus legunt. Quod ſi fateamur, (quod res eſt, neque negari poteſt, niſi ab Hieronymo, ac ſemel ab omnibus veteribus autoribus ſacris diſſentiamus,) ſi fateamur inquam *noſtram translationem paſſim eſſe vitiatam*, unde quæſo potius *caſtigetur*, quam *ex græcis codicibus à quibus ceu fontibus defluxit*.

Jacobus Faber.

Atqui inquiet aliquis mihi, tu non meminiſti, quid olim *in epiſtola* quadam eruditiſſimo Domino *Eraſmo Roterodamo* ſcripſeris, quam ſedulo niſus fueris alteram ſententiam

Eraſmus Roterodamus.

defensare? Memini probe, sed ne longos logos, neve me vertam huc aut illuc, paucis *recanto suffragium: Tum sic sentiebam, nunc nihil minus.* Nam qui potui aliter quam didiceram. Verum, simulatque *veteres theologos* accuratius denuo percurri, & ea item *legi, quæ doctissimi quique hujus tempestatis scripserunt*, præcipue *longe eruditissimus* Thomas Morus. *vir Thomas Morus, perpetuum suæ Britanniæ decus, in epistola* quadam *ad me sua, continuo mutavi sententiam* neque dubitem, quin mutaturus sit, quisquis non omnino bonarum literarum rudis proprie hanc rem vestigarit, *de qua libellum composui, quem Lovanii in schola publica theologiæ studiosis prælegi:* Et eram insuper in disputationibus, quas vocant Quotlibeticas, & eadem responsurus, id quod complures eruditi probe norunt, ac testari queant, ni *veritus* fuissem, *ne quorundam aures novitas offenderet, à me præsertim profecta homine* (ut ipsis visus sum) *novo.* Mirum est enim, ut *quidam ingenia ceu vina æstimant, potiora æstimantes, quæ antiquiora sunt.* Sperabam tum, ut videbar mihi, ceu è spelunca videre, sensum cæteros quoque idem sensuros, ubi propius animum ad hæc advertissent: Quemadmodum fit non raro, ut qui libros legit, non sentiat prius in eis hoc aut illud quam controversum fuerit. Sed quia rem video in diversum exiisse, visum est, *quid de hac re sentiam, quid lectione deprehenderim*, paucissimis *aperire*, quæ *latius in libello meo explicata*, aliquando Deo opitulante sum evulgaturus.

Libellus Dorpii de codicibus sacris castigandis.

Jam quod quidam ipsa coacti veritate probant, *ut latini codices ex Græcis castigentur*, at iidem *nolunt novam fieri translationem*, ne videlicet scripturæ vacillet autoritas, diversa si ferantur exemplaria. Quid quæso hic est periculi amplius, quam fuerit *Augustini tempestate*, qua ut ipse testatur, *tot erant interpretes, ut numerari nullo modo possent?* „ Ea „res, inquit, non impedivit intelligentiam, sed ad„juvit. Nam nonnullas obscuriores sententias „plurimum codicum sæpe manifestavit inspectio. Eod. lib. Et alibi: „ Plurimum hic quoque juvat c. 14. „interpretum numerositas, collatis co„dicibus inspecta atque discussa. Augustinus vir tantus plurimum conferre ait *translationum varietatem*, & nos fortiter contra vociferamur. Neque enim nunc minus utilis est futura, quam tum erat. Nam unde, aut qua causa? An non ut maxime tum erat opus codicibus emendatis, & nusquam discrepantibus, si fieri potuisset, cum esset cotidiè cum hæreticis conflictandum, eloquentia ac eruditione nequaquam vulgari præditis, ad hæc principum secularium præsidio munitis? Quid? quod *inter cæteras translationes nostra quoque tunc extabat*, vel hoc argumento, quod Hieronymus in ipsam suos scribit commentarios Epistolarum Pauli. Ea si omni ex parte absoluta est, cur non unam amplexati sunt viri docti, juxta ac sancti? At non videbant scilicet, quod nos Lyncei videmus? Cur *eam laudet Hieronymus tot locis arguere, corrigereque?* Cur *aliam sequitur Ambrosius, eamque longe diversam?* Cur *neoterici* toties *aliam citant interpretationem*, seu (ut ipsi dicunt) *literam*, atque inter hos præcipuus divus *Thomas*, an uno in loco hoc facit?

Varietas translationum prodest

Lib. XX. de doct. Christ. cap. II.

A vulgata editione fas est discrepare.

Neoterici sæpe aliam interpretationem citant. Thomas.

Nicolaus Lyra in veteri Testamento, quam *prope infinita loca convellit, atque ex Hebræorum codicibus immutat*, & quis clamat indignum facinus? Et *Hebraicam veritatem* nonne passim citant omnes in rebus admodum seriis? Nonne reverendissimus dominus *Cardinalis Dartusensis* ex capite vigesimo tertio Exodi Hebraicam veritatem citat? „Non declinabis post Rabbim ad ma„lum, & non respondebis in judicio post Rabbim „ad peccatum. Et quæstione quarta sententiam Alexandri Hales *ex Hebraica veritate* rejicit. Item quæstione octava quod nos legimus. *Absit domine, non erit tibi hoc*, indicat significantius legi *Græce, Propitius sis tibi domine*, atque ita sane vertit *D. Erasmus.*

N. Lyra.

Cardinalis Dartusiensis.

Porro *Psalterii* nonne *varias translationes* semper admisit Ecclesia Dei? Nonne *alia est, in quam scribit Augustinus, alia qua utimur vulgo*, & hæc ipsa nonne variat passim? Nonne *Patres Benedictini* legunt, *sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum*, & ita habet Hebraica veritas, sic septuaginta, sic Hieronymi Commentarii: Cum *nos* legamus *fontem vivum.* Verum quorsum unum adducimus locum, cum sint prope innumeri: *Triplex psalterium*, quod *Jacobus Faber evulgavit*, nonne *in pluribus bibliothecis* pene religiose servatum est *multis adeo seculis?* Certe monasterio insigni Hecmondensi dono fuit datum a fratre primi comitis Hollandiæ Archiepiscopo Treverensi, annis ab hinc plus septingentis.

Monasterium Hecmondense.

Omnes *veteres* innumera scripturæ loca semper varie citaverunt, quid inde periculi fuit unquam Ecclesiæ Dei? Si nullum nunquam fuit, cur nunc magis futurum est? „Neque enim audiendi sunt, qui fatentur Hieronymi Augustinique seculo integra fuisse „Græca exemplaria: *At nunc* subortis in Græcia hæresibus, ac longo schismate, „nihil esse fidendum illorum codicibus, cum verisimile sit ecclesiam Latinam, quæ ab omni errore pura perseveraverit, „majorem multo diligentiam adhibuisse „conservandis integris sacris codicibus. Ut in medio hoc relinquamus, utris major fuerit cura codices servandi incurruptos, Græcisne, an Latinis? certe „Aliacensis Cardinalis fatetur Ecclesiam Romanam in hoc fuisse indiligentem, & nostram „editionem omnino constat, non esse incorruptam. Quod qui tot documentis nondum credit, is quæso legat veteres, aut si legerit, denuo hanc rem proprie vestiget, & nihil dubito, quin sit illico sententiam in diversum mutaturus. Jam de *Græcis Codicibus depravatis* non potest negari, quin *alicubi* mendæ quædam irrepserint, quod & *Hieronymi seculo* contigerat, neque hoc deterruit tamen virum sanctissimum, *quin ex eis castigaret nostros.* Etenim mendæ in eundem locum non semper incidunt, neque omnia exemplaria easdem habent, quin sæpe numero, quod vitiatum est apud nos, ipsi habent integrum: quemadmodum contingit, „ut duos codices depravatos al„terum ex altero restituamus. Denique ut sunt

Omnes veteres varie citaverunt.

alicu-

alicubi mendæ apud Græcos, ita multo ſunt *pauciores.*

An a ſchiſmate Græci codices ſuos corruperint.

Porro de *ſchiſmate*, quod afferunt, tot ſynodis actum eſt cum Græcis, toties revicti ſunt, toties redierunt ad Eccleſiam, neque unquam memini me legere, accuſatos fuiſſe, *quod codices vel corruperint ſtudio, vel corruptos etiam habeant magis quam nos.* Neque vero ſancti patres id tacuiſſent, ſi ſic res habuiſſet. Quid enim prius eis objici debuiſſet, aut quare potuiſſent revinci efficacius? *In Concilium* Florentinum in quo Græci affuerunt. *Concilio generali Florentino*, ab Eugenio quarto celebrato, diſputatum eſt, perpetuos quindecim menſes inter Græcos & Latinos ſuper eorum erroribus, præſente Imperatore Conſtantinopolitano, & Patriarcha Joachim, & diſputatum eſt ſumma vi, maximis ingeniis, a viris toto orbe clariſſimis, ac tandem ſuperati ſunt Græci, damnatique aliquot eorum errores communi conſenſu, „neque ulla facta eſt mentio, quod eorum codices „ſacri eſſent depravati. Neque enim ex locis ſuſpectis ſuam tuebantur ſententiam, quod ſi feciſſent, an ullum fuiſſet negotium, revincere eos ex libris emendatis?

Neque vero *hæretici* conſueverunt *corrumpere codices*, alioqui perfacile, utpote non argumentis, ſed *integra lectione confutandi.* Arriana hæreſis totum pene orbem pervaſit: & eſt a ſanctis patribus, ſummo ſtudio, immenſis laboribus, nec minori periculo tandem extincta. Neque unquam accuſatus fuit Arrius, aut ſectatores ejus, quod codices falſaſſent. Quod nos legimus: „Ego & pa„ter unum ſumus, & pater major me eſt, non aliter & ipſi legunt, tantum in ſenſus explicatione diſcrepantia fuit. Neque Helvidius, neque Eunomius, neque alii hæretici aliunde erraverunt, quam ex verbis perperam intellectis, *cum de lectione conſtaret*, Fateor, pauculi quidam quædam loca corruperant, ut *Manichæi*, ſed ii inſani magis fuerunt, quam hæretici; Noſtra tempeſtate *Huſſitæ*, qui vocantur, non aliud Evangelium habent, quam nos, ſed ex eisdem verbis nos catholicum, ipſi hæreticum ſenſum accipiunt. Perinde & *Græci* omnia ſcripturæ loca, ex quibus ſuos hauſerunt errores, *ita ut nos legunt.* Sed diverſum interpretantur, quod peculiare eſt hæreticis, ut inquit Auguſtinus libro ſeptimo de Geneſi ad literam. „Neque enim, inquit, non omnes hæretici ſcriptu„ras Catholicas legunt, nec ob aliud ſunt hæretici, „niſi quod eas non recte intelligentes, ſuas falſas „opiniones contra earum veritatem pertinaciter aſ„ſerunt.

Unde erroris ſui anſas ſumant hæretici.

Videmus itaque liquido, non conſiſtere eorum rationem, qui nolunt libros ſacros e Græcis codicibus caſtigari, propterea quod eorum codices ſint ſtudio depravati. Quid enim? an omnes bibliothecas perreptarunt Græci, ut omnes omnium libros vitiarent? An non continuo id eis in os objici potuiſſet? niſi forte tot in regionibus clam facere potuerint. Merum ſomnium id eſt, neque ulla dignum reſponſione? Et *Auguſtinus*, contra Fauſtum libro trigeſimo ſecundo, capite decimo ſexto, pulchre oſtendit, „codicum depra„vatione nihil poſſe obtineri, quando mox alio„rum collatione revinci poſſint, falſatores. Qua, „inquit, cauſa a vobis codices corrumpi non poſ„ſent, hac cauſa a nemine potuerunt. Quisquis enim hoc primitus auſus eſſet, multorum codicum vetuſtorum collatione confutaretur maxime, quia non una lingua, ſed multis eadem ſcriptura contineretur. Nam etiam nunc nonnullæ codicum mendoſitates, vel de antiquioribus, vel de lingua præcedente emendantur.

Codicum corruptione nihil poteſt obtineri.

Satis itaque ſuperque oſtendimus, „temere a „quibusdam affirmari, codices Græcorum fuiſſe „ab ipſis ſtudio depravatos; tametſi negari non poſſit, quasdam etiam in illos irrepſiſſe *mendas*, vel caſu vel imperitia librariorum, vel alia de cauſa. Proinde *D. Eraſmus Roterodamus*, ut eſt *omnium mortalium tam vigilantiſſimus, quam eruditiſſimus*, non continuo ex Græco codice noſtros caſtigat, ſed multis Græcis, multis item latinis collatis, veterum commentariis excuſſis, omnibus bene penſitatis, quid magis quadret, quid rurſus ſit alienius: Tandem pronunciat, imo proponit verius, quam pronunciat, cuique reliquens liberum quod ſequi malit: Secutus in hoc *Ambroſii conſilium* qui in commentariis Epiſtolæ ad Romanos capite quinto tradit ac docet, quo pacto verum ſenſum aſſequamur, ubi codices variant. *Et ipſi*, inquit, *Græci diverſos codices habent: hoc autem verum arbitror, quando & ratio & hiſtoria, & autoritas obſervatur.* Cur non dixit vir circumſpectiſſimus: Hoc autem verum arbitror, quod in latinis legimus, ſi hæc vulgata editio, quæ tum certe extabat, ut oſtendi nusquam ullum habeat mendum? ipſe accurate diſquiri vult, *quænam ſyncera ſit lectio* (nam de illa agit) *ut cum eſt ratio*, inquit, *cur videlicet ſenſus is eſſe debeat, qui affertur*, & *hiſtoria*, hoc eſt, *narrationis ſeries & ordo: poſtremo autoritas obſervatur, hoc eſt, cum ita legunt probatiſſimi quique autores.* Proinde conferendæ ſunt variæ translationes, *primaria lingua inſpicienda eſt:* rimandum quid veteres legerint, ecquid quadret, ecquid diſcrepet, & *ita tandem cunctanter pronunciandum.* Nam *Auguſtinus*, cum tot eſſent interpretationes, non eſt auſus unamquampiam affirmare omni ex parte integram, etſi *Italam* cæteris prætulerit. Mirum vero eſt, virum oculatiſſimum non vidiſſe, quod videlicet nos videmus, hanc *vulgatam eam eſſe, contra quam nemini liceret hiſcere:* nam ut diximus, jam inde à ſeculo Auguſtini extitit.

Ambroſii ſententia de ſyncera lectione perveſtiganda.

Lib. II. de doct. chriſt. cap. 15.

Cæterum quod à multis affertur, *hanc eſſe à Synodis comprobatam*, accedam ſane, *ſi vel una proferatur Synodus*, quæ ullam de hoc mentionem fecerit: denique ſi ullum exemplar proferatur, quod fuerit comprobatum. Nam quod fuiſſet illud? meum ne an tuum? hujus an illius Eccleſiæ? *Comprobat Eccleſia ſacros codices, ſed emendatos, ſed puros, ac ſinceros, mendoſos* vult caſtigari. Et in Synodis revicti ſunt hæretici, ſed *ex locis emendatis*, ex locis, de quorum ſincera lectione conſtabat. Neque enim deſerit ſponſam ſuam Eccleſiam Chriſtus Dominus, quin ubi neceſſitas poſtulârit, declarare poſſit, hunc locum eſſe purum, ac ſincerum, ſic

An vulgata editio ſit à Synodo comprobata.

non aliter legendum, quo Spiritu Sancto directa errare non permittitur.

Neque satis est, quod mille amplius annos Ecclesia hac usa est editione. Primum *non ea sola* est usa, nam & *Ambrosii translationem* legit, & *Cypriani Hieronymique* ac aliorum *castigationes* admisit.

Non omnia probat Ecclesia quæ in usum irrepserunt.

Deinde *non continuo probat Ecclesia quicquid in usum irrepserit. Quædam permittit, ad quædam connivet.* Septuaginta interpretum editio fuit omnibus in Ecclesiis usitatissima, teste Augustino qua & Apostoli usi fuerunt: An eo minus *Hieronymus* castigandam censuit? Et cur non censuisset, cum vitiatam fuisse palam esset? Quin ipse *Augustinus* fatetur, inemendate scripsisse, qui de bibliotheca regis Ptolemæi primus codicem describendum accepit. Cur mirum videatur, si *deinceps plurimæ superadditæ sint mendæ?*

Lib. XV. de civit. Dei cap. 13.

Itaque ut finiam, certo certius esse debet omnibus Christianis, Ecclesiam Dei, Spiritu Sancto opitulante, in nullum in fide errorem casuram, & quoties necesse erit, sine ulla ambiguitate declaraturam, hunc aut illum locum, de quo controversia fuerit, sic aut aliter legendum: „Quanquam interea variæ ferantur translationes, „& ejusdem translationis exemplaria non consen„tiant. Verum de his nimis multa: præcipuè cum hoc D. *Roterodamus* multis in locis copiosissime pariter & eruditissime prosecutus sit, ut videatur ululas Athenas, qui pergit illis quicquam addere.

Ecclesia Dei definire potest: quæ sit vera ac syncera lectio cum opus est.

Erasmus Roterodamus.

Sed ne in immensum crescat oratio cum *divi Pauli Epistolæ enarrari, ut dignum est, non possint sine Græcæ linguæ adminiculo*, qua ego careo, quod proximum est, utar utilissimo aliorum labore, ut in secundo saltem ordine prudentium locari queam, qui secundum Hesiodum, etsi per se non sapiant, parent tamen recta monentibus, *donec & mihi contingat mediocris linguarum cognitio.*

An a linguis nascatur periculum.

„Neque ullum video periculum im„minere, si linguæ quam maxime vi„geant, ac passim feliciter doceantur. Nam si ullum est, an illud non videbat *Concilium Viennense*, quod tam sollicite *statuit de parandis linguarum doctoribus.* At periculum est (inquiunt) ne ex Græcis Hebræisque codicibus nostri corrumpantur ab iis, qui linguas calluerint. Quid? si cœlum ruat? *Commenticium* hoc *periculum* nunn deterruit patres memorati Concilii, ne statuerent, quod statuerunt? Quin & *libros ex linguis illis in Latinum sermonem verti mandarunt*, non mandaturi utique viri circumspectissimi, si tantum ex ea re periculi sensissent evenire posse, quantum nunc quidam videre sibi videntur? Neque vero *sacræ scripturæ libros* exceperunt, ut alios voluerint verti, hos non voluerint, quin verisimile est, *hos inprimis verti* voluisse: Quorsum enim attineat alios verti, quam sacros; aut horum Commentarios? Quid? an synodo curæ fuit, ut Homerus verteretur, aut Plato? Nonne *de iis codicibus* actum est, è quibus sanam fidem infideles discere possent.

Clem. de Magist.

Concilium Basilienſe de linguis docendis statuit.

Eadem constitutio in Concilio Basiliensi rursus est decreta, his quidem verbis *sessione decimæ nonæ: Omnibus modis servari præcipimus constitutionem, editam in Concilio Viennensi, de duobus docere debentibus in studiis*, ibidem expressis, *linguas Chaldaicam, Arabicam, Græcam & Hebræam.* Fateor, concilium eo spectat, ut *linguarum commercio ad fidem convertantur infideles.* Sed si vir Græcus aut Hebræus convertatur, nonne proponemus suam utrique editionem, Græcam Græco, Hebraicam Hebraico? an cogentur latinam linguam discere, videlicet, ne in depravatos codices suæ linguæ incidant? Aliqua portio Græciæ agnoscit Christum, paret Romanæ Ecclesiæ, fidem sectatur, horum exemplaria Græca an damnat Ecclesia, an recipit æque atque latina? Si damnat, cur permittit ut eis utantur? sin recipit, cur nos damnamus? *Linguis loqui*, inquit Paulus, *nolite prohibere*, & nos contra ejus sententiam vetabimus? At, Paulus sentit de linguis miraculo a Deo impertitis. Quid tum postea? an minus licebit linguis loqui: quas humana industria paramus? An tempestate Apostolorum *tam sanctæ res* erat *linguarum peritia*, ut a Spiritu sancto tribueretur viris sanctissimis: & nunc omnibus in diversum mutatis exitialis res est, & perniciosa? Undenam quæso ista mutatio? „Quis docuit, „linguarum cognitionem interea factam esse per„niciosam? Si non est perniciosa, quod fatebuntur haud dubie, quibus ullum est judicium, non mirentur, *non despiciant eos, qui rem utilem sectantur* quam amplecti licet, si cui placeat, *cui non placet*, quis hunc cogit? vel *Diogenis dolium vertat interim, si libeat, vel stertat denique;* Sed extra jocum, quod ei cordi est sectetur, ut hac quoque in parte in suo quisque sensu abundet, & *qui non discit, discentem ne judicet.*

Ut Apostolorum tempore bona & sancta fuit linguarum cognitio ita & nunc.

Omnes fere veteres multas linguas callebant.

Veteres quotquot fuere eximii Theologi, alii duas, alii tres, alii plures linguas calluerunt. Græcam certe nemo fere non mediocriter didicerat, & nos tantopere abhorremus? Neque dubito, quin ipse divus „Tho„mas linguarum præsidium fuisset stu„diis suis adjuncturus, si in seculum tam „felix incidisset, quam est nostrum. Ergo ut dixi, interea dum hoc præsidio careo, aliorum industria utar, qui mihi meique similibus *novum Testamentum codicum collatione perpurgaverunt*, & mirum in modum illustrarunt, inter quos princeps est & antistes „D. Erasmus Roterodamus, „qui ut in aliis, ita in hoc quoque ne„minem post se non reliquit, & quidem longo intervallo. „Divino vir ingenio, judicio felicissi„mo, mira tum rerum tum verborum ubertate, in„credibili, juvandi recta studia ardore, candore mi„rifico, ut quam est omnium bonarum artium ditissimus, tam liberalissime omnibus impartiatur? Proximus *Laurentius Vallensis*, ut de bonis literis, ita de sacris quoque hac in parte bene promeritus. Tertius *Jacobus Faber*, & ipse vir eximie doctus. Hos consulam, hos versabo, quicquid erit apud hos, vobis non deerit. Et simul omnes *veterum commentarios* summa diligentia evolvam, neque neotericos præteribo, eos certe, qui lectione digni sunt. Vos quæso pro publico commodo sudanti linguis animisque favete,

Thomas.

Erasmus Roterodamus.

Dixi.

Magnum

Magnum Dorpianæ huic *Declarationi* accedit pondus ex publico peritorum applauſu, cum acciperent, *Sermonem Dorpii* videre lucem. Maximum pretium ex candida *Dorpii apud Eraſmum deprecatione*, cui dolorem ſuum ex bonis literis nuper impugnatis ingenue expoſuit, quando ſuam hanc Confeſſionem Eraſmo miſit, rogans, Baſileæ imprimi curaret.

Martinus Dorpius Clariſſimo Domino Eraſmo Roterodamo S. D. P.

MIror vehementer, eruditiſſime Domine, quid acciderit iſtis, ut ita ſurſum ac deorſum omnia verſent, ut eximios aliquot, ſic *de ſtudiis*, ſic *de re Chriſtiana meritos, male vexent*. Polliceor tibi, & Domino Deo, *me non habebunt iſtius turbæ conſortem*. Quanto Chriſtianius eſt recte omnia ac ſane intelligere, & in meliorem partem interpretari. Secus qui faciunt, nonne ipſi malum inferant doctorum virorum lucubrationibus? Quæſo te, per Gloriam Chriſti, mi Eraſme, omnis eruditionis princeps, ut, ne animo frangaris ob quorundam & paucorum & inermium ineptiſſimam ſimul & ſtultiſſimam importunitatem. Magis te conſolentur tot eximiorum, tum Principum, tum Epiſcoporum, tot eruditiſſimorum toto orbe virorum amiciſſima, de te, tuaque eruditione judicia, eaque, quum veriſſima, tum conſtantiſſima. Hic certe ita ex animo favent tibi, ita admirantur, ita prædicant opera tua inſignia, ut non credam, ſimile contigiſſe cuiquam mortalium omnibus retro ſeculis. Ne Hieronymo quidem ipſi. Non fingo hoc, teſte Deo, mi Eraſme: *Omnes eruditi gratulantur mihi de orationis meæ editione, quod animum ſententiamque meam ingenue teſtatus ſim ſine ullo fuco.* Magnificus idemque eruditiſſimus *Juriſconſultus D. Nicolaus, Præſes Hollandiæ, & cæterarum provinciarum*, ita amplectitur, ut nunquam lætius prandeat, quam de te cum eſt prolixa & imprimis honorifica mentio, eaque de cauſa magno favore me proſequitur. Quidam Domini *Conſiliarii* omnibus modis *ſtudent bene mereri de me, quod audierint, & in oratione aperte legerint, ex animo me tuum eſſe.* Omnes Scholæ, omnia eruditorum conventicula, omnis magnatum corona Eraſmum prædicat, inter quos præcipuus eſt Magnificus, idemque illuſtris ac doctus *Dominus de Aſſendelft*, qui *tuis monumentis unice delectatur, ea in manibus habet pene aſſidue, quum vacat.* Me ſtudent hic inaurare. Non deſunt paſſim eximie viri religioſi, qui te uti par eſt ſummis in cœlum efferunt laudibus. Inter quos duo præcipue *me hortati ſunt* ſummo ſtudio, *tuus ut eſſem*, quum hortatione non foret opus. Alter eſt *Gardianus Mechlinienſis*, vir cordatus, rerum experientiſſimus, idem eximie doctus. Proximus Amandus Græce Hebraiceque doctus, quem noſti opinor. Ii ſic favent tuis ſanctis laboribus, ut ne ſuis quidem magis queant. „In Ger„mania, in Anglia, in Francia, quot ſunt chiliades „mortalium, ſic ex animo faventium Eraſmo, ut ne aris quidem ac focis impenſius, & o „me demen„tem, qui non ſemper niſus ſim manibus ac pedi„bus, ne naſceretur de me peſſima ſuſpicio, quaſi is „ego eſſem, qui tali viro adverſarer, ſtaremque „ab neſcio quibus &c. Cur non ab initio id palam „teſtatus fui? cur tam diu diſſului? Malo fato actus fui, o mi Eraſme: Sed *præſtat recurrere*, quam curſum male inſtitutum pergere. „Quam gaudeo „me, orationem illam edidiſſe, quo omnibus conſtet, quam repugnante animo meo facta fuerunt, „quæ contigerunt. Neque enim unquam mihi placuerunt, quæ moliebantur: Sed in hoc *errorem meum ingenue confiteor tibi*, mi Eraſme humaniſſime, *quod non aperte explicuerim, quid ſentirem*, id ſi denuo futurum eſt, male peream, quantus quantus ſum. Quæſo te, ut aliquo in loco, quum erit oportunum mei mentionem facias amicam, *quo intelligant omnes pulchre inter nos convenire*, hoc mihi gratius facere non potes. Non deſunt epiſtolæ quædam ad me tuæ, & meæ ad te, harum ſi quæ erunt idoneæ, quæ imprimantur, per illas fieri poterit, quod peto. R. D. Edmondenſis amice ſentit de te, vir pius, & qui nativa bonitate diſſidia iſta odit. Apud eum & apud omnes nihil ceſſabit Dorpius tuus, neque id clam habebit. Orationem meam, etſi ineptam ac indoctam, mire tamen cupio Baſileæ impreſſum iri typis Frobenianis. Id tu ſi voles factum eſt. Quid enim tibi neget vel Rhenanus, vel Frobenius? Cum ſcribis ad Morum, ad Paceum, ad Rhenanum, ad Huttenum, ad Budæum, facito quæſo amicam Dorpii tui mentionem. Pater meus, vir ſenex, ac bene octogenarius, plurimam ſalutem tibi adſcribi juſſit. Fortaſſe non meminiſti, unde te norit: Collocutus eſt tecum ſuaviſſime annis abhinc paulo plus duobus in Collegio Atrebatenſi. Magiſter Jocobus Mauricius, Conſiliarius, qui olim fuit Penſionarius Goudenſis, toto pectore tibi addictiſſimus, jubet te ſalvere meis verbis. Rapior hic a viris doctrina fortunaque præſtantibus. Raro prandeo domi, non quod amem convivia, ſed ut confabulemur.

Henricum Glareanum, Helvetum, qui virtute Eraſmi cognita, à ſpinoſis Scholæ Sophiſtis ad candidiſſimas Græcas aliasque literas manſuetas ſe verterat totum, moresque induerat blandiſſimos, ablegavit Eraſmus in Galliam, ad mitiores literas tradendas An. 1517

VOcatus fuerat Eraſmus nuper ab Erneſto Bavariæ Duce in Academiam Ingolſtadienſem. Quod cum non poſſet ſuccedere, quia Carolo Hiſpaniarum Regi jam obſtrictus Eraſmus, ſui loco Bavaro commendavit *Glareanum*. Cujus *frontem* depinxit in epiſtola ad Urbanum Regium, *Lib. 18. ep. 35. f. 800.* „Eſt apud nos Henricus Glareanus, Cæſarea laurea inſignis; Quod equidem decus inter tot juvenis orna„menta multo infimum eſſe duco. In omnibus diſciplinis, quas mathematicas vocant, eximie doctus, „neque vulgariter exercitatus. In omni quæ nunc in ſcholis traditur, Ariſtotelica Philoſophia, eò pro„greſſus, ut cum ſummatibus etiam congredi poſſit. Magnam inſuper theologicæ rei partem aſſecu„tus: In geographia, in hiſtoriis abſolutus. Denique nullum eſt genus literarum, in quo ille non ſit feliciſſime

„liciſſime verſatus: Græce quoque doctus usque ad mediocritatem, & hic brevi abſolvendus, quæ eſt ho„minis tum induſtria tum dexteritas. Adde huc ætatem maxime tempeſtivam huic negotio. Ad trige„ſimum accedit annum: Quæ ætas ut grandior eſt, quam ut contemtui ſit obnoxia, ita laborum longe „omnium eſt tolerantisſima. Eſt autem Glareanus præter ætatem, peculiari quadam naturæ dote li„terarii laboris & appetens & patiens. Quod neſcit diſcit avide, quod ſcit docet libenter & candide. „Moribus alacribus ac feſtivis, ac prorſus omnium horarum homo. Addam extremum calculum, quem „ego vel inprimis æſtimandum arbitror, ingenium integritati natum. Abhorret à compotationibus il„lis temulentis, abhorret ab alea, à turpiloquio, à ſcortis, adeo ut harum rerum ne mentionem quidem „ferre poſſit. Invitatur à multis nec adſpernandis conditionibus.

Hæc facies virorum, quos formabat Eraſmus.

Mirabilis illa ætate ſors præſtantisſimorum virorum, qui velut ex mediis tenebris in lucem prorumperent, qui, cum ante in ſcholis ſorduiſſent, meliori ſtudiorum genere ſordes detergerent, ore animoque mundi. In quibus noſter *Glareanus*, exempli numero, tanto factus *elegantior*, priori illa Scholæ immunditie deterſa, quanto *ſincerior* toto pectore. Effigiem pleniorem hujus mutationis ac in Glareano reformationis dedit iterum *Eraſmus*, epiſtola *ad Stephanum Poncherium, Pariſienſem Epiſcopum*, Gallorum legatum ad Hiſpaniarum regem Carolum, *lib. 1. ep. 5. f. 16.* „Henricum Glareanum tibi paucis de„lineabo, ſed veriſime. Genere Elvetius, (nam hæc quoque natio ſtudiorum gloriam cum militiæ lau„de incipit conjungere) ætate florenti, quippe nondum triceſimum egreſſus annum, valetudine firmiſſi„ma, ac laboris tolerantiſſimus, annos jam aliquot verſatus in profeſſione liberalium diſciplinarum, pri„mum Coloniæ, mox Baſileæ, nec id ſane ſine ſumma laude. Septem artium, quas vocant, Doctor, „non titulo tantum, quemadmodum vulgus ejus ordinis ſolet. Sophiſtices peritiſſimus; Sed quoniam „reſipuit, nunc ejusdem hoſtis ac perfuga. Theologiam non tantum à limine ſalutavit, verùm ad ipſa „usque penetralia progreſſus quondam, ſed offenſus partim frigidis iſtis argutiis, quibus ſolis pene nunc „in Scholis applauditur, partim inexplicabili theologorum inter ſe contentione diſſidioque, pedem re„tulit, & Chriſtum ex ipſis fontibus, quam ex illorum lacunis haurire maluit. In hunc uſum græcam li„teraturam magno ſtudio cœpit amplecti. Poëta non invenuſtus: Nam in hoc genere quondam admo„dum adoleſcens apud Coloniam Agrippinam à Cæſare Maximiliano lauream meruit. In oratione ſo„luta talis, ut nec ingenium nec eruditionem deſideres, uſum fortaſſis & exercitationem alicubi requi„ras. Magna hiſtoriarum cognitio, in muſica, in coſmographia, in ceteris item diſciplinis, quas mathe„maticas vocant, exercitatiſſimus. Nam in his præcipue regnat ille. Jam, quod in hoc hominum ge„nere rarum eſſe ſolet, moribus eſt adeo caſtis ac puris, ut non animus modo ſed aures etiam ab omni „turpitudinis commemoratione abhorreant, veræ pietatis cultor ardentiſſimus. Ne Momus quidem ul„lum in eo vitium notare poſſit, niſi quod in ſpinoſos Sophiſtas magna libertate debacchari ſolet; ſi ta„men hoc vitio, ac non potius judicio tribui debet. Noſti enim quam ſit hoc hominum genus inſo„lens ac procax, niſi ſi quis ei ſtudio meliores literas adjunxerit. Cum his non minore animo depugnat „Glareanus quam olim cum monſtris Hercules. Et in hos quantumvis clamoſos ſufficiunt illi late„ra, ſufficit vox, & inprimis animus invictus, vereque Herculinus. Et ob id non admodum illi con„venit cum Theologis, non dico eruditis, cum quibus maxime convenit, ſed cum quibusdam iſtis qui „præter illiteratas & frigidas aliquot quæſtiunculas, nihil didicerunt. Hos eo facilius fundit conſcindit„que, quod ipſe ſit olim in illorum caſtris verſatus. Tametſi hunc quoque fervorem & impetum ac „velut ἐνθυσιασμὸν ætas in dies reddit moderatiorem. Ceterum ab omni ſupercilio faſtuque longiſſime „abeſt: Moribus facillimis & ad omnem vitæ conſuetudinem appoſitis.

Elegans effigies Glareani, ab Eraſmo depicta Antverpiæ, 16. Cal. Mart. 1517. In quo exemplo, tanquam in ſpeculo contueri licet faciem illorum, quos optaret, quos pararet Eraſmus, qui efformarentur literis bonis, ut omnibus modis evaderent boni, Deo grati, publicæ rei utiles, periti, ſolertes, humani ſimul & virtuti toto pectore addicti.

Ut tanto expreſſius atque vividius liqueat uſus atque fructus elegantiſſimarum literarum, quas Eraſmus profiteretur, qui non fucum ferret, ſed integritatem omnimodam, non externæ ſpeciei, ſed internæ formoſitatis, qui pro ſcholæ dumeto Chriſti diſciplinam commendaret unice: Age, ipſummet audiamus *Glareanum*, ore ceterorum, de Eraſmi inſtitutione & bonarum literarum fructu locupletiſſimo differentem aut ingenue confitentem, *Epiſtola ad Eraſmum Baſilea, An. 1516. Non. Septembr. Epiſt. l. 1. ep. 34. f. 74.* „Si quem amas, Clariſſime Eraſme, quod te amat, certe ego maxime amandus Tibi. „Nemo enim eſt, tuto crede, te mihi charior, atque utinam tam me poſſes intus introſpicere quam extra „ſæpiſſime vidiſti. Videres profecto alterum Alcibiadem, ac eum, qui Alcibiadem longe anteceederet, „tantum videlicet, quantum vere Glareanicus amor vicit Socraticum, ſive quantum ego plus tibi debeo, „quam Alcibiades Socrati. Magnum erat, mores a Socrate didiciſſe, vitam illius monitis emendaſſe: „Atqui ego longe plura a te habeo, nempe præter alia infinita, præcipuum illud, quod me Chriſtum „ſapere docuiſti, neque ſapere ſolum, ſed imitari, ſed ſuſpicere, ſed amare. Quid quæſo homuncioni „mihi vel utilius vel dignius contingere potuit?

Scripſit hæc vir triginta annorum, cum Baſileæ elegantiores literas publice doceret pro jure profeſſionis apud doctores. Cum non poſſent conſpirare ſereniores illæ literæ cum obſcuriori ſophiſmatum genere, lis Glareano a Sophiſtis mota ſat acerba, nuncio Eraſmo. Cujus fati, & difficilis concordiæ inter caliginem & lucem, interpretem ipſummet libet audire Glareanum. „Poſt diſceſſum tuum (Eraſmi) „adeo ſophiſtæ in me graſſati ſunt, ut de templorum valvis chartulas diripuerint, publiceque Sene„cam legi prohibuerint. Ego autem iis invitis legi, nihil magis veritus, quam ne Berum quo„que in ſuam opinionem traherent. At ipſe ut vitaret invidiam, negotio ſe non magnopere im„miſcuit.

Varia

Varia eruditio, morumque decor, ut & ſuci prorſus expers animus, interim præſens ubique, vocavit Glareanum mox Baſilea Lutetiam, ut ubique bonæ manſuetæque Eraſmi florerent literæ. Factum hoc *commendatione Eraſmi*, qui Glareanum penitus cognoverat, quemque adeo ad Gallos abire optaverat, *internunciis ſuperioribus ad Poncherium* literis. Pelliciebant Eraſmum Rex, Poncherius, Deloinus, Budæus, Copus, alii, in Galliam, interprete Brixio, quo de ſupra ad Annum 1516. Verum, ſui loco *Glareanum* illis dedit. „Quando video, ait, Celſitudinem regiam tuamque (Poncherii) amplitudinem id „tantopere conari, ut Galliam veſtram egregie probis ac literatis viris exornetis, commodum mihi ſuc„currit Henricus Glareanus, pridem mihi Baſileæ domeſtica conſuetudine notus, homo mea ſententia ad „vota veſtra, ſi quisquam alius, accommodus.

Ne quis præterea exiſtimaret Gallorum, literas & probitatem in Glareano celebratas, redundare in morum externam pro vitæ caſibus ſimplicitatem, diſformem converſationi, ſocietati ornandæ ineptam: *agendi verſandique aptitudinem, condecentiam, & promptitudinem in probis Glareani literis* deſignat aperte, excludit fucum, fraudem & technas communes. „Ab omni ſupercilio faſtuque longiſſime „abeſt: Moribus facillimis, & ad omnem vitæ conſuetudinem appoſitis. Jufferis canere, nihil conta„tus canet, (poëta) malis legere, leget. Libet ludere, jocabitur feſtiviſſime; vis ſeriis agere, ſubito alius „erit: Atque ita facilis eſt, ut tamen adulari neſciat.

Non capiebat ſcilicet Eraſmus in literarum præſtantiſſimarum ornatu, quo os, mores, animus, totusque vitæ ambitus condecorarentur, homines ruſticos, inertes, frigidos, ſervos, calones morioſos, ſocietatis tædium & vitæ moleſtiam, quales plerique erant in ſcholis præcipui, ſcholaſtici moroſi, tumidi, faſtuoſi, truces & torvi, omni morum facilitate animique benignitate deſtituti. Quærebat & parabat comtos omnimodo, decoros, rebus agendis aptos, virtutis integritate, quæ ipſa eſt humanitas, quæ omnem inhumanitatem ac barbariem, penitiſſime etiam latentem, pellat ac propulſet. Rectis ſtudiis rectos fieri, humanitatis profeſſione homines, bonis literis vere bonos reddi debere ſtatuebat. Non nitor in verbis, putor in factis, non puritas in ore, pus in pectore: Cum fas non ſit, homines apparere, bruta & feras eſſe. *Per humaniores literas, humana quævis doctrina, humanus genius*, foris & intus, omnibus nervis. Hæc *venuſtas* per Eraſmum in Glareano, decora ac digna homine *manſuetudo*, manſuetiorum literarum ſtudio.

Querimoniam Pacis ſcripſit & Baſileæ edidit *Eraſmus*, ſecundo & quinquageſimo ætatis anno, Caroli Auſtriaci, *Hiſpaniarum Regis Conſiliarius*, Sylvagii Cancellarii juſſu, An. 1517. Ardentia emendationis vota, inter forenſes & Academicas Scholaſticorum ſuperciliоſas lites.

MAximilianus Cæſar, Franciſcus I. Galliarum Rex, & Carolus Belgio imperans, pacem inter ſe An. 1516. inierant. Ferdinandus Rex interea An. 1516. in Hiſpania defunctus, locum fecerat *Carolo*, ut An. 1516. per Ximenem Hiſpaniæ Primatem, *Hiſpaniarum Rex* ſolenniter proclamaretur, Ferdinandi Fratris cupiditate repreſſa. Ante igitur quam Carolus An. 1517. in Hiſpaniam iret ſua occupaturus regna, viſum fuit *Caroli miniſtris* conſultum, pacem illam inter Maximilianum, Franciſcum & Carolum, firmare ſolidius. Cui fini conventus horum trium regum *Cameraci* definitus. Quod ſanctiſſimum pacis opus remoras invenit ex inſidiis illorum, qui paci turbas præterrent. Nec deſtitere tamen laudati *Caroli miniſtri, Guilielmus Croijus, Marchio Chevrenſis, & Johannes Sylvagius, Cancellarius*, per legatos negotium ſaluberrimum perficere, pace roborata. *Gerardus de Roo*, in *Annalibus Auſtriacis, libro 12. f. 473.* brevibus hæc pacis negotia ad An. 1517. eſt complexus: „Quo arctior inter confœderatos neceſſitudo „contraheretur, de colloquio Cæſaris & regis utriusque inſtituendo agi cœptum, jamque Chevrenſis, & „Magnus Franciæ Magiſter, cum aliis quibusdam Cameracum præceſſerant, qui colloquio dictus erat „locus. Ea res etſi eventu caruit, per legatos tamen conſtabilita eſt regum inter ipſos con„cordia.

Cum in his tractatibus animadvertiſſent Chevrenſis & Sylvagius oppoſitas callidas quorundam machinas, quaſi cum Franciſco Galliarum rege non eſſet fœdus pangendum, Sylvagius Cancellarius autor fuit Eraſmo, utpote Caroli Conſiliario, ſcriberet *in pacis commendationem.* Eraſmus pro officio ad hoc paratus *pacis* mox ſcripſit *querimoniam*, pacem cum Franciſco maximopere commendans.

Quam *libri occaſionem*, in Caroli obſequio, notavit Eraſmus *An. 1523.* cum *Baſileæ* ſuarum lucubrationum catalogum ederet. „Querimoniam pacis, ait, ſcripſimus ante annos ferme ſeptem, tum pri„mum in aulam Principis acciti. Agebatur magnis ſtudiis, ut Cameraci Synodus eſſet ſummorum or„bis Principum, Cæſaris, regis Galliarum, Caroli noſtri, atque ibi pax coiret inter illos, adamantinis, ut „ajunt, vinculis. Hæc res potiſſimum agebatur per clariſſimum virum Guilielmum de Ciervia, & rei„publicæ juvandæ natum Johannem Sylvagium, Cancellarium ſummum. Obſtabant huic conſilio qui„dam, quibus inutilis eſt rerum tranquillitas, quibusque, (juxta Philoxenis ſententiam, qui dixit, ſuaviſſi„mas eſſe carnes, quæ carnes non eſſent, ſuaviſſimos piſces, qui piſces non eſſent,) maxime placebat pax, „quæ pax non eſſet, & bellum, quod bellum non eſſet. Itaque juſſu Johannis Sylvagii ſcripſi Pacis que„relam.

Elegans profecto libellus & gravis, conſiliario regio, aut chriſtiano, mavis, non indignus, ſæpe legendus, qui habetur *Tomo IV. op. f. 486. ſeqq.* hoc indicio: *Querela pacis undique gentium ejectæ profligataque, autore Deſ. Eraſmo Roterodamo.* Inſcriptus *Trajectenſi Epiſcopo, Philippo à Burgundia.* Hic *Philippus*, Princeps, anteceſſorem in Epiſcopatu habuerat fratrem, Davidem à Burgundia: Qui duo fratres, Philippi ſenioris filii, omnes pacis conſiliis & ſtudiis inclyti. Philippum juniorem Carolus Belgio

imperans ad Ultrajectinum Episcopatum, loco fratris Davidis, pro affectu in illum impenso, adegit potius invitum quam cupientem admisit. Anno igitur hoc 1517. inauguratus ansam dedit Erasmo, qui *libellum suum de Pace* novo huic Episcopo, cui Carolus favebat, inscriberet. Significavit hoc institutum suum *Gerardo Noviomago*, Philippi domestico, *An. 1517. prid. Cal. Sept. Lib. 12. ep. 9. f. 583.* „An gratulari debeam Philippo, nondum statui, qui & ante susceptum honorem illum, suis ipsius dotibus erat „maximus, & adeo non ambiit, ut recusaturus fuerit, ni hoc patriæ commodis & Caroli Principis affectibus dedisset. Certe diœcesi gratulor, ad cujus communionem & ipse pertineo, cui talis contigerit „& Princeps & Episcopus, qui pro singulari prudentia, proque summa morum integritate, juxta munus „utrumque sit expleturus. Id ut confidam fore, non solum ipsius natura facit, nihil non egregium pol„licens, verum etiam Pater, Philippus, Burgundiæ Dux, quo seculis aliquot nullus contigit huic regioni „Princeps laudatior, sive spectes vere regiam animi magnitudinem, sive raram quondam erga suos cha„ritatem, sive pacis alendæ studium, sive morum comitatem, atque ut summatim dicam, ingenium ab „omni tyrannide alieniſſimum. Auget hanc spem David ille magnus hujus germanus, vir modis omni„bus patri adsimilis, sed hoc præcipue suspiciendus, quod ut ipse erat eruditissimus, ita summo studio ad„nitebatur, ne passim rudes & indocti in cleri gregem irreperent, quod hactenus fieri videmus. Igitur „in spem venio fore, ut hic unus & optimum parentem unde natus est, & optimum fratrem, cui succes„sit, non referat modo, sed etiam superet, tibique (Noviomago) uberrimam encomiorum materiam sup„peditet. Atque ut hac in re me tibi (Noviomago) rivalem intelligas, jamdudum pacis querimoniam „illi dicavimus, nostri in illum studii primitias. Excuditur Basileæ libellus brevi istuc iturus. Quem „si sensero non displicuisse, fortassis majus aliquid audebitur.

In dedicatoria ad hunc Philippum epistola ansam libri non dissimulat Erasmus, artes nonnullorum, qui inter Cæsarem Maximilianum, Carolum & Franciscum Gallum pacem nollent firmari, cum maxime illo tempore, 1517. quo Carolus Hispaniarum regna occupatum ibat, summe esset necessaria: *Vidimus ipsi nuper, ut quidam, amicis quam hostibus graviores, nihil intentatum reliquerint, ne bellorum aliquando finis esset; rursus ut vix expresserint alii* (Chevrius & Sylvagius) *qui reipublicæ Principique* (Carolo) ex animo *benevolunt, ut pacem cum Francis* (Francisco I.) *semper optandam hisce verò temporibus* (quibus Carolus Hispaniæ regna occupaturus) *etiam necessariam amplecteremur. Cujus sane rei indignitas movit animum meum* (instinctu Sylvagii) *ut tum pacis undique profligatæ querimoniam scriberem, quo nimirum hac ratione justissimum animi mei dolorem vel ulsciscerer vel lenirem.*

Placuit Episcopo & liber & inscriptio, qui Erasmo apud Lovanienses, ita stylo Noviomagi respondit, *Lib. 3. ep. 47. f. 209. Pacis querimonia non solum nobis, quibus nominatim dedicata est, sed omnibus vere christianis summe placet;* Ex arce Vellenhoe, 6. Dec. 1517. *Nolumus*, addit, *eruditionem tuam sic latere, ut glires & cuculi latent, magis hortamur, ut præclara opera, quæ præ manibus habes* (secundum editionem Novi Græci Testamenti, Paraphrases in Epistolas Pauli,) *absolvas, ad seculi nostri ornamentum & utilitatem posterorumque admirationem.* Jussus fuerat Erhardus Noviomagus ita ad Erasmum perscribere. Idem mox significavit Noviomagus Erasmo, sub finem An. 1517. f. 205. *Liber querimoniæ pacis perplacuit non solum Præsuli, sed & à consiliis viris doctis, & Philippo Montio, procuratori aulæ, qui omnes ex animo tibi favent.* Respondit Erasmus primum Noviomago, 1517. 16. Cal. Jan. lib. 3. ep. 35. f. 201. *Libellum de querela pacis optimo Præsuli* (Philippo Ultrajectino) *non displicuisse magnopere gaudeo: Et jam nunc fructum ejus laboris alunde magnum percepisse me puto, quod is amplectitur, cui unice probari cupiebam.* Dein & Episcopo testatus est, quod sibi fuerit pergratus æquus Episcopi applausus, *f. 210. Pacis*, inquit, *querimoniam primum tanti Principis calculo*, (Philippi à Burgundia) *deinde doctissimorum hominum* (consiliariorum) *suffragiis comprobari, magnopere gaudeo*, Lovanii 4. idus Jan. 1518.

Liber publicus, ex aula, argumenti publici; autoritatis solennis, non privati arbitrii; doctrinæ copiosæ, usus infiniti; nec intelligendus nisi ex intimo illorum temporum statu in civilibus & sacris; luculenta illius ævi effigies, quoad dissidia infanda in foro non magis ac choro. Symbolum genii & scopi in Erasmo, qui pro publica salute invigilans serio, perditam rem communem discordia, deplorabat, concordiæ & christianæ unanimitati consilia destinans. Quomodo & nefanda ac fœda in clero & Academiis scholastica bella non præteriit, illa abominatus. Reformationis argumentum desideratissimum, suavis inter christianos harmonia. Huc Erasmus blanda illa sua humanitatis doctrina, qua & furores ex Academiis & Collegiis optaret eliminari, scholastica inutili velitatione quotidiana profligata.

Plenum libri argumentum linquimus lectoribus attentis, contenti nunc attigisse paucula momenta de *futilibus pugnis scholasticis illius ævi.* Hi inter alios *pacis gemitus: Ad eruditorum greges confugiam?* „Bonæ literæ reddunt homines, philosophi plus quam homines, theologia reddit divos. „Apud hos certe dabitur conquiescere, tot circumactæ ambagibus. Verum proh dolor, en hic quo„que aliud bellorum genus, minus quidem cruentum, sed tamen non minus insanum. Schola cum „schola dissidet, & ceu rerum veritas loco commutetur, ita quædam scita non trajiciunt mare, quædam „non superant Alpes, quædam non tranant Rhenum; imo in eadem Academia cum Rhetore bellum „est Dialectico, cum Jureconsulto dissidet Theologus. Atque adeo in eodem professionis genere, cum „Thomista pugnat Scotista, cum reali nominalis, cum Peripatetico Platonicus, adeo, ut ne in minutis„simis quidem rebus inter hos conveniat, ac sæpe de lana caprina atrocissime digladientur, donec di„sputationis calor ab argumentis ad convitia, a convitiis ad pugnas increscat, & si res pugionibus „& lanceis non agitur, stylis veneno tinctis sese confodiunt, dentata charta dilacerant invicem, alter in „alterius famam letalia linguarum vibrant spicula.

Ab

Ab Academiis diſſidentibus & rixantibus Eraſmus aut pax exul ad Monaſteria, ad Conventus, ad ordines, ad religiones, num forte *religionis* titulo pax ſit alicubi. *Quo me vertam*, inquit pax, *toties experta mihi data verba?* „Quod ſupereſt, niſi una veluti ſacra anchora Religio? Hujus profeſſio licet ſit „Chriſtianorum omnium communis, tamen eam iſti peculiariter profitentur, titulo, cultu, ceremoniis, „qui vulgo ſacerdotum cognomento commendantur. Hos itaque procul intuenti cuncta ſpem fa„ciunt, portum mihi paratum eſſe. Arrident veſtes candidæ, meoque colore inſignes; video cruces „pacis ſymbola; audio dulciſſimum illud fratris cognomen, eximiæ charitatis argumentum; audio ſa„lutationes pacis, læto omine felices; cerno rerum omnium communionem, conjunctum collegium, „templum idem, leges easdem, conventus quotidianos. Quis hic non confidat paci locum fore? Sed „o rem indignam, nusquam fere collegio cum epiſcopo, parum hoc, niſi & ipſi inter ſeſe factionibus „ſcinderentur. Quotusquisque ſacerdos eſt, cui non ſit cum aliquo ſacerdote lis? Paulus rem non fe„rendam cenſet, quod Chriſtianus litiget adverſus Chriſtianum, & ſacerdos cum ſacerdote, epiſcopus „cum epiſcopo certat. Verum his quoque forſitan ignoſcat aliquis, quod longo jam uſu propemo„dum in profanorum conſortium abierunt, poſteaquam eadem cum illis cœperunt poſſidere. Age fruan„tur ii ſane ſuo jure, quod ceu præſcriptione ſibi vindicant.

Uti ſacerdotes ita & ſpeciatim *Monachos pacis expertes* pax deflet: „Unum hominum genus ſuper„eſt, qui ſic aſtricti ſunt religioni, ut etiam ſi cupiant, nullo pacto queant excutere, non magis profecto „quam teſtudo domum. Sperarem apud hos mihi fore locum, niſi toties fruſtrata ſpes me prorſus de„ſperare docuiſſet. Et tamen ne quid intentatum relinquam, experiar. Quæris exitum? A nullis re„ſilii magis. Nam quid ſperem, ubi religio cum religione diſſidet? Tot factiones ſunt, quot ſunt ſoda„litia. Dominicales diſſident cum Minoritis, Benedictini cum Bernardinis, tot nomina, tot cultus, tot „ceremoniæ ſtudio diverſæ, ne quid omnino conveniret, ſua cuique placent, aliena damnat & odit quis„que. Quin idem ſodalitium factionibus ſcinditur, obſervantes inſectantur Coletas, utrique tertium ge„nus, quod a conventu cognomen habet, cum nihil inter iſtos conveniat.

Monaſteria ſine pace: „Jam ut par eſt, ait pax, omnibus rebus diffiſa, optabam vel in uno quo„piam monaſteriolo latitare, quod vere tranquillum eſſet. Invita dicam, quod utinam non eſſet ve„riſſimum, nullum adhuc reperi, quod non eſſet inteſtinis odiis ac jurgiis infectum. Pudor ſit recen„ſere, quam nihili de nugis tricisque quantas cieant pugnas viri ſenes, barba pallioque verendi, poſtremo „ut ſibi videntur, impenſe tum eruditi tum ſancti.

Juſte perſtringit & acriter ſacerdotum & monachorum mores corruptos, qui in ſuggeſtibus, colloquiis & conſiliis, bellum urgeant & ad pugnas incendant, quorum erat pacem & concordiam ſuadere: „Prorſus ſublatam e rebus humanis frontem, apud Chriſtianos Deo dicati ſacerdotes, & qui his quo„que ſanctius aliquid præ ſe ferunt monachi, ad cædes, ad ſtrages inflammant Principum ac plebis animos. „Et Evangelii tubam Martis tubam faciunt, obliti dignitatis ſuæ ſurſum ac deorſum curſitant, nihil non „tum faciunt, tum patiuntur, dum bellum excitent. Et per hos principes, alioqui fortaſſis quieturi, „ad pugnam inflammantur, quorum autoritate tumultuantes ſedari conveniebat. Imo quod eſt pro„digioſius, belligerantur ipſi, idque earum rerum gratia, quas & apud impios contemſere philoſophi, „quarumque contemtus proprius ac pecularis eſt viris apoſtolicis. Ante paucos annos, cum fatali quo„dam morbo mundus ad arma raperetur, Evangelii præcones, hoc eſt, Minores ac Dominicani quidam „e ſuggeſto ſacro claſſicum canebant, & ultro ad furiam propenſos magis accendebant. Apud Bri„tannos animabant in Gallos, apud Gallos animabant in Britannos. Omnes ad bellum inſtigabant, ad „pacem nemo provocabat, præter unum aut alterum, quibus pene capitale fuit me vel nominaſſe. Cur„ſitabant ultro citroque ſacroſancti præſules, & dignitatis & profeſſionis ſuæ obliti, publicum orbis „morbum opera ſua exacerbantes, tum hinc Julium Pontificem Romanum, hinc reges ad maturandum „bellum inſtigantes, perinde quaſi non ſatis ipſi ſua ſponte inſanirent. Et tamen hanc manifeſtariam „inſaniam magnificis titulis præteximus. Huc patrum leges, huc piorum hominum ſcripta, huc arca„næ ſcripturæ verba impudentiſſime detorquemus, ne dicam impie. Imo jam eo prope rediit res, ut „ſtultum & impium ſit adverſus bellum *hiſcere*, & id laudare, quod inprimis ore Chriſti laudatum eſt. „Parum conſulere populo, parum favere Principi videtur, qui ſuaſerit rem omnium ſaluberrimam, & ab „omnium peſtilentiſſima dehortatur.

Magnum hoc Eraſmo emendationis momentum in univerſali corruptione, in re, quæ pectus chriſtianiſmi tangat, concordiam & harmoniam, non privatam magis quam publicam. Luculentius mox perditiſſimos mores reprehendit, quando in mediis bellis res ſacræ oſtentantur, turpi abuſu, profeſſioni chriſtianæ directe oppoſito. „Jam ipſa caſtra ſequuntur ſacrifici, præſunt in caſtris epiſcopi, „& relictis eccleſiis ſuis Bellonæ rem agunt. Imo gignit jam bellum ſacerdotes, gignit Epiſcopos, gi„gnit Cardinales, quibus campi legatus honorificus titulus, & apoſtolorum ſucceſſoribus dignus habetur. „Quo minus mirum, ſi Martem ſpirant, quos Mars genuit. Et quo malum ſit inſanabilius, tantam im„pietatem pietatis ſpecie prætexunt. Vexilla crucem habent. Miles impius, & nummis aliquot ad la„nienam, ac cædem conductus, crucis inſigne præfert & belli ſymbolum eſt, quod ſolum dedocere bel„lum poterat. Quid tibi cum cruce ſcelerate miles? iſtis animis, iſtis factis, dracones, tigrides ac lupi „conveniebant. Illud ſignum ejus eſt, qui non pugnando, ſed moriendo vicit, qui ſervavit non perdidit, „quodque cumprimis admonere te poterat, cum quibus hoſtibus tibi res ſit, ſi modo chriſtianus es, & „qua ratione vincendum ſit. Tu ſalutis inſigne geſtas, ad fratris perniciem, properans, & cruce perdis „eum, qui cruce ſervatus eſt? Quid quod ab arcanis illis & adorandis ſacris, nam hæc quoque pertrahun„tur in caſtra, in quibus inprimis ſumma chriſtianorum concordia repræſentatur, curritur in aciem, di„rum ferrum in fratris viſcera ſtringitur, & facinoris omnino ſceleratiſſimi, quo non aliud eſſe poteſt

„impiis ſpiritibus gratius, Chriſtum faciunt ſpectatorem, ſi tamen illic dignatur eſſe Chriſtus. Deni„que quod eſt omnium abſurdiſſimum, in utrisque caſtris, in utraque acie, crucis ſignum relucet, in utris„que ſacra peraguntur. Quid hoc monſtri eſt? pugnat crux cum cruce, Chriſtus adverſus Chriſtum bel„ligeratur. Hoc ſignum Chriſtiani nominis hoſtes terrere ſolet. Cur nunc oppugnant, quod adorant? „Hominès non una digni cruce, ſed vera.

Emendationis argumentum, Eraſmo judice, quod chriſtianiſmi nervos afficiat, in fœdiſſima ſacrorum depravatione. Nobis ſuffecerit poſtremo audiviſſe *orationis dominicæ* in pugnis vim & efficaciam. „Quæſo, quid in hiſce ſacris orat miles, Pater noſter? Os durum, audes eum appellare patrem, qui fratris „tui jugulum petis? Sanctificetur nomen tuum. Qui magis dehoneſtari poterat nomen Dei, quam hu„jusmodi inter vos tumultibus? Adveniat regnum tuum. Sic oras, qui tanto ſanguine tyrannidem „tuam moliris? Fiat voluntas tua, quemadmodum in cœlo, ita & in terra. Pacem vult ille, & tu bellum „paras? Panem quotidianum à communi Patre petis, qui fraternas exuris ſegetes, & tibi quoque mavis „perire quam illi prodeſſe. Jam quonam ore dices illud: Et dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos di„mittimus debitoribus noſtris, qui ad parricidium feſtinas? Deprecaris periculum tentationis, qui tuo „periculo fratrem in periculum pertrahis. A malo liberari poſtulas, cujus inſtinctu ſummum malum „fratri machinaris.

Parva & levia hæc ſunt inter alia *graviſſima libri pondera*, quæ ſaluberrima comprehendunt conſilia pro pace & ſalute publica, Principum, populorum & regnorum, *quæſitæ emendationis characteres peculiares*, qui non leviculum aliquem ritum & ceremoniam concernant in ſacris, ſed communem reipublicæ tranquillitatem & totam Chriſtianorum civium vitam pacatam.

Aliud egit Eraſmus An. 1501. libro, quem vocavit *Enchiridion militis chriſtiani*, quo mores chriſtianorum privatos formavit. Quo de infra ad annum 1518.

In Hiſpanicam poſtea linguam tranſiit *Querela Pacis*; Cujus meminit Eraſmus, in epiſtola ad *de la Roche*, Baſileæ An. 1524. lib. 21. ep. 9. f. 1079. *Quantus ſim oſor belli, quam pacis amans, declarant cum omnes libri mei, tum Pacis* undique profligatæ querimonia, *quæ jam, ut audio, Hiſpanice loqui didicit.*

Proſcripturæ ſtudio loco ſcholaſticæ rei commendando,

Paraphraſin Epiſtolæ ad Romanos *ſcripſit* Eraſmus *Antverpiæ* An. 1517. circa initium anni, *edidit Lovanii* eodem anno menſe Novembri: Reſuſcitavit An. 1518. Baſileæ. Inſcripſit Dominico Grimano Cardinali.

EMendari Eccleſiam cupiverat nuper Eraſmus, Novo Teſtamento Græco edito, nova verſione illuſtrato, omnibusque loco ſcholaſticæ rei commendato. Scripturam legi præ Thoma optaverat, Paulum præ Scoto. Conſultum porro ratus, *Paraphraſi Epiſtolæ ad Romanos lucem affundere*, monſtrareque hac occaſione Chriſtianis, non in rituum & ceremoniarum ambagibus, ſed in pectoris fide Chriſtianam rem eſſe ſitam. Nihil enim magis afflixit Eraſmum, quam vulgata popelli perſuaſio, imo commune omnium faſcinum, externam in ſacris pompam facere chriſtianum. Significavit per literas, An. 1516. 1517. amicis inſtitutum, quibus maximopere placuit. Integer ferme annus 1517. fluxit, quo partim adornavit *Antverpiæ*, ſub anni exordium, partim edidit *Lovanii*, anno vergente.

Inſcripſit Cardinali Grimano, Veneto, Lovanii, id. Nov. Anno 1517. (non 1527. ut ingenti errore habetur in operibus Eraſmi Baſileenſibus, nec non in Tomo Epiſtol. lib. 29. ep. 73. f. 1824. ed. Lond. Siquidem & Leonis X. vivi expreſſe meminit.) Adhortatur in illa Epiſtola Romam, ſervet Apoſtoli doctrinam, monetque, caveat, ne ex Roma degeneret in Babylonem. oblique & falſe reprehendit Romam, quæ à veteri illa religione in ſuperſtitionem plane abierit, à virtute in vitia: „Agnoſce Romane, „agnoſce quid tibi tribuat Paulus, ut intelligas, quæ laudes tibi ſint tuendæ. Audi quid moneat, ne neſci„as, quid ſit tibi cavendum. Fidem laudat, quæ nusquam adhuc fuit incorruptior: obedientiam præ„dicat, quæ fecit, ut cito ſuperſtitionem religione mutares: Facilitatem tribuit, cui ſolet eſſe comes cre„dulitas; Hæc in cauſa fuit, ut à pſeudoapoſtolis in Judaiſmum pellicereris. Sed aderat facilitati pru„dentia, quæ fecit ut mature reſipiſceres. Subnotat animi celſitudinem, atque ob id tam ſollicite de„terret à faſtu & inſolentia, à luxu avocat ad ſobrietatem, à libidinibus ad caſtimoniam, à ferocitate ad to„lerantiam, à diſſidiis ad concordiam, à bellis ad pacem. Hæc eſt indoles vere Romana, à qua degene„rare ſit turpe. Vide ne è Roma degeneres in Babylonem. Salſiora ſequentia. Fatetur divus Hiero„nymus, ſuis etiamnum temporibus laudatæ Paulo religionis extitiſſe documenta. Ubi, inquit, alibi tan„to ſtudio, & frequentia ad Eccleſias & martyrum ſepulcra concurritur? ubi ſic ad ſimilitudinem cœle„ſtis tonitrui amen reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur? Non quod aliam habeant Romani fi„dem, niſi hanc, quam omnes Chriſti Eccleſiæ, ſed quod devotio in eis major & ſimplicitas ad creden„dum: Magnificum quidem Hieronymi teſtimonium: At idem quid dicturus ſit ſi nunc videret eadem „in urbe tot Eccleſias, tot Cardinales, tot Epiſcopos; Si conſpiceret ab uno hoc certiſſimo Chriſti ora„culo ab univerſis mundi Principibus reſponſa peti? Parum Chriſtianum ſibi quemque videri, niſi Ro„mam, niſi Romanum Pontificem viderit ceu numen quoddam terreſtre, ut à cujus nutu ac renutu res „univerſæ mortalium pendeant? Omnia falſe; in quo loco Commentarii tota in Epiſtolam ad Romanos paraphraſis, quæ externum fucum plane detegit.

Hæc Paraphraſis ultimum fuit Eraſmi opuſculum, quod edidit *ante Lutherum*, ejusve cum Tezelio diſputationem, cui de Lutheri rebus nihil adhuc innotuerat. Eraſmus ipſe, Epiſtola ad Marcum Laurinum, Brugis Decanum An. 1523. hanc temporis circumſtantiam ſubnotavit: „Mea Paraphraſis excuſa

eſt

„eſt Lovanii, anno milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo, & aliquot menſibus erat Antverpiæ ſcripta, „priusquam excuderetur.

Superiora proinde Eraſmiana omnia, in Eccleſiæ & communis rei emendationem, bonarum literarum præſidio, ante Lutherum edita, argumenta fuerant publica rerum in melius mutandarum.

Anonymo, in primam Novi Teſtamenti græci editionem latinamque verſionem invehenti, reſpondit ſuccincte Eraſmus An. 1518. pro jure verſionis tuendo.

POſt lites Eraſmi cum *Dorpio*, Lovanienſi Theologo, An. 1515. de Novo Teſtamento græco non edendo, nec latine vertendo, nec notis illuſtrando: Poſt contentiones cum *Budæo*, An. 1516. nec non cum *Fabro Stapulenſi*, An. 1517. de aliquibus in verſione momentis: Tecte in Hiſpania *Stunica*, in Brabantia *Leus Anglus*, invectivas machinati, quas ſero ediderunt, ut infra dicetur. Præivit interim illis An. 1518. *Anonymus*, Lovanii, ut apparet Eraſmo *Scotus* gente viſus. Hic per *Martinum Lypſium*, Lovanii viventem, Bruſſellenſem ortu, Eraſmi amicum, Eraſmo ſcrupulos hominis miſit. Quos, ob ineptias, vix lectu dignos æſtimavit Eraſmus: Nihilominus ſuccincte ad ſingulos reſpondit. Quæ reſponſio, in epiſtola ad Martinum Lipſium, comparet *Tomo Epiſt. lib. 3. ep. 1. f. 157. ſeqq.* Tam vana & ludicra *vulgatæ defenſio*, & *novæ verſionis Eraſmi oppugnatio*, ut merito & ſuos aſſeclas illius puduerit. Argumenta tam lepida, ut riſum moverint Eraſmo.

Præmittit Eraſmus hominis characterem: „Sæviunt omnes ſed nulli magis, quam qui nihil omnino „docere poſſunt. Quod facere ſolent clamoſi quidam & plagoſi magiſtri, diſcipulos excarnificantes, „quos tamen nihil docere poſſunt præter illiteratas ac mox dediſcendas literas. Quod genus eſt ille, cu„jus libellum ad me miſiſti, tam indoctum, ut me piguerit legere, tam ridiculum, ut non potuerim non „legere, ſed inter navigandum. Inſaniam autem cum illo, ſi talibus ſycophannis coner reſpondere. Sed „annotabo ſingulis verbis ſingula næniarum capita.

Jactavit adverſarius, grande fuiſſe ſcelus Eraſmi, qui *Hieronymi verſionem* voluerit emendare: Quaſi *vulgata* eſſet *ab Hieronymo.* Quod falſum eſſe nuper jam integra diſſertatione demonſtraverat *Jacobus Faber Stapulenſis* in ſuis in N. T. notis. Monet proinde Eraſmus vulgatam illam N. T. verſionem nec eſſe Cypriani, nec Hilarii, nec Auguſtini, nec Hieronymi.

Delictum Eraſini, quod *correxerit aut mutaverit vulgatam.* Eraſmus vulgatam reliquit intactam, vertit autem ex græco indicans ſimul ubi græci cum vulgata conveniant, ubi diſcrepent, emendans, ſiquid in vulgata depravatum, explanans ambiguum, enarrans quod obſcurum, mutans quod barbare dictum. Quam ludicrum ſit poſtulatum, *a vulgata nihil diverſum eſſe tolerandum*, ſolide probat. „Si nihil omni„no vult edi, quod diſſonet a vulgata lectione, non erit fas, Novum Teſtamentum græce, ut a Græcis le„gitur, edere, niſi prius ad hanc editionem caſtigatum, ne quis forte deprehendat lectionis diſſonantiam. „Quis autem adeo demens ſit, ut iſtuc dicat?

Dein veterum latinarum verſionem diſcrepantiam, pro vario Patrum uſu, imo & vulgatæ ipſius varietatem commonſtrat, docens verſionum frequentiam ipſis Patribus uſitatam fuiſſe & gratam, cum interpretum non eadem ſit vel peritia vel judicandi facultas.

Inanis clamor adverſarii, ex vulgatæ emendatione, aut verſionum varietate, fidem ſacrorum voluminum vacillare, qui malit aperta menda in verſione retineri. Opponit Eraſmus exemplum Hieronymi, qui ab hoc ſtudio non fuerit deterritus, populi quoque ſtrepitu. Irrepere etiam in verſionum exempla cum ſeculis per imperitos amanuenſes vitia, quæ ſint omnino corrigenda. Præterea futile eſſe, negare lucem ſcripturæ, explanatione. „Reſpondeat, utrum referat ſacras literas recte intelligi an non? „Si fatebitur referre, cur damnat ſtudium noſtrum, quo tot loca ſunt explanata, quæ nec ille, quantum„vis doctus, hactenus intellexit.

Finxit adverſarius, multos eſſe conatos ſubvertere & abolere vulgatam verſionem, alios, ut ornatum ſermonis adderent, alios alio fine, ſed fruſtra. *Solum Fabrum Stapulenſem* id conatum eſſe reſpondet Eraſmus.

Laurentium Vallam eſſe autorem hujus cœpti, dixit ille. Hic, Vallam non vertiſſe Novum Teſtamentum, qui notas ſolum dedit pro vulgata caſtiganda. Hieronymum id negotii dudum præſtitiſſe, adeoque *de novo vertere* non eſſe novum inſtitutum a Vallæ ætate, ſed antiquiſſimum, ab Hieronymi ævo.

Ille: *Verba Chriſti ſic redigi ſub regulas Donati*, ſi quid in vulgata emendetur, tametſi obſcurum aut barbarum. Hic: Chriſtum non locutum eſſe latine, ſed interpretem; hunc examinari: in textu græco nihil quicquam mutari.

Ille; craſſe ac ruditer: *Latinum interpretem afflatu Spiritus ſancti vertiſſe.* Hic, ore Hieronymi, interpretes pro ſuo quemque captu vertere quod aſſequi poſſunt. Præterea, Hieronymum paſim reprehendere illam verſionem, ſine periculo, quod reprehendat in latino illó interprete ſpiritum divinum, qui verſionem inſpirarit.

Ille, ut verſionis vulgatæ dignitatem vindicet: *Eloquentiam eſſe petendam ex ſacris libris;* elegantem adeo verſionem illam neutiquam eſſe mutandam, ne quid eloquentiæ diſcendæ decedat. Hic: Eloquentiam non ex verſione latina, aut elegantiam dicendi, ſed ex ipſis rebus poſſe peti, ſi ex ſacris peti debeat, ex ſententiis divinis. Dein ſcripturam non eſſe datam ad eloquentiam inde diſcendam, quæ ex aliis oratoribus acquiri poſſit, exemplo Auguſtini & Hieronymi.

Ille: *Solam elegantiam eſſe in ſacris literis*: Hic: A ſacris ſcriptoribus non abeſſe eloquentiam cum adſit ſapientia: Sed hoc nihil ad vulgatæ verſionis elegantiam.

Ille: *Qui Vallam edat*, quod fecerat Eraſmus An. 1505. *eloquentiam ſacræ ſcripturæ reddere infamem.* Hic: Vallam, non rem aut textum ſacrum, ſed verſionem latinam notaſſe: Neque verſionem corrigere, idem eſſe ac rem ſacram mutare.

Ille: Poëtas eſſe præcipitandos. Hic, ut aurum ac gemmas temnant aſini.

Ille: *Hactenus uſa eſt eccleſia hac translatione, quæ ſi tollitur, caruit ſpiritu ſancto.* Hic: *Ambroſius caruit hac verſione caruit ergo Spiritu ſancto.*

Ille: Syllogiſmo Chryſippeo, ne quid in verſione mutetur: *Eloquentia pendet ab autoritate: Sed utrum ab autoritate minorum an majorum? Non a minorum autoritate, igitur a majorum. Sed nemo major ſpiritu ſancto, igitur non licet aliquid innovare in Novo Teſtamento.* Quia verſio latina eſt divinitus inſpirata, latinitas igitur illa divina, a ſpiritu ſancto, incorrigibilis. Hic: Quis hæc legens, non riſu diffluat?

Ille: Scripturas ſacras non poſſe intelligi ſine Philoſophia. Hic: Non ſine linguis.

Ille: Eccleſiam errare non poſſe. Hic: Verſionem depravatam poſſe eſſe in Eccleſia, & indigere luce.

Ille: *Eraſmum ſcandalo eſſe orbi, dum novet recepta.* Hic: Maximos & optimos quosque gratias agere Eraſmo, & qui prius oblatrarant, opere lecto deſiiſſe oblatrare: Sed offendi paucos ſupercilioſos, qui nolint quicquam videri neſciſſe.

Ille: Ut detur, ineſſe errores, non oportere in vulgus proferre. Hic: imo maxime in vulgus efferendum eſſe, quod oporteat ab omnibus ſciri.

Ille: *Non poſſe privatam perſonam non autorizatam, novam cudere translationem, veterem corrigere.* Hic: Et ſibi licere, ſi quid in ſacris profecerit, in medium afferre. Se græca vertere, veterem editionem per ipſum omnibus linqui, ut eſt. Indoctis licuiſſe corrumpere, quidni illi emendare, niſi ſynodo convocata? Præſens negotium non autoritate, non mitra aut galero, ſed linguarum peritiâ conſtare.

Ille: Lepra ſacerdoti indicanda, cujus eſt judicare: Verſionem igitur corruptam Pontifici fuiſſe committendam. Hic, Leonis X. hortatu emendationem eſſe ſuſceptam, per Cardinales duos approbaſſe.

Ille: *Græca Novi Teſtamenti exemplaria à Græcis eſſe falſata, ubi deſciverunt à Romana Eccleſia.* Hic: nihil fuiſſe cauſæ, cur corrumperent. Novos illorum codices cum veteribus conſentire, nihil adeo mutaſſe. Quæ Patres allegarunt ex græcis codicibus, Græci & Latini, cum Græcis codicibus conſentire.

Ille: Decreta Pontificum voluiſſe quidem, Novi Teſtamenti veritatem ex Græcorum voluminibus examinandam eſſe, ſed hoc illis temporibus conveniſſe, non his: Ratio, quod Græci deſciverint. Hic, Defectionem græcorum non mutaſſe græcorum Evangelium. Hieronymum emendaſſe veteris Teſtamenti verſionem ex codicibus hebraicis, etiamſi Judæi non à Romana Eccleſia ſed ab ipſo Chriſto defeciſſent.

Ille iterum: Pontifici librum Eraſmi fuiſſe mittendum ad cenſuram. Hic: non omnes libros poſſe mitti Pontifici, cum tamen in omnibus poſſit aliquid eſſe, quod aliquos poſſit offendere. Nec Thomam, nec Scotum, nec Auguſtinum, nec Hieronymum ſua miſiſſe Pontifici, ut cenſerentur.

Ille, autorizandum fuiſſe à Pontifice, ſic probare ut nihil ineſſet erroris. Hic; ad iſtam legem, præter canonicas ſcripturas nihil haberi autorizatum.

Ille: Thomam velle, ne cuiquam fas ſit docere ſine publica autoritate. Hic, Eraſmo eandem eſſe autoritatem, quæ Thomæ, optimos præſules & ſummum Pontificem efflagitaſſe ut ederet. Thomam de concionibus aut profeſſionibus loqui, non de libris edendis.

Ille Hieronymum non eſſe auſum aggredi translationem ſcripturæ ſacræ, niſi juſſu Damaſi. Hic: Hæc eſſe ficta. Pentateuchum eſſe ab Hieronymo verſum ad preces Deſiderii cujusdam. Idem de ceteris. Hieronymum ſolum Novum Teſtamentum ad preces Damaſi papæ recognoviſſe. Præterea, hoc negotii non injunxiſſe Damaſum tanquam ſummum orbis Pontificem, cum nomen hoc illis temporibus eſſet inauditum, quantum ex veterum omnium ſcriptis poſſit colligi, ſed tanquam Romanum Pontificem, qui Hieronymo injungeret Romano, quod illic eſſet baptizatus, & presbyteri honorem conſecutus. Fabrum Stapulenſem prius & plus auſum eſſe quam Eraſmum; nulla interim Pontificis autoritate factum, Eraſmum vero ſignificaſſe Pontifici antequam opus aggrederetur.

Ille: Eraſmum paſſim diſſentire a Thoma, a Magiſtro ſententiarum, a Lyrano, ab Hugone Carrenſe. Hic, id juſte factum, ſine illorum ignominia, quin cum honoris præfatione.

Neque ille *Hieronymum Eraſmi* ſivit intactum, quem ait mutilatum, cum Eraſmus ab eo ſecreverit ſuppoſititia, reſtituerit genuina.

In Moria Eraſmus de Silenis reſpectu Chriſti & Apoſtolorum? Hinc ille: Nefas eſſe verbis uti, niſi ſcripturæ ſacræ. Hic: „Cur auſus eſt Thomas tot novis & verbis & rebus, partim ab Ariſtotele ſum„tis, partim ex ipſo confictis, de rebus divinis non ſolum loqui, ſed etiam pronunciare? Ubi vero legi„mus in literis ſacris, Eccleſiam Chriſti eſſentialiter eſſe in convocatione omnium fidelium, repræſen„tative in Cardinalibus, virtualiter in Pontifice Romano? Ut hoc ex multis millibus unum exempli gra„tia proferam. Quod ſi non licet ſimilitudinem conferre, qui non ſit in ſacris literis, quid faciemus „omnibus priſcis orthodoxis, qui innumeras adducunt novas, docendi gratia? Neque quisquam cla„mat in opus cujusdam Prædicatoris inſulſiſſimum, quod omnes Ovidianas fabulas ad Chriſtum accom„modat, imo detorquet. In me blaterant, qui Silenos detorſerim ad Chriſtum & apoſtolos, paulo ſan„ctius, quam ipſi ſacras tractant literas.

Tanti

Tanti erat publico prodesse gemino magno opere Ecclesiæ salutari, Novo Testamento græco edito atque illustrato, & Hieronymo instaurato. Tam frivolis argumentis vetus barbaries defendenda, & superstitio propugnanda. Utrumque Erasmi opus majus horum hominum captu & judicio, qui in tenebris micare scirent, publicam rem juvare nescirent.

Fontium studium ursit, & ex Fontibus breve ac perspicuum doctrinæ Christianæ compendium parari suasit Erasmus, *Reformationis Christianæ imaginem luculentam* Paulo Volzio Abbati publico nomine dedit, An. 1518. resuscitato Militis Christiani Enchiridio ad Pietatem formandam composito.

SCripserat Erasmus circa annum 1493. *Enchiridion militis Christiani*, aut inchoaverat potius, occasione militis luxuriosi in viam revocandi, & ad sobrietatem invitandi. Ediderat An. 1501. prodierat sæpius. Resuscitavit anno hoc, 1518. addita luculenta admodum præfatione ad *Paulum Volzium Abbatem Monasterii Curiæ Hugonis.*

Antam & fata libri ipse commemoravit Erasmus An. 1523. in Catalogo Lucubr. „Enchiridion militis Christiani cœpimus ante annos ferme triginta, tum agentes in arce Tornatiensi, quo nos pestis, quæ „tum Lutetiæ desæviebat, præpulerat. Res est casu nata. Erat in ea arce quidam amicus, mihi Batto„que communis. Huic erat uxor, singulari pietate prædita. Ipse nulli pejor, quam sibi; homo pro„fusus scortationibus, & adulteriis opertus; alioqui comis ad omnem convictum. Theologos omnes „fortiter contemnebat, uno me excepto. Uxor mire satagebat de salute viri. Hæc per Battum me„cum agit, ut aliqua notarem scripto, quæ religionem incuterent homini: Sic tamen ne sentiret hæc „uxoris impulsu geri. Nam erat & in hanc sævus usque ad plagas, more videlicet militari. Obsecutus „sum, annotavi quædam ei tempori congrua. Ea cum placerent etiam eruditis, præsertim Joanni Vi„terio Franciscano, cujus erat in illis regionibus autoritas summa, cum post rursus e Lutetia pestis undi„que sæviens Lovanium nos profligasset, per ocium absolvimus. Libellus erat aliquamdiu negle„ctus. Mox mire cœpit esse vendibilis, idque potissimum commendatione quorundam domi„nicalium.

In nova hac editione præfatio ad Abbatem Volzium, quæ scholasticam rem pessundaret, vehementer irritavit scholam, submonente ipso Erasmo: *Dominicalium aliquam multos nuper alienavit addita præfatio ad Paulum Volzium Abbatem, virum moribus ut si quis alius pure Christianis.*

Librum ipsum ad pietatem facientem, lectorum linquimus studio. *Apologiam* lustrabimus, qua se apud Volzium tuitus adversus superbos quorundam susurros. In his erat: *in libello plus conspici sanctimoniæ, quam in libelli autore.* Non negat Erasmus, hoc uno se solatus, quod contendat: „Nec ipse „videor modis omnibus insectandus, si monitis meis parum respondeo. Primum, est aliqua pietatis „pars, ex animo velle pium fieri. Neque rejiciendum puto pectus talibus intentum cogitationibus, etiam„si conatum aliquando destituat successus. Semper hoc agendum in omni vita, & crebro retentan„dum, succedet aliquando. Bonam autem itineris perplexi partem confecit, qui viam probe di„dicit.

Rudior altera de libro querela, librum esse tenuem, scatere rebus theologicis, non discuti quæstiones scholasticas. Respondet Erasmus mascule, nugas illas, & scholæ bella fortiter expugnando. Primum fatetur, hanc scenam in illo suo libello non agi, sed melius quid quæri. „Nihil me movent quo„rundam scommata, qui libellum hunc ceu parum eruditum alpernantur, & qui vel ab elementario quo„vis scribi possit, quod nihil tractet Scoticarum quæstionum; quasi sine his nihil sit eruditum. Sit „sane parum acutus, modo sit pius. Non reddat instructos ad palæstram Sorbonicam, modo reddat, „instructos ad tranquillitatem Christianam. Non faciat ad disputationem theologicam, modo faciat „ad vitam theologicam.

Subjungit, vulgatas esse, ubivis obvias, lites Scholasticas, quibus tot vasta distenta sint volumina, quibus tinniant & reboent innumera auditoria, ut non opus fuerit, Erasmum hoc libello illam ferram trahere. „Quorsum attinet hoc tractare, quod nemo non tractat? Quis hodie non versatur in quæstionibus „theologicis? Aut quid aliud agunt Gymnasiorum examina? Tot pene sunt in sententiarum libros Com„mentarii, quod theologorum nomina. Quis summulariorum modus aut numerus, aliud ex alio miscen„tium ac remiscentium & pharmacopolarum ritu, ex novis vetera, ex veteribus nova, è pluribus unum, „ex uno plura subinde fingentium ac resingentium. Inutilia esse ista scholarum pondera demonstrat. „Qui fiet, ut hujusmodi voluminum moles nos ad recte vivendum instituant, quæ ne per omnem qui„dem vitam vacet evolvere? Veluti si medicus morbo præsentaneo laboranti præscribat, ut Jacobi à „Partibus libros, ac reliquos his adsimiles omnes evolvat, illic reperturus, quo valetudinem farciat. At „hunc interea mors occuparit, nec erit cui possit succurri. In tanta ætatis fugacitate parato prompto„que remedio est opus. Quot voluminibus præcipiant. De restitutione, de confessione, de votis, de scandalis, *deque aliis innumeris?* „Cumque minutatim excutiant singula, singula sic definiant, quasi cæ„terorum omnium ingeniis diffidant, imo quasi Christi diffidant bonitati, dum ἕξεις præscribunt, quid „ille cuique facto vel præmii debeat, vel supplicii: Tamen nec inter se consentiunt, nec aliquoties rem „liquido explicant, si propius consulant. Tanta est ingeniorum vel circumstantiarum varietas. Por„ro, ut omnia vere, omnia recte definierint, præterquam quod jejune frigideque tractantur ista, quoto „cuique vacat tantum voluminum evolvere. Aut quis possit se cum Aquinatis secundæ secundam *cir„cumferre?* Et tamen nullius non refert bene vivere, ad quod Christus omnibus aditum facilem esse vo„luit, non inexplicabilibus disputationum labyrinthis, sed fide sincera, charitate non ficta, quam comitatur „spes, quæ non pudefit.

Præ

Præ tot immenſis & infinitis ſcholæ ambagibus, ſatius eſſe imperitæ multitudini conſulere, brevi ad chriſtianam pietatem inſtitutione. „Verſentur in magnis illis voluminibus magni Rabini, qui pauci „ſint oportet: At nihilo ſecius interim imperitæ multitudini, pro qua mortuus eſt Chriſtus, conſulen„dum eſt. Præcipuam autem Chriſtianæ pietatis portionem docuit, quisquis ad hujus inflammavit „amorem.

Turpe eſſe, Chriſtianam doctrinam reddere obſcuram, quæſtus & gloriæ cupiditate: „Quod tur„pe eſt Juris peritis ac Medicis, quorum utrique de induſtria ſuam artem reddidere difficillimam, quo ſi„mul & quæſtus ſit uberior, & gloria major apud imperitos: id longe turpius fuerit feciſſe in philoſo„phia Chriſti.

Annitendum potius eſſe, ut Chriſtiana res fiat pleniſſima: „Contra conniti par eſt, ut eam, quam „fieri poteſt reddamus facillimam & omnibus expoſitam: neque illudſit nobis ſtudio, ut ipſi literati vi„deamur, ſed ut quamplurimos ad Chriſtianam vitam pelliciamus.

Ad religionem Chriſtianam commendandam quam nihil conferant ſcholaſticorum arma & machinæ, exemplo Turcarum oſtendit, in quos tunc parabatur beſſum: „Quid futurum arbitramur, ſi vi„ctis Turcis, ut Chriſtum amplectantur, Occamos, aut Durandos, aut Scotos, aut Gabrieles, aut Alva„ros, propoſuerimus? Quid cogitabunt, aut quid ſentient, (ſunt enim illi, ut nihil aliud, certe homines) „ubi audierint ſpinoſas illas & inextricabiles argutias, de inſtantibus, de formalitatibus, de quidditatibus, „de relationibus? Præſertim ubi viderint, de iis adeo non convenire inter magnos illos religionis Profeſ„ſores, ut frequenter usque ad pallorem, usque ad convitia, usque ad ſputa, nonnunquam & usque ad „pugnos invicem digladientur?

Tremenda Scholaſticorum circa Chriſtianam rem diſſidia horret: Quid dicent „ubi prædicatores „pro ſuo Thoma cominus atque eminus dimicantes viderint? Minoritas contra ſubtiliſſimos ac ſera„phicos doctores junctis umbonibus tuentes? Alios ut nominales, alios ut reales loqui? Si viderint rem „usque adeo difficilem eſſe, ut nunquam ſatis diſcuſſum ſit, quibus verbis de Chriſto ſit loquendum? per„inde quaſi cum moroſo quopiam agas dæmone, quem in tuam ipſius perniciem evocaris, ſi quid te fe„fellerit in verbis præſcriptis, ac non potius cum clementiſſimo Servatore, qui à nobis præter puram ſim„plicemque vitam nihil exigit.

Dolet, ſuperciliofæ doctrinæ pares eſſe mores: „Obſecro te per Deum immortalem, quid iſtis age„tur rebus, maxime ſi ſuperciliofæ doctrinæ mores & vita ſimilis reſpondeat! ſi ex ſtrepitu noſtro plus „quam tyrannico, perſpexerint ambitionem noſtram, ſi ex rapacitate avaritiam, ſi ex ſtupris libidinem, „ſi ex oppreſſionibus ſævitiam; qua fronte ingeremus illis Chriſti doctrinam, ab hiſce rebus longe lateque „diſcrepantem?

Victoriam de Turcis parare quidem Pontifici limites regni ampliores, non Chriſto: „Ut feliciter „cadat Martis, ſemper ancipitis, alea, fiet ut latius fortaſſe regnet Pontifex, aut hujus Cardinales; non ut „latius regnet Chriſtus, cujus regnum ita demum floret, ſi vigeat pietas, ſi charitas, ſi pax, ſi caſtitas.

Compendium doctrinæ Chriſtianæ, breve & dilucidum, ex ipſis Fontibus apparari ſuaſit: „Com„modiſſimum mea ſententia fuerit, ſi muneris hoc viris aliquot juxta piis & doctis delegetur, ut ex puris„ſimis fontibus Evangeliſtarum & Apoſtolorum, ex probatiſſimis interpretibus univerſam Chriſti phi„loſophiam in compendium contrahant, ita ſimpliciter, ut tamen erudite, ita breviter ut tamen dilucide. Quæ pertinent ad fidem, quam paucisſimis articulis abſolvantur, quæ ad vitam, item paucis tra„dantur, & ſic tradantur, ut intelligant, Chriſti jugum blandum & commodum eſſe, non aſperum: Ut „intelligant, ſeſe patres nactos, non tyrannos; paſtores non prædones, ad ſalutem vocari, non ad ſervi„tutem pertrahi. Sed quibus Romanus Pontifex hoc negotii volet delegare, eadem opera mandabit, ne „quid deflectant ab archetypo Chriſto, ne usquam ad hominum affectus aut cupiditates reſpiciant.

In immani publica morum & opinionum corruptione ad ſolam ſcripturam eſſe confugiendum: „Videbam, Chriſtianorum vulgus non affectibus modo verum etiam opinionibus eſſe corruptum. Per„pendebam, eos qui paſtores ac doctores ſe profitentur, plerosque ad ſuum compendium Chriſti titulis „abuti; Ne quid interim commemorem de his, quorum nutu ac renutu res humanæ ſurſum ac deorſum „ἄγονται καὶ φέρονται, ad quorum vitia quantumvis manifeſta vix licet ingemiſcere. Et in tanta rerum „caligine, in tantis mundi tumultibus, in tanta humanarum opinionum varietate, quo potius confugien„dum, quam ad vere ſacram anchoram evangelicæ doctrinæ?

In tam vaga ſacræ rei confuſione Scripturæ ſtudium commendat impenſius: „Quis vere pius non „videt ac ſuſpirat hoc ſeculum longe corruptiſſimum? Quando unquam tyrannis, quando avaritia „regnavit aut latius aut impunius? Quando unquam plus tributum ceremoniis? Quando licentius exun„davit iniquitas? Quando ſic refrixit charitas? Quid effertur, quid legitur, quid auditur, quid decerni„tur, niſi quod ambitionem quæſtumque ſapiat? O infelices nos, niſi Chriſtus aliquot ſuæ doctrinæ ſcin„tillulas, ſuæque mentis ceu vivas & æternas venulas reliquiſſet. In hoc igitur enitendum, ut omiſſis „hominum prunis, has ſcintillas ἀναζωπυρῶμεν. Has venas ſcrutemur, donec reperiamus aquam vivam „ſalientem in vitam æternam. Neglectum, aut ſubtractum, vel & vetitum, per Scholaſticos, per ſuperſti„tioſos, per veritatis hoſtes, per Chriſtianæ virtutis inimicos, per tempora, per fata, ſcripturæ ſtudium, tanto ardentius renovare jubet, quanto magis oppreſſum, aut humanis traditionibus obrutum & extinctum. „Fodit olim puteos Abraham in omni terra, ubique ſcrutans venas aquæ vivæ. Sed eosdem a Phili„ſtinis terra oppletos refodit Iſaac cum pueris ſuis; nec contentus inſtauraſſe priſtinos, fodit & „novos.

Obnitentes Fontium ſtudio conſtantia eſſe ſuperandos; eos qui ſcholaſticam ſaburram convehant, qua Fontes obſtruant, & uſum eorum impediant, animi præſentia eſſe depellendos. Eſſe omnino, quorum

erat

erat juvare, qui abstrahant, qui deterreant, qui artibus, insidiis, & convitiis arceant. „At rursum movent „jurgium & rixas Philistæi, neque tamen Isaac desinit fodere. Nec his temporibus omnino desunt Phi„listæi, quibus terra gratior est vitalibus fontium scatebris. Quippe hi, qui terrena sapiunt, & ad terrenos „affectus detorquent, doctrinam evangelicam, quam cogunt humanæ servire ambitioni, cogunt lucris „turpibus & tyrannidi suæ obsecundare. Quod si quis Isaac, aut si quis ex sua familia foderit, repererit„que venam aliquam puram, protinus obstrepunt ac reclamant, intelligentes eam venam offecturam lu„cris, offecturam ambitioni, etiamsi pro Christi gloria faciat. Mox terram injiciunt, & corrupta inter„pretatione venam obturant, fossorem depellunt, aut ita certe luto sordibusque conspurcant aquam, ut „qui inde biberit, plus hauriat limi sordiumque quam liquoris. Nolunt sitientes justitiam de puro „latice bibere, sed adducunt eos ad suas cisternas contritas, quæ rudera habent, aquam non ha„bent. Sed tamen non oportet germanos pueros Isaac, hoc est veros Christi cultores ab hoc labo„re defatigari.

Lucrosas in Ecclesia artes, & sacras nundinationes, cauponationes, & quæstuosa exercitia, non sinere ire ad veritatem ejusque usum: „Inter Christi cultores quoque volunt haberi, qui terram ingerunt „evangelicis fontibus, adeo ut inter Christianos jam minime tutum sit Christum pure. Tantum inva„luerunt Philistæi, pro terra belligerantes, pro cœlestibus terrena, pro divinis humana prædicantes; Hoc „est, non ea, quæ faciunt ad Christi gloriam, sed ad illorum quæstum, qui condonationes, qui composi„tiones, qui dispensationes, similesque cauponationes redimunt. Idque faciunt hoc periculosius, quod „suis cupiditatibus magnorum Principum, summi Pontificis, atque ipsius etiam Christi titulos præte„xunt. Atqui nemo verius summi Pontificis agit negotium, quam qui cœlestem Christi Philosophiam „pure tradit, cujus ille primus est doctor. Nemo de Principibus melius meretur, quam qui dat operam, „ut populi res quam maxime floreant, & quam minima tyrannide premantur.

Onerosam publicæ rei consuetudinem, casuum conscientiæ, & fori decisiones, & responsa ex Academiis & Collegiis venandi, pro civilis & Canonici juris formulis captiosis, damnat amplius: „Re„clamabit hic aliquis e scholarum agminibus: Facile est cuivis in genere præcipere quid sequen„dum, quid fugiendum. At, quid interim respondebitur iis, qui de tot eventis, de tot casibus con„sulunt?

Solvit nodum Erasmus, detecta responsionum ambiguitate, vel & respondentium fluctuatione, qui plerumque dissideant, tum in eodem collegio, tum diversis, distinctis Academiis; qualia responsa non nisi pericula, conjecturæ, opiniones, veritati & justitiæ adversæ magis quam consonæ. „Primum plu„res sunt rerum humanarum species, quam ut ad singulas possint haberi certa responsa. Deinde tan„ta est circumstantiarum varietas, ut nisi his cognitis ne possit quidem certum responderi. Postremo, „haud scio an isti certum habeant, quod respondeant, præsertim cum de plerisque inter se dissentiant„ Et qui in hoc genere cordatiores sunt, non ita respondere solent: Hoc facies, hoc fugies, sed, hoc tu„tius est, mea sententia. Hoc arbitror tolerabile.

Uti Casuistarum plaustra quassavit Erasmus, ita breve solutionum & nervosum compendium, vere Christianum, suppeditat, & una voce *charitatis* comprehendit. „Quod si nobis adsit simplex ac luci„dus ille oculus ex Evangelio, si domus animi puræ fidei lucernam habeat candelabro impositam, fa„cile minuta ista ceu nebulæ discutientur. Si adsit Christianæ charitatis regula, ad hanc omnia facile „exæquabuntur.

Grande dubium objicit Erasmus emendationi laudatæ, cum status, jam determinati in republica, ordines definiti, classes hominum & negotiorum distinctæ, non ferant mutationem. *Decreta humana* esse recepta ac immutabilia. In his nihil prodesse *caritatis regulam*, ex decreto vivendum agendumque. Obstare charitatis usui & medio decretorum autoritatem. „Quid facias, cum hæc regula pugna„bit cum his quæ sunt publico seculorum usu recepta, quæque principum legibus sancita? Nam & hoc „non raro usu venit.

Non negat Erasmus statuum discrimen autoritatemque, nec bonos ordines, civitati proficuos. Optat tamen illos Christianæ rei non adversari, sed ad illius indolem venerandam decenter instrui & componi. Status esse bonos, si bene agant, posseque illos virtutem exercere Christiano nomini convenientem: Neque humana decreta oportere potiora esse divinis. „Ne damnaris, quod pro suo officio „gerunt Principes. At rursum, nolim contaminare cœlestem illam philosophiam Christi humanis de„cretis. Maneat Christus id quod est, centrum, ambientibus circulis aliquot. Noli scopum suo mo„vere loco.

Omnes tres status, sacerdotum, principum & magistratuum, populique cum suis rebus, ferre commodam reipublicæ conformationem, ne una pars obsit, alterique sit damno, statutis suis aut consuetudinibus depravatis. Ordine justo disserit de singulis. Mansuetudinem commendat omnibus. De Principum & magistratuum regimine modestissime sentit, excusat multa, quæ videantur aspera, honoremque iis vindicat æquissimum. Statutis interim civilibus, quæ necessitas alicubi imperet, divinam autoritatem negat, juris divini titulo. „Ne protinus horum, inquit, quæ geruntur à Principibus aut pro„fanis magistratibus, Christum faciamus autorem, aut, ut nunc loquuntur, juri divino asseramus. Crassa „quædam ab illis tractantur, nec omnino Christianæ puritatis, sed quæ tamen insectanda non sint, utpote „necessaria ad rerum ordinem tuendum. Nec enim horum ministerio fit, ut boni simus, sed ut minus „mali, utque qui mali sunt, minus noceant reipublicæ: Debetur igitur & his suus honos, quod utcun„que serviant justitiæ divinæ, publicæque tranquillitati, sine qua turbantur aliquoties, & ea quæ sunt pie„tatis. Honorandi sunt ubi suo funguntur officio, tolerandi fortassis, ubi sibi gerunt potestatem, ne „quid deterius exoriatur. Sublucet enim in his quoque imago, vel umbra verius divinæ justitiæ, quam

„tamen oportet longe expressius, evidentius ac purius, in sacerdotum moribus ac legibus! elucere. Ali„ter in ferro relucet imago, aliter in vitreo speculo.

In promiscuum vulgus, crassissimam orbis partem, clementiam ac lenitatem in gubernando requirit, ne populus habeatur pro servis & mancipiis, ruditer tractandis & inclementer, qui potius pro casibus ferendus & sensim ad virtutem pertrahendus. Infirmitati plusculum esse indulgendum, in spem emendationis.

Aperta omnium statuum vitia, ambitionem, quæstum, libidinem, iram, vindictam, invidiam, obtrectationem, & reliquas pestes, detestatur. Quæ contagia in superioribus statibus *immedicabilia* appellat, „cum pietatis & officii personâ commendata in superiores circulos irrepant, hoc est, cum justitiæ „jurisque prætextu nostram exercemus tyrannidem, cum per religionis occasionem consulimus quæstui, „cum Ecclesiæ defendendo titulo mundanum venamur imperium, cum præcipiuntur velut ad Christi „rem facientia, quæ longissime absunt à Christi doctrina.

Omnium ex æquo statuum scopum esse integritatem. „Quod summum est, omnibus esse desti„nandum, ut saltem assequamur mediocria. Nec est quod ullum vitæ genus ab hoc scopo submovea„mus. In affectibus est Christi perfectio, non in vitæ genere. In animis est, non in palliis aut „cibis. Optimum exemplar, quod in oculis omnium, invitare hos, illos, ut vel æmulentur, vel accedant propius, ut Plato reipublicæ, Quintilianus oratoris formam optimam sliterint, ut annitendi sit occasio, etsi assequendi non ubique detur facultas.

Qualis præstantissima omnium ordinum forma tanto magis necessaria, quanto proniores singuli, ut declinent ac degenerent. Defectus igitur singulorum suo submonstrare loco, non esse ordinem temnere, sed subvenire & opitulari. „Habet unum quodque vitæ genus cognata quædam degenerandi peri„cula. Ea qui commonstrat, non derogat ordini, sed rem ordinis agit.

„Principum felicitas obnoxia est tyrannidi, obnoxia est stultitiæ, obnoxia adulationi, obnoxia de„litiis. Hæc qui commonstrat vitanda, bene meretur de Principum ordine. Nec derogat illorum ma„jestati, qua gloriantur, qui demonstrat, quibus in rebus sita sit vera Principum majestas, qui illos admo„net, quid jurarint in suscipiendo principatu, quid debeant populo suo, quid magistratibus.

„Ecclesiastici proceres fere affines sunt duabus potissimum pestibus, avaritiæ & ambitioni. Quod „ceu præsentiens primus ille secundum Christum pastor, admonet Episcopos, ut pascant gregem suum, „non autem expilent & deglubant; nec pascant turpis lucri gratia, sed ex animi prompta voluntate. „Nec dominentur in suos, sed exemplo vitæ provocent ad pietatem potius, quam minis aut imperio.

„Monachorum genus fere comitatur, præter alios morbos, superstitio, supercilium, hypocrisis, „obtrectatio.

Vitia detecta & reprehensa non tollere statum, sed abusum & damna. „Si quis admoneat, ut in „diatribis, præcipue theologicis, absit ambitiosa vincendi suaque tuendi pertinacia, absit theatrica illa „ostentandarum virium ambitio, non recte defertur, quasi Scholas in totum damnet. Neque enim di„vus Augustinus, admones, dialecticis cavendam esse rixandi libidinem, damnat dialecticam, sed pestem „illius ostendit, ut vitetur.

De corrupto vulgi judicio, quo peccata habentur, quæ vix sunt, non habentur, quæ sunt maxima. „Si quis præposterum vulgi judicium taxet, inter virtutes, primas tribuentis iis, quæ sunt extremæ classis, „& contra: item inter vitia, vehementissime detestantis, quæ levissima sint mala, quasi sint atrocissima, „ac retrorsum: Protinus in jus vocatur, quasi vitiis faveat, quibus gravius vitium anteponit: aut quasi „damnet benefacta, quibus alia præfert ut sanctiora.

De Pontificiis indulgentiis & concessionibus: „Si quis admoneat tutius esse benefactis fidere, quam „Pontificiis condonationibus, non utique damnat illius condonationes, sed præfert id quod ex Christi do„ctrina certius est.

De religiosis peregrinationibus, popelli fascinis, & magnatum ludibriis: „Si quis admoneat, rectius „facere eos, qui domi liberis & uxori moderandæ dant operam, quam si visendi gratia Romam, Hiero„solymam, aut Compostellam adeant, eamque pecuniam, quam insumant in longam ac periculosam pro„fectionem, sanctius in bonos ac veros pauperes erogari; non damnat pium istorum affectum, sed ante„fert id quod propius est veræ pietati.

De sacerdotum sceleribus: „Queritur in epistolis Augustinus, unum libidinis crimen apud Afros „imputari sacerdotibus, ceterum avaritiæ temulentiæque vitium pene laudi verti. Unum illud tragicis „modis exaggeramus, terque quaterque horrendum facinus, iisdem manibus tractare corpus Christi, „quibus attrectaris corpus meretricis. Nec desunt, qui nimium tragice ausint publicitus asseverare, le„viorem esse culpam, si mulier habeat rem cum bruta pecude quam cum sacerdote. Horum impuden„tiam qui refellit, non continuo favet impudicis sacerdotibus, sed admonet, ea negligi quæ magis erant „exaggeranda. Est sacerdos aleator, est bellator, aut gladiator, est totus indoctus, totus profanis rebus „immersus, malorum Principum malis obsequiis deditus, in hanc non itidem vociferantur, qui totus „profanus tractet sacrosancta mysteria. Est sacerdos sycophanta, qui lingua virulenta, mendaciisque „confictis, lacerat famam hominis nihil commeriti, imo benemeriti, cur hic non vociferamur, o scelus „horrendum! Tun' lingua tartareo veneno tincta, tun' ore, quo jugulas innocentem, & conficis & sumis „corpus illius, qui pro impiis etiam mortuus est? At hoc mali sic negligimus, ut hinc pene laudem ferant, „qui religionem religiosissimam profitentur.

De ceremoniis sacris, & superstitiosa in illas fiducia: „Non facile dictu sit, quanta morum lues „ex hujusmodi præposteris judiciis nascatur. Jam quædam ita recepta sunt in ordinem virtutum, ut perso-

„personam pietatis habeant verius quam vim pietatis. Adeo, ut nisi circumspecte agas, pietatem veram „prorsus extinguant. Si mediocris religionis pestis latuisset in ceremoniis, Paulus non tam acriter in „omnibus suis epistolis in eas destomacharetur. Neque tamen usquam damnamus moderatas ceremo„nias, at non ferimus, in his puppim ac proram, quod dici solet, sanctimoniæ constitui. Divus Augusti„nus vetuit etiam, ne clerici, quos domi alebat, notabili vestitu uterentur, sed si commendari vellent po„pulo, moribus commendarentur, non vestibus. Nunc quam novi, quam prodigiosi cultus? Neque „tamen hoc insector. Illud demiror, plus satis his tribui, quæ fortassis jure reprehendi poterant: Rur„sus, tam parum tribui his, quæ sola conveniebat spectari. Non insector convitiis, quod Franciscani „suam, Benedictini suam amplectantur regulam: sed quod quidam illorum plus illis tribuant qnam „Evangelio. Quod utinam non in plerosque illorum competat. Non insector, quod alii piscibus victi„tant, alii leguminibus aut herbis, alii ovis. Sed admoneo, vehementer errare eos, qui judaico animo „ex hisce rebus justitiæ persuasionem induunt; ex hujusmodi nugis, ab homuncionibus repertis, se ce„teris ante ponunt, cum iisdem pro nullo vitio habeatur famam alienam mendaciis incessere. De ci„borum delectu nihil usquam præcepit Christus, nihil Apostoli, Paulus sæpe dehortatur: Virulentam „obtrectationem execratur Christus, detestantur apostolicæ literæ: Et tamen illic volumus religiosuli „videri, hic fortes sumus & intrepidi.

In superstitionem illam, quæ servos faciat, cæco impetu obtemperantes, superstitiosos faciat non pios; cum artis sit Antistitum, populum illis fascinis excæcare, & in cæca tenere obedientia. Ingenuam potius Christianam libertatem aptam esse ad sinceram observantiam. In superstitione esse tyrannidem, quæ cogat non ducat. „Metuunt isti, ne, vitiis detectis, suos habeant minus dicto audientes, tum „ne pauciores ambiant in illorum cooptari gregem. Imo, nemo magis obedit, atque ut verbo utar Pau„lino, *πειθαρχεῖ*, quam qui hausto Christi spiritu liber esse cœperit. Vera charitas omnia boni consulit, „omnia sustert, nihil detrectat, obedit præpositis, non solum benignis & commodis, verum etiam aspe„ris & difficilibus. Sed tamen hoc interim cavendum præpositis, ne alienam obedientiam in suam ver„tant tyrannidem. Et ideo malint eos superstitiosos quam pios, quo magis ad omnem nutum obser„viant. Patres appellari gaudent. Atqui quis est patrum carnalium, qui suos liberos optet semper „infantes esse, quo magis regnum in illos exerceat pro sua libidine? Rursus, qui proficiunt ad Christi „libertatem, hoc inprimis cavere debent, ne, quod admonet Paulus, libertatem faciant prætextum car„ni, aut ne juxta Petri doctrinam, libertatem faciant velamen malitiæ. Quod si unus & alter hac li„bertate sit abutus, non continuo par est, ob id omnes in perpetuo Judaismo continere. Comperiet, quis„quis observarit, nullum inter istos arctius astringere laqueos ceremoniarum, quam qui sub hoc præ„textu regnant, & ventri suo vivunt, non Christo.

In exceptionem Monachorum, citra illum superstitionis rigorem, religionis nomine, paucos futuros religiosos, hoc est monaches, monasteria fore vacua. Respondet Erasmus; Stolidorum infinitum esse numerum, nec adeo defore unquam, qui laqueos illos vitent. Simplices, fascinari facile, & absurda admittere. *Præstare*, paucos esse, eosque ingenuos in monasteriis, quam multos. Falli plerosque, ut illos laqueis se implicari sinant, minorennes fere. Optat, ante annum trigesimum, neminem admitti in illa collegia, ut prius sapiant & explorent. „Non est, quod metuant, ne non propagetur Essenorum genus, „in tanta ingeniorum & animorum varietate; qua fit, ut nihil etiam sit usquam tam absurdum, quod „non experatur a multis. Quanquam magis optandum istis, ut ingenuos ac veros habeant religionis pro„fessores, quam ut multos. Atque utinam id lege cautum esset, ne quis ante trigesimum annum ejus„modi laqueis implicaretur, antequam ipse sibi notus sit, aut cognita veræ religionis vis. Ceterum iis, „qui Pharisæorum exemplo suum agunt negotium, obeuntes terras ac maria, quo faciant unum prosely„tum, nusquam deerunt adolescentes imperiti, quos in nassam illectent, & quos captent. Ingens ubique „stultorum ac simplicium est numerus.

Consilium tandem publicæ rei & saluti dat Erasmus palam declarando, præstare pro Christiana re, pro vera Christiana religione, nulla dari monasteria, nec ordines Benedictinorum, Franciscanorum, aut similium: Optandum esse, fugerent omnes talia sodalitia; quæ humanis constitutionibus sulta & circumsepta veram Christi cognitionem aut religionem ignorent. In monasteriis parum esse religionis. „Ego certe optarim, nec dubito, quin idem optent omnes, vere pii, Evangelicam religionem sic omnibus „esse penitus cordi, ut hac contenti, Benedictinam aut Franciscauam nullus ambiat. Nec dubito quin „idem optet ipse Benedictus, ac Franciscus. Applaudit Moses Christi gloria obscuratus, applauderent „& hi, si nobis amore legis Evangelicæ forderent, humanæ constitutiones. Vellem, universos Christia„nos ita vivere, ut qui nunc soli religiosi vocantur, parum religiosi viderentur. Quod & hodie in non pau„cis verum est, cur enim manifesta dissimulemus?

Monastici instituti prima exordia simplicis putique Christianismi fuisse exempla, degenerem hodiernum usum nihil referre Christianismi. „Olim prima monasticæ vitæ origo secessus erat ab idololatrarum sævitia. Mox hos sequentium monachorum instituta nihil aliud erant, quam revocamenta ad „Christum. Episcopos mox ambitionis & avaritiæ morbus corripuit. Vulgus item a prima charitate „refrixit. Hinc secessum captavit Benedictus & post hanc Bernardus, dein alii atque alii. Conspira„tum est a paucis non in aliud, quam in purum ac simplicem Christianismum. Quod si quis Benedicti, „Francisci, Augustini, vitam & regulas attentius excutiat, perspiciet, illis nihil aliud in votis fuisse, quam „ut cum spontaneis amicis juxta doctrinam Evangelicam in libertate spiritus viverent: Eosque fuisse „compulsos, ut de vestibus ac cibis ceterisque rebus externis aliquid præscriberent, nimirum veritos, ne, „quod fieri solet, plus tribueretur humanis constitutionibus hominum, quam Evangelio. Horrebant „divitias, fugitabant honores etiam Ecclesiasticos. Laborabant manibus, ut non solum ipsi graves non

„eſſent cuiquam, ſed ſupereſſet unde ſubvenirent aliorum inopiæ: Occupabant montium cacumina, ni„dulabantur in locis paluſtribus, colebant arenas locaque deſerta. Denique tantam hominum multitu„dinem ſine convitiis, flagris & careeribus moderabantur; ſola doctrina, monitis, officiis, & vitæ exem„plis. Talia fuerunt monachiſmi primordia, tales patriarchæ.

Apoſtaſia monachorum a primo pio inſtituto per Eraſmum effigiata: „Temporis progreſſu paula„tim cum opibus accreverunt ceremoniæ, refrixit germana pietas ac ſimplicitas. Et cum videamus paſ„ſim monaſteria ad mores plus quam profanos degeneraſſe, tamen novis inſtitutionibus oneratur mun„dus, quaſi non & ii paulo poſt eodem ſint prolapſuri. Olim, ut dixi, receſſus erat Monachorum vita. „Nunc ii vocantur monachi, qui toti in meditullio negotiorum mundanorum verſantur, plane tyranni„dem quandam in rebus humanis exercentes. Et tamen horum plerique ob cultum, ob titulum, neſcio „quem, tantum arrogant ſibi ſanctimoniæ, ut ceteros præ ſe non habeant pro Chriſtianis.

Cives oppidanos Menachis præfert Eraſmus: „Cur ſic arotamus Chriſti profeſſionem, quam ille „voluit latiſſime patere? Si magnificis vocabulis commovemur, quæſo te quid aliud eſt civitas quam ma„gnum monaſterium? Monachi Abbati ſuo parent, aut præpoſitis. Cives Epiſcopo ac paſtoribus ſuis „obſequuntur, quos ipſe Chriſtus præfecit, non hominum autoritas. Illi vivunt in otio, & aliena libe„ralitate ſaginantur, in commune poſſidentes, quod citra ſudorem ipſis obvenit, (nihil interim dicam de „vitioſis) iſti, quod ſua pepererunt induſtria, pro ſuis quisque facultatibus, impertiunt egentibus. Jam „verò quod ad caſtitatis votum attinet, non aufim explicare, quantum interſit inter vulgarem cœliba„tum & caſtum matrimonium. Poſtremo non admodum in eo deſiderabimus tria illa vota ab homini„bus reperta, qui primum illud & unicum votum, quod in baptiſmo non homini ſed Chriſto nuncupa„mus, ſinceriter pureque ſervaverit. Jam ſi ex utroque genere malos cum malis conferas, extra con„troverſiam potiores ſunt hi. Sin bonos cum bonis, minimum eſt diſcrimen, ſi tamen eſt ullum, niſi „quod religioſiores videntur, qui minus coacti præſtant religionem.

Criſtas proinde monachos deponere jubet, nihilque ſibi arrogare præ civibus oppidanis: Suadet„que omnes potius ad ſinceritatem vitæ contendere, ſine jactantia, & ſine phariſaica arrogantia, quaſi quid hi præ illis eximii habeant aut præſtiterint. Nihil minus eſſe religionis, quam in oſtentata religione. „In omni vitæ genere ſit hoc omnium commune ſtudium, ut pro ſua quisque virili ad Chriſti ſcopum „omnibus præfixum, enitamur, & ad invicem nos cohortemur, atque etiam adjutemus, nec invidentes „iis, qui nos in hoc ſtudio præcurrunt, nec faſtidientes imbecilles, qui nos aſſequi nondum poſſunt. De„nique poſteaquam quisque quod potuit præſtitit, ne fiat ſimilis Evangelico illi Phariſæo, qui ſua bene„facta jactat apud Deum, jejuno bis in ſabbato &c. Sed juxta Chriſti conſilium dicat, & dicat ex ani„mo, dicat ſibi, non aliis modo, ſervus inutilis ſum, quod debui facere feci. Nemo verius ſidit, quam „qui ſic diffidit. Nemo longius abeſt à vera religione, quam qui ſibi valde videtur religioſus. Nec un„quam pejus agitur cum pietate Chriſtiana, quam, cum quod eſt mundi ad Chriſtum detorquetur, cum„que hominum autoritas divinæ præfertur.

Patientiam poſtremo commendat in publica corruptione & religioſa tyrannide: Nihilominus ſer„vile obſequium, ubi autoritas ad ſuperſtitionem aut improbitatem vehat, non ſuadet, oblique ſignificans, intolerabile jugum excuti jure. „Qui fucatos homines, ſævos & imperioſos, non docentes ea quæ fa„ciunt ad religionem, ſed ad ſuam tyrannidem, tolerat, is Chriſtianam præſtat patientiam, modo quæ „præcipiunt calamitoſum tantum faciunt, non etiam impium. Alioqui conveniet Apoſtolicum illud „reſponſum habere in promptu: Deo obedire oportet potius quam hominibus.

Effigies profecto reformationis, ex ſententia Eraſmi, illa ætate, quæ univerſam priorem ſuperſti„tionem funditus evertat, quæque plus portendat, quam foris appareat: Inprimis, cum Eraſmo moris eſ„ſet, uno verbo res multas magnasque complecti.

Data illa reformationis ſciagraphia, vim libelli, *Enchiridii militis Chriſtiani*, verbis Eraſmi, in ea„dem epiſtola, complectemur: „Præceptiones hujus libelli minus tribuunt ceremoniis quam vellent qui„dam, qui plus nimio tribuunt, nec ita multum humanis conſtitutionibus. Nobis ſufficerit extremis „digitis epilogum libelli tetigiſſe, unde frons colligatur & pectus.

Monachatus irreligioſitatem depingit: „Nonnihil metui, ne in ſuperſtitioſum iſtud religioſorum „genus incideres, qui partim quæſtui ſervientes ſuo, partim ingenti zelo, ſed non ſecundum ſcientiam, „circumeunt mare & aridam, & ſicubi nacti fuerint hominem à vitiis ad meliorem vitam jam reſipiſcen„tem, eum illico improbiſſimis hortamentis, minis, blanditiis, in monachatum conantur detrudere, per„inde quaſi extra cucullum Chriſtianiſmus non ſit. Deinde ubi ſcrupulis meris & inextricabilibus ſpinis „pectus illius expleverint, ad humanas quasdam traditiunculas aſtringunt, planeque in Judaiſmum quen„dam præcipitant miſerum, ac trepidare docent, non amare. Monachatus non eſt pietas, ſed vitæ ge„nus, pro ſuo cuique corporis ingeniique habitu, vel utile vel inutile.

Cum poſtremo ad *Scripturæ*, inprimis *Pauli* lectionem eſſet hortatus, ejusque *recenſionem* pollicitus, quæ *verſione & annotationibus* aliquo modo expreſſa eſt, *literarum bonarum uſum* celebrat. „Intelli„gent, qui ſummam exiſtimant religionem, nihil bonarum literarum ſcire, quod politiorem veterum „literaturam, per adoleſcentiam ſumus amplexi, quod utriusque linguæ, græcæ pariter ac latinæ medio„crem cognitionem non ſine multis vigiliis nobis peperimus, non ad famam inanem aut puerilem animi „voluptatem ſpectaſſe nos, ſed multo ante fuiſſe præmeditatos, ut dominicum templum, (Novum Teſta„mentum græcum) quod nonnulli inſcitia barbarieque ſua nimis dehoneſtarunt, exoticis opibus pro viri„bus exornaremus, quibus & generoſa ingenia poſſent ad divinarum ſcripturarum amorem inflam„mari.

Lucu-

Luculentior ac emendatior *secunda Novi Testamenti Græci editio*, cum uberioribus Annotationibus, in ampliorem bonarum literarum usum, & fortiorem purioris doctrinæ Christianæ commendationem, instructa ab Erasmo An. 1516. 1517. 1518. Præviis de ea variis colloquiis cum Lovanienſibus Theologis, Atenſi, Egmondano, Latomo, & Dorpio.

AFfulserat omnium inter Christianos prima Novi Testamenti Græci editione An. 1516. illud Europæ lumen, quod scholæ tenebris esset horrori, quod metueret barbaries, morum & doctrinæ: Quod vicissim, velut inexpectatum serenum cœli jubar, cum plausu exciperent afflictæ hactenus integritas & sinceritas. Territi hoc operis conspectu, quotquot obscuris per academias scholæ ænigmatibus animos hominum, discentium & docentium, velut in carceribus detinuerant. Suboluit illis, hac via veteri tyrannidi metam iri positum, & inanes doctrinæ strophas exilio esse propinquas. Qua ex re dolor, furor & fremitus, in Erasmum & novum hoc illius opus. Sed salutis hic nuncius creditus & æstimatus a viris quibusque summis, per omnia regna, qui præsentirent finem hac semita imminere fordibus prioribus, in agendo & docendo hactenus obviis. In his improvisum gaudium. Revolutionis communis indubitatum hoc prudentibus visum argumentum. Quamprimum igitur lucem vidit An. 1516. mense Februario hoc opus tanquam fulmen in barbariem & superstitionem, solis fulgor in resuscitandam humanitatem, exempla cupidissime arrepta & per remota regna subito distracta. Fermentum commune, in animis pectoribusque, quod sanguinem moveret omnium, in his bilem, in illis dulcem lympham augendo. Bonorum congratulantium exporrectæ frontes, corruptorum trepidantium querelæ. Emendatio, mutatio, in ore omnium.

Exemplis adeo primis brevi per orbem sparsis, quibus legendis velut novissimis prodigiis occuparentur universi, ad *secundam* statim *editionem* se accingere compulsus Erasmus. Quanto hoc opus in ipso ortu An. 1516. fuerat formidabilius terriculamentum, barbariei & superstitioni, quantoque magis hæc indignari & ferocire cœperat, tanto studium Erasmi impensius, nova editione terrendi & confundendi amplius. Quanto ex adverso plus gaudii enatum viderat in ecclesia ex hac orta luce, tanto ardentior ad operis denuo apparandi splendorem majorem. Spes emendationis non allucens, sed præsens, sed in oculis & manibus, juvandi cupiditatem auxit maximopere. Emendanda alicubi versio, illustrandæ vel & immutandæ nonnunquam notæ. Major lux affundenda pluribus, vel potioribus locis. Radicata barbaries jam quatienda validius. Caligo antea offensa luce parva, nunc majore percellenda. Notæ prius sale adsperſæ, nunc modii miscendi, quo perfricanda superstitiosa ignorantia, & fastuosa barbariei crista. Ita voluit Divinum Numen.

Secundam hanc *operam* jam esse sub manibus, vix tribus ab editione prima mensibus, *Junio Anno 1516.* Budæo significavit, in cujus sinum effudit tectum consilium, hac fiducia, illum non propalaturum immature. „Lib. 1. ep. 7. f. 22. Τὴν δευτέραν παρασκευάζω ἔκδοσιν, in qua te magnopere ro„go, ut conantem adjutes. A tui similibus etiam objurgari officii loco ducam. Unum illud φυλάκ„ξεις βέλτιζε Βυδαῖε, ne id suboleat τοῖς πολλοῖς, ἵνα μὴ τὰ βιβλία ὦσι μένωσι τῷ ἐκτυπωτῷ. Budæus scopo Erasmi perspecto silentium pollicitus, & in adjuvando operam, mense Julio An. 1516. „Libr. „1. ep. 9. f. 24 De altera tua editione quod scripsisti, id apud me μυστηριῶδες erit. Si quid in sinu meo „deposition esse sensero, quodque clam esse volueris, id per me ne palam fiat, haud periculum erit. Si„quidem cum opus est, τεγανώτερος τῶν μυσταγωγουμένων εἰμί.

Nec latere poterat diu, quod metuerent, quod expiscarentur multi. Innotuit consilium & *Lovanienſibus Theologis.* Apud hos proinde cum ageret An. 1516. 1517. rem illis omnem aperuit, hoc fine, ut cum illis negotium conferret, auditurus, quid *circa primam editionem* observassent. In quibus colloquiis tecti Lovanienses dissimularunt vel quid reprehenderent, vel in Erasmum & illius opus molirentur. Quin studium laudare visi & ad pergendum animum addere. Plausus horum, utpote suspectos, declinavit Erasmus, rogans, sepositis laudibus, monerent, quod in altera editione mutatum cuperent. Illi tecti presſere omnia. Quamobrem cum *iter* instrueret *Basileam, pro secunda editione adornanda*, censuram denuo popoſcit, qui ad alteram editionem jam abiret. Frustraneis igitur istis colloquiis, ex quibus nihil disceret Erasmus, Lovanio abiit Erasmus Basileam, pro secunda editione procuranda.

Non exiguum historiæ literariæ momentum, *Colloquiorum* horundem *scopum & successum* inspexisse penitius. Quod ex ipsiusmet Erasmi ore luculenter & tuto accipiemus. Enarravit Petro Barbirio, Brugis An. 1521. „Lib. 1. ep. 2. f. 5. Quoniam intellexeram Lovanienses potissimum offensos No„vo Testamento, multis mensibus in eo sudabam emendando. Tum quoniam videbam, Joannem „Atensem sic omnes præcellere judicio doctrinaque, quemadmodum præminebat auctoritate, ut ex hoc „uno ceteri possent æstimari, cum hoc egi, teste Nicolao Montensi: Apud quem tum egeramus pran„dium, ut in eo negotio me sua cura fideque adjutaret. Professus me quidem, hoc sedulo agere, ut „opus exiret tale, ut nullus eruditus ac pius merito possit offendi: Studium quidem & affectum esse „pium, ceterum vires impares tanto negotio. Proinde illum me sibi devincturum summo beneficio, si „moneret, quæ judicaret esse corrigenda. Id cum multis verbis agerem, respondit ille, sibi jam emtum „esse codicem, sed nondum esse perlectum, perlecturum tamen, nec secus acturum mecum, quam cum „proprio fratre: Nam hisce verbis tum usus est. Eaque verba semel atque iterum repetiit. Ac pri„mo colloquio, quod mihi fuit cum Nicolao Egmondano, rogavi hominem, libere moneret, si quid of„fenderet in eo opere, inituruin apud me summam gratiam. Nihil aliud ille respondit, quam sibi „librum nunquam esse lectum. Idem aliquoties egi cum Latomo, frequentius etiam cum Dorpio.

„Tandem appetebat tempus, ut ob ſecundam editionem peterem Baſileam. Paulo ante Atenſis ad cœ-
„nam vocat. Aderat Egmundanus & Ludovicus Vives. A cœna indico Atenſi, me intra paucos dies
„abiturum Baſileam, rogo, obſecro, obteſtor, ut amanter admoneat, ſi quid judicaret eſſe mutandum:
„Præſertim ſi quid officere poſſet bonis moribus aut fidei catholicæ. Ille reſpondit, ſibi totum opus
„eſſe lectum, ac videri pium juxta ac eruditum. Hic ego, malim, inquam, admoneri quam laudari.
„Admonitio proderit, laus iſta nihil profuerit. Nunc integrum eſt corrigere, poſthac non licebit idem.
„Adhæc cum ille repetiiſſet laudes ante tributas, ſi iſthæc inquam, ex animo dicis, cur tam atrocibus cla-
„moribus quidam infectati ſunt hoc opus primum editum? Tum ille, priusquam, inquit, legiſſem opus,
„multa erant ad me delata, ſed eo perlecto comperi, rem ſecus habere. Quæ ſcripſiſti mihi magnope-
„re placent, quæ ſcripturus ſis neſcio. Ad hæc reſpondi, me non dubitare, quin ſi primam editionem
„probaret, hanc eſſet multo magis probaturus. Hortatus eſt denique me, ut meis ſanctis laboribus (hic
„enim loquebatur) pergerem provehere religionem Chriſtianam. Hac oratione tanti viri fretus abii
„Baſileam.

Admonitus ſubinde Eraſmus ab amicis, viris magnis, ſecundam illam Novi Teſtamenti Græci editionem maturaret. In quibus *Gutbertus Tonſtallus*, legatus Anglus, Brugis An. 1517. 18. Cal. Octobr. ad Eraſmum, Tom. Epiſt. l. 3. ep. 2. f. 173. „illam annotationum tuarum in novum Teſtamentum retra-
„ctationem & limam, quam te pollicente avide expectant omnes fac inprimis cures. Et qui de profanis
„literis bene meritus immortalem tibi famam paraſti, dum illas ornas, quod ſupereſt ætatis, in illuſtrandas
„ſacras impende. Ita namque ſciat poſteritas, chariora tibi fuiſſe ea ſtudia, quæ animæ ſalutem, quam
„quæ oblectamentum præſtant, nempe cum illa juvenis magis attigeris, hæc matura jam amplexatus æta-
„te digna judicaveris, in quibus conſeneſcas.

Editum tandem, cui annus jam decimus octavus erat in officina impenſus, opus vere luculentum, Chriſtianæ gentis peculium vera docendi agendique norma & unica menſura, via recta & regia, *Baſileæ in officina Frobeniana, An. 1519. menſe Martio.*

Ornamenta hujus novi aut reſuſcitati operis, partim ex priori repetita, partim nova & præſtantiora atque uberiora, digna quæ peculiari tractatione illuſtrentur; inprimis cum *annotationes* renovatæ, redintegratæ, auctæ & locupletatæ, juſtam mereantur conſiderationem, quæ in *ſecundo tomo* locum inveniat.

Mirifice placuit hoc uſu ſuo prægrande opus, priore illuſtrius, magnatibus per omnia vicina regna, Pontifici quoque maximo, Leoni X. qui diploma addiderat, Cardinalibus præcipuis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Theologis & Jureconſultis, prudentibus & ſagacibus. Quorum applauſum hujus tomi cancelli anguſti non capiunt. *Compendium Theologiæ*, purioris ac mundioris doctrinæ Chriſtianæ, huic operi præmiſſum, à Scholaſtica methodo ſegregatum, ac multa ſollicitudine liberatum, ſummatibus tantopere arriſit, ut curâ *Alberti Archi-Epiſcopi Moguntini*, cui ſeorſim edendum inſcripſit Eraſmus, communiori omnium uſui peculiariter promulgaretur.

Alberti, Moguntini Electoris, jam etiam Cardinalis, judicium, ex epiſtola ad Eraſmum, An. 1518. id. Sept. de Novo Teſtamento Eraſmi, audiviſſe, gratum opinor futurum: „Nuper in voluminum abs
„te editorum lectionem incidentes, Eraſme Doctiſſime, cum Divinum hoc tuum ingenium, omnigenam
„eruditionem, & ſupra captum pœne hujus ſeculi ac patriæ, eloquentiam admirati eſſemus, cepit nos
„ingens quoddam te videndi deſiderium. Quippe nihil magis ex dignitate noſtra arbitrati ſumus,
„quam, cum nos Dei Opt. Max. benignitate in principem Epiſcoporum locum evecti ſimus, eum virum,
„qui non per Germaniam modo, ſed univerſam prope Europam, in literis principatum obtineat, comple-
„cti ac fovere. Proinde tantum defuiſſe fortunæ noſtræ, ſi te non viſo ab hac vita migrare contingeret,
„arbitraremur, quantum nobis felicitatis adſcribimus, quod eo tempore nati ſumus, quo tu, tantus vir,
„his literis, hac induſtria, communem Germaniam à fœda barbariei appellatione vindicas: Imo, quo tu
„Divinam Theologiam ab illa antiqua & germana, in novam quandam ac impuram aliquot jam ſeculis
„deformatam, ſuo ſplendori reddis, ac priſcum in nitorem reſtituis. Quid enim deſiderari magis ætate
„noſtra potuit, quam ut emendatiora eſſent novi inſtrumenti exemplaria? At te interprete omnes ab-
„ſterſæ maculæ, omnis additus nitor.

Cum illud ex Novi Teſtamenti opere Compendium Theologiæ paſſim ederetur, omnibus admirationi, Lipſiæ quoque An 819 repetitum, hanc Hermanni Tulichii ad Andream Camicianum invenit præfatiunculam: „Non ſemel apud me conqueſtus es, Andrea jucundiſſime, cum omnium diſciplina-
„rum, tum theologiæ ſtudium, tot jam ſeculis perverſo more tractari. Idque nonnunquam, præſente
„trium linguarum perito juvene, communi amico, Philippo Melanchtone, qui nunc in felici Witteber-
„genſi Gymnaſio utramque linguam frequenti auditorio profitetur: Adeo, ut niſi Philippo auctore
„fuiſſes retractus, volueris Divinam Scripturam inſtructionibus humanis opinionibus relinquere. Nec
„injuria, vidiſti nimirum, communem omnium Chriſtianorum philoſophiam paucorum dominio ceſſiſ-
„ſe, ac longa adeo conſuetudine receptum eſſe, neminem poſſe Theologi perſonam quorundam judi-
„cio ſuſtinere, qui non omnem omnium gentilium philoſophorum, inprimis Ariſtotelis, ejusque inter-
„pretum, opiniones veluti concoxiſſet. Quod cum & magnus Eraſmus, vere Theologus, perdoluiſ-
„ſet, non ſatis habuit paracleſin, quo omnis generis ac conditionis homines ad ſanctas literas adhortatur,
„ſcribere, niſi etiam præter alia gravioris operæ monumenta, rationem ſeu methodum compendio per-
„veniendi ad veram Theologiam, verbis jucundam, ſententiis gravem, elaboraret, & quod Dei munere
„commune fuit, poſſeſſioni paucorum eriperet. Hæ lucubrationes tam piæ, quo à nobis in rem Chri-
„ſtianam vulgarentur, reverendiſſimus Archiepiſcopus & Cardinalis D. Albertus, ejusque inſignis medi-
„cus, H. Aurbachius, in forma enchiridii procuraruut.

Quam acceptum illuſtribus viris, prudentibus, qui publicam ſalutem & eo pertinentia adjumenta

æſtima-

æſtimare ſcirent, tàm moleſtum & inviſum hoc nobile opus ignobili cenſorum generi. Nunc Academiarum, aut potius Scholaſticorum quorundam frigidus metus, ne nunc cum tota Schola litigioſa actum eſſet, efferbuit, adeo ut inſtar vulturum in Eraſmi Novum Teſtamentum irruerent; illud diſcerpturi aut manibus vel pretio orbis erepturi. Nunc ſatis erit illos nominaſſe, qui publicis ſcriptis dentatis verſionem & ſtudium Eraſmi in rem communem emendandam ordine longo ab anno 1518. laceſſerent. In his perpetuus omnis munditiei ac decoris hoſtis, *Hogoſtratus*, huic dein familiaris *Eduardus Leus*, *Latomus*, in Academia Lovanienſi, *Stunica*, *Caranza*, apud Hiſpanos & in Italia, *Sutor* & *Natalis Bedda*, Pariſiis. Scutum Eraſmi contra horum tela, cum hoc ſpatium nimis ſit anguſtum, *altero* ſpectabimus *Tomo*. Inter paraſtatas Eraſmi, pro Novo Teſtamento Eraſmi verſionisque jure & nitore, placebit attentis ſpectatoribus *Jacobus Ziglerus*, *Landavus*, *Bavarus*, qui cum *Stunica* nomine Eraſmi fortiter nec ſine arte congreſſus.

Inflammati inprimis per *Hieronymum Alexandrum*, quondam Eraſmi amicum & Venetiis ſodalem ac contubernalem, nunc *Cardinalem*, & adverſarium, clamoſi & temerarii in Monaſteriis præſertim viri, qui manſuetudinis Eraſmi pertæſi, vociferarentur, noviſſimam Lutheri rem, in indulgentias papales, in pontificis autoritatem, in ſcholaſticam Theologiam, in variam ſuperſtitionem ab Eraſmo eſſe profectam: Lutherum ex Eraſmo accepiſſe ſua omnia. Eraſmum poſuiſſe ova, & Lutherum jam cœpiſſe excludere. Quas parturientium querulas voces, ex Alexandro conceptas, profudere primi Minoritæ Monachi, quam prolem educarunt cæteri.

Quam primum ſcil. ſub finem anni 1517. *Tezelii Dominicani* ab omnibus agnita *impudentia aut imprudentia* indulgentias omni Dei benignitate & gratia fecerat majores, unam parvam membranulam paucis literis pictam extulerat ſupra cœlum & aſtrorum exercitum; Lutherus vero, Monachus Auguſtinianus, illam exorbitantem audaciam refrenare contendiſſet modeſta diſputatione: Totus profecto orbis Tezelio ſuccenſuit, indulgentias damnavit, & Lutheri ſubdubitantis ſollicitudinem impenſe laudavit. In his omnino & *Eraſmus*, cujus *permulta* pro primo hoc in indulgentias reprimendas ſtudio ſuperſunt *documenta favoris atque laudis*.

A quo tempore in Eraſmum, in Eraſmi Novum Teſtamentum, in Eraſmi ſuperiora ſcripta omnia, Luthero, ut ajebant, præeuntia, velut examina apum involarunt. Hi ſimul complexi Eraſmum & Lutherum, bonas literas, ſtudia ſereniora, omnia ſimul extincturi, ſine diſcrimine, confuſione intemperanti. Tam validæ barbariei ſuperioris reliquiæ, quæ nec munditiem, nec qualemcunque ferrent emendationem corruptionis manifeſtæ.

Æquum Eraſmi, Conſiliarii Cæſarei, quinquaginta quatuor annos nati, conſilium, à Carolo V. Cæſare, aliisque Principibus expetitum, pro rebus Lutheri tranquille componendis, An. 1519.

Res Eraſmi univerſæ, ſex ad minimum ſuperioribus annis, in publicæ rei proſperitatem & infandæ corruptionis communis emendationem, debita ſolertia animique moderatione maxima verſatæ, tametſi hoſtes eſſent expertæ, emendationis impatientes, *vim* tamen *haud ſenſerant ſuperiorem*. *Manſuetudo Eraſmi* frenum manibus barbarorum injecerat, quo minus ferirent & cæderent, bonas literas licet abſorpturi. At vero illa *fatorum temperantia* locum non invenit in indulgentiarum aperto nimis pecuniario negotio. *Dominicanus Tezelius audacior juſto*, rem quiete agere non didicerat, ubi tinnientes nummi concurſi effundi viderentur. Quare Bullæ *fulminaque Pontificia nimis violenta* omnibus diſplicuere viris cordatis, ſummis & imis. Quam vim cum fata recuſarent, Eraſmus toto improbaret animo, tanquam medium ad ſedandos motus ineptum, exaſperata facile illorum anima, qui temeritatem Tezelii nundinatoris intemperantis corripuerant. Sic *utrinque aſpere*. Mox Monachi & Academici quidam, vel & majoris nominis *Sylveſter Prierius* præ ceteris, non ſtyli temperantia ſed ferri acie, indulgentiarum reditus defenſuri, oleum affuderunt igni, incauti & nimis æſtuantes furore immodico. Quando proinde illa *vindiciarum intemperantia* evaſura in turbas majores, ubi non conſilio ſed impetu res infeliciter ageretur, *Carolus V. jam Cæſar*, per Glapionem, Confeſſionarium, aliosque viros illuſtres, *Eraſmum, Cæſaris Conſiliarium*, virum circumſpectum, omnis emendationis a multis annis cupidum, *conſuluit*, quomodo res tanta, ex intempeſtivis & prodigis indulgentiis orta, *placide tractari & modeſte componi* poſſet.

Eraſmus, qua erat animi moderatione, qui publicam emendationem, ſed ſine ſtrepitu, promoveri impenſe cuperet, qui rem Scholæ hiſpidam, Eccleſiæque adminiſtrationem trucem magis quam paternam, oneroſam non benignam, corrigi dudum optarat, *conſilium Cæſari & Magnatibus dedit*, quod æquum, bonis literis promovendis aptum, ſaluti publicæ parandæ & tranquillitati ſervandæ congruum exiſtimabat. Non profecto res levis, hic recte conſulere, veritati non nocere emendationem quæſitam non ſupprimere, & *juſtam in componendo mediocritatem* reperire. Eraſmus non immemor, & ſuam & optimarum literarum cauſam ſimul agi in iſtis fluctibus, quibus abſorberi cuperent intempeſti animi viri quicquid decorum, & ſalutare vel jam apparatum vel apparandum, qui barbari eſſe mallent cum omnibus ſuis rebus, quam munditiem vel qualemcunque induere & morum concinnitatem. *Conſuluit*, *ut potuit*, *pro rerum ſtatu*, *ſincere & cordate*; Eccleſiæ Romanæ, in qua perſeverabat, incolumitati, ſed & deſideratiſſimæ communi reformationi pro viribus conſulturus. Non neſciebat, fore ab utraque parte, quibus non ſatisfacere videretur: Sed nec ignorabat, non omnia conſilia exhaurire rei conficiendæ vim omnem. Satis Eraſmo, *tranquillitatem ſimul & emendationem neceſſariam ſpectaſſe*, impetum diſſua-

diſuaſiſſe & tumultum, qui conſilii & proſperi ſucceſſus expers, ubi res animi agitur & voluntatis. Hic hebes ferrum, placidum verbum ratione munitum omnem ſuperat aciem.

Quo pacto infelices creditæ Eraſmo diræ in Lutheri inſtitutum invectivæ, dentes, ungues, clamores inconditi, minæ terribiles, flammæ, contumeliæ ſacerdotum, convitia doctorum, quibus adverſa pars non vincatur, ſed irritetur & exacerbetur. Suo jam dudum exemplo didicerat *intemperantiam cathedrarum & ſuggeſtorum*, etſi feralia & violenta edictorum fulmina nondum expertus, quæ molli calamo deflectere ac a ſe amoliri contenderat.

Conſilii ſui ſummam breviſſimis complexus Epiſtola ad Jacobum Sadoletum, Epiſcopum Carpentoractenſem An. 1530. Tom. Epiſt. l. 25. f. 1379. „Primum erat, negligere Lutherum cum ſuis „de indulgentiis propoſitionibus, nec oleum addere camino. Proximum, nec per Monachos orbi fere „inviſos, nec impotentibus apud plebem vociferationibus, aut librorum & hominum incendiis agere, „ſed libris inter eruditos duntaxat verſaturis. Poſtremum erat, illos ad tempus diſſimulare ac ferre, „quemadmodum hactenus tulimus Bohemos ac Judæos. Tempus ipſum ſæpe remedium adfert na„lis immedicabilibus.

Conſilium doctiſſimi cujusdam, magnorum Principum monitu præcipue ad hoc munus invitati, quomodo ſublato imbecillium offendiculo commode ſedari queat Lutherani negotii tumultus.

Conſilium cujusdam ex animo cupientis eſſe conſultum & Ro. Pontificis dignitati, & Chriſtianæ religionis tranquillitati.

CHriſtianæ mentis eſt, ex animo favere Chriſti Vicario & hujus autoritatem illibatam eſſe velle. Rurſus pontificiæ pietatis eſt, nihil habere privatim tam charum, cui non libens anteponat Chriſti principis ſui gloriam; & publicam Chriſtianæ Religionis tranquillitatem. Et *qui favent autoritati gloriæque Pontificis, prudenter oportet favere.* Id facient, ſi eam iis rationibus tueantur, quæ tacitis etiam piorum, ac bonorum virorum judiciis comprobentur. Alioqui *nemo magis officit Pontificiæ dignitati, quam qui eam non aliis præſidiis, quam terroribus ac præmiis humanis, tutam ac defenſam eſſe velit;* Igitur ut quisque eſt Religionis Chriſtianæ ſtudioſiſſimus, ita maxime *dolet hunc tumultum exortum per quosdam, qui Lutherum exacerbarunt, ad quædam liberius ſcribenda*, & Pontificis mite alioqui ingenium *irritarunt, ut ſeverius agant cum Luthero, quam fortaſſis expediat tranquillitati pacique Reipublicæ Chriſtianæ.* Qualia ſint, quæ ſcribit Lutherus, in præſentia non expenditur, ſed tantum admonetur, ut *conſideremus non ſolum quid Luthero ſit dignum, ſed quid conducat Eccleſiæ tranquillitati.* Frequenter enim & palam noxiis parcitur, ne gravior exiſtat tumultus.

Primum illud ſatis conſtat, *rem* eſſe *natam ex malis initiis*, nimirum, *ex odio bonarum literarum* jam *& apud Germanos ſuboleſcentium, odioque linguarum*, nunc paſſim *reviviſcentium, quarum ſplendore putant obſcurari ſuam auctoritatem*, qui hactenus absque harum rerum præſidio habiti ſunt conſummatæ doctrinæ poſſeſſores. *Ad has* igitur *opprimendas nihil non moliti ſunt quidam.* In hoc multum diſſentientes a pontifice Romano, qui ſummum honorem habet his ſtudiis. Deinde quod ad *Lutherum* pertinet, *maxima pars hujus mali imputanda eſt illis, qui de indulgentiis & poteſtate Romani Pontificis ea prædicarunt, eaque ſcripſerunt, quæ nullæ doctæ piæque aures ferre poterant.* Ut quod ad hujus *tumultus initium* attinet, *Lutherus* videri poſſit *pio ſtudio zeloque Chriſtianæ Religionis incitatus* fuiſſe. Porro quod *poſtea acerbius cœpit ſcribere*, qui non excuſant, tamen ſic elevant, ut dicant, *acerbiſſimis quorundam irritationibus & convitiis, non omnino ſine cauſa fuiſſe concitatum.* Libris illius nondum lectis *clamabatur apud populum, hæreticus, anti-Chriſtus, ſchiſmaticus*, antequam autoritas Pontificia ſeſe huic negotio palam interpoſuiſſet. Nemo monebat hominem, nemo revincebat, cum ipſe offerret ſe, quemadmodum & nunc ſe offert ad omnem diſputationem, tantum damnabatur. Nam *Prieratis & Auguſtini reſponſionem, nec hi probant*, qui bullam adverſus Lutherum impetrarunt.

Cum *Diſputatio Ecciana* commiſſa eſſet arbitrio Scholæ *Parrhiſienſis*, prævenit *Colonienſis & Lovanienſis*, quibus nihil erat commiſſum, & *damnaverunt tantum.* Et cum communicato conſilio id fecerint, tamen in articulis non conſentiunt, iisque præcipuis.

Deinde *perſonæ*, per quas res hactenus acta eſt, tales ſunt, ut merito poſſint haberi ſuſpecti, (nam illorum negotium agebatur) *neque vita illorum neque doctrina talis eſt, ut illorum judicium debeat habere grave pondus, præſertim in re tanta.*

Modum igitur *procedendi adverſus Lutherum merito improbant optimi & doctiſſimi quique* etiamſi Lutherus ſcripſiſſet plane hæretica. Neque ideo quis favet Luthero, ſi *fontem, modumque* rei improbarit, nihilo hercle magis, quam ſi quis admoneat, parricidam non eſſe afficiendum ſupplicio, niſi legitima via convictum & condemnatum.

Jam *Bulla*, quæ *adverſus Lutherum* publicatur *inclementius, etiam iis diſplicet*, qui tamen Romani Pontificis dignitati favent, quod *magis reſipiat odium impotens quorundam monachorum*, quam lenitatem ejus, qui gerit vices mitiſſimi Chriſti, aut ingenium S. D. Leonis, quo nihil hactenus viſum eſt placidius aut facilius. Unde magna eſt ſuſpicio, eſſe, qui ejus lenitate, facilitateque nativa ad ſuos privatos affectus abutantur.

Atqui, quo ſanctior eſt omnibus Rom. Pontif. autoritas, hoc diligentius perpendendum, ne quid ab eo proficiſcatur, quod illo videatur indignum,

tacitis

tacitis bonorum virorum judiciis, quæ nulli, quantumvis magno principi ſunt negligenda.

Ad hæc, quo cauſa hæc latius patet, ac periculoſior eſt, hoc *attentius erat deliberandum, ne quid temere definiretur.*

Nullus ignorat, *vitam Chriſtianam rebus paulatim in deteriùs prolabentibus, multum degeneraſſe ab illa ſyncera Chriſti Evangelica doctrina*, adeo ut *nemo non fateatur opus eſſe publica aliqua & inſigni legum ac morum inſtauratione.* Igitur ut non eſt temere tentandum aliquid, ita *non eſt temere oblatrandum iis qui bono ſtudio monent aliqua*, etiamſi liberius facere id videantur. Atque ut extra omnem controverſiam ſit, prorſus à verô aberaſſe Lutherum, tamen *erat humanitatis Theologicæ primum admonere hominem fraterne:* Deinde *refellere ſolidis argumentis & ſacræ Scripturæ teſtimoniis*, atque ita revictum, ſi nollet reſipiſcere, ita tractare, ut ſolemus membrum deploratum. Hoc qui conſulunt, non favent Luthero, ſed ordini Theologico, Pontificiæque dignitati. Siquidem hac via Lutherus plenius aboleri poterat, primum exemptus ex animis hominum, deinde etiam ex bibliothecis. Nunc *exurendis libris*, fortaſſis aliqua ex parte divelletur è bibliothecis, ſed interim *illius opiniones infixæ ſunt animis plurimorum*, cum eas videant, non refelli.

Habent & Laicorum felicia ingenia ſuum judicium quod potiſſimum à natura proficiſcitur, etiam apud doctos. Sunt tot eruditi viri, & iidem boni quorum ut quisque ſinceriſſimus eſt, ac veritatis Evangelicæ tenaciſſimus, ita *Lutheri libris minimè eſt offenſus.* Hujusmodi *ingenia doceri cupiunt, cogi nolunt, neque debent.*

Aſinorum eſt cogi tantum. Tyrannorum cogere: Certe *Theologos maxime decet docere cum omni manſuetudine, non convitiis, neque favoribus, & conſpirationibus rem agere.*

Neque ſolum hic conſiderandum, quid dignum ſit Luthero, de quo in præſentia nulli præjudico, ſed *quid in præſenti periculo magis expediat tranquillitati Reipublicæ Chriſtianæ.*

Videmus *Lutherum apud omnes vitæ integritate commendari*, & ſic eſſe infixum animis hominum præſertim Germanorum, quamquam & apud alias nationes, *ut quisque eſt integerrimi judicii*, hoc eſt, maximè ſemotus ab his rebus, quæ ſolent judicia corrumpere, *ita minimum infenſus eſt Luthero.*

Nemo non fatetur, ſeſe ex illius libris factum eſſe meliorem, etiamſi quædam fortaſſe merito diſpliceant.

Novimus Germanorum animos, videmus Bohemiam tot annis pertinacem, & ab horum factione non multùm abhorrentes finitimas regiones. *Audimus quotidie graves multorum querimonias, negantium diutius ferri poſſe Romanæ ſedis jugum.* Quod fortaſſe non tam Pontifici imputant quam iis *qui pontificis autoritate ad ſuam tyrannidem abutuntur.*

Quod *ſi res geratur odioſè ac violenter*, qui prudentia valet, facile divinabit, quis rerum tumultus poſſit hinc exiſtere, cum frequenter ex levioribus initiis videamus orta pernitioſiſſima mundi diſſidia.

Quin & *mundus* videtur, *veteris ac nimium ad Sophiſticas argutias prolapſæ Theologiæ pertæſus, ſitire fontes Evangelicæ doctrinæ*, & huc videtur *irrupturus vi, niſi fores aperiantur*, adeo ut etiamſi diſpliceat Lutherus totus, tamen *oporteat innovari Theologiam Scholaſticam.*

Cum igitur *Res ſit orta malo primum principio* & utrinque videatur eſſe peccatum, primum ab his, *qui ſuis impiis concionibus excitarunt Lutheri ſpiritum* ac mox *odioſis & furioſis clamoribus, magis ac magis exacerbarunt*, præſertim cum hic agere videantur ſuum negotium, cum in Lutherum non cadat ſimilis ſuſpicio, ſua tenuitate contentum apparet *expedire, ut totâ hæc cauſa per aliquos componatur, qui procul abſint ab omni ſuſpicione.*

Verum eſt, ad Rom. Pontificem peculiariter pertinere cognitionem de rebus fidei, nec eſt illi jus ſuum adimendum. Tamen *pro publico bono patietur hoc negotium aliis committi*, viris eximiæ doctrinæ ſpectatæque probitatis & integritatis, in quos nulla cadat ſuſpicio, vel quod metu, aut ſpe velint *adulari Romano Pontifici, contra veritatem Evangelicam*, vel quod adverſæ factioni humano ſtudio faveant.

Hos *arbitros* exhibebunt ex ſua quisque gente *tres Reges*, & ipſi *alieniſſimi ab omni ſuſpicione: Carolus Cæſar, Rex Angliæ, & Rex Ungariæ.* Hi diligenter perlectis Lutheri libris & *audito coram Luthero*, quicquid pronunciaverint, id ratum habebitur. Ac Lutherus jam doctus, ingenue agnoſcet errorem ſuum, & libros ſuos à ſe repurgatos curabit denuo edendos, ne ob paucula errata pereat ingens fructus Evangelici proventus; *Multis* enim *& iniquum & inutile videtur, ob lapſus aliquot humanos, etiam ea damnari, quæ recta ſunt.*

Cum in libris Auguſtini adhuc extent ac legantur a notariis excepta reſponſa hæreticorum plena impietatis ac blaſphemiæ.

Quod ſi Lutherus tum quoque perſtiterit in his quæ damnata fuerint ab arbitris, erit ad extrema remedia veniendum. Ita nemo favebit ſic victo Luthero, & ſi reſipuerit, res absque tumultu Reip. Chriſtianæ componetur.

Nec hic minuetur autoritas Rom. Pontificis. Sed *hominum ſuſpicioni conſuletur*, apud quos fortaſſe minus habebit ponderis ipſius Pontificis in hac cauſa judicium, quod *ob indulgentias ac primatum ſui* negotio favere poſſit videri: imo magis probabitur apud omnes illius *pietas*, quod *ob veritatem Evangelicam & pacem orbis Chriſtiani de ſuo jure non nihil conceſſerit.*

Quod ſi quibus hæc ratio minus placeat, proximum videtur, *hanc cauſam ad proximum Concilium generale remittere*, quod ob multas alias cauſas poſtulare videtur *ſtatus Reipublicæ Chriſtianæ multis modis corruptus.*

Nam intempeſtivum videtur, rem tam arduam velut obiter agere in hoc principalium negotiorum tumultu, præſertim cum undique res ſatis dubiæ ſint, & apud Germanos, & apud Hiſpanos, ut non expediat addere *novorum tumultuum materiam.* Præterea convenit, ut *hæc nova Cæſaris inauguratio* fauſtis ominibus peragatur, ne hujusmodi rebus odioſis reddatur funeſta & inauſpicata.

Hoc *conſilium* nolo cuiquam præjudicet, tantum animo ſimplici, quod mihi videtur optimum

 factu,

factu, dixi. Præsertim cum ad id *à summis principibus & profanis & Ecclesiasticis* fuerim *invitatus.* Opto ut vincat Evangelica veritas, & omnia cedant in gloriam Jesu Christi Amen.

Νικησάτω ἡ τοῦ χριστοῦ παιδεία καὶ ἀλήθεια.

Erasmus in Lutherum scribere à multis magnis viris compulsus, diu detractavit, donec in negotio *de voluntatis humanæ viribus* cum eo congrederetur.

QUando An. 1519. clamaretur, Erasmum posuisse ova, Lutherum exclusisse, Erasmum reformationem aliquot jam annis tentasse & per sua scripta illa sparsisse, quæ emendare cuperet, mollis ubique & mitis, Lutherum hæc apprehendisse, acrius prosequendo: (Alius autem erit locus demonstrandi vel consensum vel dissensum utriusque in reformationis argumento:) Invitatus non solum Erasmus, qui suum de rebus illis ferret judicium, sed & qui in Lutherum calamum stringeret, suumque adeo dissensum publice demonstraret. Quodsi congressum vitaret, indicio esse, Erasmum tacite cum illo facere. Miscere se noluit, non timidus, sed prudens. Glapioni præsertim, Cæsaris Confessionario, qui præ cæteris ipsum instigaret, rationibus expositis.

Effugere tamen non potuit, inter tot monita, calcaria, tantum non mandata, quin ad animi sui sententiam explicandam se componeret, non tam pugnaturus, quam ponderaturus. Quod negotium *Dialogorum* forma conficere allaboravit, fictis nominibus, quorum differentium aut colloquentium unus, Romanæ partis, diceretur *Eubulus*, alter Lutherus, *Thrasymachus*. Vix autem aggressus, manum retraxit, bella hæc fugiens, qui utrinque deprehenderet, quod aliter institutum cuperet, qui reformationem enixe desideraret, sed vehementiam non probaret. De hoc suo colloquio premendo Erasmus ad Paulum Volzium Abbatem, An. 1524. mense Decembri, Tom. Epist. lib. 21. ep. 2. f. 1060. *Thrasymachus & Eubulus non audent proferre caput, utrinque lapidandi si vel prospexerint.* Qui *Dialogi Erasmiani* cum ab ipso Erasmo sint deserti & relicti, lucemque non viderint, juvabit de hoc proposito audire Erasmum, *in Catalogo Lucubrationum*, quem Exordio Anni 1523. edidit.

„Tribus, inquit, Dialogis pridem aggressi sumus collationem verius quam disputationem de negotio Martini Lutheri, sed mutatis nominibus. Nam Thrasymachus Lutheri partes agit, Eubulus diversas. Primus Dialogus inquirit, an expedierit, hac via rem tractari, etiamsi Lutherus omnia vera scripsisset. Secundus excutit aliquot illius dogmata. Tertius ostendit viam, qua tumultus hic ita possit sopiri, ut in posterum non facile repullulescat. Res peragitur inter duos, absque conviciis, nulla contentione, nullo fuco, tantum nude simplex & rusticana veritas proponitur, tanta æquitate, tantaque moderatione, ut majus periculum videatur, ne mihi succenseat pars diversa, videlicet lenitatem meam interpretans collusionem, quam Lutherus ipse, si modo micam ullam habet ejus mentis, quam multi de illo prædicant, & ego certe gratulor si habet, opto, si non habet. Video quibusdam magis placere sævitiam; ac per me quidem licebit, ut suum cuique judicium blandiatur. Sævire facilius est, sed hoc mihi visum est conducibilius. Si corporis affectio in uno quopiam membro versetur, fortasse profuerit cauterium, aut sectio. Ceterum ubi malum per omne corpus fusum est, ubi per intimas venas ac fibras sparsum est, fortassis aliquo mercurio sit opus, qui quemadmodum letalem soporem exemit ex omnibus membris Psyches, ita paulatim ex intimis educat id quod est noxium. Suscepimus autem hoc opus complurium hortatu: Primum, ne commemorem omnes, R. P. Marini Caracciolæ, nuncii apud Cæsarem Apostolici: Præterea Clarissimi viri Hieronymi Aleandri, trilinguis eruditionis, hoc ævo sine controversia principis, qui & ipse tum apud Carolum Cæsarem nomine Pontificis nuncium agebat. Ad hæc R. P. Joannis Glapionis qui Cæsari erat a concionibus. Nam is ex Cæsaris voluntate frequenter hac de re ad me scripsit, non minus diligenter, quam amanter. Hortatus est eodem pridem Guilhelmus Montioius, nuper etiam illustrissimus Dux Georgius Misniæ Princeps. Multa tamen intercurrerunt, quæ me non patiebantur longius in opere cœpto progredi, quam ad unam aut alteram pagellam, ut opus conceptum sit magis quam cœptum. Quanquam & alias ab hoc scripti genere natura satis abhorreo. Odi cruenta dissidia, lusibus innoxiis magis capior, velut huc natus. Tum probe mihi conscius sum, quantum Herculem hæc res postulet, & quantulus ego sim Pygmæus. Ac prorsus mihi nondum satis decretum est, an velim quod institutum est absolvere. Quicquid fiet, non fiet temere, nec exibit omnino nisi privatim lectum ac probatum ab his, quos maxime decet favere gloriæ Christi. Nam in hoc certe cudetur, si tamen cudetur unquam. Siquidem video partem utramque sic esse accensam, ut tota velit vincere, aut tota perire. Porro altera devicta magnam Evangelicæ veritatis ac libertatis ruinam secum trahet, altera non opprimetur, nisi perniciosissimo orbis tumultu, qui multos, etiam innoxios involvet. Ego malim rem ita componi, ut utraque pars victoriam concederet veritati & gloriæ Christi. Hac de re obtuli secretum consilium meum monarchis, si jubeant exhiberi. Nolim interim, ut quisquam ex hoc promisso præsumat sententiam, vel in hanc partem vel in illam. Absit præjudicium, sed ex edito libro fiat judicium.

Hæc quædam facilitas Erasmi & modestia visa suæ parti intolerabilis, quæ mallet in Erasmo flammas & fumos, quos vomeret & spargeret in adversos, quorum rebus jam olim videretur faviisse, quas jam ante Lutherum versasset. Fortius igitur illi in Erasmum, qui pro pluma ferrum apprehenderet. Quod illius tandem, inviti fere manibus ingestum ab illis, qui crederent cæde & sanguine esse gerenda omnia. Illud proinde argumentum vel incidit, vel consulto electum, in quo jam ante Tezelii clamores, ante disputationes illas de indulgentiis, dissentire quodammodo visi Erasmus & Lutherus, pro controversiis pulpiti scholastici, *de viribus voluntatis humanæ, liberove*, ut in scholis vocarent, *arbitrio.*

Jam

Jam anno 1516. Lutherus tum publice tum privatim ſignificaverat, ſibi valde diſplicere ſcholaſticæ theologiæ fucum, in liberi arbitrii doctrina, quam, Auguſtini ſententia rejecta, in Cathedras invexiſſent Scholæ Doctores. Unde invectivæ Lutheri in Scholaſticos acres & acerbæ. Teſtatus quoque jam tum Lutherus, in Eraſmo, alias æſtimatiſſimo ſibi diſplicere, quod viribus voluntatis plus tribuere videatur quam gratiæ. Unde factum, ut, cum *Eraſmus in Paraphraſi ſua in epiſtolam ad Romanos capite nono* minimum quid appareret voluntati tribuere in his converſionis rebus virium, quod ante Tezelii quæſtiones & diſputationes, in principio anni 1517. ſcripſerat, mox orta illa lite, palam carperetur a Lutheri parte. Quæ in ſua illa Paraphraſi verba eum non diſplicuiſſent *Petro Moſellano, Profeſſori Lipſienſi*, hic ea propter carptus, ac Eraſinianus appellatus. Quem una ſecum tuendum credidit An. 1523. in Epiſtola ad Laurinum, Collegii S. Donatiani apud Brugas Decanum.

Ex his cineribus, non novis ſed jam veteribus, *de arbitrii vel libertate vel ſervitute*, orta tandem vel ſcintilla, qua incaleſcerent, ex diuturno voto multorum calentium, *Eraſmus & Lutherus;* cui liti ſe immiſcuit *Huttenus*. Exiſtimata hæc quæſtio, ſcholæ formulis, adeo ab utraque parte tranquille aut moderate tractata, ut & in ipſa illa lite non arrideret æſtuantibus tepor aliquis, cum maluiſſent in ſcena publica furias, non homines, non viros, non Chriſtianos.

Non ſaxa jacere, non convitiari, non tumultuari, non vociferari, non maledicere inſtituerat Eraſmus, ſed æquitate animi & ſtyli cauſam agere, neque partem adverſam proſcindere contumeliis, ſed delinire & rationibus conciliare. Quæ æquanimitas Eraſmi & ſtyli temperies, qui fulminare & tonare neſciret, aut formidaret, tanto magis inviſa ſuis, quanto magis viſus ſua dicendi & dimicandi circumſpectione aut lenitate animum prodidiſſe in adverſam partem propenſum. Nil igitur juvit Eraſmum pugnaſſe pro arbitrii libertate, qui pro ſuo libero arbitrio non in flammas eſſet verſus, ſed in imbrem, qui ſervum ſe oſtendere debuiſſet voluntatis & arbitrii illorum, qui ad pugnam illum impulerant amici. Quamobrem Eraſmo à ſuis nihil imputatum eſt gratiæ, apud quos nullam iniit, pro ſuis licet & ſcholæ traditione formulisque receptis ſat fortiter dimicans. Habitus conſtanter Eraſmus parti adverſæ deditus, poſt habita illa pro Eraſmi arbitrio non nimis furioſa cum Luthero dimicatione aut digladiatione. Vinci aut vincere volebat Eraſmus arte, adverſarium, illi marte & vi, impetu & furore. Quare pars Eraſmi in Eraſmum tela & arma vertit, in ſuamet viſcera ſævire non reformidans, modo ille ob æquitatem magnamque arbitrii ſui libertatem iniquiſſime & illiberaliter tractaretur. Sic inviſus Eraſmus adverſæ parti, ex viribus voluntatis nimiopere auctis, pro communi Scholæ ſententia: Suæ parti multo odioſior, ob vetera & recentia bonarum literarum ſtudia ſuſcitata, ob fontes doctrinæ ſacræ genuinos Novo Græco Teſtamento edito publicatos, ob ſcholaſticam theologiam millies per illum jam dudum proſciſſam, uno nomine ob humanitatem & manſuetudinem.

Albertus Pius, Carporum Princeps, Caroli V. Cæſaris in Romana Curia orator, ſua elegantia & doctrinæ copia Eraſmo ſexagenario & parti adverſæ ſimul necem parare ſibi viſus Romæ, Anno 1525. & cum Cæſari Carolo fuiſſet infidus, à fuga, Pariſiis An. 1529. 1530. Monachus factus Franciſcanus.

CUm Eraſmum nil juviſſet conflixiſſe cum adverſis, cum moderatio animi in Eraſmo tacitus crederetur conſenſus, & tecta quædam propenſio, repetita ubique priſtina formulâ, *Eraſmum poſuiſſe ova; Lutherum excluſiſſe pullos*, idem utrumque vel olim vel nunc monuiſſe: De novo impellere Eraſmum conati, qui amarulentius dimicare inciperet, aut pugnando in incendium converteretur, quo vel omnes conſumendi ab utraque parte. Mitior atque æquior ſemper Eraſmus, qui conſiliis, humanitate, aut æquitate vinci adverſam partem debere conſtanter aſſeveraret, non convitiis, non contumeliis: Eſſe omnino multa concedenda, & eſſe permulta in Eccleſia emendanda, in adminiſtratione & doctrina, quæ clamoribus retineri aut defendi non poſſent.

In his Eraſmi amicis, vel profeſſionis conſortibus, Romæ eminuit illis annis *Hieronymus Aleander*, ſupra laudatus, *Cardinalis*. Hic incendere alios in Eraſmum, conqueri de veteribus Eraſmi ſtudiis humanioribus, de illis in Germaniam introductis. De fontibus ſacris ſuſcitatis & ſcholaſticæ rei oppoſitis: Quæ principia pars Lutheri ſit amplexa. Facile Romæ, ut alibi, in conſenſum pertracti viri magni, qui culpam omnem præſentium diſſenſionum Eraſmo tribuerent. Qui diſerte pronunciarunt, ſatius fuiſſe, Eraſmum nunquam extitiſſe cum bonis & manſuetis ſtudiis; præſtitiſſe humanitatis diſciplinam ad Germanos nunquam perveniſſe aut per Eraſmum Alpes tranſcendiſſe: Rectius & felicius Germanos manſiſſe barbaros, rudes, incultos, in ſervili obſequio detinendos, in ignorantia relinquendos, absque ulla arbitrii libertate, qui jam humaniorum literarum apparatu ſervituti priſtinæ ſe opponerent, libertatem judicii quærentes.

In illis Aleandri amicis, qui cum illo dicerent & ſentirent, excelluit *Albertus Pius, Comes aut Princeps Carpenſis, Italus, Romæ in Curia ſpectatus, tum ex elegantioribus literis, tum ex dignitate oratoris, nomine Caroli V. Cæſaris.* Diſſimulare hic Romæ in publicis privatisque congreſſibus non ſuſtinuit ſuam & aliorum de Eraſmo ſententiam, qui non vereretur diſerte pronunciare: Ad Germanos bonas literas non debuiſſe perduci, qui felicius manſiſſent ſervi quam libertati aſſerti.

Fama ad Eraſmum, Baſileæ tunc agentem, An. 1525. pertulit illud *Alberti Pii, Romanorum ore de Eraſmo judicium.* Quod cum Eraſmus inaudiviſſet, conſultum autumavit, *literis Romam ad Carporum illum Principem datis*, animum ejus delinire ac in æquiorem pellicere ſententiam, qui benignius & pie magis de Eraſmo ſtatueret.

Antequam Eraſmus Carpenſi Principi ſcriberet, *hoc anno 1525. in literis ad Cœlium Calcagninum, 3. id.*

Maji famam *de Pio illo Carpensi* aperuit, de iniquitate illa viri conquestus, *Epist. l. 20. ep. 53. f. 1013.* Dixerat, se à theologis & monachis turpiter proscindi: „Theologi monachique, quorum implacabile odium „in me concitaram, ob provecta bonarum literarum studia, quas istæ pecudes multo pejus oderunt quam „Lutherum ipsum, tam pertinaciter ac stolide debachantur in me, ut, ni mihi fuisset animus adamanti„nus, vel horum odiis potuerim in castra Lutheri propelli. Nescio an vos putetis rem esse ludicram: „Verum, nemo credat, quam hoc negotium late propagatum sit, quamque gentium pene omnium ani„mos occuparit. Tot eruditorum hominum amicitia videbar mihi Crœso beatior. Hanc felicitatem „æquo animo deposui, meque nudatum omnibus præsidiis inermem ac destitutum objeci tot furiosis, „quorum tyrannidem mundus diutius ferre non potest, nec feret. Et tamen illi non ignorant, quan„tam cladem ipsis inferre potuerim, si vel digitum porrigere Lutheranis voluissem. Atque interea quo„ties decernitur honos Theologis, nihil sapit Erasmus. At cum est gravandus invidia, solus poterat to„tum hoc incendium extinguere suo calamo.

Jam addit susurros Pii, Carporum Principis: „In hanc invidiam vocat Pius ille Carpensis, qui ut „scribunt, Romæ in omnibus conventiculis, in omnibus conviviis deprædicat, Erasmum nec esse Philo„sophum nec Theologum, nec quicquam omnino tenere solidæ doctrinæ. Cur ille vir tacitus confer„tisque manibus spectat hunc aprum ferum, depopulantem domini vineam? Cur nullus hoc audet Ro„mæ, quod ego sum ausus in media Germania, solo præmio rectæ conscientiæ contentus. Neque enim „me jam hinc brevi emigraturum vel Cæsar vel Pontifex beare potest; Imo ne hoc quidem præstare „valent, quo minus proscindar rabiosis libellis, etiam ab istis ventribus, qui se jactant favere Romano „Pontifici, cum nulli magis officiant nomini Pontificio.

Cœlius Calcagninus, Ferrariâ Erasmo respondens, *1525. pridie Non. Quintil.* cum subindicasset, Germanos a Romanis discessisse, *non tam studio & amore Lutheri, quam odio Theologorum & monachorum quorundam, qui sibi titulo religionis regnum & tyrannidem paraverant, quorum votum fuit, in hominum æque animos & bona grassari.* In Carpensis excusationem digreditur: „Quod de Pio Car„pensi significasti, non minus ingratum fuit quam novum. Est omnino cum homine mihi longa & „vetus consuetudo ex eo usque tempore, quo ille juvenis, ego admodum puer Petreto Mantuano, Philo„sopho primi nominis operam dabamus tunc dialectica profitenti. Eo Principe nihil humanius, ni„hil modestius agnovi, tantumque aberat, ut bene merentibus obtrectaret, ut multo sæpius vir bonus dis„similimis id est indignis faveret. Ob id non potest mihi non mirum videri, cum adeo a suis moribus de„generasse, ut in te tam acerbe, tamque immerenter invehatur, quem qui non amat, aut invidet, aut quid „amandum sit non intelligit.

His illecebris vel non retractus Erasmus vel magis incitatus, scripsit tandem *Basileâ An. 1525. id. Octobr.* Romam ad Albertum Pium, tum iram ejus sedaturus, tum veros fontes omnium turbarum & apud illum explicaturus, *odium theologorum & monachorum adversus bonas literas ab Erasmo advectas, tyrannidem illorum tot seculis exercitam.* Quæ Epistola lectu digna comparebit infra.

Albertus Pius Carpensis, non Epistola sed libro aut volumine Erasmo responsurus, opus finivit *Romæ, idibus Maji, 1526.* idque *scriptum* Erasmo misit *Basileam.* Dicendi puritatem sectari, humanitatem prætexere, & in Erasmum prolixum favorem jactare, sed oblique & tecte primum pungere, mox apertius confodere. Compendium hoc & nervus omnium erga Erasmum affectuum, consiliorum, machinationum, controversiarum, de Luthero opinionum: Hic campus brevis omnium illius ævi litium & querelarum. Dabimus infra.

Hanc *Epistolam libri mole* cum Roma nactus esset Erasmus, responsionem distulit, quid facto opus deliberaturus. *An. 1526. 17. Cal. Junii*, apud Franciscum Molinium verbo subindicavit Romanum illud incendium, Hieronymo Aleandro & Carpensi sufflantibus. *Romæ paganum illud eruditorum sodalitium jam pridem fremit in me, ducibus, ut ferunt, Aleandro & Alberto quodam Principe Carpensi* Tom. Epist. f. 1118.

Instinctu Aleandri Albertum Erasmo infensum esse scribit Budæo, An. 1527. 10. Cal. Julii *T. Epist. f. 968.* „Georgius Sauromanus, juvenis egregia indole, parabat excudere nescio quid scripti. Alber„tus Carpensis, nam is ejus sodalitatis Princeps, expunxit quicquid erat additum in laudem Erasmi. Non „hoc imputo Alberto, sed illi (Aleandro) qui nec Deum nec hominem quemquam laudari patitur præ„ter se ipsum. Nam hunc Albertus, ut audio, facit plurimi.

Silentium Erasmi ad Carpensis expostulationem, extorsit illi *apud Clementem VII. Pontificem, An. 1528. 3. Non. April.* quietis defensionem: inprimis cum similis alter liber in Erasmum Roma ad illum esset perlatus Aleandro autore quem intactum similiter reliquerat. Ex gemino illo scripto collegisse se ait, Pontificem esse persuasum Erasmun clam favere Luthero, aut certe illius negotii esse autorem. „Propemodum habeo compertum, partim ex vocibus tuæ sanctitatis, quas oratores quidam retulere, „partim e libellis duobus, quorum alterum ad me misit Albertus Carporum Princepss, alter inter tua „famulitia versabatur, nullo quidem titulo, sed evidenter stilo referens autorem suum: Nonnullos Eras„mum apud S. T. insimulare conatos, quasi vel clam faveam Lutherano negotio, vel certe præbuerim „occasionem.

Pro silentio suo ad Carpensis & Aleandri invectivas: „Neutri libello, inquit, respondi, quod perspi„cerem fieri non posse, ut me sic purgarem; ne quemquam alium læderem; simulque verebar, ne res „ea renovaret incendium, jam aliquanto mitius.

De suspicione Erasmum dedisse occasionem illis rebus novis: „Ista suspicio non jactatur nisi inter „monachos & sacerdotes quosdam, non minus bonis literis infensos quam factionibus. Atque adeo „nemo cordatus non perspicit, hanc tempestatem esse fatalem, ob populi scelera terris immissam:

Quam

„Quam vix arbitror finem habituram, nisi pariter omnes confugiamus ad Domini misericordiam: Ille „medebitur, qui plagam inflixit. Suam quisque vitam prius corrigat, tum ad proximo medendum sese „accingat Christiana charitas, quæ nunquam desit severitati, si forte quorundam improbitas severitatem „postulet. Quod si in hoc negotio T. S. laxabit habenas istis, qui nec tuam mihi crede nec Christi rem „agunt, sed suis privatis cupiditatibus consulunt, utinam vanus sim augur, at vereor ne male curatum ul„cus aliunde erumpat, majore publicæ tranquillitatis periculo.

Episcopo Augustano, Christophoro a Stadio suum illis ex causis dolorem exposuit Erasmus *An. 1528. 7. Cal. Sept. T. Epist. f. 1040.* Perditam Monachorum rem ante omnia deplorat: „Monachi fere suum „agunt negotium, non Jesu Christi, nec hoc habent in votis, ut in animis hominum regnet Christus, sed ut „ipsi suum regnum tueantur, præcipuam victoriæ spem collocantes in tumultuosis apud populum cla„moribus ac procaci maledicentia, qua profecto quidam valent plurimum. Theologi quidam odio „Lutheri damnant, & illa quæ pie sunt dicta, nec a nobis reperta sunt, sed ab Apostolis & Christo prodi„ta. Itaque per istorum stolidam improbitatem fit, ut multi hæreant in factione, qui fuerant alioqui „recessuri, & accedant qui non erant accessuri. Quem autem non moverunt & hodie movent lapidem, ut me tandem injuriis delassatum protrudant in castra Lutheranorum?

Principium mutationis Erasmus communibus peccatis non sibi vult imputari: „Cum ipsa res loqua„tur, hanc tempestatem nobis immissam divinitus, a Deo nostris offenso sceleribus, quemadmodum olim „Aegyptiis immisit ranas, locustas & cyniphes, aliasque pestes: Nemo tamen agnoscens sua commis„sa inclamat Domini misericordiam, sed sibi quisque blanditur, & alius in alium culpam rejicit. Si quæ„runtur occasiones humanæ, nihil est facilius quam indicare, per quos hoc malum ortum est, per quos „increduit. Jam audio multis persuasum, ex meis scriptis extitisse totam hanc ecclesiæ procellam. „Cujus vanissimi rumoris præcipuus autor fuit Hieronymus Aleander, homo ut nihil aliud dicam, non „superstitiose verax. Ejusdem sententiæ videtur Albertus Carporum Princeps, Aleandro junctissimus „magis quam similimus.

In Petri Tossani sinum eandem effudit querelam de Alberti Pii strepitu, *An. 1528. 3. Non. Sept. Tom. Ep. f. 1048.* „Suspicor illic (in Sabaudia) adesse Albertum Pium Carporum Principem, Aleandro mire „addictum, qui libro ad me misso hoc conatur persuadere me totius hujus tumultus autorem esse. Pro„spicio, quæ tyrannis sit exoritura. Vereor ne vincat mundus. Debetur hoc sceleribus nostris. Ad„huc in ea sum sententia, ut satius existimem silere, si nihil addant edicto. Toties respondi, tam eviden„ter ingessi sutoribus & Beddis sua mendacia, calumnias, deliriationes, insciticias, perfricuerunt faciem. „In clamoribus, convitiis, bullis & ampullis, in syncretismo & favore Principum tota illis victoriæ „spes est.

In silentio Erasmi, Carpensis suum illum in Erasmum librum per manus quorumcunque sparsit, ut Erasmo major pararetur invidia, qui origo omnis esset novæ rei. Responsurum se tandem nunciat, sed epistola non libro, *An. 1528 10. Cal. Jan.* ad Berquinum, *f. 1052.* „Alberto Pio respondebo, sed epi„stola tantum. Demiror quo consilio spargat eum libellum. Nam in me impudentissimis argumentis „causam agit, & agit hostiliter, docere laborans, me fuisse occasionem, causam, autorem & principem „totius hujus negotii. Quod idem agit Aleander in suo Racha, demirans me adhuc spirare, cum in Ger„mania tot hominum millia sint trucidata. Nec me fugit, Alberto cum Aleandro necessitudinem esse „intimam.

Quando suboluit Erasmo, Albertum Pium, Roma profugam, Româ à Carolo expugnatâ, bonis Alberti Pii à Cæsare occupatis, principatuve erepto, in Galliam concessisse, ibique editionem operis parare, brevem ad illum scripsit epistolam *Basileâ An. 1528. d. 10. Cal. Jan. Tom. Epist. f. 1484.* Legenda integra, pro historiæ luce.

„Ut libellus tuus mihi redditus est, Alberte, Princeps clarissime, protinus cœperam responsionis „nescio quid χεδιάζεσθαι. Sed interim Romæ ruentis fragor animos animum perculit, de te varius ru„mor ferebatur. Etsi maxime constitisset, ubi locorum ageres, nullum erat iter epistolis pervium. Nu„per ex amicorum literis accepi, te apud Regem christianissimum legatione fungi: Eumque libellum „per multorum manus circumferri, minimumque abfuisse, quin fuerit per typographos evulgatus. Id „ipse jam dudum curaturus fueram, si quos forte vel tui nominis autoritas, vel disputationis æquitas, vel „dictionis suavitas, ad meliorem mentem incantare posset, ni tam atrociter, tamque pertinaciter me „urgeres. Cum enim capitale sit, quod intendis, non magni refert, quanta sit orationis civilitas, veluti si „cui Princeps honorifico sermone mortem denunciet. Atque utinam in eum campum me provocas„ses, in quo licuisset solo ingenii aut eloquentiæ periculo tecum congredi. Satis magnam gloriam „duxissem, cum Alberto certasse, etiamsi victus discederem. Nunc talem causam impingis, ut si obti„escam capitale crimen agnoscam: Sin respondeam, primum vix id queam sine tuo dolore; Deinde „rursus camarinam moveam, quam satius erat non tangere, rebus alioqui plus satis undique exulceratis. „Quod superest moneo, ne præcipites editionem libelli, aut si non vis illuc operæ perdere, mitiga par„tem, qua mecum agis. Si hic γραμματοφόρος vel triduo priusquam abiret mihi denunciasset, rele„cto libello tuo misissem responsionem meam. Verum, id faciam brevi per alium, si quis certus oc„currerit. Ea lecta statues pro tua prudentia, quod judicabis in rem utriusque fore. Vix quicquam „tutum est literis committere. Verum, si vel coram daretur colloqui, vel in his regionibus ageres tu, „aut omnino me fallit mea de te existimatio, aut Erasmum tuo favore sublevandum putares potius quam „aliorum recinendis calumniis gravandum. Bene vale. Datum Basileæ X. Cal. Januarii, Anno 1528.

Apparet fere, hanc Erasmi Epistolam Carpensi non fuisse redditam, sed suppressam per Berquinum, cui tradita fuerat. Quod ipse Erasmus An. 1530. 27. Martii, Germano Brixio haud obscure detexit, f.

1480. *Scripseram & Alberto Pio: eam Epistolam fatebatur* (Berquinus) *ipsius opera non esse redditam, quod judicasset non expedire.*

Nihil his commoveri potuit Carpensis, cum serius acciperet, aut plane non. *Parisiis*, quorsum Cæsaris ira eum expulerat An. 1528. librum illum *edidit*, sed aliorum auxilio passim vel ornatum, vel auctum, vel mutatum.

Quod ubi An. 1529. cognovit Erasmus, accepit, legitque, *intra sex dies respondit*, quantum satis erat. Præmisit Carpensis *epistolam Erasmi, Anni 1525.* sed passim sine errore amanuensium, sive data opera *corruptam & vitiatam*, sensu mutato. Quod Erasmus in principio responsionis suæ submonuit & recte. Illa quippe omnis corruptio, ab Erasmo notata, & in nostro MSCto Romano palam obvia, infra suo loco conspicienda responsio Erasmi.

Quoniam Carpensis in isto libro Lutheri doctrinam lacessiverat, quam dilute & inepte id factum sit mox An. 1529. 4. Cal. Martii, indicavit Henkello, Epist. f. 1056. „Albertus Pius, Carporum Comes, „dudum Cæsaris orator ac Pontifici vehementer charus, nunc ad Galliarum regem dilapsus, edidit vo„lumen annis aliquot elaboratum. In quo duas res agit: Persuadere conatur, universum hunc orbis „tumultum me autore natum esse. Præterea refellit Lutheri dogmata, sed tam dilutis rationibus, ut his „de rebus leviter cogitasse videatur.

Ludovico Bero eundem Alberti scopum monstravit An. 1529. postr. Cal. Mart. „Albertus Carpo„rum Comes edidit Lutetiæ librum in quo persuadere conatur, Erasmum totius Lutheranæ tempestatis „esse autorem.

Dilatæ suæ responsionis rationem dat Antonio Episcopo Gurcensi, An. 1529. 6. id. Mart. Tom. Epist. f. 836. Simul detegit mutatæ editionis Albertinæ formam a MSCto, quod Erasmo prius miserat. „Albertus Pius ante annum miserat mihi librum, quem nunc edidit Lutetiæ. Secuta est paulo post Ro„mana calamitas, nec scire licuit certum, ubinam ageret Albertus. Ita factum est, ut de respondendo non „cogitarem. Vix tandem ex amicorum literis didici, illum in Galliis agere. Admonui hominem „epistolio, differret editionem, donec accepisset meam responsionem, aut si id nollet, temperaret illa „tam odiose, sed sine causa, in me congesta. Verum, jam exierat liber antequam meæ literæ venissent „Lutetiam, & huc liber sero perlatus est. Itaque relegendo libro & parandæ responsioni, quinque die„rum opera data est. Audieram & antea rem ipsius Marte non esse gestam, & Lutetiæ theologorum „auxilio adjecit testimonia scripturarum. Id deprehensum est ex collatione ejus codicis quem manu de„scriptum miserat. Fortasse videbor judex parum integer, attamen nisi nihil omnino video, multum „abest hic liber ab ingenio doctrinaque, quam expectabam ab Alberto.

Postquam Eralmus publice responderat Carpensi, hic multorum adjutus opera, jam senex grandævus, *ad vasti voluminis* congerendi operam se accinxit, ex omnibus Erasmi libris congesturus, quod videretur sapere novi quid. Cui operi edendo immortuus est, perficiendi cura aliis relicta. Brevi vero antequam obiret, *Franciscanorum ordini* æger se adsti inxit. Quo habitu pro more elatus per Franciscanos, in horum monasterio conditus est, An. 1530.

De novi hujus magni operis incensore, Aleandro Cardinale, recte Erasmus, An. 1529. (non 1531.) 11. Cal. Jan. Tom. Ep. f. 1399. „Complures jam annos quidam improbe mentiti sunt, mihi per omnia „cum Luthero convenire, non quod hoc omnes sibi persuasissent, sed quod eum rumorem perdendo „Erasmo putarent accommodum. Nunc ab ea spe delapsi, commenti sunt alium colorem, Erasmum „huic tragœdiæ seminarium ac fontem esse. Hoc etiamnum mordicus tenent. Albertus Pius, quon„dam Carporum Princeps, ante duos annos in hoc argumentum velitatus, nunc idem serio tractat condu„ctis operis, quæ ex omnibus meis lucubrationibus collegerunt, quicquid ad calumniam detorqueri po„test. Idem pontificis in me animum si minus alienavit, certe refrigeravit. *Opus excuditur a Badio. Vetus est, de consule fieri rhetorem, hunc videmus e Principe fieri, pene dixerim, sycophantam. Hoc organum* (Carpensem) *præcipue movet quidam*, (Hieronymus Aleander) *sibi felix, Ecclesiæ infelix, cum Pius nec sibi* (qui Principatum suum amisit, Cæsari minus fidus minister, fuga elapsus) *nec aliis* (ipsi Pontifici Romano, Clementi, cujus partes tenuit contra Cæsarem) *fuerit felix* (Roma expugnata & Clemente obsesso atque capto.) *Certum est, posthac ejusmodi sycophantiis esse mutum.*

Sepulveda, Hispanus, Carpensis in majori hoc opere congerendo aut instruendo adjutor præcipuus, judice Erasmo, ad Andream Alciatum, An. 1530. *f. 1388.* „Demiror, quis genius instiget Albertum Pium, „quondam Carporum Principem, qui librum unum quem scripsit in Italia, evulgavit Lutetiæ, Beddis „opinor gratificaturus. Nec hoc contentus, denuo compegit ingens volumen, collectis ex omnibus „meis lucubrationibus locis, qui videri possint Luthero ansam præbuisse. Nec ista molitur suo Marte, „sed habet aliquot pulchre stipendiatos, præcipue Sepulvedam quendam, Hispanum, hominem ut au„dio doctum, qui totius dictionis est architectus; ut hinc ad Albertum, haud ita multum gloriæ sit redi„turum. Argumenti summa est, ut persuadeat, me totius horum temporum tragœdiæ fuisse semina„rium. Miror, cur vir ut accipio doctus & per quam humanus ab argumento tam odioso famam au„spicari voluerit.

Laurentio Campegio Cardinali suum An. 1530. exposuit dolorem, ex novo illo Carpensis volumine, quod tunc sub prælo, testatus, se à Romana Ecclesia nunquam discessisse, tametsi tot injuriis premeretur à Romanensibus ipsis *f. 1425.* „Exortus est denuo Albertus Pius, qui prius editis addidit justum „volumen, in quo collegit ex omnibus scriptis meis, quæ videntur affinia dogmatibus improbatis. At„qui si placet reprehendere affinia, cum summa veritas sit affinis falsitati, polliceor me collecturum ar„ticulorum duo millia ex Decretis Pontificum, æque probatissimorum Ecclesiæ doctorum monumentis, „ut omittam σκανδαλώδη & irreverenter dicta. Atqui tale est argumentum, quod suscepit Pius, ut si me

totis

„totis viribus pergam tueri, per occasionem noceam causæ cui faveo, cujusque gratia duarum sectarum „irreconciliabile odium in me provocavi. Si quid acciderit tumultus, ero inter primas victimas ἐπισ- „κόπους. Quanquam hoc citius patiar, quam ut divellar à castris Ecclesiæ catholicæ. Nullos collegi di- „scipulos, nulli sectæ memet addixi, tantum invidiæ tantumque periculorum senex & valetudinarius, pa- „ti malui, quam digitum latum ab orthodoxorum consortio recedere. Itaque ut demus in tot libris „aliquid à me scriptum incautius, tamen hic animus promerebatur aliquanto majorem favorem. Hæc „in sinum unici patroni mei, quem semper mihi faventem expertus sum, effundere visum est, ut, quan- „do superiora revocari non possunt (jam enim Pii liber excuditur) in posterum cohibeas illorum seras „querelas, vel insimulationes potius, mihi periculosas si obticescam, ad coërcendas hæreses inutiles si re- „spondeam.

Ultima Carpensis fata Eleutherio nunciavit Erasmus An. 1530. 6. Martii, *Tom. Ep. f. 2066.* „Non „me fugit, quosdam Sophistas vociferari, me hujus autorem tragœdiæ. Sed iidem antea ad ravim usque „clamarant, mihi cum Luthero convenire. Id cum jam nemo crederet, repererunt aliud clamandi ar- „gumentum. Pius Albertus Carpensis, dum excussis propriis aliena negotia curat, edito libro conatus „est hoc quod isti grunniunt persuadere. Cui nos respondimus. Sed ille conductis pluribus operis, „redintegravit pugnam. Opus ingens jam opinor ad calcem properat in officina Badiana. Valetudi- „narius avocarat animum à scribendo, sed in gratiam Franciscì sodalium edidit, ac nondum absoluto li- „bro decessit. Hoc nimirum est juxta proverbium infixo aculeo fugere. Spero tamen animam illius „inter Seraphicas mentes ludere. Nam corpus triduo ante mortem Franciscano cultu decoratum est, „ac mortuum eodem ornatu Franciscanorum humeris per mediam urbem religiosa pompa deportatum „in monasterium, nec quicquam omnino ceremoniarum omissum est, quæ solent γηησίοις Franciscì τέκ- „νοις impendi.

Nondum viderat Erasmus *novum illud Albertinum magnum opus*, cum An. 1530. Non. Mart. Alean- drum & Albertum Pium, eandem tubam inflantes, Erasmum omnium illorum motuum fuisse autorem, vivis pinxit coloribus, literis ad Jacobum Sadoletum, *Tom. Ep. f. 1379.* „Non queo satis mirari ingenium „istorum, qui summi Pontificis animum conati sunt in me calumniis irritare. Neque enim me clam „est, qui sint. Cum altero (Hieronymo Aleandro) fuit mihi olim (Venetiis apud Aldum) non te- „ctum modo ac mensa, verum etiam cubiculum & lectus communis. Adeoque à me nulla læsus est „injuria, ut cum illi res essent angustiores, commendatricibus literis meis nonnihil etiam adjutus sit, nec „usquam illius in scriptis meis nisi honorifica mentio. Quo tamen in me fuerit animo, abunde decla- „rat libellus, in quo docet, quid significet Hebræis Racha, quem in aula Pontificis per manus multorum „volitantem amicus quidam bona fide descriptum ad me misit. In eo præter omnem occasionem Pon- „tifici scribit, se vehementer admirari, cum in agricolarum tumultu tot hominum millia trucidata sint „apud Germanos, Erasmum adhuc vivere, qui totius hujus tumultus princeps & antesignanus fuerit, qui „tempestatem sævissimam excitarit, qui maria turbarit ab imo. Quasi mihi quicquam fuerit cum ve- „sano pariter ac misero tumultu rusticorum, aut quasi non primus omnium instituto seditioso reclama- „rim, submissius aliquanto, sed tum opinor prudentius, tum ad tuendam Ecclesiæ concordiam accom- „modatius quam hi, qui vociferationibus, minis ac sævitia, protinus hoc incendium extinctum iri pu- „tarunt.

Deinceps de Carpensi, quem similiter apud Sadoletum circumscribit: „Alter ille (Carpensis) „mihi de facie incognitus, sed eruditionis humanitatisque fama tum notus, tum etiam charus, Romæ „nusquam non declamabat in Erasmum, infantem, indoctum, nullo judicio præditum. Cum eo postea- „quam expostulassem literis amanter & honorifice scriptis, ille justo meditatoque volumine respondit, „quod ad me nondum excusum misit. Ex eo facile deprehendi, hominem mea non legisse, sed audita „delataque scribere, imo ne scribere quidem nisi per conductitias operas. Hoc opus cum Parisiis ex- „cusum, sed adjectis nonnullis ad me venisset, respondi, sed tamen civiliter & honorifice, sedulo ca- „vens, quantum ipsa natura causæ patiebatur, ne quid excideret, quod illius vel animo merito doleret, „vel famæ detrimentum afferret, amicitiam etiam mutuum offerens, quam ille deferebat in calce volu- „minis. Sed non conquievit instigator ille primus (Hieronymus Aleander) nec defuerunt Lutetiæ, qui „stimulos adderent, præsertim γυμνόποδες, (Franciscani) quorum sacrum amictum ille triduo quam „moreretur, induit, in eoque sepultus est, solennibus illius ordinis ritibus, priusquam typographus volu- „men absolvisset. Quod mihi nondum videre contigit. Qui viderunt, ajunt, ingens esse. In eo per „multas operas conductitias collectum est ex omnibus meis lucubrationibus, quicquid improbatis do- „gmatibus affine quoquo pacto videri potest. Quanto consultius erat ea decerpere, quæ palam ad- „versantur ejusmodi dogmatibus, quorum nullus est numerus. Ita bonus ille vir infixo, ut dici solet, „aculeo fugit: Cujus animæ precor Dei misericordiam, optans ut feliciores reperiat patronos apud sum- „mum judicem, quam ipse patrocinatus est Gallo adversus Cæsarem aut Pontifici adversus Cæsaris co- „pias, aut sibi ipsi in tuendo suo Principatu.

Aleandri & Carpensis conjectos labores in Erasmum, pro magno illo codice convasando monstravit Erasmus & Bilibaldo Pirkheimero, Cæsareo Consiliario, An. 1530. f. 1939. „Albertus Pius rursum ingens „volumen scripsit in me per conductos aliquot, omnibus locis e lucubrationibus Erasmi excerptis, quæ „patent calumniæ. Aleander agit Venetiæ, diciturque quicquid est operum meorum diligentissime evol- „vere in hoc, ut suspicor, quo Alberto suo suppeditet calumniandi materiam. Magna inter molles con- „cordia.

Sepulvedæ & Aleandri auxilium Carpensi latum indicavit Erasmus etiam Andreæ Critio, Episcopo Plocensi, An. 1530. f. 1442. „Albertus Pius quondam Carporum Princeps, qui nunc Galliæ regis benignita-

„nignitate fovetur, non contentus eo libro, quem pridem in me edidit, adornavit alterum, priore triplo „majorem. Per conductos aliquot curavit ex omnibus libris meis decerpenda, quæ videntur affinia do„ctrinæ Lutheranæ, aut quæ ad calumniam detorqueri poſſe videantur. Alit domi ſuæ, ut ajunt, Se„pulvedam quendam Hiſpanum, cujus opera utitur ad dictionem poliendam. Miror quid iſti homini „veniat in mentem, niſi quod ſuſpicor, illum hoc agere inſtinctu mitrati cujusdam (Aleandri) cui fœdera„tiſſimus eſt. Magna inter molles concordia, inquit Satyricus. Franciſcanis gracculis poſt hac ero mu„tus. Alberto fortaſſis reſpondebo.

Pares copiæ & ſuppetiæ latæ Alberto Pio a Franciſcanis Pariſienſibus, interque hoc a Petro Cornuenſi, commemoratæ ab Eraſmo apud Nicolaum Mallarium An. 1531. 5. Cal. Apr. f. 1352. „Dicam quod „rideas. Eſt quidam doctor Conſtantienſis, qui mei effigiem in charta impreſſam habet in conclavi ſuo, „non ob aliud, niſi ut cum inambulet, quoties eam præterit, conſpuat. Percuntantibus odii cauſam „reſpondet, ſe mihi acceptum ferre hoc calamitoſum ſeculum. Antea nolens volens eram Lutheranus. „Hoc telo de manibus excuſſo, quærunt aliud: Ajunt, me dediſſe gradum ſectarum autoribus. Hoc „argumentum ſerio rurſus tractavit Albertus Pius, cujus ingens volumen excudit Badius; cum opus, ut „audio, non ſit Alberti, ſed per multas operas conductitias conflatum. Nec minimum contulerunt „Franciſcani Pariſienſes. Habent enim quendam inſigniter ἀκριτόμυθον, Petrum Cornuenſem. Ipſe „Pius rem fecit oppido quam ingenioſam, infixit aculeum, ac ſefe proripuit. Deceſſit enim multis an„te diebus, quam Badius opus abſolviſſet. Dicebatur Carpenſis & quanquam ditione fuiſſet exutus, co„gnomen idem manebat, licet ratio cognominis fuerit diverſa. Prius enim a Carpis erat Carpenſis, „poſt a carpendi libidine. Atque ut intelligas, illum non ſine cauſa dictum Pium, triduo quam mo„reretur, induit amictum divi Franciſci. In ea veſte Franciſcanorum humeris deportatus eſt ſolenni „pompa per vias, facie, manibus & pedibus nudatis & in monaſterio ſepultus. Non inſector religioſum „hominis affectum: Vulgatum eſt hoc apud Italos: Sed demiror patres illos, cum non ignorent, cu„jusmodi ſit hoc ſeculum, ejusmodi ceremoniis, ne dicam ſuperſtitionibus irritare in ſe orbis invidiam, „plus ſatis jam flagrantem ſuapte ſponte. Sed Alberti manibus precor lucem & quietem. Opus non„dum vidi.

Reſpondit Eraſmus & ad hoc opus Carpenſis, An. 1531. nec pari tamen chartæ mole, ſatis tamen illius judicio. Rationem & hujus brevitatis expoſuit Julio Pflug, Tom. Epiſt. f. 1488. „Exiit ingens vo„lumen Alberti Pii, quondam Carporum Principis, poſt exulis apud Gallos, deinde Sycophantæ, poſtre„mo Franciſcani. Nam ſacro ſanctam illam veſtem induit triduo priusquam moreretur. Sic mecum „agit, quaſi ego damnem omnia quæ facit docetque Eccleſia; Nec puduit hominem Principem, ſenem, „ac diutina valetudine moribundum, denique jam Seraphico ſodalitio deſtinatum, manifeſtis menda„ciis proximo capitalem ſtruere calumniam. Quanquam hoc illi commune eſt cum omnibus fere, „qui ſtili mucronem in me ſtringunt, permittunt ſibi, ut multa impudentiſſime mentiantur, cum ſe pro„fiteantur veritatis defenſores, quaſi poſſit ignis ignem reſtinguere. Non eram illi reſponſurus, niſi me „vehementer gravaret, primum auctoris celebritas, adhæc liber Lutetiæ editus, poſtremo fœdus cum „gente Seraphica. Reſpondi tamen, ſed perpaucis; & copioſius & acrius reſponſurus, ni vir in medio „opere reliquiſſet terras.

Jam tandem tempus eſt, poſtquam poſtremo ſatisfecit Carpenſi *annos ſexaginta ſex natus*, brevi ante obitum ſeptuagenarii, An. 1536. ut exhibeamus ordine *tria illa monumenta*, Eraſini Epiſtolam ad Carpenſem, An. 1525. Carpenſis librum pro Epiſtola An. 1526. & Eraſmi reſponſionem ad Carpenſis librum, An. 1529. *Quæ tria ſcripta nervos comprehendunt omnium illius temporis affectuum, quæſtionum, litium, controverſiarum, probationum, deciſionum, & tempeſtatum.*

Eraſmi Epiſtola, in MSto Romano, quod in noſtris manibus, facie comparet diverſa a fronte genuina: Siquidem data opera vel per incuriam, ut ſupra monitum, quædam contra mentem Eraſmi accepta; unde *manu ſcripta* aliter, aut correcta aut potius vitiata in codice Romano, ita uti *Carpenſis edidit corruptam Pariſiis*; quam *corruptionem* Eraſmus in ſua reſponſione obiter notavit. Nos integram damus, uti partim in Tomo Epiſtolarum partim in operibus Eraſmi comparet.

Carpenſis librum damus *ex* laudato *MSto Romano, quod An. 1577 Romæ extitit in manibus Cardinalis Scirleti.* Quod opus magni pretii habendum, quod *genuinum* illud referat *exemplar*, *quod Eraſmo miſit ſcriptum manu* An. 1526. quod *lucem non vidit.* Quanquam enim Carpenſis An. 1528. ederet Lutetiæ, *mutata* tamen *jam facies libri ex additamentis.*

Neceſſarium fuit addere *brevem Eraſmi reſponſionem*, alibi licet obviam, quod Eraſmi mens, ſcopus, affectus, rerumque momenta, de quibus Carpenſis, cognoſci alias nequaquam poſſent. Judicium Eraſmi ſolidum, ut & ingenii acumen, ſed & cenſendi ac refellendi modeſtia, lectorem reddant attonitum. Res Eraſmi æque grande illius ætatis in hiſtoria literaria momentum, ac Lutheri. Et quanquam hi alicubi diſſenſerint, utriusque in publicam rem literariam merita, lances poſtulent. Aequitatem certe Eraſmi, in rerum illarum mutatione, de rebus iſtis novis judicandi, vir quisque ingenuus digne æſtimabit, qui convitiorum hoſtis tranquillitatem ab utraque parte popoſcit aut expectavit, manſuetiſſimus, veritatis interim, Evangelicæque puritatis cupidiſſimus. Lumen fuit ſeculi, quod novam Germaniæ manſuetis literis & humaniſſimis ſtudiis donaret animam atque vitam. Ab Eraſmi ætate orbis alius, ſerenior, purior, integrior, manſuetior, chriſtiano nomini propinquior, atque reipublicæ utilior ſive ſit ſive eſſe jam poſſit, ſi velit. Scr. in Acad. Julia An. 1716. d. 23. Dec.

Eraſmi

ERASMI EPISTOLA

ad Albertum Pium, Carporum Principem, Baſileâ Romam Anno 1525. ſcripta,

DE VERIS REFORMATIONIS PRINCIPIIS ET EXORDIIS,

Sacerdotum impia vita, Theologorum ſupercilio, monachorum non amplius ferenda tyrannide, ut ſunt verba Eraſmi.

Clariſſimo D. Alberto Pio, Principi Carpenſi

S. P.

CUm ingenii candor doceat, illuſtri genere prognatos, & eximia felicitas neſciat invidere cuiquam, tum autem ab iis, qui te domeſtica conſuetudine penitus cognitum habent, prædicetur inſignis quædam naturæ tuæ benignitas, qua complecti ſoles etiam parum dignos tuo favore: Demiror, quis genius inſtiget animum tuum in Eraſmum. Quæſo, ut æquo animo feras libertatem noſtram. Fieri poteſt ut error ſit in nomine neque me fugit, quam non ſit tutum rumoribus hujusmodi credere. Quare te rogo, ut ſi quid eſt hujusmodi, exiſtimes hæc non tibi ſcribi. Complures, qui iſtinc huc veniunt, conſentientibus vocibus narrant, *Romæ quendam Principem eſſe Carpenſem, doctum magnæque apud purpuratos Patres autoritatis*, qui paſſim ac palam deprædicet, Eraſmum nec eſſe Philoſophum, nec Theologum, nec ullius ſolidæ doctrinæ. Idem ad me perſcribitur epiſtolis multorum æque conſentientibus. Atque hactenus nihil commoveor, ſi quis ea de me prædicet, quæ ipſe tum dictis tum ſcriptis ingenue profiteor, *nullis magis indignans quam his, qui me falſis & invidioſis laudibus onerant.* Si me venditarem pro magno Theologo, aut Philoſopho, merito mihi detrahat aliquis leonis exuvium. Nunc, cum nihil magni de me pollicens, præſtem id, quod poſſum, nulli me præferens, neque cujusquam officiens gloriæ, miror, ſi quisquam bene natus, & inſigni doctrina præditus, breviter, adeo felix, ut *contemnere* poſſit citius quam *odiſſe vulgares iſtos doctrinæ ſimios*, dignetur *obtrectare Eraſmo*, qui tui ſimiles ſemper venerari conſuevit, & adorare: Qui nec invidere novit æqualibus, qui inferiores gaudet, quantum poteſt, evehere. *In argumentis quæ mihi ſuſcepi, arbitror, me non omnino infeliciter verſatum eſſe*, præſertim ſi cogites me barbarum ea ſcripſiſſe barbaris. Nihil adhuc tractavi, quod requireret Theologum multa Philoſophia inſtructum præterquam *liberum arbitrium*, quod, a multis impoſitum, ægre ſuſceptum, *quam potui ſimpliciſſime tractavi*, nec tamen impie, ni fallor, ſi parum erudite. Proinde quis, oro, fructus, ſi vir tantus perſuaſeris, Eraſmum eſſe rudem heroicarum diſciplinarum? Sunt hujusmodi claſſis *quamplurimi, qui tamen ſe jactant doctores. His magis conveniebat detrahere perſonam, qui paſſim in ſcholis docent adoleſcentes nihil ſcire, & perſuadent nihil neſcire.* Jam facile fero, ſi quisquam pro ſuo arbitratu de ingenio literisque meis aut eloquentia judicet. Magis me commovent illæ voces, quas audio ſubinde repeti ab eodem Principe in conviviis Cardinalium, in conciliabulis eruditorum: *Quicquid eſt hujus tumultus, ex Eraſmo natum eſſe.* Hoc cum ſit vaniſſimum, quid dici potuerat hoſtilius, ab eo, cujus utrumque parentem veneno ſuſtuliſſem. *Cum prodire cœpiſſet Lutheranæ tragœdiæ proœmium, eique fere totus orbis applauderet, ego prius omnium dehortatus ſum amicos, ne ſe illo negotio admiſcerent*, cujus exitum augurarer fore cruentum. Et quoniam *quidam jactabant me cum Luthero ſentire*: videlicet quo plures allicerent ad ſuam factionem, *ego libellis editis profeſſus ſum mihi nihil eſſe rei cum Luthero*, nec unquam fore. *Ipſum Lutherum admonui rem evangelicam ita tractare, ne quid ambitioni, ne quid odio datum videretur, caveretque ne res in ſeditionem exiret.* Frobenium minis etiam exercui, ne quid excuderet Lutheranum. Abſtinuit ille, non absque luculento ſuo damno, meo potius obtemperans animo quam ſuo commodo ſerviens. *Quotquot apud Germanos & Helvetios amant bonas literas, initio erant Luthero addictiſſimi.* Hos omnes ex juratis amicis mihi feci hoſtes acerrimos, paucis exceptis. Cumque hinc *Theologi quidam odio bonarum literarum nullum non moverent lapidem quo me in factionem* (ut ipſi putabant) jam jam damnandam, *protruderent*, hinc *Lutherani* blanditiis, technis, denique minis & convitiis idem hoc agerent, licet conſilio diverſo quam Theologi: Tamen *hactenus digitum latum dimoveri non potui ut ab eccleſiæ Romanæ ſocietate diſcederem.* Hunc animum non omnino contemneres, ſi noſſes tot regionum noſtratum animos, ſi principum conſilia, ſi ſcires, *quos tumultus excitare potuiſſem, ſi me ducem hujus negotii voluiſſem profiteri.* Sed ego malui me nudum & inermem *utriusque partis* jaculis exponere, quam ullum porrigere digitum factioni, quam non agnoſcit eccleſia Romana. Sed, *occaſionem Lutherus hauſit è libris meis: Id fortiter negat ipſe Lutherus*, qui eadem de me prædicat & ſcribit quæ Princeps ille Carpenſis, videlicet: Nihil me ſcire Theologiæ, quod nusquam cum illius dogmatibus conſentiam. Sed fingamus, *aliquid hauſtum è lucubrationibus meis*, qui magis iſtud imputetur mihi quam Paulo, aut Auguſtino, unde ſua fere confirmat dogmata? *Certe cum illa mea ſcriberem, nihil minus ſuſpicabar, quam hujuscemodi tumultum exoriturum.* Sunt qui dicant, *cur non ſtatim naſcenti malo occurriſti?* Quia cum multis *ſuſpicabar, Lutherum eſſe bonum virum corrigen-*

rigendis depravatissimis hominum moribus divinitus missum: Quanquam jam tum mihi displicebant quædam, de quibus illum admonui. Porro, cum mundus esset plenus academiis, viderem-que *fabulam* esse *mire plausibilem*, non vulgo tantum sed etiam Principibus, Episcopis, ac nonnullis etiam Cardinalibus, quæ fuisset temeritas; me privatum homuncionem, *publico orbis favori* oppedere? Quod si me pateris libere proloqui, *qui fuerit hujus mali primus fons*, dicam pro mea quidem sententia. *Sacerdotum quorundam palam impia vita, Theologorum quorundam supercilium, Monachorum quorundam non amplius ferenda tyrannis, huic tempestati locum fecit.* Hoc velim ita dictum in malos, ut bonorum existimationem nihilo faciat deteriorem, & ita dictum in genere, ut ordini nulli fit irrogata contumelia. *Principio erat bellum cum linguis & latinis literis. His ego hactenus favi, ut admissæ ornarent juvarentque recepta studia*, non ut veteres Professores de ponte, quod ajunt, dejicerent, *& servirent gloriæ Christi*, non ut veterem paganismum in nobis revocarent. *Hic cum ancipiti Marte decertaretur, resper monachos detracta est ad negotium fidei. Hic illis placebat prætextus.* Non dubito quin audita tibi sit *Reuchlinica tragœdia. Hinc cœpit in illos increscere doctorum odium. Mox fervente adhuc bello inter Mystas & osores Musarum, exortus est Lutherus. Illico conati sunt illi literarum politiorum cultores Lutherano negotio involvere, quo simul & illos perderent. Ita gradibus quibusdam ex alterius partis semper in pejus vergentis pervicacia, tum alterius quorundam odiis & intempestivis clamoribus, huc usque progressa est tragœdia.* Habes rem, ut est, absque fuco descriptam. Nunc si verum est, quod ad me delatum est, quæso ut istam persuasionem abjicias, & istiusmodi voces mihi periculosas contineas, sin vanum est, ignosce, quod hujusmodi næniis obtuderim Celsitudinem tuam, cui precor omnia læta feliciaque. Datum Basileæ, Sexto idus Octobris M.D.XXV.

Erasmus Rot. ex tempore manu propria.

Alberti Pii, Principis Carpensis,
Responsio longa ad Erasmum Roterodamum,
Româ Basileam Anno 1526.

Quod Erasmus bonis literis suscitatis, Novo inprimis Testamento
Græco cum versione & annotationibus Anno 1516. edito,
reformationi ansam dederit,

Cum Exhortatione, qui in Lutherum scribat, cui ad
reformandum occasionem dedisset.

Ex MSCto Romano.

ALBERTVS PIVS CARPORVM COMES ERASMO ROTERODAMO *S. D.*

UTrum mihi molestiæ plus attulerit, an voluptatis epistola tua, Roma reddita *ad XVIII. Calendas Decembris*, haud facile profecto dixerim, Erasme doctissime. Nam ut me id magnopere delectavit, quod *vir singulari eloquentia & doctrina præditus* me ad colloquium per literas vocare videreris, sic illud permolestum fuit, quod offensionem animi tui, quam ipso statim velut exordio præferebas, per totam epistolam variis expostulationibus declarasti. Gaudebam itaque, *Erasmum virum eruditissimum ac celebrem*, quem jam ex multis annis non solum diligebam, verum & admirabar, ultro ad me scripsisse. Quippe judicium benevoli animi esse videtur & amicitiam mire cupientis, literis saltem interpellare, quem locorum intervallo nequeas convenire. *Angebar iniqua delatione*, quæ ipsum ad hujusmodi genus literarum impulisset, & qua prius ejus, quem diligebam, animum offendissem, quam mihi per occasionem licuerit, quanti ipsum facerem, declarare. Sed *in hac fluctuatione* vicit tandem causa lætandi, quod te qualiscunque ratio ad scribendum ad me compulerit, cum plerumque ex minus etiam grata causa & tristioribus initiis lætiora & gratiora progressu ipso evenire soleant. Sed hac sublata perturbatione, ecce *alia sollicitudo nihilo minor* responsurum invadit: Ne satius esset, *silentio præterire*, quod apte præstare non possem, quam studioso conatu prodere meam infantiam. Ut enim si quis concentuum ignarus a perito Musices ad canendum invitetur, prudentius agat, si se ἄμουσον profiteatur, quam si dissonum quiddam auribus audientium obstrepat, ne risum potius excitet quam oblectet: Sic homini indisserto, nulloque usu dicendi aut scribendi exercitato, videtur potius tacendum, cum interpellatur a viro eruditissimo eloquentissimoque, quam balbutiendum, præsertim si longior oratio requiratur, nec paucis verbis facere satis possis: Quod mihi contingebat, si essem singulis partibus literarum tuarum, quæ plurimas, nec eas non difficiles quæstiones attingunt, uti res postulabat responsurus. In quo illud quoque *verendum erat ne in immensum excresceret epistola* leges omnes prætergressa. Accedebat, quod diffugere non poteram, quin *de* perditissimo *Luthero*, ac ejus dogmatibus execrabilibus *aliquid* esset *dicendum*, cujus vel sola recordatione vel totus horresco, tamque commoveor, ut nulla re magis. Præterea *molestissi-*

leſtiſſimæ ac perpetuæ occupationes meæ, quæ vix mihi reſpirandi otium permittunt, me ab hujusmodi officio deterrebant: ut *adverſam valetudinem* omittam, quæ me complures jam annos ſæpe ac vehementer exercet.

Sed cum hæc omnia ſilentium ſuaderent, *ad reſpondendum* hortabatur, primum, quod ſubverebar, *ne forte ſuperbiæ aut timiditati adſcriberes meum ſilentium*, exiſtimans, me vel reſpondere dedignari, vel non audere objecta diluere. Deinde *officium* ipſum *urbanitatis*. Cum æque ruſticum & inhumanum eſſe videatur, ſi quis te literis invitet, non reſcribere, ac ſi coram verbis convenienti nihil reſpondeas, præſertim tam benigne interpellatus. Tandemque *pervicit humanitatis officium pudorem*, qualiscunque is fuerit, tui amor pium odium in Lutheri nomen, exiſtimatio tua occupationes cunctas, animi vigor corporis imbecillitatem; Innocentia veritasque ipſa dedit animos, & zelus gloriæ Chriſti ſuggeſſit ſpiritus. Itaque *decrevi reſpondere tibi*. Quod cum tardius ſtatuerim, & ſæpe tum morbo, tum occurrentibus negotiis ab opere fuerim avocatus, non erit quod mireris, ſi ſerius reſponſum accipias, minusque quod me accuſes, uti verboſiorem, ſi *epiſtolæ titulo fere juſtum volumen transmittam*, cum rebus plurimis & permagnis paucis verbis pro merito reſponderi non poſſit. Tua namque epiſtola multa & ingentia complexus es, quæ aut diſſimulanter præterire aut leviter attingere, hoc maxime tempore, impium eſſe putavi. Scis autem priſco more clepſydrarum numerum ampliorem reo concedi quam actori ſolitum. Neque id quidem immerito, cum diluere reus objecta non valeat, niſi argumenta repetat ab actore in medium allata, involuta diſſolvat, plurima explicet, ſua denique propriis argumentis confirmet, multa præterea obiter dicat, quæ etſi quandoque præter rem videantur, ad negotium tamen plurimum fortaſſe pertineant; plurimaque narrare cogatur, ut aperiat, quæ acculator verborum involucro tegere ſtuduerit. Quamobrem cum tu nefandi *Lutheri* tot capitum *negotium* literis tuis induxeris, tam perniciosique *tumultus cauſas* attigeris, quadam velut ſylva confertiſſima congeſta, ego quoque, dum tibi reſpondeo *ſylvam, ſed latiorem conficere cogor*, non aliter cunctis ipſe tuis locis ſatisfacturus.

Gaudeo igitur ac lætor, mi Eraſme, tibique gratias ago, quod non tacitus delata de me amaro animo ſuppreſſeris, ſed candide ut ingenuum pectus decet, mecum per literas expoſtulaveris. Quibus diluendis non opus mihi erit ſpongia tua, cum facile ſim tibi declaraturus, falſo plurima ex iis quæ ſcribis eſſe delata. Hoc autem tibi polliceor ac recipio tam ingenue me eſſe faſſurum, ſi quid protulerim de te, aut proferentibus aſſenſerim, quod minus auribus tuis poſſit eſſe jucundum, quam audacter, quæ non dixi, inficiaturum.

Illud autem imprimis, quod veriſſimum eſt, velim tibi perſuadeas, *me ſemper benevolo ac peramanti animo erga te jam ab annis compluribus fuiſſe*, ex eo nimirum *tempore, quo apud* virum optimum & de literis optime meritum, *Aldum* noſtrum, *Venetiis divertebaris*. *Tunc* enim primum *ego adoleſcens audivi Eraſmi nomen* ab Aldo *commendari*: & ni fallor, *etiam te vidi & Thomam Linacrum* virum præclarum itidem Aldi contubernalem. Deinde creſcente indies laudis tuæ fama, amor etiam augebatur. Quantum enim nomini tuo commendationis accedebat, quanto clarior evadebas, tanto ſtudium in te meum magis ac magis accendebatur. Quamobrem nunc cum clariſſimus evaſeris, *nullaque inter nos interceſſerit invidiæ cauſa, nulla fuerim a te laceſſitus aut provocatus injuria*, nihil eſt quod ſuſpiceris animum erga te meum factum eſſe alieniorem. Quinimo *quem jam pridem dilexi, quem amavi, jam etiam obſervo & ſuſpicio*. Fui enim ſemper ſtudioſorum omnium bonarum artium amantiſſimus, doctioribus etiam addictiſſimus: Inter quos cum præcipuus tibi locus ſit conſenſu omnium, *non eſt quod arbitreris, me quicquam protuliſſe, ut honori exiſtimationique*, quam de te paſſim perhoneſtam habent homines, *derogarem*, ut qui ſoleam, quantum in me eſt, Studioſos omnes defendere, & ex toto animo non ſolum egregiis, ſed etiam in ordinem redactis favere. Tanta eſt enim apud me ſapientiæ & diſciplinarum omnium reverentia; tantam eſſe earum ſublimitatem & dignitatem cenſeo, ut quicunque illis famulantur, eas colunt, & ſi minus aſſecuti fuerint, ſed (ut dicitur) ſummis labris attigerint, eos amplectendos ac fovendos eſſe putem: cum in magnis rebus voluiſſe ſatis eſſe videatur: in hisque præclariſsimis rebus vel ſuſcepta vota laudem non vulgarem mereantur & ſint omni favore proſequenda. Non enim omnibus conantibus datur metam attingere, ſed paucis, quos æquus amavit Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus. Nimis enim multa occurrunt ſtudiis literarum, quibus eorum amatores minus voti compotes fieri valeant. Egone igitur, qui ſic fui ſemper animatus, ſtatuique idem ab omnibus recte ſentientibus eſſe peragendum, *ego*, inquam, ut *Eraſmo viro eruditiſſimo de ſtudiis tam bene merito & ubique eloquentiſſimo detraherem?* Aliena ſunt hæc à conſuetudine mea, nimis abhorrent ab inſtituto. Te enim Eraſme (etſi minus egeas laudatione mea) ſæpe tamen apud magnos viros commendavi, quamvis pro meritis & laboribus tuis non ſatis laudare potuerim. Sed ea eſt mortalium conditio, ut plurimi, ſive naturæ pravitate, ſive adulandi ſtudio ut amantiores videantur, ſive vanitate quadam impulſi, magis gaudeant deferendis obtrectationibus & maledictis, quam referendis laudibus ac honorifice dictis: Quinimo cum hæc referre coguntur, eadem extenuent imminuantque ut nulla gratia habeatur: illa contra cum deferunt, quæ ingrata fore cognoſcunt, amplificent, exaggerent, &, quod magis dolendum eſt, perſæpe mentientes ex ſe ipſi confingant & calumnientur inſontes.

Primum autem omnium quod ais ad te delatum eſſe, *me apud purpuratos Patres nomini tuo detraxiſſe, hoc falſiſſimum eſſe tibi velim perſuadeas*. Quinimo tibi affirmare poſſum, apud plerosque, cum forte in tui mentionem incidiſſemus, *multa me ad laudem tuam pertinentia dixiſſe, nec mihi verbum contra tuam exiſtimationem excidiſſe cum aliis fatebor*: Sed minoris notæ hominibus, eisdemque amicis, ac literarum ſtudioſis, in colloquio familiari contigiſſe, ut non tua omnia perinde a nobis cunctis probarentur. Cum tamen *de te nemo* eſſet *non honorifice locutus*, quin

tibi tribuerit ingenii felicitatem, eloquentiam eximiam, copiam admirabilem, eruditionem variam, studium indefessum, doctrinam multijugam: ut *miraculo propemodum habeatur, virum Germanum in utraque lingua tantum profeciſſe, ut ſummis viris, in medio Latio & Græcia natis & inſtitutis, non æquandus ſolum, ſed plurimis ſit & præferendus, & ſimul tot diſciplinas attigiſſe, ut nullius expers eſſe videatur.* Hæc de te in conciliabulis eruditorum virorum, inter amicos ſæpius dixi, & dicentibus aſſenſi. Quamobrem falſum exiſtimare debes, id, quod ſcribis, imprimis ad te eſſe delatum, me palam ac paſſim prædicare, Eraſmum nec eſſe Philoſophum nec Theologum, nec ullius ſolidæ doctrinæ peritum, cum omnino contraria ſentiam & ſæpius prædicaverim; Tamque id abeſt a vero, quam illud proximum eſſe poteſt, inter loquendum a me vel coram me a quopiam alio fuiſſe dictum; Indicare ſcripta tua, majorem te operam dediſſe humanioribus ſtudiis, magisque oblectatum fuiſſe eloquentia, & linguarum variarum peritia, quam ſeverioribus diſciplinis & Philoſophiæ ſtudiis. Quod ſi dictum eſt, non in tuam contumeliam dictum, nec ab invidia profectum debes accipere, ſed libertate quadam loquendi, ut fit inter amicos in domeſticis colloquiis unoquoque ingenue proferente quod ſentit. Qui autem hoc dicit vel ſentit, is non dicit te ignarum Theologiæ aut cæterarum diſciplinarum, ſed te laudat, ut fieri ſolet, ex iis rebus, quibus magis excellere videris. Quod ſi de rebus ad graviores diſciplinas pertinentibus pari felicitate ſcripſiſſes, *maxime autem ſi Ariſtotelica tractaſſes*, pariter *illa monumenta teſtarentur, te præſtantem eſſe Philoſophum, & iis ſtudiis magis eſſe delectatum*, uti probant quæ ſcripſiſti, te diſertiſſimum eſſe ac eruditione multiplici præditum, non autem uni tantum rei, ut plurimos alios, ob idque forte in ea ſola præclaros, incubuiſſe. Sed forte *hæc Ariſtotelica* ac Philoſophica quaſi viliora ab hac nova Academia hoc eſt a Profeſſoribus bonarum literarum hujus temporis deſpiciuntur, & indigna in quibus elaboretur, exiſtimantur, *Scholaſtica* in opprobrium ea nuncupantibus, quaſi non eo magis capeſſenda ſint, quoniam in Scholis inter homines eruditos diſputantur. Quæ ſi tu tractare accuratius voluiſſes, non dubito, quin egregiam laudem in utroque fuiſſes conſecuturus, qui tam feliciter, quod magis petebas, obtinueris. Quamquam in omnibus excellere vix humanum eſſe videatur, cum difficillimum ſit vel in uno tantum eminere. Excarnificat enim unaquæque bonarum artium vel ſola totum hominem, univerſam ætatem abſumit antequam ad perfectum pervenire valeas. Nam „ſit licet ingenio„ſus homo, ſolers, diligentiſſimus, ſtudioſiſſimus, „memoriæ tenaciſſimus, incolumis corpore, libris „præceptoribusque abundet, præſto ſint omnia ad „diſciplinas capeſſendas opportuna, impedimen„ta cuncta ſublata, Neſtoreos vivat annos: Ho„munculus tamen eſt, imbecillis mente, non divinus. Quo fit, ut nemo tot tamque varia & ſcitu difficillima perfecte aſſequi valeat: Ut ſit neceſſe, qui uni tantum incubuerit diſciplinæ, is magis illam inbibat, quam multas, qui pluribus. „Tui tamen „ingenii ubertate effectum eſt, ut cum ſumma lin„guarum eruditione & eximia eloquentia non ſine „laude ſimul varias & multiplices diſciplinas „attigeris: Quod pauciſſimis contigit. Etſi enim *barbarum*, per jocum videlicet tuis te literis profitearis, ſcito tamen mi Eraſme, *me minime illis aſſentire, qui putant intervallo Alpium barbaros homines a cultis & politioribus ſejungi.* Semper enim putavi, Jeſu Chriſti beneficio primum *barbariem omnem* exilio mulctatam eſſe apud omnes nationes, quæ ſacra illius receperunt, ac ejus ſanctiſſimis inſtitutis mores barbaros cum honeſtiſſimis commutarunt. Quod *ſi in pravitate linguæ aut morum barbaries* conſtare dicatur, fateamur oportet, *Italos in medio Latio & Græcos in media Attica barbaros eſſe quam plurimos.* Attamen *ſi Transalpinos barbaros appellare mavis*, nequaquam concedam quod ais, *monumenta tua barbaris tantum ſcripta eſſe*, quæ ad eruditionem, eloquentiam, plurimarum rerum notitiam capeſſendam non minus oportuna & jucunda ſint Italis quam Trans Alpinis. Iſtam igitur opinionem mi Eraſme depone, nec putes me de tua eruditione etiam in ſolidioribus diſciplinis male ſentire vel loqui, ſed ita exiſtimare, nec a cæteris abhorrere, & neminem hoc ſeculo noſtro in iis ſtudiis, in quibus maxime verſatus es, tibi eſſe anteferendum, qui ſis plurimis antiquorum conferendus.

Quod autem *ad alteram querelam* attinet quæ te magis urget, me protuliſſe in conviviis Cardinalium & Conciliabulis eruditorum, *quicquid hujus tumultus Lutherani extitiſſet ex Eraſmo natum eſſe*: Jam tibi ſupra confirmavi, me *apud Cardinales de te honorifice ſemper eſſe locutum.* Hoc idem repeto, ac eos teſtes appello. Inter amicos & eruditos *in domeſticis congreſſionibus aliquid dictum fuiſſe fateor proximum illi ſententiæ, ſed non tam atrox*: *Occaſionem* videlicet *magnam præſtitiſſe libellos quosdam tuos, & Annotationes huic incendio.* Plurimum autem (ut ſcis) inter *occaſionem* & *cauſam* intereſt: cum *cauſa* etiamſi accidentaria ſit ex propoſito agat, *occaſionis* longe ſit alia ratio, quæ ad male agendum non niſi a malis aut imbecillibus ſolet uſurpari. *Nemo* autem *in cætu noſtro dixit te cauſam fuiſſe*: Cum nullus exiſtimaret *te volente* tantas turbas excitatas eſſe: ſed potius *dum putares ſerere triticum, ſubortum eſſe lolium.* Nec ea dicta fuere in tuam invidiam, cum nemo invideret laudi tuæ: Sed quod *te in illis ſcribendis non fuiſſe cautiorem* ægre ferrent quidam, a te non alieni, ſed qui religionis cauſam & divinum honorem amori tui præferrent. Quamobrem non debes in malam partem accipere, quod mente pia prolatum eſt. Quo in loco a te impetratum velim, ut æquo animo feras, ſi quid audiveris, quod minus te oblectet. Dicam enim libere, dicam amice *quid plurimi de te ſentiant hoc in negotio*, quorum judicium magis quam meum tibi fuit extimescendum. Nam etſi non omnino in cunctis conveniant, in hoc tamen conſentiunt omnes, *quod tangi velut digito poteſt, ſi quis* ſcripta tua perpenderit, *Lutherum aſſeclasque ipſius ex fontibus hauſiſſe tuis quo ſua pululantia venena irrigarent: vel ex tuis potius hortis lethalia ſemina colligiſſe. Tam multa enim conſentiunt in placidis utrinsque, ut aut Lutherus videatur Eraſmizare aut Eraſmus Lutherizare: Sed hoc intereſſe, quod*

quæ

quæ tu admoniendo vel dubitando notas, ille definiat; quod tu modeſte tangis, ille arrogantiſſime tractet; ubi tu ſcrupulum injicis, ille ſententiam proferat. Fatentur tamen, & multa longe execranda magis propria eſſe Lutheri, à quibus tu longe abhorrere exiſtimaris. Eſt autem in illo diſcrimine ſententiarum, quod *nonnulli te arbitrantur ea ſentire quæ Lutherus, ubi idem ab utroque probatur: Nec tibi initio ingratam fuiſſe hominis temeritatem, quin imo & ei plurimum faviſſe* epiſtolas quasdam tuas allegantes. Alii autem tibi æquiores ſunt, putantes, *te tantum de illis ambegiſſe, nimia quadam fertilitate ingenii, & multiplicium actorum lectione, iniquo tamen animo diſceſſiſſe a decretis orthodoxorum.* Quod ſi pateris me adhuc liberius agere, dicam te in cauſa fuiſſe & per magnam tuam fuiſſe culpam, ut in hanc ſuſpicionem apud multos venires: *Participem te*, ne dicam *autorem*, fuiſſe *hujus diſſidii;* Idque duobus diverſis modis; Altero, quod quæ *minime oportebat protuliſti:* Altero, quod *te intra ſilentium continuiſti, nec tuum ſtylum Lutherano furori oppoſuiſti.* Nam etſi multos lepore orationis variarumque rerum expoſitione, quod homines præſertim curioſos valde delectat, plurimos teneas, ſunt tamen, quibus non facile ſit verba dare, ſenſus ad medullam exquirentibus, qui verborum lenocinio non capiuntur, ſed accuratiſſimi ſunt in veritate indaganda, conferentes dicta dictis, priora poſterioribus, verba verbis, ut quid auctor ſibi velit, quid moliatur, introſpiciant, anfractus omnes & ſinuoſos greſſus verborum perpendant. Ex quo numero qui inente magis pia ſunt, ſtomachantur, offenduntur cum multa ex tuis legunt, quæ tam male ſonent, *quæ in dubium revocent jam olim definita*, quæ autoritatem adimant ſacramentis, patrum ſanctionibus, Pontificis Maximi dignitati, ſacerdotum honori obſtrepant, ſacras ceremonias parum revereantur, monachos inſectentur, Profeſſionem illorum derideant, conſuetudines optimas damnent. Addit & illud ſuſpicionem, *quod ſi quando tibi accidit, ut Lutheri mentionem facias, illum vel laudas, vel de ipſo tam dubie, tam perplexe, tam remiſſe, tam negligenter loqueris, ut cogantur homines interdum exiſtimare te magna ex parte cum Luthero colludere,* aut certe, ut ſignificanter dicam, *ἀμφισβητεῖν*, etſi tumultum ſeditionemque improbare videaris. Non eſt opus ſingula recenſere: Lege tu tua, ſed tanquam aliena, cognoſces, non injuria homines Chriſtianæ religionis & pacis cupidiores commoveri. Quamobrem non eſt quod mireris, bilem moviſſe quibusdam, ita ut excanduerint, & vehementiores in te apparuerint; ut contingit *Jacobo Stunicæ* nobili & docto viro, ſacrarumque literarum ſtudioſo, homini candidi ingenii & ſinceræ pietatis, qui *concitatius quædam ſcripſit adverſus ſuſpecta loca duorum ſcriptorum:* Non quod laudi tuæ homo minime invidus invideret, ſed religionis amore permotus. Qua contentione perfectum eſt, cum tu multa ex iis quæ objecerat, reſpondendo declaraveris, ut ea minus nocere poſſint. Atque his rebus quidem effeciſti, ut tales de te rumores excitarentur, quibus ſi pepercifſes, non erat quod ſiniſtri quicunque homines de te opinarentur, ſed te omnes in omnibus laudarent. Nam, ut *multis obſervationibus*, quas luxuriante ingenio & exuberante notitia variarum rerum multiplici lectione comparatas edidiſti, *ſolidioribus ingeniis & perfectioribus judiciis quoquo modo ad ampliorem cognitionem profuiſti*, ſic *infirmioribus* quoad pietatem obfuiſti vel plurimum. Quid enim pertinebat, ut ex multis aliqua commemorem, referre; *Priſco tempore non fuiſſe agnitam vel exſertam maximi Pontificis poteſtatem; & Damaſum Papam ſummum ſacerdotem dictum fuiſſe non ſummum Epiſcopum; & Auguſtinum ſcripſiſſe Epiſcopo Romano, & perinde Hieronymum, ut æquali cæteris Epiſcopis, non ut ſummo Epiſcopo;* multis prætermiſſis, quæ in oppoſitum ab eisdem ſcribuntur, quale eſt illud Hieronymi: Non alteram eſſe urbis eccleſiam & orbis; Et Romanam ſedem aream eſſe Noæ, & domum in qua agnus paſchalis comeditur: Et Epiſcopum Romanum ſummum eſſe ſacerdotem. Quid? dicere: *Tempore Hieronymi non fuiſſe Cardinales? Epiſcoporque olim ſacerdotibus fuiſſe æquales: Eccleſiam decreviſſe opibus: Conciliaque olim ab Imperatoribus indici* fuiſſe ſolita? Quid? *Matrimonium inter ſacramenta eccleſiæ, quæ proprie ſacramenta dicuntur, non fuiſſe connumeratum?* Quid? *horarias preces accuſare?* Quid? *Auricularem confeſſionem non fuiſſe priſci moris? Euchariſtiam cuique domi ſuæ ſolitam fuiſſe ſumi.* Quam erroneum & illud: *Nuptias tantum laudibus efferre ut eas cælibatui & continentiæ prætuleris?* Quid? *Eccleſiaſticos cantus & ceremonias taxare?* Quid? *monachos, & quod gravius eſt eorum profeſſionem calumniari? inſtituaque ipſorum infirmitatis eſſe, dicere?* Quid? *Deteſtari decreta eccleſiaſtica & ſanctiones humanas?* Nonne *cauſam* præbebas levioribus ingeniis & minus piis, exiſtimandi *ea omnia nullam vim, nullum robur habere, & inde contemnendi?* Non enim omnia quæ licent expediunt; tantum abeſt ut ædificent. Quid attinebat, hujusmodi *ſcrupulos injicere?* has ſcandaloſas ſpargere voces, quibus *puſilli ſaltem* offendi poſſunt: cum *firmioribus judiciis ſit cognita veritas & ſanctorum virorum ſententia*, perſpectumque, *non omnia pariter religionis initio fuiſſe cognita*, vel integras vires adepta, ſed *poſterioribus ſeculis fuiſſe declarata* & perfecta & exorta. *Habuit* enim *religio noſtra*, ut res cæteræ, in multis ſuam *infantiam & pueritiam.* Nec ſervator noſter Chriſtus omnia in ipſis initiis aperuit, ſed multa Apoſtoli, & ii qui eis ſucceſſerunt, ſicut retulit ipſe: *Multa ſunt quæ non poteſtis portare modo:* Et hujuſce generis alia plurima. Quorſum, *probata uſitataque verba eccleſiæ immutare*, niſi ad oſtentationem? Ut, pro *teſtamento Scripturæ, inſtrumentum* dicere, etſi aliquos habeas autores? cum Paulus *inſtrumentum* dici voluerit. Quorſum, in *ſacris verba prorſus indigna & omnino profana* uſurpare? ut, cum dicis *fabulam Evangelii?* Quam inanis, quam inutilis, quam noxia hujusmodi eruditionis jactatio. Quæ omnia ſunt indicia animi rerum noxarum ſtudioſi.

Quid dicam de iis quæ tam petulanter de humanis & divinis rebus luſiſti? Quantum notæ putas mi Eraſme, (quod cum dolore ob plurimorum jacturam inde derivatam dico) nomini tuo inuſſiſſe *Moriam* illam tuam? Nam etſi perſonam ſubſtituis *ſtultitiam ipſam*, cum tamen ore tuo *Moria* loquatur, non ut à Moria prolata, ſed ut a viro cele-

bri & eruditiſſimo, complures, quæ illic tradis, exceperunt. Quo *libello tam noxia ſparſiſti ſemina, ut ex agro ſic infecto proceræ arbores ultro provenerint, quæ peſtilentes fructus pepererint.* Quo ſi tantum humanas ineptias, vanos mortalium conatus riſiſſes, jucundus fuiſſes, & aliqua ex parte probandus. Ac item ſi omnes artes, cuncta hominum ſtudia, omnia vitæ genera, omnes denique res humanas taxaſſes, & ſi maxime nocuiſſes adoleſcentibus ea perſuaſione, nil ſerium, nil ſolidum in vita eſſe, nihil ſponte ſua expetendum, eſſet tamen hoc quoque modo ferendum. Nunc cum ne *ſacris* quidem *ritibus* peperceris, non religioni, quin imo nec Chriſto ipſi Jeſu, hoc es conſecutus, ut etiam qui te defendere cupiunt, fateri cogantur, te illa, ſi *non impio animo* attamen parum reverenti, inconſultiſſime & arrogantiſſime prodidiſſe. Quid enim turpius proferri poteſt, quam *Chriſtum oblectatum eſſe perpetuo morionibus, vetulis & pueris? à ſe autem rejeciſſe graves & doctos viros?* Vel quid fœdius vel Porphyrius vel Julianus Apoſtata ſcripſiſſent? Quid ad jugulandam prorſus religionem Chriſtianam atrocius, quam illam eſſe univerſam in ſtultitia fundatam? At hæc ſtultitia proferebat, audio. Sed Eraſmi ore loquebatur. Ludebam. At execrabiliter jocaberis. Turpe viris gravibus videtur, ſi quis ſeriis in rebus etiam profanis ludat, tu tibi divina deridere permittis. Quibus luſibus tanto magis nocuiſti quanto majori ingenio, facundia argutiaque, luſiſti. Tanto plus offeciſti, quanto feſtivior fuiſti, & pulchrius de facie Lucianum tuum expreſſiſti. Utinam Eraſme te minus elegantem artificem exhibuiſſes, & minus bonum efſictorem. Multa ſunt in vita hominum quæ rideamus, fateor. Sed nimis iniquus eſt humanarum rerum exiſtimator qui omnia ſine diſcrimine damnet. Nihil enim tam ſerium, tam grave, tam recte deſignatum eſt, quod reprehenſionem omnino poſſit effugere ad perfectum & tanquam ad ideam revocantium. Conditioni enim humanæ neceſſario fortaſſis cunctis in rebus eſt aliquid inanis atque imperfecti commixtum, quod ſæpe rectum curſum tenere vetat. Et Philoſophi cuncta mortalia ex actu & potentia, hoc eſt perfecto & imperfecto, conſtare docent. Quæ omnia æquo animo perferemus, ſi nos homines eſſe meminerimus, & cunctas res natura ſua metiemur. Neque enim ſingula ſunt ad vivum reſecanda, nec tamen ſcrupuloſe in rebus agendum, tamve moroſe, ut exactiora poſtulemus quam rei natura patiatur: Ne dum univerſa deſpicimus cunctaque ridemus, nos omnibus deſpiciendos & deridendos exhibeamus: Qui cum nihil in vita laudandum eſſe profiteamur, felicitatem humanam prorſus excludimus, & hominum ad virtutes ſtudia magna ex parte debilitamus. Sed liceat ſane res humanas deridere: etiam ne religioni atque ſacris inſultabimus? Nam cum de divinis rebus reverentiſſime, parciſſime ac innocentiſſimis verbis agendum ſit, nec ipſis ludicra permiſcendum. Et tu longe ſecus effeceris: Nihil mirum eſt ſi a multis accuſaris, quod inconſultius effeciſti, id ab impietate animi tui profectum eſſe interpretantibus. (Dicam enim ut res eſt) *Nihil ex monumentis tuis tantum tibi laudis attulit, quantum hæc Moria detraxit.* Quapropter tibi optandum eſſet, ut quotquot ſunt ipſius exempla, pereant, prorſusque ipſius memoria, ſi fieri poſſit, aboliatur.

Jam illud quam ſuſpectum fuiſſe multis putas, quaſi a *Luthero non longe diſſentires*, quod *de modo confitendi, ipſius commoda & incommoda* referens, ſcripſiſti? velut *integram exiſtimationem permittens lectori, retinendumne putet confitendi uſum an abolendum.* Quaſi adhuc eccleſia in dubio verſaretur, an lex ſit, conſtitutione humana *de confeſſione ſancienda*, nec jam olim eſſet univerſi orbis Chriſtiani conſenſu promulgata, quinimo excepta, ut a Chriſto inſtituta, *quod tu in dubio relinquis.* Et proinde illud, *an annumeranda ſit inter vera ſacramenta?* quod profecto minime conveniebat, hoc præſertim tempore, cum id ab hæreticis pertinaciſſime impugnatur. Quod ſi ab hujusmodi diſputatione temperare nequibas, ſaltem aperte, quod ſentires, protuliſſes, nec ita ſententiam ſuppreſſiſſes, ut quod ſentias non audere proferre videaris. At, inquis, nunc *rebus exulceratis non placere ejusmodi vomicas movere.* At ſi non libuit, certe decuit, quippe oportuit, cum ore *confeſſio* fiat ad ſalutem, quæ nunc maxime exquirebatur, tum ad veritatem tuendam, tum ad declarandum, te ea in re nihil dubitare; nec ſilentio ſuſpicionem multis injicere quod hæreticis aſſentias, nec ita rem tractare ut in partes eorum videaris declinare: quamvis dicas, negari non poſſe, quin *tutior* ſit, *qui bene confeſſus fuerit.* Nam cum *uſum confeſſionis* probare videaris, *multum* tamen, *minuis ejus dignitatem*, cum *aſſerere metuis inſtituto divino fuiſſe decretam:* Non contentus videlicet teſtimonio Jacobi Apoſtoli dicentis: *Confitemini alterutrum peccata veſtra.* Et Johannis, pariter in epiſtola ſcribentis hæc verba: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus dominus ut remittat nobis illa, & emundat nos ab omni iniquitate.* Nec etiam Chriſti Jeſu, tradentis diſcipulis *poteſtatem ſolvendi peccata: Quam exercere minime poterant, niſi propria peccantium confeſſione nodos peccatorum cognoſcerent.* Omitto, quod in Evangelio Matthæi & Marci ſcribatur, eos, qui a præcurſore Domini baptizabantur, confiteri peccata. Ajunt enim: *Et baptizabantur ab eo in Jordane confitentes peccata ſua.* Nec *catholicæ eccleſiæ autoritate, quæ illud inſtitutum eſſe divinum promulgavit.* Age vero quid aliud eſt *confeſſionis incommoda recenſere*, quam *homines a confeſſione deterrere?* Itaque cum *autoritatem confeſſioni adimis*, cum *in quæſtionem vocas, commodior ſit an incommodior, confeſſionem propemodum evertis.* Refugiunt enim mortales, ſponte naturæ, moleſtias, qui magis perſæpe adducuntur falſa ſpecie veritatis, ut rem moleſtam omittant, quam ut capeſſant, multis veris rationibus rem approbantibus. *Conſtitutam autem a Chriſto confeſſionem fuiſſe*, & ſi *non ſtatim* ubique promulgata, ſed *ſeculis poſterioribus*, ſi non aliis rationibus & ſacrarum literarum teſtimoniis probaretur, huic vel ſoli homines æquioris judicii deberent acquieſcere, quod *incredibile videatur, genus humanum tanto oneri cervicem ſuiſſe ſubjecturum ſi fuiſſet humano conſilio conſtituta.* Quamvis igitur *incommoda* quæ dam *ex confeſſione* non rei culpa ſed accidenti pravitateque humana contingant, cum nulla res ſit tam ſalutaris, tam ſancta in uſum mortalium recepta, quæ ſi

ea abutaris noeere non valeat: Non tamen protinus nobis fuerit rejicienda, cum *non lance humanæ prudentiæ* ſint *examinanda*, *conferendo utilitates cum incommodis, quæ ſemel fuerint divinitus inſtituta.* Nam etſi omnino incommoda nobis viderentur, tamen quia ita ſunt ſtatuta, pura mente ſervanda & conſtanti animo retinenda eſſent. Quoniam nimium profecto judicio noſtro arrogamus, cum de omni re æque audemus judicare, quid utile, quid inutile, quid honeſtum, quid ſecus, quid rectum quid depravatum, quid divinum quid humanum, & hoc tam in rebus definitis, quam in iis quæ adhuc ſub judice verſantur, cum *taxamus mores, leges, conſuetudines, ritus, ceremonias tamdiu receptas.* Quæ cum *tu ſæpiſſime facias, ut monumenta tua teſtantur*, non ab re multi te accuſant arrogantiæ, & rerum novarum ſtudioſiorem fuiſſe dicunt.

Sed cum mihi propoſuerim, fretus humanitate tua, nihil ſubticere de iis quæ minus *ex lubricationibus tuis*, quas mihi videre contigit, approbantur, illud quoque teſtabor, *parum plerisque probari conſilium tuum in edendis in ſacras literas Paraphraſibus:* Non quod commode & eleganter te ſcripſiſſe negent, ſed quod *auſum improbent*, *dicentes: Scripturam ſacram non pati paraphraſin, quæ vix commentaria admittant, ſalva ſua Majeſtate:* Cui mirum eſt quantum detrahatur, cum quicquam immutas, ut oratio elegantior aut dilucidior exiſtat. Quod in *paraphraſibus* fieri conſuevit. Ajunt enim, *nefas eſſe quenquam hominem vices Spiritus ſancti implere velle, ut quo ille parcior eſſe voluit, Paraphraſtes prolixior ſit quo ille diffuſior & amplior hic brevior & preſſior.* Aſſeverantes, divinum Spiritum arcana ſuæ ſapientiæ *iis verbis* quæ probavit, *eo ordine, ea phraſi*, qua maxime decuit, expreſſiſſe. Qua in dictione quot numerabis verba tot recenſebis Sacramenta: Quamobrem nec apicem unum contingendum. Plena omnia eſſe myſteriis, virtute, ſpiritu: Quibus ſi quid demas, vel addas aut immutes, perverteris ſcripturam, non expoſueris. Itaque *ope humana non egere ſacras literas, nec Grammatici aut Rhetoris ferulæ ſubjici Dei orationem:* Qui ſi compte, ſi ornate, ſi polite proloqui voluiſſet, ſi alio ſtylo uti, non opus erat ei te magiſtro, nec elegantia, qui fucos odit & cincinnos cultumque omnem elaboratæ orationis: Nolens verborum lenocinio & lepore ſermonis *ſapientiam* contaminari, uſus in cultu dictione, at verenda, ſimplicibus verbis at flammeis, ut teſtatur Spiritus ſanctus per Jeremiam, dicentem: *Verba mea ſunt quaſi ignis, dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petram:* Quandoquidem ipſi curæ non fuit, talibus blanditiis homines indignos ad eam capeſſendam allicere, ſed potius deterrere ſeveritate eloquii: Cum ſit per ſeſe tam reverenda, tam ſublimis, tam decora, ut nullum extrinſecus admittat ornatum vi ſua inſtructa, nullius indigens adminiculo, tam pulchra natura, ut, modo ab illa non ſis alienus, magis nudam adames, admireris, quam compoſitam & ornatiſſimam, quam ad ſummum, quicquid cultus ei ſuper induxeris, detur paveris: Tradidiſſe igitur illam ſpiritum ſcientem omnia eo *ſtylo*, quo maxime oportuit, rem tam ſeriam, tam gravem, tam excelſam, *inculto quidem ac plane plebejo*, at graviſſimo, puro ac ſimplici, at profundiſſimo, & multiplices ſenſus pauciſſimis verbis complectente, ut inepto ad civiles cauſas agendas & conciones populares, ſic aptiſſimo ad divina myſteria exprimenda: Qui ſi minus oblectet, plus tamen juvat & animis opitulatur: Qui non ſpectat ad gratiam aut oſtentationem, ſed ad erudiendum, & inflammandum mortalium animos. Ad idque etiam efficaciſſima eſt, non ſermonis amœnitate & illecebris alliciens, ſed robore proprio cogens, ac admirabili quadam virtute totum hominem transformans. Vivus enim ſermo divinus, animatus, aculeatus, penetrabilior eſt omni gladio ancipiti, pertingens usque ad ima ſpiritus & præcordia ſubiens, cui ſi quid ſuperaddideris aut demſeris, illuſtrandi gratia, omnem fidem autoritatemque adimes, nec ſplendorem adjicies ſed tenebras obduces, decoremque omnem detrahes. Idque dicunt *Paraphraſibus tuis* te declaraſſe: *Quibus etſi præſtiteris quod vix ullus alius hoc ſeculo præſtitiſſet, tali ſumta materia*, tamen ſi conferatur oratio tua cum dictione ſacrarum literarum, etſi aures magis tua demulceat, cultaque ſit quam diligentiſſime, frigeſcit tamen mirum in modum, nec præ ſe fert illam majeſtatem, nec illam ambroſiam ſuppeditat, qua paſcuntur animi, cum Evangeliſtam ipſum aut Paulum audiunt loquentem: Cujus ſermone erigitur mens ſupra ſeſe, flagrat animus, exultat ſpiritus mirabili quadam alacritate: Quos te loquente & Pauli vices agente langueſcere ajunt, nec illa divinitate perfundi. Ergo cum multi putent, quibus & ego aſſentior, rem in meliorem partem interpretantes, *majori te pietate id attentaſſe forte quam judicio*, dum tibi credunt profitenti, te ad alliciendos eos quibus aures delicatiores ſunt, ad lectionem ſacrarum literarum, abhorrentes horridam illam & incultam orationem, eum laborem ſuſcepiſſe: Non deſunt qui ſuſpicentur, te forte animo concepiſſe, eventurum aliquando, ut homines, faſtidita lectione illius ſubruſticæ orationis, oblectati autem nitore & facundia tua, illam rejicerent, tuam vero reciperent: quæ loco illius ſuccederet in publicis lectionibus. Sed has ſuſpiciones pro ſuo quisque arbitrio ſuſcipere poteſt, cum res nulla ſit tam commoda, quæ non poſſit malignis interpretationibus conturbari. Illud tamen inter omnes convenit, *non licuiſſe tibi eo genere dicendi uti in ea materia, ne agere præceptorem eloquentiæ Spiritus Sancti videreris*, aſſeverantes, *neminem Hebræorum Græcorumve aut Latinorum*, quod conſtet, *ab ipſa nata religione hoc in ſacris literis te uno excepto fuiſſe auſum, ſed illis intactis ſententias ſuas enarrationibus aut commentariis protuliſſe.* Sed dices fortaſſe: *Enarratores* & qui *commentaria ediderunt*, aliis verbis ac pluribus uſos fuiſſe quam ipſe autor ſcripturæ: Itidem & feciſſe te. Quamobrem ſi ipſi non reprehenduntur, ſed laudantur potius, injuriâ tuâ induſtriam accuſari. Sed reſponſio in promptu eſt: Intereſſe vel plurimi: Intacta verba pro captu ſuo quisque interpretetur, quod faciunt *enarratores*, an autoris ſumta perſona, verba Spiritus Sancti pro libidine ſua, quod *paraphraſibus* accidit, moderetur. *Cum* igitur *tu aſſumſeris in paraphraſibus tuis perſonam Evangeliſtæ, perſonam Pauli aut cæterorum Apoſtolorum*, qui aliqua ſcripſerunt, *quinimo perſonam Chriſti*

concio-

concionantis, quem interdum præter omne decorum inducis, tanquam Hortenſium aut Ciceronem, compoſitis verbis, elaborata oratione cauſam agentem, & quod deteſtabilius eſt plurima dicentem, quæ in ſacris literis non habentur, humanæ ſapientiæ verbis accommodatis, ſpreto ſapientis præcepto in proverbiis: „omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt ſperantibus in ſe, ne addas quicquam verbis illius, & arguaris invenearisque mendax. Quid aliud agis quam profiteris, te commodiori oratione quæ ipſi protulerunt quam ipſos explicuiſſe? Quod & quibusdam *prologis* ſive *præfationibus* teſtari videris. Quod ſi ita eſt, rogo te, cur non putas Spiritum Dei non commodius fuiſſe locutum? quia noluit? an quia non potuit? Negabis credo non potuiſſe, noluit igitur, quia ſic decere judicavit. Et quisquam homuncio adverſus Divini Spiritus decretum, qui omnia dictavit de verbo (ut ajunt) ad verbum, ire contendit? Nam longe alia ratio eſt *enarratoris*, qui ſenſus indagare conatur, ſententias exprimere auctoris integra dictione: Res nec tam periculoſa & plena commoditatibus. Etſi enim perperam quid intellexeris, ſi à vero ſenſu auctoris aberraveris parvam jacturam facies; ſtant verba ipſius, quorum iterata lectione, quorum contemplatione, & tu ipſe errata tua cognoſcere valebis, & alius quiſpiam te admonere poterit. At *in paraphraſi* ſi à vero ſenſu ſemel deflexeris, nil eſt quod lectorem, tuam fidem ſecutum, deducere valeat ad ſemitam, nulla regula, ad quam iterum atque iterum ſpectans ſententiam judiciumque revocare poſſit. *Commentatores* conſtat & *Paraphraſtes*, tum Græcos tum Latinos, quorum notitiam habemus, nonnunquam dormitaſſe *in ſcriptis Ariſtotelis*, quæ tractarunt, *explicandis*. Hoc ſi nonnunquam tibi contigiſſet, quod facile potuit evenire, qui tantummodo attingerent de ſacris literis, quantum *paraphraſibus tuis* continetur, ii lapſi in errorem, tuæ paraphraſis occaſione, quonam pacto reſipiſcerent? imbuti ejus ſententiis, quas tu ſecutus fuiſſes errore, qui tibi quaſi adjurati credunt, nec ut *in commentariis* dictionem auctoris præſentem intuerentur. Ut autem facilius eſt à vero ſenſu ſacrarum literarum aberrare quam in Ariſtotele, ſic perniciosius aberraſſe, tantoque difficilius ſenſus veros ſcripturæ capere, quanto laborioſius Divina myſteria comprehendere, quam res naturales contemplari. Sed percipiatur ſane utrinque idem *ſenſus*, ut Theologi loquuntur *literalis*. Quonam pacto capientur tot myſteria, tot ſacramenta ex ipſa dictione atque literis pendentia? ſcimus enim, ab Hebræis eâ reverentiâ ſacras literas attingi ſolitas, tantam vim in eis eſſe putari, ut non ſolum in dictionibus earumque ordine, ſed in ſyllabis etiam ipſisque apicibus myſteria eſſe confirmarent, in tantum, ut voluminum characteres notarent, cum à librariis illa accipiebant, quorum ſi vel minimum ſupereſſe, deficereve, aut ullam tranſpoſitionem comperiſſent, prorſus volumen rejiciebant. Quo factum eſt, ut nemo Chriſtianorum patrum auſus ſit tali genere dictionis, quo univerſa immutantur & pervertuntur, Divinas ſcripturas explicare, ſed eas in ſua majeſtate intactas relinquentes, quidam *in ipſis explanandis* laborarunt. Licet enim hoc ſcribendi genere plurimi allici poſſint ad earum lectionem, ſatius tamen eſſet arcere, quam cum tanto periculo & indignitate ita provocare. Indigni enim ſunt ſacra cognoſcere, qui ad ea ſola orationis ſuavitate allecti accedunt. Sed *te hoc genus attentaſſe primum plurimi exiſtimant, ut quid in eo poſſes experireris:* deinde *cohortantibus amicorum*, novitate rei gaudentium & adulatorum, „ſuaſionibus proſecutum eſſe ne„gotium laborioſiſſimum, & ſi res pateretur lau„dandum. Sed profecto non erat hæc materia talibus exercitationibus idonea: „Et labor tuus lon„ge magis probaretur, ſi juſta commentaria loco „paraphraſium in literis ſacris edidiſſes.

Sed hactenus *de priore cauſa*, quæ ſuſpicionem multis injecit, *te ab inſtitutis Lutheranis non longiſſime abhorrere.* Dixi enim duas eſſe, alteram, quæ *ex ſcriptis tuis*, alteram, quæ *ex ſilentio*, de qua jam dicam, proficiſceretur. Conſtat enim, ſæpe a multis judicium per conjecturam fieri non ſolum ex dictis factisve, verum etiam *ex omiſſis atque ſilentio*, ut ſi quis aliqua in cauſa taceat, in qua ipſi tacendum non eſſet. Quot namque hominum vocibus accuſari te putas, Eraſme, *quod Lutherano furori te initio non objeceris*, non ſurrexeris ad inauditam arrogantiam reprimendam? cum tu id præ cæteris longe commodius præſtare poſſes, non ſolum *ob eloquentiam*, *ingenium*, *facilitatem in ſcribendo*, *in pluribus linguis eruditionem*, *variam & tam multiplicem doctrinam*, *quibus mire præditus es*, *qui omnium tum Græcorum tum Latinorum bibliothecam evolviſti*, *nihil intactum reliquiſti*, ſed *ob gratiam*, *ob auctoritatem eximiam*, *qua vales apud Germanos*, penes quos hoc malum naſcebatur & indies magis ac magis ſerpebat; *a quibus tibi in re literaria tanta fides habebatur*, *quanta præterea nemini.* Quare cum jam conniventibus oculis præterieris, ac virulentiſſimum colubrum perfundere venena, inficere univerſam Germaniam permiſeris, quem antidoto tuo in fugam vertiſſes, & antrum ſubire cœpiſſes: „In tanto diſcri„mine diſſimulaveris, nunquam plane quid ſentires „de eo explicando. (Licet enim ſeditionem im„probaveris, cauſam tamen non refelliſti, ſed te ſpe„ctatorem præbuiſti, qui oppugnator eſſe debebas.) Et homines, cum corda non videant, externis e rebus mentem exiſtiment, quid de te poſſent ſuſpicari ipſe videris. Quod ſi tibi initio tragœdiæ prologus idcirco, ut ipſe fateris, „non fuit injucun„dus, quod cum multis aliis putares, Lutherum „bonum virum eſſe, corrigendis depravatiſſimis „hominum moribus divinitus emiſſum, & te idcirco continuiſti; ſi primum te tua fefellit opinio, ut plerosque alios, cum cognoviſti quo res progrederetur, quantum invaleſceret flamma, cur non ad extinguendum incendium accurriſti? cur intolerabili furori non reſtitiſti? ſed *adhuc medius & ſpectator perſtitiſti?* At „videbam, inquis, fabu„lam eſſe mire plauſibilem non vulgo tantum ſed „etiam principibus Epiſcopis, ac nonnullis Cardi„nalibus: quamobrem magnæ fuiſſet temeritatis „publico orbis favori privatum hominem oppede„re, præſertim cum mundus eſſet plenus Acade„miis: Hoc te non excuſat, Eraſme, quin officium deſerueris: Imo quanto majori plauſu virus hauriebatur, quanto a pluribus & clarioribus, tanto ut magis noxio & contagioſo diligentius opportuno antidoto fuit occurrendum, atque citius obſiſtendum.

ſendum. Hac enim ratione majores noſtri ſanctiſſimi, viri tum Græci tum Latini, non debuiſſent impiiſſimo dogmati Arriano occurrere, cum illud tanto favore receptum eſſet, non ſolum a numeroſiſſimis populis, a ferociſſimis gentibus, a maximis nationibus, ſed etiam a potentiſſimis Regibus, ab Auguſtis & Cæſaribus. Quod tamen officium diligentiſſime & conſtantiſſime Græci perinde atque Itali & Galli non ſine magno ſuo incommodo (quod tu non ignoras) præſtiterunt. *Tu* vero, *ut invidiam fugeres nominis temerarii, in tanta rerum perturbatione conticuiſti. Utinam plane conticuiſſes*, Eraſme! Parce meo juſto dolori: *Aut enim fallor, aut nunquam tam alte plagam excepiſſemus.* Sed tu modo te in culicem deprimis, modo erigis in elephantem: *Homuncio es, ſi ſit Luthero occurrendum:* quaſi res ſit cum Hercule clavam tenente futura. *Atlantem agis, cum cenſuram univerſi orbis tibi arrogas.* Nec te purgat, quod ſcribis *de Academiis* cum officium ipſæ non præterierint. Publicis enim decretis Lutherum damnarunt, & hoc idem plurimi, etiam privato officio, ſtudio pietatis, doctiſſimis editis libellis, quibus plane eſt confoſſus Lutherus, effecerunt: Licet exulcerati animi, cum medicamentum reſpuant, non facile curentur. Pertinacia etiam victa non cedit loco. Extrudas illam oportet miro ingenio, aut virtutis robore in loco ipſo confecias. Tu autem ad hanc beſtiam oppugnandam nullas adhuc admoviſti machinas, nec aſcendiſti ex adverſo, nec oppoſuiſti murum pro domo Iſrael, ut ſtares in prælio contra oppugnatorem. Ergone permovit rei indignitas, magnitudo negocii, cauſa fidei catholicæ, non Academias ſolum, ac pios profeſſores diſciplinarum, & religionis antiſtites; ſed omnes bonos, dummodo doctrina aliquid præſtare poſſent? atque ipſos invictiſſimos Reges impulit ad ſcribendum in Lutheri blaſphemias: Eraſmum non videtur adhuc tetigiſſe? o Regem celſiſſimum, Regem præſtantem, vere dignum regio munere, quem nulla lingua ſatis queat laudare, cujus ſingularis pietatis memoria nunquam ex hominum mentibus exolebit, cujus nomen apud poſteros ſine fine celebrabitur, gloria apud omnes nationes futuris ſeculis ſemper augeſcet, non quod potentiſſimus *Angliæ Rex* fuerit, quod plerisque contigit, quorum vix exſtat ulla memoria, ſed ob exemplum rariſſimæ pietatis, quod in gloriam ſummi Regis, per quem terreni principes regnant, & Reges decernunt juſtitiam, tutatus fuerit catholicam Eccleſiam, non armis ſolum & potentia, ſed lingua, ſapientia, Hæreſiarcham Lutherum debachantem exactiſſima diſputatione *edito libello* repreſſerit: Quanto Deus immortalis decore majeſtatis regiæ, quanta gravitate, quanta eloquentia, copia, doctrina, ſapientia, ſpiritu, monumentum ipſum teſtatur. Quod & perpetuum declarabit, merito eſſe inter heroas referendum *Henricum VIII.* ſplendidiſſimumque reportaſſe de hoſte triumphum, tanto cæterorum Angliæ Regum triumphis præferendum, quanto glorioſius eſt, de hoſte religionis, de Jeſu Chriſti inimico, quam de hoſte privato, de ingeniis, vi mentis, & ſapientia, quam robore corporis proprii, & militum, de armatis corporibus triumphare: Quanto præclarius, pro pietate & cœleſti regno, quam pro terreno propagando depugnaſſe. Quod ſi te alia non tangebant, Eraſme, debuiſti ſaltem tanti Regis clariſſimo exemplo ad ſcribendum permoveri. Non enim ſatis fuit Eraſmo, *libellis ſuis profiteri, nihil ſibi eſſe rei cum Luthero, nec cum privatim frigidioribus verbis & remiſſiori ſpiritu commonere, caveret ne res in ſeditionem exiret:* nec *Frobenium coërcere, ne quid excuderet Lutheranum*, quod ſcribis te feciſſe: ſed Frobenio præſtare debuiſti, quod adverſus temulentiam Martini excuderet. Majora, apertiora, ſolidiora ab Eraſmo expectabantur. Non debuiſti tantum tibi nominis comparare, ſi ægre laturus eras, homines à te expectare digna Eraſmo.

An tibi parum virium eſſe putas ad impugnandum Lutheri dogmata? quibus nihil execrabilius, nihil infirmius, nihil inſanius excogitari poteſt. De quibus quoniam tu ipſorum mentione, me, jam pridem ſcelera iſtius indignantem, tuis literis in hunc ſermonem provocare videris, quid ſentiam explicare non gravabor: Nam illa refellere haud magni negotii eſſe videtur. Quid enim in eis negociis ineſt niſi furor, inconſtantia, pugnantia dicta, convitia, maledicta, joci, fabulæ, inania dicteria, ſophiſmata, nugationes, ineptiæ, canina quadam facundia prolatæ? Quid ſolidæ doctrinæ? quidquod Theologum aut philoſophum ſapiat? qui *dare vitio ſolet, ſi quis graviſſimorum philoſophorum teſtimoniis,* (quos ſophiſtas appellat) *dogmata theologica confirmaverit:* propterea que ex philoſophiæ profeſſoribus nemo ei ſuffragetur, ſed omnes potius adverſentur: gravitas enim levitati, ſapientia inſcitiæ ſemper adverſa eſt: Cum interim non erubeſcat, Poëtarum ludis, mimorum fabulis, grammatiſtarum adagiis, rhetorum ſcommatibus, & ſententiolis ſua decreta confirmare. Hujuscemodi enim nugis referta ſunt ipſius ſcripta, ſed quibus tam inepte utitur, ut appareat ipſum in arena ſua non verſari, & illa nunc potius à ſodalibus mutuario quam ex promptuario ſuo depromere. Studet tamen diſertus ac eloquens videri, ut ſe literatoribus ſuis aſſeclis commendet. Licet quo magis contendit eo id minus aſſequatur. Et tamen videri vult facetus, ut jocis & ſalibus alliciat imperitum vulgus. Itaque ſe in diverſiſſimas perſonas inconſtantiſſime ſubinde transformat: Videasque in eodem jam ſeverum in mores depravatos concionatorem, jam dicaculum, ſcurram, & utrumque cum ſumma ſuperbia & arrogantia. Nihil eſt in quo Chriſtianum hominem repræſentet, quem convenit manſuetum eſſe, modeſtum, ad omnes docilem, non litigatorem, non vaniloquum, non contentioſum, ut Paulus docet. O cœcas nimium quorundam mentes, qui Lutherum laudant, Lutherum excipiunt, Lutherum admirantur, in quo nihil grave, nihil firmum, nihil doctum, nihil ſanum, omnia venenata, nugatoria, calumnioſa cuncta, lethalia omnia, pietatem & religionem jugulantia. Revocavit enim à priſcorum hæreticorum buſtis plurimas eorum peſtes jam pridem exploſas, cum ipſisque auctoribus conſepultas: Quibus in unum coacervatis quaſi tumulum edidit impietatis: In cujus tamen vertice ex propriis fodinis conflatum vitulum ſtatuit, cui cum Arrio convenit pariter & cum Donato, *ut rurſus baptizentur Catholici*, qui à veritate deficientes ad inſana ipſius dogmata transfugiunt: *Quorum multos ſcimus eſſe rebaptizatos.* Cum Bardelane quod

fato adſcribat actiones humanas: Cum Arrianis, „quod non ſit orandum pro mortuis, quod jejunia „ſint tollenda, Epiſcopique redigendi in ordinem „ſacerdotum, ut omnino illis habeantur pares: Cum Jovianiſtis, quod ſacras virgines *nuptiarum ſpecie* conſtuprari ſuadeat. In hoc tamen Joviniano potior, quod ille nunquam, *ipſe* autem *uxorem duxit:* Cum Wicleviſtis, *quod auctoritatem ſummo Pontifici* non ſolum *deroget*, ut illi, ſed *prorſus illam tollat:* omnia item neceſſitate evenire contendat: Eccleſias fortunis exſpoliet: Cum Uſitanis, *quod ſub utraque ſpecie communicetur*, & in aliis. Cum Beringariis, quod aſſerat „ſacramentum Eu„chariſtiæ non eſſe ſacrificium, nec eo offerri ve„rum corpus Chriſti, ſubſtantiamque panis in ipſo „manere, nec transformari in corpus Chriſti. Ab Eumonio ſumſit illud, *ſola fide homines juſtificari*, modo illa recta ſit, qualis quam ipſe prædicat: Nec ulla opera requiri niſi quod de ſuo addit: omnia, quantumcunque bona videantur, ex ſe eſſe peccatum. Ab Elvidio & Marianitis, Deiparam virginem perpetuo puriſſimam, proh ſcelus! demum fuiſſe corruptam, & complurium filiorum matrem, accepit. A Montano Catafriga & Simone mago didicit profiteri, ſe habere paracletum, ab eoque edoctum ſcripturas interpretari, & omnia peragere. Atque equidem neſcio, an, ut olim Heraclianus quidam in Africa Deum ſe eſſe dicebat, ita hic ſibi interdictum non eſſe putet, quo minus profiteatur, ſe alterum eſſe Chriſtum, in quo non jam verbum ſed Spiritus ſanctus carnem aſſumſerit humanam, pari Simonis magi furore, qui ſe jactabat die Pentecoſtes in linguis igneis ſuper Apoſtolos deſcendiſſe. Quod profecto non video cur non ſit ſuis ſequacibus perſuaſurus, quibus tam turpia portenta, nulla ratione vera perſuaſit, ſed tantummodo quia ipſe aſſeruit, ſe aſpirari Divino Spiritu. Cætera dogmata & maxime execranda, tum ex aliis, plurima autem ex impia Wicleviſtarum ſchola, tum quædam ex proprio ingenio ſcelereque excogitaſſe videtur. Neque enim perinde conſtat à quibus hæreticis illa collegerit, quorum eſt ſacramentorum everſio, jejuniorum deteſtatio, ſanctorum ſublata veneratio, votorum abolitio, ſacerdotii in univerſum derogatio, blaſphemiarum in ſacratiſſimum Euchariſtiæ ſacrificium inaudita promulgatio, Miſſarumque criminatio. Sed veniet tempus, ut ſpero, cum admirabuntur homines Germani, quonam pacto potuerit tanta caligo plurimorum mentibus offundi, ut quisquam Lutheranis ſacrilegiis acquieſceret. Superveniet enim ſuperveniet divina lux, quæ caliginem omnem diſcutiet, tenebras propellet & lumen priſtinum mentibus obtenebratis reſtituet, eritque poſt diluvium iris. Ut enim ait Dominus per Ezechielem: „Corruet paries, quem „linierunt luto absque paleis: illum enim deſtru„am, & adæquabo eum terræ, & revelabitur funda„mentum ejus, & cadet & conſumetur in medio e„jus, quoniam linitum eſt absque temperatura. Tuncque reſipiſcentes Germanos multos pudebit, tam amentibus ſe & impiis placitis adhæſiſſe, qui pœnitenti animo dicent Domino, ut Jeremias ait: „Cognovimus impietates noſtras & iniquitates Do„mine, & quod graviter deliquimus tibi, at propter „gloriam Nominis tui ne des nos in opprobrium „ſed peccata noſtra, quæ ſeducti perpetravimus, „deleas, nec ignorantiarum noſtrarum velis eſſe „memor.

Sed dicat aliquis: „Lutherus quid profitetur? „quid aliud prædicat, niſi ut Jeſus Chriſtus colatur, „ut par eſt, & ejus præcepta ſerventur? Evange„licam doctrinam, ut in ſacris habetur literis, ab „hominibus excipi vult, traditiones & decreta hu„mana illis adverſantia tolli. Quid enim tonat Lutherus, niſi Paulum, Evangelia, Chriſtum? Scimus, hoc paſſim Lutherum jactare. Eſt enim commune ipſi cum omnibus hæreticis & nefariis hominibus, qui ſpecie religionis nituntur, præ cæteris rebus comparare ſibi nomen, ſeducendis populis, hæreſibusque ſerendis, ſæpiſſime Chriſti nomen uſurpare, citare ſacras literas earumque teſtimonio eniti, impia dogmata confirmare, ex Evangelio Chriſti (ut Hieronymus ait) evangelium diaboli facientibus. Conſiſtit enim Evangelium non in verbo ſed in ſenſu. Etenim propinantes abſynthia, melle pocula circumliniunt, ne aliter admota primoribus labris rejiciantur. Nemo enim purum venenum ebibendum propinat, ſed cum ſuavi aliquo potu, aut obſonio commiſcet. Magi itidem & incantatores veneficis rebus ac ſuperſtitioſis verbis ſacra quædam verba conjungere ſolent. Quinimo & ipſe ſpurciſſimus Mahomet, Luthero tamen, haud ſcio an improbior, in Alcorano ſuo, ut commodius Chriſtianos ſeduceret, Jeſum Chriſtum mirum in modum commendat & extollit, ſeque ipſo longe majorem fatetur: Quæ cum ita ſint, hallucinabimur præſtigiis circulatoris hujus, vel ſi Pauli & Jeſu Chriſti nomen blaſphemo ore ſæpius uſurpet, ſi Evangelium frequentius citet: In quo ipſo quemadmodum a majorum conſuetudine diſcederet excogitavit. Nam quod cæteri omnes Latini *Evangelium* dixere, ipſe græce *evangelion* dicere gaudet, ridicula ſane & puerili affectatione. Quod ſi eodem verbo eam quoque laudem petit, ut græce ſcire videatur, cur cum ratio ſermonis poſcit, non dicit *Evangeliu*, ut ſaltem græce flectere nomina ſe didiciſſe commonſtret? Non igitur introſpiciemus, rectene talia an perperam afferantur, quibus principiis, quibus dogma fundamentis innitatur. Unde doctrina omnis neceſſario pendet: Quæ ſi ſolida & aperta fuerint, rectequeex illis cætera deducta, merito doctrina probabitur: ſin autem falſa, imbecilla, fallacia, doctrina nequaquam fuerit excipienda. *Nituntur* autem omnia veſana *illius dogmata duobus maxime principiis:* Quorum alterum abſurdum eſt & falſum, & quod nunquam ipſe cum omnibus ſuis conjuratis comprobare valebit. Alterum autem ridendum ſimul & execrandum. *Primum* hujusmodi eſt: „Nihil eſſe excipiendum in religione „Chriſtiana a fidelibus uti ſolidum neceſſarium„que aut opportunum ad ſalutem, niſi ſit divini„tus inſtitutum. Nihil autem hujusmodi eſſe „cenſendum, quin Evangelio aut ſacris literis fue„rit expreſſum. Hoc enim Lutherus Eccleſiæ „auctoritatem, Pontificis Maximi poteſtatem, ſa„cerdotii cunctam dignitatem oppugnat. Hoc ſacramenta pervertit, ſacros ritus, ceremonias, jejuniorum obſervantiam, feſtorum dierum celebritatem, cœlibatum, canonicas leges, conſuetudines optimas, inſtituta ſanctorum tollit, votorum religionem, ſacrarum virginum pudicitiam, ſanctorum

rum venerationem abjicit: Hoc *monachorum clauſtra perfringit, purgatorium amolitur*, principum & magiſtratuum poteſtatem proſternit, ſanctiſſimum *miſſarum ſacrificium abolet*: Hoc denique omnia divina & humana confundit, cum iſti fundamento illud annectat: *Nihil horum divina lege eſſe inſtitutum, neque ex ſacris literis ſumtum.* Quod quidem altero principio, quod jam exponam, confirmat, temeritate videlicet incognita, arrogantia inaudita, ſuperbia non ferenda. Ait enim ſe ipſum ſolum tenere verum ſenſum ſcripturarum & evangelicæ doctrinæ, & qui ipſi conſentiunt ejusdem ſpiritus participes: Omnes autem, quotquot fuerunt, *priſcos patres, Doctores ſanctiſſimos, Pontifices Maximos, ſacros conventus univerſales*, omnes orthodoxos Chriſtianos, eccleſiam Catholicam, CCC ab hinc & mille annos *aberraſſe, vel malitia veritatem occultaſſe:* Se unum afflatum Divino ſpiritu miſſum ad omnia reſtituenda, ad veram normam revocandam. Quid plura quæritis Germani? Hoc ne ſat eſt ex ipſius ore teſtimonium, ad deprehendendum, quale portentum Martinus alat in pectore? Hoc autem dicit ad mendacium ſuum prætexendum, ne fateri cogatur ſacrarum literarum teſtimonio, ſi earum communem ſenſum & *ſanctorum interpretationes* admitteret, plurima eorum quæ evertit, divinitus fuiſſe inſtituta.

Videamus igitur *primum fundamentum*, quam firmum ſit atque validum. Sed ante omnia vellem mihi reſponderet, ſed humane, nec eo furore quo ſolet ad convitia protinus deſcendere: *Numquid hoc axioma ex Evangelio aut ex ſacris literis acceperit: Nihil eſſe divinitus inſtitutum, quin expreſſum ſit in ſcriptura ſacra.* Quod *cum affirmare non poſſit*, ſed illud ſolum quod Paulus teſtatur: Non eſſe excipienda, quæ adverſus contenta in illis, vel ab ipſis fidei fundatoribus prædicata eſſe videantur, etiamſi angelus de cœlo illa diceret: *Nec unde ſumſerit afferre valeat:* Confiteatur oportet, ſuum illud eſſe inventum, & ſuo ingenio excogitatum. Et ſic jam *dogma Martini, quinimo radix & fundamentum omnium ejus placitorum*, quod nec eſt ex ſe evidens, nec ratione, nec teſtimonio ſacrarum literarum comprobatur. *Cum nullibi ſcriptura illud habeat;* Teſtimonio ipſius labefactabitur, aut ipſe fatebitur invitus, *aliquid accipiendum eſſe a Chriſtianis, quod non ſit literis divinis explicatum*, cum hoc ipſe accipi velit; Niſi forte (quæ eſt ejus impudentia) jactet, hoc ſibi oraculo divino eſſe revelatum. De qua re dicam in mentione ſecundi fundamenti. Nunc ſatis habeo, ipſum addixiſſe, *aliquid eſſe tenendum ut ſolidum a Chriſtianis, quod in ſacris literis non ſit expreſſum:* Quod tamen tam perſpicuum erat, ut confeſſione ipſius non egeret. Quis enim dubitat, modo ſacras literas accuratius legerit, inſtitutaque religionis Chriſtianæ, progreſſumque ipſius ab infantia perpenderit, *non omnia quæ fecit, dixitve Servator & Redemptor noſter Jeſus, conſcripta fuiſſe in Evangelio.* Quod grandiloquus Johannes in calce Evangelii ſui teſtatur: *Sunt*, inquit, & *alia multa quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcriberentur, mundus non caperet libros.* Quod & verbis ipſius Domini confirmatur in eodem Johanne dicentis: „hæc loquutus ſum vobis apud „vos manens, Paracletus autem quem mittet Pa„ter in nomine meo, ille vos docebit omnia. Et rurſus: „Adhuc habeo vobis multa dicere, ſed „non poteſtis portare modo. Cum autem ve„nerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem „veritatem. Quam expreſſe his verbis declarat, *ipſum Dominum non omnem veritatem explicuiſſe, ſed multa reſervaſſe aperienda & inſtituenda virtute Spiritus Sancti*: Sed & illud conſtat, non omnia quæ fuerunt acta, aut inſtituta ab Apoſtolis, fuiſſe deſcripta & in ſacris literis memoriæ mandata. Quod teſtatur Paulus, ad Theſſalonicenſes ſcribens, his verbis: *Tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem ſive per epiſtolam noſtram*, & cætera. Expreſſius enim declarare non potuiſſet, *non omnia fuiſſe ſcripta*, cum *ſæpe ſermone tradita ab his quæ ſcripta in epiſtolis erant.* Accedit illud quod in Actis habetur: „Paulus & Sci„las cum pertranſirent civitates, tradebant eis cu„ſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis „& ſenioribus, qui erant Hieroſolymis. Actorum præterea ſcriptor Lucas, quædam notavit, *communia & prima quaſi incunabula naſcentis Eccleſiæ* perſecutus. Primum principis Apoſtolorum geſta, deinde Pauli progreſſum diligentius enarravit, nec hunc totum niſi quo usque Romam vinctus eſt perductus. Cæterorum Apoſtolorum geſta parum vel nihil attigit: Ut *non* ſit „dubi„tabile, plurima fuiſſe tradita voce viva Apoſtolo„rum & Spiritus Sancti calamo in cordibus fide„lium ſcripta. Non enim, præcepit Dominus „Jeſus diſcipulis ſuis, ut Evangelium ſcriberent, „ſed ut illud in univerſo mundo prædicarent: Quod „ore fiebat non ſcripto; ipſe enim nihil ſcriptum „reliquit. Et cum ex Apoſtolis vix duo *ſcripſerint* Evangelium, & ii quidem multis annis poſt glorioſum Chriſti triumphum, *omnes verbo evangelium promulgarunt.* „Si enim tantum ſcriptis „lex divina conſtaret, nec aliquid eſſet ſolidum ad „fidem pertinens, niſi ſcriptura contineretur, fa„tendum eſſet, lege & fide caruiſſe, & absque re„ligione fuiſſe omnes ſanctos Patres tum V. tum „N. Teſtamenti, qui antequam lex Moſis, aut „Evangelium ſcriberetur, vixerunt. Itaque ſanctiſſimum Noe, Melchiſedech, Abraham, Patriarchas omnes, cæterosque primævos patres, qui tamen unum ſolum Deum rite coluerunt, usque ad Moſen primum legis ſcriptorem, expertes fidei & legis fuiſſe: Pariter & „Chriſtianos omnes, qui „antequam Evangelium ſcriberetur fuere, caruiſſe „lege & fide dicendum eſſet, ſi lex & fides ſcriptu„ra tantum contineatur. Non igitur Chriſtiani „ad ſcripturam tantum obſtringuntur, ſed ad di„vinam legem ſervandam, quæ primo oretenus „tradita eſt. Deinde, cum placuit divino conſilio, *pars quædam ejus ſcriptis ad noſtram doctrinam & conſolationem* (ut ait Paulus) *mandata*, ad proterviam male ſentientium redarguendam, ad hæreſesque convincendam, ut cum alii tum Hieronymus & Auguſtinus teſtantur. Qui tradunt *Johannem*, Evangeliſtarum principem, poſtremum omnium Evangelium ſcripſiſſe, tres annos antequam naturæ concederet, cum quinque ac ſexaginta illud prædicaſſet poſt Domini aſcenſionem. Scripſiſſe autem illud rogatu Epiſcoporum Aſiæ adverſus Cerinthum aliosque hæreticos, & maxime

contra dogma Ebionitarum, tunc inſurgens. *Hac* igitur *de cauſa editæ ſunt ſcripturæ, & ut eſſent infirmis & imbecillioribus ſolatium, pluriumque rerum notitia certior, memoria firmior, teſtimonium evidentius, ad docendum, corripiendum erudiendumque gravius.* *Scriptura* enim ad hæc præſtandum commodiſſima eſt, teſtimonio Pauli, cum ſit *quaſi ſcopus & regula, ad quam cætera non ſcripta ſed per manus tradita dirigi poſſunt.* *Qua tamen non opus erat primis illis patribus, non magis quam imaginibus, qui evangelium vivum in corde tenebant.* *Quædam* igitur ſunt *ſcripta, plurima voce tradita.* Sicuti enim divinus ſpiritus *non ſimul omnia aperuit*, ita *nec eodem modo omnia expreſſit.* Quod etiam fateri cogitur ipſe Lutherus, niſi articulos fidei etiam rejiciat. „Nam Chriſti deſcen„ſus ad inferos non deſcribitur in Evangelio, nec in „Apoſtolicis ſcripturis uſpiam exprimitur, inter „fidei tamen articulos ſymbolo Apoſtolorum con„tentos annumeratur. Vel igitur hoc receptum eſt, ut oretenus traditum ab Apoſtolis, vel ut à ſpiritu eccleſiam gubernante explicatum. „Pari mo„do ſunt & pleraque alia, ut, ſanctum Spiritum à „Patre & Filio procedere, quod multi Græcorum „proferre olim non audebant, eo quod in ſacris li„teris non ſatis eſſet explicitum. Sunt igitur ple„raque firma & ſolida Eccleſiæ decreta, quæ vel „ſacris literis non continentur vel in eis non ſatis „habentur expreſſa. De quibus perpetuo ambigeretur, & veritas eſſet in occulto, niſi eſſent *Eccleſiæ auctoritate definita.* Ad quæ ambigua tollenda, cum aliæ multæ tum imprimis *Nicena ſynodus* coacta fuit. Nunquam enim defuere, qui ſtudio rerum novarum inſana dogmata ſua ſacrarum literarum teſtimoniis confirmare niterentur. Quorum teſtimoniorum inani copia locupletiſſimus acceſſit Arrius, ad Divinitatem Chriſti prætextu pietatis impugnandam. Qui in eadem Nicena ſynodo damnatus, definito communi conſenſu, *omuſion* eſſe Chriſtum cum Patre.

Sed *nec illud vere dici poteſt, cunctas leges in ſacris literis expreſſas eandem vim obtinere, ut ipſarum nulla ab eccleſia poſſit immutari, aut ipſa ferendi leges & quasdam conditas abrogandi facultate vacare:* Cum ſacrarum literarum teſtimonio conſtet, *quædam immutata fuiſſe, nonnulla abrogata, & pariter aliqua denuo ſtatuta.* Quæ tamen *omnia uti divinitus inſtituta recipiuntur, quamvis teſtimonio ſcripturarum non confirmentur.* Nam *celebritatem ſabbathi divina lege inſtitutam fuiſſe conſtat*, coluiſſeque ſabbatha Apoſtolos, poſtquam Chriſtus triumphans ad cœlos eſt aſſumtus, ut Apoſtolorum acta teſtantur: *Hoc tamen antiquatum eſt & translata ſolemnitas in diem Dominicum.* Quo in loco dicat *Lutherus*, qui *divinis literis tantum inſiſtit*, qua auctoritate hoc immutatum ſit, cum ſacræ literæ hoc non præcipiant: Quod ſi contendat, *legis Moſis inſtituta evangelica lege fuiſſe abrogata, & proinde ſabbathum fuiſſe ſublatum*, tamen comprobet illud ex ſacris literis Novi Teſtamenti oportet, omnia legis antiquæ inſtituta fuiſſe abjecta, cum ne dum Chriſtus ea ſervaverit, ſed & Apoſtoli ipſo vita functo, poſt triumphum crucis, poſtquam jam glorificatus revixerat, ac cœlos conſcenderat. Etſi non omnia, tamen plurima ex lege ſervaverunt, & maxime ipſam ſabbati feſtivitatem. Quinimo *Paulum compulerunt*, poſt regreſſum ipſius in Hieruſalem, poſteaquam gentibus prædicaverat Chriſtum, *purificari ſecundum legem, & ingredi templum ut legis obſervatorem.* Sed ut de hoc non ſit controverſia, *Dominicæ ſolennitatis inſtitutum quomodo tueri valeat quaſi divinitus ſancitum, ſi ſcripturis tantummodo ſit inuitendum, cum in iis nulla mentio inſtituti hujus habeatur.* Etſi referant, ea die Dominum revixiſſe, at quid hoc ad antiquandum ſabbathum? quo memoria peractæ creationis univerſi, & ceſſationis ab opere creatoris agebatur, aut quid pertinet ad opus ſervile ea die inhibendum. Fateri igitur cogitur, *autore hoc ab Apoſtolis inſtitutum & poſteris traditum fuiſſe, aut ab Eccleſia decretum, quanquam in S. literis non fuerit expreſſum.* Præterea, quomodo *Apoſtoli in primo Concilio quosdam cibos in lege vetitos prohibuerunt*, ut expreſſis verbis in Actis habetur: *viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, ut abſtineatis à ſuffocato, fornicatione, ſanguine, & immolato idolis.* Si Moſaica omnia fuerant abrogata, dicat Lutherus, *quonam legis Evangelicæ ſcripto teſtimonio legem hanc reſtituerunt?* Quod cum nullum afferre poſſit, fateatur neceſſe eſt, ore à Chriſto hanc eis poteſtatem aut Spiritus S. afflatu fuiſſe traditam. *Quæ* tamen *lex quoad eſum ſanguinis & ſuffocati ac etiam quoad immolatum idolis, ſucceſſu temporis eſt abrogata.* Aut igitur hæc, tunc primum ſancita, ſive immutata, damnet ac reprehendat oportet, aut confiteatur *divina auctoritate decreta fuiſſe, absque tamen teſtimonio Evangelii.* Si autem *humana auctoritate* dicat eſſe *decreta*, cur ipſe, qui tantum divina recipere cenſet, & omnia ad priſcum morem revocare, hæc cuncta non pervertit? *Cur non jubet tolli Dominici Diei celebritatem?* hæreticosque ſuos ſabbatha colere & circumcidi? præſertim cum Paulus circumciderit Timotheum, ut acta teſtantur, quemadmodum *præcipit, ſub utraque ſpecie Euchariſtiæ ſacramentum aſſumi, & cæteros ritus tollit, quos divinitus inſtitutos non eſſe contendit?* cur pariter non jubet *à faturis illud aſſumi, & non à jejunis? cum Dominus cœnatis illud præbuerit*, & eum morem ſervaverint in primæva Eccleſia, teſte Paulo ad Corinthios: *Cœnantibus vobis in unum* &c. Cur patitur, ut *ab impartiente ſacerdote illud aſſumatur*, cum in Evangelio non legatur, expreſſis ſaltem verbis, nec ipſe ſanctorum patrum interpretationes ſive enarrationes recipiat, *Dominum, illud diſtribuentem, partem ullam ſibi ſumſiſſe?* Quod ſi exiſtimat, auctoritate divina illa ſancita eſſe, nullo tamen teſtimonio ſacrarum literarum: Negare non poteſt, *aliquid Divinum in Chriſtiana lege eſſe ſancitum, quod non ſit ex ſacris literis aſſumtum, & Eccleſiam Spiritu Divino afflatam, facultatem habere interpretandi ambigua, explicandi implicita, leges promulgandi, & ex promulgatis quædam abrogandi.* Cujus Eccleſiæ quanta ſit auctoritas & facultas, atteſtatur & illud Domini, dicentis: *Dic Eccleſiæ, ſi autem eam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus &c.* Quæ *decreta eccleſiæ* ut divinitus inſtituta ſunt recipienda, & ob eam rem non ſunt tollenda, quæ univerſi populi Chriſtiani conſenſu, ſacrorum conciliorum decretis, ſanctorum patrum ſententiis, ut divinæ ſanctiones receptæ fuerunt, *licet in ſacris literis aperte*

non

non fuerint expressa. Sed ne præteream & illud, cum ad primævæ Ecclesiæ institutа, potissime autem quæ in sacris literis habentur expressa, omnia esse redigenda contendat. Cur non jubet suos asseclas minime proprium possidere, sed in commune vivere: Cum in actis Apostolorum sæpius repetatur, illis fuisse omnia communia, quæ distribuebantur, uti unicuique opus erat. At forte veritus est offensionem *animi divitum*, qui in cæteris illum sectantur, quos arbitratus est huic placito minime utique esse subscripturos. Sed indignum est ecclesiasten è cœlo dimissum, quod se esse jactat, ad omnia corrigenda, vultum potentis præferre veritati. Sed de his hactenus.

Ex iis quidem satis declaratum esse arbitror, quam infirmum, quam improbabile, quam falsum sit, hoc „potissimum Lutheri fundamentum, quo „universa ejus doctrina nititur: Nihil esse reci„piendum ut divinitus institutum, nisi in sacris li„teris fuerit explicatum: Cum multa fuerint hujusmodi, antequam scriberentur: Nonnulla etiam sint, quæ nunquam fuerunt scripta, & ex scriptis aliqua fuerint abrogata: Præterea & quædam constituta post legem Evangelicam scriptam, quæ literarum sacrarum testimonio non innituntur, quæ tamen auctoritatem velut instituta divinitus obtinuerunt. Quanquam id quoque ab eodem *Luthero* libenter scisciterer, *qui tantum sacras literas admittit, quas asserit sacras esse, eas quonam pacto ipsi constet esse sacras?* quando communem consensum populi Christiani, decreta publica sacrorum conciliorum, & sanctorum patrum auctoritatem contemnat. „Cum nullo alio argumen„to comprobari possit illas divinas esse, nisi quia „ita diffinitum est a catholica ecclesia & receptæ „sunt ut tales publico consensu. Ex omnibus enim Evangelii scriptoribus, quos complures fuisse constat, *quatuor tantum approbantur*, & ipsorum scriptura inter sacras literas est recepta. Plurimæ item exstant epistolæ, Apostolorum titulis prænotatæ, & alia ejusmodi commentariola, quæ inter sacra non admittuntur, sed scripturis apocryphis annumerantur. „Quod si standum est „Conciliorum testimonio in asserendis scriptu„ris, cur pariter non stabitur etiam in cæteris, quæ „divinitus instituta diffinierunt, quamvis scripta „non essent. Quicunque igitur conciliis auctoritatem derogat, & catholicæ Ecclesiæ decretis stare non vult, is profecto auctoritatem sacrarum literarum tollere convincitur. Quæ res tam dilucida est, ut longiori disputatione (si verum quærimus) non indigeat. Nisi forte, cum se jactet afflari Spiritu Sancto, dicatque omnes aberrasse abhinc trecentis & mille annis, dicere paratus est, sui juris esse probare scripturas & reprobare. Hoc enim jam pridem sibi arrogavit, & pro libidine sua exprobatis ab Ecclesia eas rejicit, quas videt expressius suis ipsius dogmatibus adversari. Sed hoc ad *alterum* ejus *fundamentum* pertinet, de quo tempus est, ut nonnihil disseramus.

Quo in loco illud primum a Martino quærere in mentem venit: Utrum jam tum Spiritu Sancto afflaretur cum cœpit delirare? Quod si affirmaverit, tunc præterea perconclabimur: Qui tandem Spiritus iste sit, tam levis, tam inconstans, tam secum ipse pugnans, quæ vitia longissime abhorrent a Spiritu Dei. Lutherus enim, ut ipsius monumenta testantur, pugnantissima dicit, & prius dicta, posterius impudentissime refellit, qui semper ad deteriora prolapsus est. Nemo enim repente fit turpissimus. Non igitur in ipso statim initio afflatus est Spiritu Sancto, sed stultitia & arrogantia propria delirare cœpit. At mirum est, Spiritum Sanctum aspirare cœpisse jam furentem, contumacem, hæreticum, damnatum, quem non aspiraverit, priusquam damnaretur. Quis enim tam hebes ingenii? tam vecors? modo Lutheri priora scripta legerit, & cum posterioribus contulerit, qui non perspiciat, *Martinum posteaquam damnatus est a Leone X.* tanta ira efferbuisse, ut jus omne atque fas contemneret, modo se ulciscereturin odiumque & vindictam sumendam de summo pontifice omnia ecclesiastica dogmata evertere statuerit, ut prorsus pontificiam potestatem aboleret: Qui antequam damnaretur, & si plurima insana temerarie protulisset, tamen illa non pertinaciter se asserere, sed scholastice de illis ambigere profitebatur. De quibus edoceri poscebat, judicioque summi Pontificis & Ecclesiæ cuncta subjiciebat, quod *literæ ipsius & libellus ad Leonem transmissus* testantur, quamvis in ea sententia, ut est hominis levissimi singularis inconstantia, non diu perstiterit, sed admonitus humanissime ad sanitatem rediret, in pestiferis dogmatibus suis, quæ semel promulgarat tuendis pertinacissimus fuerit. Quamobrem cum damnatus esset, protinus in furorem & rabiem efferatus, sacrilegum *libellum edidit captivitatis Babylonicæ*, in quo plures est numerare blasphemias quam sententias. A Spiritu igitur Domini illas contendet esse profectas? quas vix spiritus satanæ protulisset. Non enim Spiritus Domini nisi similis ei sit, qui Saulem Spiritu bono destitutum invasit: de quo est in libro primo Regum, contumax, perversus, rebellis. Est enim Spiritus sapientiæ (ut testantur sacræ literæ) bonus & suavis. Quamobrem etiam scriptum est: *super humilem & mansuetum corde requiescet Spiritus meus*, non autem super elatum & superbum. Luciferi autem exemplo usque adeo Lutherus intumuit, ut speraverit se collocaturum esse sedem ad Aquilonem, (ut Hieronymus ait) habitationis hæreticorum regionem, & majorem fore *summo sacerdote*, quem omnibus maledictis, convitiis, blasphemiis, petulantissime infectatur, tanto contemptu, ut eam *Anti-Christum appellare non vereatur*, nihil reveritus quod scriptum est: *Non maledixeris principi populi tui, & qui maledixerit principi, morte moriatur:* Nec illud Deuteronomii: *Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, morietur homo ille ex decreto judicis, & auferes malum de Israel.* Aut illud: *Qui obedire contemserit obruet populus illum lapidibus.* Nec ulla ex parte Paulum Apostolum imitatus, qui coram proconsule Romano cum *summum sacerdotem* se accusantem & persequentem, imprudens *parietem dealbatum* appellasset, quis ille esset admonitus, excusavit *se nescisse eum esse summum sacerdotem*, quasi nihil tale dicturus fuisset in hominem iniquissimum, quem sciret esse summum sacerdotem. Et exclamans, ad Hebræos: *Obedite* (inquit) *præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant,*

quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant & non quaſi gementes. Et Chriſtum conſtat nunquam obtrectaſſe aut maledixiſſe ſummo ſacerdoti, homini ſceleſtisſimo, etiam cum ab eo injuſtiſſime damnaretur. Quinimo conſtat, ſemper illum honorandum & reverendum eſſe docuiſſe: Tum quod à lepra ſanatos ire jubebat ad ſummum ſacerdotem, ſeque illi oſtendere, munusque lege conſtitutum offerre, tum etiam quod ſanari eodem morbo petentes ad ſummum ſacerdotem transmittebat. Præterea quod ipſorum decreta ſervari mandabat, dicens: *Quæ dicunt, facite &c.*

Sed hæc ludi jocique ſunt, ſi ad infanda ſcelera ſpectes, quibus inceſſit *divina ſacramenta:* de quibus non aliter differit, quam ſi eſſent figmenta heri aut nudius tertius inſtituta, tam arroganter loquitur, ac ſi poteſtatem haberet eadem pro ſua libidine vel ingenio inſtituendi confirmandi vel abolendi. Nam quodam in loco *tria* ſe *duntaxat* tunc ex inſtitutis recipere profitetur, fore tamen fortaſſis ut *unum tantum ſacramentum* eſſe conſtituat, magno ipſius impudentiæ ac vanitatis argumento. Nam ſi tria ipſi conſtat eſſe vera, quomodo duobus rejectis unum tantum verum eſſe monſtrabit? Si tantum unum verum eſt, quomodo tria nunc acceptat? Quod ſi ambigit & dubius eſt, quemadmodum ejus verba ſonant, quid agit ſpiritus iſte, qui ſapientiam Luthero ſuppeditat? Neque enim lubricus eſt aut dubius Spiritus Chriſti, ſed certus & conſtantiſsimus. Sed furor eſt Lutheri, furorem velle pluribus verbis aperire, qui per ſe apertus eſt & manifeſtus. Quis enim, ſi quid modeſti, ſi quid judicii, ſi quid ſani hominis haberet, hoc ſibi arrogaret? hoc dicere non erubeſceret? Aut quis (niſi Luciferi ſpiritu non afflatus ſolum ſed prorſus abreptus) dicere auderet, *ſanctiſſimos Patres, omnes celebres Doctores, cunctos Chriſtianos Catholicos, univerſam eccleſiam, à vera pietate decidiſſe ante trecentos & mille annos? Nec rectum ſenſum ſacrarum literarum quemquam horum toto hoc ævo percepiſſe?* ſe nunc tanquam è cœlo demiſſum veniſſe, ad veritatem evangelicam aperiendam, ad caſtiganda & redigenda omnia ad rectum cultum. Quid magis abſonum? quid arrogantius? improbiusve dici poſſit? Nonne hoc ſatis erat paulo modo prudentioribus hominibus, ad hujus ſceleris intolerabilem furorem, & ſuperbiam inauditam deprehendendam? Nam quis hoc audito non affirmet, hunc alterum eſſe Heraclianum, qui quondam in Africa ſe Deum eſſe prædicabat? Aut in Martino Montanum revixiſſe, qui tanquam paracletus Cataphrygas edocebat, brevique futurum expectet, ut quemadmodum ille Priſcam & Maximilam, ſuas ab ipſo paracleto afflatas prophetizantes prodidit, ita hic inceſtuoſiſſimum ſcortum ſuum, quod *uxorem* nominat, ſpiritus ſui participem effectum, contactu ſui immundiſſimi corporis prophetantem & docentem evangelium prodat. Nam quid indignius proferre potuiſſet de Divina bonitate, quam ipſam permiſiſſe *univerſum populum Chriſtianum, totam Eccleſiam, falli & in caligine tam longo tempore verſari, tot in rebus ad integritatem fidei & religionis pertinentibus?* Ubi enim promiſſa Chriſti? *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, Ego vobiſcum ſum usque ad conſummationem ſeculi. Non relinquam vos orphanos: Cum venerit Spiritus veritatis, ille docebit vos omnia. Serva illos Pater ſancte, quos dediſti mihi: Non ſolum autem pro illis rogo, ſed & pro iis qui credituri ſunt per verbum eorum in me.* Quid eſt dictu nefas, ſi hoc nefas non eſt? *Spiritum Chriſti deſeruiſſe eccleſiam univerſam trecentis & mille annis,* aut ſpiritum mendacem fuiſſe, aut in dolio latuiſſe, donec Martinus illum ebiberit. Qui ſi fidem hominibus facere cupit, *quod verbis aſſerit, cur ſignis & miraculis non confirmat?* Sic enim fecit Moſes, ſic Chriſtus Jeſus, ſic Apoſtoli, cum legem promulgarent Evangelicam, teſtibus Evangeliſta Marco his verbis: *Illi autem profecti prædicaverunt, ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Et hiſtoria actorum locis quampluribus. Nam hoc ſibi verbis arrogare, perinde fuerit in poteſtate impudentiſsimi cujusque circulatoris. Ergone rejicientur ſacramenta, omnes ſacri ritus, cuncta vetera antiquabuntur, miſcebuntur omnia vel in dubium revocabuntur, non alia ratione niſi quod *αὐτὸς ἔφα. Confirmet* igitur *ſermonem ſequentibus ſignis,* quando rationibus nihil aſſequitur, & ſi magno impetu & totis viribus enitatur, detorquendo ſcripturas, mutilando, depravando, inique interpretando, inani profecto & irrita opera. Quanto enim magis infirmare contendit catholicorum dogmata, tanto plus apud ſolidiora ingenia confirmat. Qua propter *nihil unquam apud viros gravioris judicii auctoritatis aſſequetur, niſi vaniſſimis verbis fidem veris miraculis faciat.* Quæ vero ſint miracula & portenta Lutheri, fructusque doctrinæ ipſius, quibus dominus ſectarum docet auctores & peregrinæ doctrinæ aſſertores deprehendi, cum ait: *Ex fructibus ipſorum cognoſcetis eos*, ſi quis ab infelice Germania perquirat: reſpondere poterit: contemnere leges, fas omne tollere, judicia evertere, nulli ſubjici poteſtati, ritus ſacros abigere, omnia diripere, modo vis adſit, latrocinari templa, cœnobia profanare, ſpoliare, ſolo æquare, ſacratas virgines conſtuprare, pudicitiam profligare, religionem evertere, cuncta in ſeditionem & tumultum excitare, pacem tum publicam tum privatam ſollicitare, rapere, depopulari, vaſtare, ſtrages miſerorum mortalium edere. Plures enim paucis menſibus crudeliſſime enecati, miſerrime trucidati, in viſceribus Germaniæ tumultibus hæreticorum ſunt, quam reliqua tota Europa omnibus abhinc XX. annis. Hos igitur fructus Germania tulit ex Lutheri prædicatione, nec adhuc finis, omnia ardent, & nunc cuncta tumultuantur, nusquam quies, nullibi ſecuritas, omnia perturbata. Proh dolor! ſi reviviſcerent nunc priores Germani, quorum eximiæ pietatis tot præclara extant monumenta, cernerentque templa, aras, cœnobia, quæ ipſi fundarunt, ſtruxerunt, tantaque pietate coluerunt, ab ipſorum filiis ſpoliari, profanari, incendi, ritus ſacros & ceremonias, quibus ipſi caſtiſſime ſtuduerunt, aboleri, quam miſere deflerent calamitatem Germaniæ! quanta ira excandeſcerent! quæ ſupplicia in hunc ſceleſtiſſimum tantorum ſcelerum auctorem excogitarent! quanta ſeveritate objurgarent filios, quod obliti ſolitæ gravitatis & conſtantiæ, firmitatisque Germanicæ tam leviter ſe deludendos permiſiſſent viliſſimo Apoſtatæ,

statæ, & vulpino præstigiatori, ut a moribus majorum recederent, sacra abjicerent, religionem perverterent, eis traditam a tot sanctissimis & sapientissimis præsulibus Germanorum, qui Evangelium Germanis prædicaverunt, & religionem, ab ipsis, ritibus his sanctissimis institutam ipsi inprimis observantissime coluerunt, & ipsorum plurimi testimonium sanguinis animæque profusione reddiderunt, quorum aliquos non pigebit recensere, partim Antistites doctissimos & probatissimos, partim martyres & confessores clarissimos, omnes autem viros sanctissimos, & Germaniæ multarum civitatum parentes & patronos optimos, ut sanctos, *Bonifacium, Kilianum* cum sociis, *Sebaldum, Gereonem* cum infinita multitudine sociorum, *Uldaricum, Conradum, Magnum, Othmarum, Gallum, Robertum, Wolffgangum, Willibaldum, Carolum Magnum, Servantium, Henricum I.* & alios plurimos, quos molestum esset enumerare; Quos omnes *spernunt* pariter, & *cæteros omnes celeberrimos doctores catholicæ ecclesiæ*, tum Græcos, tum Latinos, ut Chrysostomum, Hieronymum, Nazianzenum, Augustinum, Origenem, Ambrosium, M. Basilium, Cyrillum, Gregorios, Damascenum, & alios innumeros, quos prudens prætereo, viros angelicos potius quam terrenos: Cum his videlicet & *communem sententiam populi Christiani contemnentes*, dum hanc rabidam belluam, hunc nefandissimum præstigiatorem sequuntur, admonerentque, ne diutius paterentur universam Germaniam nefariis perditissimi hominis dolis hallucinari & periclitari. In qua jam nihil tutum est, nihil non in discrimine magno versatur, cum priusquam a vera religione deflexissent, labeque hac inficerentur, secura omnia, tranquilla, florida fuissent. Neque enim dubium est, quin hujusmodi pristinæ & pietatis & pacis admonitione, & præteritorum ac præsentium temporum comparatione, facile filios, qui parentum sana consilia admitterent, nec pertinaciter recta monentibus ut nunc cæteris admonitoribus resisterent, ad rectam viam & pristinam pietatem avocarent.

Sed ad te redeo, Erasme, *satis* enim *longe sumus in Lutherum digressi*, quo me, nominis causæque ipsius admonitum, rei indignitas provexit. Quo tamen *digressu* tibi indicatum esse videtur, intelligi etiam à minus eruditis, quàm infirma, quam fallacia sint hujus hæretici dogmata furiosa, ut *tibi doctissimo facillimum futurum fuisse appareat illa prosternere, modo animum induxisses.* Quod cum *omiseris* effeciſti, ut tanto minori injuria à plerisque accusareris. Non enim Lutheri scientiâ nec furibundi spiritus vehementiâ deterritus *in eum scribere prætermisisti*, quem, multis est compertum, te in penetralibus animi tui nihil facere, & ut par est despicere, sed *alio consilio præteriisse aut distulisse.* Quid enim in eum posses, modo velles, declarasti *libello tuo De libero arbitrio*, quo Lutherum non exagitas, non perturbas modo sed prosternis, enecas. Bone Deus, quæ copia argumentorum, quam ea efficacia, quam propria, quæ divitiæ testimoniorum ex sacris literis, quanto ingenio, industria, paucis complexus es multa, quanto nitore res dictu difficillimas expressisti. *Quo libello* etsi *tantum disputes, nihil definias, quod tamen magis expetebatur*, Lutherum tamen peremisti, etsi *mitius* cum furioso egeris quam argumentum ipsum & hæretici pertinacissimi vesania exposceret, quippe *illi nimium indulges, blandirique videris.* Da veniam meæ libertati: *Indecora, inepta, & timida visa mihi est cum multis modestia tua.* Quamobrem non ut cætera item principium ac calx libelli probari possunt: sed quibusdam in locis ita hominem torques, coërces ut exanimes. Quod si idem præstiteris dogmatibus in cæteris, jam non erit quod *suspicari* possint homines ullo pacto *convenire tibi cum Luthero.* Si autem præterieris, *hoc edito libello potius suspicionem adauxisti.* Putabunt enim multi, si æque in cæteris dissensisses, pariter cætera te fuisse refutaturum, quæ *silentio probare videaris*, hoc uno tantum improbato. Quamobrem omnes qui te amant, omnes qui pro catholica veritate contendunt, hoc valde cupiunt, à te petunt & flagitant. Quibus si morem gesseris, nihil erit quod ad perpetuam commendationem nominis tui magis facere possis, nihil acceptabilius, omnibus bonis, nihil gratius Deo optimo maximo. Quod si non libebit, quod nec forte te deceret, singula persequi argumenta in tanta ipsius tamque infinita insania, quorum plurima nimis inepta sunt, & puerilia, *modo persequaris potiora*, iniquiora, præcidas radices, quæ ut magis latent, ita plus lædunt stolidum vulgus, satis officium tuum Reipublicæ Christianæ præstabis. *Neque* enim *satis est* ad laudem tuam, id quod ad me scribis, *Te nec precibus amicorum, neque blanditiis convitiisve impiorum adduci potuisse, ut in verba Lutheri jurares, ut ab ecclesiæ catholicæ gremio discederes.* Si enim secus fecisses, ut divinum judicium omittam, quod te ut hominem pium vereri non dubito, tibi perpetuam ignominiam inussisses, nomenque tuum funditus perdidisses, devoverisque semper ab universo orbe Christiano, non secus atque Lutherus. Ne interim dicam, quam nihil dignitati Erasmi congruebat *militare sub Luthero duce.* Studuisse autem hæreticos quam diligentissime te in partes eorum trahere omni diligentia ac arte, nemo dubitat qui te novit, nec quam ardens in propagandis hæresibus studium eorum sit, ut semper fuit omnium hæreticorum, quantumque accessisset causæ ipsorum auctoritatis, præsidiique & favoris, si te socium habuissent. Plurimos enim crediderim adhuc in officio constare pietatis, qui forte animo lababantur, exemplo tuo maxime admonitos. Quamobrem *laudi tuæ hoc tantum debetur, quod longe minor est facta jactura, quàm si ad partes impiorum deflexisses.* Sed non putant homines magnam esse laudem à sceleribus abstinere: sed tunc aliquis laudatur, cum ab ipso præclara & honesta peraguntur, cum officium non deseritur, cum publica causa omnibus commodis, cunctis privatis affectibus antefertur. *Qui* enim *reipublicæ labenti operam non præstat cum valeat, eam perdere videtur.* Sancta quippe rusticitas accusatur, quod non ecclesiæ præstet, nec præstare valeat, id quod valeret, si sacris literis incubuisset: Quanto magis accusandus homo doctissimus, cum non præstat quod valet, præsertim in tanto discrimine. At *docuisti, te naturæ instituto impotentem esse silentii, cum curiosissime censurâ tuâ omnium errata notasti:* Tu vero, *ne quidem vita functis pepercisti, quin de eorum monumentis judicares.* Nunc autem

tem vivens viventem, præſens præſentem tacitus patieris blaſphemum debacchari Martinum? nec virga tua cohibebis? Erras profecto, Eraſme, ſi putas impune hoc tibi licere, nec piaculo eſſe adſcribendum *hoc importunum ſilentium.* Habes utramque cauſam, quæ te in hanc ſuſpicionem obtrudit.

Quod autem *excuſas:* ſi quam *occaſionem acceperint Lutherani ex monumentis tuis, id tibi non adſcribendum, cum itidem imputari poſſit Paulo & Auguſtino, unde ſua fere confirmat dogmata Lutherus:* Iſtam excuſationem complures non accipiunt, *negantes, illos occaſionem ullam præſtitiſſe:* Sed Lutherum nequiter arripere quasdam ſententias, a ſe videlicet detortas, ut ſuas inſanias confirmet. *Te autem præſtitiſſe, cum ipſe plurima ſumat ex his quæ tu prius notaveras & in dubium revocaveras.* Illud autem tibi plurimi credunt quod ſcribis, *nunquam te fuiſſe ſuſpicatum, cum illa ſcriberes hujusmodi tumultum exoriturum.*

Quod vero *ad alteram partem tuarum literarum* attinet, quod *primum fontem hujus mali fuiſſe* interpretaris, *ſacerdotum quorundam palam corruptam vitam, Theologorum quorundam ſupercilium, Monachorum quorundam non amplius ferendam tyrannidem: haud equidem tibi repugnabo.* Puto enim *complures fontes originem dediſſe* huic rapidiſſimo torrenti, & *ex his quæ enarraſti hujusmodi aquarum plurimam colluviem influxiſſe.*

Sed *alia* profecto *magis fecerunt locum huic tempeſtati:* Quæ & tu non inficiaris, cum ais: *Principio erat cum linguis ac latinis literis bellum Theologorum &c. Illa* enim *verius origo fuit.* Inde conflata *invidia inter Thomiſtas & Theologos*, ob eorum ſymbolum, & *politiorum literarum cultores.* Inde exorta *controverſia Reuchlinica, ex quo fonte primæ aquæ ſcaturiere.* Non enim illius caulæ expers fui. Imo & mea erga viros doctos conſuetudine *non vulgariter favi Reuchlino apud Pontificem maximum Leonem X.* Quod *literæ ipſius ad me* teſtantur. Et *ſæpe monui, deterruique accuſatorem ipſius Hochſtratum, ne tam vehemens eſſet, mitiusque in ipſum ageret. Ex quæſtione illa* prodiere primum *epiſtolæ obſcurorum virorum*, quibus *feſtiviſſime ridebantur Theologi minus elegantes:* Quas me fateor legiſſe, non ſine quadam voluptate: Ludum tamen nunquam probavi. *Inde* igitur demum *factum* eſt, quod & tu ingenue fateris, ut *quotquot veſtratum amabant bonas literas, ſe Lutheri naſcenti furori fautores exhibuerint. Hæc cauſa tantorum malorum fuit.* Hinc enim Luthero, natura temerario, audacia crevit & arrogantia, tantis videlicet auxiliis confidenti. Quanto bone Deus fuit optabilius, ut hi, qui ſe Luthero addixerunt, quaſi *nacti oportunum ducem, ad profligandos Theologos*, non tanto ardore *bonis literis faviſſent!* Quanto ſalubrius, ut illas nunquam didiciſſent. Quam ut *earum occaſione* tam vaſtum incendium excitaſſent, quo fere univerſa Germania conflagravit. Quanto *commodius Germaniæ, ut hæ bonæ literæ Alpes nunquam transcendiſſent, & ut Germani contenti materna lingua, vel utcunque latina*, tam atrocia diſſidia non concitaſſent! Quanto *commodius barbare loqui*, & bene ſentire, quam polite & ornate impia dogmata prædicare, & univerſam rem publicam chriſtianam perturbare, barbarismosque ac ſoleucismos committere, quam veram religionem, ſacras ceremonias, ritus catholicos, mores majorum abolere. *Antequam* enim *Germaniam bonæ literæ invaſiſſent*, pax, quies, tranquillitas, ſingularis gravitas Germanis aderat, conſtantia, modeſtia, ſtudia optimarum diſciplinarum, philoſophi non ignobiles, mathematici clariſſimi, Theologi egregii, religio admiranda, pietas eximia, felicitas ſumma: Nunc omnia in diverſum cecidere, pro pace bella, pro quiete tumultus, pro tranquillitate tempeſtas ſucceſſit. Quæ civitas pace fruitur? imo quæ domus domeſtico bello non ardet? diſſentiunt viri cum uxoribus, patres cum filiis, fratres cum fratribus; Domini cum ſervis pugnant; hic permanet in fide catholica, hic ad hæreticos deflexit: hic catholicus Chriſtianus eſt, ille Lutheranus. In qua regione pro legibus, rapinæ, latrocinia, homicidia, caſtrorum everſiones exercentur, pro pudicitia ſacrarum virginum inceſtus & lupanaria, pro gravitate levitas & ſcurrilitas, pro diſciplina licentia, pro optimis artibus dicacitas & maledicentia, pro modeſtia, arrogantia, rixæ, & contentiones, pro integra religione hæreſis blaſphemiæ, pro vero cultu & ſacris ritibus ineptiæ, novitates execrabiles, pro felicitate ſumma miſeria. Sed *numquid hæc bonis literis imputabuntur? minime. Abſit ut bonis artibus nota talis inuratur*, quarum Profeſſores multi ſunt, qui in eximia pietate perſiſtunt, ac pro vera catholicaque religione propugnant. At increpandi ſunt ipſorum nonnulli, quod illis fuerint *abuſi*, quos ſcribis mox *nato Luthero penitus adhæſiſſe.* Grammatica enim & rhetorica poeſisque peregregiæ & utiliſſimæ artes ſunt & neceſſariæ: Veruntamen ſtudia earum ſapientem non efficiunt; quinimo & plurimi ab ipſis arrogantes & temerarii evadunt, ſi illis tantum incubuerint: nec mirum, cum doceant commode & congrue proloqui, concinne dicere, dictione oblectare, non autem res ipſas recte exiſtimare. Quamobrem (ut ſcis) *perantiqua fuit quæſtio: An ſtudium eloquentiæ Reipublicæ magis obeſſe quam poſſit prodeſſe?* definitumque eſt, *plus incommodi afferre ſolere, quam commodi, niſi cum ſapientia fuerit conjuncta.* Quod noviſſimo exemplo comprobarunt iſti, diſerti magis quam vere eloquentes Germani, qui Luthero ſe dediderunt: Qui ſi æque ſapientiam ac elegantiam ſermonis coluiſſent, non apud eos plus valuiſſet invidia in quosdam Theologos, quam reverentia veri & honeſti, non plus cupiditas vindictæ, quam religionis cauſa & amor patriæ. At ut furentes gladio, ita ipſi eloquentia abuſi, Germaniam cunctam in ſeditionem induxerunt: Cui facultati ſi parcius operam præſtitiſſent, & partem aliquam tribuiſſent ſapientiæ, neutiquam tanti ſceleris ſocietatem iniviſſent. Quamobrem *nequaquam aſſentior illis, qui contendunt, hoc ſtudium bonarum literarum oportunius eſſe ad veram Theologiam aſſequendam*, ſtudio diſciplinarum ſolidiorum, ſine quibus conſtat myſteria plurima in ſacris literis contenta nullo pacto capi poſſe, defendi autem multo etiam minus, ſi impugnantur ab hæretico quopiam, aut a religionis contemptore. Accedat diſertiſſimus Rhetorum, Gram-

Grammaticus diligentiſſimus, Poëta ingenioſiſſimus, & omnes eloquentiæ nervos contendant, poterintne profundiſſimum myſterium Trinitatis, ἐμοούσιον, videlicet, tres perſonas unam tantum rem eſſe, ex parte quapiam explicare? Quomodo illud verum eſſe poſſit: *Ego, & Pater unum ſumus*, cum ſint perſonæ diſtinctæ: *Philippe, qui videt me, & Patrem meum videt.* Aut illud: *Ego in Patre, & Pater in me eſt:* Aut declarare, quomodo nectantur duæ naturæ tam diſpares, divina videlicet & humana, in una Perſona Chriſti: Docere, ut non repugnet, corpus Chriſti ſimul eſſe in cœlo, & tot in locis ſub ſpeciebus myſtici panis & vini: Et quomodo potuerit Chriſti corpus exire ſepulchrum, lapide magno oſtium obſtruente: Subire cœnaculum januis clauſis: Et quomodo in rebus creatis, poſita divina providentia & prædeſtinatione, pleraque fiant contingenter: Ac plurimas alias ſimiles quæſtiones intellectu difficillimas, diſputare, exponere vitiorum ac virtutum diſcrimina, ſcelerum ac erratorum ſpecies. Sed quid moror in re nimis per ſe dilucida, cum infinita ſint in ſacris literis, quæ abſurda repugnantiaq; videantur, niſi ea diſciplinarum intelligentia diſtinxeris, & explicaveris: *Quod præſtare valebit & balbutiens Philoſophus, ſimiliter & Theologus*, ubi facundiſſimus Rhetor aut obmuteſcere cogatur aut ineptias effutire. Sed ut *pediſſequas eſſe ſacræ Theologiæ omnes bonas artes, cunctas diſciplinas*, nemo eruditus negaverit, ſic *eloquentiam* commodam illi eſſe certum eſt, opportuniorem tamen ad edocenda & exprimenda theologica, quam ad ſcientiam ipſam comparandam. At Philoſophiam tum ad hanc comparandam, tum ad illa explicanda prorſus neceſſariam eſſe, conſtat: Tametſi non inficiemur, *quandam rudem theologiam* poſſe ſolo adminiculo iſtarum artium læviorum comparari: Qualis eſt, qua res geſtæ narrantur, parabolæ & hujuscemodi generis plurima traduntur. Sed hæc *non exacta theologia, ſed craſſior eſt*, utpote, qua myſteria non capiuntur, quæſtiones non diſſolvuntur, ambigua non enucleantur: Et eſt tamen hæc ad pietatem & ad movendos affectus accommodata.

Quapropter *mihi nec ſententia eorum probatur, qui putant, ſacras literas in univerſum cunctis paſſim communicandas*, ac prophanandas eſſe, explicatas quocunque idiomate, plebejo etiam & barbarico, ut habeat tam rudis & idiota quam doctus & prudens unde illas legere poſſit, à quibus veram doctrinam Evangelicam addiſcat & ſincera religione imbuatur. Quamvis enim plurima ſint in ſacris literis, quæ cuicunque ordini nonniſi commoda eſſe poſſunt: Sunt enim multa plana, quæ à quolibet puſillo & ignaro capi poſſunt, ſaltem pinguiori minerva plurimum erudientia & permoventia: Sunt tamen in illis & pleraque alia abſtruſa & nimis involuta atque implicita, quæ ingentia myſteria complectantur: Sunt & quædam ambigua, lubrica & verborum quodam volucro perplexa. Quæ quidem niſi diligenter perpendantur, niſi ſcite & docte conferantur, & explicentur, longe plus oberunt indoctis & ineptis quam prodeſſe valeant ſi ab ipſis legantur. Quod animadvertentes *antiquiſſimi Hebræi*, penes quos ſolas ſacras literas fuiſſe certum eſt, eas habita ætatis hominum, & perinde judicii ratione diſtinxerunt, *portionem quandam duntaxat permittentes imbecilliori ætati legendam*, quam illi videlicet congruere judicarunt, *cum alia prohiberent, quæ tantum perfectis legere permittebant.* Ut enim in alendo corpore, & ſi quidam cibus communis quoquo modo utilis eſſe poſſit omnibus, non tamen omnis alimonia, omne obſonium, quod hominem alere valeat, omni ætati, omni corpori, & omni hominis ſtudio idoneum eſt: Sed lac quidem infantibus accommodatum, ſolidior autem cibus adultis, humidior ſenibus, tenuior delicatis, craſſior robuſtis. Ita in alendo ſpiritu, etſi in ſacra Scriptura quidam ſit ſpiritualium cibus omnibus communis, non tamen omne genus alimenti in ipſa comprehenſi congruit omni ſpiritui, ſed quod alicui aptiſſimum eſt, alteri nocentiſſimum. Quod Paulus Apoſtolus agnoſcens ſcribit ad Corinthios: Quaſi *parvulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam, nondum enim poteratis, ſed nec nunc quidem poteſtis &c.* Et rurſum: *Sapientiam autem loquimur inter perfectos.* Et ad Hebræos: *Facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo: Omnis autem qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis juſticiæ: Parvulus enim eſt.* Et rurſus ad eosdem: *Perfectorum autem eſt ſolidus cibus eorum, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali.* Quam expreſſe his verbis docet, non eodem cibo ſpirituali alendos eſſe omnes Chriſtianos. Scribebat enim Paulus illa Corinthiis & Hebræis fidelibus, & jam pridem converſis, ſed quibusdam lac tenue convenire, aliis ſolidiorem cibum. Hoc idem & ipſe ſervator noſter Jeſus Chriſtus expreſſius declaravit, tum inſtituto, tum exemplo. Turbis enim & plebi in parabolis loquebatur; diſcipulos autem & Apoſtolos apertius quædam edocebat. Quod cum admirarentur Apoſtoli, ut refert Matthæus, percontati ſunt Dominum, cur in parabolis loqueretur illis? quibus reſpondens ait: *Eo quod vobis datum eſt, noſſe myſteria regni cœlorum, illis autem non eſt datum &c.* Attamen *nec ipſis tam experte ab initio* eſt locutus, *ut deinceps*, ſed quædam ſervavit aperienda usque ad noviſſimam mortis horam, peractis illis ſanctiſſimis epulis ſpiritualibus, alia poſtquam à mortuis revixiſſet, & plurima usque quo miſiſſet paracletum. Quod manifeſtiſſime declarant verba ipſius apud Johannem, cum ait: *Hæc in proverbiis vobis locutus ſum, venit hora, quando non jam in proverbiis loquar vobis*, id eſt, non ſum locutus vobis explicite, ſed in parabolis, quia ſic expediebat. Non enim tunc valuiſſetis portare illa, nunc autem expedit ut apertius loquar vobis, jam idoneis ad illa capienda. Et rurſus apertius cum ait: *Adhuc habeo vobis multa dicere, ſed non poteſtis portare modo, cum autem venerit ille ſpiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Hæc dicebat illis, qui quanquam erant non ſolum baptizati, ſed etiam ſacerdotes inſtituti & Sacramento corporis ipſius & ſanguinis tunc ſanctificati, diſcipuli Chriſti imo electi Apoſtoli: Tamen à tanto Magiſtro uti adhuc non idonei ad majora myſteria, de pluribus dogmatibus divinis non imbuebantur. Plurima enim ſupprimebat ſapientiſſimus Magiſter, donec acciperent ſpiritum veritatis, ut donum ſcientiæ & intellectus. Quæ cum ita ſint, putabimus *non omnem ſacrarum literarum ſapientiam rudi plebeculæ*, morionibus & mulierculis, *paſſim legendam convenire*

nire tradi. Quam si legerint, quomodo portare valebunt? Cum prorsus ignavi sint & ineptissimi ad divina mysteria intelligenda, cum Apostoli antequam dono scientiæ & intellectus illustrarentur illa capere non valuerint à tam perito Doctore? Ex quo rudium hominum genere etsi quidam, peculiari dono, proficere quoquo modo possent, pertpicuum tamen, quod quamplurimi læderentur, propterea quod tam dispar cibus ab eis concoqui non valeret, quamobrem plurimi cruditate perirent. Non enim tutum est omnibus sulcare mare, pontum navigare, sed vix peritis & expertis. Nam si nauta improvidus altum petat, periculum est, ne in scopulos ipsum impingat ac eis elidatur: Deinde in voragines incidat & syrtes, a quibus tandem absorbeatur, cum sese explicare nequeat. Vastum est autem & profundissimum Scripturarum mare: Infinitaque extant exempla, nec omnia longe petenda, eorum, qui ex stulta æquoris Scripturarum sulcatione errantes, jactatique, tandem in earum gurgitem immersi sunt. *Nec putandum, Paulum Apostolum*, etsi scriberet ecclesiis, *vulgo dirigere epistolas omnes, sed provectioribus*, Presbyteris & Præpositis, qui prout usus ferret, eas plebi & vulgo recitarent, simul & interpretarentur. Sic & in ecclesiis veteri instituto teguntur plebi diversæ portiones, tum evangelii, tum Scripturarum, exponunturque a Presbyteris & concionatoribus, *quibus vulgus convenit esse contentum, cui magis expedire videretur, sacros concionatores frequenter audire, sanctorumque commentaria quædam permoventia affectum, & quibus aliquid scripturarum explicatur, videre, quam sacras literas in eorum idiomate versas sine delectu legere.* Quid enim commodi capiet rudis & expers literarum homo, delirus senex, aut garrula mulier, ex lectione (exempli gratia) Apocalypsis Johannis, aut primi capitis Evangelii ipsius, cum cœlos exuperans illud tam altum intonuit: *In principio erat verbum & verbum erat apud Deum & Deus erat verbum &c.* sive *Epistolæ Pauli, in quibus quam plurima difficilia intellectu* continentur. Quod Apostolus Petrus animadvertens, ut nos hujus rei admoneret, sic in sua epistola secunda scribit: *Ut frater noster Paulus secundum sibi sapientiam datam scripsit vobis, in omnibus epistolis, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant &c.* Scrupulos enim & nodos plurimos offendere rudem hominem, qui illa legerit, oportet, a quibus mirum in modum lædetur. At esse quædam in scriptura, quorum lectio communis esse possit, cum nemini nocere valeat, compertum est: sed non idcirco sine discrimine scripturas omnes profanare oportet, sed potius quædam excipi, qualia nonnulla sunt, quæ sine crimine nemo ignorare potest, & quæ universis non nisi commodo esse possunt, & in quandam formulam redigi, tradenda communiter omnibus qui lectione oblectantur, ex qua eruditi & pasci eorum animus possit. Pudet enim dicere, quam multi sint Christiani prorsus ignari earum rerum, quas cognoscere obstringuntur, quos tamen non omnino condemnandos esse puto, dummodo *in fide ecclesiæ* ambulent, quamvis excusari non possint, quin gravissime negligentia peccent, cum ipsi, tum illi, ad quos ipsos erudire pertinebat. Sed *nec ob id universum scripturarum genus vulgo videtur esse disseminandum, nec margaritas porcis spargendum, nec sanctum* (ut dominus ait) *dandum canibus.* Quod si primi naturæ interpretes, & sapientiæ humanitus repertæ inventores, ne ipsam secretaque naturæ profanarent, illam fabularum involucris vel numerorum rationibus aut metaphoris, & ænigmatibus, aut dictione abstrusissima tradiderunt, ut iis tantum, quibus magnum ingenium contigisset, in illa versari liceret, tardiores autem arcerentur: Et *libri Sybillini*, apud Romanos non vulgo legebantur, sed prudentibus viris quibusdam, ad id munus delectis, perspiciendi permittebantur. Quanto magis convenit divinæ sapientiæ sacras literas non attrectari nisi ab iis, qui ad illas capessendas sint idonei. Quod cum apertum sit, indoctum vulgus ad id non esse aptum, nec illi esse tradendas, nemo debet dubitare. Quod si secus fiat præter cætera ex hujusmodi tractatione hoc proveniet incommodum vel maximum, quod omnis reverentia sacrarum literarum peribit. Domestico enim usu & familiaritate, ipla divulgata doctrina, contemneretur ab iis, & de illis pro suo quisque sensu, quo multi plus æquo abundare sibi videri solent, judicare auderet. Permagna est quippe vulgi temeritas, ingens imperitorum arrogantia. Quapropter æque differere, æque statuere de divinis dogmatibus putabit agricola & coquus sibi licere, modo Scripturas lectitaverit, æque stupida anus & cerdo ac doctissimus Theologus. Ut illud taceam, quam nullus honos haberetur eruditioni, clarorum virorum nulla esset autoritas. Quæ si quis alta mente consideraverit, is *potius statuet multa esse tegenda, & indignis occultanda, quam cuncta cunctis propalanda.* Non enim ab re sacri *Prophetæ* tam abstruse & obscure oracula sua pronunciarunt, nec temere *nomen mysteriorum sacris ritibus inditum* a majoribus fuit, sed ut vel solo nomine declararetur, sacra minime esse profananda. Sed ad propositum jam redeamus.

Tanto igitur *Philosophiæ studia quam eloquentiæ præstantiora sunt*, quanto *utilius recte sentire, quam commode loqui*, sapientem esse quam disertum, uti ratione quam lingua. Taciti enim, muti, elingues, sapientes esse possumus: Absque rerum vera cognitione, sine Philosophia nec homines quidem nisi nominis communicatione esse valemus. Ne igitur præposterе rebus utamur, *serviat* vox rationi, *eloquentia Philosophiæ*, sit ejus organum vel condimentum: Nec par est jactura in obsonio, pati ob condimentum. Sapientia felicitatem assequimur, elegantia sermonis nequaquam. Pythagoras *Philosophiæ mysteria* voce non scripta, *ut essent occultiora*, tradebat, & *silentium sapientis Professoribus indicebat*, non quomodo loquerentur docebat. Etsi enim pulcherrima res sit eloquentia, percommodaque ad civilem vitam, interdum tamen obest ejus studium sapientiæ: Cum imbecilla mens mortalium, multiplicibus rebus, præsertim tam diversis, non valeat æque intenta esse, ac si uni tantum incumberet. Unde fiat oportet, ut quod uni tradideris alteri detrahas. Avocari enim necesse est, qui plus æquo indulserit ei, a causis naturæ divinisque rebus contemplandis, ad linguæ proprietates, vocabulorum derivationes, elocu-

elocutionis observationes annotandas, ad Ciceronis colores, & Quintiliani præcepta imbibenda: Itaque a rebus maximis ad verba, a seriis ad ludicra, a veris ad apparentia transibit, historicos pro Philosophis, Ethnicos poëtas pro Theologis, fabularum scriptores pro gravissimis disciplinarum autoribus, legere cogetur. Quamobrem nisi *caute & sobrie* hujuscemodi studiis opera navetur, profecto jactura lucro non pensabitur, quod in proverbiis sapientis Salomonis his verbis comprobavit: *Qui tantum verba sectetur, nihil habebit, qui autem possessor est mentis, diligit animam suam.* Valebit quidem sermonis volubilitate, rerum autem notitiam aut nullam aux exilem comparabit, licet *isti loquacitatis Professores* sui esse juris arbitrentur, de omnibus rebus differere, putantes, eo quod sermo in omnibus rebus versetur, oportere qui verbis abundet, hunc omnium quoque rerum notitiam habere; fierique non posse, cum texere quisquam orationem & vicissim in partes suas dissolvere valeat, qui sensum ipsius non percipiat. Ad summam, isti omnes disciplinas sine magistro, se assequi posse arbitrantur. Et bone Deus, quid non audent profiteri? Quid sibi non arrogant *literatores isti & Grammatistæ*, qui modo quatuor dictiones græcas interpretari valeant, & clausulas aliquod sonoras claudere, disciplinas docere quas nunquam didicerunt, audent. De omnibus rebus libros scribere non verentur magnificis titulis prænotatos, quos fere edunt antequam scripserint, scribunt priusquam conceperint, in quibus tamen nihil propemodum nisi nugas & verba inania, nihil succi, nihil solidi reperias. Quid enim effundere possunt, quamlibet vehementer exprimantur, inflati utres, nisi ventum & inane? Quid proferre de studiis sapientiæ, qui tantum voces eorum quasdam agnoscunt, ut picæ, ut psittaci, dictiones, quas longo usu didicerunt, quas tamen quanto sæpius proferunt, tanto minus intelligunt. Attamen ipsi *omnes minus eloquentes rident, contemnunt, etsi Philosophi exactissimi sint Theologique sapientissimi, indignosque putant sacras literas attrectare, eo quod trilingues aut saltem bilingues non sint.* Quamobrem & id munus ipsi usurpant, sacrasque literas æque arroganter interpretantur ac si Æsopi apologos, aut Aristophanis fabulas tractarent. Sed intumescant sane arrogantia, invidi saltem & ingrati esse desinant. *Qui cum bonas literas ab Italis fontibus hauserint*, quod velint nolint fateri coguntur, cum tantopere *nomen Italicum* exhorrescant ac *Romanum* ferre non possint: Cui tamen parcere debuissent, vel ob ipsius Majestatem, vel quod deliciis tantum Romanæ linguæ ipsi belli esse videantur. *At prædicant bonas literas ex Italia ad Germaniam migrasse.* Quod Romani, ut verum non esse contendunt, sic gaudent, illas propagatas esse & Germanos earum effectos esse participes. Dolent tamen, quod non æque gravitatem & *judicium* inbiberint *Romanum & sapientiam Italicam*, ut sermonis elegantiam. Quod si fuissent consecuti, ad Lutheranam certe impietatem nunquam deflexissent. Quo factum est, ut ex uno hæretico Martino jam plures extiterint, plurimis tamen in dogmatibus minime inter se consentientes, ut moris est hæreticorum, teste Hieronymo. Quo grege coacto, & nunc apud Germanos evenisse perspicuum est, quod ecclesiæ eventurum in epistola Apostolorum Princeps prædixerat his verbis: *Sicut vero fuerunt & Pseudo prophetæ in populo, ita & in vobis magistri mendaces erunt, qui introducent sectas perniciosas, & multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur.*

Sed istos, inquis, *Theologorum quorundam superbia, sacerdotum perditissimi mores, Monachorum quorundam hypocrisis & insolentia*, in hunc Labyrinthum inextricabilem conjecit, cum tamen minime putarent, in ipsius negotii exordio rem eo seditionis & tumultus evasuram. Credo equidem plurimos imprudentes in has voragines incidisse, qui *sibi initio hoc tantum proposuissent, ut hac via Theologorum quorundam pertinaciam atque arrogantiam infringerent, qui quicquid ipsi ignorant, uti suspectum accusant, male sonare dicunt, hæreticum sapere prædicant.* *Non* igitur *inficior, quosdam Theologos sibi ipsis nimium placere, & hoc titulo plus quam decet gloriari insulsos homines, ineptos & morosiores.* Nec inficias ibo, *multorum Sacerdotum corruptos esse mores, & magna ex parte recessisse ab illa veteri & severiorum sanctorum Patrum disciplina, plurimosque perditissimos esse homines, nihil sacerdotis habentes præter nomen & characterem, ipso honore ipsoque munere prorsus indignos: & nonnullos Monachos pravos & elatos esse ac fere omnia præposterе agentes*, assentior. Sed quid tum? annon sunt multi modestissimi Theologi & plurimi Sacerdotes optimi, & monachi sanctissimi? Quod si pravorum invidia *vestrates isti bonarum literarum professores* tam inflammati erant, ut se continere non possent, qui eorum probra & ineptias insectarentur & illuderent, cur hoc contenti non fuerunt? Hic enim sermo, hi conatus, hæ voces non admodum piorum hominum aures offendissent, cum nemo inveniatur pia mente præditus qui periniquo animo ferat, *Sacerdotes multos, qui morum magistri esse debent populis, & quorum innocentia, nitore vitæ, splendore virtutis, cæteri omnes in Christiana disciplina continendi dirigendique sunt, turpissimos esse, inquinatissimos, cunctisque sordibus atque probris obvolutos, quorum avaritia inexplebilis est, ambitio infinita, libido effrænata, sacra & divina omnia contemnentium:* Quis enim non angatur animo cum videat *salem* datum ad condiendas animas *infatuatum esse*, lumina mundi obtenebrata, *duces itineris* ad cœlorum regna perducentes *obcæcatos*, pastores, gregem e vallibus imis ad sublimes pastus atque cœlestes educere debentes, in diversum omnia facere & ad aridissima quæque & prærupta, aut cœnosissima loca & paludes perducere, in quibus greges suffocentur. *Nemo* enim *est recti amator, quin hæc defleat, & sacerdotum reformandos esse mores existimet, quin omnibus votis exoptet, ut omnia ad pristinam disciplinam sanctissimarum legum & canonum revocentur.* Quod præstabit Deus optimus maximus cum sibi videbitur magis opportunum. Si enim hoc prædicasset Martinus, si hoc socii ejus egissent, & sibi hanc censuram arrogassent, & si immodestius, licentiosius ac etiam procatioribus verbis egissent, a probis tamen viris quoquo modo excusarentur, putantibus zelo quodam bono permotos, carceres modestiæ ac legum terminos excessis-

se. Sed, proh nefas! corruptis sacerdotum moribus pepercere, quibus ipsi nihil movebantur, dignitati autem, autoritati potestatique ipsorum bellum indixere, quin etiam legibus ipsis, quibus mores atque disciplina omnis continetur. Quanquam id non puto prioris fuisse instituti horum literatorum, qui se impudenter Luthero addixerunt, paucis exceptis furiosis, & eo forte nequioribus, quod jam à norma vitæ ab ordineque suo defciverant, antequam Martinus deficeret: Qui in ipso malorum initio, cum primum se gratiosos multitudini, & plausibiliter scripta sua excipi cognoverunt, effigiesque ipsorum tabellis undique per Germaniam circumferri, superbia turgidi in catholicam ecclesiam conjuraverunt: Et is ante omnes, cujus illud fuit elogium *Jacta est alea*, vere jacta ad confundendum universam Germaniam, ad evertendam omnem ecclesiasticam dignitatem, & ad religionem perdendam. Hac mente, hoc animo, sanxerunt fœdus, *Lutherus* furiosissimus, ac *Huten*, facundus quidem alioquin & acuto ingenio, at insolentissimus homo & turbulentissimus, ad omneque facinus accommodatus, Catilinæ socius aptissimus, si ejus temporibus vixisset, ut ex ejus gestis & scriptis deprehendi potest. Quamvis hæc conjuratio illa Catilinæ tanto iniquior & execrabilior perspicia-tur, quanto scelestius; & magis impium est, universum orbem quam unam urbem inflammare, Christianam religionem evertere, quam statum unius civitatis immutare, catholicæ ecclesiæ & Christiani populi pacem exscindere quam Remp. Romanam perturbare. Sed *facem illam* jam Dominus e medio sustulit. Illo igitur & paucissimis Apostatis similibus exceptis, perpaucos initio tot mala puto mente concepisse: Quorum tamen culpa non potest excusari, quia ne tunc quidem resipuere, cum Lutheri furor ad quantam perniciem spectaret, animadverterent, & quam longius procederet, quam ipsi putassent, quorum partes erant sic Martinum cohibere: Amice siste gradum: Jam non in mores Sacerdotum inveheris, sed sacram religionem invadis: Tantæ nos perfidiæ participes nunquam efficies, qui te impium non putabamus sed audacem. Quod nobis usui esse poterat, pugnantibus cum Theologis quibusdam arrogantibus ut nacti ducem opportunum, vehementem scilicet & temerarium, ac omnino illis simillimum, commodius dimicaremus: Jam nimium eveheris, sublimiora petis: Cognoscimus nihil tibi pensi esse, modo nomen magnum compares & Pontificem Maximum, quod te damnaverit, ulciscaris. Nos enim quos tibi jocularis propemodum causa conjunxerat, jam magnitudo negotii a te sevocat, religionis causa, fides, pietas ipsa sejungit. Christiani sumus, Orthodoxi, non didicimus politiores literas, ut in tantam perniciem illis abuteremur, non in obsequium tuum sed Christi: nolumus illas tanta impietate diffamare. Quamobrem nisi tu quoque resipisces, quos in joco sodales habuisti, eos jam senties in re seria & tanto discrimine hostes acerrimos. Quod tantum abest, ut isti præstiterint, ut semel lapsi, quanto magis hæreticum Martinum delirare cognoscerent, tanto pertinaciores in eo tuendo fuerint. Quod *tribus puto potissimum de causis* evenisse. *Una*, quod turpe putarent, eas partes deserere, quas semel suscepissent, ac sibi esse dedecori, mutare videri sententiam: Quam notam ita nonnulli reformidant, ut dum illam evitant, sæpe indecentissima faciant & patiantur. Ita fit ut dum tenaces constantesque videri volunt inconstantissimi evadant. Adversus enim propriam sententiam multa dicere & facere coguntur, ut alienam tueantur. *Altera causa* est *exulceratus quorundam animus in sacerdotes omnes & invidia quædam inexplebilis in cucullatos cujuscunque generis, odium quoddam intestinum in sanctæ sedis Apostolicæ dignitatem. Postrema*, quod nonnulli plurima ex placitis Lutheri probabant. Frequenter enim evenire solet, ut studio sua defendendi homines, plurima etiam aliena, quæ animo prorsus improbant, tutentur. His igitur de causis existimantur isti obstinacius in Lutherana perfidia perstitisse. At profecto illud est admiratione dignum, *istos in universum tam esse infensos Monachis & Sacerdotibus, Theologisque & Apostolicæ dignitati.* Etsi enim *quorundam injuria provocati* essent, injustissimum tamen fuit in universum genus sævire, & plurimis injuriam facere, ut de paucis justas pœnas assumerent. Cunctos enim ordines eorum hominum qui religiosi dicuntur, insectantur invidia inexplebili, omnes Sacerdotes perditos cupiunt, Apostolicam autoritatem penitus abolere contendunt.

De quibus rebus ut nonnulla verba faciamus, & primum *de Monachis*, libenter ab istis audirem, quidnam sit in horum vita, quod ipsi tantum oderint, abhorreant, detestentur? Utrum accusent *vivendi formulas*, quibus ad præscriptum ii vivunt? An quod illis abutantur, earum professores, corruptissime viventes. Qui si utrumque à se dicerent improbari, profecto qui eas *institutiones* damnat, is M. Basilium, Augustinum, Benedictum, Franciscum, viros sanctissimos partim & doctissimos, ipsarum autores improbat. Quo si parum isti moventur, qui sanctos omnes contemnunt, præter Apostolos & Martyres, quanquam ne his quidem omnino parcunt, reddant tamen rationem, cur sanctas *institutiones* condemnent? Quod pravæ & adversæ sunt bonis moribus? An quia supervacaneæ & superstitiosæ? At neutrum horum dicere & afferre possunt, cum Evangelium & sacras literas recipiant, manifestissimumque sit *ex ipsis institutis* nihil in eis turpe contineri. Quid enim *in ipsis normis* decretum est, quod non ex fonte sacrarum literarum haustum sit? quid sonant aliud nisi aut dominica præcepta aut consilia? quid monent, quid docent, nisi ut illa serventur quæ ab illis statuuntur, & quæ ad eorum observationem conducunt? Si castitatem, cælibatumve quem viri isti profitentur, condemnant, Paulum accusent, qui verbo & exemplo illam mirum in modum comprobavit. Ait enim ad Corinthios scribens: *Volo autem vos omnes esse sicut me ipsum: Dico autem non nuptis sed viduis, bonum est illis si sic permanserint sicut & ego.* Et rursus. *Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem.* Item & alio loco: *Qui sine uxore est sollicitus est, quæ Domini sunt quomodo placeant Deo, qui autem cum uxore sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeant uxori, & divisus est.* Et rursus: *Qui virginem suam non jungit matrimonio melius facit quam qui jungit: Beatior erit vidua si sic permanserit, secundum meum consilium: puto autem quod ego spiritum Dei habeam.* Accusent cæteros quo-

que

que Apoſtolos, poſtquam in collegium illud cooptati ſunt; Maxime autem Johannem Evangeliſtam, perpetuæ virginitatis exemplar, Jacobum quoque fratrem Domini, Johannem præcurſorem condemnent: Jeremiam & Ezechielem, qui cœlibem vitam teſte Hieronymo duxerunt, ut Mariam Deiparam omittam & ſponſum ipſius Joſephum; quinimo & ipſum Dominum Jeſum increpent, laudantem eos qui ſeſe Eunuchos fecerunt propter regna cœlorum, ſubjiciens hæc verba, ut refert Matthæus: *Qui poteſt capere capiat &c.* Et qui virginitatem ipſam in ſuo mundiſſimo corpore conſecravit. Prætereo innumeros alios ſanctos poſteriores, Antiſtites, ſacerdotes, Monachos, Anachoritas, & alios Confeſſores, ac etiam Martyres quam plurimos, qui cœlibatum exactiſſime coluerunt, & maximis laudum præconiis celebrarunt, cujus tantus eſt nitor tantoque eſt virtus & præſtantia, ut nec paganos quidem & gentiles latuerit. Apud Romanos enim Veſtales virgines maxima habebantur reverentia: Apud Athenienſes cicuta epota caſtrabantur ſacerdotes: Apud Ægyptios pariter continentiſſimi erant ſacerdotes. Apud omnes gentes ſemper caſtitas commendata, & judicatum, maxime eam munditiem convenire ſacerdotibus, & illi hominum generi, qui divinis obſequiis eſſent addicti. *Apud Hebræos* quoque, quanquam is unus populus eſſet, qui nec ſervari poterat nec propagari, niſi ſobolis procreatione, ob idque *cœlibatus non æque commendabatur;* virginalis tamen privilegii fuit, ut ſacerdos qui cadaver virginis contingeret, non pollueretur, cum in contactum cæterorum mortuorum omnino infectus redderetur. Si *fortunarum omnium abjectionem & voluntariam paupertatem* damnent, ut Philoſophos taceam, qui plurimi divitiis egeſtatem prætulerunt, Apoſtolos omnes & Chriſtum damnant, qui eam verbo laudavit, & opere probavit, docuitque unam eſſe viam tendendi ad perfectum, capeſcendamque ab illis, quorum ordini non reluctetur, & illa eſſe gradiendum. Si *obedientiam* improbant pariter Paulum reprehendere poterunt, qui præpoſitis parere jubet, & obedientiam ſibi ipſi præſtari ab his qui ei ſubjiciebantur, voluit. Ad Theſſalonicenſes etiam ſcribens, ait: *Si quis non obedierit verbis noſtris, per epiſtolam hunc notate & non commiſceamini cum illo, ut confundatur.* Et Scripturam quoque increpent, quæ *obedientiam victimis anteponit.* Ut rationem ipſam naturalem præteream, quæ docet ſublata obedientia ordinem tolli, ſine quo nullus hominum cœtus, nulla ſocietas, nulla Reſp. conſtare poteſt. Niſi enim ſit qui præcipiat, ſint item qui pareant, ſtare ſocietas non valet. Porro eum qui liber ſit, ſubjicere ſe alterius poteſtati & formam ſervi accipere propter Deum, quis non laudabit? Si dominum Jeſum Dei Filium ſe ipſum exinaniſſe, & formam ſervi accepiſſe ut nos liberos redderet, & factum eſſe obedientem usque ad probroſam mortem crucis, conſideraverit. Accedit quod ſcriptum eſt: *Subjiciamini omni creaturæ propter Deum.* Et inobedientes vehementer ſcriptura deteſtatur. Jam vero ſi *in commune vivere* non probant, Apoſtolos pari ratione condemnabunt, qui hoc inſtituerunt faciendum eſſe iis, qui celſiora petunt. *Erant* etiam *illis omnia communia*, ut in Actis habetur ſæpe repetitum: Hæc enim fuit *primitivæ eccleſiæ conſuetudo.* Quid dicam de *Alexandrina eccleſia*, quam Evangeliſta Marcus inſtituit, nonne *in commune vivebat?* De qua tam multa Philo Hebræus in laudem gentis ſuæ commemorat. Si, quod *ſegregatim vivant monachi à cæteris mortalibus* acculantur, quid dicent de Elia, Eliſæo, filiisque Prophetarum, qui a populo ſejunctam vitam traducebant. Quid *de Joh. Baptiſta*, qui deſertum incolebat, *de Nazaræis omnibus legis*, & *M ſe*, qui eis vivendi formulam inſtitutam dedit? de tot denique millibus Monachorum, ſolitudinum Siriæ Ægyptique incolis, qui ad præſcriptam formulam vivebant? Ex quibus fuerunt Paulus Antonius, Hilarion, Macarius, Honophrius, & multi alii, cœleſtes magis quam terreni homines. Et hoc *in ipſius naſcentis religionis Chriſtianæ initiis.* Non igitur nova ſunt hæc, non ſupervacanea, non ſuperſtitioſa, quæ à Sanctiſſimis Patribus divinitus inſpiratis inſtituta ſunt, deſcriptis inſtitutionibus quibus commodius divina conſilia ſervare poſſent ii, qui ad perfectum tenderent, terrenis deliciis renuntiantes: Sed ab ipſis incunabulis Chriſtianæ religionis inſtituta. Ad quam tamen vitam nemo invitus compellitur, ſed iter monſtratur volentibus, ad cacumen virtutis perveniendi. Ut non ſatis mirari valeam, qua fronte *nova hæc ſchola bilinguis Theologorum* ſacratiſſimos religioſorum ordines hæreſes quaſi *ſectas* audeat appellare, ut aliquid de ipſorum auctoritate detrahat, quas ſemper *à Chriſto damnatas eſſe* confirmat, eo argumento, quod ſæpe *Phariſæos* increpaverit. Quod quam leve ſit atque futile, docet Paulus, qui ſe defendens apud Feſtum Præſidem Romanum Agrippæ Regi dixit: *Secundum certiſſimam ſectam noſtræ religionis vixi Phariſæus.* Et ad Philippenſes ſcribens: *Ego,* inquit, *ex genere Iſrael de tribu Benjamin ſecundum legem Phariſæus &c.* Nec usquam comperies Dominum Jeſum *ordinem Phariſæorum ſectamve* improbaſſe, ſed *eorum depravatam vitam, hypocriſin, ac perditiſſimos mores incuſaſſe*, at approbaſſe potius, cum ex eorum ordine nonnullos diſcipulos delegerit, ut Joſephum & Nicodemum, quos dignatus eſt miniſterii ſui ſacratiſſimi corporis tumulandi. Ut taceam, quod *ex eorum placitis quædam confirmavit*, ut reſurrectionem mortuorum: Et quod *Gamaliel* Phariſæus fuit qui in conſeſſu Judæorum magnopere favit Apoſtolis, ut Acta teſtantur. Quod ſi Chriſtus ſeparatam vitam ducere damnaſſet, Johannem Baptiſtam, quem præ cæteris omnibus Prophetis laudavit, & diſcipulos ejus improbaſſet, *legisque* omnes *Nazaræos.* Ad præſcriptam igitur formulam vivere, duminodo ea recta ſit, & ſequeſtratam vitam ducere, atque ad Domini conſilia ſervanda ſe obſtringere, nequaquam reprehendendum eſt ſed laudandum. Si enim ſervari poſſunt per liberum arbitrium, quamobrem non licebit ſeſe obſtringere ad ea peragenda, quæ optima ſunt, & opitulante divina gratia perfici poſſunt? Si enim *Nazaræis* licuit ſe vini uſu & aliis pluribus rebus, in lege communi non vetitis, voto privare: Si licuit idem *Samueli*, ſi licuit *Johanni Baptiſtæ*, non ſolum pane & vino perpetuo abſtinere, ut teſtatus eſt Dominus per Lucam in Evangelio: *Venit autem Joh. Baptiſta, neque manducans panem neque bibens vinum &c.* Si licuit

cuit *Jacobo fratri Domini* neque vino neque carnibus unquam uti, ſed illas ſemper ſibi interdicere, poſt Domini triumphum ut de eo teſtatur Egeſippus, autor probatiſſimus, Apoſtolorumque temporibus proximus: *Cur non licebit monacho ſibi carnes & alia id genus prohibere, & ad jejunia ſe obligare*, quæ tot teſtimoniis ſcripturarum comprobantur? jejunavit enim Chriſtus ſervator noſter quadraginta diebus, jejunavit Moſes, inſtituit etiam legem jejunii in die expiationis, jejunavit David ſeptem diebus, audita morte Saulis, jejunavit pariter cum infans ejus ex Berſabea ægrotaret, & jacuit ſuper terram. Jejunavit Nehemias diebus multis: Eſther quoque & Mardochæus, filii quoque Iſrael in civitate Suſis juſſu ipſius. Jejunavit quoque Judith, ſuper lumbos habens cilicium: Jejunavit Achab Rex, & miſertus eſt Dominus ejus: Jejunaverunt viri Ninivitæ & veſtiti ſunt ſaccis, & Dominum placaverunt. Jejunavit populus Iſrael ſæpe, & propitiatus eſt ei Dominus. Jejunabant Johannis præcurſores diſcipuli ut Evangelium teſtatur. Clamat Joel: *Sanctificate jejunium, vocate cœtum, & exclamate ad Dominum.* Et rurſus: *Convertimini ad me in jejunio & fletu.* Jejuniis & orationibus Anna Prophetiſſa octogenaria ſerviebat Deo. Nocte ac die jejunavit Paulus & cæteri Apoſtoli & Diſcipuli Domini, glorificato ipſo, juxta illud, quod dixerat in Evangelio Marci: Futurum videlicet, ut cum auferretur ab eis ſponſus, jejunarent. Exclamat Pſalmographus: *Humiliavi in jejunio animam meam.* Et rurſus: *Gemua mea infirmata ſunt in jejunio.* Meminerunt & jejunii ſæpe Eſaias, Hieremias, & Zacharias. Probavit inſuper Dominus jejunium cum docuerit, quomodo ſit jejunandum, dicens apud Matthæum: *Cum jejunas unge caput tuum.* Et rurſus: *Cum jejunatis nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes &c.* Præterea & cum declaravit, quoddam genus eſſe dæmoniorum, quod non ejiceretur, niſi in oratione & jejunio. Exclamat Paulus ad Corinthios: *Exhibeamus nos in omnibus ſicuti Dei miniſtros, in orationibus jejuniis ac vigiliis.* In Actis quoque multis in locis jejuniorum fit mentio: *Jejunantibus illis & miniſtrantibus Domino.* Et rurſus: *Et cum oraſſent cum jejunationibus commendaverunt eos Domino.* Qui mos jejunandi perpetuo ſervatus & commendatus ab eccleſia fuit. Ut enim eccleſiaſtica refert hiſtoria, quod & Hieronymus teſtatur, cum à fratribus cogeretur Johannes Apoſtolus jam ſenio confectus, ut Evangelium ſcriberet ad convincendos hæreticos, qui in Eccleſias Aſiæ irruperant, ita ſe facturum reſpondit, ſi indicto jejunio in commune omnes Deum deprecarentur. Quo expleto, revelatione ſaturatus, in illud proœmium à cœlo veniens eructavit: *In principio erat verbum &c.* His igitur tot tantisque teſtimoniis abunde concluditur, *jejunia non eſſe damnanda*, nec eos, qui ſe ad jejunandum & orandum obſtringunt, ac proinde *religioſorum inſtituta vivendique formam non eſſe reprehendendam*, ſed omni laude proſequendam. Nam ſi dicant, *eſſe nonnulla moroſiora, quæ ſibi parum probentur*, tunc non incommode ipſis reſpondebitur, *eos nimis eſſe delicatos & faſtidientis ſtomachi, qui tam parvis rebus offendantur:* Cum forte nihil ſit inter mortales, tam exactum, tam perfectum quin quoquo modo corrigi poſſit: Si quis enim omnia ſcrupuloſius perpenderit, & ad vivum usque reſecaverit, inveniet ſemper quod reprehendat, & in quo dicere valeat: *Hoc melius ſe haberet, illud commodius eſſet.* Sed quid probare poſſit Momus, imo quid non vituperavit? *Oderunt*, diceres, *tot monachorum diſcrimina, tam varios ipſorum amictus.* Iterum dicam, nimis eos eſſe delicatos, quibus nauſeam faciant, quæ nec ſtomachum quidem movere deberent. Illud addo, iniquos eſſe humanarum rerum æſtimatores, qui accuſant varia vivendi inſtituta, in tanta ingeniorum varietate, cum nemo ſit mortalium, qui quosdam proprios & genuinos mores quædam propria vitæ inſtituta non habeat. Licet enim *ingeniorum diſcrimina* vel ex ipſis tam diverſis artibus, & ipſis vitæ generibus tam variis contemplari. Quamobrem *conſentaneum fuit in ſpiritali vita, formulas vivendi & inſtituta varia eſſe, ut cuilibet parata eſſet via, quæ moribus ſuis magis congrueret:* Siquidem ad regna cœlorum (ut Scriptura teſtatur) alius alia incedebat via. Conveniunt tamen formulæ illæ omnes in rebus majoribus & in ipſa quaſi ſumma, diſcrepant vero in quibusdam leviоribus. Propterea quod alia aliis magis conveniunt & cujusque moribus aptiora ſunt. Apud Patres Ægypti & Syriæ, & priores illos Monachos, *quotquot erant cœnobia quotque Abbates, tot erant inſtituta*, quoquo modo inter ſe ipſa diverſa, ut teſtatur Caſſianus, & alii qui de eorum moribus ſcripſerunt. Cum nihil igitur ſit quod reprehendere valeant in inſtitutis iplorum ordinum, ſi forte dicant, *ſe odiſſe* non vivendi formulas, ſed *homines perditorum morum, qui turpiter prætextu illarum vivant*, qui poteſt hujusmodi cenſura probari? Nam etſi quidam ſint in tanta turba, qui a recta via deflectant, iniqui tamen hominis eſt ex quorundam improbitate cunctorum mores & vitam exiſtimare. Conſtat enim in eodem cœtu plurimos perfectiſſimos viros eſſe, potius inter Heroes quam inter homines eſſe cenſendos. Sed *iſti* videlicet *cenſores non æque curioſi ſunt in virtutibus indagandis, ac in vitiis perquirendis.* At nobis duplicem natura oculum largita eſſe videtur, dextrum ut probanda ac laudanda proſpiceremus, ſiniſtrum ut turpia ac vituperanda. Sed quidam homines importuni velut orbati dextro lumine, virtutem cernere non poſſunt, nec viros perfectos, qui plurimi ſunt in ſingulis Monachorum ordinibus, quorum vel ſolum vita & exemplo intelligi poteſt, quam celſa, quam divina ſit Chriſtiana religio, cum ad eum perfectum ſtatum vitæ perducat, ad quem nulla humana diſciplina, nulla doctrina gentilis, Philoſophorumve præcepta perducere poſſunt. *Perſeverantia* profecto *in ea rigiditate diſciplinæ toto vitæ tempore*, vel ſola comprobari valet, ipſum genus vitæ ſummo Deo acceptiſſimum eſſe, cum facultatem humanam tranſcendat *hominem in carne præter carnem vivere.* Quæ inique obtrectatores non conſiderant, ſed omnia iniqui interpretantes odio, quos imitari nequeunt, proſequuntur. *Nullos autem religio atrociores patitur hoſtes iis, qui ab ea defecerunt:* Quod & in cæteris rebus accidit. Damnat enim unusquisque ſtudium quod deſeruit, & ne ipſe accuſetur, aut Syndereſi angatur, omnes condemnat qui illud proſequuntur. Maximum autem impietatis indi-

indicium eſſe videtur, odiſſe in univerſum viros, Chriſti militiæ, peculiari quodam auctoramento aſcriptos, vere Aminadab, quod interpretantur, qui ſeſe ſponte offerunt Deo, qui ſeſe tradiderunt in perpetuum ejus famulatum, ſolummodo ejus piis obſequiis intenti, cæteris rebus poſthabitis. Qui enim Imperatorem colit is profecto milites ejus non odit, ſed ducis reverentia etiam obſervat quos minus ſtrenuos cognoverit. At iſti hujusmodi vita cœleſti prorſus indigni cum ab ea defecerint, illam accuſant, & inſaniam eſſe deprædicant. Sed de his hactenus.

Nunc ad *Sacerdotes* venio: Quos iſti pari temeritate condemnant, eo magis accuſandi, quod ipſorum nonnulli ſacerdotio funguntur. Quo in loco mirari ſatis non poſſum *Lutheri* ſacrilegam inſaniam, *ſacerdotium omne tollere conantis, profanosque homines & laicos ſacerdotibus æquare.* Quod enim majus delirium, bone Deus! quid rationi magis diſſonum? quid ſacris literis, antiquiſſimæ conſuetudini, omnium Chriſtianorum mori & decretis, non catholicorum modo ſed etiam ſchiſmaticorum magis adverſum? Ex quo vel ſolo videre licet, quid poſſit livor, quid audeat malignitas conſummata. *Ut pontificis maximi autoritatem aboleat, ſacerdotes omnes catholicos*, quos *Papiſtas* per ludibrium appellat, *dejicit:* Ut autem eos excludat, omne ſacerdotium abjicit: perderiſumque eos *unctos* appellat; quaſi *ſacra unctio*, cum impoſitione manuum, divino inſtituto, perinde ſignum ſenſibile divini muneris inſenſibiliter collati, ut lotio æque in baptiſmo, cum verborum expreſſione eſſe non valeat. Quaſi in ſacri olei unctione myſteria contineri nequeant, ac ſi oleum uti profana res & polluta non eſſet in ſacris ritibus admittenda, immemor tot teſtimoniorum ſacri utriusque Teſtamenti, *oleum* in ſacris rebus comprobantium. Sed ut cætera omittam, nonne in Canticis habetur, *oleum effuſum nomen tuum?* Chriſtique nomen nonne *unctus* interpretatur? quid igitur *unctos* ludibrio habet? Sed aut fallor nec hominis ingenium recte novi, aut cito aderit tempus, cum palam æque ridebit ſacra unda lotos, ſycophanta impiiſſimus, quod nunc clam facit, ut aperte *unctos Sacerdotes ridet*, quaſi *ſacra unctio* non fuerit *divinum inſtitutum* de qua frequens (ut dixi) mentio eſt in V. Teſtamento, nec ſiletur in novo. Quanquam hoc inſaniſſimum dogma univerſo orbi Chriſtiano omnibus qui hoc glorioſiſſimum nomen confitentur, non catholicis modo & eccleſiæ Romanæ cultoribus, ſed & aliis qui propriis obediunt Patriarchis, adverſetur, *Æthiopibus, Abbaſcenis, Jacopitis, Cophtis, Armeniis, Neſtorianis, Georgianis, Moſcovitis*, & cæteris id genus *ſchiſmaticis Chriſtianis*, qui *omnes ſacerdotes unctos & ſacro ordine inſignitos à laicis diſcretos habent;* quæ gentes omnes & nationes, Syriam, Ægyptum, Mediam, Cappadociam, Perſidem, Bactrianam, Arabiam, Æthiopiam, Cyrenem, & Lybiam, Pontum & regiones illi proximas aquilonares incolunt. De *Græcis* nihil dico, cum eos in univerſum non exiſtimem ſchiſmaticos eſſe cenſendos. Ex quibus etſi nonnulli quandoque de quibusdam dogmatibus cum Latinis diſſenſerunt, *de Sacerdotio* tamen & *ſacris ordinibus, deque cæteris Sacramentis nunquam dubitarunt.* Quinimo ratum perpetuo ſanctiſſimum apud ipſos ſacerdotium fuit, & in majore fortaſſis reverentia quam apud ipſos Latinos. Nunquam enim à temporibus Apoſtolorum, cum tot & tantæ quæſtiones fuerint apud Chriſtianos de dogmatibus fidei, de hoc fuit controverſia, ſed cunctorum ſemper conſenſus, *ſacerdotium ſacro ordine a profanis eſſe diſtinctum.* Nec ab hac ſententia hæreticorum ſectæ, quorumcunque memoria maneat, diſſenſerunt. Quoniam appellati *Aëriani*, etſi *preſbyteros epiſcopis æquarent, nec diſcrimen eſſe inter Epiſcopum & minorem ſacerdotem contenderent*, quod & Arrius primum fecit, *non* tamen *profanos ſacerdotibus æquabant.* Quinimo nec ipſe *Wicleff*, ne quisquam *Uſitanorum*, quorum tum dogmatibus Lutherus magnopere ſibi favet, huc inſaniæ in dogmatibus excogitandis proceſſit. *Si* enim *Chriſtiani omnes ſacerdotes ſunt, & aliud nihil quam figmentum ſit ordo ille ſacer ſolaque fides aut baptiſma ſacerdotem facit, cum omnes baptizemur*, ſequitur, omnes ſacerdotes effici, & mulieres non ſecus atque viros. Quo quid poteſt abſurdius excogitari? Præterea efficitur, ut in noviſſima cœna, qua primum ſacramentum Euchariſtiæ inſtitutum eſt, Dominus Jeſus Apoſtolis nihil contulerit poteſtatis quod prius non habuerint, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*, cum longe antea ipſi fideles eſſent & baptizati, quinimo & munere Apoſtolico inſigniti. Si quis autem dicat, *in inſtitutione ipſius Sacramenti tributam eſſe poteſtatem conficiendi illud, quod antea non poterant, etſi baptizati eſſent*, cum illud prius non fuiſſet inſtitutum; ſed absque alio ordinis munere, illam nudam poteſtatem indiſcrete omnibus Chriſtianis paſſim fuiſſe collatam verbis illis: *Quotiescunque feceritis hoc, facite in meam commemorationem:* Si quis igitur hoc affirmet, pari ratione cogitur confiteri, cunctis absque diſcrimine commune fuiſſe, & vulgo omnibus tributam facultatem. Quam deinceps, cum videlicet à mortuis reſurrexiſſet, illis eisdem Apoſtolis ſacratiſſima illa afflatione contulit, cum verborum adjectione: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata &c.* Ut ſit conſentaneum dicere, *facultatem remittendi peccata pariter communem eſſe omnibus Chriſtianis, non autem quorundam propria.* Sed iſti quæ ſunt impudentia ne hoc quidem confiteri dubitabunt, cum afferre non poſſint, cur poſterius quam prius magis ad diſcretos & certos homines pertineat. At verborum Chriſti Servatoris ſenſus, & vis ipſa ac ſeries hujus ſermonis tali ſententiæ omnino adverſari percipitur, modo diligenter verba perpendantur. Si enim quilibet haberet æquam poteſtatem condonandi peccata, potius dixiſſet: Accipite ſpiritum ſanctum ad remittenda viciſſim peccata, quoniam quorum remiſeritis, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta erunt. Qua verborum ſerie declaraſſe conſtat, diſcrimen eſſe inter eos, a quibus tantum hoc præſtari debebat, & eos quibus erat præſtandum, judicesque delectos & diſcretos eſſe a reis, qui non valent eſſe judices, quaſi illis verbis dixiſſet: Vos vos inquam, quos populi mei inſtituo judices quos gregis mei volo eſſe paſtores; Accipite ſpiritum ſanctum, cujus virtute valeatis illum judicare, errata dimittendo aut retinendo, prout vobis expedire videbitur, ad eorum commodum & ſalutem. *Nec* enim

decuit

decuit eam potestatem sine discrimine omnibus tribui, quam non omnes exercere commode potuissent, decernentes, quibus merito essent remittenda peccata, quibus vicissim imputanda & retinenda: *Quod difficile est, & a paucis commode præstari potest; Non igitur illa facultas vulgo tribuenda, sed certis ad munus illud peragendum idoneis.* Rursus & alio argumento hoc idem confirmari potest. Quandocunque enim per aliquod signum sensibile divinum aliquod munus tribuitur, illis tantum tribuitur, in quos signum illud cœleste ceciderit, non autem cæteris etiam absentibus. Ut gratia baptismi confertur iis tantummodo qui loti sunt aqua; sacramentum Eucharistiæ conficitur ex eo tantum pane & vino, super quæ verba illa sacratissima prolata sint. *Potestas* igitur illa pari modo *dimittendi aut retinendi peccata* illis duntaxat tradita esse intelligi debet, super quos cecinit, sensibile signum illius tribuendæ. Cecidit autem *in discipulos solummodo*, dum insufflavit dicens: *Accipite spiritum sanctum &c.* Igitur *discipuli tantummodo illam potestatem acceperunt & non pariter absentes & omnes Christiani.* Ad hæc *facultas tradendi spiritum sanctum non passim omnibus Christianis tributa fuit, sed quibusdam & certis.* Quod plurimis testimoniis sacrarum literarum est compertum. Consentaneum est igitur certis & discretis personis facultatem dimittendi peccata vel retinendi conficiendique ineffabile sacramentum divi corporis & sanguinis Jesu, esse tributam, & non vulgo omnibus. Ut taceam, quod non decebat tam ingens mysterium profanari, tam viliter tractari, ut ignobilissimus ac ineptissimus quisque minister illius esse valeat. Abhorrent etiam hæc nimis a communi sensu, ratione penitus repugnant. Quod autem munus imponendi manus certis ministris fuerit commissum, testatur illud quod in Actis habetur: *Cum audivissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, Samariam recepisse verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Johannem. Qui cum invenissent eos tantum baptizatos esse in nomine Domini Jesu, nondum autem accepisse Spiritum sanctum, imponebant supra illos manus, & accipiebant Spiritum sanctum.* Et rursus in iisdem Actis a Paulo hoc idem factitatum esse traditur, qui Ephesi duodecim viris jam baptizatis in nomine Domini Jesu imposuit manus & acciperunt spiritum sanctum. Et rursus in eisdem Actis, Simon Magus in Samaria prædicatione Philippi Diaconi credidisse cum cæteris multis & baptizatus fuisse commemoratur, cum autem vidisset a Petro & Johanne per impositionem manuum Spiritum sanctum tribui, obtulisse pecuniam eis, ut sibi impartirentur eam potestatem. Quam emere ab eis non studuisset, si ipse baptismate illam accepisset. Quibus exemplis constat, illam in baptismate non tribui, sed certis ministris, Apostolis videlicet, fuisse tributam. Quod est propositum nostrum. Non tamen id munus eamque potestatem Apostolicæ dignitati tributam fuisse, declaratur ex hoc quod longe antea ad Apostolatum fuerant assumpti, quam potestatem acciperent manus imponendi. Hanc enim liquet eos accepisse jam glorificato Domino, postea quam iidem spiritum sanctum acceperant. Quem aliis impartiri non valuissent, nisi illius ipsi participes jam fuissent. Ac perinde constat, ipsos ea potestate præditos fuisse, potius ex ordine episcopalis sacerdotii, cum aliud in eis non possit assignari. Qua facultate cum careret *Philippus*, eo quod solum *Diaconus* esset (ut Acta testantur) non poterat, Samaritanis, quos sacra unda profunderat, manus imponere, & spiritum sanctum dare, ob idque Petrum & Johannem missos esse. Atque his quidem testimoniis apertissime convincitur, *imponendi manus facultatem non esse vulgo permissam omnibus Christianis, quinimo nec Diaconis quidem, sed quibus ordine quodam potioribus:* Quos *sacerdotes majores* nominare liceat per hæreticos, si concedere nolint alios sacerdotes esse sejunctos a profanis. Ex hoc enim saltem efficitur, quod ipsi cavillari non possunt, non omnes Christianos pares fuisse instituto divino in sacris ministrandis, neque recte ab istis concludi, quod quibusdam dictum est. *Hoc*, videlicet, *facite in meam commemorationem*, omnibus fuisse permissum, ac proinde nec sacerdotes divino instituto, aliquo ordine a cæteris Christianis esse sejunctos. *Impositionem manuum multiplicem fuisse*, hinc planum efficitur, quod in Actis *non* semper *unius* sed *duarum* fit mentio, *unius*, qua confirmabatur & incrementum suscipiebat gratia baptismatis, scilicet, qua spiritus virtute conferebantur dona linguarum & Prophetiæ, *alterius*, qua consentaneum est characterem sacerdotii fuisse collatum. De qua est in Actis, ubi narratur, Antiochiæ *Paulo & Barnabæ* segregatis in opus, ad quod assumserat eos Spiritus sanctus, antequam dimitterentur, *manus fuisse impositas.* Ait enim scriptura: *Tunc jejunantes & manus imponentes dimiserant illos.* Qua impositione aliquam facultatem eis tributam fuisse, par est, quam antea non habebant, opportunam, videlicet ad opus peragendum, ad quod a Spiritu Sancto mittebantur, quæ alia esse dici non potest, nisi quæ sacerdotibus vel Episcopis peculiariter tribuitur nisi figmentum aliquod excogitetur. Quo mysterio, cum id fuerit peractum Antiochiæ, in cujus ecclesia non aderant Apostoli, (ut Acta referunt) aperte declaratur, *non fuisse Apostolici muneris* (quatenus esset Apostolicum) *imponere manus, sed potius ordinis sacerdotii.* Loquor autem de altero genere impositionis, quoniam de priori, quo linguarum donum tradebatur, jam superius diseruimus. De quo genere posteriore sæpe Paulus meminit ad Timotheum & Titum scribens. Sollicitus enim Timotheum admonet, caveat ne temere cuiquam manus imponat. *Manus*, inquit, *cito nemini imposueris, nec communicaveris peccatis alienis.* Quod supervacaneum fuisset, si illis nullum munus injungeretur, nulla tribueretur facultas. De priore autem genere ipsum non loqui manifestum est: In eo enim delectus nullus requirebatur, quin promiscue omnibus imponerentur manus, modo crederent & baptizati essent in nomine Domini Jesu: Sed de altero, in quo par erat habere delectum, cum instituerentur sacerdotes, & proinde *judices retinendi aut dimittendi peccata. De qua sacerdotum & Episcoporum institutione* idem Paulus ad Titum Cretæ Episcopum scribens, plurima præcepta tribuit, & multa quam diligentissime statuit. De qua re etiam sollicitus Mileti, vocatis majoribus natu ecclesiæ Ephesi hæc verba protulit. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus*

Sanctus

Sanctus posuit Episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Quæ quidem non protulisset si *Episcopalis ordo* nihil esset aliud quam figmentum & tyrannis, si nullum esset sacerdotium, ut hæreticus iste asseverat, sed indiscrete quilibet profanus, quoad institutum divinum, idem posset quod Sacerdos & Episcopus. Atque his argumentis manifeste colligitur, certis viris esse peculiarem facultatem divino instituto tributam ministrandi sacra, ipsosque tantum prærogativa quadam institutos esse ministros, ad ea peragenda. Præterea efficitur, *Sacramentum confirmationis, quod impositione manuum episcoporum administratur, certum esse ac venerabile Sacramentum:* Quod tamen hæretici sicut sacerdotium *evertere conantur.* Sed licet ad hæc usque tempora sacerdotes sine controversia sacro ordine distinctos a profanis habuerimus, Lutherum tamen non pudet, Christianum populum ad Hæresiarchæ primævi Jeroboam, tam in Scriptura detestati, ac Ethnicorum gentilium morem in sacerdotibus instituendis revocare, sacerdotiumque perfectæ legis & gratiæ vilius reddere sacerdotio legis Mosaicæ, in qua delecti Sacerdotes & ministri sacrorum divino decreto fuerant instituti, cum tamen eorum sacerdotium typus tantum esset & figura sacerdotii Legis evangelicæ. Quod institutum Apostolus Paulus referens ad sacerdotium novæ legis ait: *Nemo assumat sibi honorem, sed sit vocatus a Deo tanquam Aron.* *Non* fuisse autem *sublatum sacerdotium lege evangelica* (etsi illud legis Mosi fuerit abolitum) *sed translatum*, idem Paulus his verbis ad Hebræos scribens, aperte declarat: *Translato enim sacerdotio, necesse est, ut etiam legis translatio fiat.* Quam ratum autem & honorificum optimus & maximus Deus voluerit esse sacerdotium, declaravit severissimo illo judicio, quo tam atrociter eorum temeritatem vindicavit, qui ausi fuerant, sacerdotalis dignitatis ac officii sibi partem arrogare, adversusque institutos sacerdotes seditionem populi commovere: qui partim terrifico miraculo dehiscente terra mox cum tabernaculis & omni substantia ipsorum sunt absorpti, cæteri, emisso cœlitus igne cum ausi essent thure libare coram omni populo conflagrarunt. Nec in fontes tantum sæviit ira Dei, sed etiam in eos est pervagata, qui interitum illorum deplorabant, & injuste Mosen & Aron accusabant, edita strage septingentorum & quatuordecim millium, (ut liber Numerorum testatur.) Confirmatumque deinde sacerdotium est portento illo mirabili virgæ Aron, non solum germinantis sed etiam amygdalas parturientis. Quod rursus & alio prodigio multis post seculis confirmatum est, Ozia Rege Juda munus sacerdotale usurpante, qui cum templum ingressus incenso adolere ausus esset, reclamantibus sacerdotibus, id non esse officii ipsius, statim est lepra correptus, qua donec vixit laboravit, & qui Rex Sacerdotium usurpare voluit munus Regium amisit. Nec illud prætermittendum est magnæ severitatis exemplum, quod in Ozia gestum est, cum manum ad arcam sustentandam admovisset, quæ inclinare videbatur, cum id sibi non liceret, eo quod sacerdotio non fungeretur. Percussus est enim à Domino ob temeritatem suam, & statim juxta arcam extinctus, ut liber Regum testatur.

Sed mihi non est propositum integra disputatione execranda furiosi Martini placita refutare, etsi obiter quædam attigerimus. Illa enim a compluribus præclarissimis viris copiosissime confutata & egregie redarguta sunt: At *nunc eos accuso, qui etsi sacerdotes agnoscant à profanis discretos, eos tamen invidia mirabili consectantur.* *Tria* enim mea quidem sententia *hominum genera* affectibus pravis permota *nomina dedere Martino.* Ut ii non connumerentur, qui ruditate, aut stoliditate quadam, quasi attoniti novitate rei, & blandis verbis pietatis videlicet speciem perferentibus allecti, concidere, vel depravatos Clericorum mores perosi primum Zelo quodam, sed qui non erat secundum scientiam permoti sunt. Quibus non incommode diceretur quod Paulus ad Galatas scribit: *O simplices & insensati Germani, qui tam bene currebatis: Quis vos fascinavit veritati non obedire?* Persvasio hæc non ex eo est, qui vos vocavit ad vitam: modicum fermentum totam massam corrupit: qui autem conturbavit vos, portabit judicium. De his igitur non loquor, qui levitate sunt seducti, sed de illis, qui odio, livore aut cupiditate, ultionisve desiderio aut impietate quadam permoti sunt. Quorum *primum genus* est illorum, *qui studium eloquentiæ studio sapientiæ præferunt*, de quo multa supra diximus, *propter bellum quod vigebat inter ipsos & Theologos: alterum* eorum est, qui *suapte natura osores* sunt *sacerdotum*, vel genuina quadam impietate, qua divina cuncta negligunt, & homines religioni præpositos sacrorumque ministros fastidiunt, qui ferre non possunt, eos fortunis abundare, honoribus fungi, autoritate pollere, libertate ecclesiastica perfrui: Quibus auget invidiam disparilitas vitæ, morum discrimina, studiorum diversitas. Ut enim harum rerum similitudine animi conciliantur, ita dissimilitudine sejunguntur. His de causis plurimi à sacerdotibus tam aversi sunt, quasi nesciant sacerdotes humanæ sortis esse participes. Tantumque est atrox dissidium, ut multis videatur, quicquid sacerdotibus commodorum dignitatisve tributum sit, id sibi ipsis esse detractum, tantoque obcæcantur livore, ut cogitare non valeant, hoc rationem dictare, & hoc apud omnes gentes, nationes etiam barbaras, tam esse commune, ut lege quadam naturæ institutum esse videatur, quod etiam omnibus seculis servatum est, *ut homines* videlicet, *qui sacris præessent, ipsaque administrarent, colerentur à cæteris commodisque dignitate & honoribus amplissimis honestarentur.* Antiquissimus enim *sacerdos Melchisedech* Dei altissimi, ante traditam legem, idem autem & *Rex* Salem. Apud Ægyptios *Reges* erant *sacerdotes.* Apud Hebræos primo instituto *idem sacerdos & Judex populi, penes quem summa rerum esset.* *Sacerdotes* enim erant *Moses & Aron* ut Psalmographus testatur, & *Samuel* inter eos qui invocant nomen ejus &c. Nam ab horum tempore, ut palam, ad Eli summi sacerdotis & Samuelis ministri ejus ætatem summa rerum & judicia ad sacerdotem deferebantur. Quinimo populo Israel declaravit Dominus quantum indignaretur, quod Regem peterent, utque sacerdoti summa potestas sublata alteri mandaretur, responso Samueli tradito his verbis. *Audi vocem populi, non te abjecerunt sed me, ne regnem super eos:* Expressioribus enim verbis explicare non potuisset, sacerdote rebus moderante, Deum per ipsum, uti per ministrum propriium, in

populo regnare: Et qui detrectant ſacerdotis principatum, hos imperium Domini detrectare. Quæ poteſtas, tempore Regum intermiſſa, ab ipſis Hebræis ſacerdotio reſtituta eſt tempore Mathatiæ ſacerdotis & Machabæorum Principum. Quæ demum ſublata ipſis fuit àRomanis, accedente tempore translationis ſacerdotii & adventus illius magni ſacerdotis æterni, ſecundum ordinem Melchiſedech. Tamen poſt etiam ſuſceptos Reges, ſemper fuit ſacerdotibus præcipuus locus. Apud Romanos ſacerdotii maximam dignitatem fuiſſe, declarat ingens contentio ab initio ſummorum virorum, qui in collegium haruſpicum Pontificumve peterent cooptari. In quo tantum honoris & autoritatis ſitum eſſe putarunt, ut nemo Princeps imperatorve ſibi ſatis tutus eſſe, ſatisve poteſtatis habere videretur, niſi Pontifex Maximus creatus fuiſſet. Quod etiam ipſorum elogia, marmoribus ſculpta teſtantur. Nulla etiam gens tam inhumana fuit, tam barbara, (modo religionis ullius particeps eſſet, & numen aliquod cujus nutu cætera adminiſtrarentur, agnoſceret) quæ ſacerdotibus ſuis primos honores non habuerit, & dignioribus illud munus non tribuerit. Quamobrem & *priſci moris* fuit, *ut primogeniti ſacerdotio fungerentur, & principes dicerentur ſacerdotes*; teſte Hieronymo: Ac ne plura exempla repetam, penes *Gallorum ſacerdotes* qui *Druidæ* nuncupabantur, judicia erant, leges, conventus publici, animadverſiones, poteſtas omnis, ſumma Reipublicæ: *Apud Germanos*, majores veſtros, tanta erat *ſacerdotum autoritas*, ut animadvertendi, vinciendi, verberandi jus, quod Regibus ac Ducibus etiam in bello negatum erat, ipſis ſolis eſſet permiſſum, idque non quaſi Regis aut Ducis juſſu, ſed velut Deo imperante. Unde igitur nonnullis Chriſtianis tantus exſtitit contemptus ſacerdotum, tam ſævum odium, quaſi ſacerdotes non homines ſed peſtes, erynnyes ſint! Ex hominibus tamen aſſumuntur ſacerdotes, pro hominibus conſtituuntur, in his quæ pertinent ad cultum Dei, ut offerant ſacrificia pro populis, & eis ſacra miniſtrent.

Jam vero *ſacerdotum cenſus* cur iſti tanta invidia proſequuntur? Cum non a mortuis quibus illi juſta perſolvunt, non a ſublimibus ſpiritibus, quibus illi ſupplicant, ſed a viventibus hominibus, eisdemque profanis, pars ipſorum amplior abſumatur: Ferunt profani æquo animo, cujusvis generis, cujusvis ordinis homines ab inferioribus dignitate, ſtudio, divitiis, honoribusque ſuperari. Fert civis ruſticum ditiorem ſe, nobilis civem, princeps mercatorem: *Sacerdotum facultates* a malignis non ferentur? Quæ profecto minime invidia dignæ ſunt, ſi cum laicorum facultatibus conferantur, modo ratio ordinum & dignitatum habeatur. Faceſſat igitur tam turpis *invidia in ſacerdotes*, cum eos longe profani, potentia, divitiis, honoribus excedant, patiaturque, ſacratos homines & divino cultui mancipatos, quam plurimis & maximis commodis vitæ privatos, quibus ipſi profani perfruuntur, *bonis eccleſiarum perfrui*. Nam etſi *liberius* quidam *illis utantur*, *quod complures non injuria reprehendunt*, *optanda* quidem eſt *vitiorum correctio*, *ſed non tam vehementer excandeſcendum*, iis præſertim, ad quos non pertinet hujusmodi caſtigatio, ſed eo animo ferendum, quo ne perturbetur Respublica: Plurimorum Principum *toleramus* tyrannidem, *judicum injuſtitiam*, *nobilium inſolentiam*, *militum rapacitatem*, *mercatorum avaritiam*, *artificum fraudes*, *colonorum negligentiam*. Ad ſummam, *cum omnium hominum cujuscunque generis*, *cujuscunque ordinis*, *ſint vitia*, *memores humanæ imbecillitatis*, *toleremus*, *cur ſacerdotum errata ferre non poſſumus?* Quorum ſi quidam ſint *diſſoluti*, *& tali munere multum indigni*, ſunt tamen *alii perhoneſti* & in optimis viris numerandi, complures autem *mediocres*. Sed Deus immortalis, *quid ad literatores iſtos*, aut alios ſycophantas, *pertinet caſtigare ſacerdotes?* aut cur tam morosi ſunt in horum erratis indagandis, tam curioſi in ipſorum vita perſcrutanda? An tali obtrectatione non declarant ſe invidia ferri præcipites, & *idcirco ſacerdotes odiſſe*, *quod pares illis dignitate atque opibus eſſe non valeant?* & cum ipſi turpiſſimi ſint, & elephantum (ut eſt in evangelio) deglutiant, ſacerdotes tamen accuſant quod culices non excolant. Magnæ profecto ſuperbiæ, ſi non etiam argumentum impietatis eſt, illis publice detrahere, & eorum audere judicem agere, apud quos reus exiſtas. Sed nihil faciunt iſti præter morem hæreticorum, quorum (ut Hieronymus teſtatur) proprium eſt, *deſpicere eccleſiaſticos & in eorum ruina gaudere*. Neque vero fuerit quod quisquam ſuſpicetur, me in ſacerdotum gratiam talia commemorare, cum *mihi laico nihil* ſit *cum ſacerdotibus commune*, ſed veritatem meditatur guttur meum, & labia mea impios deteſtantur. Sed dicent fortaſſe iſti hæretici, ſe potiſſimum *hoc in ſacerdotibus criminari quod opes poſſideant*, *cum inſtituto Chriſti illas aſpernari & paupertatem ſectari debeant*. Quibus reſpondere in promptu eſt, Dominum *Jeſum ſacerdotibus numquam divitias interdixiſſe*, *& ſi ipſe verbo & exemplo paupertatem probaverit*, ac inopem vitam cum diſcipulis atque Apoſtolis duxerit, ut undique omnia ejus myſteria conſentirent. Venit enim ſapientiſſimus cœlorum ac terræ opifex, potentiſſimus cœleſtium exercituum Rex, humanum genus captivitate Satanæ liberaturus. Non cultu regio ornatus, non poteſtate terribilis, non rerum copia ſplendidus, non majeſtate verendus, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, virtute divinus, ac ſpecie humillimus, infirma quoque deligens ut fortia proſterneret: Venit, non in humanæ ſapientiæ perſuaſibilibus verbis ſed in oſtenſione Spiritus & virtutis, ut ſapientiam terrenam perderet, prudentiam reprobaret, comprehendens ſapientes in eorum aſtutia; Non venit in potentiæ humanæ robore, ſed in debilitate, principem mundi profligaturus, non in deaurato curru ſed in equuleo crucis ipſe triumphaturus. *Decuit* igitur *Chriſtum Jeſum ac ejus diſcipulos ante adeptum triumphum pauperem vitam ducere*, decuit etiam Apoſtolos, cum evangelium prædicarent, ac Remp. Chriſtianam undique propagarent, eisdem inſtitutis vitæ incederent, & cum adhuc bellum vigeret, eisdem telis pugnare, ut paupertate divitias, patientia poteſtatem, humilitate ſuperbiam, imbecillitate autoritatem devincerent, ſimplicitate prudentiam humanam confunderent vi denique ſpiritus univerſam facultatem & gloriam terrenam perderent. *Congruebat* præterea, *ipſos paupertatem ſectari cum regna cœlorum petenda eſſe prædicarent*,

ut

ut viribus contrariis, iis, quibus innitebatur, qui principatum hujus mundi tyrannice occupaverat, illum prosternerent, & contraria contrariis debellarent ut etiam tum verbo tum exemplo homines ab his rebus quibus plus æquo studebant avocarent: Declarantes, ex his terrenis caducisque rebus felicitatem non esse petendam, sed ex cœlestibus, illucque anhelandum esse. His igitur de causis *paupertas probata est a Christo Jesu, & ab Apostolis, sed ita approbata, ut tamen usus divitiarum non* fuerit *interdictus.* Quod si pertinacius urgeas ad apicem tendentibus prohibitas fuisse opes, Christo dicente: *Si vis perfectus esse, vende quæ habes & sequere me &c.* Et rursum: *Difficile est divitem intrare in regnum cœlorum*, & illud, quod magis urgere videtur: *Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus:* Respondebo, *consilium* illud *non tam* esse *commune*, nec tam late patere, ut omnes vias adipiscendæ perfectionis complectatur, sed illam, quam exprimit, unam earum esse, declarare. Quæ tamen nec in universum omnibus convenit nec cuilibet statui est accommodata, nec omni tempori congruit, nisi secundum spiritum: Non autem si secundum literam sensus verborum consilii accipiatur, nisi quo ad affectum & cupiditatem. Nec mirum hoc cuipiam videre debet. *Non* enim *omnia quæ a Domino Jesu fuere probata aut instituta, perpetuo servanda fuerunt*, sed *quædam ad destinatum tempus, quædam autem perpetuo.* Misit enim Dominus discipulos ad prædicandum sine sæculo, pera, Zona, sine calceamentis, non tamen voluit perpetuo his rebus ipsos esse privatos: Sandalia enim demum habuere & loculos: Sed congruebat, ut ad eam rem peragendam, ad quam tunc mittebantur, sic incederent. Qua peracta non opus erat idem servare. *Tempora enim diversa negotiaque, varia expetunt instituta.* Cum igitur Jesus Christus pauperculam duceret vitam, consentaneum erat *eo tempore*, ut qui ad ejus doctrinam accedebant, ad cacumen tendentes, se divitiis abdicarent, ut discipuli magistro similes essent. *Nec* tamen *omnes discipuli tunc fortunis omnibus renunciarunt.* Discipulus enim fuit Lazarus, Joseph ab Arimathia, nobilis Decurio & idem dives, Nicodemus quoque & multi alii, de quibus non legitur quod abjecerint divitias, quinimo quod de suis fortunis domino ministrabant, ut is qui cœnaculum ad novissimam cœnam accommodavit. Et Petrus in Actis non de retento agri pretio, sed de fraudulento mendacio Ananiam increpavit, dicens: *Nonne manens tibi manebat & venundatum in tua erat potestate? quare mentitus es Spiritui sancto?* Illud igitur, *nisi quis renunciaverit &c. non de universis discipulis* intelligendum est, sed *de iis qui familiarius pauperem Dominum tunc essent secuturi:* & præcipue *de Apostolis.* Quamvis illud *ad sacerdotes* proprie referri non possit, neque *ad bona ecclesiarum*, quorum ipsi non domini sunt sed administratores. *Propagata* vero *religione Christiana, & Spiritu de carne jam triumphante, non amplius oportuit, imo forte nec decuit quidem, ut in eisdem institutis paupertatis persisterent omnes, qui ad fastigium contenderent, sed ut caro spiritui serviret, ancillarentur opes pauperibus, famularetur, potestas terrena humilibus.* Non enim omnia quæ ad exactum & summum pertinent, omni ordini, omni statui convenire possunt; quin imo plurima sunt quæ inter se pugnant. Nam prædicare Evangelium ad perfectionem pertinet: Colere deserta, & Anachoritarum vitam ducere, more sanctorum Patrum summæ virtutis & perfectionis est: Non tamen utrumque perfici potest. *Inopibus subvenire*, hospitalem esse, hominis est ad perfectionem tendentis. *Inopem esse* propter Christum, ad perfectionem spectat: Inops tamen elargiri necessaria egenis non valet. *Quamvis* igitur *paupertas ad perfectionem pertineat, ordini tamen sacerdotum in universum hoc præsertim tempore, non convenit*, compluribus de causis. Abjectis enim fortunis, nec *sacerdotii majestatem aut decorem tueri* possent, nec multa præstare, quæ ipsorum exigit officium. Quanquam *illud sacerdotes semper meminisse debent se sacerdotiorum census ministros esse, non dominos*, petitumque ab ipsis Dominum Jesum dispensationis rationem: Etsi uti ac frui liceat ipsis bonis ecclesiasticis, pro dignitate & conditione cujusquam, cum sit dignus mercenarius mercede sua, ac scriptum sit: *Non alligabis os bovi trituranti:* Et voluerit Christus, teste Apostolo, ut *qui seminat spiritualia metat temporalia, & qui ministrat altari ex altari alatur.* Placuit igitur sapientissimo Monarchæ Christo, *ecclesiam* suam *affluere divitiis, pollere potestate, jam constituta Repub.* ut se omnium verum Regem declararet, cœlestium pariter ac terrestrium, omnemque potestatem sibi tributam esse doceret, non solum in cœlo sed etiam in terris, *ut habeat facultates ecclesia, quibus valeat debellare superbos, contumaces cœrcere, in officio continere audaces, bene meritos præmiis afficere, inopibus subvenire, oppressos ab injuria vendicare,* solennia sacrificia, & cætera id genus plurima, quæ a sacerdotibus suppeditante facultate peraguntur, cum decore & dignitate fieri. Qua re instituta præterea declaratum est, utrumque genus hominum, in quos universa natura distribuitur, *egenorum* videlicet ac *divitum*, æque ad felicitatis apicem pertingere posse, nec virtuti divitias, nisi quis circa illas nimis sollicitus sit, obesse. Quod peccatum quia multum in divites cadit, idcirco difficile esse dixit servator ad cœlestia regna penetrare, nec vicissim paupertatem illi esse impedimento, dummodo unusquisque rebus his diversis opportune ac diversimode utatur. Hac igitur de causa existimandum est, divino consilio utrumque statum in ecclesia constitutum esse, unum paupertate florentem, alterum opibus proficientem, quasi parata materia exercendæ virtutis. Sunt enim in ecclesia plurimi eximie paupertatem colentes, illamque verbo & opere, tum privatim tum publice profitentes: Inter quos primas partes obtinere sacrum *ordinem Minorum* certum est. Sunt & alii, fortunas in commune possidentes, privatim pauperrimi, & communibus utentes parcissime. Sunt & sacerdotes ecclesias administrantes locupletes potestateque & opibus affluentes. Et uterque status ab ecclesia sic retinetur & servatur, ut alter alterum non impediat, sed mutuo adjumento sit. Atque de his satis multa superque diximus, & forte non necessaria. Constat enim, improbos istos calumniatores, non tam improbare opes ecclesiasticas, quam dolere, quod

ipsi participes illarum esse non valeant. Itaque magis sacerdotibus opulentis infensi sunt, quam ipsis opibus quas diripiendi omnes occasiones & quærunt & arripiunt.

Pari autem furore hoc utrumque genus hominum saucio animo, hæretico *Martino faventium, feruntur ante omnia in pontificis Maximi dignitatem & Apostolicæ sedis autoritatem.* Sed de altero genere, cui sunt odio sacerdotes, non est quod magnopere demiremur. Quibus enim universum genus est odio, ii consentaneum est, ut sacerdotum Principem maxime oderint & infectentur. Sed primum *genus, literatorum* dico, hoc est in majore culpa, quod, cum *odium ipsorum in sacerdotes ortum maxime* fuerit *ex dissidio eorum cum quibusdam Theologis*, tantum virus conceperint in Pontificiam Majestatem, ut omnes vires contenderint, omnes machinas adhibuerint, ad eam prorsus evertendam. Cum tamen *Apostolica sedes bonis literis ipsarumque studiosis unquam infesta* fuerit: quinimo bonis artibus perpetuo faverit, earumque professores honoribus & commodis semper affecerit. Plures enim in Romana aula ex eruditorum cœtu ad majora evehuntur, quam in universo orbe. *Romæ, Bononiæ, Perusii, Academiæ celeberrimæ* sunt constitutæ, in quibus Professores doctissimi omnium linguarum, cunctarum disciplinarum, publice docent, salariis amplissimis conducti, sanctæ sedis Apostolicæ sumptu & beneficio. *Romæ* vero *aluntur, foventur ingenia, & optimæ artes magno habentur in pretio.* Unde igitur tam *inexplebile istorum odium in Romanam urbem*, in hanc principem sedem exstitit? Qui cum nulla injuria, nullo incommodo a Pontifice Maximo, quem Episcopum Romanum, ut scilicet minuant ejus autoritatem, appellant, affecti fuerint, nec ab hac aula Romana quicquam se indignum passi sint, ut *Tertulliano* contigit, quem scribit Hieronymus, *invidia & contumeliis clericorum ecclesiæ Romanæ*, ad Montani dogma delapsum fuisse: Quo modo factum odiumque suum excusabunt, quin ab invidia & improbitate fuerit profectum, in hanc sacrosanctam sedem, quæ erga omnes nationes, erga omnes gentes, semper benigna beneficaque fuit, nemini nocens, commodis omnium studens, salutis omnium sollicita, & omni generi literarum perpetuo favens? Sed isti cum privatas injurias referre non valeant, fingunt se publica causa commoveri, quasi æquo animo Romanum Episcopum tyrannice sibi hanc summam comparasse potestatem, ferre nequeant: Itaque detegendam esse veritatem, & cætera, quæ in hanc sententiam per summam calumniam jactant. Sed hæc missa faciamus. Neque enim mihi propositum est, verbis *Pontificis Maximi summam potestatem* asserere, comprobatam tot sacrarum literarum testimoniis, tot argumentis efficacissimis doctissimorum virorum, tot sanctissimorum & eruditissimorum Patrum sententiis, tam communi consensu orthodoxorum omnium, tam vetusta consuetudine Christiani populi ut nemo sanus, nemo in religione bene institutus, nemo nisi cui mala mens malusque animus sit, de hoc quicquam possit dubitare. De qua re quoties disceptatum est, toties definita quæstio, & oppugnantium exprobrata sententia & decretis publicis damnata, cumque hæreticis suis autoribus sepulta, ut stultum sit ipsam revocare, ut de ipsa rursus differatur; etsi *Lutherani* cunctis viribus contendant eandem a putridis cadaveribus vetustiorum hæreticorum excitare. Sunt enim hyenis similes, succo corporum mortuorum e sepulchris effossorum viventibus, dicentes, *omnes Episcopos pares esse facultate*, cum tamen ipsos paulo post privent omni autoritate, ut sunt in suis placitis inconstantissimi, summumque sacerdotem meram esse tyrannidem dicant. At ii, quicunque summi Pontificis Majestatem impugnare contenderunt, tam male habiti sunt ab his clarissimis viris, qui causam hanc indignatione potius defendendam susceperunt, quam quod ipsa defensionem desideraret, ut esset, si quid cordis haberent, cur non solum eos temerarii cœpti pœniteret, sed præ pudore ad sepulchrorum tenebrosissimas latebras, quibus hæc impia dogmata eruerant, refugerent. At impudentia erubescere nescit, nec pertinacia contendere cessat. Quanquam istos operæ pretium esset interrogare: Qua ratione fulti, quo testimonio sacrarum literarum muniti, contendant, *summum sacerdotium e populo Christiano tollere*, velintque verum Israeliticum populum, Judæorum plebe, hac conditione, in re tam opportuna, tam necessaria ad Remp. bene gerendam, esse deteriorem? Nusquam enim Jesus Christus in Evangelio, nusquam Apostoli hoc sanxerunt. Nihil unquam adversus summum sacerdotium protulerunt, nunquam illius amplitudinem minuerunt: Quinimo, ut supra meminimus, illud maxime reveriti sunt. Cum igitur *divina lege, etsi prisca, summum sacerdotium institutum* sit, *novaque non* fuerit *improbatum*, etsi in ea expresse sancitum esse non constaret, certe *illius imitatione vel exemplo à populo Christiano videretur esse constituendum*: Præsertim si comperiatur, easdem rationes illius constituendi Christiano esse, quæ Judæis fuerint: Quarum non minima censenda est, quæ in Deuteronomio habetur, *ut constitueretur judex, qui valeret diffinire, quæ in controversiam venissent & quorum magis ambiguum & difficilius esset judicium, cujus sententia tam rata esset, ut ab ea provocari non liceret*, & aliæ quam plurimæ: Præterea, ut recte sit Resp. constituta, sitque in ea ordo congruus & nulla confusio. Cum igitur tam consentaneum rationi sit, ut *si non esset sancitum, tamen sanciri debuisset*, quanto magis *retinendum*, cum jam tot seculis, ut a Christo servatore institutum, publico consensu fuerit receptum. *Quod si veteris legis exemplo nec novæ decreto institutum fuisset, constituendum tamen foret a Christianis*, vel solo rationis naturalis judicio, *ne populus Christianus acephalus maneret, careretve summo magistratu, in rebus quæ ad religionem pertinerent. Veteres* enim *Romani*, etsi veræ religionis cultus eis non fuerit revelatus, sapientissimi tamen viri, cum optimis legibus Remp. fundarent, hoc vel imprimis ratione ducti naturali cavisse videntur, *ut omnis cujusque ordinis multitudo ad unitatem redigeretur.* Ita, *cum collegium sacerdotum & Pontificum haberent, unum esse voluerunt cunctis præpositum, qui maximum gereret Pontificatum, & præcipuum inter Pontifices locum obtineret. Lutherus* autem adversus rationis judicium, adversus exemplum antiquæ legis, adversus decreta patrum, consensum publicum omnium Catholicorum, consuetudinem vetustissimam populi Christiani,

fliani, inſtitutum Jeſu Chriſti, Chriſtianum populum obtruncat, exſpoliatque capite, & omnem eccleſiaſticam hierarchiam, dum inde ſcelerum ſuorum judicium pœnamque timet, ſubvertit. Cum tamen apertiſſime conſtet, non ſolum populi Chriſtiani conſenſu, aut veteris legis exemplo, ſed & *filii viventis Dei decreto ſummum ſacerdotium* fuiſſe *inſtitutum*. Primum *quia ipſe ſacerdos maximus fuit: tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Quod & Paulus ad Hebræos ſcribens confirmat fere tota epiſtola. Primum quippe, ait, *Dominus Jeſus ſecundum ordinem Melchiſedech pontifex factus in æternum:* Et rurſus: *Talis enim decebat ut nobis eſſet Pontifex:* Et deinde, *talem habemus Pontificem, qui, cum ſedet in dextra ſedis magnitudinis in cælis &c.* Et iterum: *Chriſtus autem aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius &c.* Probatque idem ipſe Apoſtolus longo ſermone, eadem epiſtola, *hunc ipſius Pontificatum longe majorem & ſublimiorem eſſe Pontificatu Moſis vel Aron.* Ex his igitur cum efficiatur, ipſum pontificem maximum fuiſſe conſtitutum, eccleſiamque eum habuiſſe in terris Pontificem, *conjicitur*, quod & terras relinquens, cœlos inhabitaturus, *alium ſibi ſubſtituerit in terris, qui pontificia munera loco illius in eccleſia perageret.* Quemadmodum enim Apoſtolis & diſcipulis præſules ſucceſſere & ſacerdotes, ita conveniebat, & ſi Chriſtus immortalitate donatus, ſacerdotii quoque perpetuitatem fuerit conſecutus, ut aliquem ſibi in terris ſubſtitueret, qui illius vices perageret, ne eccleſia privata capite, in terris adminiſtrante, degeret, cum ille in cœleſtibus ſacerdotium exerceret, ut ait Paulus. *Non enim in manufactis introiit Chriſtus exemplaria verorum, ſed in ipſum cælum,* ubi eccleſia militans non eſt conſtituta, quæ proprio & terreno miniſtro indiget. Hunc autem fuiſſe inſtitutum *Petrum*, ſacræ literæ atteſtantur, plurimis Teſtimoniis, eum ſibi ſubrogaſſe Dominum, apertiſſime demonſtratur, ut ipſi antea fuerat pollicitus, cum poſt illam ſinceram & ſanctam confeſſionem ipſum videlicet eſſe Filium Dei vivi, Simonem voluit Petrum cognominari, dicens: *Beatus es Simon Barjona &c. tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, &, tibi dabo claves regni cælorum: tibi* dicens *non* autem *cæteris*, quia illi primo & plena cum poteſtate erat daturus, cæteris non eodem modo: Et, *quodcunque ligaveris ſuper terram &c.* Quod promiſſum adimplevit, imminente ejus diſceſſu, poſteaquam a mortuis revixit, poſt interrogationem, *an ſe diligeret magis quam cæteri*, hanc curam & poteſtatem contulit, ter verbis repetitis coram cæteris Apoſtolis, inquiens: *Paſce tu Petre agnos meos, paſce Petre agnos meos, paſce Petre oves meas.* Quibus verbis ipſum tam expreſſe *proprii gregis paſtorem* inſtituit, ut æque paucis ſignificantius explicare non potuiſſe videatur, cum ſolius *Paſtoris officium* ſit *gregem paſcere ac regere*, quaſi diceret: Cum me diligas plusquam cæteri, ſuſcipe amore mei hoc onus munusque ac ſollicitudinem quam tibi inpono, gregem meum, qui tanto mihi conſtitit paſcendi, quem tam ardenter amavi ut ejus cauſa ſanguinem profuderim, meam animam perdiderim. Fidei ergo tuæ, amori tuo erga me præcipuo, illum committo. Doces enim tua reſponſione, mei gratia, te illius ſingularem curam habiturum.

Hæc igitur duobus his verbis ſignificantiſſimis, *paſce oves meas*, expreſſit, quæ ſacri doctores, tum Græci tum Latini, perpendentes, omnes teſtantur, conſentientibus ſententiis: *Petrum verbis illis Apoſtolorum Principem, ſummumque præſulem fuiſſe conſtitutum*, cum ad illud munus obeundum longe antea deſignatus fuiſſet, & quaſi præparatus, ut magis idoneus & aptior eſſet, quemadmodum plurima erga ipſum a Domino Jeſu facta dictaque manifeſtiſſime declarant. Primum, *quia Dominus lintrem Petri conſcendere dignatus eſt, & Petrum quaſi nauclerum juſſit altum petere, rete laxare:* Quod ille nihil moratus aut hæſitans, in nomine ejus executus eſt, jecitque rete, quod oppletum maguis piſcibus retraxit. Quo miraculo ſtupefactus agnoſcens divinam virtutem, & ſuam viciſſim humilitatem, ipſi ſupplicavit, ut recederet: Nam ſuam cymbam indignam eſſe tanto conſcenſore. Quo facto dictoque meruit, ut ei Chriſtus polliceretur, facturum ſe eum eſſe hominum piſcatorem. Quæ, ſi quis ſingula perpendat, declarabant, ipſum eſſe clavo navigii Chriſti præficiendum & ejusdem retis faciendi præcipuum miniſtrum, piſcationisque præpoſitum fore; Deinde, *Petrus quaſi primogenitus diſcipulorum primus vocatus eſt a Domino* primusque cum Andrea fratre relictis navibus & cæteris rebus ſecutus eſt Dominum. Tum quia *Petro*, cui nomen erat Simoni, anteaquam vocaretur ad Apoſtolatum, cum primum vidiſſet eum Dominus deductum ab Andrea fratre, *prædictum eſt fore, ut vocaretur Cephas* Syriace, hoc eſt Petrus. Poſt ejus vero confeſſionem, Jeſum Chriſtum videlicet eſſe Filium Dei vivi, ipſum cognomen eſt inditum, & quid ſignificaret interpretatum, promiſſæque claves regni cœlorum. Petrus, multis diſcipulorum Domini ab eo deficientibus & abeuntibus dicente Domino ad duodecim Apoſtolos: *Num quid & ipſi abire vellent?* ſolus reſpondit, *Domine! ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes & nos credimus & cognovimus quia tu es Chriſtus filius Dei.* Ad hæc, *Petrus ſemper ordine primus eſt, cum in Evangelio Apoſtolorum nomina recenſentur: ad Petrum magna ex parte ſermo Domini dirigebatur: Petrus primus rogabatur ſententiam: Petrus frequentiſſime pro Apoſtolis cæteris reſpondebat.* *Petrus*, cum diſcipulis aperuiſſet Dominus ſe opprobria & mortem eſſe perpeſſurum in Hieruſalem, *ſolus* amore ardens, *auſus eſt increpare Dominum*, dicens: *Abſit tibi Domine, non erit tibi hoc &c.* *Pro Petro duntaxat ut pro ſe ipſo Dominus perſolvit tributum: Petrus ſolus commiſit ſe mari*, viſo Domino preſſitque aquas pedibus, & cum ingentem flatum timuiſſet, mergique cœpiſſet, ſacratiſſima manu Domini ſublevatus, illæſus transfretavit. *Petrus cæteris in percunctando Domino confidentior fuit.* Petro dictum eſt: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, ſed tu aliquando converſus confirma fratres tuos:* Quid potuit expreſſius ſignificari, *ipſum futurum eſſe præcipuum fidei doctorem cæterisque præpoſitum?* cum præpoſiti munus ſit ceteros confirmare. *Petrus* cum Johanne & Jacobo a Domino ſelectus, ad intuendam divinam illam transformationem *in monte*

te Tabor, solus Dominum alloqui ausus est, dum illud ageretur mysterium, ac dicere: *Faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Mosi unum* &c. Petrus amore fervidus inflammata illa protulit verba. *Ego in carcerem & in mortem paratus sum ire tecum et si oportuerit me mori tecum, non te negabo: Petrus*, non ferens profundissimam humiliationem Domini, *recusavit solus, cum ei vellet lavare pedes*, dicens: *Non mihi lavabis pedes in æternum*, licet statim cognita Domini voluntate paruerit. *Solus Petrus*, impatiens injuriarum Domini, ardens animo, fortiter pedem conferens, *conatus est tutari magistrum dum caperetur, educto gladio adversus cohortem*, ac per magnam armatorum multitudinem, ipse inermis, *servi Pontificis capiti vulnus incussit*. Petrus fere semper individuus comes Domini erat. *Petro secretiora pandebantur*, etsi Domino neque cognatus neque propinquus esset, ut alii complures discipulorum. *Petrus primum excitatus est e somno*, regrediente Domino ab oratione, cum ipsum, Jacobum, Johannemque dormientem invenisset, ut testatur Matthæus, dicens: *Et cum invenisset eos dormientes, dicit Petro: Non potuisti una hora vigilare mecum &c.* Quod Marcus quoque commemorat his verbis: *Et ait Petro, Simon dormis? non potuisti &c. Petrus captum Dominum*, amore victus, *penitus deserere non potuit, quamvis cæteri fuga sibi consuluissent*, sed usque in atrium Pontificis Sacerdotum Dominum comitatus, *illic permissus est Dominum negare, ut cognosceret propriæ virtuti non magnopere fidendum esse: Et cum ipse deliquisset, cæteris quibus præficiendus erat, indulgere addisceret.* De qua re & antea edoctus fuerat a Magistro, cum Dominus eum admonuisset, *non tantum septies sed etiam septuagies septies peccatum esse dimittendum*, modo pœniteat qui deliquerit. Mulieres ad sepulchrum Domini cum aromatibus profectæ jussæ sunt ab angelis *ut inprimis Petro* nunciarent, Dominum ab inferis revixisse. Quo audito *Petrus* cucurrit ad tumulum, & *prior intravit audacter*. A Petro ante alios Apostolos conspectus est Dominus, posteaquam revixerat: Testatur enim Lucas, referens regressum discipulorum in Hierusalem, quibus apparuerat in Emaus, dixisse eis Apostolos, *resurrexisse vere Dominum & apparuisse Simoni*. Quod Paulus quoque refert, ad Corinthios scribens his verbis: Resurrexit Dominus tertia Die secundum scripturas, *& visus est Cephæ*, & post hæc undecim, & deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul: Deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus, novissime autem omnium tanquam abortivo visus est mihi. *Petrus* ad mare Tyberiadis viso Domino, moræ impatiens, *jecit se in undas, relicto navigio & piscatione*. Et jubente Domino, ut afferret de piscibus quos cœperant, *ipse traxit rete in terram* plenum magnis piscibus, quorum maxima copia rete nihil est discissum. Quod *non sine mysterio* videtur accidisse. Et *cum pransi essent, collatum est ei pastorale munus*, quod *omnibus prædictis mysteriis ei* fuisse *designatum*, nemo qui altius illa mente perpenderit, valebit dubitare. Singula enim inter se tam bene consentiunt, examussimque quadrant, ut cum nulla re possit altera magis consentire. *De solo* enim *Petro longe plura referuntur in Evangelio* cum ipsius nominis expressione, *quam de cæteris omnibus Apostolis*. Tamque frequens ac sollicita ipsius peculiaris mentio, non sine causa sed *magno quodam mysterio* factitatam fuisse a Spiritu Sancto perspicitur. Neque vero tantum hæc *usque ad collationem muneris* gesta *principatum ejus* ostendunt, sed ea nihilo obscurius, quæ *post susceptum onus*, post adeptam facultatem ipse peregit (ut Apostolorum Acta testantur.) Primum omnium, *in primo discipulorum conssessu*, cum esset quispiam in Apostolicum collegium Judæ proditori sufficiendus, Petrus exsurgens in medio fratrum rem ad eos retulit, *primusque sententiam dixit & negotium confecit*. *Petrus* in die Pentecostes post Spiritus Sancti acceptum donum *concionem primam habuit ad populum* qua ratione dedit miraculi, declaravitque non se ebrios esse, ut Judæi suspicabantur attoniti novitate rei, cuin viderent eos loqui linguis peregrinis, quas nunquam didicerant. *Petrus* pariter *primus* in concione testatus est populo, Dominum Jesum a mortuis revixisse, seque sanasse claudum in ejus nomine & virtute: Cujus verbis & testimonio eo die quinque millia hominum conversi sunt: Petrus, constantissime repletus Spiritu Sancto, testatus est Principibus Sacerdotum & Senioribus, Jesum Christum esse verum Messiam & se virtute illius sanasse claudum. *Petrus damnavit morte Ananiam* cum Sapphira uxore, propterea quod ausi fuissent de pretio agri sui mentiri Spiritui Sancto. *Petrus primus gentibus prædicavit Evangelium* easque recepit in gremium ecclesiæ (ut Acta testantur) ubi ea referuntur quæ ab ipso gesta sunt Cæsareæ erga domum Cornelii Centurionis. *Petrus* temerariam *petitionem Magi Simonis*, pretio sibi venundari petentis Spiritum Sanctum, *solus repressit*. *Petrum adjuvit Paulus* postquam peragraverat Arabiam, ut cum illo conferret Evangelium. *Petro revelatum*, in cibis nihil esse commune, nihil immundum, omnia a Deo per Christum purgata & sanctificata esse. Quod non est putandum temere fuisse Petro monstratum, sed *quod ipsius muneris esset, ad eumque pertineret promulgare leges*, juxta illud: *Interroga Sacerdotem legem* & aliud: *Labia Sacerdotis custodi* &c. *Petrus primus omnium*, in primo illo concilio, quod Hierosolymis coactum est, ut diffiniretur controversia, an gentes quæ ad sacra Christi & fidem accedebant, præceptis Mosaicæ legis obstringerentur? *protulit sententiam, & cæteri omnes pedibus in eandem iverunt*, cum tamen Jacobus adesset Hierosolymorum Episcopus qui & idem censuit. Quo vel solo argumento *Petri principatus* confirmatur. Cujus quid potest manifestius documentum esse, quam quod *semper fere in sacris literis*, cum quicquam refertur ab Apostolis communiter actum dictumve, *Petrus præponitur*, ut in Actis habetur illud: *Petrus & Apostoli dixerunt*: obedire oportet magis Deo quam hominibus. Nec sat esse visum est Spiritui S. *Apostolos* dixisse, quo communi nomine etiam Petrus complectebatur, nisi & proprium nomen Petri non solum exprimeret, sed & cæteris in commune descriptis anteferret. Ad hæc, *in Petro præ cæteris magna vis sanandi ægrotos*, quocunque morbo laborarent, tantaque virtus ut in plateis ejicerent infirmos, ponerentque in lectulis & grabbatis, *ut veniente Petro saltem umbra, illius obumbraret illos*, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis, ut Acta itidem testantur. *Petrus* quemadmodum

dum Domini decreto, vivens ipſius vices geſſerat, ita ejusdem decreto *morte eundem eſt imitatus. Par* enim *erat ut Principis Vicarius primævus tum vita tum morte Domini veſtigia ſequeretur.* Quamobrem pariter in equuleo crucis & ipſe glorificavit Dominum, ut ei Dominus injunxerat, cum poſt injunctum paſtorale munus hæc verba ſubjecit : *cum junior eras cingebas te, cum ſenueris alius accinget te, & ducet quo non vis.* Quæ verba interpretatus eſt Johannes dicens : *ſignificans his verbis, qua morte eſſet clarificaturus Deum.* Et deinde ſubſequitur illud Domini : *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me ſequere.* Quod verbum nulli cæterorum Apoſtolorum dictum eſt, etiamſi aliquis eorum fuit crucifixus. Cum igitur *Petrus tot prærogativis* fuerit *inſignitus*, tanta peregerit munera, ad ſolum Præſulem, & eum qui ſummum ageret magiſtratum pertinentia, ferendo leges, damnando improbos, in publicis conſeſſibus primam proferendo ſententiam, recipiendo externos & peregrinos in Remp. Chriſti, concionando plebi, & hujusce generis quam plurima alia, permiſſa Principi tantum & jurisdictionem habent : Adhuc audebit negare quisquam, *Petro præ cæteris collatam fuiſſe poteſtatem?* Ad ſummam, mea quidem ſententia, ſi de aliquibus dogmatibus religionis Chriſtianæ, quæ per eccleſiam ex ſacris literis diffinita non eſſent, eo quod non omnino expreſſa perſpicue in illis habeantur, quicquam ambigi poſſet, de hoc certe videtur nullo pacto poſſe dubitari, quod tam perſpicuum & apertum eſt, ut quærenti veritatem nullus ſcrupus relinquatur. Legat quisque, ſedatis animi perturbationibus diligenter Scripturas, ſingula præponderet, conferat & metiatur, fateri cogetur, luce clarius ex ipſis concludi, *Petrum ſummum ſacerdotem Chriſtiani populi præcipuumque Paſtorem a Chriſto fuiſſe conſtitutum, ipſumque poteſtatem ſibi traditam, cum oportuit, quantumque illa primæva naſcentis eccleſiæ tempora poſcebant, exercuiſſe.* De qua nemo ſanus, nemo rerum æquus exiſtimator, nemo doctus unquam dubitabit, ſed ſolum ſuperbus aliquis aut contumax qui nullius vellet ſubjici poteſtati, aut invidus & malignus, vel indoctus & ingenio tardus. Quod ſi quis confiteatur, ex his comprobari, Petrum a Chriſto ſummo Epiſcopatu fuiſſe auctum, eique univerſi gregis curam ſummam datam, hic, ſi ſibi conſtare velit, fateri cogetur, *eandem facultatem in Petri ſucceſſores fuiſſe transmiſſam.* Neque enim perpetuæ gubernationi eccleſiæ ſuæ perinde conſuluiſſet, ſi gregi multa in ſecula duraturo ſummum paſtorem unius ætatis præfeciſſet. Adde quod qua ratione hoc *in Petri ſucceſſoribus* quisquam aſſereret, eadem parique impudentia affirmare convincetur, alias facultates & officia, cæteris diſcipulis a Chriſto conceſſas, in poſteros non tranſiviſſe. Ita qua ratione ſummum Pontificem autoritate expoliamus, eadem Epiſcopos omnes & ſacerdotes dignitatibus ac facultatibus privabimus & eccleſiam militantem omni terreno miniſtro & ſacra in illa peragente vacuam eſſe & ſpoliatam conſtituemus.

Neque vero ignoro, quam valde *laborent* hæretici, ut *his teſtimoniis occurrant*, quanto ſudore tergiverſentur, ut hæc quoquo modo evadant, ſæpe a ſuis placitis diſcedentes diſtorta gloſſemata & falſas interpretationes afferentes. Nam licet alias *contendant ſcripturam plane ſecundum grammaticæ ſenſum eſſe intelligenda, ubicunque circumſtantia expreſſe non cogat oppoſitum, & interpretationem non pati, cum non abſtruſa ſit ſed aperta omnibus legentibus :* Hoc tamen in loco perſæpe repetunt verbum *id eſt* ut nunquam finem faciant interpretandi, nugas videlicet meras & inania verba effutientes, ſed nihil proficiunt, rem dilucidam obſcurare conantes. Detorque quantum vis, Martine, Scripturas, operam tamen & impenſam perdes. In tanta rerum claritate næ efficies aliud, quam quod inſidias tuas propalabis, tam expreſſa ſunt teſtimonia ſacrarum literarum, quæ ſi nulla eſſent, aut obſcuriora, tamen nefas eſſet dubitare, quin eſſet divinum inſtitutum Chriſti, ipſius ore traditum, cum tot ſeculis tam communi conſenſu fuerit receptum & approbatum. Quod qui oppugnant hæretici, cur non producunt aliquod ſacrarum literarum teſtimonium, quo vel ſuſpicio ſit, *ſummo ſacerdotio privatum fuiſſe & tanta commoditate populum Chriſtianum fuiſſe fraudatum.* Hoc tamen nunquam efficient, cum ſtet a nobis tota ferme Scriptura divina & omnium ſanctiſſimorum doctiſſimorumque virorum autoritas : ab ipſis nulli niſi minuti quidam hæretici iidemque turpiſſimi nebulones, qui ut Petri tollant principatum illud præcipue afferunt, *eccleſiæ caput Chriſtum eſſe.* Quaſi vero nos id inficiemur, qui *Petrum Vicarium ipſius* eſſe aſſeveramus, *ut ipſius abſentis vices gerat.* Neque enim Petrus cum Chriſtus in terris verſabatur caput ſive princeps cæterorum fuit inſtitutus, ſed tunc cum relictis terris cœlos eſſet conſcenſurus, Petro Dominus Jeſus vices ſuas commiſit, proſpiciens videlicet ſapientiſſimus Monarcha, non bene ſe habere poſſe Remp. quam pretioſiſſimi ſanguinis ſui pretio conſtituiſſet, ſe recedente, niſi aliquem ſibi principem ad ſummam rerum adminiſtrandam ſufficeret, quæ nunquam recte poſſet eſſe conſtituta, ſi principe quaſi capite careret. Ut non conſtat exercitus ſine Duce, Regnum ſine Rege, nec grex ſine principe paſtore poteſt gubernari. *Cum* igitur *una ſit Reſp. Chriſtiana, unus grex Chriſti, oportet unum præcipuum habeat paſtorem, qui ſupremam univerſi gregis curam gerat, cui cæteri paſtores,* qui neceſſarii & ipſi ſunt ob gregis amplitudinem, *obtemperent, & qui maximis in rebus conſulatur.* Quamvis enim *Chriſtum eccleſiæ paſtorem præcipuum & primarium caput* eſſe non dubitemus, ob id tamen non tollitur, quin *expediat eccleſiam aliud caput habere*, quaſi proprium ipſius myſtici corporis *ſub ipſo primario capite Chriſto* ejus vices gerentis. Ex quo *nec ſequitur ipſam monſtroſam quaſi bicipitem eſſe :* cum myſtici corporis ratio hoc requirat, & Reip. bene inſtitutæ ſtatus hæc poſcere videatur, ut præter Principem adſit, & qui ejus Vicarium agat, potiſſime eo corpore abſente. Non indecere autem *unius corporis duo eſſe capita* doctoris gentium teſtimonio comprobatur, cum dixit, *Virum mulieris caput eſſe : cujus tamen ſui corporis caput proprium exſtare conſtat. Eccleſiam* igitur *proprium caput habere, ſub præcipuo tamen capite*, poſcit omnis ratio, hoc teſtantur ſacræ literæ, hoc ſancti patres approbarunt, qui unico conſenſu Petrum Principem Apoſtolorum fuiſſe confitentur. Hoc receptum eſt ab univerſo orbe Chriſtiano, hoc decretis publicis definitum & decla-

declaratum, & sine controversia retentum, postquam fuit promulgatum & cognitum. A quo scopo & certissima regula quotquot declinarunt, in errores inexplicabiles prolapsi sunt. Sed hoc Christianæ religionis columen, hanc orthodoxæ fidei arcem, hoc splendidissimum jubar, ad omnes tenebras errorum pellendas, hanc solidissimam veritatis petram, hæretici omnibus seculis expugnare sunt conati, huc nervos omnes intenderunt, putantes videlicet, sibi, hanc munitissimam arcem demolitis, liberum fore undique vagari, hæreses serere, & cætera pro libidine pervertere. Nec alia de causa *Lutherus* tam vehemens præcepsque *fertur in hanc sanctam sedem prosternendam*, quo primum vindictæ cupiditate velut furia quadam agitatus processit: Quam ut evertat, nihil non evertere constituit. Sed dissipat Deus consilia impiorum, nec est consilium contra Dominum; Perstat enim dignitas Pontificia, perstat autoritas summi pastoris, semper perstabit contra impias nefandorum hominum molitiones. Fremant igitur & latrent *Lutherani*, nihil unquam tanto furore proficient. Fluctibus namque cymbam Petri jactari permittit Dominus, ob peccata hominum, & *ut sacerdotes agnoscant errata sua, & nihil ex sese autoritatis habere intelligant*, sed dormiente Domino aut absente modico flatu cymbam eorum periclitari; Mergi tamen nunquam patitur, cum ad illum convertuntur, clamantes, se perire, nisi opem tulerit. Nam tunc ille quasi e somno excitatus imperat mari & ventis tranquillitatemque restituit.

Non prætergressa est adhuc *Germaniam* Lutherana impietas, sed ne universam quidem peragravit. Reservavit enim sibi omnipotens multa millia hominum, quæ non curvaverunt genua ante Baal, qui scilicet fuerunt memores Spiritus sancti, per os vatis Jeremiæ dicentis: *Nolite audire verba mendaciter prophetantium, ut ejiciant vos & pereatis.* Non enim nisi eos ait Dominus, quorum fidem, constantiam & pietatem, in tam communi perturbatione, in tanta defectione, in tam ingentibus periculis, in tantis furentium hæreticorum minis & injuriis conferendam puto confessioni & veritati, virtuti, veterum Martyrum. Manet & integra *universa Gallia*, Christianissimum Regnum, tum *Francisci Regis* pientissimi & parentis sapientissimi constanti fide, solerti studio, religione præcipua, tum populorum illorum perpetua & sincera pietate, sapientissimique Parisiensis senatus, & sacræ Academiæ autoritate & diligentia: Licet cunctis viribus contenderint hæretici, cunctis artibus & dolis machinati fuerint, ut Galliam, finitimam Germaniæ, inficerent, conversis etiam sermone Gallico & excussis libellis eorum pestilentissimis. Perstat itidem illæsa incontaminataque *Britannia*, quæ nunc Anglia & Scotia nuncupatur, *Henrici Regis* sapientissimi virtute & doctrina, illustrissimique & amplissimi Patris Cardinalis Heboracensis providentia & consilio, Anglorumque & Scotorum pietate. Permanet intacta *Hispania*, ejus populi solida fide & judicio & catholici Regis ac invictissimi Imperatoris *Caroli* exemplo & gravitate. Perstat *Ungaria, Polonia.* Quinimo & ab ipsa Bohemia, etsi jam pridem infecta fuisset Usitanorum labe, rejectus est Lutherus, licet ipsam omni studio & diligentia conatus fuerit conciliare, & literis ac libellis sollicitaverit. Constat *Italia* inconcussa, memor suæ gravitatis, sui judicii, suæ constantiæ, suæ fidei sincerissimæ. Hæ omnes præclarissimæ nationes, & populi persistentes in solita & antiqua pietate, puritatis fidei & orthodoxorum dogmatibus, dolent & ingemiscunt, *Germaniam nobilissimam & ornatissimam regionem*, ab his pestibus & hoc armento ignobilissimorum Apostatarum ita perturbari. Quæ omnes prudentissimæ nationes & populi summum sacerdotem & *Pontificem maximum* agnoscunt, ac eum esse confitentur, quem hæretici *Episcopum Romanum* appellant, & tanquam Christi vicarium, Petrique successorem (ut par est) reverentur, ejusque decretis obtemperant: Quod omnes Catholici semper fecerunt. Qui Romanus Pontifex etsi cæteris Episcopis par sit ordine, sublimior tamen est munere & potestate. Nec minuitur ejus amplitudo, quod sit Romanus Episcopus, & idem summus & Maximus Pontifex. Quinimo *in hoc aliquid mysterii latere* reperietur, si quis rem diligenter perspexerit. Nam ut oportebat hunc communem pastorem alicubi sedem habere firmam, sic non decebat, ut eodem loco quisquam alius sederet atque præesset. *Ad sedem* autem *Petri constituendam* nullus opportunior locus deligi potuisse videtur, quam *urbs Roma, ut, in qua urbe situm erat domicilium terreni imperii in hac & vicarii cælestis constitueretur habitaculum.* Neque putandum est sine numine divum hanc sibi Petrum sedem postremo delegisse, ut etiam ex loco ipso collocatæ sedis declararetur non civitatis unius privatum, sed publicum totius orbis & summum esse Pastorem: Quandoquidem *in qua urbe solium imperii & corporum haberetur, in ea sedes etiam imperii animorum esset collocata.* Ut *illud* imperium ideo institutum fuisse videretur, ut *huic alteri*, tanto majori quanto animi corporibus præferuntur, locum præpararet, *& huic*, jam non sine illius opera constituto & propagato, *cederet loco.* Quod ipsum divino decreto fecit, victasque dedit manus, postea quam acerrime depugnarat, prinsquam divinum arcanum cognosceret, seque intelligeret fuisse institutum, ut hujus præcursorem ageret, & figuram illius & typum gereret, cui demum ministraturus esset, ut quidem par erat, cum omnimoda facultas divino decreto huic tributa esset. Domino enim Jesu Christo datam fuisse omnimodam potestatem in cœlo pariter & in terra, testatur ipsemet, cum dicit. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Quem cœlestium terrestrium & infernorum Regem constitutum perspicuum esse videtur non minus corporum quam animorum fuisse Dominum. *Verum* autem *Regem* se fuisse *terrarum*, semper professus est, cum interrogaretur de hujusmodi Regno, quod omnes Evangelistæ testantur. Ait enim Matthæus: *Interrogavit eum præses, dicens: tu es Rex Judæorum? dixit illi Jesus: tu dicis.* Marcus quoque refert idem responsum dedisse, cum interrogaret præses, *essetne Rex Judæorum?* Idem quoque refert Lucas. Quod & apertius explicat Johannes, cum ait: *Dixit itaque ei Pilatus: ergo Rex es tu? respondit Jesus: tu dicis, quia Rex sum ego, ego in hoc natus sum & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Nec huic sententiæ adversatur id, quod antea dixerat eidem Pilato.

Regnum

Regnum meum non eſt de hoc mundo: quod declarant verba quæ ſubſequuntur: *Si ex hoc mundo regnum meum eſſet, miniſtri mei utique decertarent ut non traderer Judæis, nunc autem regnum meum non eſt hinc.* His enim verbis *non negavit ſe Regem eſſe*, quod deinde affirmavit, ut teſtimonium redderet veritati: ſed non eſſe *eum Regem, quem Pilatus vereri deberet, quaſi ab hominibus a Cæſare deficientibus & rebellantibus conſtitutus & electus*, de quo percunctatus eum fuerat Pilatus. Quamobrem illis prioribus verbis potius reſpondiſſe conſtat ad id, quod Pilatus mente conceperat, quam ad ipſa verba, quibus tamen demum reſpondit. Quaſi diceret: Non eſt quod formides, Pilate. Non enim a temet ipſo hanc habes ſollicitudinem, an Rex ſim ego, cum perſpicias me omnibus hujusmodi præſidiis & ſatellitibus Regis eſſe deſtitutum: Sed alii tibi hoc ſuggeſſerunt de me. Sed deſine timere, hanc ſollicitudinem depone: quandoquidem *regnum meum non eſt de hoc mundo*, id eſt, *mundana ope non eſt conſtitutum.* Quod tibi perſpectiſſimum eſſe debet hoc argumento, quod miniſtros mihi non vides, qui decertaſſent, ne traderer Judæis. *Si ex hoc mundo eſſet regnum meum*, h. e. *ſi ipſi homines me in Regem delegiſſent. Nunc autem regnum meum non eſt hinc*, id eſt, *ab hominibus conſtitutum.* Quamobrem nihil tibi timendum eſſe cognoſcis. Si autem Dominus ſe eſſe *Regem in terris* negare noluiſſet, utique dixiſſet: *Regnum meum non eſt hic.* At hoc non dixit, ne mentiretur, quod nefas fuiſſet, ſed *hinc* i. e. *ab hominibus non pendet regnum meum in terris*, quod tu times, ſed aliunde provenit mihi poteſtas Regia, ſed de hac tu nihil ſollicitus eſſe debes nunc, etſi vere Rex ſim, ut tu dicis, quod fateor, quia ex hoc natus ſum & ad hoc veni, ut teſtimonium perhibeam *veritati.* Quam *veritatem* etiam Pilatus licet imprudens atteſtari vi divina compulſus eſt, cum titulum cauſæ præſcripſerit: *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum.* Et confirmavit reſponſione data Judæis: *Quod ſcripſi, ſcripſi &c.* Quod & futurum longe antea fuerat vaticinatum, Pſalmographo dicente: *Ego conſtitutus ſum autem Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus.* Et ab ipſis cunis mox nato Chriſto a Magis Regibus comprobatum, non verbis ſolummodo cum e cœlo edocti, Regem Judæorum eſſe natum aſſeverarent ac profiterentur, ſed & re ipſa, cum illum in Bethlehem cognoviſſent, uti Regem adoraverunt. Ad quod teſtandum inter munera quoque aurum obtulerunt. Nec obluctatur his teſtimoniis, *quod ſe in Regem deligi a turbis id volentibus renuiſſet*, quando Regem a Deo conſtitutum non par eſſet ab homunculis, nec multis, nec eam habentibus facultatem, Regem denuo inſtitui: præſertim, cum, ut jam diximus, non veniſſet cultu Regio ornatus, nec tunc Regiam exſerturus poteſtatem erga homines, apud quos habitu humillimus cum formam ſervi aſſumſiſſet ignominioſiſſimam, ac acerbiſſimam mortem eſſet obiturus, ut eos e captivitate Satanæ eriueret. His autem teſtimoniis planum ſit, ipſum Dominum *Jeſum fuiſſe Regem*, etſi noluerit, quoniam nec expediebat ad id quod venerat peragendum, eo tempore, alterius generis omnimodam exercere poteſtatem. Quæ ſemper tali moderatione temperanda eſſe videtur, ut ſpiritualem non impediat ſed ei potius ſubminiſtret, juxta dictum Apoſtolorum in Actis: *non eſt æquum, nos dimittere Regnum Dei & miniſtrare menſis, eligamus igitur ſeptem viros &c.*

Sed non temere quidam ſuſpicantur, nonnullis veſtratum invidiam accreviſſe *ex loco ſedis collocatæ*, propter inſitum quoddam odium quo *nomen Romanum* Judæorum more proſequuntur, propterea quod hic ſplendor *Italiam* illuſtrat, hoc decore *Roma* inprimis honeſtatur. Hinc lacrymæ videlicet, hinc livor, hinc canini latratus, hinc ſævæ obtrectationes, hinc voces obſtrepentes autoritati nominique Romano: Quibus Romanæ aulæ miniſtri *Papiſtæ* dicuntur, *Romaniſtæque & Curtiſſani* per ludibrium nuncupantur. Sed rumpantur licet invidi, ferant tamen neceſſe eſt, quod Spiritus ſancti decreto conſtat eſſe conſtitutum. Quid divinis adverſantur ſtatutis? Non enim *Italia* ſibi hanc gloriam vindicavit, neque *Roma* propria virtute & viribus nixa. Ut orbem ſubegerat, ſic hoc maximum decus, hanc ſummam poteſtatem ſibi comparavit. Quod decus *Antiochiam* prius ubi Petrus reſidebat illuſtrarat. Sed ita voluit Deus, qui hunc locum præ cæteris potiſſimum ad ſummum ſacerdotium elegit, ut priſcæ legis tempore Hyeruſalem delegerat præ omnibus Judææ civitatibus. Cum hoc igitur decreto Dei peractum fuerit, qui *urbem Romam ſummo ſacerdotio inſignem* eſſe voluit: Iſti tamen per ſummam invidiam non ceſſant in eccleſiam Romanam, Apoſtolica voce laudatam, nec recipientem præſtigia, (ut Hieronymus teſtatur) & ſummi Pontificis Majeſtatem adlatrare. Quod ſi ferre non poſſunt, *Petrum* accuſent, ſpiritui divino iraſcantur, cujus afflatu ipſe *Romæ ſedem ſibi conſtituit.* Quæ tamen ſedes erga omnes nationes, gentes, populos æquiſſima eſt. Nam cum Romæ ſita ſit, tamen non magis Romana eſt aut Itala, quam Germana, quam Hiſpana, quam Græca. Ut facile cognoſcas, D. Petrum longe antea ſummum Præſulem Chriſtique Vicarium fuiſſe quam Epiſcopum Romanum. Quamobrem communis eſt *Romana ſedes* omniumque mater, æquo jure, pari charitate omnes gentes, univerſum populum Chriſtianum complectens, quæ neminem reſpuit. Non eſt perſonarum acceptatrix, ſed omnes pariter pro ſua quemque conditione ſtatuque honeſtat. Ubi *ad ſenatoriam dignitatem* & ampliſſimum ordinem, ex omni gente absque diſcrimine provehuntur. *Fuerunt ſemper & nunc ſunt plurimi ex Germanis ſenatoria dignitate fulgentes, ex Gallis item ex Hiſpanis cæterisque nationibus.* Sed quid de *Cardinalibus* dico? cum *ex cunctis gentibus pariter absque diſcrimine Pontifices Maximi* creentur. Græci, Afri, Galli, Hiſpani, Germani. *Nihilo enim plus tribuitur Italo quam cæteris.* Pari jure omnibus patet iter, *nullo privilegio, nulla prærogativa Romanus Germano antefertur.* Quod recenti memoria noſtra *ante quatuor annos* clariſſimo exemplo fuit declaratum, cum *Adrianus ſextus Germanus homo*, vir alioquin doctiſſimus & innocentiſſimus, abſens, *Patrum omnium ſuffragiis Pontifex Maximus eſt creatus.* Ceſſet igitur injuſtiſſima Romani nominis invidia, deſinant hæretici Germanos adverſus hanc *ſanctam ſedem Romæ collocatam* irritare, quæ *de Germanis tam bene merita* eſt, ut eam nationem omnibus

aliis Chriſtianis gentibus prætulerit, amplisſima facultate tributa deligendi *profanorum Principem* præcipuum Chriſtianorum videlicet *Imperatorem*, nihil verita Græcorum inimicitias ſuſcipere, cæterarumque nationum invidiam in ſe concitare, ut unam Germaniçam illuſtraret. Cujus amplisſimi beneficii, ut cætera taceam, quæ plurima & permagna ſunt, ſemper Germania debuit grata memoria meminiſſe. Cum nulla natio ſub cœlo ſit, quæ pluribus rationibus obſtringatur ad hujus ſanctæ ſedis dignitatem & autoritatem tuendam quam *Germania, quorum gloriam & faſtigium ab hac ſancta ſede conſtat eſſe profectam & huic eſſe annexam atque conjunctam. Stare* enim *Imperium Apoſtolica ſede labefactata non poteſt, ſed ſtatim corruat neceſſe eſt*, ità qui ſedem Apoſtolicam oppugnat, tunc Imperium oppugnare certum eſt. Quare ſi *Germani* Imperium ſalvum eſſe volunt atque legitimum, ut hujus ſanctæ ſedis autoritatem ſalvam eſſe velint & laborent, oportet, & ab oppugnantibus illam defendant. *Neque eſt quod ferant iniquo animo, hoc decus ſacerdotiique faſtigium apud Italos & Romæ ſitum eſſe, quando Itali apud Germanos ſolitum Imperii eſſe non indignantur*, ſed potius autores fuerunt, ut ad ipſos deferretur. *Beneficio* enim *Romanæ ſedis illud acceperunt:* cujus autoritate & Majeſtate perſtat Imperii dignitas, conſtat cæterarum eccleſiarum reverentia, verusque religionis cultus: cujus ſoliditate & ſapientia ſtat fidei integritas conſtantia & fortitudine reprimitur impiorum audacia, arrogantium furor infringitur, ſtudio & diligentia omnes bonæ artes & diſciplinæ conſervantur, liberalitate pauperes paſcuntur, juſtitia & judiciis ſublevantur oppreſſi, cujus fulgore univerſus orbis illuminatur, cujus denique opera ſervatur univerſa Reſp. Chriſtiana.

At forte dicent *Germani*, æquo animo pateremur ut apud Italos, poſteaquam ſic contigit, hæc dignitas emineret, ſed *pergrave eſt ſubire tot onera & exactiones, & quod tam ingens copia Germanici æris Romam transferatur.* Sed ex tali calumnia facile ſit cognoſcere aſtum, malitiam, artesque hæreticorum, qui ad commovendos Germanorum animos, *communem jacturam* in medium attulerunt. Propterea quod plurimi verborum controverſias & ſcripturæ quæſtiones, ut, cum quæritur de autoritate Pontificis Maximi, de inſtitutione ſacramentorum, & aliis ejusdem generis, negligunt, aut quia non intelligant, aut quia arbitrentur ad ſe minus illa pertinere: At cum *de cenſu, de commodis* agitur, nemo eſt qui aures non arrigat. At ſi omnibus pateret, quam exiguum, quam exile ſit quod ex univerſa Germania (quamvis tam vaſta tam opulenta regione) ex tot ipſius regnis, tot opulentiſſimis provinciis, ærario Pontificis Maximi quotannis inferatur, agnoſcerent quam indigne iraſcantur, & quam maligne *libelli Gravaminum Germaniæ* editi fuerint: Quibus ad rem exaggerandam & invidiam faciendam *Libellum taxationum* adjunxerunt, quaſi non ſemel tantum in vita ſed quotannis ſumma taxata penderetur, aut tota ſumma Pontifici tribueretur, nec major pars inter patres diſtribueretur, & miniſtros perpetuo laborantes: Cum ſit alioquin tam parva, tam exilis, ut fidem niſi eorum qui viderint non capiat. Sed quæ tandem injuria eſt, *ſacerdotes minores ſummo ſacerdoti*, maxima quæque onera ſubeunti, & maximos ſumtus perferenti, ſacroque ſenatui ſemper cooperanti & inſudanti, *aliquid contribuere, & quaſi ſubſidium legitimum ſolvere, cum ipſi ſacerdotiis præficiuntur:* Qui tamen perpauci ſunt, cum *fere omnia ſacerdotia minora ab Epiſcopis vel Abbatibus a collegiisque Germaniæ non a ſummo ſacerdote conferantur.* Quodſi Germani populi profanis Principibus annua veſtigalia pendent, Cæſari tributa ſolvunt, *quamobrem ſacerdotes ſummo ſacerdoti legitima ſemel in vita non pendant?* At *decimarum decimæ ipſo divino jure antiquæ legis, ſummo ſacerdoti pendebantur. A profanis hominibus nihil exigit Apoſtolica ſedes.* Cur iſti tanto dolore clamant, quaſi ipſorum ſanguis deglutiretur. Sed apparent fraudes & malitioſa conſilia ſycophantarum, quærentium cauſas ad irritandum imperitam multitudinem. Quæ plane intelligeret nullam eſſe cauſam invidendi, ſi animadverteret *nullam Remp. absque cenſu ſervari poſſe*, cognoſceretque tam *exiguum* eſſe *ſedis Apoſtolicæ cenſum*, ut ne ſumtus quidem neceſſarios ſuppeditare valeat. Nam etſi nonnullas ſubjectas habeat civitates titulo etiam tenus regiones & regna, jugum tamen eccleſiæ leve eſt & ſuaviſſimum. Itaque ex his ei parum, ex aliis præter honorem nihil commoditatis accidit. Non enim hic Regum copiæ non Crœſi opes, etiamſi auro nonnulla laquearia niteant, ſed omnia perexigua, ac, ſi ad ſumptus ſpectes, egeſtate plena. Quod ſi maligni ea diligentia perquirerent qua cætera, ut maledicant; veritate perſpecta reperirent id, quod multis incredibile fortaſſis videatur, *plurimos in Germania præſules Pontifice maximo ſumtuum habita ratione longe ditiores*, nullamque ſubeſſe propter opes invidiæ cauſam. Qua excitata, fuit effectum, *ut prologus tragœdiæ Lutheranæ lætanter adeo* (ut ſcribis) *ſpectaretur, non tantum a laicis, ſed etiam a quamplurimis ſacerdotibus & Epiſcopis:* Cum *Lutherus* nihil aliud agere, nihil petere videretur, quam ut *derogaret infringeretque ſummam Pontificis maximi poteſtatem;* ob idque *Epiſcopos omnes pares eſſe* prædicaret, *nihilque tribui debere ſummo ſacerdoti.* Qui ſermones compluribus mirum in modum arridebant. Quoniam compertum eſt, impares ſemper potioribus invidere, & ſubjici tam eſſe grave quam præeſſe jucundum. Quamobrem excipiebantur hæ voces a multis jucundiſſimæ, nec prævidebant cœci præſules, ſtulti ſacerdotes, hac expugnata arce, hac proſtrata autoritate, qua ſtat omnis eccleſiaſtica poteſtas omnisque honor, cunctam dignitatem ſacerdotum & omnem facultatem everſum iri. Quod probe intelligebat verſipellis vulpecula. Perſpiciebat enim, infirmato corpore, cætera membra languere oportere. Quam ſuam cœcitatem tarde miſeri & cum ſua magna jactura, & quantam *prologus ille* perniciem ipſis attulerit, ſenſerunt.

Ac duo quidem genera expoſita ſunt eorum qui pravo affectu jurarunt in verba Lutheri. Sequitur ut tertium explicemus: quod quidem eſt partim eorum, qui avaritiæ & cupiditatis inpotentes, ad bona eccleſiarum occupanda inhiabant, partim eorum quibus freno legum arceris magiſtratibus ſubjici, ſub diſciplina vivere, moleſtum erat & pergrave: nihil dulce nil optatum, niſi ad libidinem

vivere,

vivere, pro ſuo arbitratu. Qui omnes mox exorto Martino, quaſi occaſionem nacti, quam ſemper expetiverant, ſeſe dediderunt. Quos ille prorſus ſibi addixit, mellito nomine *Chriſtianæ libertatis* allectos, cum prædicaret, *cunctos homines natura, inſtitutoque divino pares eſſe, vim autem & tyrannidem hanc diſparitatem feciſſe. Divinis* enim *tantum legibus pauciſſimis & leviſſimis Chriſtianos obſtringi.* Cætera omnia vincula eſſe ab hominibus arte aſtuque & impoſtura ac fallaciis conſtituta. Proinde durum jugum excutiendum eſſe, omnia ad æquum reſtituenda, *ſola fide homines juſtificari, non eſſe inſudandum operibus.* Quæ voces mirum in modum placebant imperitæ multitudini. Quam ut ad majorem ſpem erigeret & inflammaret, iis adjiciebat, *publicanda eſſe bona ſacerdotum, egenisque ac pauperibus diſtribuenda.* Itaque ſublatis omnibus humanis legibus, divinis etiam compluribus partim diſtortis, partim abrogatis, quas contendebat non eſſe divinas, quæ ſcilicet oneroſiores eſſe videbantur, ut *leges confeſſionis ſacramentorum complurium, jejuniorum, votorum: Sublatis* item *decimis & oblationibus legitimis, quæ ſacerdotibus præſtabantur*, rejectis conſuetudinibus vim legis habentibus, abjectis ceremoniis, ſublatis judiciis: Ad ſummam, abjectis omnibus quæ ingrata moleſtaque carnalibus hominibus videri poſſent, omnique vivendi licentia permiſſa: Ingentem populi multitudinem ſibi devinxit, ſed hujuscemodi qualem gentium Doctor in eccleſiam eſſe irrupturam Timotheum admonuit his verbis: *Scito quod in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſe ipſum amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, incontinentes, immites, proditores, protervi, cæci, voluptatum magis amatores quam Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes &c.* Quo ſucceſſu *Martinus* magis ac magis in dies elatus, iniquiorque effectus, in omnes blaſphemias ad profunda impietatis tandem prolapſus eſt, æmulatus omnino, ſi quis diligenter inſpiciat, hæreſiarcham *Mahomet.* Ut enim *ille* permiſſis voluptatibus ac conſtitutis legibus placidis atque ſenſum oblectantibus, plurimos allexit populos, ſic *iſte* eadem via incedens, aſpera quæque tollit, ſuavia concedit, cœlibatum aufert, ſacra clauſtra tum virorum tum mulierum perfringit, pudicitiæ votum exterminat. *Ille* legem evangelicam optime traditam fuiſſe aſſerebat, ſed depravatam a Chriſtianis, ideoque ſe miſſum ad veritatem aperiendam, ad redigenda omnia ad veram divinam legem. Hæc eadem *iſte* profitetur. Sed intereſt, quod *ille* corruptam eſſe ſcripturam ajebat, multis locis ſuppoſititiis, *hic* perperam interpretatam, depravate expoſitam a ſanctis omnibus & ſacris conciliis prædicat, ſeque miſſum ut verum ſenſum illius referet. *Ille* ſe afflari Spiritu ſancto jactitabat, ab eoque doceri ea quæ prædicabat: *hic* idem divino Spiritu impulſu cuncta ſe facere profitetur. Cui congruere videtur quod dicit Dominus per Ezechielem: *Væ Prophetis inſipientibus qui ſequuntur ſpiritum ſuum & nihil vident, ſed ſunt quaſi vulpes in deſertis. Divinant enim mendacia cum Dominus non miſerit eos & tamen perſeveraverunt confirmare ſermonem ſuum. Propterea hæc dicit Dominus: in conſilio populi mei non erunt, & in ſcriptura Domus Iſrael non ſcribentur, nec in terra eorum ingredientur, eo quod deceperint populum meum. Ille* imagines omnes ſuſtulit, ſacros ritus omnes ac ceremonias contemſit brevibus quibusdam preculis conſtitutis: *Hic* nihilo ſecius ſacras imagines contemſit, quamvis poſtea (ut audio) hanc legem ſed ſtultiſſime temperavit, horarias preces divinarum laudum abjecit, cantus pſalmorum ſolennesque ritus omnes abſtulit. *Ille* placitis ſuis ſtare juſſit, non permittens de dogmatibus ſuis diſſeri, rationem omnem prorſus rejiciens, quæ eis adverſetur: *Hic* ſi ejus inſana dogmata rationibus oppugnentur, exclamat blatero temulentus *ſcholaſtica eſſe ſophiſmata, non admittenda in ſacris dogmatibus*, ac ſi homines ratione carerent, & theologica ratione repugnarent, figmentumque eſſet & apparens doctrina, ſacra Philoſophia. Dic nebulo impudentiſſime (ſic enim par eſt) te Martine hoc loco nuncupare? Quid aliud eſt *Philoſophia*, ſive de rebus ſit, exiſtentiam ex ſeſe ipſis habentibus, ſive de his quæ tantum intellectu formantur & concipiuntur, quam intelligentia & rerum ſcientia, conflata partim ex ſeminibus & principiis nobis a natura inſitis atque tributis, partim ex his quæ in ipſis rebus ſenſu deprehenduntur. Quid aliud eſt *Logica*, quam ſcientia recte ratiocinandi de rebus omnibus? Quod ſit cum quibusdam recte poſitis alia rite colliguntur per regulas rationis nobis naturaliter notas. Qua Logica omnes neceſſario utuntur, qui recte ratiocinantur, ſive a natura ſive ab arte comparata. Qua tu quoque uteris, quamvis ut plurimum perperam, magis paralogizans quam recte concludens. Fere enim ſemper principium petens, ſupponis tanquam probatum, quod tibi maxime erat confirmandum, cætera quæ inde ſequi videntur perſequeris magna garrulitate. Quamobrem tu ſophiſta importuniſſimus, impoſtor callidiſſimus, optimas diſciplinas exactiſſimasque artes, & graviſſimam *Philoſophiam* quaſi rem fictitiam & fraudulentam rejicis. Quod tamen ex animo te facere non exiſtimo, niſi hominem æque uſu rationis expolies, ut *liberi arbitrii facultate* privaſti. Quod ſi hominem rationis non eſſe participem nec vi mentis differre a brutis contendis, conſentanee dixeris, nullam eſſe Philoſophiam vi naturæ conquiſitam, univerſamque humanam ſapientiam nugas eſſe & mera ſomnia. At ſi fateris hominem intellectu pollere, quomodo vanitatem tuam excuſabis, qui rerum notitiam ratione naturali comparatam, quam *Philoſophiam* appellamus, *ſophiſticam & commentium inventium* eſſe jactitas eſſe. Qua impudentia illorum ſententiam tueri poſſes, qui manifeſta ſenſibus inficiabantur? Sed nihil me fallis, intelligo, quamobrem Philoſophiam tantopere oderis, tantoque ſtudio illi fidem detrahere innitaris. Formidas videlicet nimis examen ejus, vererisque ne doli & ineptiæ tuæ per Philoſophiam detegantur, cum tu ubique naturali rationi & rerum uſui dicas repugnantia. Hinc divus *Thomas*, ſolertiſſimus *Scotus*, *Bonaventura*, *Henricus*, *Magnus Albertus*, & cæteri quamplurimi Doctores præclariſſimi doctiſſimæ Pariſienſis Scholæ Profeſſores, a te exſibilantur, & calumniis quaſi *Sophiſtæ* vexantur: *Qui exactiſſima ratione de dogmatibus theologicis diſſeruerunt. Quo diſceptandi genere & methodo docendi divinitus demum inventa,*

venta, quid poteſt eſſe accommodatius, modo ea ne quis abutatur ad veritatem paucis comperiendam explicandamque, & quæſtiones cunctas usque ad prima elementa reſolvendas. Ut enim tribulis & trahis granum excutitur ex paleis, cribro excluditur zizania a tritico, ſic *ea methodo*, quaſi excuſſorio eventilantur doctrinæ fallaciaque dogmata paleis involuta explicantur & convincuntur. Quæ tu dum merito times, *Pariſienſem doctrinam ſophiſticam eſſe* prædicas, quæ verum eſt tormentum & flagellum hæreticorum & proinde illis inviſa & imprimis moleſta. At es ne tu, arrogantiſſime calumniator, cum illis, non dico ſummis viris illius ſcholæ, qua nunquam in Chriſtiano orbe fuit celebrior in fide catholica, ſincerior & doctior, *Henrico, Scoto, Alberto Magno, Thoma, Ocham*, ut cæteros omittam ejusdem ordinis viros ſummos, ſed cum minoris notæ Doctoribus plebeisque Theologis Academiæ illius celeberrimæ, comparandus, aut alterius ab ipſa derivatæ, ut a primævo fonte, eadem methodo incedentis? Cum enim *Pariſienſem Academiam* eximie commendo & celebro, uti primariam & omnium principem, & cæteras laudo, quæ ab illa profluxere. Aut es ne dignus, ut in hominum doctorum numero recenſearis? Perpendantur ſcripta tua, nonne ipſa teſtantur te pauculis literis inſanum evaſiſſe, cum in eis nec eruditionem, nec judicium, nec elocutionem præferas, ſed tantum furorem, blaſphemias, argutiolas & captiunculas, cum verborum inanium inculcatione, & ſummo ſtudio depravandi ſenſu ſcripturarum, quas cum attigiſti non minus fœdaſti quam obſcœnas Harpias ferunt dapes, quas contigiſſent. Quantum dedidiciſti, Martine? quanto *plus ſapiebas eo tempore*, quo *in quadam declamatiuncula tua edita & typis excuſa* aſſerebas, non eſſe tutum, diebus feſtis extra templum Parochiæ miſſam audire, ne prætextu quidem peculiaris cujusdam devotionis, cum ſtatuto Eccleſiæ miſſa ſit in Parochia audienda: Quam Eccleſiam affirmabas non poſſe errare, falli autem poſſe Spiritum proprium, etſi moveatur pio quodam affectu. Quamobrem admonebas, in eo non eſſe fidendum, nec in ſenſu proprio ambulandum, exclamans ignarum eſſe fallaciarum diaboli, & neſcire quid poſſet aſtu & dolis, qui proprio fidit Spiritui, cum transfiguret ſeſe perſæpe in angelum lucis, ut commodius ſe ducat, & ſpecie pietatis multa ſuggerat, quæ minime deceat, multosque his artibus fefelliſſe ajebas. Proinde concludebas ſtandum eſſe decretis Eccleſiæ cum ipſa falli non valeat. Quanto igitur *doctior tunc eras*, quanto ſpiritu domini magis afflatus, quando hæc concionabaris, quanto prudentior quam poſtea fueris, cum ſenſui proprio fidens, laqueo ipſius diaboli, quem præcavendum ſollicite prædicaveras, captus, judicium univerſalis eccleſiæ, ſententiam omnium ſanctorum, contemſiſti, & *tractandi Theologica novam rationem* commentus es, qui *Theologiam profanare videri cupis, ſi quis Platonem aut Ariſtotelem adduxerit ad ſententiam aliquam confirmandam*, quos tanto faſtu contemnis, quaſi de compotoribus tuis quibusdam rudibus, ac indoctis hominibus loquereris: Cum tamen illi omnibus doctis ac prudentibus, annos jam bis mille pro naturæ miraculo fuerint & ſummis laudibus celebrati. Quorum doctrina, *Ariſtotelis* præſertim, quem te picturum ſuis coloribus (ſi tempus daretur) arrogantiſſime profiteris, tam profunda & exacta a cunctis Philoſophis naturæ cauſas contemplantibus judicatur, ut omnes confiteantur nullum naturæ myſterium, quod homini lumine naturali poſſit eſſe cognitum, illum latuiſſe, nec ultra proſpicere quemquam mortalem a condito orbe propriis viribus hucusque potuiſſe, videriquе ipſum ſolum univerſam Philoſophiam illuſtraſſe, & cæteris ad dicendam tradidiſſe. Quamobrem *nec quempiam dignum haberi nomine Philoſophi, qui in dogmatibus Ariſtotelicis non fuerit eruditus.* In quibus quidem te minime verſatum fuiſſe præ te fers, nec ex fontibus propriis ſi quid attigeris hauſiſſe, ſed *derivata ſordidis & ſinuoſis canalibus* paucula quædam excepiſſe: hoc eſt *ex commentariolis quibusdam*, in quibus illa hinc inde congeſta circumferuntur, quæ tamen qualiacunque ſint faciunt, ut aliquid eſſe videaris. Tu tamen pro cætera tua verſutia, qui nugas recipis & figmenta Poëtarum, quoniam tuis mendaciis accommodantur, & nominibus uteris ac exemplis gentilium, tam profanis, ut non indecorum modo ſed impium prorſus ſit in ſacris quæſtionibus illa commemorari. Quid enim commune dogmatibus Theologicis cum Oreſte, Protheo, Hercule, Æneada & ſimilibus, quæ paſſim in ſcriptis tuis uſurpas? Ergo qui hujusmodi rebus eniteris, rejicis genus illud literarum quod doctrinæ tuæ reluctatur, non ignorans videlicet, hoc velut ſcalpello facile eſſe vomicas tuas aperire. Et horreſcis quippe doctrinæ genus, quod verba rejicit, nugas repellit, & ad vivum reſecando ſupervacanea, ad rem pervenire contendit. At ſi rationari & colligere ex datis *more Ariſtotelico* Theologum vetas, & *Sophiſtam* qui hoc fecerit, appellas, quare tu ratiocinatione, argumentisque tua confirmare conaris, & tanto verborum fragore & apparatu, quaſi fulmina eſſes jaculaturus, qui vix ſoles, palearum favillas effutire? Sin autem licet, ſi expedit ita differere, cur eos accuſas, qui id faciunt exactiſſime, & hac compendaria via commodiſſimaque ratione procedunt, & rejicis tanquam *Sophiſtas captioſos?* Sed nemini mirum videri debet, a te *hos recentiores Theologos* tam impudenter contemni, cum tanto faſtu & arrogantia vetuſtiſſimos & ſanctiſſimos Doctores omnibus ſeculis probatiſſimos ſpernis. Divos inquam, Hieronymum, Auguſtinum, Ambroſium, & cæteros, tum Latinos tum Græcos, Dionyſium, Chryſoſtomum, Nazianzenum, Origenem, & alios, quos longum eſſet recenſere, quos procaciſſime derides, petulantiſſime opprobriis & convitiis inſectaris. Quibus rebus declaras, neque te Deum vereri, cum teſte Hieronymo qui ſanctis Dei non credit neque Deo credit. Qua ratione elici poteſt, qui ſanctos ſpernit maximumque Deum ſpernere. Sed quid temeritas tua non audet? cujus autoritati cedit? quæ neque Apoſtolicis ſcriptis detrahere veretur, nec indigna prorſus blatterare *de epiſtola Jacobi Apoſtoli & de libris Maccabæorum, quos eccleſia inter Canonicos recipit*, & aliis, quicunque dogmatibus tuis expreſſius occurrunt. Quas autem ſcripturas recipis, nec his quidem parcere ſoles, ſed has pro libidine tua detorques, tuisque depravatis fœdisque ſenſibus interpretaris, ut aptiſſime poſſis Scripturarum Harpia nuncupari. Nec te tamen quis-

quisquam redarguere poteſt qui tibi hunc jocum permiſeris, ut tibi nullo loco conſentias, ſed impudentisſime tu teipſum pasſun redarguas, & doctrinam tuam hoc quoque decere putes. Cum igitur redargutione non erubeſcas, *rationes* innixas principiis naturaliter notis non admittas, ſed *ſcholaſticas* dicas, & ut *Sophiſticas* rejicias, ſanctorum Doctorum ſententias ſpernas, conciliorum decreta non recipias, ex ſacris literis veros ſenſus illarum excludas, autoritatem omnem contemnas, quis negare valebit, diſputandi te nullum locum relinquere, atque tuam methodum Maumeti diſciplinæ prorſus eſſe conformem, cum uterque nullam permittatis exquiſitionem fieri veſtrorum decretorum, ſed ſtari placitis veſtris jubeatis? quod tamen cautelam communem eſſe omnium hæreticorum refert Hieronymus. Denique ut *ille* negotium ſuum vi & armis peregit, ſubigendo ſibi populos potentia: ſic *iſte* idem facere jam cœpit clam per miniſtros ſubornata infirma plebe ut arma ſumeret pro libertate adverſus tyrannidem. Sic enim ſolet principatus appellare. Quamvis deinde tumultus magnitudinem & ruinam veritus, ne id malum in caput ipſius tantorum ſcelerum autoris recideret, *libellos ediderit*, quibus miſerrimos *ruſticos*, quos prius excitaverat & adverſus nobilitatem concitarat, deteſtatur, & trucidandos miſerrime proſcribit: Unde maxima horum ſtrages ſecuta eſt, qua plus quam centum & viginti millia deſiderata ſunt, nec adhuc ceſſat gladii ſævitia. Quibus malis hominem perditisſimum delectari declarat ſtudium ejus, quo non ceſſat animos inflammare perpetuis libellis, & concionibus popularibus ſeditioſisſimis. Dum enim Eroſtratum gaudet æmulari, qui ut nobilitatem quacunque ratione indipiſceretur, præclarisſimum Epheſiæ Dianæ templum incendit, ad ſuam gloriam hæc omnia facere putat, plurimumque exultat & geſtit animo, cum videt ſe jam unius ſectæ autorem fuiſſe, ex ſuoque nomine hæreticos quosdam Lutheranos appellari, ut olim Sabellios, Donatiſtas, aut Manichæos a Manichæo, Donato aut Sabellio dictos: quorum famam adæquaſſe glorioſum putat, & magnam eſſe laudem in catalogo hæreſiarcharum conſcribi. Quemadmodum *Taciarius* quidam eloquentiæ tumore novam condidit hæreſin, teſte Hieronymo, ita hic ſuperbia turgidus facere ſtatuit, ut qui antea nihil erat, jam aliquid eſſe videatur. Quod ut aſſequeretur nullum quemque turpe facinus ſibi indixerat recuſare.

At cum rurſus in *Lutherum* offenderim, rurſus commotus impellor *quædam dogmatum ipſius* contingere, *leviora* tamen ut plurimum & ob id forte, *a doctiſſimis viris prætermiſſa*, cum majora copioſe & eruditisſime refutaverunt. Sic autem agam, ut primum telo utar ipſius, quemadmodum ſupra feci, deinde noſtris id eſt a catholica & vera religione profectis rationibus. Ab eo igitur primum quærere ſuccurrit, qua ratione, quave autoritate innixus, *leges humanas, ſacros ritus, cantus & ſolennes ceremonias evertat?* Sed illud inprimis (quod non eſt ex levioribus) *quo ſacræ ſcripturæ loco* motus audeat divina *vota diſſolvere*. Ut, quoniam ipſe *hoc telo* inſtituta noſtra oppugnat, ut dicat, *ea ſacris literis non contineri*, nos eisdem armis ipſum adoriamur: Cum pari ratione afferre ipſe teſtimonium ſcripturæ obligetur, cum aliquid ſtatuit, qua nos vult eſſe obſtrictos: Cum perſpicuum ſit, non minus legem condere, qui conſtituta decernit eſſe abjicienda, quam qui decernit aliqua de novo eſſe accipienda. Ut intelligat Martinus, me magis moveri conſilio noſtra defendendi, quam ſtudio dogmata ipſius impugnandi. Nam illam diligentiam inanem profecto & ſtultam putarem, juxta ſapientis ſententiam: vanum eſt adverſus quemlibet ſtulta proferentem eniti. Sed cum Profeſſores ſimus bonæ fidei, noſtrorum rituum, noſtrorumque dogmatum, & ipſe calumniator inſidioſus, fas eſt, ut ipſi jus noſtrum ab ejus oppugnatione defendamus, cui cum reſiſtitur a quovis catholico, ſatis ab eodem inſania Martini refellitur. Cum enim actor non aſſequitur quod conatur, convictus eſſe dignoſcitur. Judices enim reum recte poſſidere, inanemque fuiſſe actionem declarant. Stultum eſt igitur, quenquam à moribus majorum, à vetuſtisſimis conſuetudinibus, à ſacris ritibus, ob verba Martini diſcedere, niſi comprobet ille teſtimoniis, & invictis rationibus concludat, illa eſſe abjicienda, recepta communi conſenſu & judicio clarisſimorum virorum. Sed hoc non eſt timendum in argumentis Martini, quæ tam frivola ſunt, ut cuilibet vel mediocriter erudito facillimum ſit illa refellere. Illud tamen animadvertendum eſt, quod homo doloſus cum aliquod argumentum attulerit, qualecunque id ſit, mox arte callida oppugnatoris partes deſerit & defenſoris aſſumit, ſeque ex actore in reum ſtatim transformat.

Exordiar autem ab *humanis traditionibus*. Sic enim ipſe appellat *canonicas & ſacras leges, quarum codicem publice concremavit*. Et quæram ab ipſo, utrum illas improbet, *quia humanæ* ſint, an quod *improbæ & pravæ?* Si, *quia humanæ*, indignum eſt profecto inter homines converſari qui tam male ſentit de humani generis conditione, & rationis providentia, ut omnia humana rejiciat atque condemnet. Si *iniquas* eſſe dicit, par erat ut id antea declararet quam eas combureret. At *pravas* dicere non poteſt, cum legi divinæ ſint conſentaneæ, & ad eam ſervandam accommodatæ. Nec dicere poteſt *ſupervacaneas* eſſe, *cum lex divina ſufficiat*. Conſtat enim *divinam legem ſtatuere neceſſaria tantum ad æternam ſalutem conſequendam, non tamen omnia expreſſe continere, nec ad infima quæque deſcendere, ſed potiora & neceſſaria tantum complecti*, reliqua vero mortalibus commoda, ad divinam legem ſervandam ac ad bene vivendum & ad felicitatem conſequendam opportuna, arbitrio afflantis ſpiritus ſancti & judicio rationis naturalis decernenda reliquiſſe. Cujus *ſpiritus vis fruſtra fuiſſet eccleſiæ tributa, ſi omnia lege evangelica fuiſſent expreſſa, omniaque honeſta & commoda lege divina ſancita fuiſſent*. Pro temporum enim ratione aliqua decerni, quædam immutari convenit. *Nec omnia omni tempore accommoda ſunt. Aliqua ſanxerunt Apoſtoli quæ deinde immutarunt*. Et ut ſuperius expoſuimus plurima ſtatuit Paulus quæ evangelica lege deſcribuntur. Quæ nec omnia accepiſſe a Domino ipſe teſtatur (cum ait:) *Hoc dico ego non Dominus*. Plura enim conſtat ipſius ſenſu & judicio condita fuiſſe. Multa quippe ſtatuit circa ritus & conſuetudines,

ut, quod vir aperto capite oret, mulier autem velato: Quod mulier in eccleſia non loquatur ſed taceat: De Prophetia & linguarum uſu quomodo illis ſit utendum: De virginibus & viduis, de judiciis & controverſiis fidelium, de præpoſitis, de collectis, de epulis, quæ publice in eccleſia fiebant, & multis aliis ſimilibus. Quorum decretorum plurima *in codice canonum* translata comprehenduntur. Simili modo cæteri Apoſtoli, & Petrus & Jacobus, aliqua ſanxerunt & monuerunt proprio judicio, quod ipſorum epiſtolæ teſtantur, & *viva voce multa tradiderunt.* Quarum *traditionum* Ignatius martyr *librum* conſcripſit & Euſebius Cæſarienſis aſſerit. Quæ omnia abolenda eſſent, ſi omnes humanæ traditiones tolli deberent, cum *earum plurima ab ipſis ut hominibus ſtatuta* fuerint, non tanquam ipſis a Chriſto tradita. *Non* ergo *omnes humanæ traditiones rejiciendæ ſunt.* Quod confirmatur & decreto Servatoris, dicentis apud Matthæum: *Super cathedram Moſis ſederunt ſcribæ & Phariſæi, quæ dicunt facite &c.* Quibus verbis apertiſſime monſtratur, *magiſtratum gerentes facultatem habere condendi leges, illasque ſubjectis eſſe ſervandas.* Præterea conſtat, multas ex traditionibus eccleſiaſticis divinas leges interpretari, & quasdam non ſcriptas, ſed per manus acceptas promulgare: Ut *leges ſacri quadrageſimalis jejunii & ſacramentorum; Cum qua forma conficienda ſint & miniſtranda*, & plurima id genus alia, *in ſacris conciliis definita & explicata. Non* igitur *abolendæ ſunt a Republ. eccleſiaſtica conſtitutiones canonicæ*, ſed reverendæ & ſervandæ, quemadmodum Hieronymus inquit: *præcepta eccleſiaſtica obſervantur ſicut a majoribus tradita ſunt.* Adde, quod *absque humanis legibus nulla reſp. nulla vita civilis vel conſtitui vel conſervari poteſt.*

Age vero quid tandem eſt cauſæ, cur hæretici *divinas laudes, quæ in templis decantantur, horariasque preces* & ſacras ceremonias damnent? Quo ſcripturæ teſtimonio nituntur ut hæc tollant & evertant? Quas Chriſtus nunquam tolli præcepit, nec improbavit, nec Apoſtoli prohibuerunt? Sed redibunt ad ineptias hæretici clamabuntque, *ne inſtituiſſe quidem, quando ſcriptum non reperiatur* & proinde *humano conſilio eas fuiſſe conſtitutas.* Sed hæc ratio quam parum procedat, quam falſo innitatur fundamento, ſupra eſt a nobis declaratum. *Neque* enim *oportuit ut omnia divina inſtituta ſcriberentur lege evangelica*, quorum cum multa eſſent uſu recepta, nihil erat quod quaſi denuo ſancita ſcriberentur. Laudes autem divinas cantare & *ſolennibus ſacrificiis* Deum immortalem *adorare*, tam antiquum eſt, ut cum ipſo mundo natum eſſe videatur. Hoc enim ante Moſen primum legis divinæ ſcriptorem, factum eſſe teſtantur ſacræ literæ. Hoc & Moſes ipſe ſtatuit eſſe faciendum, & fecit, cum carmen illud ſimul cum populo Iſrael cecinit. *Cantemus Domino; glorioſe enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem dejecit in mare &c.* Quem imitata Maria, Prophetiſſa aſſumto tympano, cum filiabus Iſrael chorum agentes pari jubilo idem cecinerunt. Hoc Rex David Deo acceptiſſimus, hoc ceteri vates omnes V. Teſtamenti præſtitere. Quod atteſtantur tot hymni, Pſalmi, cantica ad divinas laudes decantandas inſtituta: cantoresque à Davide Rege conſtituti ad id officium peragendum. Totiesque invitat Spiritum S. ad canendum, ut loca enumerare nimis & operoſum ſit & ſupervacaneum, cum res ſit perſpicua & omnibus manifeſta: Ut illud, ſæpe repetitum: *Jubilate Deo &c.* & illud; *Cantate Domino omnis terra, bene pſallite ei in vociferatione.* Et illud: *Laudate Dominum in ſono tubæ, in pſalterio & Cythara, in tympano & choro, in chordis & organo, in cymbalis & jubilis.* Qui quidem mos cum lege evangelica non fuit abrogatus, confirmatus fuiſſe optima ratione concluditur, præſertim cum ſemper ab univerſa eccleſia fuerit ſervatus. *Plurima* enim *antiquæ legis*, dictante Spiritu ſancto à majoribus noſtris ab ipſis apoſtolis *recepta, & poſteris tradita* ſunt, non quia antiquæ legis eſſent, à cujus ſervitute nos liberavit Chriſtus, ſed *quia per ſe probanda & rationi conſentanea*, ſummoque Deo ſemper grata, maximo angelorum exemplo & argumento: à quorum multitudine natalis Jeſu Chriſti gratulatio canticis ac jubilis facta eſt his verbis: *Gloria in altiſſimis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, ut Lucas teſtatur in Evangelio. Quæ Chriſtiani rite & caſtiſſime peragunt, non ut mandata Moſis ſed ut inſtituta novæ legis Chriſti, non ut peregrina & externa, ſed ut ſua propriaque religionis chriſtianæ. Chriſtus libellum repudii judiciaque expreſſis verbis abrogavit, abrogarunt Apoſtoli circumciſionem, ciborumque prohibitionem, ritum ſacrificiorum in ſanguine, & cetera omnia, quæ Chriſtum venturum duntaxat præfigurabant. Non abrogatus fuit uſus templorum, non concentus divinarum laudum, non ſolennes preces, & cætera plurima id genus: quæ ut exemplaria cœleſtium & verorum, ad quæ tendimus, catholica Chriſtianorum peragit eccleſia. Neque vero ſolennis hic cultus, idcirco ſummo Deo à Chriſtianis exhibetur, quemadmodum hæreticus facete (ut vult videri) cavillatur, quod ſe putent tali concentu aures divinas demulcere, quæ talibus cantionibus delectentur: Sed quia ſic pium & reverentem animum erga creatorem redemtoremque oſtendimus, ejusque cultui ad hunc modum pie majorum inſtituto & angelorum exemplo vacamus, non ut Deo blandiamur, ut hæretici ſacrilega voce jactant: A quibus cum ſummo Deo ſupplicamus, cum ſolenniter ſacrificamus, cum cumulatiſſimis honoribus eum proſequimur & colimus, cum illi laudes ex toto animo magna & clara voce concinimus, Deo adulari dicimur, pueriliter ludere, & nugas agere. Quod nemo vetuſtiorum hæreticorum (quod ſciam) proferre unquam eſt auſus, nec contemtor divûm Epicurus protuliſſet. Adulabantur igitur Deo ſanctiſſimi vates omnes, cum hæc peragebant, adulabatur cantor Spiritus ſancti, cum tanto concentu, afflatu Spiritu divino, ſacros hymnos non ſolum voce, ſed & Cythara lætus & ardens pſallebat: Delirabant tot ſanctiſſimi & graviſſimi Patres, tum veteris, tum novæ legis Profeſſores, cum prolixioribus verbis Deum precibusque adorabant, & hoc ritu Deum obſecrabant. Sic enim coli Deus ipſe vult, ita ſibi ſupplicari. Quod virgo Deipara Spiritu S. repleta locupletiſſima teſtis, declaravit cantico illo: *Magnificat anima mea Dominum &c.* Teſtatur hoc ipſe Servator noſter tum exemplo tum verbo, cum

impenſe

impense admodum templum coluerit, usque adeo nunquam succensuerit nec imperio palam usus fuerit, quod sacræ literæ referant, nisi adversus improbos qui templum profanabant, & vendendis emendisque mercibus polluebant, quos ter manu sua sacratissima flagellatos à templo simul cum argentareis, profusis ipsorum nummis, ejecit, gravioribus verbis increpatos, quod domum patris sui suamque institutam ad precandum Deum orationibusque colendum, forum & mercatum facerent, speluncamque latronum redderent. Quinimo, ut testatur Marcus Evangelista, tam reverendum esse locum docuit, ut per templum ne vas quidem aut quippiam aliud transferri permitteret. Qui cum dixit: *Pulsate & aperietur vobis*, quid aliud intelligi voluit, nisi, assiduis precibus orate Deum, & ipse vos exaudit. Subjicit enim: *Saltem per importunitatem dabit vobis.* Quare alio in loco sic ait: *Orantes sine intermissione.* Hæc igitur vult omnipotens Deus sibi ab hominibus exhiberi, non quod his egeat vel oblectetur, qui ex sese beatissimus est, sed quia nos egemus ille gratis & libenter acceptat. Attamen cum hæc impendimus maximo Deo, dicimur ab impiis Deo adulari, quasi mentiamur, cum sapientiæ, potentiæ, misericordiæ & bonitatis illius mirabilia decantamus. Mentitur enim adulator, cum falsas laudes tribuit cuipiam, ut ei placeat. Immensi autem rerum omnium autoris laus ne minima quidem ex parte celebrari, nec attingi potest. Ad profectum igitur commodumque nostrum hæc omnia instituta sunt, ut optimus & maximus Deus omni cultu & reverentia atque honoribus glorificetur, ac mente, sensu, lingua, affectibus, toto corpore, cunctis viribus colatur. Interior enim vis excitatur, cum externæ facultates, suis muneribus fungentes, debita & ipsæ creatori præstant obsequia. Quo fit, ut totus homo in Deum rapiatur. Percipiunt piorum mentes quantum canticis divinarum laudum juventur, & quantopere ad sublimia evehantur. Quod & Augustinus attestatur, cum referat, ejusmodi cantibus ecclesiæ se nonnunquam ad lacrimas fuisse permotum. Experiuntur divina patientes, & qui dicere valent, *Gustavi & expertus sum, quam suavis & dulcis sit Dominus iis, qui invocant nomen ejus*, quam opportuna sint hæc, quantum illis mysticis rebus sacrorum rituum solennibusque ceremoniis proficiant, quantaque suavitate repleatur Spiritus, quantum exsurgat supra sese animus & tanquam Ambrosiis pastibus vescatur. Atqui nihil sapiunt nisi quæ carnis sunt, qui in proprio sensu ambulant, superbia turgidi, hæc deridենt & contemnunt, libra humanæ prudentiæ trutinantes, quæ longe sunt humano judicio majora: *ajuntq;* quasi rem novam & incognitam, *obsecrandum esse Deum pura mente, spiritu reverenti, non his nugis & tragico apparatu colendum.* Quasi neget quisquam sanus, Deum primum mente pura esse colendum, cum hæc omnia quæ peraguntur ad id præcipue instituta sint, ut mens his evecta, ad eum contemplandum & amandum rapiatur. Quamdiu enim ipsis corporeis claustris concluſa fuerit mens humana, quam diu mole corporea obruta, sensuum adminiculis eget, ut conscendat altiora: Cum autem custodiam & carcerem in exierit, liberaque summum opificem intueri valebit, cognoscereque, quemadmodum Paulus ait, non in specie nec in ænigmate, non in speculo & in figura, sed facie ad faciem, non fide aut spe, sed ardentissima charitate illum complectetur, tunc psallemus tantum mente, psallemus & spiritu; Non enim corporis adminicula desiderabit, sed simplici & vivo spiritu Deum adorabit, juxta illud: *Cum venerit quod perfectum est evacuabitur, quod ex parte est: Tunc cessabunt exteriora, sacrique ritus & solennes ceremoniæ*, tunc cantabimus sola mente, non voce neque organis. Nunc enim hujus peregrinationis status hæc requirit & postulat, quoniam invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, ex his enim velut typis verorum ad ipsa cœlestia contemplanda evehimur.

At forte dicent hæretici Christum Jesum docuisse, *non multis esse orandum*, & *quid* a summo Deo sit petendum, & *quo ritu* supplicandum. Primum, cum ait: *Orantes nolite multum loqui, ut ethnicè faciunt, putantes in multiloquio exaudiri:* Et cum increpat Pharisæos, qui sola longiore oratione Deum se placare posse credebant. *Ritum* autem docuisse, dicens: *Non eritis sicut hypocritæ cum oratis, stantes orare in synagogis & angulis plateārum &c. Tu autem cum oras intra cubiculum tuum &c.* Et *quid* sit precandum, declarasse illis verbis: *cum oraveritis dicite: Pater noster &c.* Sed ad hæc facile fuerit respondere. Primum, Christum Jesum *non improbasse prolixiores laudes*, divinis precibus admixtas. Improbasset enim usum psalmorum, hymnorum, &c. id genus, quod tamen non fecit, quinimo constat ipsum hymnos protulisse, quod testatur illud: *Et hymno dicto exierunt in montem oliveti &c.* Et *diutius sæpe in oratione perstitisse.* Ait enim Lucas: *Exiit Jesus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei*, & rursus: *Et factus in agone prolixius orabat.* At improbavit Pharisæos optimis rebus abutentes, in solo verborum strepitu & precum multitudine se justificari, putantes, cum mente & spiritu a Deo prorsus alieni essent, solaque specie religionem prætenderent, cum scelesti hypocritæ essent, declarasseque paucis potius orandum esse attenta mente quam vaga & distracta multis, nec homines opinari debere suis se petitionibus Deo declarare, quibus rebus egeant, & quid optent, quasi hæc illi incognita sint, aut fidere in oratione sua composita, quod illum verbis deflectant, sed esse in sola bonitate ipsius sperandum, quamvis velit a se supppliciter peti, quod volumus: ut agnoscamus ab ipso nobis tribui quæ poscimus, & nos illi subjectos esse, sine quo nunquam consequi, quod cupimus, valeamus. Quicunque enim petit aliquid quod ex se assequi non potest, illi se subjicit à quo beneficium expectat. Hac igitur de causa vult bonorum cunctorum largitor à se posci ea quibus egemus, quæ tamen sola liberalitate sua ille nobis concedat. His rationibus institutæ sunt paucis verbis ab ecclesia *preces*, quas *Collectas* nuncupamus. Quod vero ad *ritum* attinet orandi, intelligendum est Dominum hypocrisin damnasse, non morem orandi in templo & synagogis. Ipse enim per diem sabbathi accedebat ad synagogas & legebat scripturas, quod testatur Lucas cum ait: *Et intravit secundum consuetudinem suam die sabbathi in Synagogam Nazareth & surrexit legere &c.* frequentabat-

tabatque templum. Pariter & Apoſtoli (ut Acta teſtantur) erant in templo, perſeverantes in oratione. In quibus & illud legitur: *Petrus & Johannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam.* Et illud: *Quotidie Apoſtoli erant perdurantes in templo in oratione.* Et illud in quo Lucas abſolvit Evangelium ſuum referens de Apoſtolis hæc verba: *Et erant ſemper in templo laudantes & benedicentes Deum.* Et illud quod (ut in Actis habetur) ait Paulus: *Factum eſt autem revertenti mihi in Hieruſalem & oranti in templo fieri me in ſtupore mentis.* Et Dominus docuit orandum eſſe in templo, cum templum eſſe domum orationis dixit. De Jacobo item Apoſtolo fratre Domini ſcribunt autores graviſſimi, quod fere ſemper orans erat in templo, ita ut aſſiduitate orandi callum in genibus obduxiſſet, ut genua ipſius ſimilia eſſent genubus Camelorum. Sed increpantur qui id faciunt, ut videantur ab hominibus, ex hoc gloriam aucupantes. Docetque Dominus, potius orandum eſſe ſecreto, quam palam ad oſtentationem, nec obſequium vocis acceptum eſſe Deo, niſi adſit mentis pietas actu vel habitu, & interna externis conſentiant. Illaque brevi oratione, *Pater noſter*, docuit quæ primum precibus à Deo expetenda ſunt, non quod cætera prohiberet. Petierunt Apoſtoli enim plurima, etiam alia orantes. Et ipſe cum rogavit patrem ſi fieri poſſet, à ſe ut mortis calix tranſiret, & pro Apoſtolis & cæteris, qui per ipſos crediturі erant in eum. Similiter Paulus, cujus hæc verba ſunt ad Romanos. *Obſecro vos ut me adjuvetis in orationibus veſtris pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus qui ſunt in Judæa & obſequii mei oblatio accepta fiat in Hieruſalem, & ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei & refrigerer vobiscum.* Et compluribus aliis locis ſimilia ſcribit, quæ longe abſunt ab oratione, *Pater noſter.* Ut & illud ejusdem Pauli ad Theſſalonicenſes: *De cætero fratres orate pro nobis, ut ſermo Dei currat & clarificetur, ſicut & apud vos, ut liberemur ab importunis & malis hominibus.* Et cæteri Apoſtoli petiverunt à fidelibus, ut pro ipſis quædam precarentur *quæ non ſunt in oratione Dominica.* Non igitur *ſacri ritus divinarum laudum & precum* decreto verborum Chriſti, Apoſtolorumve exemplo vel inſtituto antiquandi ſunt, ſed retinendi potius, cum ſint Spiritus ſancti decreto inſtituti, cum alii, tum quem *iſti tollunt ſacrum morem divinas laudes ſtatis horis diei diſtribuendi*, juxta illud: *Septies in die laudem dixit tibi:* & aliud: *media nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* Et in Actis Apoſtolorum: *media autem nocte Paulus & Silas adorantes laudabant Deum &c.* Et quod ſupra diximus: *Petrus & Johannes aſcendebant ad templum ad horam orationis nonam.* Nam *preces horariæ* cum ad alia multa tum inprimis ad hoc ſunt opportunæ, ut Deum, quemadmodum fas eſt, perpeti memoria recolamus, ſicuti ab eo perpetuo pendemus & ejus beneficia in nobis nunquam ceſſant. Ut hac ſaltem admonitione *ſæpe in die* gratias agamus illi, ipſumque glorificemus, & præceptum illud Servatoris in Luca: *ſemper orandum eſſe & nunquam deficiendum.* Et Pauli; *Orate ſine intermiſſione*, adimpleamus, cum unaquaque die certis horis id præſtemus.

Age vero ſi iſtis tam laudabile inſtitutum abolendum omnisque ritus ſacer tollendus eſſe videtur, dum aſſeverant, *à Chriſto cultum nullum, nullum ritum fuiſſe inſtitutum.* Quamobrem *ipſi quædam adhuc, quibus ipſi utantur, relinquunt?* Quodam enim ritu rem divinam peragunt, & *ceremonias quasdam ſervant.* Quo cum doceant non omnino tollendas eſſe ceremonias, declarant, ſe malitioſe agere cum à moribus majorum diſcedunt & *veteris eccleſiæ conſuetudinem novis ritibus conantur antiquare.* Sed profecto, qui univerſam religionem pervertere ſtatuerunt & prorſus ſacerdotium tollere, hos ſacros ritus immutare oportebat. Faceſſat igitur Lutherana impietas, quæ ſola malignitate impulſa eſt ad hæc tollenda. Stent ſacri ritus celebrenturque ſolennia ſacrificia, perſonet æther concentu divinarum laudum, modo rite, cultu debito, decenter, caſte, ſancte, reverentiſſime omnia peragantur. Nihil ſcurrilitatis, nihil ludicri, nil indecorum, ceremoniis ſacris miſceatur: Sed omnia ſint gravia, verenda, rationique conſentanea ac divinæ Majeſtati convenientia, quæ ædificent, non deſtruant, mentem ad divina convertant, non diſtrahant, inflamment, non refrigerent. Breviter in id accommodentur ad quod fuerunt inſtituta, nihil ſecus, nihil perperam fiat. Nam etſi cunctis fere in rebus, quædam minus recte minusque decenter fieri contingat, *in ſacris* tamen *omnia decentiſſime & reverentiſſime præſtare, quam maxime fieri poſſit eſt enitendum, utque nulli aut minimi permittantur abuſus, & ſicubi prava conſuetudo inducta fuerit aboleatur.* Quæ cura & ſollicitudo ad eos inprimis pertinet qui ſacris præſunt.

Quamobrem (ut dicam quod ſentio) *non valde probandus mihi eſſe videtur uſus tam frequens perfracti cantus, quo variæ voces exaudiuntur, verba percipi non poſſunt, nec tantus ſtrepitus organorum.* Quapropter utrumque forte moderandum eſſet & potius ſimilium rerum uſus adhibendus. *Nulla* enim *res gravior nulla majoris momenti a mortalibus agi poteſt re divina.* Proinde nulli majus ſtudium & diligentia eſt adhibenda, qua Dominum Deum exercituum velut convenimus & alloquimur, cujus conſpectum verentur univerſa cœleſtium ſpirituum agmina, ſacratiſſima myſteria peragimus, quæ ab angelorum choris vix decenter tractari poſſunt. Unde perſpicuum eſt, nullam rem eſſe cum illa conferendam, nec tanta attentione & reverentia peragendam, converſo toto homine mente pariter ac corpore in obſequia creatoris. Tanta eſt autem ſacrorum rituum ac ceremoniarum commoditas, ut illis abolitis, cultum divinum labefactari & religionem ipſam perire neceſſe ſit: Perpauci enim ſunt cultus illius intimi, qui ſummo Deo mente tantum ad ſublimia contendente præſtatur. Capaces pauciſſimi, ad res divinas contemplandas idonei, niſi ad ea ſenſuum adminiculo convertantur. Quamobrem cum externum cultum ſuſtuleris neutrum profecto retinebis. Quod impietatis & malorum, quæ Germanis Lutheranum ſcelus invexit, exemplo apertiſſime declaratur.

Illud quoque ſcire pervelim, qua demum ratione ducuntur quidam ex hac nova ſchola hæreticorum, ut templa Chriſti *ſanctorumque imaginibus & ſignis* expolient. Nam ſi priſcæ legis præceptum, quo prohibebantur, ſequantur, hoc eſt procul dubio indagare, cum evangelica lege non veten-

retentur, quorum utrumque causam habuit honestissimam, cum *divinum numen, quod tantum mente judæi colebant & colimus ipsi, apud eos effingi nequiret, nobis autem effingibile quoquomodo sit effectum, cum Deus ipse humanam naturam assumserit*, divino verbo homine facto. Nec tam rudis est populus Christianus, nec tam terrenus quam fuit hebræus, nec tam propensus ad idolatrandum, præsertim quia tunc universus propemodum orbis ea labe erat infectus. Nunc beneficio Domini nostri Jesu inter cætera jam pridem effectum est, ut fere cunctæ nationes, omnes populi, barbaræ gentes universæ, unum solum Deum autorem universi, quoquo modo agnoscant, quamvis diversis ritibus colant. Præterea nemo tam excors est, tam mente captus in Christiano populo, ut putet imaginem, quam veneratur, numen esse divinum, aut eam quicquam præstare posse, quod tunc fiet perspicuum, si quis idiotam quemlibet rusticum recte percunctetur. Ignari enim homines quod implicite & confuse sentiunt, id si recte interrogati fuerint explicabunt, quod nequaquam ex se proferre valerent. Quamobrem non parvi refert, quomodo eos interrogaveris. Nec hoc igitur *consilio, vitandi* videlicet *hunc errorem*, imagines tolli licebat. Præsertim cum essent tam communiter, & tanto usu, ut peropportune ad religionem receptæ. *Imagines* enim conferre quamplurimum ad pietatem experientia rerum magistra docuit, ratioque suasit. Negari enim non potest humanos affectus permoveri sensibus, visumque præ ceteris id maxime præstare, affectusque ipsos interiorem hominem Spiritum ac mentem ipsam non solummodo excitare, verum etiam excitatam inflammare. Quis enim tam ferreus est, ut attente intuens imaginem Filii Dei, cruci nostri causa tam crudeliter affixi, dolore quodam non afficiatur, eoque spectaculo ad contemplandum tam ingens admirandumque mysterium non incitetur, & ea contemplatione non conteratur? Quis corde tam lapideo ut non molleſcat? & tenero quodam amore non liqueſcat, cum prospicit, cœlorum Dominum universi orbis conditorem humana carne vestitum, nobis natum infantem, jacentem in præsepio? aut sacratissima ubera matris virginis sugentem? Quis tam tristis, tam spe destitutus, qui non hilareſcat, qui fiducia ingenti non erigatur, cujus animus alacer non evadat, cum victorem Jesum potentissime a mortuis resurgentem, gloriosissime triumphantem, nobisque regna cœlorum referantem spectarit? Hæc autem mysteria omnia imaginum beneficio, unico intuitu contemplari valemus, cunctorum memoriam eodem momento recipere possumus. Sapientissime igitur majores nostri, ac divino afflati spiritu, *usum imaginum* statuerunt: qui rudibus & ignaris non solum opportunus sed fere necessarius esse cognoscitur, præstantioribus autem & eruditis commodissimus. Præ ceteris enim sensibus, *visus*, nos admonet, attentosque reddit & detinet, diversaque rerum discrimina ostendit: Plura etiam simul monstrat, multa brevissime in mentem revocat, & hæc omnia ut facillime, ita jucundissime, quod *cæteri sensus* præstare non valent. Quo fit ut nec illos natura æque caros habeamus. Quod si Christianis non liceat nec expediat signis sensibilibus divina referentibus uti, ne licebit quidem concionatorem de divinis differentem audire, nec expediet sacras literas legere, cum æque auribus sensibilis vox divina mysteria referat, æque scriptura illa significet oculis eruditorum ut imagines & signa rudium. Quamobrem *imagines codices vulgi* esse dicuntur. Comburantur igitur cum imaginibus evangelia, codices omnes sacrarum literarum rescindantur, & ipsi concionatores explodantur, consentaneum est, si cuncta sensibilia signa divinarum rerum monumenta comburi debent. At cum in sensibilibus signis magna sacramenta instituerit Servator Jesus, voluerintque illis ingentia mysteria referri, licere & expedire docuit, sensibilibus sub signis res divinas repræsentari & adorari. Quod profecto tam perspicuum est, ut nisi qui imbecilli aut maligno ingenio sit, nemo ambigere possit. Quod etiam *instituto & exemplo antiquæ legis* confirmatur. Qua *licet imagines essent prohibitæ*, causis superius expositis, *non tamen omnia signa quæres divinas repræsentarent, excludebant. Arcam* enim testimonii à duobus *Cherub* complexam sumine coluerunt Hebræi, in penetralibus tabernaculi & templi reconditam. Apparuitque illis gloria Domini, tum in caligine, tum in igne lucente, in *columna nubis*, & sub talibus signis sensibilibus. At forte dicerent adversarii, *imaginum occasione plurimos abusus fieri*, ideo illas tollendas esse. Quibus respondere facillimum est. Nos abusus non tueri, nullam autem esse rem tam commodam & rectam, qua quisquam pravus abuti nequeat, ob id tamen rem probam & utilem non esse antiquandam, sed *studium adhibendum ut abusus aboleantur*. Sed legibus sublatis, permissa est apud Germanos unicuique licentia delirandi, ubi se beatiorem hoc seculo quisque putat, quo plures aut novas insanias excogitare valet, aut explosas revocare, dicta unicuique facultate in sensu proprio ambulandi. Nunc enim Germaniæ idem contigisse videtur, quod olim populo Hebræorum accidit: Qui cum essent sine principe unusquisque faciebat quod bonum sibi videbatur, ut *liber* judicum testatur. Qua occasione idolatravit Michas & adolescens Bethlehemites, & mala plurima contigerunt in Israele. Quod & in Germania nunc pari licentia evenit, proferente unoquoque de religione & sacris dogmatibus impune quodlibet.

Quapropter isti *imaginum exterminatores* non contenti divos imaginum honore expoliasse, *interdicunt* præterea *divos pulsari precibus, quicquam à sanctissimis heroibus peti, aut aliquid ipsis appensum dedicare, nominaque eorum cultu aliquo venerari;* Quasi non valeant illi à summo Deo quicquam impetrare, aut eos coli Deo molestum sit, vel nobis indecorum & supervacaneum advocatum adhibere, qui pro nobis deprecetur. Quorum primum profiteri, hominum est divis ipsis invidentium, cum *eos immortalitatem adeptos privent facultate officii apud Deum intercedendi, quod præstare valebant, cum adhuc mortales essent & nondum felicitate fruerentur.* Cujus rei sacris in literis tot habentur exempla & documenta, ut ea difficile sit annumerare. Ait enim Dominus ad Abimelech (ut in libro Geneseos scribitur:) *Quia Propheta est orabit prote & vives.* Precatus est Moses sæpe pro populo, precatus Helias, precatus Jacob, David & cæteri Prophetæ, precatus Paulus, rogavitque sæpius ut

pro eo rogaretur. Precati sunt ceteri Apostoli omnes sancti, antequam confirmarentur in gratia. *Orate pro invicem*, ait Jacobus. Refertissima est scriptura hujusmodi petitionum. Oratio item fiebat ab ecclesia sine intermissione ad Deum pro Petro. Cum igitur potuerint sancti viri prodesse mortalibus, cum adhuc summo Deo perfecta charitate juncti non essent, cum adhuc ipsi peccare possent, profecto consentaneum est, ut *hoc potiores ad aliquid impetrandum facti sint, quo jam apud ipsum plus gratia valent.* An, qui in maximo universorum judicio tanti honoris futuri sunt participes, ut cum filio Dei sessuri sunt *judices*, nunc non valebunt esse pro nobis *intercessores?* Scriptum est autem dixisse Dominum Apostolis: *Amen dico vobis, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Præterea testatur Dominus apertissime per Jeremiam, *animas sanctorum valere precari pro superstitibus*, cum ait: *Si steterint Moses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum &c.* Longe enim antea quam hæc proferret Jeremias, ambo & magno inter ipsos intervallo e vita discesserant. Quod ipsum per Baruc confirmatur his verbis: *Audi Domine nunc orationem mortuorum Israel.* Etsi enim beati, cum jam ad patriam pervenerint, sibi ad majora consequenda promereri non possint, non tamen ideirco facultate carent iis qui adhuc peregrinantur opitulandi, manum quasi adjutricem porrigendo ad eam adipiscendam. Sed quid longius testimonia perquirimus, cum Paulum Apostolum habeamus testem tam propriam & tonitrui filium? Qui Paulus sic ad Romanos scribit: *Christus Jesus, qui mortuus est imo qui & resurrexit, qui est ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis &c.* Et ipse Johannes Apostolus in epistola prima. *Si quis peccaverit advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum &c.* Si enim Christus in cœlis interpellat pro nobis, si advocatum agit, quod intelligi non potest, nisi in quantum homo glorificatus efficitur, cum in eo nec summa beatitudo, nec glorificatio tollat, quin interpellare & deprecari possit pro nobis: Ut multo minus beatitudo aut gloria impediat sanctos jam vita functos, quin pro nobis ut viventes valebant, sic nunc vita functi interpellare & deprecari possint. Sed licet non alio egeamus testimonio aut argumento ad hanc rem comprobandam, cum hoc sit validissimum, attamen plurima *exempla* citari possent *sanctorum patrum, qui angelis & beatissimis Spiritibus supplicarunt.* Adoravit Patriarcha Abraham sæpe Angelos ad se venientes, adoravit Jacob ac Loth ac cæteri Patres. Iniquum igitur est nos prohiberi, *venerari & supplicare angelis, & animabus* felicissimis, ut pro nobis intercedant. Quos etsi condonaretur hæreticis nihil opis præstare nobis posse, quod tamen ipso nullo testimonio sacrarum literarum comprobare possunt: Attamen *illa humilis supplicatio nostra, qua misericordem & clementissimum Deum pulsaremus, illis interpellatis, ut advocatum agerent, omnino acceptior reddi creatori videretur, quam si ipsi arroganter absque internuncio obsecraremus.* Non enim invidus est omnipotens, ut nolit amicos suos adorari, quos ipse honore & gloria sublimes effecit, teste scriptura: *Nimis sunt honorati amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum:* Et Christus in Evangelio: *Qui mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus:* Non igitur tollenda est *sanctorum deprecatio*, quasi non valeant nobis suffragari, aut id Deo futurum sit ingratum atque molestum. Præterea refert Scriptura multis in locis angelos missos esse ad homines juvandos, compluribus in negotiis. Sunt enim administratorii spiritus, teste Paulo & Psalmorum oraculo: *Angelis suis mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis.* E custodia liberati sunt Apostoli in Hierusalem. Petrus è carcere & catena Herodis angeli ministerio. Missi sunt angeli ad Deiparam virginem, ad Joseph Dei sponsum, ad Christum Jesum sæpe, ut illi ministrarent, ut eum consolarentur, imminente mortis tempore, ad ejus tumulum postquam revixerat, testantes resurrexisse. Item ad Abraham, ad Loth, ad Jacob, ad Balaam, ad Tobiam & alios Patres, & ad flemendum populos. Nam quemadmodum Deus omnipotens cum posset sine ministris & mediis erga mortales cuncta perficere, ut plurimum tamen pro sua majestate usus est *angelorum ministerio*, sic par est *eisdem internunciis & intercessoribus majestatem divinam à mortalibus exorari.* Cum igitur valeant felicissimi spiritus multa peragere erga nos, ita volente optimo Deo, & in his *quæ ad hanc mortalem vitam pertinent*, consentaneum est, *& efficacius posse ad ea quæ ad vitam æternam consequendam spectant.* Quod si suffragari possunt, commodissimum profecto est & illos rogare, ne nos officio suo destitutos relinquant. Nec supervacaneum esse potest, illos intercessores invocare, quod *Jesus Christus unus sit mediator Dei & hominum, solusque valeat intercedere pro nobis*, cum ei nihil detrahamus, sed ipsum primum obsecremus, dum testes Majestatis illius & quasi membra & certe servos deprecamur, & apud ipsum advocatos adhibeamus, velut indigni nobis nisi qui sine intercessore conspectum ejus adeamus: Respicit enim pientissimus Jesus, optimus maximus Deus, piarum mentium consilium cum sanctos venerantur, cum ipsis obsecramus, cum honoribus prosequimur, atque intelligit, hæc obsequia omnia, nos illis ipsius gratia præstare in eumque omnia referre, non audentes sine advocato, sine intercessore grato & accepto conscientia nostræ miseriæ convenire tantam majestatem. Sed furiosi hominis rabies expleri nunquam potuisset mortalium perturbatione, nisi etiam cœlicolis bellum indixisset, quos mavult blasphemari quam laudari, opprobriis & convitiis quam honoribus affici. Proh! nefas horrendum dictu, inexpiabile auditu, cogitatione execrandum, quales, quam nefarias, quam inauditas blasphemias jactat in sanctos omnes, in ipsam Deiparam perpetuo virginem, gratia redundantem, celsiorem omnibus angelis, sublimiorem cunctis creaturis, cujus laudes nulla lingua digne attingere valet, quæ prætermittenda censeo, cum absque scelere sine piaculo ne referri quidem possint. Tam scelesta enim sunt, tam impia, tam horrenda, ut ea etiam ad refellendum proferre turpe fore videatur.

Sed cum talia sint, tamen ferenda quoquo modo videri possunt, si conferantur cum iis, quæ *de sacratissimæ Eucharistiæ sacrificio* latrare non reformidat. Bone Deus! quam mitis, quam patiens es qui ferre potes vipereum os virulentissimæ furiæ tantas, tam inauditas, tam ingentes, tam inexcogitatas blasphemias in te jactare! in sacramentum illud

supre-

ſupremum quod angeli admirantur & adorant, dæmones contremiſcunt, in præcipuum illud ſacrificium, ſub quo puer tuus Chriſtus Jeſus velata ſpecie integer tegitur, nec mox verba proferentem torto fulmine diſſipas & abſumis! ſed judicia tua abyſſus multa. Ego certe blaſphemias referre nec auſim nec poſſim. Vix enim audire ſuſtinui, quas etiam *germanice conſcripſit*, ut magis apud vulgus propagarentur, quas ab eruditis probari non poſſe agnoſcit. Non enim tam ſtupidus eſt quin percipiat, quam fallacia quam abſona doceat, ſed habet ſatis, jam imperitam multitudinem jam commotam infatuare, & quibusdam ſciolis ſcrupum ſaltem injicere. Quod circuitu verborum & ambagibus à propoſito deflectens ſe aſſecuturum eſſe confidit. Fere enim cum peſſima quæque diſpergit, ſtatim à propoſito, quaſi jam demonſtraverit declinat, & ſe ad alia exaggeranda convertit, ſcripturarum teſtimonia, nihil tamen ad rem facientia, inaniter infarciens, ut verborum copia tenebras offundat eorum mentibus, quos præſtigiis ſuis faſcinare propoſuit. Quod deprehenditur, cum in omnibus libellis ſuis, tum in his maxime, in quibus turpiſſima & pernicioſiſſima conatur, ut in blaſphemo illo *ſermone*, *quem adverſus ſacratiſſimum canonem Miſſæ divulgavit.* Sed quo tam atrociter invehitur in ſacerdotes, rem divinam illis ſacratiſſimis verbis peragentes? Quos beſtias, aſinos, porcos, fatuos, ſceleſtos, paſſim appellat, & omnibus aliis convitiis & probris inſectatur, & *Papiſtas* per contumeliam vocat, more ſuo ſemper venenatas ſagittas ſuas dirigens ad ſcopum cunctis notiſſimum oppugnandum. Quanquam hoc in loco tam impudenter ac ſtulte ſe gerit, ut facile prodat impium deſiderium calumniandi, cum ea calumnia nihil magis ad Papiſtas (ut ipſe loquitur) hoc eſt ad catholicos Chriſtianos pertineat, quam ad cæteros, qui chriſtianam religionem utcunque retinuerunt. Omnes enim chriſtiani ſacerdotes, tam ſchiſmatici quam hæretici, qui pontificem maximum nec agnoſcunt nec illi obediunt, *eodem ritu*, quo ad ea *quæ ad ſubſtantiam ſacrificii attinent*, rem divinam peragunt, *Miſſasque celebrant*, quo & *Catholici*, qui ab eo *Papiſtæ* nuncupantur. Quod inprimis atteſtatur tum *Miſſa a M. Baſilio edita*, tum & illa *Johannis Chryſoſtomi*, qua Græci nunc utuntur; Pariter & illa *Armenorum*, *Maronitarum*, Chaldaica lingua conſcripta: Præterea *Jacobitarum*, *Abbaſcinorum*, & ceterorum id genus, propriis Patriarchis parentium. Ipſe tamen ita *execratur Miſſarum ſacrificium*, ut non vereatur ſacrilego ore dicere, *Satanam ipſum eum ritum adinveniſſe, nullamque blaſphemiam à condito orbe huic comparandam à quocunque impio fuiſſe prolatam, deteſtabiliusque longe eſſe hoc ſacrificii genus vitulis aureis*, quos erexit Hieroboam, Rex Iſrael, populo adorandos, *maledictosque & perditos idololatras eſſe quotquot eo more ſacrificant, nullumque ſcelus cum hoc piaculo conferri poſſe, longe plus abominando quam omnia lupanaria, cuncta adulteria, homicidia, furta & latrocinia* & hæc omnia potius eſſe ferenda quam Miſſarum ſacratiſſimarum uſum, itaque *penitus exterminandum eſſe & abolendum.* Converſusque ad eos qui Remp. adminiſtrant, illis ſeveriſſimum divinum judicium comminatur, niſi effecerint, ut hæc ſumma blaſphemia prorſus tollatur è civitatibus quibus præfecti ſunt. Quo etiam *in ſermone* homo mendaciſſimus ad majorem concitandam invidiam, fabulam prorſus inanem à ſe impudentiſſime confictam narrat, ab his autem, quos ea calumnia criminatur, ne cogitatam quidem, *fratres* videlicet. *Minores* magnum auri pondus Pontifici M. dediſſe, ut eis permitteret *in catalogo ſanctorum*, qui in canone recenſentur, *idolum ſuum* (ſic enim ſanctum *Franciſcum* per deriſum appellat) recenſere. Sed nefarii hominis malignitas, verſutia & impietas, tam clare patet *hoc in ſermone* verbis ſingulis, ut ſit admirandum, poſſe quemquam qui illum audierit & legerit de ipſius fraudibus ſummaque iniquitate dubitare, usque adeo in ſingulis verbis ſceleſtiſſime nugatur, omnia carpit atque detorquet, & ſic eludit, ut non concionator diſertus ſed puer ſophiſmatibus & captiunculis ineptiens eſſe videatur. Tanta autem malignitate, tantaque impietate omnia profert, ut neſciam quomodo ſe potuerint continere audientes, ſi modo pias, vel ſaltem ſanas habebant aures, quin mox facto impetu è ſuggeſtu dejicerent & blaſphemantem manibus & dentibus lacerarent. Quibus blaſphemiis importunum & indigniſſimum eſſet quicquam reſpondere, tum quia nimis frivola & inepta ſunt, quæ in medium adducit, ut nec dignus ſit (quemadmodum Hieronymus de Elvidio dixit) ut in eis vincatur, tum ne detur eidem occaſio rurſus magis ac magis blaſphemandi. Ut enim vetuit quod libro Regum habetur Ezechias Rex Judæ, ne quicquam reſponderetur à populo Hieruſalem, impio & blaſphemo Rapſaci Regis Aſſyriorum Senecharib duci, ſed tacere juſſit, auditis ejus blaſphemiis, ne magis ille blaſphemaret: Ita in his infandiſſimis cum impiiſſimo videtur agendum eſſe. Exclamat tamen ipſe vociferatque tanta contentione *eo in ſermone*, ſperans ſaltem ſtrepitu inanium verborum perſuadere poſſe. Ut circulatorem quendam & Pharmacopolam ſua Pſeudantidota, magna voce & prædicatione venditantem & garrulantem, videre & audire tibi videaris potius quam doctorem concionantem.

De *votis* autem *nuncupatis*, *quibus homines omnipotenti Deo ſe ſponte adſtringunt*, *quæ* ſceleſtiſſimus homo penitus *ſuſtulit*, non erit alienum aliqua commemorare, cum de iis liceat ore non polluto differere. Quo in loco illud primum me vehementer admirari profiteor, hoc tam impudenti & turpi dogmate a Martino pronunciato, quanquam fuiſſe paulo modo prudentiorem, qui de ipſius perfidia furoreque & impietate poſſet dubitare. Tollit enim procul dubio omnem convictum humanum, omnem vitam politicam, omnia commercia, qui pollicitis ſtari non vult, qui fidem & promiſſa non obſtringere confirmat, qui decernit illa negligenda eſſe, infringenda, quæ non tantum hominibus ſed omnipotenti Deo caſtiſſime religioſiſſimeque promiſſa ſunt. Vel cogitare profecto difficillimum eſt, qua ſaltem apparenti ratione, quove teſtimonio ſcripturarum ductus Martinus tam execrandum ſcelus pronunciare ſuſtinuerit, prorſus adverſum ſacris literis, etiamſi illi permitteretur, illas ut luberet, diſtorquere. Scripturæ namque tam expreſſe ſuadent *vovere*, præcipiunt *concepta vota perſolvere*, ut calumniæ nullus locus relinquatur. *Vovete* inquit Pſalmus *& reddite Domino Deo veſtro vota veſtra.* Et rurſus: *Vota*

mea Domino reddam in conſpectu populi ejus. Et iterum. *Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea.* Et illud Numeri: *Si quis virorum votum voverit Domino, non faciet irritum verbum ſuum.* Et illud Deuteronomii: *Cum voveris Domino non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus, etſi moratus fueris reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri absque peccato eris: quod autem ſemel egreſſum eſt de labiis tuis obſervabis & facies ſicut promiſiſti, & propria voluntate & ore tuo locutus es Domino Deo tuo.* Quid apertius dici poſſet? Et illud Eccleſiaſtæ: *Si quid voviſti Deo ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio, quodcunque igitur voveris redde: multoque melius eſt non vovere, quam poſt votum promiſſa non reddere.* Hæc teſtimonia tam expreſſa, tam explicita ſunt, ut cavillationi nullum locum relinquant, nec gloſſam aut interpretationem patiantur. Referunt & ſacræ literæ plurima exempla ſanctorum, qui vota conceperunt ac illa perſolverunt. Vovit Jacob cum peregrinaretur, ſe decimas oblaturum Domino, & præſtitit. Concepto voto populus Iſrael, qui ante fuerat profligatus à Rege Harad Cananæi, victoriam conſecutus eſt, & urbes ut promiſerat delevit. Vovit Joſepho Dux populi & profligavit populum Ammon & filiæ unigenitæ fecit ſicut voverat. Vovit uxor Alchanæ, ſi conciperet filium, conſecraturam ſe eam Domino, concepit Samuelem & tradidit Domino. Permiſit David Abſalom recedere a ſe, ut vota quæ concepiſſe dixerat redderet Domino: Voverunt vectores cum Jona ex Tharſis civitate profecti: Vovit & ipſe cum a ceto devoratus eſſet in ventre ejus. Vovebant Nazaræi cum ſe conſecrabant Domino: *Plurimæ leges* inſtitutæ ſunt in ſcriptura, quæ *de votis* mentionem faciunt. Clamat Proverbiorum autor: *Victimas Deo vovi: hodie reddidi.* Et rurſus: *Ruina eſt homini vota retractare.* Meminit votorum Eſaias, Jeremias, Nahum, Malachias. Et ſcriptura paſſim de votis agit & loquitur. Attamen hic egregius ſcripturarum cultor, qui nihil recipiendum præter eas cenſet ſcripturas, easdemque patentes & claras eſſe prædicat, qui gloſſas omnes & interpretationes ſanctorum rejicit, adverſus hæc evidentiſſima teſtimonia ſcripturarum, quæ neque ad judicia neque ad ceremonias pertinent, imperioſiſſime *vota infringit*, nulla ſcriptura nixus, ſed ſola luciferi autoritate confirmatus. Ita concionator præcipuus divinæ legis, libertatis chriſtianæ aſſertor, ut chriſtianos omnino liberos reddat, *a votorum vinculo abſolvit.* Imo vero ut magis perſuaderet quod ſermone docuit, opere primus ipſe perfecit, ne minus exemplo doceret quam verbo. *Abjectis* namque *votis ſolemnibus*, quibus obſtringebatur, inſtitutisque vivendi, in quibus tot annis profeſſus vixerat, abnegatoque Auguſtino patre, quinimo abnegato Chriſto (Jeſum enim abnegat, qui ei ſolenniter promiſſa, non affectu aliquo victus, nec inſcitia abductus, ſed ſciens & volens impudenter abnegat reddere & fidem perfringit) uxorem duxit pulcher maritus celibatui adſtrictus. Et ut ſceleris nihil relinqueret, aſtrictam voto caſtitatis, virginemque, quippe ſacratam, duxit, ne ſolus inceſtaretur. Quaſi veritus, ne ſi ipſe ſacratus profanam contingeret, pollueretur. Num igitur hic verus Iſraelita cenſendus eſt in quo dolus non ſit? An juxta Redemtoris noſtri documentum ex fructibus ipſius exiſtimandus? Stupeſco referens turpiſſima ſcelera, quæ tibi *Eraſme* longe notiora ſunt quam mihi, *qui Germaniam incolis*, in qua hic novis ritibus Plutoni ſacrificatur, in qua perfractis clauſtris, profanatis cœnobiis, ſacrarum virginum & virorum continentiam ac celibatum profitentium, quaſi reſeratis ergaſtulis ſervorum, pollui, libidinari, ſcortari, inceſtari permiſit, imo vero perſuaſit, prætextuque nuptiarum & conjugii, ſtupris & inceſtibus ſacrilegium conjunxit. Quisquam ne, niſi omnino a religione averſus, a ſenſu rationis dijectus fuerit, tantam indignitatem ferre poſſet? Quis tam barbarus eſt tam ferus, tam vitiis omnibus obrutus qui hæc probare poſſit? Gentiles certe tale piaculum nequaquam pertuliſſent. Neque enim ignoramus, quam ſævas olim pœnas virgines veſtales darent apud Romanos, cum violatæ pudicitiæ convincerentur. Chriſtiani tamen apud Germanos palam & ſolenniter hæc fieri permittunt & faciunt: ſi tamen Chriſtiani ſunt cenſendi, qui a catholica eccleſia defecere & non potius hæretici perditiſſimi, gloriæ Chriſti impudenter illudentes. Hic ego non video turpis Lutheri libido quem colorem valeat huic flagitio prætendere, quam ſtropham in excuſationem reperire. Nam quod nonnulli ajunt, *a Luthero vota diſſolvi ac tolli propterea quod incaute nuncupata fuiſſe exiſtimet, cum rem factu impoſſibilem & quam nec ſervare iis, qui ſe votis adſtringunt expediat, ſuſcipiant.* Quid abſurdius dici poteſt, o ſordes, o cœnum, o fœtidiſſimum lutum! Ergone, ſalaciſſima bellua, ſervare continentiam, colere pudicitiam, tibi non difficile modo, ſed impoſſibile videtur, minimeque expedire? At Jeremiæ & Ezechieli Prophetis, Joanni Baptiſtæ, Johanni & Jacobo Apoſtolis, virginitate inſignibus, Paulo cæterisque Apoſtolis, poſtquam ad apoſtolatum vocati ſunt, Mariæ virgini Deiparæ, ſanctiſſimo ejus Joſeph ſponſo, qui perpetuo pudicitiam coluit (ut teſtatur Hieronymus) Chriſto, Spiritui ſancto niſu poſſibile, viſum expedire. Si enim continenter vivere, celibem vitam ducere, impoſſibile eſſet, non ea verbo & exemplo ſuaſiſſent, nunquam tantum laudaſſent & comprobaſſent, ſed profecto quemadmodum ſuibus difficillimum eſt in cœno non volutari, ita Lutheranis libidinibus non coinquinari. Ut enim teſtatur Hieronymus apud Hæreticos non ſunt virgines, perraroque hæretici ſunt caſti, utpote qui ſint voluptuoſi, caupones, mendaces, arrogantes, & hypocritæ. At inauditum eſt, poſt natam religionem chriſtianam, *ut quisquam ſacratus presbyter aut epiſcopus uxorem duceret.* Nec id unquam permiſſum non dico catholicis ſed ne ſchiſmaticis quidem aut hæreticis. Nec de hoc unquam fuit apud Chriſtianos, qualescunque fuerint, controverſia: Etſi nonnulli, poſt uxorem ductam, ſacerdotiis ſacris initientur. At qui ſacerdotibus cæteris, caſtitatis voto ſolenniter obligatis, nuptias permittit, hunc credibile eſt brevi etiam maritis libellum repudii conceſſurum, cum pari ratione utrumque licere confiteri debeat. Si enim fas eſt, qui ſe ad cœlibatum obligavit hunc uxorem ducere, cur nefas videatur matrimonium qui contraxerit diſſolvere: Niſi forte

turpius

turpius & uxori quam Deo fidem datam non præſtare. Sed quid *de cæteris votis* dicetur, quibus pariter abſolvit ſtrenuos milites Apoſtatas? contendetne cætera quoque eſſe impoſſibilia? Obedire præpoſitis, abrenunciare bonis, paupertate gaudereſac in commune vivere. *His* enim *tribus votis potisſimum obſtringuntur, qui religioſi nuncupantur*, qui ſe in famulatum perpetuum Domini Jeſu dediderunt.

At conſentaneum erat, ut qui univerſa *bona opera* evertit, is quoque *votorum obſervationes explo-deret.* Si enim *ſola fide juſti*, hoc eſt *Deo grati & accepti* redduntur homines, operaque nihil pertinent ad felicitatem æternam adipiſcendam, ut profitetur hæreticus, conſequens eſt ut *vota reddere* ſit *ſupervacuum, cum operibus ea perſolvantur.* Quam fallax autem hoc dogma ſit atque impium, quod *tantum fidei tribuit ut opera tollat*, perſpicuum fiet cuique volenti veritatem indagare, tum ratione, tum ſacrarum literarum accurata lectione, diligentique earum collatione. Sed profecto par erat, qui populos & ignobile vulgus vivendi licentia & legum abolitione ſibi allicere ſtatuerat, is *hoc inprimis dogma* proferret atque doceret, cum *actiones ſtudioſæ* non ſine labore nec ſine conatu perfici poſſint & lucta quadam rationis cum ſenſu & carne, ut teſtatur Paulus, dicens: *Sentio aliam legem ſcriptam in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Itaque *rectas operationes graves eſſe & laborioſas* poſt erratum primi parentis, ipſa natura docet, ob peccati fomitem in carne nobis conjunctâ, contractum & rebellionem ſenſus à ratione inde ſecretam. Quo fit ut ipſæ permoleſtæ ſint, contraria autem, hoc eſt ſenſus oblectantia, grata & jucunda. Quæ largiter hoc dogmate permitti manifeſtum eſt. Si enim *ad juſtificandum interiorem hominem*, vel ad illum conſervandum in adepta juſticia, aut ad illam augeſcendam, nullum opus bonum requiritur, efficitur, ut qui fide ſemel juſtificatus fuerit, nullo opere contrario, quantumcunque pravum ſit, modo à fide non deciderit, injuſtus reddi poſſit, aut juſtitia illius imminui. Stante enim fide, quæ ſola juſtificat, nulla operatio à juſtitia illum excludere poterit. Etſi enim ad ſubigendum exteriorem hominem interiori, & carnem ſpiritui, operatio quoquomodo requiratur, ut hæreticus aſſerit: *Hoc* enim *tantum de operibus fatetur*, ut aliquid habeat quo confugiat, victis tot & tam expreſſis ſacrarum literarum teſtimoniis, quæ *fructum operum* teſtantur, & recte agere ſuadent, & præcipiunt, ſcilicet, ne omnino adverſantia illis docere videatur: Tamen cum interior homo nec actionibus juſtus reddi poſſit, nec ab illis juvari valeat, quamvis in fide peractæ fuerint, efficitur, quod nec quibuscunque pravis operibus, cum illa tantum ad exteriorem hominem per ipſum pertineant, juſtitia interior aboleri, aut labefactari poſſit, modo idem in fide perſiſtat, ex qua ſola juſtificatio procedit. Hoc igitur dogmate conſtituitur, omnes cupiditates, omnia ſenſus oblectamenta & affectibus conſentanea peragi poſſe, absque jactura æternæ felicitatis, nullumque opus probatum requiri ad eam conſequendam, neque etiam illa, quæ ad ipſorum præceptorum obſervationem attineant. Nam & ipſa præcepta ait, non eſſe tradita ut perficiantur, cum perfici non poſſint. Quod probat exemplo concupiſcentiæ, de qua dictum eſt: *Non concupiſces.* Hoc enim neminem adimplere poſſe ait, cum omnis homo neceſſario concupiſcat. Quaſi vero præceptum illud ad primos motus concupiſcentiæ, qui nobis naturales ſunt, cohibendos pertineat, & non potius ne deliberata voluntas concupiſcentiæ turpitudini conſentiat. Manifeſtum eſt enim, *præcepto illo non omnium concupiſcentiam interdictam* eſſe: *Nam concupiſcit etiam Spiritus adverſus carnem* teſte Apoſtolo: *Sed concupiſcentiam tantum rei vetitæ prohiberi, cum aſſenſu voluntatis.* Attamen ipſe per ſummum mendacium aliud ſentiens dicit, *data fuiſſe præcepta ſolùm ut homo ex iis agnoſcat imbecillitatem ſuam, cum videat ſe imparem eſſe eorum obſervationi quibus obſtringitur, & ob eam rem ad promiſſa præmia legis accedere non audeat, ſed ad Jeſum confugiat, in quo promittitur gratia, juſtitia, pax, libertas & omnia, quæ habebis ſi credes, carebis ſi non credes.* Hæc ille. Præclara profecto Theologia, & pia hæc eſſe videtur, quæ docet hominem, agnoſcere debilitatem ſuæ virtutis & quam infirma ſint omnia ſua opera, & in Chriſto prorſus confidere. Examinandum tamen diligentius eſt, quam vim habeat hæc oratio & quid ex hoc decreto conſequatur, ne falſa ſpecie pietatis decipiamur.

Manifeſtum eſt autem hinc primum effici, Deum injuſtiſſimum eſſe, cum nobis præcepta tradiderit, quæ ſervari à nobis non poſſunt, & tamen ob eorum transgreſſionem ſumat pœnas: Legem condiderit ad quam nobis obſervandam nullam dederit facultatem. Quod tam abſurdum eſt ut nihil magis abſonum dici poſſe videatur. Præterea ſtatuit, nobis licere Epicuream vitam ducere, modo in fide Chriſti maneamus. Si quidem ſanguine Chriſti nos ita lotos & juſtificatos eſſe tradit, ut nulla opera bona requirantur ad felicitatem aſſequendam. Ex quo ſequitur, ut nec in præceptis obſervandis elaborandum ſit, tum quia ſupervacanea ad gratiam & gloriam ſunt opera, tum quia a nobis obſervari non poſſunt, nec ut ſupra tactum, eſt a pravis operibus abſtinendum, cum officere ipſa juſtitiæ interiori non valeant, modo maneat fides, quæ perſiſtere poteſt cum quibuscunque operibus pravis. Non enim repugnat hominem firmiter credere & tamen depravatiſſime vivere. Et ad hunc modum præſtantiſſimus concionator, gloriæ Chriſti ſtudioſus Lutherus, Epicurum in Chriſto revixiſſe, eundemque religionem placitis illius conformem condidiſſe ſtatuit, cum omnia bona opera exterminet, & mala omnia permittat, modo in fide conſtanter perſeveretur, cui ſoli omnes juſtificandi rationes tribuit. Si enim bonis operibus, qualiacunque fuerint, ad interiorem juſtitiam nihil accedere poteſt, profecto ne peſſimis quidem perire aliquid valeat. Quapropter nihil prohibebit ſceleſtiſſimum hominem, moribusque depravatiſſimum, perfectum Chriſtianum dici & eſſe: Cum nihil impediat, quo minus hic idem perfecte credat & aſſentiat dogmatibus chriſtianis, nec ſolum in Chriſto fidat, ſed etiam ſtulte profiteatur, non poſſe ullis pravis operibus impediri ab æterna felicitate conſequenda: Cum Chriſtus in ara crucis occubuerit pro cunctis in eum credentibus & confidentibus. Hisque nomini-

minibus religio chriſtiana commendabitur: Primum, quod profligatiſſimi homines in ea perfecti eſſe poſſint, & deinde, quod anſam mortalibus præſtet, ut ex probis reprobi evadant, potius, quam ut ex pravis boni fiant. Cum fuerit perſuaſum ſola credulitate & confidentia nullo alio labore vel negotio homines & juſtos effici & in juſtitia perſiſtere & felicitatem æternam aſſequi valere.

Sed cum hæreticus tot ſententiis, tum Evangelii, tum Doctoris gentium, inculcatis, ad fidem extollendam, ait: *Fide homines juſtificari, non ex operibus propriis:* Si quis eum percunctetur, num quid putet ſe magna & nova prædicare, an ab omnibus confeſſa & communia? Dicturum eſſe puto, ſe recondita & abſtruſa aperuiſſe, qui tam magnifice loquitur & arroganter ſe jactat, quaſi magnum arcanum è tenebris eruiſſet: Cum interim in fide catholica nemo ſit mediocriter eruditus, qui hoc ignoret aut neſciat, *ſine fide neminem adultum communi lege Deo placere poſſe*, & hanc primam eſſe januam accedendi ad ipſum ſummum Pontificem, qua occluſa ad Deum perveniri nequeat, (ut Paulus ait:) *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quoniam remunerator eſt &c. Nemo præterea eſt catholicæ religionis documentis inſtitutus, quin fateatur, ſola fide hominem juſtificari poſſe*, quinimo etiam *ſine fide prævia, ſine fidei actu*, (de qua agit Martinus) qui habitus negat, per omnipotentiam Dei, ut fit in infantibus baptizatis; Etiamſi conſtet, *ſemel juſtificatum fide, non poſſe in juſtitia perſiſtere absque operibus bonis, & obſervantia ſaltem præceptorum.* Quicunque enim initiatus ſacris Chriſti, ſtolaque illa mundiſſima & candida ſuperindutus, ex aqua renatus fuerit, & Spiritu ſancto, ad legem Chriſti ſervandam obſtringitur. Dominus enim Jeſus perquirenti, quid ſibi agendum eſſet ad vitam conſequendam? reſpondit: *Vis ſalvus fieri? ſerva mandata.* Gratiæ igitur ſemel acceptæ cooperari debet, qui illam acceperit, & probari debet fides ſaltem in obſervatione mandatorum. Nam exercendum eſt talentum acceptum, negociandumque circa ipſum, & ædificandum ſupra jactum fundamentum, uti undique reſonat Evangelium & univerſa Pauli doctrina & cæterorum Apoſtolorum docet. At *ſi quis, ſemel juſtificatus viva fide, anteaquam aliquod opus agere potuiſſet e vita decederet, vel eo momento quo juſtificatus eſſet, certum eſt, illum ſine ullo opere futurum æternæ felicitatis participem, merito Jeſu Chriſti, cui adhæſit & innixus fuit ſola fide.* Nec quicquam aliud volunt omnes illæ ſententiæ ſacrarum literarum quas hæreticus allegavit ad fidem extollendam, ut opera deprimeret, quam, *ſola fide hominem juſtificari poſſe, nullis autem operibus probis, etiamſi ab heroicis virtutibus fuiſſent profectæ, neque cunctorum præceptorum legis obſervatione, ſine fide quemquam juſtificari poſſe:* Potiſſime autem legis Moſaicæ, quæ præcepta Judæi ad Chriſtum converſi tanti faciebant, ut putarent vitam æternam neminem aſſequi poſſe, niſi eorum obſervatione; Quapropter gentiles ad Chriſtum converſos pariter contemnebant, eo quod illa non perficerent. Quos Paulus Apoſtolus plurimis verbis epiſtola ad Romanos caſtigat, docens: *Non ex operibus juſtificari hominem, ſed fide inprimis & gratia data per Jeſum Chriſtum.* Et aliis locis declarat, *opera illius legis jam nec neceſſaria nec opportuna eſſe effecta.* Quod autem quisquam in juſtitia accepta perſiſtere valeat ſola fide, nullis operibus, ſaltem præceptorum, peractis, hoc eſt, absque eo quod præcepta adimpleantur, nullo ſcripturæ teſtimonio probari poteſt, cum oppoſitam ſententiam omnes ſcripturæ confirment: Opera videlicet requiri in eo qui facultatem habet illa perficiendi. Quamvis *quilibet catholicus*, in ſacris literis paulo modo eruditior, *agnoſcat & confiteatur actionibus noſtris, quantumvis laudabilibus, ſtudioſis & perfectis, præmium æternæ felicitatis nullo pacto convenire aut deberi ex condigno*, hoc eſt ex natura earum & bonitate. Neque enim mereri valent tantum præmium, ut Paulus teſtatur, dicens: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Illud enim tam magnum, tam divinum, tam ſublime eſt *præmium*, ut ipſum nulla actione humana conſequi, attingere aut ſaltem *mereri* valeamus, *non ipſa fide*, etſi tam viva eſſet, ut montes loco transferret, *nullo opere*, etiamſi anima propter Chriſtum transfunderetur, *non amore*, etiamſi tam inflammati eſſemus, ut ardore ipſo erga divinam bonitatem conflagraremus. Omnem quippe virtutem humanam, omnem facultatem, omne opus tranſcendit. Humana enim facultate ad id anhelare tantum, illud amare & deſiderare poſſumus, ultra progredi non valemus, juxta illud: *Non eſt volentis aut currentis ſed Dei miſerentis.* Quid enim proficiſci poteſt ab humana imbecillitate? Quid præſtare valet in creatoris obſequium homuncio? etſi innocentiſſimus & ſanctiſſimus atque munditia & intelligentia bonæ voluntatis affectu, & operandi indefeſſa perſeverantia par angelis eſſet, ſimulque ardenti charitate flagraret, ut vel pro ſolo beneficio creationis erga illum beneficentiſſimum parentem gratus eſſe poſſit. Quam enim gratiam referre poſſumus, quod ejus dono vivimus, hac luce & tot commodis vitæ perfruimur: Cujus beneficia ſi in vos vel uno momento ceſſarent, mox deficeremus, & in nihilum redigeremur, quemadmodum ex nihilo conditi ſumus, inedia abſumeremur, niſi nos aleret: nuditate periremus, niſi nos veſtiret, ab adverſariis poteſtatibus obrueremur, niſi nos defenderet, mutua pugna concideremus, niſi nos ipſe gubernaret, inſcitia periclitaremur, niſi nos ipſe illuſtraret, mœrore atque ægritudine conficeremur, niſi nos conſolaretur. Cum autem hæc tot tantaque ſint, tamque ingentia beneficia, perſpicuum fit, *mortales non valere quibuscunque officiis illa vel minima ex parte promereri*, neque ullo pacto pro illis gratias referre, *tantum abeſt, ut operibus noſtris mereri ſummum illud bonum valeamus, aut illam immortalem gloriam aſſequi*, qua illius increatæ lucis participes efficiamur, felicitateque perfruamur, quam (ut verbis Apoſtoli utar) nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. *Illud* enim *maximum & æternum bonum ſola libertate munificentiſſimi Principis optimi Maximi dono recipitur, non tanquam operibus noſtris debitum ſed ex ſola gratia & bonitate ipſius tributum:* Qua ad illud recipiendum *conditi ſumus* idonei: At deinde redditi incapaces, ob læſam majeſtatem à primo parente, cujus criminis, in filios propagati & transfuſi, cum

rei

rei essemus effecti, *beneficio pientissimi redemtoris Jesu Christi crimine abolito restituti sumus in gratiam.* Ipse enim pro nobis solvit debitum, & sanguine proprio sordes detersit nostras. Illudque recipiemus, *fide gratiaque ejus justificati*, nisi pravis operibus nostris illi obsistamus, præceptis non obtemperantes. Quorum observationi & *operum nostrorum labori* ad majorem munificentiam *constituit etiam præmium*, quasi illis esset debitum, statuens, ut quo quisque majori conatu peregerit ea quæ debet, atque plus cooperatus fuerit *gratiæ*, quam recepit, *sine qua opera quacunque inania essent & mortua*, eo illi cumulatius donum illud largiretur, *quasi dono superaddiderit præmium.* Hæc enim opera expetere videtur, tum ne in vanum gratiam recepisse videamur, tum quia par est, ut bonis operibus exerceamur, & ad illud bonum conemur, operibusque comprobemus nos illi esse subjectos. *Assequimur* igitur *æternam felicitatem quandoque fide tantum & gratia*, sæpius autem *operibus præceptorum in gratia perfectis*: Non quia ex lege justitiæ illis debeatur felicitas, quæ longe cuncta illa superat ac excellit, sed *ex lege misericordiæ & gratiæ*, qua statuit summus Deus, præmium illud se daturum iis qui cooperati fuerint, & legem ac præcepta sua servaverint, *qui neminem communi lege illius triumphi & gloriæ vult esse participem*, qui, si modo per ætatem & tempus facultas adsit ad illud assequendum, non fuerit enixus, juxta illud: *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit.* Et aliud: *Regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud.* Quibus autem abest facultas, modo non adsit repugnans voluntas, *sola gratia & fides*, quæ datur in baptismo, sunt satis. Quo baptismatis signo quisque recipitur in familiam Christi, juxta illud: *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit.* Quibus etiam verbis confirmari potest: *Non sola fide & credendo hominem justificari, cum baptisma præter fidem expetatur, quod in actione consistit.* At quibus operandi facultas adsit, eos voluit Dominus non somniculosos esse, non otiosos sed excitatos, industrios, & sollicitos, ad id ipsum bonum consequendum. Statuit igitur Dominus illud bonum impartiri non dormientibus & pigris sed vigilantibus & laborantibus, modo laborare valeant. Quod edocet illa parabola de virginibus fatuis & sapientibus. Quæ enim paratæ erant, intraverunt cum sponso ad nuptias, & clausa est janua fatuis, quia imparatæ fuerunt, quamvis oleum fidei omnes accepissent; sed extinguebantur fatuarum lampades, quia fides sine operibus emoritur. Atque hæc quidem est vera omnium catholicorum sententia quæ in sacris literis exprimitur.

Par autem erat, ut Lutherus diceret: Nunquid illa dicentes atque ita sentientes adorant Baal? Osculentur manus proprias, quod est summa iniquitas, & claudicent? Numquid virtuti propriæ & operibus humanis quicquam tribuant? An totum merito Jesu Christi immensæque Dei bonitati acceptum referant? Cum hæc sententia dicat. *Operibus humanis nihil deberi, sed mortis duntaxat Jesu Christi merito nos ad felicitatem æternam consequendam factos esse idoneos, eamque sola Dei bonitate & dono tribui, opera vero idcirco solum requiri, quoniam ab ipso ita decretum est, qui statuit illa acceptare modo sint cum gratia perfecta*, quasi esset *illa* merita: Quam tamen felicitatem & etiam gratiam condonat ex sola bonitate. *Christus* igitur, hac sententia, *nobis solus regna cœlorum reseravit, ad quæ nec opera legis Mosaicæ attingere potuerunt; nec opera legis evangelicæ possunt, etiamsi illa requirantur statuto divino.* Cujus regni ipse Christus legitimus est heres, eo quod nunquam incapax illius fuerit, quia peccatum non contraxerit, ejusdemque cohæredes nos effecit, ex filiisque iræ in filios Dei adoptatos transformavit. Per Christum namque conditi sumus, per Christum instaurati atque redemti, *sine Christo justificari non valemus, ipse operibus suis nos justificavit, Deo conciliavit & æternam felicitatem, statuto divino, nobis meruit*, uti vaticinio Esaiæ prædictum fuerat. *Oblatus est propter peccata nostra, & livore illius sanati sumus, ipse solus dolores & iniquitates nostras portavit &c.* In eo igitur confidimus, cum credimus, ejus meritis opera nostra grata & accepta Deo esse posse. In ipso speramus, cum enitimur mandata illius perficere, *nihil tamen in operibus nostris confidentes*,, quantum illa ex nobis sunt, sed quatenus ipse meruit, ut illa accepta grataque redderet, & Deus statuit, tanquam condigna essent, præmio ea munerare, & sic quasi *ex quodam pacto & fœdere liberali* opera nostra fore largissima mensura remuneranda, *ultraque meritum & condignum. Ut enim voluit Dominus nos fide primo sibi jungi, sic deinde voluit officiis esse subjectos.* Sed profecto argumenta quæ affert hæreticus ad detrahendam operibus autoritatem: magna ex parte & valentiora reflecti possunt adversus fidei justificationem, quam ipse decernit. Quærerem enim ab eo, numquid *actu credendi* vitam æternam mereamur, ex natura ipsius, an statuto divino, pendente tantummodo ex liberalitate & benignitate statuentis? Neque enim diceret primum, cum illud præmium, quod liberalissime tribuitur nulli operi quantum est ex natura illius debeatur. Nam *si quis omnibus credendis perfectissime consentiret, tamen nisi Deus statuisset fidem illius habere acceptam, inanis fuisset fides ipsius*, juxta illud Pauli: *Si fide etiam montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum &c.* Si autem fateatur, ut oportet, ex statuto & gratia divina & liberalitate creatoris credentibus felicitatem æternam erogari, consequens est, ut concedat, si statuerit Deus *præter fidem etiam opera fidei convenientia esse peragenda*, ut illi sint pariter præstanda. Si enim Dominus, utrumque exigit, utrumque nos conari adimplere oportet.

Quod autem Dominus *opera* requisiverit, longe pluribus testimoniis sacrarum literarum comprobatur, quam ipse probet *fidem requiri, quod nos non inficiamur*, & si *præter fidem opera quoque expeti* asseveremus: Quod fallax istud dogma, opera rejiciens, non est a Martino excogitatum, sed vetus admodum & ipsis Apostolorum temporibus natum. Ad quod potissimum reprimendum *Apostolus Jacobus* epistolam suam scripsisse videtur: ad quod refellendum & confutandum, id quod primum dicam tam efficax & apertum est, ut nihil aliud videatur esse afferendum. Dominus enim Jesus in Evangelio cum loquitur de illo tremendo & maximo futuro judicio, profitetur se sententiam

prola-

prolaturum,&damnandis nihil eſſe exprobraturum, niſi *quod opera pietatis non peregerint.* Dicit enim: *Eſurivi & non dediſtis mihi manducare, nudus fui & veſtiſtis me &c.* Juſtos autem præmio ſe perſecuturum, idcirco tantum, quod opera illa impenſe præſtiterint. Non enim illa ſunt fides ſed opera. Præterea ſibi quid volunt verba illa redemtoris, ſi fides tantum expetatur: *In his duobus lex univerſa pendet & Prophetæ*, videlicet *dilectione Dei & proximi.* Non enim diligere eſt credere, cum credere ſit intellectus opus, dilectio autem voluntatis operatio, & ſi dilectio fidem requirat, juxta illud Auguſtini: *Inviſa amare poſſumus, incognita nequaquam.* Certum autem eſt & perſpicuum, proximi dilectionem ad *fidem & credulitatem articulorum ſymboli* pertinere non poſſe. Exigitur ergo aliud quam fides ſolida enim *credulitas omnium quæ credenda ſunt cum odio proximi perſiſtere poteſt.* Rurſus, nonne comprobantur opera? cum Dominus reſpondiſſet illi, mandata noſti, & illa recenſuit, dicens: *Non occides, non mœchaberis, honora patrem tuum & matrem tuam &c.* Præterea ad quid requiritur *confeſſio fidei ad ſalutem*, ſi ſola *fides, quæ in ſimplici actu credendi conſiſtit*, ad vitam æternam aſſequendam ſit ſatis. Nonne *confeſſio* illa quædam operatio eſt, diſtincta à credulitate? Rurſus, nonne ad opus pertinet illud: *ſi vis perfectus eſſe vende omnia quæ habes, da pauperibus & ſequere me.* Hæc enim opera ſunt, quæ licet ex fide proficiſcantur, tamen ab ipſa ſeparata ſunt. Ad hæc, cur tot præcepta ſunt tradita de *eleemoſina* facienda, de *orationibus*, de *amore mutuo*, de *dilectione* habenda ad invicem, & aliis piis operibus, ſi opera ſint ſupervacanea. Præterea, ut quid præciditur ficus carens fructu, plantata in vinea tanquam inutilis & terram occupans? pariter & illa alia maledicitur quæ aruit, niſi ad declarandum, opera requiri, cum *opera fidei fructus* ſint. Ad hæc: quid ſibi parabola illa vult, *de grano ſinapis plantato in horto*, quæ crevit in plantam magnam, niſi declarare, ſemen fidei eſſe rigandum & colendum operibus ut augeſcat? Rurſus, cur ille paterfamilias qui peregre profectus tradidit bona ſua ſervis, ut illis ſuperlucrarentur, tam ſeverus fuit erga illum, qui nihil ſuperlucratus fuerat, quem cum increpaſſet uti ſervum nequam, datum talentum ei abſtulit, eundemque tanquam inutilem in tenebras exteriores ejici juſſit, ceteris qui ſuperlucrati fuerant commendatis & peculio auctis. Præterea ſi opera bona non requirantur, neque ad ſalutem neque ad majorem gloriam conſequendam, fruſtra *Apoſtolus Paulus*, qui tantum tribuit fidei, de operibus gloriaretur, dicens: *Ter virgis cæſus ſum, ter naufragium pertuli, ſemel lapidatus ſum*, & pluribus aliis locis quibus actionum ſuarum mentionem facit. Cur præterea diceret, *presbyteros docentes duplici honore dignos eſſe*, cum docere ſit operari, ſi opera non requirantur ſed fides ſola ſufficiat. Rurſus idem Paulus *inter fructus ſpiritus fidem* enumerat. Non igitur ipſa ſolum ad ſpiritum pertinet, cum & plerosque alios fructus recenſeat à fide ſejunctos. Præterea ipſe idem *longe præfert charitatem fidei, cum fidem deſituram prædicet, charitatem autem futuram perpetuam.* Si quis enim omnia loca, quibus in ſcripturis opera commendantur aut præcipiuntur, ipſorumve aut operarium habetur mentio, commemorare vellet, operoſum negotium ſupervacaneumque ſuſciperet, cum infinitis locis illorum mentio fiat expreſſa. Ut inprimis eſt illud Jacobi Apoſtoli: *Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus, & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam, fides enim ſine operibus mortua eſt.* Ex operibus enim juſtificatur homo & non ex fide tantum. Et illud Johannis Apoſtoli in prima epiſtola: *In hoc ſcimus, quoniam cognovimus eum, ſi mandata ejus obſervamus.* Et rurſus idem inquit. *Qui facit juſtitiam juſtus eſt.* Non dixit, qui credit, ſed qui facit opera. Ad hæc & idem. *Filioli non diligamus verbo, neque lingua ſed opere.* Et deinde. Qui *ſervat mandata ejus in Chriſto manet, & ipſe in eo.* Et demum fere in calce epiſtolæ: *Hæc eſt charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus, quæ tamen non ſunt gravia.* Quid & illud. *Dum tempus habemus operemur bonum.* Et aliud: *Uti ſeveritis ita & metetis.* Et rurſus: *centuplum accipietis.* Et aliud: *Meſſis quidem multa, operarii autem pauci.* Rurſus & illud, *cum conducuntur operarii ad colendam vineam.* Et illud, cum *locatur vinea operariis.* Et illud, quod *dignos fructus pœnitentiæ facere* ſuadet Paulus, fide enim accepta, de qua longe minus habetur in ſcripturis mentio quam de operibus. Circa ipſa opera omnes ſancti Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, omnes Martyres & Confeſſores edocti, regna cœlorum vi & labore acquirere inſudarunt, operantesque & laborantes e vita diſceſſerunt. Non enim mortuus eſt Chriſtus ut homines ex induſtriis & bene operantibus otioſos & ſegnes redderet: quod profecto facere videretur, & eveniret ſi opera non expeterentur, ſed ſola fide ſecuri nihil operibus laborantes nec ſuperædificantes actionibus demptis, otioſi viveremus, quod eſſet *præter naturam vivere.* Ipſe enim ſemper operatur & quæcunque ab illa ſunt procreata pariter faciunt.

Nec ſola fides reputata eſt Patriarchæ *Abrahæ* ad juſtitiam, nec illi factæ tot promiſſiones, quamvis fide primum probetur: ſed *tum fide, tum operibus laudatur Abraham:* Ut, quod obtulerit filium ſuum Iſaac in ſacrificium, quod hoſpitalis fuerit, quod præcepta divina ſervaverit. Ut teſtatur illud bene, cum Dominus loqueretur ad Iſaac, ait enim: *Tibi & ſemini tuo dabo univerſas regiones has &c.* Et, *complens juramentum quod ſpopondi Abrahæ patri tuo. Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, eo quod obedierit voci meæ, & cuſtodierit præcepta mea & ceremonias legemque ſervaverit pater tuus.* Perfectus igitur Abraham fide, perfectus & operibus commendatur. Si autem ſola fides ad juſtitiam pertineret, ſequeretur impares operibus, fide autem pares gloria felicitatis æternæ pares eſſe debere. Quod abſonum & injuſtum eſſe videtur, cum par ſit, ut ei qui plus laboraverit, plus tribuatur, quantum eſt ex communi lege. Nam licet ex prærogativa quadam, aut occulto divino judicio mere gratis nonnunquam quibusdam tribuatur, attamen communi ſtatuto legis ſuæ, plus inſudanti & cooperanti contributurum eſſe promiſit. Et hac de cauſa *omnes ſancti* laboraverunt in præceptis Domini ſervandis, & ſuperædificare ſtuduerunt, & ſuperlucrari talento accepto: *Nihil tamen audentes ſperare ex operibus, ſed fidentes ſolum liberalitati & promiſſis largientis*, dicentes, ut docuit Jeſus, cum omnia fecerint, eis dicendum: *Domine ſervi inutiles ſumus;*

& ſi quod debuimus facere fecimus: quod reliquum eſt, in tua miſericordia in tua bonitate ſitum eſſe cognoſcimus. Fidem autem ſolam non ducere ad perfectum, nec ſolam juſtum reddere, ſi facultas adſit, ut ſæpe adeſt, perficiendi operis, etiam hic argumentis probari poteſt, quod dæmones credunt & contremiſcunt, & quod illa in nobis nuda laudari non poteſt, nec aſſeri ullo merito eſſe digna niſi cuidam operi fuerit conjuncta. Credere enim, qui fidei actus eſt, probari non valet niſi imperatus fuerit à voluntate, niſi voluntas præceperit ut ita credatur. Illud autem *voluntatis præceptum actio quædam eſt.* Hoc idem etiam alio argumento (mea quidem ſententia) efficaci, quo finem faciam huic quæſtioni, comprobatur. Nam *Dominus Jeſus non habuit fidem*, cum à primo momento conceptionis ſuæ fuerit beatiſſimus, & omnia ſciens ac noſcens. Fides autem (teſte Paulo ad Hebræos) ſubſtantia eſt ſperandarum rerum, argumento non apparentium. Quamobrem cum non ſtet fides cum viſione aſſerit illam eſſe evacuandam quando facie ad faciem, homo divinam intuebitur lucem, quam perpetuo intuebatur ipſe Servator. *Fide* igitur *non eſt commendandus Dominus Jeſus: Quinimo illius derogaret dignitati, qui eam ipſi tribueret? Commendatur* autem *operibus, quod in illis obediens fuerit patri usque ad mortem ſævisſimam ignominioſamque crucis.* Operaque ipſius tam accepta & grata fuerunt æterno Patri, ut illis meruerit, ut delerentur peccata noſtra, & vitæ æternæ efficeremur participes. Ac his efficitur luce clarius, *opera præmio eſſe condigna*, & non tantum fidem, & magis nos eſſe opere juſtificatos quam fide, cum *operibus Chriſti juſtificemur, non autem fide, qui viſionem habuit, non fidem:* Quinimo & *fidem noſtram*, qua primum vivimus ſpirituali vita, ex opere probari. Efficitur etiam, falſum eſſe *opera tantummodo requiri ut mortificetur rebelle corpus & ſubjiciatur ſpiritui*, cum in Chriſto nunquam fuerit talis rebellio, ſed caro ſemper ſubjecta ſpiritui, & ſenſus obediens rationi absque luctu. Quæ ſententia confirmatur, quia *genus quoddam operum* eſt, *quod ad corpus domandum ſubigendamque carnem non pertineat.* Operibus ergo longe plus tribuendum eſſe quam fidei, perſpicuum eſt, non tamen noſtris ſed Chriſti, operaque magis expetita eſſe à ſummo Deo in myſterio redemtionis noſtræ quam fides. Operatus eſt enim Chriſtus Jeſus ut nobis mereretur ſalutem, utque fides noſtra actionesque & opera grata & accepta forent divinæ majeſtati. Quem imitati ſunt omnes ſancti recepta fide, juxta ipſius inſtitutum, abnegantes ſeipſos: Quorum quisque accepit crucem ſuam & Dominum ſecutus eſt, operando, per ignes & aquas, per gladios, per aſperrima quæque transeuntes inducti demum fuerunt in refrigerium: Operantur etiam ſanctiſſimi angeli, cum ſint adminiſtratores ſpiritus. Operatus eſt & ille æternus pater omnium conditor cum creavit univerſum, nec voluit ſui contemplatione, quamvis ea ſola ſit beatisſimus eſſe contentus operatur & perpetuo ſervando orbem. Ex his puto concludi poſſe *operationes eſſe probandas, non abjiciendas*, uti ſupervacaneas, easdemque opportunas eſſe, non modo ad ſubigendam carnem ſpiritui, ſed etiam ad majorem gloriam conſequendam & neceſſarias ex decreto divino his, quibus per ætatem & valetudinem illas præſtare licet ad eam adipiſcendam, jureque optimo præceptas eſſe & inſtitutas, quanquam ſine ipſis juſtificare potuiſſet omnipotens, quemadmodum & ſine fide. Congruum autem & æquum eſſe, ut *fide & operibus juſtificet*, declaratum eſt. Præterea qui comprobant hoc pacto ipſa opera; hos *dignitati fidei nihil detrahere*, quin potius illam probare & perficere. At hæc quidem eſt vera *ſententia*, omnium ſanctorum teſtimonio & univerſalis eccleſiæ decreto ſancita & promulgata. Quæ *omnia tribuit Chriſto & divinæ bonitati, nihil autem operibus noſtris ex eorum natura, ſed tantum ſtatuto divino, qui voluit nos cooperatores ſuos eſſe*, juxta illud Apoſtoli: *Dei enim coadjutores ſumus &c.*

Sed nihil mirum eſt, vota hominum diſſolvere, omnia bona opera abolere, cuncta pervertere qui hominem à propria dejicit natura. Cum enim homo à cæteris animantibus diſcrepet, rationis uſu, liberaque agendi facultate, *qui liberum arbitrium tollit, omniaque neceſſario evenire contendit, is hominem à proprio ſtatu abigit* & non eſſe hominem ſed brutum decernit, cum ut bellua tantum feratur non agat, nec enim ratione cognoſcere quid agere conveniat ei poteſt eſſe commodum, cui facultas agendi non adſit, quod ratione fuerit oſtenſum. Itaque ratione carere optabilius eſſe videretur quam ea pollere & quod ipſa ſuaſerit non poſſe perficere, quinimo cogi perſæpe agere oppoſitum. Quo inſaniſſimo dogmate tollitur omnis laus & opprobrium, omnis moralis vita, omnis juſtitia divina, omnis cultus ſacer & omnis pietas. Arbitrii enim ſublato fundamento, omnis religio corruit, quod oppugnat tanta pertinacia, tanta contentione, ut nihil magis zelator hic gloriæ Chriſti, prætextu evehendæ & ampliandæ pietatis. Sed hanc ejus inſaniam tu *Eraſme* tam prudenter & docte inſectatus es, ut eam non ſit opus verbis noſtris refutari.

Quem igitur caſum par eſt expectare monſtrum hoc tam multiforme, quod apud Germanos omnia perturbavit, pacem ſuſtulit, mores majorum evertit, ſanctiſſimas leges, conſuetudines optimas abrogavit, divinam legem pervertit, pudicitiam fugavit, omnia miſcuit tumultibus, rapinis, ſanguine cuncta opplevit, templa, cœnobia profanavit, excidit ſacra omnia, ritus & religionem ſuſtulit, univerſam Germaniam inflammavit, cœlicolis bellum indixit, homines ab humano ſtatu dejecit & belluas reddere contendit! Qui jam pridem cum à graviſſimis & ſapientiſſimis academiis, à cunctis doctoribus ſane ſentientibus improbatus eſſet, deinde ab invictiſſimo Cæſare, publico in conventu, de conſilio omnium Principum, judicio omnium magiſtratuum, omnium procerum decreto publice rejectus, tum Pontificis max. autoritate ſumma, omnium patrum, ampliſſimi ordinis ſacratiſſimi ſenatus ſententia damnatus, denique ab univerſo orbe cathólico, ab omnibus orthodoxis reprobatus, ipſe tamen pertinacior ſemper evaſit, ſceleraque ſceleribus, hæreſes hæreſibus aggregans, ad inauditas demum blaſphemias perfundendas devenit. Dabit igitur ut ſpero condignas tantis facinoribus pœnas nefandiſſimus homo. Non permittet celſiſſimus *Cæſar*, non permittet ſereniſſimus Princeps *Ferdinandus vices fratris apud Germanos gerens* hanc ſævam beſtiam, hunc perduelionem, hunc

numinum contemtorem, hunc Christiani nominis hostem, diutius furere, vagarique impune, & Germaniam prorsus periclitari, memores majorum suorum. Sunt enim eo sanguine & familia feliciſſima procreati, quam non minus religione & pietate floruisse constat, quam potentia & facultatibus. Illis enim continens semper & præcipua cura fuit, ut Christianæ fidei puritas, catholicæ ecclesiæ integritas, sacrorum rituum observantia illæsa persisteret. Quorum summum studium præ ceteris rebus in christiana religione conservanda & propaganda fuisse, testantur plurima egregiæ pietatis illorum monumenta. Perstant adhuc viva hominum memoria (ut exteros omittam)avorum, *Maximiliani Cæsaris* ac *Ferdinandi catholici Regis* recentia insignis pietatis exempla, cujus non minus æmulatores esse debent, quam sint dignitatis & amplitudinis hæredes. Dabunt igitur operam diligentissime, ut quod fieri cœptum est ad exitum perducatur, & Lutherus cum asseclis suis pravorum consiliorum & contemptæ ipsorum Majestatis meritas pœnas luat, & hæc impietas insana penitus explodatur. Nec patietur *Cæsar* ut ejus nomini tanta inuratur nota, ejusque gloriæ hoc probrum officiat, quod ipsius temporibus Germania à catholica fide ac pietate defecerit, & execrandisſimæ hæreses prævaluerint. Ad quod peragendum non deerit manus cæterorum *Germaniæ Principum*. Inprimisque aderunt magna alacritate & studio *sacri Romani Imperii* clarissimi *Principes Electores*. Nec deerit officio eximiæ virtutis virago, illustrissima *Margaretha* inquam serenissima *Austriæ Archi-Ducissa*, fœmina rarissimæ pietatis & prudentiæ, cujus egregia opera & ardenti religionis zelo à contagione hæreticæ pravitatis *Flandriæ* cum adjacentibus provinciis & regionibus immunes servatæ sunt. Aderunt quoque sinceræ religionis & fidei constantissimi propugnatores, illustrissimi *Bavariæ Duces*, nunquam satis laudati, qui præ ceteris Germaniæ Principibus huic furori ac perniciei obstitisse feruntur. Cujus egregiæ pietatis non solum condigna referent præmia ab optimo & maximo Deo, sed etiam sibi æternum nomen compararunt. Præsto itidem erit singulari industria & virtute amplissimus Pater & Princeps præclarus *Salisburgensis*, eorum finitimus, quod tanta animi constantia, tanta fortitudine, etiam durissimam perpessus obsidionem hæreticis obstitit, ut ejus egregiæ pietatis & sapientiæ magnum ediderit documentum, quod nulla unquam delebit oblivio. Quibus præclaris facinoribus declaravit qualis quantusque fuerit, & quam merito Divo Maximiliano Cæsari tam carus extiterit, ut cunctis rebus administrandis ab ipso fuerit præfectus & summa Reip. consilio ejusdem temperaretur. Aderunt & clarissimarum *urbium imperii magistratus* omnes maxime autem præstantes *Suevorum fœderatæ civitates*. Nec deerunt officio libertatis catholicæ ecclesiæ acerrimi defensores, *Helvetiorum* videlicet fortissimi & religiosi populi, qui hac in re more suo, & ut celebri elogio profitentur, egregiam operam navabunt. Aderunt omnes catholici, omnes boni, quorum adhuc in Germania longe major copia quam hæreticorum est, quorum mores hoc tempore, si quis cum iis conferat, quibus, antequam à catholicis ecclesiæ institutis deficerent, vivebant, luce clarius prospiciet, quam fallacia, quam incommoda, quam pernicioſa sint Martini dogmata, quæ ex probis & modestis hominibus improbos & immodestos efficiant, ex prudentibus & piis insanos atque impios reddant. Qui omnes, tum Principes, tum populi, cum Cæsare, omne studium & diligentiam adhibebunt, ut seditionibus tumultibusque oppressis, & novitatibus ac insaniis rejectis, autoribusque tantorum malorum prostratis, ad pristinam pietatem, tranquillitatem & pacem Germania restituatur, & hydra ista pernicioſissima cunctis capitibus extinctis tot scelerum tam profundæ impietatis debitas luat pœnas. Quæ si forte manus hominum evaserit, at certe divinum judicium non effugiet, quod gravitate supplicii tarditatem pensabit. Potius tamen optandum, precandusque est mitissimus servator hominum Christus Jesus, ut Lutherum cum sodalibus ad saniorem mentem reducat, eisque evellat pertinaciam, auferat superbiam, humilitatem tribuat, errata condonet, spiritum satanæ ab ipso depellat, & suo illum afflatu illustret. Quod fore sperandum est, modo ne ipse pulsanti spiritui se surdum exhibeat, vocantem non rejiciat, monenti non reluctetur. Etenim misericors & benignissimus Deus noster promtus multusque est ad ignoscendum. Quod si obstiterit divino spiritui optandum est, ut è medio tollatur, detque locum sanioribus mentibus, nec addat peccata peccatis.

Sed longe plura in portentum istud scelusque dixi quam statueram, & dum causæ impietas, reique magnitudo, religionis zelus, longius provehit orationem meam, *crevit epistola in volumen*, & facta est velut *silva quædam*, neque culta neque satis digesta, *quæ varias in Lutherum quæstiunculas attingat*, prout nobis indignatio sceleris suggerebat congestas. Quas ut latiuscule prosequerer, non idcirco feci, quod te ignorare quicquam eorum, quæ à nobis sunt allata suspicarer: Scio enim tibi (modo animum inducas) in promtu esse, multo & plura & accommodatiora in scelus istud congerere: Sed quoniam *mihi has quæstiones attingenti* illa in mentem veniebant. Quamobrem ne diutius rudi oratione mea castigatas aures tuas obtundam, jam finem faciam, si *te* prius *compre-catus & obtestatus* fuero, quod à te, quemadmodum supra dixi, quicunque tibi bene cupiunt, petunt, *ne amplius moreris, cunctationem omnem abjicias, omnes rationes negligas*, quæ te ab hoc officio dissuadere possunt, & *causam catholicæ ecclesiæ*, causam fidei, causam Jesu Christi, *cunctis respectibus præferas, & stylum acuas in Lutherum & digna Erasmo conscribas, non dissimulanter, non perplexe, non ambigue, non lubrice, sed expresse, non remisse sed vehementer*, quemadmodum hominis arrogantia, impietas & blasphemiæ postulant. Nam cum hæreticis non molliter agendum, sed urgendos & severe increpandos esse, priscorum Patrum quamplurimis exemplis edocemur. Inprimisque vas electionis Paulus, quam acer & vehemens fuerit in Pseudo-Apostolos & erroneam doctrinam prædicantes, ejus epistolæ testantur, pariter & quorundam aliorum qui canonicas epistolas scripsere. Quam acerbus autem in Cerinthum hæreticum fuerit Apostolus & Evangelista *Johannes*, narrat Eusebius, similiter & Polycarpus in Marcionem. Athanasius quoque in B. Antonii Abbatis vita conscribit,

ſcribit, cum in Arrianos & Manichæos vehementiſſimum fuiſſe. Quam præterea aperti & ſeveri hæreticorum caſtigatores fuerint Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, Hilarius, & cæteri tum Græci tum Latini ſanctiſſimi Doctores, hæreticorum expugnatores eorum libri & monumenta declarant: Quorum exempla à te ſunt imitanda. Perſpectum jam pridem cunctis hominibus, *quod poſſis, modo velis.* Non tibi lorica, non clipeo (niſi fidei) in quo juxta Paulum omnia tela nequiſſimi igne extingues, non galea niſi ſalutis, ad hoc certamen eſt opus. *Accingere modo calamo,* quaſi gladio ſpiritus, *ſed non ancipiti, victoria eſt in expedito. Plurimum vales eloquio, ingenio ſolertiſſimus es, doctrina cumulatiſſimus.* Sed præſtabit Dominus Jeſus, *modo cœperis,* longe potiora dicere quam cogitaveris, dabitque facundiam copioſiorem, *teque ſapientiorem, quam huc usque fueris* efficiet. *Hoc ſolo labore longe majorem gloriam conſequeris, quam ex omnibus quos hactenus hauſiſti.* Hoc teſtimonio cunctis obtrectatoribus tuis ſilentium impones, *hoc omnes ſiniſtras ſuſpiciones de te ſuſtuleris.* Hoc expoſcit pietas tua, ætas tua, autoritas tua. Quod ſi neglexeris, (parce quæſo libertati meæ) nunquam efficies, ne multi ſuſpicentur & credant, *tibi plurima convenire cum Luthero*, ne complures probati viri *te primum autorem tantorum malorum fuiſſe* prædicent: Non effugies, ne *ad inferos tecum afferas notam hæreticæ prævitatis*, ne à poſteris ſemper dicatur, cum tui mentio fiet, *magnum virum fuiſſe Eraſmum, niſi Lutheranæ perfidiæ quoquomodo faviſſet*, & ſic gloriæ nominis tui detrahatur perpetuo à multis. Cæterum à te etiam atque etiam peto, ut ſi quid intemperantius, ſi quid concitatius aſperiusve dixiſſe viſus fuero, nihil tale in te dictum eſſe ſuſpiceris, ſed *omnia referas in Martinum*, in cujus mentionem nemo poteſt incidere, qui modo ſit religionis chriſtianæ ſtudioſus, quin excandeſcat & frena modeſtiæ relaxet, ejus blaſphemiarum diſſidiique, quod in catholicam eccleſiam excitavit recordatione, cum quidem adverſus tam impium & mordacem hæreticum verba temperare contra omnem modeſtiam & non ſolum pietatem eſſe videtur.

Quod autem ad te pertinet, hoc tibi velim perſuadeas, me *ingenio, doctrina & ſingulari virtute tua*, ita accendi ad te amandum & obſervandum, ut paucis ſim conceſſurus. Quod ſenties ipſe, ſi unquam contigerit ut opera mea tibi uſui eſſe poſſit: *ſancietque inter nos hæc epiſtola ſanctiſſimæ amicitiæ fœdus perpetuum*, in qua paulo tecum liberius egi, fretus tua & probitate & humanitate, certum habens te cuncta in bonam partem eſſe accepturum. Vale. Datum Romæ idibus Maji MDXXVI.

Eraſmi Roterodami
Reſponſio nervoſa ad Albertum Pium, Principem Carpenſem, Pariſiis tunc degentem, Baſileâ Lutetiam
Anno 1529.

Apologia pro bonis literis, à ſe cultis & promotis inprimis pro Novo Teſtamento Græco, cum verſione & annotationibus à ſe An. 1516. edito.

Cum ſalubri conſilio repetito, Lutheranam rem non clamoribus & tumultibus, nec tam inconditis rationibus moveri, ſed quæſita morum emendatione.

Ad Exhortationem Clariſſimi Doctiſſimique Comitis, ALBERTI PII, Carporum Principis, Deſ. Eraſmi Roterodami Reſponſio.

UTinam fortuna mihi, *Alberte, Principum eruditiſſime*, plauſibilius aliquod *ad te ſcribendi* dediſſet argumentum! Quamquam hic ipſe caſus, etſi parum felix, non prorſus tamen infeliciter ceſſit, qui *pro epiſtola, nec admodum longa,* & tam inelaborata rudique, *juſtum volumen*, ſummo ſtudio, parique ingenio perpolitum reddidit. Cæterum, an illud mihi gratulari debeam neſcio, quod *pro literis privatim ad unum ſcriptis, liber eſt redditus*, qui populo, non uni mihi, ſcriptus videtur. Id hac factum occaſione crediderim, quod, quum *jam pridem haberes argumentum paratum adverſus Lutheri ſectam*, mea provocatus Epiſtola *conjunxeris quorundam de me querimonias, cum Lutheranorum dogmatum confutatione*, duos ut ajunt parietes de eadem fidelia. Nec enim libet hoc de viro tam claro, tam docto, tam humano, denique de *Alberto Pio* ſuſpicari, quod eadem arte *me negotio miſcuerit Lutherano*, qua *Pſeudo theologi quidam ſolent* in concionibus & colloquiis *meum nomen cum illius nomine conjungere*, nimirum ad eum modum abutentes imperiti popelli ſimplicitate. *Iſtorum* videlicet *artibus res ad hanc usque tempeſtatem progreſſa eſt*, quæ utinam vanus ſim augur, brevi ad plures dimanabit, ni *melioribus conſiliis fuerit occurſum.* Quamquam autem pro ingenii tui dexteritate multa congeris, atque infulcis, ut videaris ad hoc faciendum neceſſitate adductus, tamen quod ipſa loquitur res, *Epiſtolæ meæ tribus propemodum verbis reſponderi poterat*, quæ nihil aliud abs te exigebat, quam *ut poneres iſtam de me perſuaſionem, voceſque ut vanas ita mihi parum honorificas contineres*, ſiquidem rumor verus huc advolaſſet: Sin minus, putares, eas literas ad te ſcriptas non eſſe. Alius illud fortaſſis expoſtularet, quod *epiſtolam illam negligenter uni ſcriptam, evulgaris orbi*, easque *voces, quas ut poſthac contineres, rogabam, non modo non continuiſti*, verum etiam *multo atrocius per typographos evulgaſti*, ſimul & inſcitiam barbariemque meam traducens, & *innocentiam in capitale crimen* vocans. Nam de tota *cenſura*, quam *de ingenio, judicio, doctrina, facundiaque mea* palam ferre dicebaris, apologiam omnem tibi remiſi.

Saltem *illud erat curandum ut epiſtola ſic excuderetur, quemadmodum ad te erat miſſa.* Illic enim lego *penitus* pro *penitius*, *noſtrarum* pro *noſtratium*, *noſceres* pro *noſſes*, item *in nobis revocarent*,

rent pro nobis revocarent indignatus pro *indignans*, rursus, *hic cœpit* pro *hinc cœpit*; Mox, *negotio se involvere*, pro *negocio involvere*, quod studio cujuspiam depravatum videri queat, siquidem *pronomen additum prorsus invertit sententiam.* Verum hæc scio typographis imputanda potius, quam tibi. Quemadmodum & illud, quod *quum universa capita sectæ Lutheranæ refellas*, totus liber in paginarum frontispiciis habet, *ad Erasmi Epistolam responsio*, quasi quicquid illic agitur, ad me pertineret. Nam quod *Badius* noster *præfixit præfatiunculam*, suo jure, suoque more fecit, & ad te, ni fallor, nihil attinet: Quamquam sunt in ea quoque voces, quæ vix responderent meo erga ipsum candori: In quibus est illud, quod me scribit apud patres purpuratos male audisse. Nunquam enim accepi quemquam Cardinalium de me parum amice loquutum. Certe multorum epistolas habeo, honorificentissime scriptas, nec id unquam questus sum. Tum quod laudes, quas tuus candor præter omne meritum meum, in me voluit effundere, sic interpretatur, quasi tua humanitas veram objurgationem hoc pacto voluerit mitigare. Et omnino verum est, quod Paulus Petro restitit in faciem, quemadmodum ille scribit, sed nusquam Paulus Petro calumniam impegit in faciem: Quamquam Græci locum hunc aliquanto plausibilius, ac mea sententia rectius interpretantur, quam divus Augustinus, qui tribuit perversum studium inducendi gentes in servitutem legis. Deinde pronunciat etiam, quod *probe me voces ad palinodiam.* Verum negabis, horum quicquam ad te pertinere. Nec mihi consilium est, ob hasce nænias humanissimo principi ullum facessere negotium.

Ac vereor, ne tibi justior *expostulandi causa* videatur, quod, quum *ante annum*, ni fallor, *librum tuum ad me miseris, nulla tamen cum responsione dignatus sim.* Cæterum id temporis iter in Italiam nullis hinc literis erat pervium: Ac *non multo postcaquam tuum librum accepissem, Romæ ruentis fragor omnium certe piorum animos hic attonitos reddidit.* De te rumor ferebatur incertus: Alii narrabant cum Clemente VII. periclitari: rursus alii dicebant, quod *tempestiva fuga consuluisses & rebus & incolumitati tuæ.* Ubi tamen locorum ageres, ne odor quidem ullus ad nos pervenit. Itaque, cum aliis iniquis laboribus supra modum oneratus essem, visum est *id operæ in aliud prorogare tempus*, quoad certo didicissem, *qui te locus haberet:* Id quod *ante triduum denique cognovi*, videlicet amici cujusdam literis, qui simul *codicem misit typis excusum.* Id factum est *5. Id. Febr.* quum ad mercatum Francfordiensem profectionem adornent typographi *Octavo Cal. Martias. Ad respondendum* itaque *superant dies decem* & eram sic occupatus, ut vix alias æque. Sub id tempus mire tumultuatur officina typographica, quæ sex prælis unico me suggerente materiam desudat. Angebar anceps animi, propterea quod verebar, ne *si distulissem respondendi officium*, viderer id vel *offensione quadam animi*, vel *contemtu tui* facere. Rursus deterrebat *volumen plusquam justum, ac tempus adeo angustum*, ut vix attente relegendis tuis suffecturum videretur. Verum animavit me ista tua singularis humanitas, ut *vel ex tempore tuis literis responderem, sed carptim*, & *ad ea duntaxat, quæ me propius attingerent.* Tu, pro tua solita facilitate boni consules.

Principio, *occupationum excusationem, qua uteris*, sic arbitror mihi tecum esse *communem*, ut opiner te majoribus ac splendidioribus quidem occupari negotiis, me tamen densioribus ac molestioribus. Nam *adversæ valetudinis excusationem* summopere doleo tibi mecum esse *communem.* Erat enim istud, Alberte, ingenium quod spretis omnibus oblectamentis, ad quæ solet imaginum claritas & opum facultas invitare, summam eloquentiam cum omnibus absoluta numeris eruditione conjunxit, dignum perpetua valetudinis prosperitate. Et *haud scio, annon ipsum incommodum, de quo quereris, non nulla ex parte debeas tuæ Minervæ.* Mihi certe studiorum laboribus sic obruto, ut nec ægrotare liceat, nec mori, nec uti medicorum opera, rursum valetudinis adeo afflictæ, ut subinde sit cum morte luctandum, vix tantum ocii contingit, aliquot mensibus, ut avidissimo licet, vacaret *tuum librum evolvere.* Et jam nunc *percurri verius quam perlegi.* Primum hoc mihi credas velim, vir eximie, non pessimæ fidei homini; nihil enim dubitem, jusjurandum quamlibet sanctum interponere, si tu postules. A probationibus enim abstineo, ne dum verbosius docere conor *mihi nullum esse ocium*, hoc ipso declarem, me ocio abundare.

Jam non expectas opinor, ut par pari referam, & *volumen pensem volumine.* Quodsi maxime suppeteret ocium, talia sunt pleraque, quæ congeris, ut ad me nihil pertineant, aut *feram* habeant ac proinde sterilem *querimoniam*, aut ejus denique generis sint, ut ne agnoscere possim, nisi meo cum dedecore, nec refellere sine multorum offensione, & quod gravius est, sine causæ, cui pariter favemus, discrimine. *Sic* enim *hisce temporibus exulcerata sunt omnia; ut quocunque te vertas, sentias, te incedere per ignes suppositos cineri doloso*, quicquid attingas, vomicam & hulcus reperias & sub omni lapide dormientem scorpium. Nonnulla vero sunt *inspersa tuo volumini*, quæ sicut *Romæ pridem à multis*, nunc *ubique* leguntur ab omnibus, ita si prodirent in manus eorum, qui mea lustrarunt, quibusque omnis vitæ meæ ratio non incognita est, nonnihil detractura videantur, candoris istius & æquitatis existimationi, quæ te bonis omnibus facit amabilem, ut fortunæ splendor, & eruditionis præstantia facit admirabilem. Equidem optabilius arbitror à multis amari quam suspici. Alioqui cupiebam, *volumen tuum formis excusum*, volitare per manus omnium, si quos forte vel autoritas ista, vel eruditio, vel eloquentia vel candor & æquitas, qualis hactenus à nemine præstita est, revocaret ad sanctiora consilia. Videmus enim quantum exulcerarint quidam hoc malum dum *parum dextre conati sunt adhibere medicinam.*

Sed utinam ita temperasses stilum, ne meam causam cum negocio Lutheri commisceres, & ita tibi solidam laudem ex impietatis confutatione parasses, *ut nobis immerentibus non aliquid labis aspergeres.* Quum enim *molestе feram cum Luthero laudari, longe molestius est, cum illo accusari*, & sic accusari; *ut ego viam struxerim, ille in Ecclesiam irruperit.* Quod tamen abs te nec studio, nec malitiose factum scio, sed ita tuo candori, ut suspicor, persuasum est, ab his, inter quos versaris. Solent enim

ingenia

ingenia ſimplicia candidaque, cujusmodi decet eſſe, Principum, ut nemini dolum meditantur ipſa, ita de nemine facile ſuſpicari, quo fit, ut facilius ab aliis honeſti ſpecie fallantur. Neque enim animum inducere poſſum, vel tantum ocii per tuas occupationes eſſe tibi, vel tantum patientis ſtomachi, viro ſemper exquiſitiſſimis aſſueto rebus, ut noſtras nænias vel evolvere vacaverit, ne dicam introſpicere ſi libuiſſet, vel libuerit, ſi vacaſſet. Multis enim, nec futilibus argumentis, videor mihi colligere, *te nonnulla, quæ torques in me, non hauſiſſe ex lucubrationibus meis, ſed ex colloquiis hominum*, qui plurimum abſunt ab ingenii tui candore, quorum hoc ſtudium eſt, ut *per ſubordinatas perſonas ſuam agant fabulam*. Nec ulli, ut modo dicebam magis idonei ſunt fraudibus improborum, quam qui ob ingenii ſinceritatem, non noverunt, ipſi cuiquam fraudem texere. Hujus rei non conjecturam, ſed certiſſimum indicium ex malorum meorum experimentis capio, non ſemel in graviſſimas conjectus turbas, dum aliorum mores ex meis æſtimo. Atque hac in cauſa candor iſte tuus, quo *mihi laudis tantum tribuis*, non dicam, quantum agnoſcam, ſed quantum alius nemo tribuit eorum, qui meam mediocritatem, ſi tamen mediocritas eſt, ad invidiam aliorum, meumque tædium laudibus extulerunt, adeo, me non ſublevat in hoc argumento, ut vehementer etiam oneret. Sic enim apud ſe cogitabit lector: Vir tantus, tam in cæteros candidus, non hæc ſcriberet de Eraſmo, niſi plus haberet compertum, quam ſcribit. Hæc ne videar omnino ſine cauſa ſcribere, pauca delibabo, ſed paucis. *Omittam* interim *ampliſſimas laudes*, quas ſi mihi tribuis ex animo, hoc magis debeo tuo candori, quo minus agnoſco: ſin, quod magis arbitror, *ut hoc ceu melle prælito lenires objurgationis abſynthium*, amplector humanitatis conſilium: Quamquam *ego talia delinimenta nihil moror, jam nec puer, nec rerum humanarum prorſum imperitus, aut ſi malis ſtropharum iſtiusmodi rudis*, etiam ſi tu non abſynthium porrigis, ſed *lethale toxicum iſta ſermonis blanda ſpecie, ceu vaſculo gemmeo propinas*.

Siquidem hæc eſt tuæ ſuaviloquentiæ ſumma, ut *Lutherum invidia ſubleves*, orbique perſuadeas, *quicquid eſt hujus miſerandæ calamitatis, uni Eraſmo acceptum ferri oportere*. Hoc quum ſit atrocius, quam ſi veneficii crimen objicias, *quid mea refert, quam blande id facias*, niſi quod, *quo placidius id agis, hoc præſentius adfers venenum, quaſi cicutam vino miſceas*. Itaque non dubito quin *libertatis veniam*, quam a me precatus es, in amica privataque expoſtulatiuncula, ſim abs te viciſſim impetraturus in cauſa multo invidioſiſſima. Quamquam quid attinet impetraſſe, qua non liceat uti? Qua quidem in re nondum ſtatui, Vir præclare, utrum gratulari debeam iſti tuæ felicitati; an laudare prudentiam, qui fabulam per ſe gratioſam ita inſtitueris agere, ut etiam ſi parum feliciter agas, tamen applauſurum ſit theatrum.

Nam *Romæ pridem* in tuo nimirum theatro *libellum hunc expoliſti, ac propemodum edidiſti*. Eandem fabulam *denuo* ſaltas *Lutetiæ*, ubi ſcis, eſſe Bedaicos aliquot & Sutorios, ac Pſeudomonachos, qui utroque quod ajunt pollice fauturi ſunt, quicquid ſcripſeris, modo *in Eraſmum*: tum in *eorum* laude verſaris, quos merito taxare tutum non ſit, falſo etiam laudare gratioſum. Nec augeri mihi clepſydras petam, quum *hæc* ſint *ex tempore peroranda*. Non excutiam igitur, quæ ſint iſthic quorundam eruditorum de me cenſuræ. Solus non credo, quod hic quidam apud neminem non deprædicavit: nullo amici & inimici diſcrimine. Pro ſummis habeo, quæ mihi doctorum hominum & literis ſignificantur, & oratione referuntur, *quid hic aut ille nominatim, quo loco, quo tempore, dixerit*, quomodo alius detrahat eloquentiam, alius, tribuens utcunque tolerabilem phraſin, in totum adimat judicium, alii me negant eſſe Ciceronianum, quod apud illos crimen eſt, atrocius homicidio, nonnulli dum feſtivi volunt videri *porrophagum & Eraſmum* appellitent pro *Eraſmo*, quidam etiam ab Orthodoxorum claſſe ſubmoveant. Habeo libellos Oreſte dignos, qui Romæ verſabantur inter Secretarios Pontificios, nec mihi titulo eſt opus autoris indice. Facies ipſa minus mihi proderet hominem quam phraſis. Boni conſulo, *duas Stunicæ libellos*, non minus indoctos, quam petulantes, *iſthic editos in me*, ac vetantibus etiam Pontificibus & Card. diſtractos. Nihil me movet, quod ornatiſſimus Juvenis, *Georgius Sauromanus*, ſuo libello, quem *iſthic* edere parabat, *coactus eſt diſpungere, quicquid habebat honorificam de Eraſmo mentionem* quum tu interim literariæ rei teneres principatum, atque adeo, ſi vera ſcribunt, *tuus illæ calamus jugularat*. Non queror, me fraudatum laudibus, quæ nihil aliud, quam gravant invidia: Officium erat illa diſpunxiſſe: Sed *animum expendo illorum, qui id perpeti non poſſunt*. Quamquam & hoc iſtis facile condono: Qui tamen haud impune facerent, niſi totus in hoc eſſem, ut jam vicinus extremo vitæ limiti, *contemtis omnibus* conſcientiam hanc approbem Chriſto. *Multa diſſimulanda ſunt alio properanti*. Scio more hominum fieri, ut libentius nuncient triſtia, quam læta, nec quisquam minus libenter credit hujusmodi rumoribus. Verum in his erat *juvenis quidam*, ut tibi chariſſimus, ita tuæ eruditionis admirator unicus. Præterea *alter tibi juratiſſimus ſodalis*, quum ante annos ſeptem pontificis cauſam apud noſtrates ageret, effutiit apud me, nam hoc habet bonum præcipuum, quod nihil continet, *eſſe Romæ quendam Cæſaris oratorem*, qui hoſtili eſſet in me animo. Atque id quidem temporis, *nec te ſciebam eſſe Romæ*, nec audieram, *Cæſaris negocia procurare*. Non edidit quidem ille nomen, editurus ſi quid inſtitiſſem, ſed ex notis, quas effutiit, & ex iis, quæ poſtea cognovi, certo collegi, te eſſe illum de quo locutus erat.

Verum hic ipſe mihi ſoleo libenter imponere, ut quod ſciam, neſciam, *usque adeo non placet cum eruditis viris diſſidium*. Candorem tuum probo, quod tam amanter *Stunicam tuum* deprædicas. Quanquam illa: *Homo candidi ingenii, & homo minime invidus*, nec Hiſpanos arbitror ſine riſu lecturos, qui modo libros illius legerint, fumis, gloriis, & manifeſtis calumniis refertos. Quod ad religionem attinet, tria duntaxat loca vocavit ad calumniam, ſed quod ipſa res indicat, nec religioſe, nec erudite. Verum ego *Stunicæ* laudibus nihil detrahiam, nec ea canarina per me rurſus movebitur, imo quod ad me quidem attinet, paratus ſum

per ſynceram amneſtiam prorſus abolitis ſuperiorum contentionum veſtigiis, Chriſtianæ benevolentiæ fœdus cum homine ferire. Tantum hoc dicam, ſi non attigiſſet, niſi quæ vere merebantur reprehenſionem, aut *ſi ſemet intra civilitatem continuiſſet*, dignam quum ſtudiis liberalibus, tum homine Chriſtiano, quemadmodum nunc apud omnes famam celeberrimam eſt aſſecutus, ita tum apud cordatiſſimos ac probatiſſimos quosque plus veræ laudis tuliſſet. Atque hic interim dum caveo, ne qua priſtinæ contentionis ulcus refricem, nonnullam meæ cauſæ partem ſciens ac volens prodo. Nam *quum tu mihi renoves, quæ ille pridem in me jaculatus eſt, tamen diſſimulas, quæ illi reſponderim:* ſive, quia judicaris, nullius eſſe momenti, ſive, quod magis arbitror, *ea non legeris.* Quod quidem incommodum tota hac diſputatione *devorandum* erit.

Etenim quum *nihil* ſit *in accuſationis tuæ capitibus, quod non libris editis ſemel atque iterum diluerim,* tu ſic proponis, quaſi nihil omnino reſponſum eſſet. Atqui tui candoris erat, aut recipere ſatisfactionem, ſi juſta videbatur, aut refellere, ſi quid minus probares. Quod ſi hic repetere pergam, quæ toties diverſis locis a me dicta ſunt, quis erit modus voluminis? Sin reticeo, videbor agnoſcere, quicquid intendis, præſertim apud eos, qui noſtra non attingunt. Nulli porro minus attingunt, quam qui clamoſiſſime in mea ſcripta debachantur.

Verum priusquam *ad quorundam inſimulationes reſpondeam*, imitabor illud ſapientis dictum. *Juſtus in principio ſermonis accuſator eſt ſui. Profiteor, me non uno modo peccaſſe in edendis lucubrationibus meis.* Prima culpa plane mea eſt; *Quicquid edo, abortus verius eſt, quam partus. Hoc vitium mihi penitus inſitum eſt.* Non fero *recognoſcendi tædium*, non *premendi moram*, non *elimandi*, quod deformatum eſt, *diligentiam.* Atque hujus culpæ toties ipſe mihi pœnas haud quaquam leves do, majore tædio relambens, ac refingens mea, quam ſi initio juſtam curam adhibuiſſem. Altera *culpa mihi communis* eſt *cum amicis, qui mea facilitate nonnunquam ſunt abuſi*, protrudentes ad ſuſcipiendum argumentum ad quod tractandum non eram natura compoſitus, aut quod ejus generis eſſet, ut ſatius fuerit non tractare.

Id uſu venit primum *in Moria.* Mox *in vertendo Novo Teſtamento.* Quamquam *poſterius* hoc optimi quique ſuis calculis approbant, nimirum intelligentes, *hoc laboris fuiſſe neceſſarium ad intelligendos Græcorum Commentarios, quorum omnium lectio diſcrepat ab hac noſtra, quæ vulgo fertur.*

Idem *ab Hiſpanis factum eſt in Veteri Teſtamento*, minore cum invidia, ſed quod gaudeo majore ſtudiorum fructu.

His rebus factum eſt, ut *multa* ſcripſerim potius quam *feliciter.* Atque ut fateor, quædam a me facta, ſcriptaque, quæ *nec facturus* eram, *nec ſcripturus, ſi ſeculum hoc exoriturum divinare potuiſſem.* Ita teſtor, animum hunc a novandarum rerum ſtudio, concitandisque tumultibus ſemper abhorruiſſe, quemadmodum & nunc abhorret, ſperoque fore ut hujus mentis nunquam me pœniteat.

Tantum præfatus, veniam *ad hominum querimonias*, quas tu placide quidem refers, ſed ita tamen ut in eadem eſſe ſententia videaris. Primum aſſeveras, *me hujus tumultus occaſionem dediſſe*, tametſi *cauſæ* datæ gratiam facis. Verum improbis, juxta Græcorum proverbium, præter *occaſionem* nihil deeſt. Hanc ſi rapiunt e divinis literis, ſi ex veterum Orthodoxorum libris, non mirum, ſi *rapuerunt ex meis lucubrationibus*, & *id quod ad corrigendos mores recte dictum erat*, detorquent ad tumultum. Hinc orſus addis, in hoc conſentire cunctos, utcunque variantes in cæteris: *Lutheranos ex meis fontibus hauſiſſe, quo ſua pullulantia venena irrigarent, vel ex meis potius hortis letalia ſemina collegiſſe. Tam multa*, inquis, *conſentiunt in placitis utriusque, ut aut Lutherus videatur eraſmizare, aut Eraſmus lutherizare.* Ego fortaſſe mearum lucubrationum cæcus ſum judex, nec enim ejusdem eſt, juxta Socratem, parere, & de partu edito ferre judicium: Attamen mea relegens, ut quædam offendo, quæ diſplicent, ita *nullum invenio dogma, quod cum improbatis Lutheri decretis conſentiat; ſed innumera quæ palam ab illius dogmatibus diſſentiunt.* Hoc tam evidens eſt, ut vere tangi, quod dici ſolet, digitis, pedibusque ſentiri poſſit. Quid aut iſto *proverbio* ſtultius, quod *inter Pſeudomonachorum pocula natum* eſt, ἢ ἐρασμῶν λυθερίζει, ἢ λυθεῖρῶν ἐρασμίζει. Dignum vero, quod abs te, claro juxta ac docto viro, recineretur. *Sic Lutheriſſat Eraſmus, ut coccyſſat luſcinia.* Sed age patiar mihi eximi oculos in meis ſcriptis: Qui fit, ut quum undique complures extiterint, qui ſumma contentione tentarent, oſtendere, *me cum Luthero conſentire*, nullus adhuc potuerit demonſtrare, *mihi vel in uno dogmate*, de improbatis loquor, *cum illo convenire?* Quod ſi fuiſſet, an putas hoc fuiſſe tacituros Lutheranos aut ipſum etiam *Lutherum:* Qui quanta violentia feratur in me, declarat, ut nihil aliud, *illius ſervum arbitrium.* Et qui ſunt iſti, qui prædicant conſentire nos in tam multis placitis? Ex tam multis Sycophantis nullus adhuc extitit, qui vel unius dogmatis conſenſum potuerit approbare. Scilicet proſiliit nuper, cum ſuis conjuratis aliquot, *Bedda Pariſienſis Theologus*, *homo*, quod res indicat, *adeo nullius judicii, ut careat etiam ſenſu communi.* Quid effecit tot arte recenſendis erroribus, niſi *ut ſuam traduceret ſtupiditatem, cum inſano calumniandi ſtudio conjuncta?* Si licet bene dicta ad pravum intellectum detorquere, ſi omnem ſententiæ vicinitatem in ſuſpicionem trahere, plura ſunt in Hieronymi, Auguſtini, atque adeo Pauli literis, quam in meis. Itaque *impudentiſſime mentiuntur, qui jactitant, Lutherum ac me non diverſa ſcribere, ſed diverſe.*

Sed *attigi quædam*, inquis, *velut in dubium revocans, de quibus dubitare nefas.* Attigi, non ut iſta labefactarem, ſed ut eruditiores ſolidioribus argumentis comprobarent, quæ nondum videbantur ad plenum eſſe perſuaſa. Atque illa mea qualiacunque tranquillis ſtudiis nullo rerum tumultu legebantur: Donec *ſtolidi quidam κραγέται* apud imperitam multitudinem vociferari cœpiſſent. Quorum *ſeditioſos juxta ac dementes clamores* ſi tibi pergam hic depingere, vix mihi fidem habiturus ſis, *tanta portenta latere inter eos, qui ſplendidis magni-*

magnificisque titulis sese populo venditant. Qui tamen non in aliud promoverunt, nisi quod se cordatis ac doctis viris reddiderint magis ac magis invisos, quosdam etiam idiotas mihi conciliarint, quibus ante fueram vel ignotus, vel parum charus, sic *existimantes, fieri non posse, quin vir bonus esset, in quem illi tam stulte, tam impotenter, tam furiose deblaterarent.*

At *initio*, inquis, *non fuit ingrata temeritas.* Ego priusquam ejus libelli prodirent, summo studio dehortatus sum amicos ne se miscerent illi negocio, & apud multos profeci. Nec hoc contentus, ilico scriptis publicatis testatus sum, *nihil mihi esse negocii cum Luthero.* Quotquot Lovanii agentem adierant me, Germani, quos nunc intelligo jam tum hoc agitasse, quod nunc agunt, sic dimisi, ut facile sentirent *animum meum penitus abhorrere ab hoc negocio.* Primus omnium subodoratus sum, *ambitione corruptum hominis animum.* Qua de re, quoniam adhuc *sanabilem* arbitrabar, *ipsum admonui*, sed tamen *ipsius provocatus literis.* Hæc nimirum sunt argumenta *mihi placuisse hominis*, ut ais, *temeritatem.* Atqui initio, quam tu *temeritatem* appellas, *plerique vocabant pietatem.* In hac opinione si fuissem, quur *ego* potius accuser, quam *cæteri.* Ignovit illis *Leo decimus*, qui primum in Lutheri factionem erant pertracti: Nunc *actio Lutheri* mihi nunquam placuit.

Fabulam quam agi putabam non omnino displicuit. Sed is error erat mihi cum *tot hominum millibus*, cum *tot utriusque status primoribus* communis. *Mores Ecclesiæ nimium prolapsos jam olim suspirabat orbis, neque quisquam usquam erat vir pius, qui non optaret, Christianæ pietatis instaurationem.*

Sed *calamum*, inquis, *in illum noluisti stringere.* Scilicet totus orbis mei calami nutu mutasset animum. Et hic fingor eloquentia singulari, ingenio summo, doctrina mirabili, gratia & autoritate incredibili præditus apud Germanos! Videlicet nusquam laudatus, nisi dum gravor invidia. Primum obsecro, te, Vir æquissime, quæ fuisset temeritas, *quum orbis tot haberet Academias*, tot eximios Theologos, tot eruditos Episcopos, si *ego privatus*, tum totius rei theologicæ rudis, sic enim illi pronunciant, velut alter David prosilissem lacessiturus Goliath ad singulare certamen, ac totius pene orbis fremitum in meum caput provocassem? Sed finge me hoc facinus ausurum, quod illud fuisset consilium, *stringere ferrum in eum, de quo certe dubitabam, quid ageret, aut quo spiritu duceretur.* Rursum finge mihi constitisse, quid eram profecturus? profecto nihil aliud, nisi quod effeci edita *diatriba.* In planiciem, ut ajunt, equum excitavi ferox ingenium ad sua confirmanda dogmata, & illi vehementer ad dictis triumphum renovavi. *Quid profecit Prieras* ille vestras? Tantum videlicet, ut *impositum sit illi Romæ silentium. Silebat Academia Lutetiana*, & Erasmus pronunciasset in Lutherum? Eram tum fateor utcunque gratiosus apud studiosorum populum. *Autoritas* vero, quæ tandem esse mea potuit homini non solum privato, sed omnibus modis humili? Verum finge fuisse nonnullam, an huic cessissent *illi, qui nec Academiarum, nec Pontificum, nec Cæsaris autoritati tantillum cesserunt?* Jam ad hoc negocii, non perinde conducebat *eloquentia*, si tamen est ulla mea, ut *rei Theologicæ cognitio.* Si *vafriciei* tribuis, quod hujus peritiam in me extenuem, objiciam tibi gravissimum autorem *Stunicam*, cujus autoritatem effugere non potes, postea quam hominem ornasti tam magnifico testimonio. Possum & ex sodalitate Romana multos objicere, *qui vix mihi tribuunt sensum hominis.* Nunc, quo graver invidia, Deum immortalem *ex quantula musca, quantus fio repente Elephantus.* Itane nullus erat, qui in tanto orbis tumultu objiceretur aleæ Martis, nisi Erasmus? *Quanto felicius tu prodisses, Alberte*, præter ornamenta fortunæ, præter autoritatem, præter gloriam, nulla invidia contaminatum, tam recondita philosophiæ ac Theologiæ peritia, tanta etiam facundia, tanta moderatione præditus? *Hac certe via felicius innotuisses orbi, quam recensendis aliorum de Erasmo querimoniis.* Sed ubi quæso sunt isti, quos memoras, tam sagaces mearum lucubrationum expensores, qui conferre norunt dicta dictis, priora prioribus, verba verbis, syllabas syllabis? De *Leo* & *Stunica* nihil dicam, quibus cum mihi, si patiantur, pacem esse cupio, si id nimium est, saltem inducias, lege *libellum de Racha*, & videbis unius expensoris præclarum exemplum. Nec dubito, quin legeris. Lege *furiosas Beddæ censuras* & perspicies cujusmodi sint expensores. Quod si te piget illa legere, noli, vir optime, mihi movere invidiam, commemorandis, ne dicam comprobandis talium suspicionibus. Hic si tibi commemorem, quæ censores isti in concionibus, in publicis prælectionibus, in conviviis, in conciliabulis, in scholis in privatis colloquiis, effutierint, plane diceres illud è proverbiis ὗς ἔκραγεν. Et tamen *hi sunt, quibus potissimum displicent mea scripta.* Inter tales quoniam *tu ob similitudinem studiorum* assidue, ut opinor, versaris, fortasse non in tempore dixerim illud è comœdia, *corrumpunt mores bonos colloquia prava*, sed tamen *insignem illum naturæ tuæ candorem nonnihil offuscant colloquia maligna.*

Addis catalogum peccatorum meorum. *Multa*, ut ais, *leguntur in meis quæ tam male sonent, quæ in dubium revocent jam olim definita, quæ autoritatem adimant sacramentis, patrum sanctionibus, pontificis maximi dignitati, sacerdotum honori obstrepant, sacras cæremonias parum revereantur, monachos infectentur, professiones illorum derideant, consuetudines optimas damnent.* Miror Albertum hæc tam manifestæ vanitatis vel referre posse? Nam persuasum habeo hæc tuo quidem calamo, sed aliorum animo scribi; Poteram uno responso refellere universa, si dicerem; quod verissime dicere poteram, hæc omnia esse splendida mendacia. Cæterum ut *ad singula tribus verbis* respondeam. Si quid in *dubium revocavi*, aut tale fuit, ut nondum videretur satis excussum, aut de quo non extaret Ecclesiæ definitio: id si quando facio, testor ingenue, me nolle præjudicare usquam Ecclesiæ placitis. *Ecclesiæ sacramentis* ne tantulum quidem autoritatis detraxi, sed *addidi non nihil*, quod quidem in me fuit. Quas vero tu *patrum sanctiones* appelles, nescio. *Ecclesiæ constitutionibus* tribui quod satis est: Nisi forte parum illis tribuit, qui *non æquat illas præceptis divinis.* De *Pontificis dignitate* mox dicam. Si *obstrepit sacerdotum honori*, qui per occasionem *admonet eos officii*, fateor obstrepo nonnunquam: Sed hic strepitus est mihi cum Hieronymo, cum Cypriano, cum Chrysostomo, cum Bernhardo communis. Sed quorsum attinet à priscis

priſcis aſciſcere patrocinium, *quum tu in hoc tuo libello multa libere dicas, in ſacerdotes, theologos ac monachos*, nihilo ſecius ipſam profeſſionem ſummopere probans? Quur autem tractantur *divinæ literæ*, niſi, ut *obſtrepant malis omnium moribus? Nec verearis improbare quasdam receptas in Eccleſiam ceremonias*, veluti *cantum præfractum*, ut vocas, *& organorum ſtrepitum.* Nihil detraxi dignitati *ſacerdotum:* Sed *iſti fortasſis alio gnomone metiuntur ſacerdotum dignitatem quam ego metior. Eccleſiaſticas ceremonias* ſemper veneratus ſum, *immodicas, ſuperſtitioſas, & ineptas, alicubi taxo.* Taxo illos, quorum mundus eſt plenus, *qui neglecta vera pietate fidunt ceremoniis*, ſacris quidem illis, ſed in hoc repertis, ut hinc proficiamus ad meliora. Profer mihi unum Monachum, quem ut Monachum ſum inſectatus. Nullos ego magis veneror, nec inter ullos magis liberet vivere, quam inter eos, qui vere mortui mundo vivunt ſecundum regulam Evangelicam, niſi hæc corporis imbecillitas redderet me ad omnem hominum convictum inutilem. Si quando moneo adoleſcentes, ne ſe temere præcipitent in vitæ genus ignotum, ipſi interim ignoti ſibi: Si *taxo monachos, qui circumeunt mare & aridam, ut artibus rudem ætatem pelliciant in naſſam:* Si commonſtro quibus in rebus ſita ſit vera religio: An ob id inſector monachos? Nec ordinem nec profeſſionem usquam inſector. Cum *collegiis*, in quibus viget regularis diſciplina, mihi ſemper fuit amicitia, & ut quisque monachus integerrimus eſt, ita mihi ſemper fuit cariſſimus. Et iſtorum *qui ſe traducunt in dies magis ac magis, non raro me miſeret.* Quod ſi mundi favor in quosdam refrixit, *ſuis factis imputent, non meis ſcriptis.* Quas autem optimas conſuetudines damno? niſi forte *iſti vocant optimum, quicquid eſt vulgo receptum.* Ad hæc omnia, quum & aliis compluribus, & Stunicæ reſponderim, tu tamen ea recens, perinde quaſi nihil reſponſum eſſet, occinis nobis veterem querimoniam.

Proferuntur ſcilicet *epiſtolæ, in quibus Lutherum vel laudo, vel tam remiſſe tracto*, ut multis videar ἐπαμφολερίζειν, *tametſi videor improbare tumultum.* Quid mirum, ſi *quum res adhuc in ancipiti ſtaret, ſuſpenſe loquor?* An ille protinus colludit cum Ario, qui probat hominis ingenium & ſcripturarum peritiam? Contentioſas opiniones in Luthero nunquam probavi, nec joco, nec ſerio. Fortaſſis ea fuit, vel tua felicitas, vel mea infelicitas, ut ſolæ epiſtolæ, quæ ad calumniam faciunt, delatæ ſint ad manus tuas, ſed diverſæ perferuntur ad Lutheranos. Ita tibi ut videtur, uſu venit in ſcriptis meis, quod prudenter ſimul & graviter ipſe ſcribis, *vulgo* fieri, ut *quæ deteriora ſunt deferantur ad nos, meliora ſileantur.* Quum tot locis, *quæ juſta ſunt* deferam *auctoritati Eccleſiæ*, ſacramentis, patrum ſanctionibus, piis ſacerdotibus, ſacris ceremoniis, vero nomine Monachis, optimis conſuetudinibus, idque tam frequenter, ut ſi velim omnia in unum colligere, naſciturum ſit ingens volumen: Nihil tamen horum ad te defertur, aut occurrit, ſed tantum ea, quæ poſſunt ad calumniam detorqueri. Jam finge, me ſcribere privatim ad principem, quem ſcio toto pectore favere Luthero, an non moderandus eſt ſermo, ut impetrem quod ago, ſi modo id quod ago pertinet ad religionem Chriſtianam; Si is tibi videtur ἐπαμφολερίζειν, aut quod verbum poſt magis arriſit tibi ἀμφισβήτειν, qui non dimovens oculos a ſcopo pietatis Evangelicæ, *in utraque parte probat, quod probandum eſt*, damnat, quod improbandum, fateor me & nunc ἐπαμφολερίζειν & tamen *ab Eccleſiæ communione nec latum digitum diſceſſi, nec ulli me factioni unquam addixi, quamquam innumeris machinis huc protruſus.* Itaque plane *vanum eſt, me nihil in Luthero damnare, præter ſeditionem?* Sed ut demus eſſe verum, an tibi videtur leve malum deteſtari, qui deteſtatur ſeditionem. *Quantum mundani ſpiritus jam pridem irrepſit in Eccleſiam*, quam multa ſunt *ad quæ jam pridem ſuſpirant homines, quibus Chriſti gloria chara eſt?* Quam *pene fuit extincta ſcintilla vigoris Evangelii?* Et impius eſt, qui hæc correcta vellet! Sed autoritate principum & pontificum, ne res in tumultum verſa, cedat in deterius: Non ille Metius eſt, qui nunquam diſcedit à recto, ſed is potius *qui Chriſto titulis ac ceremoniis blanditur, revera mundo ſervit.* Quod ſi videmus eam eſſe conditionem rerum humanarum, ut ſemper in deterius prolabantur, τῷ πρώτῳ, quod ajunt περιγινομένῳ, curſu quodam & impetu ſuo, etiam quæ ſunt optimis inſtituta rationibus, ad peſſimos mores pertrahentes. Obſecro te, *ad quid valent ſacræ literæ, ſi non licebit per eas ad extrema degenerantem pietatem ad archetypum revocare?* Quid erit lux, ſi ponatur ſub modium? Quid erit ſal, ſi nihil habeat acrimoniæ? *Tollamus è medio ſacras literas, & concordes hilaresque compotemus, & abolito Chriſto fruamur hoc mundo dum licet.* Hoc quid ſit, non omnes intelligunt. Sunt enim non iſthic ſolum verum etiam in omnibus mundi plagis, qui *Chriſtianiſmum aliquot ceremoniis metientes, nihil aliud, quam mundum ſpectant, nec unquam ſerio de Chriſti philoſophia cogitarunt.* Nec jam ea res clam habetur: *Eo proficit impietas ut ſemet in apertum proferat, hinc manifeſtum judaismum referens, hinc evidentem paganismum, adeo plerisque deſuetis ſtudio pietatis, ut fucum etiam pietatis abjecerint.* Arbitror te virum eruditum, bonum ac prudentem, intelligere quid hic dicam, quid premam, publicæ tranquillitati cauſæ meæ detrimento ſerviens. *Non omnes qui Romam ſe conferunt agunt religionis negocium. Nec omnes Chriſti negotium agunt, qui Lutherum appellant peſtilentem beſtiam. Et qui ſcimus, an talem beſtiam corrigendis moribus noſtris immiſerit Deus?* Hæc eo minore ſuſpicione loquor, quod is in neminem immanior beſtia fuerit, quam in me. Et *adhuc tamen cum illo videor colludere*, & cum tali beſtia depugnantem è transverſo adoriuntur *Sutores & Beddæ*, nimirum religionis zelo commoti.

Sero, inquis, *proſiliſti ad pugnam.* Utinam iſtud crimen vere in me hæreat. At ego vereor, ne *ante tempus, ni aliis præſidiis agamus Chriſti negocium, quam adhuc agi video.* Multa *reticeo*, ne quid hulceris rebus ad hunc modum exaſperatis renovem. *Iſto nomine in jus voca Theologos Lutetianos, qui ſero* prodiderunt articulos, *nec aliud, quam articulos.* An quisquis non ſtrinxit calamum in Lutherum, Lutheranus eſt? Et ipſe abſtinui, & alios deterrui à factione. *Quid erat neceſſe me ſcribere in Lutherum in quem primus omnium ſcripſit Prieras, ſacri palatii magiſter, quamque feliciter ipſe non ignoras. Nulli magis adjuverunt cauſam Lutheri, quam qui vel ſtolide clamarunt, vel frigide, ſcripſe-*

scripserunt in Lutherum. Quis autem injunxit mihi provinciam conferendi manus cum Luthero? Solus *Nicolaus Ecmondanus*, ubi coram Gymnasiarcha Lovanii, quantum collibuit viciorum in me deblateraſſet, hiſce verbis invitat me ad hoc negocium: *Conscripsisti pro Luthero, scribe nunc contra Lutherum,* Bella conditio, ut me profiterer feciſſe, quod nunquam inciderat in animum, deinde ſcribendo pœnas darem. Jamque volitabant *Monachorum voces: Committemus Erasmum cum Luthero, deinde perdemus utrumque.* Quis non miretur *Erasmum talibus blandimentis non potuisse pellici ad scribendum adversus Lutherum?* Jam qui *censorium diploma* detulit, illico ſpargebat, has voces apud ſuos: *Nihil egerimus, nisi prius extincto Erasmo.* Conſtanter fugit meum colloquium ſubornatis tamen, qui quid de ipſo, ſeu Lutheri negotio ſentirem explorarent. Et certe *nihil ab eo tentatum non est, ut me perderet.* Atqui longe aliud in mandatis habebat à Leone decimo.

Sed recte facis, qui tandem deſcendas nominatim ad quædam, quibus *infirmioribus plurimum obfuerim ad pietatem.* Quamquam quos tu quidem *infirmos* appelles neſcio, niſi forte *Stunicam & Beddam* inter infirmos numeras, aut certe *Lutherum.* Nam *hos* potiſſimum *offendi.*

Quorsum attinebat, inquis, *annotare, prisco tempore non fuisse agnitam aut exertam maximi Pontificis potestatem? Damasum Papam, summum sacerdotem dictum fuisse, non summum Episcopum: Augustinum scripsisse Episcopo Romano, & perinde Hieronymum, ut æquali ceteri Episcopis, mutis prætermissis quæ in oppositum ab iisdem scribuntur &c.* Hic rursum, Vir ornatiſſime, quæſo, ut patienter audias, quod verum eſt: Cogor vel deſiderare candorem in te, vel ſuſpicari noſtra non eſſe lecta. Quum enim ad id quod objicis, ſatis, ut opinor, reſponderim, tum Stunicæ, tum aliis Sycophantis, tu perinde refers, quaſi nihil omnino ſit reſponſum. Ego ut locus incidebat *annotavi,* non in unam partem tantum ſed & in diverſam, quorum alterum excerpis ad calumniam, alterum factum negas. Nec id ulla in Romanum pontificem malevolentia factum eſt à me, ſed, quo de hac re diſputantibus cogitandi materiam ſuppeditarem, & diluendi quod offendebat præberem occaſionem. Imo plura ſunt in meis loca, quæ tuentur ſummi pontificis autoritatem, quam quæ vocant aliquid in dubitationem. Tum *in editione posteriore,* ſi quid erat ejus generis, ut poſſet infirmum, vel ut melius dicam, plus ſatis firmum, offendere *vel sustuli vel mitigavi.* Verum quæ faciebant ad calumniam, ea tantum ad te delata video. Sed diverſa vidit *Johannes Eckius,* qui ex iisdem *Annotationibus* citat meum teſtimonium, pro tuenda ſummi pontificis dignitate. Quamquam id, ut dixi, a me non uno in loco factum eſt, & alioqui tot ſcriptis *tribuo Romano Pontifici totius Ecclesiæ primatum,* frementibus cunctis, qui Romano Pontifici male volunt. Quæ tanta judiciorum perverſitas! Alteris dicor labefactare pontificis autoritatem, alteris dicor adulari. An non à multis *disputatum est, & quotidie disputatur de potestate summi Pontificis?* An non hic in quibusdam *transalpini theologi à cisalpinis dissentiunt?* Nonne *Occam aliquando vellicat Romani pontificis autoritatem?* Nonne idem facit aliquoties *Joannes Gerson,* ne quid dicam de *Bernardo?* Nonne pridem Card. Cajetani libello reſpondit quidem è Sorbona theologus? Neque tot ſeculis convulſa eſt Romani Pontificis dignitas: Et tantum valuerunt *decem Erasmi verba* non aſſerentis, ſed *obiter indicantis locum in autoribus excutiendum,* ut totus mundus inſurgeret in Pontificem. Neque quicquam è diverſo valuerunt tam multa, quibus conſtanter & reverenter aſſero Romano Pontifici ſuam dignitatem? *Hæc isti quidem dissimulant,* at ea non fugiunt Lutheranos, apud quos hoc nomine peſſime audio lapidorque conviciis, velut aſſentans *hosti ecclesiæ,* ſic enim illi vocant, quem nos appellamus *Ecclesiæ principem.* Jam quum conſtet, ex veterum monumentis, *Romano Pontifici non usurpatam fuisse potestatem, quam nunc usurpat,* qui diſtinguit *traditam* poteſtatem, ab *exerta,* utrum labefactat Pontificis autoritatem, an ſtabilit potius? Nimirum ſtabilit, indicans viam, qua poſſint illa refelli. Quod ſi, *agnitæ, & exertæ,* voces offendunt aures, iisdem uſus eſt *Cardin. Cajetanus in* poſtremo *libello quo defendit pontificium majestatem.* Cur mihi vitio vertitur, quod in illo laudatur? *Ego apud Lutheranos non alio nomine pejus audio, quam quod ubique sartam tectam volo Pontificis autoritatem.* Et utinam omnes Romani Pontifices tam metirentur ſuam dignitatem iis rebus quibus oportet, quam ego illius autoritati nihil detractum volo. Videant autem, ne, *qui dignitatem illius tantum æstimant ac tuentur hujus mundi præsidiis,* pejus illi conſulant, iis qui palam inceſſunt. In me compertum habeo, nullum hoſtem plus adferre mali, quam amicum imprudenter ac ſiniſtre diligentem. *Plus invidiæ conflavit pontificio nomini Cajetani libellus, nimis officiose scriptus, quam Lutheri convicia.* Nec parum offecit ejus opinioni διπλωματοφόρος ille, tam inſolenter ſe gerens, doctis ac magis etiam minitans, & omnia ſuis ſumis complens. Dixit apud me: *Pontifex Romanus, tot duces, tot comites sæpe dejecit, facile dejicit tres pediculosos grammatistas.* Idem alias dixit: *Pontifex potest dicere Cæsari Carolo, tu es cerdo.* Utrum hoc eſt tueri pontificii nominis dignitatem, an *sinistre prædicando in odium pertrahere?* Hujus collega dixit apud me: *Bene inveniemus illum ducem Federicum:* idque prorſus eo vultu, quo ſolent tetrici literatores pueris minari virgas. Habenda ratio dignitatis Pontificiæ, quis negat? Sed *non minor habenda est ratio gregis pro quo Christus effudit sanguinem.* Autoritatis, dignitatis, dominii, principatus plena ſunt omnia. Sed *mundus interim eget pastoribus, contabescit jejunio verbi Dei, errant homines velut oves palabundæ, quia non habent, qui præluceant piæ vitæ exemplis, qui e divinis literis erudiant, admoneant, increpent, hortentur, consolentur.* An credis nos neſcire, *qualem populum habeat Italia?* de vulgo loquor, ſatis pium habitura *si sacerdotes sui muneris meminissent.* De noſtris nimium habemus compertum. Quid eſt in cauſa? Nempe quia *sacerdotes quidvis agunt, potius quam quod oportet, templa muta sunt,* raris etiam ſacrificiis, ut *de vita* ſileam. *Grex Domini, qui deglubant, habet, qui mactent: Qui pascant, qui foveant, non habet, aut certe paucissimos.* Hæc iſtis querulis *non magnopere curæ sunt.* Sed alius ſupputat, *quanto minus redeat ex decimis aut indulgen-*

dulgentiis, alius *quantum decedat emolumentis ex diſpenſationibus, annatis, confirmationibus, privilegiis, exceptionibus, litibus, officiis, feudis* aliisque ſimilibus, *ex quibus accreſcere ſolent, Epiſcoporum cenſus ac dignitas.* Quæ tamen ego nunquam invidi *ſacerdotibus. Debetur illis honos, & victus ad dignitatem ſufficiens, non ad luxum exuberans.* Sed optarim illos non minus meminiſſe, *quid ipſi debeant populo, quam quid populus debeat ipſis.* Hæc ſi facerent, ſentirent ni fallor, orbis favorem in ipſos recaleſcere. Nam *autoritas, non aliis defenſa præſidiis, quam minis ac ſuppliciis quam diuturna ſtabilisque futura ſit, neſcio.* Et hic parum candide me pertrahis in cauſam, in qua nec obticeſcere mihi commodum eſt, nec reſpondere tutum.

Sed obſecro te; nonne *præclaras cauſas adferunt* iſti, quibus doceant *me totius hujus tumultus fuiſſe autorem:* Quoniam memini *nondum exertæ poteſtatis:* Quoniam annotavi; *Romanos Pontifices olim aliis titulis appellatos quam nunc appellantur.* Quamquam in his nihil eſt, quod ex diametro pugnet cum his, quæ tu recitas in ſummi Pontificis commendationem. Atqui tam atrox crimen erat aliis argumentis approbandum. Equidem adeo faveo teſtimoniis, quæ tu diſerte profecto & eleganter in Pontificiæ dignitatis approbationem adfers, *ut doleam, te non efficacioribus uſum argumentis.* Nobis enim qui toto pectore agnoſcimus Epiſcopi Romani *primatum*, præſertim *in ſpiritualibus*, iſta abunde ſatisfaciunt, vel ut melius dicam ſupervacanea ſunt. *Illis erat reſpondendum, quæ alii dictis ac ſcriptis impingunt illi.* Quæ cujusmodi ſint, non eſt, quur te admoneam: *Ad ea vix interdum habemus, quod reſpondeamus.* Quod ſi tibi videatur Pontificis lædere majeſtatem, *qui medendi gratia dicit aliquid in malos Pontifices*, cum Cypriano, cum Hieronymo: Imo tecum ipſe expoſtules oportet, qui *in hoc ipſo volumine* tam multa dicas *in impios ſacerdotes & irreligioſos monachos ac theologos moroſos.*

Non eſt, inquis, *grammatiſtarum, inceſſere vitam pontificum.* Quod tamen in alios dicis non in me. Nec improbo quod dicis, nec quidem, quod ſcripſit Card. Cajetanus, *ſolis monarchis fas eſſe monere pontificem, ſed blande, ſi palam tyrannidem exerceat in Eccleſiam.* Sed quomodo claudes ora plebis? An minis tantum? Hujus generis eſt, quod alicubi tribus verbis dixi, *nomen Cardinalium fuiſſe ignotum ætate Hieronymi.* Quid tum poſtea? An protinus corruit univerſa Cardinalium dignitas? ut *nomen* fuerit, certe hoc *Cardinalium genus* non erat. Nec *hypodiaconi*, nec *archidiaconi nomen* extat in Apoſtolicis literis, quemadmodum nec *Archi Epiſcopi.* An eo protinus damnatur *ordo? Monachorum genus* primum ſub Anaſtaſio noſci cœpit Romæ. Num ideo protinus damnatus eſt Monachorum ſtatus? Nullus ante me diſputavit, *quo tempore, quo fonte ſit ortus Cardinalium ordo?* Nemo de turba & pompa Cardinalium queſtus eſt? Pontificum libelli indicant, tum inſtitutos, quum orbis agnoſcens Romanam Eccleſiam totius Reipublicæ Chriſtianæ principem, eo confluereret, ſi quid extitiſſet, quod eruditorum conſilium requireret. Ad id muneris electi ſunt *duodecim Cardinales* viri doctrina, moribus & linguarum peritia inſtructi, qui nunc vocantur *pœnitentiarii*, penes quos hæret functio. *Nomen ac dignitas penes alios eſt, quæ nunc regum æquatur celſitudini. His de rebus, quanta ſit orbis querimonia*, nihil attinet referre. Ego tantum *dubitavi*, num Cardinalium dignitas ſit ab Apoſtolis profecta, & *ſum autor totius tumultus*, quia *per occaſionem* tribus verbis notavi, *videri nomen illud eſſe recentius.* At innumera loca ſunt in meis lucubrationibus, in quibus honorificentiſſime ſcribo vel ad Cardinales vel de Cardinalibus: Ad quæ quum fremant, qui male volunt Romano pontifici, tamen iſti diſſimulant. Sed tantum apud illos valet trium verborum annotatiuncula, ut *totum hunc tumultum exiſtiment mihi imputandum.* Utinam *Cardinales* vera dignitate præfulgeant, quotquot ſunt, & orbem his diſſidiis liberent! *Et ſummus Pontifex, qui multorum Regum unus dignitatem opibus & ſtrepitu ſuperat, tantundem valeat autoritate ſpiritus*, ut *filios ſuos redigat in concordiam!* Non enim altius hunc ſpecum ingrediar, in quales tu me nimium ſæpe vocas. Nam ſi lubeat hic tractare, *quibus in rebus ſita ſit vera procerum Eccleſiaſticorum dignitas*, & ad hanc conferre *mores, & acta horum temporum*, intelligit, opinor, tua prudentia quantus mihi pateat dicendi campus; Sed abſit, ut oleum camino adjiciam. Si *Stunicam* probas, quod, ob neſcio quæ verbula liberius *in interpretem* dicta, velut e plauſtro debacchatus eſt in nos: Concedet æquitas tua, ut, qui decorem domus Dei ſpiritualem ex animo diligunt, *aliquando duobus verbis indicent, quid optent.* Dixi olim *presbyteros Epiſcopis fuiſſe pares*, dixi, ſed dignitate non functione. Imo non ego dixi, ſed hoc dixit Hieronymus apud quem & illud legis, *Epiſcopos patres eſſe non dominos.* Idem ille dixit, quod mihi impingis: *Eccleſiam creviſſe opibus, decreviſſe virtutibus.* Quid dicturus ſi viveret *hiſce temporibus.* An non iſtiusmodi multa referuntur *in decretis pontificum.* Scripſi, *olim Synodos indici ſolere ab imperatoribus.* An hoc non liquet ex hiſtoriis? Imo Hieronymus inter argumenta *Synodi legitime congregatæ* requirit, *ut ederetur nomen Imperatoris, cujus juſſu fuiſſet congregata.* Oſtendo, *quid olim fieri ſoleat*, non damno, quod nunc fit. Et quod oſtendo, nemini docto fuit obſcurum, etiamſi ipſe ſiluiſſem. Nec adeo vetus eſt, quod dico. *In Conſtantienſi & Florentino Concilio præſedit imperator.*

Matrimonium ubique inter Eccleſiæ ſacramenta proprie dicta numero. Sed *Petrus Lombardus* non numerat. *Durandus dubitat.* Nec ea res moviſſet quemquam, niſi fuiſſet tragicis exagitata clamoribus. Ad eam calumniam, quum & *Stunicæ* & *Sanctio* & *Leo* reſponderim, tamen hoc inter argumenta refers, quibus doces, me detrahere ſacramentis autoritatem, diſſimulans, me toties rejeciſſe calumniam.

Quorſum, inquis, *pertinet horarias preces accuſare?* Ad hoc nihil aliud reſpondeo, niſi quisquis hoc ad te detulit inſigne mendacium detulit. Mihi ne per ſomnium quidem unquam in mentem venit, *damnare preces horarias:* Etiamſi quando per occaſionem *taxem quosdam, qui illis ſine mente demurmuratis ſibi placent.*

De ſecreta confeſſione, quoties reſpondi? & mihi perinde, ac ſi nihil reſponderim, occinitur eadem

dem cantilena. Quid autem periculi, si *Eucharistia quondam aliter sumebatur quam nunc sumitur?* An id nemo sciturus erat, nisi ego monuissem.

An non licet ex veterum monumentis annotare, *quomodo paulatim ritus Ecclesiæ venerint in hunc statum? Olim non semel synaxis agebatur inter Christianos, & agebatur pane non consecrato in corpus domini*, ut est probabile. *Hæc & hujusmodi scire, facit ad intellectum veterum Orthodoxorum.* Nusquam illa syllaba taxavi *ritus præsentis Ecclesiæ.* Et hic scilicet erat augendus calumniarum numerus. *Adjecisti* enim *superiori libello, quem ad me miseras.* Et fieri potuit, ut hoc Bedaicus quispiam inscio te *admiscuerit tuo libello.* Ais enim: *Quam erroneum & illud nuptias tantum laudibus efferre, ut eas cœlibatui & continentiæ prætuleris.* Quis impudenter mendax hoc tuo candori suggessit? Ducentis locis *effero continentiam* citra matrimonii contumeliam. Sed horum nihil occurrisse tibi non miror, quum *mea non legas.* Quod si tibi visum est *hujusmodi criminum elenchum* nobis recitare, simplicius erat *Stunicæ titidos omnes huc transcribere.* Certe si tibi vacavit *illius calumnias* legere, debebas & *nostram responsionem* inspicere, quam fateris in hoc profecisse, ut mea minus læderent, quum in hoc quoque profecerit, ut liqueat *illas reprehensiones fuisse meras sycophantias.* Ad id quod calumniantur in *Declamatiuncula de matrimonio*, jam multis ad fastidium usque respondi. Verum hic istis mos est, ut nostris dissimulatis, sua tantum recinant! Atque ita vincent scilicet. At *ego vereor, ne clamoribus & odiis suis eo proficiant, ut hæc rerum calamitas aliquando demigret isthuc. Tum desinent ferocire.* Sed Christi ut spero bonitas, ut olim Minerva creditur Athenienssibus, in compositos hosce tumultus nobis vertet in lætiorem exitum; Tuæ certe moderationis erat, *tam atrocia crimina aut non recitare, aut solidioribus argumentis evincere.*

Falso delatum est & illud, *me taxare cantus, & ceremonias Ecclesiasticas.* Genus cantionum, aut *harum fiduciam* aut aliud circa hæc incidens *vitium, alicubi taxo, nec injuria*, quum idem tu facias.

Æque vanum est, *me taxare monachos*: Vanius est me taxare illorum professionem, nisi forte *solos monachos admoneri non vis. Ego puto magnum esse discrimen inter furram & Monachum.* Ubi *professionem illorum* tribuerim *infirmitati*, non satis memini. Et fieri potest, ut hoc sub aliena persona disputandi gratia proponatur. Certe *probabilis est sententia. Firmior* enim *videtur, qui divitiis corrumpi non potest, quam qui objicit ne corrumpatur: qui includitur, ne commercio hominum corrumpatur, infirmior videtur eo, qui versans inter bonos ac malos servat integritatem suam:* Quod videmus factum ab Apostolis. Quid autem esset piaculi, si dixissem, *Monachorum constitutiones esse infirmitatis*, quum idem de lege Mosis non impie dici queat, quam Paulus vocat pædagogum. At pædagogus, non adultis adhibetur, sed pueris & infirmis. Videsne, Vir illustris, quam hæc argumenta tam frigida non respondeant atrocibus illis titulis, initio causæ propositis. Et tamen interim inis gratiam ab Episcopis, Cardinalibus sacerdotibus, theologis ac monachis.

Ejusdem veritatis est, quod scribis *me detestari decreta Ecclesiastica, & sanctiones humanas*: Quam toties detesser illos, qui consuetudines & constitutiones veterum temere contemnunt. Scio te referre calumnias alienas, sed indignas, quæ tuo, mihi crede, calamo vel commemorentur. Periculum est enim, ne forsitan exoriantur, qui tam impudentium mendationum congeriem suspicentur ab eo profectam, unde referuntur. *Expedit, admoneri populum, ne contemnat justas, æquas, pias principum & Episcoporum constitutiones, sed necessarium est, eundem admoneri, primam habendam rationem Dei.* Si nullæ sunt *constitutiones Episcoporum iniquæ, supervacaneæ, ad quæstum spectantes potius quam ad pietatem* tamen utilis est admonitio, ne tales naicantur. Nunc mundus plenus est istiusmodi querimoniarum. Prospiciendum est autoritati præsulum, sed interim *non negligenda cura gregis. Non enim populus propter Episcopum, sed Episcopus propter populum est.* Per me vero nullus adeo didicit appedere suo præsuli, ut doceam *etiam malis Episcopis obtemperandum, modo, ne quæ jubent reddant impios. Adeone vacillat Episcoporum dignitas, & monachorum autoritas, ut ruitura sit, si quis illos in genere sui officii admoneat?* Quamquam ego sane non tam admoneo, quam *quid in veterum monumentis sit, indico.* Quin igitur exuruntur *Hieronymi libelli* complures, quin eraduntur e *decretis Gratiani* permulta, quin tolluntur e medio *libri Bernhardi de consideratione ad Eugenium!* Et hæc tu recenses non solum nuda ac destituta, verum etiam aliter quam habentur in lucubrationibus meis, ne locis quidem indicatis, unde poterat refelli calumnia.

Sed homo prudens volebat *mutari voces, quibus offendi poterant infirmi. Meis scriptis*, vir clarissime, *non offenduntur infirmi, sed improbi quidam, addicti mundo, cujus minima cura est veræ religionis*, sed *alius metuit suo regno, alius gloriæ, alius quæstui; alius ocio & luxui, alius simul his omnibus.* Sed demus *excidisse mihi quædam, quæ præstiterat reticuisse*, quid tandem utilitatis adfert ista tua querimonia? An ut me provoces ad eorum defensionem? Optarim illic mihi minus bonam esse causam, si compellar ad hanc apologiam. Sed *satis exulceratæ sunt res hominum*, etiamsi nullus unguis vomicam hanc exasperet. Quid minus expedit, quam hæc traduci, *quæ melius sopirentur?* Ego *nonnulla hujus generis sustuli e libris meis, posterioribus editionibus, non quod defendi non possent, sed quod tanti non erat contendere.* Et hoc dissimulas. Quam malam gratiam iniit *Stunica* apud Germaniæ præsules, collectis ac proditis locis, quibus in me conabatur universum hominum genus concitare! Quamobrem? Quia qui cum Luthero sentiebant amplexi sunt eum libellum, *florilegium* appellantes. Et cordati præsules maluissent illa latere in scriptis meis, quam decerpta subjici omnium oculis. Proinde, *unus & alter Summatum e concilio Norenbergensi, scripserint ad me, rogantes ne quid responderem Stunicæ.* Mihi hoc fato quodam accidisse videtur, ut nullus hostis gravius me læserit, quam *amici quidam inepte faventes*, dum nihil aliud efficiunt, quam ut hostium animos

mos in nos exacerbent. Verum *ego tota hac actione cogor frequenter causam meam deserere, dum consulo publicæ tranquillitati.*

Jam quo pertineat, non video, quod hic commemoras *infantiam & gradus quibus huc usque crevit Ecclesia.* Nunquam enim fuit mihi animus Ecclesiæ ritus ad illam infantiam revocare. *Cum moribus prolapsis semper pugnandum, ne nimium degenerent ab illa prisca simplicitate.* Et ut sunt *ætatum gradus,* ita fortassis est *senectus quædam desipiscentis Ecclesiæ.* Nihil autem utilius Christianis, quam *semper repueraſcere & ad priscam eniti sinceritatem.* Quis unquam audivit ex me, Romanum pontificem cogendum in ordinem, aut Cardinales esse submovendos, aut æquandos Episcopos, tum inter ipsos, tum cum presbyteris, aut ecclesiam opibus suis spoliandam, aut matrimonium ejiciendum è numero sacramentorum, aut tollendam esse confessionem, aut Eucharistiam domi sumendam, aut cantus & ceremonias tollendas ab ecclesia, aut monachorum ac monacharum statum evertendum, aut aspernanda decreta Ecclesiæ Catholicæ. Quod, si nihil horum, neque dictum est à me, neque scriptum, quorsum ista tam invidiosa mihi impingis? Sed tamen *in his plurima irrepserunt in vitam hominum, quæ corrigi sit è re Christianæ pietatis.* Eam provinciam cedo proceribus Ecclesiæ, *nobis* tamen *opinor esse fas alicubi monere, præsertim, ubi sacræ literæ suggerunt occasionem.* Vide etiam atque etiam, ornatissime princeps, quantam hic moveas camarinam, si tibi res esset cum homine, cui Christianæ rei tranquillitas non esset charior existimatione propria.

At hæc, inquies, *docet Lutherus.* Ut doceat, *ex meis hortis nihil hujusmodi legit seminum, nisi pariter & Evangelium & Epistolas Apostolicas, prophetas, in jus voces, unde magis collegit quam ex meis.*

Non existimabam, ut mihi objiceretur, quod semel, opinor, *instrumentum* dixerim pro *testamento,* secutus Hieronymum, quum alioqui trecentis locis appellem *testamentum.* Id si, ut ais, feciſſem ad ostentationem, quid ostentationis habet hæc vox *instrumentum?* Nec satis video, quur Hieronymus instrumentum alicubi maluerit, quam testamentum, nisi quod instrumenti vox magis explicat *volumina,* quum testamentum sit voluntatis & pacti. Eam differentiam commonstrat divus Augustinus, nihil abhorrens ab *instrumenti* vocabulo, quemadmodum nec Hieronymus. Et hanc ipsam vocem arbitror *à me mutatam:* Et si residisset, quemadmodum residet in aliorum libris, quid erat piaculi? *An hinc etiam erant orituri tumultus?*

Sed atrocius est, quod dixerim *Evangelii fabulam:* Male sit istis diabolis, qui talia mendacia deferunt ad aures istas, dignas quæ melioribus fabulis occupentur. *Quis unquam legit in scriptis meis Evangelii fabulam?* Quæ tandem eruditionis jactatio, si *fabulam* dixi pro *negocii actione. Emphasis vocis* captata est, non *novitas.* Si mihi suppetisset alia vox, quæ pariter repræsentasset, quod animo sentiebam, abstinuissem à *fabulæ* nomine. *Evangelium non abstinet à fabulandi voce & tota Ecclesia mutat, quod alicubi fabulæ nomen usurparim?* Hieronymus Dalilæ & Samsonis historiam *fabulam* dicere non veretur. Sed longe mollius est *fabulæ* verbum, quum respondet Græcæ voci, quæ est *πρᾶγμα*, hoc est, *actio negocii*, quod diversis personis agitur, suas quaque partes implente. Veluti quum Philemon dicitur *peregisse vitæ fabulam.* Sed *ad fabulæ calumniam* abunde respondi præter alios Beddæ. Ex hoc quoque loco, Vir eximie, colligo te plane nostra non legisse.

Jam vocatur ad partes nostra *Moria, quæ multorum,* ut ais, *jacturam fecerit.* Nunquam audivi muscam meâ Moriâ periisse, nisi quod *mihi nonnihil peperit invidiæ, sed apud Theologos ac pseudomonachos,* & tamen *non alius liber majore cum applausu erat exceptus, non jam dico juvenum, sed principum & Ecclesiæ primatum.* Quin ex amicorum literis cognovi, *opus hoc Leoni decimo perlectum non displicuisse.* Alioqui argumentum hoc nec ex ingenio meo scripsi, nec unquam edendum putavi. Datum est utcunque amicorum affectibus. Porro quod mei nominis interesse putas, *ut opus hoc penitus abolcatur ex hominum memoria,* næ tu mecum facis, idque jam propemodum acciderat. Tantum enim erat de Moria silentium, ut mihi ipse exciderit fuisse scriptam. Verum ista tua commemoratio, refricans illius memoriam, non patitur eam excidere mentibus hominum. Fieri non potest, ut edita non sit, nihil supersit, nisi ut silentio consopiatur. Hic rursus meum fatum agnosco, delata est in manus tuas *Moria,* at non delata est *ejus defensio,* qua *Dorpio,* qui primus omnium de ea questus, hinc nominis celebritatem auspicatus est, respondeo. Quamquam *nusquam ita defendi Moriam, quin,* ne dicam dolo, *maluerim non editam.* Nullus tamen adhuc extitit iniquior Moriæ censor, quam isti, quorum tu recenses judicia. Ineptias appellavere quidam, alii libellum periculosæ libertatis: Nemo *tantam impietatem* tribuit, *quantam vix,* ut ais, *à Porphyriis aut Julianis expectemus.* Quæ vero pestifera semina, aut quas proceras arbores mihi narras, pestilentibus onustas fructibus, aut quas plurimorum hominum strages memoras? *Neminem audivi tam morosum, ut diceret quemquam opera Moriæ factum pilo deteriorem.* Multorum judicia correcta sunt, plurimorum discussa tristitia. Unde majorem in modum demiror, vel ista tibi venisse in mentem, siquidem hæc scribis ex animi tui sententia, vel si aliorum refers opinionem, tibi digna visa, quæ chartis tuis illineres. Scatent enim, Vir eruditissime, & multis & insignibus mendaciis, non tuis quidem illis, sed tuo calamo proditis, in eorum gratiam, quibus videris istam cantilenam canere. Siquidem, mihi non canis, vel quia scis esse serum, vel quia non ignoras, opinor, me ad istiusmodi queremonias respondisse. Primum *fateor esse quædam, quæ non in aliud parata sunt quam ut risu lectorem exhilarent. Ea nullos offendunt, nisi quosdam adeo tetricos, morosos & a Gratiis alienos, ut jocari nec sciant ipsi, nec alios ferant.* Alioqui nullum illic vitæ genus damnatur, nec ulla disciplina rejicitur, sed *in singulis quid peccetur,* non objurgatione tetrica, sed *per lusus illecebram aperitur.* Id tu tamen obiter sic arripis, quasi sit in confesso, nec ullam desideret probationem, quum nemo sciat, me nec disciplinas, nec instituta, nec artes reprehendere, sed *indicasse, quid in quaque re peccetur.* Id enim erat hujus argumenti caput, ut *docerem, nullum esse hominum genus à*

stulti-

ſtultitia liberum. Itaque *vitia mortalium per luſum traducuntur, non homines.* Placuit *hoc emendandi genus Platoni*, qui in hunc uſum probavit largiores in conviviis invitatiunculas. Nec alio conſilio factum videtur, quod hodieque Germani in ſolennibus epulis adhibent morionem quempiam dicacem, qui ſingulos convivas dicteriis perſtringat. Interim *multi audiunt ſua flagitia domeſtica nec licet offendi*, vel quia dicuntur à morione, vel quia in convivio, vel quia nulli omnium parcitur. Quamquam *Moria nullius nomen perſtringit, niſi meum.* An ille docet nil ſerium, nil ſolidum, nil expetendum in vita eſſe, qui commonſtrat, *quid in re quaque fugiendum?* Imo magis hoc agit, ut quæ ſunt expetenda cuique felicius expetantur. Quis unquam tantum tribuit Moriæ luſibus ut ex ea ſibi perſuaſerit, nullam eſſe prorſus hominis felicitatem & ad virtutes, vitæque functiones capeſſendas ſegnior ſit redditus? Aut tu nimium tribuis hujusmodi nugis, aut parum magnifice ſentis de mortalium ingeniis. Quorſum igitur pertinent illa tua, Vir egregie; *Multa ſunt in hominum vita, quæ rideamus fateor, ſed nimis iniquus eſt humanarum rerum æſtimator, qui omnia ſine diſcrimine damnat.* An Moria taxat aliquid, quod ſit probandum? Recte philoſopharis, res humanas ex actu & potentia, hoc eſt ex perfecto & imperfecto ſic temperatas, ut nihil eſſe poſſit tam abſolutum, quin aliquid habeat admixtum vitii. Hoc quum ita ſit, *tanto magis pugnandum eſt cum vitiis.*

Addis, *me nec ſacris ritibus, nec religioni, nec Chriſto quidem ipſi pepercisſe.* Quis hunc mendaciorum acervum auſus eſt ad te, tantum Virum, deferre? Illic *ſuperſtitioſos ritus taxo, non ſacros*, & religionis negotium adjuvo, dum *indico, fugiendam eſſe perſonatam religionem.* Abſit autem tam deteſtabilis impietas, ab animo meo, ut in Chriſtum, cujus nomen toto pectore veneror, quicquam dicam contumelioſe. Hoc animo ſum, ut malim decies mortem oportere, quam ullo verbo perſtringere noſtræ ſalutis principem; ac nomen illud, nobis ſaluti ferum, angelis adorandum, inferis tremendum. *Quicunque volvunt meas lucubrationes, niſi prorſus odio cæci ſunt, facile percipiunt, quam non impium affectum geram erga Chriſtum.* Addis, *tu tibi divina deridere permittas!* Hoc cum ſit falſiſſimum, tamen hujusmodi baſibus tua nititur oratio. Iſtud eſt opinor, Tulliano more dicere. Ego te, Alberte Princeps, exiſtimo virum chriſtiana pietate præditum, quo liberius apud te proloquar quod ſentio. Qui *divina derideant, facilius invenies in Italia, apud tui ordinis homines, atque adeo in illa laudatiſſima Roma, quam apud nos.* Ego ſane cum talibus ne cibum quidem capere ſuſtineam. Etiam atque etiam te rogo, ne quid offendat animum tuum mea libertas. Vulgaribus ſcommatibus non admodum moveor, ignoſce, ſi tales facetias ferre non poſſum. Quid autem appellas *deridere divina? An derident divina, qui taxant ſuperſtitioſum divorum cultum, qui notant eos, qui charitate vacui ſumma religionis collocant in cultu, in cibis, in non intellectis preculis?* An tibi videtur deridere philoſophiam Ariſtotelicam, qui traducere *illorum ſtultitiam, qui non intellectum Ariſtotelem, perperam interpretantur?* Non dicturus es, ni fallor.

Quid, inquis, *ad jugulandum prorſus religionem chriſtianam dici potuit atrocius, quam ipſam eſſe univerſam in ſtultitia fundatam?* Forte ſimile quiddam eſt in moria, ſed multo aliter dictum. Nec id raro facis, ut *mea dicta tuis verbis reddas atrociora.* Rhetoricum quidem illhuc, ac *minime Theologicum.* Paulus ſcribit: *Si quis videtur ſapiens inter vos, ſtultus ſiat, ut ſit ſapiens.* Idem appellat *ſtultitiam crucis & ſtultitiam attribuit Deo, & inter Chriſti diſcipulos negat eſſe multos ſapientes:* Ergo quotquot ſapientes non ſunt, ſtulti ſunt. Quis eſt tam ſtultus, ut non intelligat hic *diſtinguis mundi ſapientiam a ſapientia Evangelica?* Qua diſtinctione ſervata, nihil hac ſententia dici potuit chriſtianius, quam tu tam atrociter inſectaris. Item illud, *Chriſtum oblectatum eſſe perpetuo morionibus, vetulis & pueris, à ſe autem rejeciſſe graves & doctos*, aut non eſt in Moria, aut aliis verbis dictum eſt; quorum invidiam, ſi mihi remittis, quæſo te per tuam felicitatem, quid dici poteſt religioſius, aut ſanctius? Nonne Chriſtus apparuit paſtoribus? Nonne Simeonis complexibus hæſit? Nonne complexus eſt pueros, & ad horum exemplum invitavit Apoſtolos? Nonne ſibi aſcivit Idiotas Apoſtolos? Contra nonne contemſit Herodem, nonne magna ſeveritate vociferatur in vitam & faſtum ſcribarum ac phariſæorum? Cum quo Pontifice, cum quo ſcriba aut phariſæo habuit familiaritatem, niſi quum per Evangelium repueraſceret? Nec hodie quemquam recipit Chriſtus, qui mundo ſit ſapiens, potens, aut doctus. *Mundum* ſic uſurpo, quemadmodum uſurpavit Paulus: *Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes.* Senſus eſt pius. Id quum conſtet, iniquum eſt ex verbis calumniam venari.

Sed, *Moriæ abutitur ſcripturæ ſacræ teſtimoniis.* Quaſi *ſacerdotes quidam ac monachi omnes pene facetias ſuas non deſumant ex ſacris libris.* Velut quum ajunt: *Quid eſt charitas?* Eſt *pallium monachi.* Qui ſic? *Quia operit multitudinem peccatorum.* Et rogatus quidam, *ecquid placeret vinum? Aſcendit*, inquit, *ſuperius.* Tum alter: Aſcendit ſuperius, ergo erit tibi gloria. Longe modeſtius autem detorquet ſcripturas Moria, nec tamen id facit, niſi præfata veniam, ſeque citaturam ἐδὲν πρὸς ἔπος. Atque in hujus loci peroratione, rurſus precatur veniam. At jam dixi, *me nolle per omnia tueri Moriam*, atque hactenus patiar accuſari Moriam, ut ineptiæ incogitantiæ, aut levitati tribuatur, ab his, quæ tu impingis ſtrenue defenſurus. *Apud Italos*, neſcio ſint tam imbecilles in fide, ut ob ludicrum libellum deficiant à Chriſto: *apud nos* & fœminæ conſtantiores ſunt, quam ut ejusmodi luſibus labefactentur: Nec quisquam adhuc extitit in his regionibus, qui quod tu ſcribis, interpretaretur, eos jocos ab animi impietate profectos. Tot annos per omnium manus volitabat *Moria*, *verſa etiam in linguam Gallicam*, aulæ principibus erat in deliciis, nec in hanc quisquam hominum fremebat, præter paucos *pſeudomonachos*, ſecus quam volebant attactos: Quamquam in his quoque religioſiſſimo cuique non diſplicuit Moria, cui tu tam vehementer infenſus es. Nam literis Roma miſſis, non raro ſum admonitus, *Albertum Principem* in nulla materia facundiorem eſſe, quam *in accuſanda Moria.* Id ſi tibi aecidit vehementi quodam religionis

gionis zelo, non poſſum non probare affectum tuum, licet judicium arbitrer, nemini placiturum, exceptis iis, quibus diſpliciturum ſit Evangelium, ſi Eraſmi nomine proponeretur. Talibus enim odium & animi inductio prorſus omne judicium vitiavit. Illud iterum atque iterum demirari compellor, quod hæc tam multa, tam odioſa, atrociter ac pene ſeditioſe ſic in me congeris, quaſi nihil horum libris pridem editis diluerim.

Quemadmodum & *de confeſſione*, querimoniam mire exaggeras, quum nullum hic ſit argumentum, quod non retuderim ſcripto vulgato. Atqui ſi diſertus ac vehemens haberi volebas, prius illa fuerant refellenda, quibus quorundam depuli calumniam. Niſi forte non putas quemquam fore, qui iſta tua legat, præter eos, qui mea vel non attingunt vel eadem cenſura damnant, benedicta pariter ac maledicta. Cujus obſecro candoris eſt, quum Leo copioſiſſime, quum Stunicæ aliisque nonnullis non indiligenter reſponderim, *de confeſſione*, perinde nobis recinere *veterem ex compotationibus & concionibus pſeudomonachorum querimoniam*, quaſi verbum nullum unquam ſuper ea re fecerim. In illo vero magis etiam deſidero candorem tuum, quod objicis, non quod a me ſcriptum eſt, ſed quod a rabulis quibusdam jactari ſolet; *Colligo*, ut ais, *commoda & incommoda confeſſionis & lectori velut integram exiſtimationem permitto, retinendumne putet confitenti uſum, an abolendum.* Jam primum hoc quam falſo ad te delatum ſit, vide. Teſtor, *incommoda* non ex re ipſa naſci, ſed *ex hominum vitio*: verba mea ſic habent: *Ut quam plurimum fructus capiatur ex confeſſione, & quam minimum malorum admittatur: Quæ quidem mala non tam ex re quàm ex hominum vitio naſci videmus. Quemadmodum fere nihil eſt in rebus humanis tam pium, tam ut ita dicam cœleſte, quod hominum corruptiſſimi mores ſibi non vertant in perniciem.* Ac mox: *Oſtendimus paucis, quantas commoditates habeat hæc confeſſio, deinde quanta peſtis veræ pietatis hinc per occaſionem naſcatur inter homines.* Audis palam me *commoda* tribuere confeſſioni, *incommoda* viciis hominum, re bona utentium male. Atque in ipſo ſtatim initio operis ita loquor: *Utrum conducibilius ſit, eam relinqui propter innumeras utilitates, quas ex ea videmus proficiſci, ac tolli ob innumera mala, quæ confitentium & audientium culpa per hujus occaſionem comperimus exiſtere.* Occaſionem audis, non cauſam & culpam hominum audis, non crimen confeſſionis. Hæc toties in eadem præfatione dicta, rurſus Apologiis citata, diſſimulas, & dicor tibi referre commoda & incommoda confeſſionis. Iſta non videris, Alberte princeps, ab illis didiciſſe, qui ut ſcribis examuſſim ſcripta mea examinant; dicta dictis, ſenſa ſenſis, & ſyllabas ſyllabis conferentes. Vanum juxta atque calumnioſum eſt & illud, quod ſcribis *lectori per me fieri liberum, utrum malit confeſſionem retineri an aboleri.* Obſecro te, quibus verbis hunc ſenſum meum indico? Loquor illic de Romani Pontificis autoritate, deque chriſtiani populi conſenſu, hoc eſt, de autoritate totius eccleſiæ. *Si confeſſio indicta eſt per Eccleſiam, annon poteſt ejusdem autoritate tolli?* An tibi univerſa Eccleſia eſt quilibet lector? Nec tamen illic affirmo ab hominibus inſtitutam, ſed, fictâ conceſſione, ratiocinor, ita præfatus: *Tum ſi quis largiatur ab hominibus inſtitutam.* An non hic ſatis dilucide loquitur Batavus, etiamſi parum eleganter? Nec ego hic diſputo, ab hominibus ſit inſtituta confeſſio, qua nunc utimur, an à Chriſto tradita, retinenda an tollenda, ſed indico, *quæſtiones ejusmodi inter alios ventilari.* Dices: *Quid referebat iſtius rei meminiſſe.* Quaſi cuiquam eſſet obſcurum, quod loquor? Et tamen mea referebat hoc admonere, ne lector expectaret aliquid præter id quod ſuſcepiſſem. Neque me fugiebat, hoc expectaturos plerosque. Quod niſi magno volumine tractari non poterat, & à multis erat accurate tractatum: (Vix enim ulla quæſtio inter ſcholaſticos jactatior) prætermiſi: Quod utrique parti, hoc eſt, & dubitantium, & certa perſuaſione firmorum, conducturum erat, tractavi. *Debebas*, inquis, *vel obiter indicare tuam ſententiam.* Quod habebam perſuaſum, ingenue profiteor, voco rem ſaluberrimam, & inprimis piam. Et adverſus Leum diſputans, profiteor rem optimam, à Spiritu Chriſti profectam ac totius orbis diutino conſenſu comprobatam, ea reverentia ſervandam, quaſi eſſet ab ipſo Chriſto tradita. Et loquor non de quacunque *confeſſione*, ſed de hac, *quæ nunc in uſu eſt Chriſtianorum, cum omnibus ſuis circumſtantiis.* Quam ſi queam docere *à Chriſto traditam*, oppido quam lubens facerem. Habebis me plauſorem, ſi potes id ad plenum proferre, quod & olim à Theologis, & nuper tractatum eſt, ab apprime doctis, quorum eſt *Jacobus Latomus.* Horum tamen nemini ſucceſſit ut vellem. Imo *Latomus* nobis propemodum liberum relinquit, malimus ne credere a Chriſto traditam, an e ſcripturis irrefutabilibus deſumtam, an generali Eccleſiæ decreto inſtitutam, & *tu a me poſtulas, ut pronunciem a Chriſto traditam.* Finge pronunciaſſe, quis credat, niſi doceam? Et tutius exiſtimo ſilere quam frivolis argutationibus hoc aggredi. Qui ſilet videri poteſt valuiſſe ſi voluiſſet. Qui conatur aſſerere, nec efficit, quod conatur, magis diſſuadet quod perſuadere nititur, quam is, qui palam repugnat. Et vides, quo ſeculo in qua regione libellus ille mihi ſit editus. Ac pro illo, qualis qualis eſt, viri orthodoxi gratias egerunt. *Non erat*, inquis, *in dubio relinquendum quod ab hæreticis pertinaciſſime impugnatur.* Quaſi ſemper impium ſit, quod tuentur hæretici. At quo magis impugnabatur, tanto juſtior erat cauſa detractandi muneris. Otioſum, fortem, doctum, inſignem, Theologum ea res poſtulabat. *Ego confeſſionis cauſam reddidiſſem deteriorem.* Poſtremo *qua fronte jubes me aliis perſuadere, quod mihi nondum ſatis perſuaſum eſt, & expecto, qui perſuadeat?* An aſſentiri videtur hæreticis, qui doceri cupit, hanc confeſſionem fuiſſe traditam ab ipſo domino, quum alioqui fateatur religioſe, ſervandam? Quæ ſynodus hoc pronunciavit? Inclytus *Angliæ Rex*, qui felicius tractavit iſtud argumentum, quam tu tractare videris, nihil aliud pronunciat, quam *eſſe probabile*, fuiſſe a Chriſto traditam. Quod ſi *Lutheranos* hæreticorum nomine deſignas, ſcis quam illis non aſſentiar. Nam *horum plerique faciunt cuivis ſimpliciter liberum, utrum confiteri velit an non, & quis cui confiteri velit: Complures deteſtantur etiam ut rem impiam.* Quod ſi hæretici ſunt, qui nonnihil dubitant, *quo-*

modo ſit inducta confeſſio, res tibi erit cum Angliæ Rege, cujus eruditam pietatem tu merito prædicas, cum Latomo, ne quid alios commemorem. Nec ſatis intelligo, quid hæc tua verba ſibi velint, *quinimo excepta ut à Chriſto inſtituta*; Si, *ut*, ſonat *ſimilitudinem*, idem loqueris quod ego. Sic enim habet initium libelli mei: *An a majoribus inducta, paulatim robur collegerit, ut tanta ſit hujus autoritas, quaſi fuerit inſtituta a Chriſto.* Sin, ut ſonat, *cauſam*, aliis argumentis hoc tibi confirmandum erat. Addis: *Quamvis dicas negari non poſſe, quin turior ſit, qui bene confeſſus fuerit.* Nec hoc ſimpliciter dico, ſed *ex conceſſione.* Sic habent verba mea: *Quamvis enim multis ac magnis argumentis pars altera contendat, hanc confeſſionem non fuiſſe inſtitutam ab ipſo Domino Jeſu: Nec potuiſſe tantum onus a puro homine imponi hominibus: Illud certe negari non poteſt &c.* Itaque libellum illum legi cupiebam à duobus hominum generibus, quorum alteri firmam habent perſuaſionem *de confeſſione non tollenda*, alteri *dubitant, num poſſit aut expediat per Eccleſiæ proceres aliquid innovari circa confeſſionem*, quam tu *ſacramentum* vocas, quum juxta multorum opinionem, potius *res* ſit *ſacramentalis*, ut interim ſaltem melius utantur confeſſione, nec præcipitent ſententiam, donec de hoc pronunciarit eccleſia. Tertium hominum genus ab ejus libelli lectione ſubmovi, videlicet eorum, qui confeſſionem aut ſupervacaneam eſſe contendunt, aut impiam. Iſtos pervicaces ad alios doctores relego, mihi tum nec otium ſuppetebat, nec copiæ ſufficientes, ad confligendum cum illis. Omitto jam hic rationes ac *teſtimonia tua*, quibus *me docere conaris, omnino credendum, hanc confeſſionem à Domino traditam*, de quibus interim nihil aliud pronunciabo, quam *dolere me non eſſe firmiora* præſertim ob eos qui *pertinaciter totam damnant confeſſionem.* Addis vero præciaram ſententiam, damnans, quod commoda contulerim cum incommodis. *Nam etſi omnino*, inquis, *nobis incommoda viderentur, tamen quia ita ſunt ſtatuta, pura mente ſervanda, & conſtanti animo retinenda eſſent.* Obſecro te, ut me viciſſim patienter audias: In quem uſum oſtendo *incommoda*, non ex re, ut dixi, ſed *ex hominum vitiis orientia?* Nonne ut vitentur, & interim firmiora ſint, quæ ſunt inſtituta: Si ferenda ſunt hæc incommoda; cur quotidie clamatur in eos, qui male ſervant matrimonium, qui indigne accedunt ad menſam Domini, qui male gerunt magiſtratum? Neque enim ego tollo confeſſionis uſum, ſed admoneo, *quid in hujus uſu vitandum ſit.* Hoc nimirum eſt ſtabilire confeſſionem non labefactare. Hæc vides, opinor, tibi non minus extra cauſam dicta, quam eleganter.

His ita peroratis ſubtexis clauſulam: *Quoniam*, inquis, *nimium profecto judicio noſtro arrogamus, quum de omni re æque audemus judicare, quid utile, quid honeſtum, quid ſecus, quid rectum, quid depravatum, quid divinum, quid humanum: Et hoc tam in rebus definitis, quam in his, quæ adhuc ſub judice verſantur: Cum taxamus mores, leges, conſuetudines, ritus, ceremonias, jam diu receptas: quæ cum tu ſæpiſſime facias, ut monumenta tua teſtantur, non ab re multi te accuſant arrogantiæ & rerum novarum ſtudioſum fuiſſe dicunt.* Quum ais, *multi dicunt* ingenue fateris te iſta ex alieno ſenſu loqui non tuo. Alioqui quid probæ mentis habent iſta verba? Si de *Lutheranis* aut neſcio quibus *Italis* ſentis, ad me nihil pertinent. Sin de me loqueris, num tibi videor æque de omni re judicare qui hoc ipſo libello ſuſpendi meam ſententiam, & aliis judicium defero, imo qui nusquam non defero eccleſiæ judicio. In rebus, inquis *definitis*, quaſi hoc jam docueris eſſe definitum. Profer ubi quicquam improbavero pro depravato quod eſſet rectum, ubi pro humano rejecero, quod erat divinum, ubi taxavero mores pios, leges &c. quod ais *ſæpiſſime me facere*, quum nullum proferas locum. Opinor tibi pro oraculo eſſe *Stunica catalogum.* Atqui quibus fama duntaxat notus es, multo ſolidiorem, æquiorem ac nervoſiorem diſputationem expectabant. *Nihil* enim *adhuc adfert, niſi quæ ab indoctis Pſeudomonachis & levibus Theologis ſolent in compotationibus jactari, quos non pudet interdum edere mendacia majora montibus*, eoque ſolum hoc agunt, ut lucubrationes meas aboleant, ne deprehendatur ipſorum inſignis vanitas. A te vero quid expectari poterat, niſi verum, excuſſum, & æquum?

Poſt hæc ingrederis aliud argumentum, quo dequum plus ſatis reſponderim præter alios *Petro Sutori*, tamen quaſi vacuam & intactam omnino materiam tractas. Cauſaberis, eum librum ad te non eſſe perlatum. Atqui *Lutetiæ, ibi multa ſcripturarum teſtimonia opuſculo tuo adjeciſti*, non dubito quin videris. Quid igitur faciam? Repetam ibi dicta? Quid moleſtius? Obticeſcam? Applaudent victori, qui mea non legerunt. Servabo medium. Notabo paucis quædam. Ais, *à multis damnari, quod ſacras literas paraphraſi dilucidius & elegantius explanaverim, quæ vix admittant commentarios, tantum abeſt, ut paraphraſin.* Hic opinor tua prudentia novit ſcripturam ſacram potiſſimum eſſe in myſtico ſenſu potius quam in verbis, quæ probabile eſt ab Esdra partim immutata: *proximo loco ſitam eſſe in his linguis, quibus traditæ ſunt à primis autoribus. In his à me nihil eſt mutatum.* Tertio loco ſunt *translationes in aliam linguam.* Eas fuiſſe *diverſas*, *tum apud Syros, tum apud Græcos & Latinos*, conſtat ex veterum Theologorum monumentis. *Eamque varietatem D. Auguſtinus adeo non damnat, ut exiſtimet plurimum conducere ad ſcripturarum intelligentiam.* Itaque quum *novum Teſtamentum* ſit verſum eo ſermone latino, qui tum temporis erat promiſcuo vulgo communis nunc contra lingua latina non eſt niſi apud literatos, quid erat piaculi, ſi rebus in diverſum mutatis, *latinius vertiſſem novum Teſtamentum?* Certe *auſus eſt hoc Hieronymus in vetere Teſtamento, & laudem promeruit.* Nunc *à me non eſt mutata vulgata translatio, ſed id verſum eſt, quod habetur in Græcorum voluminibus*, præſertim iis, quibus uſi ſunt veteres, Chryſoſtomus, Baſilius, Gregorius Nazianzenus & horum ſimiles.

Dices, *expedit ut Eccleſia univerſa conſentiat in lectione.* Eum conſenſum vides à me non turbari. *Habet eccleſia ſuam verſionem*, tantum hoc ago, ut *quam habet, habeat emendatiorem & rectius intelligat.* Eſt autem *duplex interpretandi genus*, alterum quo transfunditur liber *è lingua in linguam*,

guam, alterum quod adhibitum, *explanat ſcripturæ ſenſum*. Si commentarios & omnes explanationes ſubmovendas cenſes, patiar & paraphraſes meas ſubmoveri. Sin recipis, *paraphraſis nihil aliud eſt, quam commentarii genus*, commodius lectori, vel occupato, vel faſtidioſo. Et ſi damnabis Baſilium, Nazianzenum, Cypriamum, Hilarium & Hieronymum, quod *elegantius edifſerunt ſcripturas, quam traditæ ſunt*, patiar me damnari, quod *aliquanto politius explanavi ſenſus*, quam Apoſtoli tradiderunt, aut, *quam vertit latinus ille, neſcio quis aut quæ*. Hæc ſi agnoſcis eſſe veriſſima, nullum habent locum illa quæ tu Ciceroniano quodam fluxu declamas: *Spiritui ſancto non eſſe opus noſtra politura, quot in ſcripturis verba ſunt, tot eſſe myſteria, nec apicem ullum contingendum.* Quaſi ego ſim novus interpres ſcripturarum. Atque hic etiam *adjeciſti*, ſi ſuperis placet, *priori libello*, Moſi teſtimonium ex libro Deuter: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor:* Atqui id auſus eſt non paucis locis interpres, velut in *Tabita Cumi*, addit, *tibi dico*. Canon miſſæ, in verbis conſecrationis addidit, *enim*, quod in Evangelicis libris non habetur. Itaque quod Moſes præcepit, *de non addendo*, non tam pertinet ad literas, ſyllabas & apices, quam ad vim ſententiæ. Nonne paſſim audis Eccleſiaſtas ſententiam ex literis ſacris recitatam, ſinuoſo verborum ambitu explanare populo. Dices, *licere, ſed intactis fontibus*. Quid? ſublati ſunt à me ſcripturarum fontes? Nam hoc toties fruſtra cogor audire. Sed age da nobis fontes incorruptos, deſinemus ullum verbum mutare. Quod ſi conſtat, *codices eſſe corruptos aliquot ſane locis*, num tu vetabis *nos dare operam ut reſtituantur*, citra injuriam vulgatæ editionis? Atqui *hoc ſtudium noſtrum comprobavit Leo decimus, comprobavit & Adrianus, nec ullis cordatis Theologis diſplicuit.* Privatim multi vere docti bonique viri literis pro hujusmodi laboribus gratias egerunt. Cumq; illud opus *Lovanii* fere ediderim, multique de cæteris quibusdam lucubrationibus meis nonnihil quererentur, *de paraphraſibus* nemo me verbo admonuit. Ubi porro tu nactus es iſtos loquaces, qui ajunt, qui dicunt, qui ſuſpicantur me hoc agere, ut meæ paraphraſes loco divinæ ſcripturæ legantur in templis? Hoc quum ſit egregie ridiculum, non refellam, etiamſi *in templis recitantur multa minus accommoda cultui divino* quam meæ paraphraſes. Negas à religione nata quemquam hoc auſum in ſacris literis. Si per ſe nefas eſt *explanare ſcripturam ſacram* damnandi mecum ſunt illi, qui primi ſunt auſi *commentarios* in illam edere, qui *poſt auſi ſunt illam philoſophicis argumentationibus tractare.* Et hic tibi damnandi ſunt cum Alexandro Halenſe; Thoma, Scoto, *totus ſcholaſticorum populus*, alii quod fuerint inventores, alii quod imitatores. Sunt enim *varia commentandi genera*. Quod auſus eſt *Eraſmus*, ante hunc *Juvencus* auſus eſt carmine, nec fruſtratus eſt ſua laude. Nam *carmen illius vere paraphraſis eſt*. Idem auſus eſt hoc recentior *Arator* in Actis Apoſtolicis: Non ita pridem *Ægidius Delphus è Sorbona Theologus;* in Pſalmos, & alios non paucos divinæ ſcripturæ libros. Ante paucos menſes Lovanii, *Franciſcus Titelmannus Minorita*, juvenis etiamnum, idem fecit in Epiſtolas Pauli, quod ego, niſi quod pro *paraphraſi* vocat *elucidationem*, quum paraphraſeos vocabulum ſit aliquanto modeſtius, idque facit *applaudentibus Theologis, totoque Franciſcanorum ordine.* Qui utinam adeo feliciter verſatus ſit in hoc genere, ut meis rejectis paraphraſibus manibus terant illius elucidationes, modo quantum deceſſerit meo nomini, tantum accedat veræ pietati: Hic tecum ſtatuas oportet, utrum me, cum his omnibus, qui quod à me factum eſt, auſi ſunt, vel facere, vel approbare, velis abſolvere an damnare. Sed *offendit te perſona, quam aliter in paraphraſi loquentem facio*, quam loquitur *in opere ſuo*. Ridiculum, quaſi veteres ſcripturarum enarratores, quoties loci ſummam ſuis verbis explicant, non idem faciant, quod ego, niſi quod *paraphraſtes id faciat perpetuo tenore, quod illi faciunt interrupte.* Quaſi non idem faciant apud Italos, Gallos, Britannos & Germanos, concionatores, ut ſententiam paucis verbis in ſcriptura comprehenſam, pluribus & aliis verbis explicent populo. Quid autem ſentis? quum ais, *pro libidine ſua.* An pro libidine ſua tractat ſcripturam, qui in ea explicanda ſequitur probatiſſimos quosque matris eccleſiæ doctores, quod à me ſedulo factum eſt? Nec his contentus progrediens dicis: *Quin imo perſonam Chriſti concionantis, quem interdum præter omne decorum inducis tanquam Hortenſium aut Ciceronem compoſitis verbis elaborata oratione cauſam agentem, & quod deteſtabilius eſt, plurima dicentem, quæ in ſacris literis non habentur, humanæ ſapientiæ verbis accommodatis.* Hæc tua ſunt verba. Ut verbo reſpondeam. Nullæ ſunt phaleræ dictionis in meis paraphraſibus, quas tu præter animi ſententiam illis, ni fallor, tribuis, ut commodius perores cauſam tuam. Nec usquam tribuo Chriſto compoſitam & elaboratam orationem, quum nullum opus magis in tempore perfecerim, nec hic erat locus in quo Ciceronis aut Hortenſii debueris meminiſſe. Si ſenſus congruit Chriſto, de verbis injuſta querela eſt, niſi damnas omnes, quos recenſui. *Chriſtus nunquam loquutus eſt carmine & tamen ſic loquitur apud Juvencum.* Sin minus, eadem venia mihi debet eſſe parata, quæ datur ſcripturarum enarratoribus omnibus. Jam ſi nihil adderem ei, quod in ſacris literis habetur expreſſum, non eſſem *paraphraſtes*, nec explanator. Mihi ſatis eſt, quod quæ adjicio, non diſcrepent a ſcripturarum ſenſibus. Et tamen hoc erat tuæ libertatis, indicare loca quæ damnas. Proinde *ſententiam Salomonis, quæ vetat quicquam addi ſermoni divino*, aut illis cane, qui docent cum ſcripturis pugnantia, aut his *qui non verentur ex humanis diſciplinis, præſertim ex Sophiſticis, ex Ariſtotelis ex Averrois monumentis plurima congerere ad divinorum voluminum explanationem.* Sed alicubi profiteor me cœleſtis oratoris mutare linguam. Hoc ut alii calumnientur, tu certe non minus verſatus in oratoribus, quam in philoſophis, agnoſcere debebas *ſchema rhetoricum*, quo feſtivius quidem, ſed nihil aliud declaravi, quam me ſenſa Pauli ſic explanare, ut & facilius, & minore cum tædio percipiantur. Intelligit opinor tua prudentia, quæ ſubtexis de Spiritu ſancto, qui ſcripturam de verbo ad verbum dictarit, cujus auctoritati abſit, ut quisquam Chriſtianus velut repugnare, nil ad nos attinere. Attamen iſta tibi nitide & elegan-

eleganter declamata ſunt, ſed extra cauſam. Copioſe quidem & illud tractas, *multum eſſe diſcriminis inter commentatorem & paraphraſten*, quod commentator relinquit integrum ſermonem, paraphraſtes immutat. Conſule codices eccleſiaſticos & vide, an ullus per me ſit immutatus. Porro, niſi aliis verbis uterer, quam ſacri libri, non eſſem nec paraphraſtes, nec enarrator. Jam age, reſponde nobis, quid intereſt, utrum faciam Paulum meo more loquentem, an enarrator dicat, hoc ſentit Paulus, & ſubjiciat expoſitionem. Quamquam, ut diximus, hoc non raro faciunt, & ſub perſona Apoſtoli aut Chriſti, quoties ſummatim explicant argumentum loci. Cæterum quod addis, eum qui, ſecutus enarratoris autoritatem, in errorem prolapſus fuerit facile poſſe in viam revocari, ſcripturarum ſubſidio: Qui mea paraphraſi deceptus fuerit, nulla ratione poſſe reſtitui: Obſecro te per genium tuum, Vir illuſtris, jocone hæc ſcribis, an ſerio? An parum lædunt religionem Chriſtianam hæretici, qui ſcripturas non paraphraſi, ſed commentariis perperam enarrant. Πεῖσν σε ἔπ@ φύγεν ἕρπ@ ὀδόντων; Et in his lapſus, unde reſtituitur? per ſinceram ſcripturam. Accipio. Et ſi quis traxerit errorem ex mea paraphraſi, nulla ratione poteſt reſtitui? Qui ſic? Quia nusquam extat ſincera ſcriptura? Imo nihilominus extat in tanta turba commentatorum. Unde coarguitur error eorum, *qui in Ariſtotelem ſcripſere paraphraſes?* Non ex ipſo Ariſtotele? Quoniam nihilominus extat, quam ſi quis pro paraphraſi ſcripſiſſet commentarium. Quid igitur vetat, quo minus reſtituatur per ſcripturam extantem, qui lapſus ſit? imo ob id in marginibus annotavi capita, quo lector conferre poſſit commodius. Vix & illud arbitror, te ſerio ſcribere, *diſcrimen eſſe, ne qui, mihi ceu jurati, ſequantur autoritatem meam.* Ubi nunc habitat iſta autoritas? Apud Germanos eruditos nonnihil habebam gratiæ, priusquam hæc Evangelica tempeſtas extitit. Mox gratia ceſſit in odium. Nec usquam animadverti juratos, quos memoras. Etiam atque etiam, iterum atque iterum in proœmiis clamo, *paraphraſin nihil aliud eſſe quam commentarii genus*, nec volo paraphraſtæ plus tribui quam cuivis enarratori. Si quid lapſus deprehendant, mihi imputent, non perſonæ loquentis. His præfationibus excluditur omne periculum, ſi quid immineat. Rurſus philoſopharis *de ſyllabis & apicibus ſcripturæ divinæ*, quæ nihil ad me pertinent. Nam ſi vera prædicas, *ne vetus Teſtamentum vertendum erat in linguam græcam, nec novum in latinam.* Quot enim apices hic quot myſteria pereunt? Quamquam hæc ut dixi nihil ad me, qui *ſcripturam prorſus intactam relinquo;* Quod eſt igitur illud *deteſtabile dictionis genus, quo univerſa mutantur & pervertuntur?* An ideo tibi viſum eſt initio precari veniam libertatis, ut hæc diceres, quæ pervelim honoris tui gratia abeſſe ab hac diſputatione, tam nitida, tamque Ciceroniana. Quod in clauſula addis, *eos indignos ſcripturarum lectione, quos ſola diſtinctionis ſuavitas allicit* ad eas; fortaſſe verum eſt: ſed tamen pium eſt nauſeantes, ac faſtidioſos illecebra quapiam ad ſcripturæ amorem allicere. Quod ſane probat & D. Auguſtinus. Sed de his jam pluribus agere tecum non eſt ratio, præſertim cum ad iſtas cavillationes toties reſponderim.

Reſtat, ut inſpiciamus epilogum tuum. Quoniam *in ſcholiis* duobus verbis annotavi *de poteſtate Pontificis, & non exerta,* & quod *olim Papa dictus* ſit *ſummus ſacerdos, non ſummus pontifex*, quod tamen vix credo à me ſcriptum: Quoniam dubitavi, *num olim fuiſſet nomen Cardinalium:* Quoniam in Moria taxo per jocum mores hominum corruptos. Quoniam in libello de confeſſione non pronuncio, eam à Chriſto traditam, quum aliud tum agerem, & alias pie de illa prædicem: Denique, quoniam auſus ſum in novum teſtamentum, ſed tamen commodius commentarii genus ſcribere: *ob has & ſimiles cauſas ſatis liquet me à Lutheranis inſtitutis non longiſſime abhorrere.* Quis non miretur iſtam nervoſam collectionem? Sed nihil offendor, Alberte clariſſime, quoniam mihi perſuadeo, *te* nihil horum ex animo tuo ſcribere, ſed *quæſiſſe campum, in quo declares quantum poſſis eloquentia Tulliana.* Quod utinam tentaſſes in argumento feliciore. Quamquam Tullius in initio actionis eſt moderatior, in argumentando nervoſus, in perorando vehemens: *Tu atrociter proponis, parum ſolide argumentaris, frigide peroras.* Promiſeras enim te demonſtraturum, *me fuiſſe occaſionem, cauſam, autorem, ac ducem totius Lutheranæ tempeſtatis, mea ſcripta autoritatem adimere ſacramentis, matrimonium præferre continentiæ, detrahere ſanctionibus patrum, pontificis dignitati, monachorum deridere profeſſionem, deridere divina, accuſare preces horarias.* Quid horum vel mediocribus argumentis docuiſti? poſt tam atrocem propoſitionem, *poſt tam elumbem probationem, quam frigida clauſula ſuccedit?*

Sed hactenus, inquis, *de priori cauſa, quæ multis ſuſpicionem injecit, te ab inſtitutis Lutheranis non longiſſime abhorrere.* Suſpicio eſt, non ſententia, non omnium ſed multorum, *me non longiſſime abhorrere.* Quam non reſpondet hic finis exordio cauſæ. Quid autem appellas *inſtitutum? Revocationem Chriſtianæ pietatis ad priſtinam ſinceritatem?* Hoc jam olim optant probatiſſimi quique, non ego tantum: Quamquam nihil novarum rerum molitus ſum, niſi quod obiter de quibusdam admonui. *Sic* autem *optavi, ut nollem per tumultum quæri remedia.* Quod fieri neceſſum erat, ſi res non principum autoritate, ſed populari temeritate gereretur. Sin *inſtitutum* vocas *Lutheri dogmata* ut ſumma virtus proxima eſt vitio, veluti ſumma liberalitas profuſioni, ſumma ſeveritas crudelitati, ita ſumma veritas falſitati.

Tranſis ad *occaſionem ſilentii mei*, quam partem ut ſoles ita tractas, quaſi nullam omnino ſilentii mei reddiderim rationem, quum id toties à me factum ſit. Quamquam *falſum eſt, me initio ſiluiſſe. Scripto ſtatim edito teſtatus ſum mihi nihil eſſe negocii cum Luthero.* Quotquot adibant me velut exploratores, ſic tractavi, ut intelligerent *mihi Lutheri conatum non probari.* Si quos habebam amicos, apud quos nonnihil vel gratia valebam, vel autoritate, hos *ab hujus negocii commercio deterrui. Ipſum Lutherum admonui, ut ſincero animo rem ageret.* Apud ipſum Saxoniæ ducem Fridericum ingenue faſſus ſum, *mihi Lutheri conatus non probari.* Et hæc *ſtatim initio.* Dic mihi per Ariſtotelis manes, Alberte, *num hoc eſt ſilere?* Quin tu cantionem iſtam canis, *Sorbonæ*, quæ tam *ſero* prodidit

articulos in Lutherum? Quin tibi ipſe canis, qui quum tanto religionis zelo ardeas, tanta polleas tum autoritate, tum gratia, tanta dicendi facultate & quod omnium potiſſimum eſt, *tot annorum ſudoribus parata Ariſtotelicæ philoſophiæ cognitione ſis armatus, nunc demum poſt annos novem proſilis in harenam, quum tibi tutum eſſet Romæ, velut exarce religionis, omne telorum genus in Lutherum dejaculari.* Et quod tu, Vir tantus, *non audebas Romæ*, me volebas in Germania facere?

Hic rurſus meam eruditionem, eloquentiam, autoritatem, verbis exaggeras, *nec unquam his ornor præconiis, niſi quum faciunt ad crimen.* Sed faceſſant hæ ſtrophæ, longe aliud de me pronunciavit literaria ſodalitas, cui Romæ coriphæus eras: Multo aliud apud nos deprædicavit ille διπλωματοφόρος, magna pars animæ tuæ, & ut ego ſentio, magna pars hujus calamitatis. *Quid ſi ſtatim in harenam proſiliſſem? Meo antidoto peſtilentem colubrum; ſic enim opinor deſignas Lutherum, vertiſſem in fugam, & antrum ſubire ſubegiſſem? Qui non ceſſit trium Academiarum cenſuris, non ceſſit atroci Pontificis diplomati, non ceſſit edicto Cæſaris, tantinimirum principis*, ut minima portio dictionis illius ſit imperium, *qui non ceſſit incendiis hominum, ac mundo extrema minitanti, ſtatim meo ſcripto territus abdidiſſet ſe in antrum?* Ad id ſane perſuadendum vere opus ſit Tulliana facundia. Quanquam quod aliis perſuadere conaris, ſat ſcio tibi nondum eſſe perſuaſum.

Ubi vero ſcripſi, *Lutheranæ tragœdiæ prologum mihi fuiſſe, non injucundum?* Scripſi, *non omnino diſplicuiſſe*, ſed ita non diſplicuiſſe, ut *tamen reclamarem*, imo ſcripſi, *mihi nunquam placuiſſe.* Qui namque fieri potuit, ut reclamarem, ſi placeret?

Sed, *ſpectatorem me præbui*, verum, *cum tot hominum millibus, qui taciti ſpectabant*, quum ego protinus reclamarim. Hominem e proſcenio depellere, non erat meum, ſed eorum, qui ſpectabant ex orcheſtra. Inter hos tu mi Alberte ſedebas, cui tanto major aderat cohibendi mali facultas, cui tutum erat facere, quod alioqui cum vitæ periculo faciendum ſcribis & profecto pie ſcribis. Atque ideo *libellum tot annis elaboratum, nunc demum promulgas, quum pene ſit ſerum nec id tamen auſus es, niſi Lutetiæ, ubi tutior es, quam eras Romæ.* Ac vide fortitudinem tuam, qui mihi timiditatem objicis: Nullum impetis in tuo libro præter Eraſmum, oneratum invidia, Lutherum, confoſſum, ut ais, & Huttenum vita defunctum, quum altera factio pene Lutherum obruerit. *Quo gravior erat peſtis, hoc celerius*, inquis, *erat occurrendum.* Recte, ſed *initio plerisque videbatur eſſe peſtilentiarum antidotum, à multis dubitabatur, quorſum eſſet evaſurum.* Hic ſi meam excuſationem non accipis, *mecum accuſas doctos omnes, & Academias, teque ipſum inprimis.*

Vere ſcribis Arianam factionem fuiſſe multo periculoſiſſimam: Sed *hoc tantum incendium ex improbitate clericorum ortum eſt*, qui hominem eruditum per invidiam e ſuo contubernio depulerint: Quemadmodum *hæc Lutherana tempeſtas quorundam ſeditioſis clamoribus huc usque increvit, ac magis etiam increſceret*, niſi melioribus rationibus ſuccurratur, quam adferunt Sutores ac Beddæ.

Sed, *adverſus hanc auſi ſunt ſcribere Græci Latinique*, in quibus Hilarius. Verum nullus illorum *tam celeriter* ſcripſit in Arium, *quam tu volebas me ſcribere in Lutherum.* Et Hilarius *aliquanto ſerius* ſtrinxit calamum in Arium, quam ego jam toties ſtrinxi in Lutherum. Qua quidem in re tuam æquitatem cogor deſiderare. Magna vehementia *rhetoritaris de ſilentio meo*, quum *diatribam* ante complures annos emiſerim, quum *adverſus Lutheri ſervum arbitrium, duobus juſtis voluminibus pugnarim*, quum tot locis ſparſim in lucubrationibus meis diverſa ab illo doceam, & tamen *Diatribam* tibi fuiſſe lectam, in hacipſa diſputatione teſtaris. Dices, *quum hæc ordirer ſcribere, nondum videram.* Eſto, ſed erat hoc tuæ vigilantiæ, detrahere actioni, quod erat ſupervacaneum. Etenim, ſi *non piguit te Lutetiæ tam multa adjicere, præſertim teſtimonia ſcripturarum, nec gravari debueras ea tollere*, quæ ut me apud malevolos gravant invidia, ita te apud eruditos & cordatos vocant in ſuſpicionem vanitatis. Nondum videras *Hyperaſpiſtas:* Sed utique videras, quum hæc ederes, imo *priusquam tuum libellum ad me mitteres.* Et tamen *in calce libri ſic hortaris me ad hoc muneris, quaſi nihil omnino præſtiterim.* *Culicem* me dixi, non ex mea perſona, ſed *ex aliorum ſententia*, qui quum alias nihil mihi tribuere ſoleant, nec ingenii, nec eruditionis, nec judicii, quoties onerandus ſum invidia, *mirum quantus ſubito fiam elephantus.* Tu me potius nunc Elephantum facis, nunc culicem.

Ubi vero mihi *cenſuram* arrogo *univerſi orbis?* An quod *Moria tangit mores hominum* ſed *tam civiliter, ut quisque ſua vitia citra dolorem legere queat?* Iſta quidem tibi graviter dicuntur & ex arte, ſed absque cauſa, nec ex vero. *Excuſas Academias*, quod poſt officio ſuo functæ ſint, & mihi dicis: *Tu autem ad hanc beſtiam oppugnandam nullas adhuc admoviſti machinas.* Id quum ſit falſiſſimum, tamen toto hoc capite mira proſequeris vehementia, perinde quaſi ſit in confeſſo. Ita videlicet conſuevit Cicero. Quamquam *tuus ille diplomatophorus*, quum miſcerem cum illo colloquium, dicenti *quosdam indignari, quod nihil in Lutherum ſcriberem*, reſpondit: *Quid neceſſe eſt, te in Lutherum ſcribere?* Et hoc tamen eſt *totius accuſationis tuæ caput.* Porro, quamquam id temporis ſperabam lætiorem exitum, non enim ſum vates, tamen *ſiquis probus bonis verbis hoc mecum egiſſet, non detrectaſſem officium meum.* Hujus orationis hæc eſt ſumma: Si non probaris, Eraſmum eſſe virum, qui doctrina, facundia, ingenio, judicio, autoritate plus valeat quam tot Theologorum eruditorum & Epiſcoporum millia: Niſi docueris, Lutherum minimo negotio poſſe conteri: Nihil hæret in me criminis, quod non ſit *cum cæteris commune*, & tamen *uni mihi intenditur.*

Ut autem ipſe quoque meum finiam Epilogum: *Accuſor quod non ſcripſerim in Lutherum. Scripſi cum primis.* At, *non edidiſti Articulos. Non* enim *erant Academia.* Et ſi hic laudatur *celeritas*, *omnium poſtrema fuit Academia Pariſienſis*, autoritate prima. Tum ſi *ſilentium* vocatur in crimen, vides quot Academias una damnas ſententia. Tres enim duntaxat in illum ſcripſerunt articulos; reliquæ omnes hærent in crimine.

Non aggreſſus es hominem volumine: Reclamat *Diatriba*, jam pridem edita, nec id ſemel. *At non*

satis atrociter: Id negat Lutherus, qui nulli respondet acerbius quam mihi. *Verum hic obticuisti:* Imo respondi *duobus voluminibus*, in quibus, nec audaciam, nec severitatem desideres. Verum *ante te scripsit Pricras:* Fateor. Sed *ita, ut causam indulgentiarum fecerit deteriorem. Scripsit Cardinal. Cajetanus:* Subtilius quidem ille, sed quod ad causæ successum attinet, *nihilo felicius.* Ante censuras Academiarum, ante pontificis fulmen, ante Cæsaris edictum, *me privatum in illum stringere calamum fuisset extremæ temeritatis:* Posthæc scribere, supervacaneum erat. *Nec* enim *probabile erat, illum uni mihi cessurum, qui tot auctoritatibus non solum non cessit, verum etiam ad audenda majora animatus est.* Hic si dicis, *me plus fuisse valiturum, quam Academiarum censuras,* quamque diploma pontificis, quam Theologorum libros, quamque edictum Cæsaris: Ignosce rusticitati meæ, *nec istud credet quisquam nec arbitror te ipsum quod affirmas credere.* Postremo docet exitus ipse, quantum fuerim profecturus. Lege *Lutheri Servum arbitrium,* ac *meos Hyperaspistas,* & intelliges, verum esse quod dico. Tantum ad insimulationem tuam in transcursu.

Nunc multæ sunt causæ, quas literis committere, nec mihi tutum est, nec expedit causæ, cui pariter favemus. Hæc est enim horum temporum infelicitas, ut periculosius sit hominum commodis adversari quam gloriæ Jesu Christi. Nec dubito quin & tua prudentia divinet, quid silentio loquar. Si quem cuneum vidissem *semotis privatis affectibus, sincera pietate procurantium Christi negotium,* eo, mihi crede, per flumina, per lamas, per saxa, per ignes accurrissem, & hodie accurrerem, vel morituros apud illos. Qui spiritualibus oculis contemplantur decorem domus Dei, mox eosdem deflectunt ad *ea, quibus nunc æstimatur Ecclesiæ dignitas,* non possunt non suspirare ex intimis præcordiis. Sed desino.

Posteaquam videris tibi satis declarasse, *voluntatem scribendi in Lutherum mihi defuisse,* docere niteris ex arte Rhetorum, *mihi facultatem non defuisse, pertractans totius doctrinæ Lutheranæ summam?* Quod si facis, ut me accuses, quod non scripserim: jam scripsi. Sin, *ut instruas ad scribendum: jam serum est,* non ob id tantum, quia *jam factum est ad quod arma ministras,* verum etiam, quia *res jam dudum exiit hominum potestatem,* nec libellis agitur negocium, sed armis. Quod si cessant leges inter arma, multo magis disputatorii libelli.

Nihil superest, nisi ut agnoscamus manum Dei, nos provocantis ad pœnitentiam, & omnes, quicunque sumus, omnes enim egemus gloria Dei, *ad illius misericordiam confugiamus.*

Sin, ut omnes hæreticorum phalanges uno conflictu profliges, & internecione deleas: Vehementer optarim, *hanc tui libelli partem,* aut tam solidis argumentis instructam esse, ut impiis omnibus os opprimat, aut tam felicem, ut omnes ad rectiora consilia revocet. Id tamen facilius effecisses, si hostilem aciem aut certe ducem nominatim appellasses potius quam me. Cæterum, quoniam nihil hic est, quod in meis lucubrationibus invenitur, non est quod respondeam, nisi quod carptim quædam attingam, quæ tibi huic disputationi visum est inspergere, quo consilio, non satis perspicio. In *Diatriba* reprehendis, quod in principio ac fine *sim æquo modestior.* Non ita visum Luthero: Declarat *volumen, quod mihi respondit.* Sed fuerim certe in Hyperaspistis: Hoc non potes reprehendere; nec tamen probas, sed editas dissimulas. *Nisi denuo,* inquis, *scribas in Lutherum, adauxeris potius hominum de te suspicionem, postea quam declarasti Diatriba, quid potueris, si voluisses.* Quorsum attinebat, ut homo, quemadmodum scribis, occupatissimus, hic frustra tantum funderes verborum? Quod scribis ab omnibus optari, flagitari, requiri, jam dudum à me præstitum est *duobus voluminibus.* Id factum dissimulas, ne non esset locus illis, quæ multa Ciceroniana phrasi declamare pergis.

Obiter notas, *quod nec vita functis parcam, quo minus de illorum monumentis judicem.* Id si mihi cum omnibus scriptoribus *commune* est, præsertim *cum tuo Aristotele, quem optimo jure facis plurimi,* quur uni mihi impingitur? Nec Apostoli, inquis, nec Augustinus ullam præbuerunt occasionem. Hoc patiar obtinere te, *si docueris, Augustinum nihil suffragari Luthero in quæstione liberi arbitrii,* ut de cæteris sileam. Sed *non dat occasionem, cujus benedicta rapiuntur in occasionem,* quur ego præstitisse dicar, in cujus libris nihil tale potest ostendi?

De disciplinis humanis sic agere videris, quasi meum dogma sit, *purum Rhetorem aut Grammaticum posse melius de fidei quæstionibus disputare, quam gravioribus disciplinis instructum,* quum a me nihil ejusmodi proditum sit. *Extra controversiam est, linguarum peritiam theologo necessariam. An humana philosophia sit necessaria, thema videtur utcunque disputabile.*

De *sacris libris vulgo communicandis* jam pridem satis aperui meam sententiam, nec crambe toties recocta nauseam moveat lectori. Quod *negas margaritas porcis spargendas, & sanctum dandum canibus,* male sentis de populo Christiano, si dignum judicas qui porcis & canibus conferatur. Certe Christus promiscue simplicibus & idiotis sua mysteria dignatus est aperire: *Et nuper audiri cœptum est, plebem a sacrorum voluminum lectione prorsus submovendam.* Vereor ne quibus videatur *iniquæ partitio,* quod *Italis tuis vindicas sapientiam cum eloquentia conjunctam, nostratibus nihil relinquens præter inanem eloquentiam, qui,* ut inquis, *studium eloquentiæ studio sapientiæ præferunt.* Atqui *nusquam plures sunt quam apud Italos, qui tota vita nihil aliud agunt, quam ut linguam expoliant. Apud nostrates magis viget philosophiæ studium, quam apud vos, magis etiam theologiæ quæ apud vos pene tota ad paucos monachos relegata est.* Hæreticos appellas eos, qui *papam* contemtus gratia vocant *Romanum Episcopum,* an hoc titulo sim usus alicubi non satis memini. Certe si feci, non feci contumeliæ causa. Veteres orthodoxi honoris gratia solent hunc tribuere titulum, & ipsi pontifices hoc titulo se designabant.

Non est autem, ornatissime Princeps, quur deprecceris offensam, quod *me docere* visus es. Utinam tibi vacaret *multo plura docere.* Quod ad hanc quidem partem attinet, habeo gratiam maximam: Qualem habituri sint *Lutherani,* nescio. Illud demiror, quare *sub finem libri* recinis nobis toties frustra cantatam cantilenam, *ut post Diatribam rursus*

in Lutherum ſtringam calamum & ſtringam acriter. Quod quum jam pridem eſſe factum non poſſis ignorare, non ſatis perſpicio, quo conſilio diſſimulandum putaris. Hæc *ſi ſcripſeras, nondum conſpectis voluminibus*, quanto *ſatius erat hanc coronidem mutari*, quod magis in rem erat exiſtimationis utriusque, meæ, quod ſine cauſa tractor odioſe, tuæ, quod vel tam piger videberis, ut tantum operæ nolueris ſumere, vel tam non ingenuus, ut quod eſt omnibus notiſſimum, diſſimularis. Et interim, ſi Deo placet, *minitaris*, ni id faciam, fore, *ut hæreat in me Lutheraniſmi ſuſpicio, ut mihi plurima videantur convenire cum Luthero, ut probati viri, me primum autorem tantorum malorum fuiſſe prædicent*, atque vita defunctus hanc opinionem mecum efferam. Quod ſi fecero, nihil horum erit. *Nihil*, inquis. At jam pridem factum eſt, quod hortaris, jam ſi verum eſt, quod tu tanto ſtudio probare conatus es, *Lutherum ex meis hortis letalia legiſſe ſemina*, quomodo medebuntur huic malo mea quamlibet vehementia ſcripta? An quod factum eſt, fieri infectum poteſt? Imo ſuſpicionem iſtam potius confirmavero, *ſi deſtomacher in Lutherum. Dicar* enim *hoc officio priorem culpam penſaſſe. At iſto nomine ſyllabam in Lutherum nec ſcripſi, nec ſcripſero.* Mentiantur, fingant, comminiſcantur iſti quæcunque volent. Præterea vereor, ne quis conſtantiam in te deſideret, qui cum initio faſſus ſis, te de me ſemper honorifice & ſenſiſſe, & prædicaſſe, tamen ingreſſurus diſputationem hæc in me congeris, quod detraham dignitati ſacerdotum & pontificis, irrideam profeſſionem monachorum aliaque per multa ante commemorata. Quæ ſi non credis de me; quorſum attinebat in alienis calumniis confirmandis, tantum operæ ſumere? Si credis, qui convenit, ut de eo ſemper honorifice & ſenſeris & prædicaris, de quo tam multa mala ſentis? Jam in illo complures candorem deſiderabunt, quod iſtam invidioſam cantilenam alieno tempore canis orbi. *Ante annos octo quidam improba lingua conabantur eam ſuſpicionem impingere mihi, quod non eſſem omnino à Lutheri negotio alienus.* Id quum eſſet falſiſſimum, tamen *calumnia poterat utcunque probabilis videri.* Tum poterat videri pietas, ſi me ad profitendum, quid ſentirem, provocaſſes. Nunc poſteaquam notius eſt, quam expedit mihi, nihil inter eos convenire, poſteaquam tot libellis lapidatus ſum, poſteaquam tam late patentis factionis odium in me concitavi, *poſteaquam cum ipſo Luthero gladiatorio more conflictatus ſum*; quam non tempeſtiva eſt iſta tua vel expoſtulatio, vel adhortatio? *Expoſtulas de his, quæ mutari non poſſunt. Adhortaris ad ea, quæ jam peracta ſunt.* Quorum alterum eſt ſupervacaneum, alterum etiam abſurdum, utrumque alieni temporis. Proinde quemadmodum *hic libellus editus* nonnihil invidiæ mihi conflabit, præſertim apud eos, qui nihil non probant, quod impetat Eraſmum quibus & *Hutteni expoſtulatio* mire arriſit, quum Luthero videri vellent infenſiſſimi: ita vereor, ne apud eos, qui ſunt integro ſanoque judicio, non nihil detrahat tuæ exiſtimationi, quæ multorum animos occuparat: Albertum eſſe virum, æquitate candoreque ſingulari præditum. Videberis enim *arte parum liberali cauſam meam cum cauſa Lutheri commiſcuiſſe, ac veluti linum lino contexuiſſe*, ad quod ut videare meis literis provocatus, multa congeris, quum ipſa res aliud loquatur. Notabunt & illud, quod *propoſitio tua multo ſit atrocior quam argumentatio, ut hæc æquis judicibus non videare ſcripſiſſe, ſed hoſtibus tantum.* Illud certe nullus excuſabit, quod *alieno tempore* edideris, *quod ea non mutaris, quæ res ipſa monebat immutanda*, quod diſſimularis poſt Diatribam editos duos Hyperaſpiſtas. Fortaſſe dices, me nunc idem committere, quod in te reprehendo, qui moneam, *non fuiſſe vulgandum librum, qui jam excuſſus proſtat*: Monuiſſem in tempore, ſi reſciſſem ubi locorum ageres, & mox *ubi audivi te in Galliis agere, ſcripſi ſuper hac re literas, quas demiror, tibi non eſſe redditas.* Non minus enim conſulebant tui nominis honori, quam meo. Verum hæc quoniam revocari non poſſunt, boni conſulamus oportet.

Illud non ſatis intelligo, quod petis a me, *tibi dari veniam, ſi quid intemperantius, concitatius, aſperiusve videaris in me dixiſſe, monesque ne quid tale ſuſpicer in me dictum, ſed omnia referam in Martinum, in cujus mentionem nemo poteſt incidere, qui modo ſit chriſtianæ religionis ſtudioſus, quin excandeſcat, & frena modeſtiæ relaxet, quod adverſus tam impium*, ut ais, *& tam mordacem hæreticum verba temperare, contra omnem modeſtiam, non ſolum contra pietatem eſſe videatur.* Ignoſce, Alberte clariſſime, ſtupori meo, quod genus zeli hoc eſt, ſic iraſci hæretico, ut in hominem orthodoxum deſtomacheris? Iſtud *phreneticorum eſt, dum iraſcuntur inimico, ferire amicum.* Quamquam ſolent *ægroti* quoque in ſummo cruciatu, chariſſimos etiam maledictis aut pugnis impetere. Si quid tale eſt, *doleo me tibi tam fuiſſe propinquum.* Sed ego fortaſſe non aſſequor ſenſum tuum, & *aliud quiddam iſtis verbis exprimere voluiſti.* Non enim illud opinor, metuis, ne quicquid in Lutherum dicitur, exiſtimem ad me pertinere. Si tam bene volebas mihi quam prædicas, humanius erat mea in commodum interpretari ſenſum, potius quam *benedicta huc detorquere, ut viderentur Lutheranis congruere.* Ut ſileam, quod multa odioſa commemoras, quæ in ſcriptis meis nusquam reperias.

Et *ſi tam male volebas Luthero*, quam videri vis, *utinam iſtam acrimoniam in argumentando potius, quam in proœmiis declaraſſes. Ibi cominus res agitur, ibi ſpectator expectat, uter ſtet aut cadat.* At *hic frequenter tam diluta eſt tua oratio, ut non tam evincere, quod propoſueras, quam precario impetrare velle videaris.* Perlege diſputationem tuam, ſed ut alienam & comperies ſic habere.

Expedit, aut non laceſſere Lutherum, aut validiſſimis argumentis rem agere. Verum, hoc nunc ſero moneo.

In ſumma, utinam aut *in alio quopiam argumento* declaraſſes nobis, quantum ingenio valeres, aut certe, *quod tractare viſam eſt, aliter tractaſſes.*

Poſtremo, quod me invitas ad amicitiæ fœdus, lubens amplector, polliceorque me licet cæteris omnibus inferiorem, benevolentia ſtudioque propenſæ voluntatis nusquam tibi ceſſurum. Sed mihi quædam fortaſſis liberius dixiſſe videbor, quam puo tua dignitate. Utinam fuiſſet hoc concertationis genus, in quo licuiſſet ſimul & tuæ dignitatis & meæ ſalutis rationem habere. Quin & illud boni conſulas, oro, quod ex politiſſimo libro rudi planeque Batava epiſtola reſpondeo. Si obticuiſſem, verebar, ne quis interpretaretur id tui contemtu factum. Et *ad hanc operam vix dati ſunt ſex dies*, quorum tamen magna pars in alias occupationes erat diſtrahenda. Extemporarium eſt quicquid vides. Et ſi maxime ſuppetiiſſet otium, non ſum adeo meæ mediocritatis ignarus, ut vel eruditione vel eloquentia velim cum tali viro certare, quales ego ſemper venerari ſoleo potius quam æmulari. Bene vale. Dabam Baſileæ idibus Februarii Anno MDXXIX.

(*)

PARS SECVNDA
HISTORIÆ LITERARIÆ REFORMATIONIS

CONTINENS:

I. HERMANNI van der HARDT DISQVISITIONEM, NVM REVCHLINVS, ICTVS, CONSILIARIVS CÆSAREVS FVERIT ANSA REFORMATIONIS?

II. REVCHLINI CONSILIVM CÆSARI MAXIMILIANO DATVM, PRO LIBRIS IVDÆORVM NON ABOLENDIS. A. 1510.

III. REVCHLINI DEFENSIONEM CONSILII MAXIMILIANO DATI MOGVNTIÆ, SPIRÆ ET ROMÆ A. 1513.

IV. ACTA JVDICIORVM INTER JACOBVM HOCHSTRAT ET REVCHLINVM. A. 1518.

V. BILIBALDI PIRCKHEIMERI, CONSILIARII CÆSAREI ET PATRICII NVRENBERGENSIS, APOLOGIAM PRO REVCHLINO. A. 1517.

VI. HERMANNI COMITIS NVENARII, CANONICI COLONIENSIS, HERMANNI BVSCHII, VLRICI DE HVTTEN, EQVITIS FRANCI, EPISTOLÆ PRO REVCHLINO. A. 1518.

VII. VLRICI AB HVTTEN ENCOMIVM REVCHLINI. A. 1519.

Reuchlinus, in librum S. Athanasii de variis quæstionibus, ad quæst. ult. Hagenoæ An. 1519.

Pro linguis & mansuetioribus studiis!

ATHanasius noster Christum secutus est, qui ait *Lucæ XI. omne regnum in se divisum desolabitur:* „ *Et, qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit. Si autem Satanas* „ *in se ipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus?* igitur diabolus non adversatur perfidis, „ sed orthodoxis. Gratia autem Deo: Nam post varias impugnationes vicit per omnem or- „ bem Christianissimi sancta fides, non gladio sed verbo. Quod maximum signum est certitudinis & man- „ suræ diuturnitatis. Neque usque hodie fidelium multitudo in tantum decresceret, ut valde multi pu- „ tant, si Spiritus sancti linguis, ut cœpit, non autem martialibus lanceis res gererentur. Plurimum nam- „ que ad conciliandos hominum animos commercium linguæ facit. Idcirco existimavit Apostolus ma- „ jorem esse propheta eum, qui loquitur linguis & interpretatur, ut Ecclesia ædificationem accipiat. Ita- „ que linguæ, inquit, in signum sunt non fidelibus sed infidelibus, ut Epist. 1. ad Cor. 13. Ad summum, „ nemo erit, qui evangelicam veritatem oderit, si mysteria fidei à nobis recte ac per linguarum proprie- „ tates, cum humanissimis moribus ac fraterna mansuetudine fuerit edoctus. Ad quod illud Odysseæ 23. „ quadrabit:

Γνωτόμεθ' ἀλλήλων καὶ λώϊον. Ἔστι γὰρ ἡμῖν
Σήματ' ἃ δὴ καὶ νωϊ κεκρυμμένα ἴδμεν ἀπ' ἄλλων. i. e.

Cognoscemus alterutrum & melius. Sunt enim nobis signa, quæ jam & nos, occultata scimus præ aliis. „ Et sunt ea Spiritus Dei signa, scil. genera linguarum, & interpretatio sermonum, ut idem ait Apostolus. „ Quare supra quam dici queat utile fuerit in publicis gymnasiis discere linguas, & interpretari libros ac „ volumina gentium & infidelium, non supprimere, non cremare, non comburere, ut Theosophistæ in- „ cendiarii voluerunt. Quibus libris & linguis tandem instituti, modeste, humaniter, mansuete, illos ad „ veritatem Christianam persuasoriis verbis allicere possimus.

Martinus Luther Augustinensis Joanni Reuchlin Phorcensi, An. 1518.

Pro Reuchlino, forti Reformationis parastata!

„ DOminus tecum, Vir fortissime. Gratulor misericordiæ Dei, quæ in te est, vir & eruditissime & „ humanissime, qua tandem prævaluisti obstruere os loquentium iniqua. Fuisti tu sane organum „ consilii divini, sicut tibi ipsi incognitum, ita omnibus puræ theologiæ studiosis expectatissimum. Ad- „ eo longe alia fiebant à Deo, & alia videbantur geri per vos. Eram ego unus eorum, qui tecum esse cu- „ piebant, sed nulla dabatur occasio. Eram tamen oratione & voto tibi semper præsentissimus. Sed „ quod tunc negatum est socio, nunc cumulatissime tributum est successori. Invadunt dentes istius Be- „ hemoth me, si quo modo farcire queant ignominiam, quam retulerunt ex te. Occurro & ego ipsis, „ longe quidem minoribus ingenii & eruditionis viribus, quam tu occurristi & prostravisti, sed non mino- „ re animi fiducia. Congredi mihi detrectant, respondere recusant, sed mera vi & violentia in me viam „ affectant. Vivit vero Christus, & ego perdere nihil possum, quia nihil habeo. Fracta sunt in tua fir- „ mitate non parum quidem cornua horum taurorum. Hoc enim in te egit Dominus, ut tyrannis So- „ phistarum aliquando & tardius & mitius disceret veris theologiæ studiis resistere, ac respirare inciperet „ Germania, scripturarum doctrina tot heu annorum centenariis non tam oppressa quam extincta. Non „ erant hæc initia danda pulcherrimorum studiorum per hominem parvæ gratiæ. Sed sicut Christum „ (sit venia comparationi) omnium maximum montem Deus contrivit usque in pulverem mortis: Ve- „ rum ex hoc pulvere postea excreverunt tot magni montes: ita & tu parum attulisses fructus, nisi morti- „ ficatus in pulverem fuisses redactus: Unde nunc tot surgunt proceres literarum sacrarum Et exau- „ dita est oratio gementis Ecclesiæ? *Salvum me fac, domine, quoniam defecit sanctus, diminuti sunt fide- „ les de filiis hominum: Quoniam exaltati fuerunt ad altitudines Dei, vilissimi filiorum hominum.* Sed ec- „ ce nonne ego impudens, qui tam familiariter sine proœmio honoris tecum loquor? Verum, facit hoc „ animus meus in te officiosissimus, qui & tibi est familiarissimus, tum memoria tui, tum librorum tuo- „ rum meditatione.

Erasmus Hochstrato, An. 1519. de causa Reuchlini, & contumeliosis in Reuchlinum scriptis.

In Hochstrati proterviam!

„ EA moderatione te velim fungi, ut evidens sit omnibus, te nihil agere aliud quam Christi negotium, „ longissimeque te subducas ab ea specie, ut videaris defendendæ fidei prætextu vel ambitioni servi- „ re, vel avaritiæ, vel ad privatum odium saturandum abuti. Quid enim omnino tam circumspecte scri- „ ptum erit, quod ab irato non possit depravari sinistra interpretatione? Porro, qui præ se fert odium ani- „ mi, protinus sibi fidem abrogat, in causa etiam justissima. Neque dubito, quin hæc res inprimis obsti- „ terit, quo minus assecutus sis, quod ut putant, vexabaris. Inquisitio tibi mandata est, non jus pronun- „ ciandi. Quoties autem de Capnione pronuncias, præsertim cum lis adhuc sub judice pendeat, & sub „ eo judice, unde negant appellari posse? Annon satisfeceras officio tuo, posteaquam tot annos tanto „ tumultu libellum, nescio quem, obscurum, nec ulli forte cognoscendum, nisi tu nobilitasses, (Augen- „ Spiegel,) insectatus eras? Posteaquam Rom. Pontifex, intelligens, ejusmodi causæ genus esse, ut magis

„ expediret obliterari, quam longius exagitari, quiesci jussit? Si quis error extiterit pernicioſus Chriſtia-
„ næ pietati, primum eruditorum diſputatione diligenter eſt excutiendus, mox indicandus Epiſcopo. Id
„ ubi factum eſt abs te, jam inquiſitoris officio functus es. Inveſtigaſti, prodidiſti quibus oportuit. Non
„ eſt tibi neceſſe cœlum miſcere terræ, & tantas excitare tragœdias. Utinam eam operam, eos ſumptus,
„ eos annos, prædicando Chriſti Evangelio impendiſſes, aut plane me fallit animi mei præſagium, aut
„ major eſſet Jacobus Hochſtratus, quam nunc eſt, & nomen eſſet apud optimos quosque gratioſius, aut
„ certe minus invidioſum. Jam vero bona pars odii redundat in ordinem, quem & antehac ſæpe multis
„ occaſionibus gravi invidia laborantem, non oportebat novis odiis degravare. Quin & illud erat tuæ
„ prudentiæ, perpendere, num libellus ille Capnionicus haberet aliquid, quod peſtem aliquam gravem
„ religioni Chriſtianæ poſſet inferre. Nihil autem illic agitur, niſi ne quid præter æquum patiantur Ju-
„ dæi. Quorſum autem attinebat tanto ſpiritu agere, ut Judæos in odium adduceres? An quisquam eſt
„ noſtrum, qui non ſatis execretur hoc hominum genus. Si Chriſtianum eſt odiſſe Judæos, hic abunde
„ Chriſtiani ſumus omnes. Sunt qui cum alia permulta, tam illud imprimis adducunt in ſuſpicionem,
„ quod cum tot ubique libri ſcribantur, in unum illum libellum inquiſieris tam odioſe. Nihil usquam
„ offendit animum tuum in libris Auguſtini Juſtiniani, in libris Sylveſtri Prieratis, in libris Thomæ à Vio;
„ Atque in his ſunt permulta, quæ non mediocriter offendunt theologos Pariſienſes, nam ipſe deguſtavi
„ duntaxat. Negant igitur, tibi ad Dominicanos errores oculos eſſe, ad unius Capnionis, aut eorum, qui
„ Capnioni bene volunt, oculatum eſſe te.

Fontium Hebraicorum luci!

MAgnis duobus *in Germaniæ ſinu Conciliis univerſalibus, Conſtantienſi & Baſileenſi*, debet Europa Chriſtiana cupiditatem & ſpem Eccleſiæ emendandæ. *In Cæſaris Sigismundi, Principum & Magnatum ore una publica vox: Reformatio Eccleſiæ in capite & in membris.* Sed voluiſſe tunc ſat erat, pro illa ætate. Inveteratis Eccleſiæ malis quæſita remedia, non inventa. Luſtrabant ſumma orbis capita, *Cæſar, Reges & Principes*, ægrum Eccleſiæ corpus, tabidum & vitiatum, haud aliter ac pro lege Moſis Aaron & filii inſpiciebant quondam Iſraëliticam gentem, lepra, aut ſera fœdaque, æruginoſa & maligna ſcabie infectam. Non diſſimilis profecto Eccleſiæ ſtatus corrupto illi ſanguini & lentis ac viſcidis humoribus ſcabioſi illius generis. Quod non noſtra ætas pronunciat, ſed Dei loco *auguſtum Sigismundi imperatoris os, in publicis Concilii conſeſſibus & congreſſibus nationum ferme quotidianis, Conſtantiæ & Baſileæ.* Idem commune oraculum, Regum & Principum, legatorum, antiſtitum, ſupremorum *in laudatis orbis Chriſtiani comitiis.* Quorum *ſolennes* in hanc Eccleſiæ luem & contagium fere immedicabile *ſermones* partim jam exhibuimus *in Conſtantienſis Concilii opere*, partim *in Baſileenſis Concilii Actis publicis* exhibebimus, partim *hujus operis Parte III.* abunde ſiſtemus. Quibus lectis in ſtuporem vertatur vir quisque bonus, qui videat audiatque, *Eccleſiam* à tantis viris, maximis profecto, *in orbis Chriſtiani conſpectu, Cæſare præſente*, effigiatam eſſe, *leproſi & exeſi corporis colore. Sigismundus*, memor, ex tot regum, Galliæ imprimis & Angliæ monitis, *Cæſarem* eſſe & dici *Eccleſiæ advocatum*, medicinam quæſivit, ut radicata mala tolleret, pulſis malignis morbis. A capite ad calcem, à vertice ad plantam pedum, exulceratam Eccleſiam impenſe doluit, quam ſanatam reformatamve enixe cuperet. Orſurus à vertice corrigendo, *tres Pontifices*, duos in Italia, tertium in Hiſpania, ſimul rubigine exeſam clavem gerentes, *Johannem, Gregorium & Benedictum*, ſede movit Conſtantiæ, *Eugenium* quoque Baſileæ. Conſultatum interea de toto Eccleſiaſtico ſtatu à contagione liberando, congreſſibus millenis. Sed non vita res humanæ opis. Infinita Eccleſiaſticorum capita eaque tam grandia, & autoritate ſi non morbo tumentia, ad communem incolumitatem & humanitatis ſenſum perducere, ſuperare viſum humanam vel prudentiam vel potentiam. *Impetrare non potuerant Sigismundus, Albertus, Fridericus, quod utraque manu in corporis medelam tentabant.* Tenacior ægritudo, quam ut medicinam ferret. Fata viſa unum remedium ſuggerere, pro univerſali contagio vitando, *excluſionem leproſi ex his caſtris*, qui foris degere lacero habitu, apertoque capite exclamare cogeretur, *immundus, immundus! Immunda Eccleſia*, quæ debuerat ex Chriſti inſtituto, ſanctiſſimoque verbi divini ſemine, eſſe puriſſima, mundiſſima, tam fœdarum macularum expers. Munditiei, ſanctimoniæ, unus in Eccleſia locus. Procul hinc ſcelerum ſordes, quibus inquinatum totum corpus, à ſupremo vertice, *ſqualida adminiſtratione, ſqualidiore doctrina*, per Scholas & Collegia, templa & monaſteria, leproſo Lombardi pectore.

Fridericus III. & Maximilianus Cæſares, cum perviderent, *ſqualorem non ferre medicam manum*, hoc conſilii ſubinde ceperunt, *caſtra illa contagioſa eſſe vitanda*, ut vel ſuas gentes, in imperio inſtaurarent, partem non parvam Chriſtiani populi. *Neutralitas*, quæ nec Concilio, nec Pontifici, jus dicendi concederet, & neutros audire ſuaderet, placuit aliquando *Friderico.* Cæſareæ Majeſtati jungi Pontificatum ſupremum, viſum conſultum *Maximiliano.* Saluberrimis *Eccleſiæ Advocatorum* conſiliis ſuccurrit divina providentia, quæ cœptis faveret auguſtis. Sed *ex fundo malum eſſe corrigendum*, ne palliata fieret medela, ſtatuit cœleſtis prudentia. Nec igitur à capite aut pedibus ordiendum, ſed à ſanguine, à venis & primis humoribus, quibus totum corpus vegetetur: Non ab Eccleſiaſticis viris, per tam longos circulos & vaſtos anfractus, in ordinem redigendis, initium faciendum: *Non à cranio*, non à ſuris & tibiis, non à ſpinis & coſtis dorſi & Scholæ, *ſed à lingua, à lingua*, à prima inſtitutione, à puerorum formatione, a pueris, à pueris. *Ut pueri diſcerent pure fari, juvenes pure loqui, viri pure docere, atque ita puritatem cum annis proferre ac propagare.* Chriſtiana res non vi ſed verbo, orta & nata: Nec violentis conſiliis vel poteſtate, conſervanda; multo minus coactione inſtauranda, corrigenda ac reformanda. Verbi & doctrinæ res eſt; dicere & docere oportebat, quid Chriſtiano nomine in omni Eccleſiæ adminiſtratione dignum. *Juventutis* igitur *ratio prima habenda erat, non ſenum & virorum.* His annis, viribus, conſuetudinibus

longis

longis, possessione & usu, jura credita nimis valida, nullo jure, vel machina consiliove tentanda aut quatienda. *Mollis puerorum in Ecclesia ætas, mansuetis literis ad humanitatem ducta, senes spondet bene formatos, mansuetos, rectos, bonos, justos & integros.* Placuit Deo hæc *integritatis parandæ ira, ordini naturæ congrua, in reipublicæ & Ecclesiæ incolumitatem.* Integri ordines, iique multi & amplissimi, tota Collegia, spectata & numerosa, corruptis moribus, pravis consuetudinibus, *jurium* fascino, non possunt uno motu in ordinem redigi. Moveantur loco aliqui in tam diffusis societatibus, viri abeunt non vitia, quæ in aliis personis mox succedunt turpiora & validiora. *Quæsti juris* prætextus altas egit radices. Serpunt hæc *malignarum consuetudinum fucata & infecta jura* per totam societatem instar gangrænæ. Ense rescidisse unum membrum, non nisi terret vicinum, & minatur sequentibus, non servat corpus incolume. Secentur manus pedesve, ferrum truncat corpus, non sanat, mutilat non restituit. Quamobrem *via recta ad reipublicæ vel Ecclesiæ emendationem parandam, institutio juventutis emendatior.* Ex his cives, antistites, præfecti, aliter formati, melius imbuti. Alia mens, alius affectus, alia cupiditas, non datur senio, quibuscunque minis aut mandatis, sed in pueris & juvenibus paratur sensim & ingeneratur genius aptior & publicæ rei utilior, *in sacris & civilibus, si discrimen patiantur.*

Quamobrem, quod non fuerant assecuti *augustissimi Cæsares, ad publicæ rei emendationem enixissime adspirantes*, tentamine Conciliorum infructuoso, ab illorum fine, medio seculo XV. *divina suggessit providentia, viâ minus salebrosâ.*

Constantinopolitani imperii rudera monstrarunt eminus instrumenta, pro apparanda meliore aut planiore semita, viris græcis doctis in Italiam propulsis. Hi Græcis literis incepêre imbuere Italiam. Atque ita ubi *in Conciliis illis magnis substiterant celsa consilia sine fructu*, ibi incipiebant tenues literæ & puerilis grammatica, in spem publicæ salutis longe uberrimam. Sic *Italiæ primum cœpit placere os græcum*, unde quondam erat nata. Exordia hæc, exilia profecto, ludicra ferme, & propemodum abjecta, peregrina certe & alienigena. Quomodo *elegantia antiqua*, Græcæ vetustæ gentis, oratorum, historicorum, geographorum, philosophorum, *Italiam primum salutavit*, significatura *elegantiam munditiemque publicæ rei ex elegantioribus literis iri paratum, institutione sereniore atque cultiore.* Græci apud Italos novi hospites, cum suis majoribus, autoribus græcis priscis, ad æmulationem mox excitarunt *Romanæ veteris eloquentiæ conditores resurgentes.* Quo fato *græci & latini oris dignitas* reversa, bene ominata publicæ saluti, quæ sensim sensimque illa *literarum mansuetudine* advehenda. *A linguis à literis, à studiis mansuetis, initium sic fieri voluit cœlestis providentia, ad Ecclesiæ sordes, quas contraxisset, sensim sensimque eluendas. Mansuefacienda Ecclesia mansuetissimarum literarum beneficio.* Sic linguæ prius perpurgatæ, quæ sorberent salubriora, toti corpori conducentia, bonis autoribus consultis, integriori doctrina accepta.

Inter hæc *initia fatorum sereniorum*, in communis rei, civilis & sacræ, salutem, *medio Seculo XV. nati apud Germanos*, superos ac inferos, duumviri, *Reuchlinus & Erasmus.* Hi in cunis vagientes, suæ ætatis balbutiem impatienter tulerunt, liberaturi aliquando Ecclesiam à balbutie, ore conciliato puro & mundo. His in juventute contigit à *Græcis viris græca* discere, Basileæ & Parisiis. Iidem Latinam integritatem sectati omnibus modis. *Reuchlinus* adjecit primus & *Hebraica*, fausto omine, remotissimæ antiquitatis Mosaicæ integrius cognoscendæ. *Erasmo* Cæsaris consiliario sors contigit Græcorum & Latinorum. Quæ qua felicitate, qua fide & sollicitudine, tractarit & expedierit, dictum nuper *Parte I.* Quantum promoverit, quantum publicæ rei redintegrandæ profuerit, vel *Novi Testamenti Græci per illum resuscitati ac restaurati admirandum & inæstimabile beneficium* luculentissime docet, *reformationis* certe *fundus solidus ac genuinus*, quo vel illa ætas usa, vel nostra utitur, secutura certe usura amplius & sollicitius, cum fructu, si attendant, immenso & infinito. *Nec* enim *communis rei emendatio unius est seculi*, uti *educatio, institutio, formatio, non est unius ævi, uti nec cura morbi maligni est unius diei.* Satis, jam esse in manibus doctrinæ sanioris & fructuosioris, *rei universæ salutaris, corpus genuinum*, quo nullum unquam integrius atque sincerius. Satis, in manibus jam esse omnium *fontes omnigenæ beatitudinis, quibus Ecclesia & publica res salva & fortunata.* Jus esse redditum, hoc medium, fortunæ publicæ apparandæ accommodatum, præsenti animo adhibendi: Novum hoc Testamentum universæ virtutis, in quocunque statu, ordine, genere, societate, civitate, fons inexhaustus. Satis hoc abundeque per Erasmum, pro re communi emendanda.

Reuchlino, JCto magno, in Cæsarum & Principum consiliis spectato viro, datum fuit divinitus, non modo *græca suscitare ac alere*, qui primus inter Christianos occidentales græcam grammaticam scripsit juvenis & docuit Parisiis, sed imprimis *hebraica inter Christianos condere.* Alterum hoc instrumentum, quo uti libuit Numini supremo ad studia severiora, ad publicam integritatem comparandam factura, rite instruenda. Concinnavit omnium inter Christianos, primus *grammaticam & Lexicon hebraicum, pro Fontibus Veteris Testamenti hebraicis legendis atque cognoscendis.* Difficilior hæc opera quam Erasmi in græcis. Quanquam paris esset virtutis & præstantiæ, de Novi & Veteris Testamenti, græcis & hebraicis fontibus, Ecclesiæ tradendis, mereri bene. *Ad ipsos omnis doctrinæ sacræ fontes eundum erat, ubi de Ecclesiæ lepra eluenda cura & consultatio.* Inprimis, quod *versiones, Veteris & Novi Testamenti græca & latina, quibus hactenus in Ecclesia aliquis fuerat usus, tantopere scaterent pustulis malignis, ut ad superstitionem pingendam magis adhiberentur, quam ad Ecclesiæ commodum & veritatis cognitionem.* Unde doctrina Ecclesiæ publica, in Scholis ventilata, non tam Scripturæ quam vagæ superstitioni attemperata.

Ex quo fonte salutare Ecclesiæ futurum erat, *Fontes ipsos, græcos & hebræos, imposterum consulere, & versiones apparare, Fontibus propiores, & veritati demonstrandæ aptiores.* Præstitum *illud* primò per *Erasmum*, tentatum *hoc* primò per *Reuchlinum*, illum in Novo, hunc in Veteri fœdere. *Ille* versionem

Novi fœderis dedit, loco vulgatæ, corruptæ, viamque paravit poſteris, meliores ſubinde verſiones concinnandi. *Hic* Lexico hebraico viam ſtruere contendit ad verſionem veteris fœderis integriorem, quam dein inſtruxerunt certatim multi. Quorum veſtigia, jam poſita, leget poſteritas attentior & longo uſu exercitatior, in lucem quotidie ſereniorem, & commoda communis rei abundantiora.

Edidit autem Reuchlinus *prima* illa *Linguæ hebraicæ rudimenta* Anno 1506. hoc finali charactere, vero & digno: *Exegi monumentum ære perennius Nonis Martiis Anno MDVI.*

Nullus libro, forma majori, titulus, nulla inſcriptio frontis, præter merum indicem ordinis, quomodo liber evolvendus, contra latinorum conſuetudinem. Pro latino more, in fine codicis, qui, hebræorum ritu, frons libri, nil niſi hæc: PRINCIPIUM LIBRI. Et ubi latinis frons libri, hebræis terminus, hæc: FINIS LIBRI.

CANON.

Non eſt liber legendus hic ceu ceteri.
Faciem ſiniſtra dextera dorſum tene,
Et de ſiniſtra paginas ad dexteram.
Quascunque verte; quæ latina videris
Legito latine; hebræa ſi ſint inſita
A dextera legenda ſunt ſiniſtrorſum.

Tanta illius ætatis imperitia in his literis, ut oculi primum eſſent trahendi in literarum ſitum.

Quando præfando *librum hunc novi generis* inſcripſit fratri ſuo *Dionyſio*, teſtatus eſt ante omnia dolorem ſuum, *Hebræos Veteris Teſtamenti codices, adeo Chriſtianis eſſe ignotos, ut videantur non ſolum negligi, ſed & temni ac eliminari, in grande dammum Eccleſiæ.* Græcos & Latinos veteres autores, ab Italis etiam ad voluptatem jam legi, hebræos fontes pœne deſpui. Miſertum adeo ſe ſalutis publicæ, conatumque huic neglectui, contemtui, vel & interitui conſulere, auſumque adeo, inſolito ſtudio, Lexici primi opere, operam præſtare ſalutarem. Nefas, ipſa *Reuchlini, primi conditoris, prima* præterire *verba*, quæ *hiſtoriæ literariæ reformationis momentum* ſunt *inſigne.*

„Perſæpe mihi cogitanti de communi ſacrarum literarum jactura, Dionyſi frater, quæ cum mul-
„titudine ſophismatum, annis ſuperioribus, tum maxime nunc, propter eloquentiæ ſtudium & poëtarum
„autoritatem, non modo negliguntur, verum etiam â quam plurimis contemtui habentur; in mentem
„venit tandem oportuni cujusdam remedii, ne ſancta Bibliæ ſcriptura vel aliquando tota pereat, & ſimul
„animarum noſtrarum progreſſus, cum ſuavi cantu Sirenum, quas ne Ulyſſes quidem audiret, ad inferos
„abeat. Ad iſtum autem modum ei periculo ſuccurrendum putavi. Primum omnium, cum ſit in animis
„noſtris (neſcio unde) inſitum multæ varietatis deſiderium, quo fit, ut verſetur in ore illud adagium, *vileſcit*
„*quotidianum;* Erit neceſſe, veterem ſanctarum literarum dignitatem in novam faciem, latinis homini-
„bus hactenus incognitam, reverti, ut nimia familiaritate quotidianæ lectionis exploſa, novum & nati-
„vum in divina ſcriptura dicendi genus, quale os Dei locutum eſt, nosmet ipſi, non ſine quadam inauditi
„ac recentis nuper ſtudii admiratione, apprehendamus. Tunc enim tollitur omnium interpretationum
„commune faſtidium, cum illa ipſa Veteris Teſtamenti Biblia in ſua primordiali hoc eſt hebraica lingua
„& legi à noſtris & intelligi poſſit, haud ſecus neque alio more, atque primaria ejus inſtitutio, â ſummo
„rerum conditore inchoata, deſiderat. Quod plane fieri nequit, ſi non prius hebraicorum vocabulorum
„proprietatem, & veram conditionem ſermonis, à quo fonte omnis theologia ſcaturivit, avido conatu
„libenter aſſequamur. Cujus doctrina quamvis ſit puerilis, tamen quia ſubtilior quædam cognitio,
„quam ea literarum ratio alit, conſuetudo hebraicæ loquelæ ac vetuſtiſſimorum librorum lectio cre-
„bra confirmat, ex ea præceptione oritur, non tantum non venit contemnenda, verum etiam tan-
„quam omnium præſtantiſſima, non aliter quam liberi noſtri infantes exoſculanda, & totis bra-
„chiis amplexanda. Cum igitur hebraicæ bibliæ paſſim in Italia imprimantur, quas ſibi quisque
„pauco ære mercari facile queat, neque tamen ex omni literatiſſimorum hominum numero in
„hunc usque diem inventus ſit unus vel item alter, qui pro ſanctiſſima theologia linguam hebraicam
„grammaticorum more demonſtraret. Fortaſſe, quod vel tantum laborem majores noſtri fugerunt,
„qui prope mea ſententia eſt infinitus vel ſuæ dignitati putavere impar; quod ſummis divinarum huma-
„narumque rerum diſciplinis relictis, quaſi ludimagiſtri ad puerilia elementa ſe converterent. Ego
„miſeratus tam ſanctas literas, indolui, mea ætate ſtudioſos diutius hebraicæ linguæ ſcientiæ carere.
„Quapropter illorum ingenio favens, auſus ſum, licet ſupra modum forſan temere, primus omnium &
„tam grave pondus meis humeris imponere, & ſimul offerre me latratibus mordacium, utinam Judaicis
„ſolum. Neque a dignitate viri docti reputavi alienum, ad elementaria conſortia declinare, Aurelii
„Opitii exemplo, qui non eſt dedignatus poſt philoſophiam primo, deinde artem rhetoricam, noviſſi-
„me grammaticam ſectari. Nihil aliter de Ateio Prætextato philologo Suetonius Tranquillus teſtatur.
„Simile quoque de Valerio Catone, qui dictus eſt Latina Syren. Fateor itaque circa literarum ratio-
„nem puerorum eſſe ſtudia, & eſſe me etiam eo nunc provectum, ut partim me philoſophum partim ju-
„risconſultum arbitrentur: His de cauſis maxime, tum quod ex Capnione noſtro, quem edidimus de
„verbo mirifico, nonnihil quod veræ philoſophiæ accedat, ſibi perſuadeant poſſe exantlari: Tum, quod
„annos complures ſuper fortiſſimis Suevis confœderatos Principes dignitatem triumviratus, non ambi-
„tione ſed elatione mera ſim conſecutus, eumque honorem usque in hunc diem ſervare me ſentiant in-
„concuſſum atque ſanctum. Attamen nihil me hujus elementariæ artis diſpudet: Quoniam ab ineun-
„te protinus adoleſcentia illud ipſum ex uſu mihi fuit eſtque in more ſemper, contemplationibus magnis
„ludicras diſciplinas adjungere, ſemper diſcendo docere, ſi non ſummos viros, at infimates. Poſtea enim
„quam anno ætatis meæ duodevigeſimo Priſciani Cæſarienſis literaria ſtudia in ſchola Pariſiorum ag-

greſſus

„greſſus ſum, biennio poſt apud Rauracos dictionarium collegi, quem appellavi Brevilóquium. Eo „tempore atque eodem Baſileæ cis Rhenum in loco, ſub Andronico Contoblaca natione græco linguam „græcam didici. Quam elapſis inde quatuor annis inter Gallos primo apud Genabum, quas nunc Aure„lianas vocant, ſeminavi. Ubi tempore protracto & juri Civili dedi operam, & fui à doctoribus hono„re Papinianiſtarum decoratus, Anno Domini M CCCCLXXIX. Vide mi frater, quanta circum„ſpectione vitam duxi. Nam univerſam ſtipem, quam diſcendo impendi, docendo acquiſivi. Simul „enim & didici latinorum jura, & docui græcorum præcepta. De quibus tunc artem grammaticam „græce conſcripſi, cui titulus extabat *Μικροπαιδεία*, id eſt Micropædia. Eam anno poſt Pictonibus „Galliæ Aquitanis publice legi, atque illic in jure civili cathedram merui. Regreſſus inde in Sueviam „uxore mihi ducta ſumſi Doctoris inſignia, populares cauſas apud tribunalia & judices exercens. Cum„que me ad Sereniſſimum imperatorem, Fridericum tertium, inclytus Princeps Eberhardus Probus, is „qui poſtea in ſplendidiſſimis Vangionum Comitiis à Max. Æmiliano Romanorum rege uno imperii con„ſenſu Dux primus Wurtenbergenſium auctoratus eſt, de cujus patritiis ego quoque Conſul eram: Tum „reperi ea in legatione Judæum, doctum ſimul atque literatum, nomine Jacobum Jehiel Loans, impe„riali munificentia & doctorem medicinæ & equitem auratum. Is me ſupra quam dici queat. fideliter „literas hebraicas primus edocuit. Poſt vero legatus Romam ad Alexandrum ſextum, qui reliqui fue„rant ea in lingua canones, eos à Ceſinatenſi Judæo, ſcilicet Abdia, filio Jacobi Sphurno, petivi, qui me „quotidie toto legationis tempore perquam humaniter in hebraicis erudivit, non ſine inſignis mercedis „impendio. Quod idcirco, Germane frater, ad te ſcribo, ut animadvertas, & ſæpius cum tua mente re„volvas, quantis laboribus, temporibus & impenſis, hebraicæ linguæ ſola initia ſortitus ſim, quæ tibi nunc „longe uberiora trado quam acceperim. Dictionarium enim hebraicum multo & acri ſtudio ſolus „confeci, & exercitamenta cetera, quæ tibi & oculis & animo videre licebit. Sane recordatus miſeros „noſtra ætate Judæorum caſus, qui non tam ex Hiſpaniæ quam etiam Germaniæ noſtræ finibus pulſi, co„guntur alias ſibi ſedes quærere, atque ad Agarenos divertere: Quo futurum eſt, ut tandem hebraica „lingua cum ſacrarum literarum magna pernicie penes nos poſſet deſinere atque evaneſcere: Mecum „ipſe conſtitui ad tradendam Chriſtianis hebraici ſermonis peritiam, hoc libro prima fundamenta jacere, „pro Clementis Papæ quinti ſacra conſtitutione de Magiſtris lata. Quod cum ante me inter latinos „nemo feciſſe appareat, ſpero inde gratiam haud mediocrem, & apud poſteros laudem, absque invidia, „non intermorituram conſequi.

Ceterum in Lexici textura *vel centies refellit vulgatam verſionem*, dicens: *Translatio* vel *interpres, habet ita, ſed hebraica veritas:* Aut: *Nos ita legimus, ſed hebraica veritas.* Qua eſt libertate in examinandis ſignificationibus, eadem in conferendis, allegandis, vel & præferendis ſententiis R. Salomonis, R. Aben Eſræ, R. Davidis Kimchi, R. Saadiæ, R. Maimonidis, R. Moſis Gerundenſis, R. Levi ben Gerſon, interpretum Chaldaicorum, Onkeloſi & Jonathanis. Suum quoque nonnunquam advocat præceptorem, Jacobum Jehiel Loans.

Nec immemor, hanc judicandi & *Vulgatam refutandi libertatem fore invidioſam, calumniis expoſitam*, quæ crabrones videantur irritatura, & clamores expertura. Quare *ſub initium libri tertii. fol. 546. ſeqq.* apologiam texuit, contra omnis generis ſuſurros. In quibus; Illum in explicandis vocibus interdum barbaro uſum ſtylo. Quod largitur, ſe tuitus effato Ariſtotelis, in diſciplinis doctorem oportere per uſitatiſſimam ſermonis conſuetudinem & nobis notiora procedere: Dein ſuum forenſe munus alienum pronunciat ab elegantiæ ſtudio, quod poſitum in rancidis litibus tractandis inter jurgia popularia. „*Solus*, inquit, cum in hoc Diogenis dolio totos dies delitescam, nec mecum vivat ullus hominum, cui „verborum elegantia & eloquentiæ ſtudium ſit in pretio, ſed agricolæ tantum & ſacrificuli, aut. ſi qui ac„cedant, ut ſit quotidie, qui me non de muri legatis, nec auro coronario, ſed de cloacis, paludibus, tigno, „itinere, aliisque popularibus jurgiis, tam prætoriis quam civilibus conſulant, quibus de jure pro mea „profeſſione reſpondere debeam, non latinorum ſed Suevorum obſervato dicendi uſu, nihil ultra mireris, „me poſt virentia prata jam ſcabros calles ambulare.

Alterum periculum prævisum, *offenſum iri quosdam libertate vulgatam cenſendi*, & ab ea in Lexico diſcedendi. Reſpondet ſibi jus eſſe idem quod Hieronymo. Hanc apologiæ partem præterire nefas „eſto. Futurum arbitror ait, ne deſit Agamemnoni ſuus Terſites, Homero Zoilus, Nephelæ Socrati: „Quod etiam contra me prodeant aliquando fanatici quidam ſuſurrones, cum jam apprehenderit ſtuden„di vetus ac longa ſegnities, glorioſius ſibi ducant multa reprehendere quam pauca diſcere, ſperantes, „hominum ſtudioſorum contemptu atque contumeliis fore illuſtres.

Dubium, *Reuchlinum in ſenio didiciſſe hebraica*, nec adeo potuiſſe proficere multum, ſolvit exemplis aliorum virorum doctorum, qui in ſenio linguas & ſcientias aggreſſi; Origenis etiam & Hieronymi. „Addit: Nemo ferme omnium poſt Apoſtolos, orthodoxam Eccleſiam hebraicis literis illuſtravit, qui „non eas in ætate provecta diſcere cœperit, præter inſignem magiſtrum illum Paulum, Epiſcopum Bur„genſem, Judæorum olim doctiſſimum, cujus ad nos ſera converſio plurimis fuit hominibus ſaluti, & „cui me poſt habitis reliquis herbam dare nihil pudet.

Sine præceptoribus Reuchlinum didiciſſe linguas, ne cavillarentur alii, illos commemorat, qui & hic non ſine voluptate pro illius ævi literaria hiſtoria conſpiciendi. *De præceptoribus meis, ne mihi oblatrantes inſultent, hanc rationem affero:* „Non me piguiſſe ullo tempore abs quolibet Judæo ſemper „aliquantula corradere, quæ ad doctrinam aliquam librorum hebraicorum conducerent. Sicut enim „non apud Jonas, neque ulla in Græcia, ſed Baſileæ, primum ab Andronico Contoblaca, dein Pariſius à „Georgio Hermonymo Spartiate, poſt Romæ ab Argyropylo Byzantio, publice in Vaticano Thucidi„dem legente, Xyſto III. Pontifice, ad extremum Florentiæ Mediolanique à Demetrio Chalcondyle,

in Lutherum ſtringam calamum & ſtringam acriter. Quod quum jam pridem eſſe factum non poſſis ignorare, non ſatis perſpicio, quo conſilio diſſimulandum putaris. Hæc *ſi ſcripſeras, nondum conſpectis voluminibus*, quanto *ſatius erat hanc coronidem mutari*, quod magis in rem erat exiſtimationis utriusque, meæ, quod ſine cauſa tractor odioſe, tuæ, quod vel tam piger videberis, ut tantum operæ nolueris ſumere, vel tam non ingenuus, ut quod eſt omnibus notiſſimum, diſſimularis. Et interim, ſi Deo placet, *minitaris*, ni id faciam, fore, *ut hæreat in me Lutheraniſmi ſuſpicio, ut mihi plurima videantur convenire cum Luthero, ut probati viri, me primum autorem tantorum malorum fuiſſe prædicent*, atque vita defunctus hanc opinionem mecum efferam. Quod ſi fecero, nihil horum erit. *Nihil*, inquis. At jam pridem factum eſt, quod hortaris, jam ſi verum eſt, quod tu tanto ſtudio probare conatus es, *Lutherum ex meis hortis letalia legiſſe ſemina*, quomodo medebuntur huic malo mea quamlibet vehementia ſcripta? An quod factum eſt, fieri infectum poteſt? Imo ſuſpicionem iſtam potius confirmavero, *ſi deſtomacher in Lutherum. Dicar* enim *hoc officio priorem culpam penſaſſe. At iſto nomine ſyllabam in Lutherum nec ſcripſi, nec ſcripſero.* Mentiantur, fingant, comminiſcantur iſti quæcunque volent. Præterea vereor, ne quis conſtantiam in te deſideret, qui cum initio faſſus ſis, te de me ſemper honorifice & ſenſiſſe, & prædicaſſe, tamen ingreſſurus diſputationem hæc in me congeris, quod detraham dignitati ſacerdotum & pontificis, irrideam profeſſionem monachorum aliaque per multa ante commemorata. Quæ ſi non credis de me; quorſum attinebat in alienis calumniis confirmandis, tantum operæ ſumere? Si credis, qui convenit, ut de eo ſemper honorifice & ſenſeris & prædicaris, de quo tam multa mala ſentis? Jam in illo complures candorem deſiderabunt, quod iſtam invidioſam cantilenam alieno tempore canis orbi. *Ante annos octo quidam improba lingua conabantur eam ſuſpicionem impingere mihi, quod non eſſem omnino à Lutheri negotio alienus.* Id quum eſſet falſiſſimum, tamen *calumnia poterat utcunque probabilis videri.* Tum poterat videri pietas, ſi me ad profitendum, quid ſentirem, provocaſſes. Nunc poſteaquam notius eſt, quam expedit mihi, nihil inter eos convenire, poſteaquam tot libellis lapidatus ſum, poſteaquam tam late patentis factionis odium in me concitavi, *poſteaquam cum ipſo Luthero gladiatorio more conflictatus ſum*; quam non tempeſtiva eſt iſta tua vel expoſtulatio, vel adhortatio? *Expoſtulas de his, quæ mutari non poſſunt. Adhortaris ad ea, quæ jam peracta ſunt.* Quorum alterum eſt ſupervacaneum, alterum etiam abſurdum, utrumque alieni temporis. Proinde quemadmodum *hic libellus editus* nonnihil invidiæ mihi conflabit, præſertim apud eos, qui nihil non probant, quod impetat Eraſmum quibus & *Hutteni expoſtulatio* mire arriſit, quum Luthero videri vellent infenſiſſimi: ita vereor, ne apud eos, qui ſunt integro ſanoque judicio, non nihil detrahat tuæ exiſtimationi, quæ multorum animos occuparat: Albertum eſſe virum, æquitate candoreque ſingulari præditum. Videberis enim *arte parum liberali cauſam meam cum cauſa Lutheri commiſcuiſſe, ac veluti linum lino contexuiſſe*, ad quod ut videare meis literis provocatus, multa congeris, quum ipſa res aliud loquatur. Notabunt & illud, quod *propoſitio tua multo ſit atrocior quam argumentatio, ut hæc æquis judicibus non videare ſcripſiſſe, ſed hoſtibus tantum.* Illud certe nullus excuſabit, quod *alieno tempore* edideris, *quod ea non mutaris, quæ res ipſa monebat immutanda*, quod diſſimularis poſt Diatribam editos duos Hyperaſpiſtas. Fortaſſe dices, me nunc idem committere, quod in te reprehendo, qui moneam, *non fuiſſe vulgandum librum, qui jam excuſſus proſtat*: Monuiſſem in tempore, ſi reſciſſem ubi locorum ageres, & mox *ubi audivi te in Galliis agere, ſcripſi ſuper hac re literas, quas demiror, tibi non eſſe redditas.* Non minus enim conſulebant tui nominis honori, quam meo. Verum hæc quoniam revocari non poſſunt, boni conſulamus oportet.

Illud non ſatis intelligo, quod petis a me, *tibi dari veniam, ſi quid intemperantius, concitatius, aſperiusve videaris in me dixiſſe, monesque ne quid tale ſuſpicer in me dictum, ſed omnia referam in Martinum, in cujus mentionem nemo poteſt incidere, qui modo ſit chriſtianæ religionis ſtudioſus, quin excandeſcat, & frena modeſtiæ relaxet, quod adverſus tam impium*, ut ais, *& tam mordacem hæreticum verba temperare, contra omnem modeſtiam, non ſolum contra pietatem eſſe videatur.* Ignoſce, Alberte clariſſime, ſtupori meo, quod genus zeli hoc eſt, ſic iraſci hæretico, ut in hominem orthodoxum deſtomacheris? Iſtud *phreneticorum eſt, dum iraſcuntur inimico, ferire amicum.* Quamquam ſolent *ægroti* quoque in ſummo cruciatu, chariſſimos etiam maledictis aut pugnis impetere. Si quid tale eſt, *doleo me tibi tam fuiſſe propinquum.* Sed ego fortaſſe non aſſequor ſenſum tuum, & *aliud quiddam iſtis verbis exprimere voluiſti.* Non enim illud opinor, metuis, ne quicquid in Lutherum dicitur, exiſtimem ad me pertinere. Si tam bene volebas mihi quam prædicas, humanius erat mea in commodum interpretari ſenſum, potius quam *benedicta huc detorquere, ut viderentur Lutheranis congruere.* Ut ſileam, quod multa odioſa commemoras, quæ in ſcriptis meis nusquam reperias.

Et *ſi tam male volebas Luthero*, quam videri vis, *utinam iſtam acrimoniam in argumentando potius, quam in proœmiis declaraſſes. Ibi cominus res agitur, ibi ſpectator expectat, uter ſtet aut cadat. At hic frequenter tam diluta eſt tua oratio, ut non tam evincere, quod propoſueras, quam precario impetrare velle videaris.* Perlege diſputationem tuam, ſed ut alienam & comperies ſic habere.

Expedit, aut non laceſſere Lutherum, aut validiſſimis argumentis rem agere. Verum, hoc nunc ſero moneo.

In ſumma, utinam aut *in alio quopiam argumento* declaraſſes nobis, quantum ingenio valeres, aut certe, *quod tractare viſum eſt, aliter tractaſſes.*

Poſtremo, quod me invitas ad amicitiæ fœdus, lubens amplector, polliceorque me licet cæteris omnibus inferiorem, benevolentia ſtudioque propenſæ voluntatis nusquam tibi ceſſurum. Sed mihi quædam fortaſſis liberius dixiſſe videbor, quam puo tua dignitate. Utinam fuiſſet hoc concertationis genus, in quo licuiſſet ſimul & tuæ dignitatis & meæ ſalutis rationem habere. Quin & illud boni conſulas, oro, quod ex politiſſimo libro rudi planeque Batava epiſtola reſpondeo. Si obticuiſſem, verebar, ne quis interpretaretur id tui contemtu factum. Et *ad hunc operam vix dati ſunt ſex dies*, quorum tamen magna pars in alias occupationes erat diſtrahenda. Extemporarium eſt quicquid vides. Et ſi maxime ſuppetiiſſet otium, non ſum adeo meæ mediocritatis ignarus, ut vel eruditione vel eloquentia velim cum tali viro certare, quales ego ſemper venerari ſoleo potius quam æmulari. Bene vale. Dabam Baſileæ idibus Februarii Anno MDXXIX.

(✻)

PARS SECVNDA
HISTORIÆ LITERARIÆ REFORMATIONIS

CONTINENS:

I. HERMANNI van der HARDT DISQVISITIONEM, NVM REVCHLINVS, ICTVS, CONSILIARIVS CÆSAREVS FVERIT ANSA REFORMATIONIS?

II. REVCHLINI CONSILIVM CÆSARI MAXIMILIANO DATVM, PRO LIBRIS IVDÆORVM NON ABOLENDIS. A. 1510.

III. REVCHLINI DEFENSIONEM CONSILII MAXIMILIANO DATI MOGVNTIÆ, SPIRÆ ET ROMÆ A. 1513.

IV. ACTA JVDICIORVM INTER JACOBVM HOCHSTRAT ET REVCHLINVM. A. 1518.

V. BILIBALDI PIRCKHEIMERI, CONSILIARII CÆSAREI ET PATRICII NVRENBERGENSIS, APOLOGIAM PRO REVCHLINO. A. 1517.

VI. HERMANNI COMITIS NVENARII, CANONICI COLONIENSIS, HERMANNI BVSCHII, VLRICI DE HVTTEN, EQVITIS FRANCI, EPISTOLÆ PRO REVCHLINO. A. 1518.

VII. VLRICI AB HVTTEN ENCOMIVM REVCHLINI. A. 1519.

„ græcorum linguam fruſtillatim & quaſi micas de menſa Domini cadentes accepi. Connumerarem „ illis Hermolaum Barbarum, Innocentio VIII. inſignem & mei amantiſſimum, niſi plus ex eo Romæ la- „ tinitatis quam græcitatis hauſiſſem. Ita hebraicam ego quoque ac ſanctam linguam, non Hieroſoly- „ mis, neque in publicis Judæorum ſynagogis, ſed à literatiſſimis hebræis, penes Cecios quidem „ Jacobo Jehiel Loans, in Latio autem Abdia Ceſinate, atque alias à ſingulis ſingula expiſcatus ſum.

Scrupulum maximum, *Vulgatam, in Eccleſia receptam verſionem, convelli & corrigi, indigno faci-* „ *nore*, eximit tandem Reuchlinus diſtincte & ſufficienter: Gravius inſurgent credo invidi contra dictio- „ narium noſtrum, in quo multorum frequenter interpretationes taxantur. Proh ſcelus exclamabunt „ nihil indignius patrum memoria, nihil admiſſum crudelius, cum ille homo audaciſſimus tot etiam ſan- „ ctos viros, divino ſpiritu afflatos, labefactare contendat. Hieronymi beatiſſimi ſcriptura Gelaſio Papa „ teſte, recepta eſt in Eccleſia. Venerabilis Pater Nicalaus de Lyra, ordinarius expoſitor bibliæ, omnibus „ Chriſti fidelibus vir integerrimus probatur. Jamjam exortus eſt aliquis famulus, qui pluribus in locis „ illos imperite tranſtuliſſe notet. Quorum imminentibus clamoribus hæc pauca reſpondeo: Mihi li- „ cere, quod eisdem illuſtriſſimis luminibus licuit. Hieronymus vir ſanctus, LXX. carpit interpretes, „ non ſemel, bis terve, ſed ſæpiſſime numero. Nunc illos erraſſe dicit errore perſpicuo, nunc deceptos „ ignorantia, tum diſcordare à veritate hebraica, tum falſatos ſimilitudine literarum, tum conſulto aliqua „ celaſſe aut omiſiſſe, ne ſacra ponderent myſteria: Quos tamen Ptolemæus Alexandriæ rex divina cre- „ didit virtute tranſtuliſſe, & ut Juſtinus Philoſophus atque martyr in ſuo de illis parenætico ſcribit, ὡς „ θεοφιλεῖς ἄνθρας διέγνω. Nicolaus item de Lyra Divum Hieronymum in translatione ſua oſtendit „ reprehenſibilem, cum alias multis in locis, tum in pſalmo ſecundum Eccleſiæ noſtræ ſupputationem, „ XLVII. qui incipit magnus dominus, ubi ejus in fine ſic ait: Hieronymus tamen minus bene videtur „ dicere, quia in omnibus bibliis hebraicis, quas vidi, almuth hic eſt una dictio & non duæ. Vide quomo- „ do accuſat beatiſſimum virum erroris atque negligentiæ. Ipſemet verò Nicolaus, ut æqualem menſu- „ ram pateretur, ſimile à reverendo Burgenſi Epiſcopo, frequentibus cum notis, invito etiam neſcio quo „ fratre Doringo, ferre coactus eſt. Sed quid pluribus erit opus? ille idem divus Hieronymus in trans- „ latione ſe ipſum erraſſe fatetur, in Comm. ſuper Eſaiam capite undevigeſimo, ubi ſic ait: Melius reor „ proprium errorem reprehendere, quam dum erubeſco imperitiam confiteri, in errore perſiſtere, in eo „ quod tranſtuli, Et erit terra Juda ægypto in feſtivitatem. Poſſem alioquin plures proferre verſicu- „ los, & quod cujusdam vocabuli ſignificatum usque hodie ſe ignorare, non verecundiæ duxerit in Jer. c. 6. „ Et quod apoſtolum notaverit imperitum artis grammaticæ in epiſt. ad Hedibiam, quæſt. antepen. Et „ quod ſcripſerit, eundem apoſtolum pſalmorum verſibus aliter eſſe uſum quam in hebræo habeantur, „ ut in Commentariis ſuis ſuper Pſ. 13. Cur igitur in iis, quæ ad interpretandi modum artemque gram- „ maticam & ad veritatem idiomatis ſpectant, me quoque non deceret in lucem producere, quid cum do- „ ctiſſimis hebræorum ſentirem: Quippe ad quos etiam, eodem Hieronymo teſte, confugiendum eſt, „ quoties in vetere teſtamento controverſia movetur. Quanquam enim Hieronymum ſanctum veneror „ ut angelum, & Lyram colo ut magiſtrum, tamen veritatem adoro ut Deum.

Novum hoc Reuchlini opus à prudentibus cum gaudio exceptum, quo ad Fontium hebraicorum ſtudia accenſi mox permulti. A quo tempore latinæ verſionis pretium decrevit indies. Turba vero ſemidoctorum in monaſteriis, Theologorum in Academiis Reuchlino ſuccenſere, indignari, clamare, frendere, furere: *Nova, nova ſtudia, Judæorum res, ſuſpectæ, periculoſæ:* injuriam jactare vulgatæ latinæ illatam. Præviderunt abunde, viam parari aut patere ad vulgatæ examina, & doctrinarum, quæ ex vulgata petitæ, liberam diſcuſſionem. Non tutos fore impoſterum vel monachos vel Academicos, ſi quid ex vulgata Veteris Teſtamenti allegent, quin arguantur inſcitiæ vel & falſitatis. *Jus hoc examinandi verſionem receptam, corrigendi, rejiciendi, aliam meliorem apparandi, proximam eſſe viam ad detegendam communem in ſacris imperitiam, fucatam perſuaſionem, credulitatem vel & ſuperſtitionem ſubruendam.* Peregrina hæc Reuchliniana omnia, qui Rabbinorum doctores adſciſceret, quos iſti ne fando accepiſſent.

Hinc *molitiones & diræ in Reuchlinum inſidiæ*, ſi qua inſtitutum Reuchlini peſſundare, radicatam barbariem & cœcam ignorantiam tueri poſſent. *Machinationes truces in nova illa ſtudia, quæ novam rem viderentur portendere.* Sed inepti plerique & inermes ad rem hanc novam pertentandam. Quare quæſitus & repertus tandem Coloniæ *Joannes Pepericornus Judæus, Chriſtiano nomine tinctus*, vir rudis, latinæ linguæ expers, audax de cetero. Hic à Colonienſibus theologis adhibitus *pro inſtrumento adverſus ſtudia hebraica a Reuchlino ſuscitata.* Per hunc parandus rogus, quo Reuchlinus cum hebraicis ſtudiis redigendus in fumum. Technæ tam tectæ in principio, ut in ſui perniciem parandam ipſe videretur invitandus Reuchlinus. *Ab Hochſtrato, Tangaro*, ceterisque *Colonienſibus theologis, monachis præſertim dominicanis*, illo artificio parati laquei, ut Reuchlinus non crederetur cum ſtudiis ſuis hebraicis evaſurus. *Inſtructus Pepericornus, qui apud Cæſarem Maximilianum quæreret facultatem & autoritatem, ſcriptæ Judæorum per totum imperium per omnes Judæorum ſynagogas, perveſtigandi, & ſi quid deprehendiſſet nota dignum abolendi.* Qua arte omnia Judæorum ſcripta, non ſolum quibus uſus Reuchlinus, ſed & cetera, è medio tollenda, manibus Chriſtianorum non magis ac Judæorum eripienda, quibus extinctis ſtudia hebraica forent deleta. Quibus conſiliis aures præbuit Pepericornus tanto magis patulas quanto certius confideret, Synagogas Judæorum locupletiores muneribus ampliſſimis Pepericorni gratiam ac indulgentiam redemturas. *Impetravit à Cæſare Anno 1509. diploma pro hac in Judæorum ſcripta inquiſitione.* Quæſivit callidus Reuchlinum in ſocietatem inquiſitionis & abolitionis rerum ſcriptorumve Judaicorum pertrahere. Verum hic dolo animadverſo, *diploma Pepericornianum autoritate carere* prouunciavit, quo erat Juriſconſultus judicio, Cæſari clam extortum. Indignatus *Pepericornus*, cum

Franco-

Francofurti & alibi ipso facto deprehenderet, non succedere artem ex voto, ipsis magistratibus difficilioribus: Instinctu Colonienſium *librum scribere non est veritus germanice*, qui latine verteretur, quem inscripsit Maximiliano Cæsari, *quo ursit apud Cæsarem publicam omnium scriptorum Judaicorum abolitionem* exceptis solis hebraicis libris sacris. Quod cum Anno 1510. emerſillet *immane terriculamentum*, quo Cæsar facile in consensum perduci potuſſet & ad ſeralem adversus hebraica studia sententiam seduci: *Cavit* tamen *Cæsaris prudentia, ne quid temere definiretur in negotio tam arduo, & sine Reuchlini consilio nihil decerneretur.* Quamobrem, librum Pepericorni, Cæsari inscriptum & oblatum, misit Cæsar sua manu per Electorem Moguntinum, Reuchlino Stutgardiam, qui candide & distincte aperiret suam de libro & re tam momentosa sententiam. *Scripsit ex Cæsaris mandato Reuchlinus Consilium germanico idiomate*, distincte de variis Judæorum scriptis judicando, pronuncians, esse in Judæorum libris non paucos bonos, utiles, & sere necessarios, qui sine summa injuria perdi non possent, esse in quibus bona malis mixta, à quibus bona secerni commode nequirent, esse & malos, qui aboleri possent. Misit sub sigillo Cæsari Reuchlinus hoc expectatum Consilium. Quod cum per Electorem iterum Moguntinum ad Cæsarem esset ablegandum, *per insidias proditionemve est detectum & surreptum, & Colonienſibus traditum*, ut ad Cæsarem non perveniret, Reuchlino omnium harum artium inscio. Colonienses per *Pepericornum* jam in Reuchlinum moliti diriora ac truciora, qui jam aperte in Reuchlinum ejusque sententiam, Consilio, Cæsari, ut jussus erat, dato comprehensam, qui Judaica scripta omnia citra discrimen tolli & aboleri non posse apud Cæsarem pronunciaverat, librum ederet nomine Haud-Spiegel. Quas Colonierdium machinas, ex prodito suo consilio, Cæsari destinato, cum suis jam videret oculis Reuchlinus, consultum imo necesse esse vidit, orbi literato & inprimis Christiano, *publico scripto exponere magnæ causæ quæstionis ve connexionem & historiam.* Quam ob rem Consilium illud suum, à Cæsare quæsitum, ad Cæsarem ablegatum, sed Cæsari non traditum, sed nequiter surreptum, sed a Colonienſibus jam per Pepericornum lacessitum, *publice edidit* An. 1511. nomine Augen-Spiegel. Insimul respondit ad Pepericorni contumelias, Consilium suum vindicando. *Momentosum hoc Reuchlini opusculum, Oculare Speculum* vulgo appellatum, hos à Colonienſibus theologis motus sensit, qui cœlum terramque miscerent, gigantum instar, modo Reuchlinum cum susceitatis studiis hebraicis extinguerent. Sed frustra nisi cœlum scandere, aut nubes perrumpere Deive manum lacessere, quæ jamjam hebraica studia per Reuchlinum orbi monstraverat. Supererant Numini fulmina, quibus terebraret tandem gigantes, qui montes imponerent montibus, divinam providentiam cœlo præcipitaturi. *Primum aggressi Colonienses An. 1512. Reuchlinum per literas*, persuasuri recantationem, qui suum librum Consiliumve Cæsari datum, damnaret. Cum blanditiis fucatisve illecebris irretire Reuchlinum non sustinerent tandem prorupere An. 1512. in atrox & contumelioſum scriptum: *Articuli ſive propoſitiones de Judaico favore nimis ſuſpectæ.* Quod prolixum, rude tamen, publico nomine *Arnoldi de Tungaren*, Theologi Professoris apud Colonienses, prodiit opus. Eo res jam devenerat, ut ignorantia diceret hebraica illa nova studia hæretica quæ extincta cuperent, omnibus facta invisa & odiosa, a nemine imposterum excolenda. Judæis favere Reuchlinum clamarunt. Reuchlinus hos invasores arcendos adiit Apologia, quam dixit *defensionem contra calumniatores suos Colonienses*, An. 1513.

Cum animadverterent Colonienses, se nil effecturos charta, convitiis, injuriis scriptis, ad alia illa ætate sueta feralia inquisitorum hæreticæ pravitatis arma se converterunt, non disputaturi, *sed faces & flammas adhibituri, ad cremandum Reuchlini librum, Speculum oculare.* Cui sini *Hochstratus*, hæreticæ pravitatis inquisitor, Dominicanus, Colonienſis Theologus, An. 1513. mense Septembri tribunal erexit Moguntiæ, coram quo Reuchlinum citavit, ad respondendum ad articulos, & videndum comburi suum illum librum, Consilium, Cæsari datum, doctum sane, modestum, & rei literariæ salutare. Quem *processum, plus furioſi hominis, quam judicis*, per integrum mensem Septembrem traxit, Dominicanis aliis assessoribus, Electoris Moguntini nomine Commissariis. Indulsit ad tempus divina providentia his frendentibus bonarum literarum resurgentium hostibus furorem, ut proderent apertius suam barbariem, oris, mentis & facti, ut eruditus orbis inciperet vehementius detestari trucia in Dominicanis illis adversus optimas literas odia, pudendam invidiam, quæ in magno certe Reuchlino, divinæ gratiæ documento, hebraicorum studiorum primo conditore, ferre non posset lucem. Prostituturi proinde se inquisitores illi illo impetu pro tribunali suo literas Reuchlini nansuetissimas tractarunt, contra ordinem & jura recepta, ut non solùm JCti Academiæ processus illos iniquos execrarentur, sed & *illustre Capitulum Moguntinum*, iniquitate Hochstrati & sodalium perspecta, accederet, Hochstratum moneret, negotium differre suaderet. In quo Dominicanorum Inquisitorum tumultu, in Hochstrati æstu ferventissimo, *coactus Reuchlinus*, ad nutum Capituli Reuchlini innocentiæ & justæ bonarum literarum causæ faventis, *Stutgardiæ Moguntium advolare*, velut ad incendium, ad martyrium. Præsente jam Reuchlino, Capituli integritas contendit causam amice versare, ad quietem. Veruntamen *Hochstratus* arrogans, quietis hostis, Capituli adhortationes respuens, *di. m incendio dixit.* Capitulum, furoris illius pertæsum, ad Electorem subito causam detulit per nuntium tectum, inscio Hochstrato. *Jam ardebat in foro rogus pro Reuchlini libris convasatis.* Spectatores, indulgentiis etiam datis in forum magno numero pellecti, ex Academicis & vicinis. Neque restabat, nisi carnificis tremenda manus. Quo momento Electoris nuntius ad Hochstrati tribunal advolavit, inhibuit, cessare jussit, donec res tranquille per ipsum Electorem cognosceretur. Jam assilire Hochstratus, dentibus frendere, clamare, de negata justitia conqueri; mox præ pudore & metu expallescere, ex tribunali se subducere, fugere cum assessoribus, in vicinam domum se proripere cum ignominia publica; clamante populo, *Comburantur hi qui insonti Reuchlino struxerunt rogum.* Qui fuit exitus comœdiæ Moguntinæ inopinatus, admirandi fati. Quam *longam historiam persecutionis diræ*, coram Tribunali Moguntiaco, peculiari libro recensuimus novissime, hoc charac-

ætere *Moguntina Reuchlini hiſtoria, Anno 1513. Menſe Septembri, in Germania, Gallia & Italia celebris.*

Tremebundus Moguntia abiit *Hochſtratus*, ſimilem rogum *Coloniæ* ſtructurus, cui tutius Reuchlini opuſculum committeret. Qui *Colonienſis rogus* parem accendit mox *Pariſiis*, una Academia alteram inflammante. Quæ facinora *Academias* apud Principes & magnos quoscunque viros reddidere magis *inviſas*, quæ egregia ſtudia ferre nollent, ſed barbariem ſuam mordicus tuerentur. Inprimis *Dominicani* ludibria habiti, propudioſi, & ſannis & ſputo paſim excepti.

Provocaverunt autem Moguntiæ circa rogum ad ſummum Pontificem Leonem X. Reuchlinus & Hochſtratus. Quare, cum Coloniæ & Pariſiis, præter jus & ſententiam, Reuchlini liber eſſet damnatus & publice exuſtus, Reuchlinus apud Pontificem impetravit *Commiſſionem apud Epiſcopum imprimis Spirenſem*, pro cauſa Reuchlini curate cognoſcenda & dijudicanda. Quod *novum forum* An. 1514. *Spirenſe* Hochſtratum fruſtra vocavit, pertinacem & furentem. Quare accuſatione, contra Reuchlinum ab Hochſtrato Moguntiæ formata, Spiræ examinata, diu multumque verſata, tandem *damnatus Hochſtrati tumultus, Reuchlino defenſo.*

Intumuit præ æſtu magis Hochſtratus, impatiens ſententiæ Spirenſis: Effecitque ut *Colonienſes* ederent defenſionem ſui rogi infauſti lepido hoc titulo: „ Hoc in opuſculo contra Speculum oculare „ Joannis Reuchlin Phorcenſis, hæc in fidei & Eccleſiæ tuitionem continentur: Prænotamenta Ortwini „ Gratii, liberalium diſciplinarum Profeſſoris, citra omnem malevolentiam cunctis Chriſti fidelibus de- „ dicata. Hiſtorica & vera enarratio Juridici proceſſus habiti in Moguntia contra libellum ejusdem, hæ- „ reticas ſapientem pravitates. Deciſiones quatuor univerſitatum de Speculo ejusdem oculari ab Ec- „ cleſia Dei tollendo. Hæretici ex eodem libello articuli, ut Chriſtiani omnes male eum ſcripſiſſe luce „ clarius dijudicent. Sententia condemnativa, quod juſte, legitime & catholice Speculum oculare ſit „ combuſtum. Coloniæ An. 1514.

Pariſienſes ſimiliter ſuum rogum tanquam aram ſacram quo Reuchlinus immolatus, tuiti æque bello per Colonienſes iterum edito opuſculo, ridenda profecto fronte: „ Acta Doctorum Pariſienſium „ de ſacratiſſima facultate Theologica, ad honorem duntaxat Jeſu Chriſti & Eccleſiæ ſalutem, contra „ Speculum oculare Johannis Reuchlin Phorcenſis una cum ſententia ejusdem libelli condemnativa ad „ ignem: Non obſtantibus ſententia Spirenſi, aut quibuscunque aliis ejus expoſitionibus, declarationibus, „ gloſſematibus vel defenſionibus, per eummet illuc miſſis, & diligentiſſime à ſummis ibidem doctori- „ bus perſpectis examinatis, diu multumque diſcuſſis, & tandem juſtiſſime condemnatis: Ponderata „ ſemper in omnibus, id quod notatu digniſſimum eſt, & articulis & ſcriptis auctoris intentione prout „ Chriſtianiſſimus rex Franciæ Ludovicus, & alii quidam Epiſcopi, pro fide ibidem piiſſime Zelantes ad- „ hortati ſunt.

Multo elegantior reliqua frons, ærugine illius ætatis digna: „ Epiſtola venerabilis patris fratris „ Theoderici Gaudenſis, ſacræ theologiæ baccalaurii formati optime meriti propediem licentiandi, nec „ non ſacræ facultatis theologicæ præclaræ univerſitatis Colonienſis legati providiſſimi, ad ſacratiſſimam „ divinæ paginæ facultatem almæ & excellentiſſimæ Univerſitatis Parrhiſienſis, itemque in cauſa fidei ſu- „ per condemnatione improbiſſimi atque impuni Speculi Ocularis Joannis Reuchlin, ſollicitatoris diligen- „ tiſſimi, fideliſſimique. Quam quidem epiſtolam ex ſuper excellenti Academia Parrhiſiana miſit præ- „ ceptori ſuo Magiſtro Henrico de Geleen, ſacræ Theologiæ profeſſori exquiſitiſſimo peritiſſimoque, „ nec non conventus Carmelitarum in Colonia Priori digniſſimo. In hac quidem Epiſtola narratur ſecun- „ dum veritatem totus proceſſus habitus Parrhiſiis, per XIV. hebdomadas & XLVII. ſeſſiones ſuper con- „ demnatione prænominati libelli Speculi ocularis. Adjiciuntur quoque binæ literæ Chriſtianiſſimi „ Franciæ regis, in hoc fidei negotio zeloſiſſimi, quas miſit ad ſupra dictam facultatem theologicam Par- „ rhiſienſem. Similiter interponuntur duæ adhuc epiſtolæ ſacratiſſimæ facultatis theologiæ Parrhiſienſis, „ matris ad filiam ſuam, ſacram ſcilicet & famatiſſimam facultatem divinæ paginæ Colonienſem. Non „ etiam omittuntur ſcil. de verbo ad verbum interſeruntur literæ Johannis Reuchlin Phorcenſis, una cum „ literis ſui Principis Ducis Wirtenbergenſis, quas ad ſacro ſanctam facultatem theologicam Parrhiſien- „ ſem miſit, humiliter petens à ſapientiſſimis & in fide conſtantiſſimis viris, nullorumque rogatu aut mu- „ neribus corrumpendis Magiſtris noſtris, quatenus otium præponant negotio & quidem labori, nihil de- „ finiendo vel determinando in ſuum impuriſſimum oculare ſpeculum, jam antea à pluribus clariſſima- „ rum Univerſitatum theologicis facultatibus juſtiſſime condemnatum. Quæ ipſius Reuchlin ſollicitatio „ quam injuſta quamque impia fuerit, neminem latere poteſt.

Hi floſculi deliciæ theologorum illius ævi palatum moverunt orbi erudito, curiis Principum ut lepida hæc capita effuſe riderent, rancidum illud os ſacrum averſati. Per *Ulricum Huttenum Equitem Francum*, varia doctrina ultra communem ſortem imbutum, cuſa dicteria in illa Colonienſium ora illota, quæ in Reuchlinum tam olida evomere non puduerat: „ Epiſtolæ obſcurorum virorum ad venera- „ bilem virum Magiſtrum Ortwinum Gratium Daventrienſem, Coloniæ Agrippinæ bonas literas docen- „ tem variis & locis & temporibus miſſæ, ac demum in volumen coactæ. „ Edita hæc barbariei elogia Anno 1515. poſtquam Halis Saxoniæ jam combuſtus Anno 1514. ob ſcelera erat *alter Judæus converſus, ejusdem nominis Joannes Pfeffercorn.*

Hochſtratus Spirenſem pro Reuchlino ſententiam ægerrime ferens, collectis copiis *Romam commeavit*, in Reuchlinum cauſam acturus fervidius.

Lis itaque hæc & in Curia Romana acta, Hochſtrato in curia inter Cardinales Commiſſarios vociferante, *Cæſare, Pontifice, & præcipuis Cardinalibus Reuchlinum tuentibus.*

Pepericornus interea apud Germanos in Reuchlinum invehi non deſtitit, offenſus magnopere elegantiis

gantiis obscurorum virorum, Colonienſibus hunc miſellum hominem armantibus. Quando igitur famam ſparſit lepidum caput, Coloniæ ſubornatum, ſe in Epiſtolas obſcurorum virorum ſcripturum, & famam ſuam ac Colonienſium vindicaturum, *Huttenus* ſecundam Anno 1516. epiſtolarum elegantium virorum, *editionem* dedit *auctiorem*, in Hochſtratum Romæ laborantem, & Pepericornum, in Epiſtolas nec non Reuchlinum nonnihil parturientem.

Mox prodiit Anno. 1516. „ Defenſio Joannis Pepericorni, contra famoſas & criminales obſcuro„rum virorum epiſtolas, indigna earundem provocatione, totam fere hiſtoriam Reuchlinianam, à Cæſa„rea Majeſtate contra perfidos dudum Judæos laudabiliter inceptam, veriſime deſcribentis, ſanctiſſimo „in Chriſto patri, D. N. D. Leoni, divina providentia Papæ decimo, reverendiſſimisque Cardinalibus ac „ toti tandem Eccleſiæ reverenter dedicata.

Perfricandum Pepericorni caput *novo ſale* credidit Huttenus, novis obſcurorum virorum epiſtolis, obſcuris viris integro conſeſſu in frontiſpicio effigiatis, hac inſcriptione: „ Epiſtolæ obſcurorum viro„rum ad Magiſtrum Ortvinum Gratium Daventrienſem, Coloniæ latinas literas profitentem, non illæ qui„dem veteres & prius viſæ, ſed & novæ, & illis prioribus, argutiis, lepore ac venuſtate longe ſuperiores. Romæ interea in Cardinalium Collegio res *pro Reuchlino* proſpere ceſſit, artibus Hochſtrati irritis: Qui cum ad Concilium appellaret, ſchedæ illius, pasſim affixæ, cum ignominia publica ſunt refixæ, ſciſſæ & pedibus conculcatæ, addita ſevera inhibitione, ne quid porro ſimile tentaret.

Quæ hactenus à Colonienſibus contra Reuchlinum in foro acta, Moguntino, Spirenſi, & Romano, ſtylo fori contexta ſunt & edita *Hagenoæ Anno 1518. menſe Februario*, hoc charactere: „ Acta Judiciorum „inter F. Jacobum Hochſtraten inquiſitorem Colonienſium, & Joannem Reuchlin. L. L. Doct. Ex re„giſtro publico autentico & ſigillato.

In his fluctibus viri quique ſpectati Reuchlini partes ſuſceperunt, editis pro Reuchlino integritatis monimentis. In his & *Bilibaldus Pirkheimerus*, illuſtri genere, autoritate & doctrina. Qui An. 1517. Luciani Piſcatorem ſeu reviviſcentes, græco textu latine verſo, editurus, epiſtolam præmiſit *Apologeticam* pro cauſa Reuchlini contra inſulſos & inficetos cenſores. Elegans & nitida oratio *Pirkheimeri, Cæſarei Conſiliarii, Patritii ac Senatoris Nurimbergenſis, ad Laurentium Beheim*, Juris doctorem, D. Stephani Babenbergæ Canonicum. Hochſtratus dehinc *Apologiam Primam* in lucem protruſit, in Reuchlini amicos, inprimis in Dialogum Georgii Benigni.

Acceſſit mox *Hermannus, Comes Nuenarius*, Colonienſis Canonicus, qui conjunctim edidit Coloniæ An. 1518. epiſtolas illuſtres de Apologia Hochſtrati in negotio Reuchlini; Reuchlini ad Nuenarium, Nuenarii ad Reuchlinum, Hermanni Buſchii ad Nuenarium, Ulrici de Hutten ad Nuenarium: Cum hujus ad Lectorem epiſtola & hendecaſyllabis.

In Nuenarium Hochſtratus *ſecundam A. 1518.* ſcripſit *Apologiam* editam Coloniæ An. 1519.

In paraſtatis Reuchlini non poſtremus Petrus Galatinus, Minorita, Doctor Theologus. Hic An. 1515. aggreſſus Reuchlini defenſionem, opus ingens cœpit conſcribere *de arcanis catholicæ veritatis*, forma *Colloquii inter Galatinum, Capnionem* ſeu Reuchlinum & Hogoſtratum. Ille ex Judaico ſanguine oriundus, Judæorum res callens, *Raymundi Martini* & *Porcheti* operibus adjutus, veterum Judæorum tradita cum Chriſtianorum receptis dogmatibus quodammodo componere anniſus, ut Rabbinicorum ſcriptorum uſus pelluceret. Tametſi verò hodie conſtet, priſcorum Judæorum formulas, quæ videantur conſpirare cum Chriſtianis, ut nunc ſunt, alium plerumque continere ſenſum, ut differant magis quam conveniant: Tamen pro illius ætatis primordiis plus ſatis erat, congruentiam quandam in Judæorum priſcorum & Chriſtianorum loquendi modis, in religionis momentis, ſpectaſſe. Nec enim eadem ſecula pervident omnia. Infantia in omnibus diſciplinis differt ab adoleſcentia, & hæc ab ætate virili. *Cæſaris Maximiliani hortatu*, certe conſenſu, contextum opus, pro Reuchlino defendendo, qui ſcriptorum Judaicorum uſum aliquem aſſeruerat. Præfixa operi *Cæſaris ad Galatinum epiſtola*, An. 1515. Cal. Sept. qua nunciatum Galatino, placere Cæſari Reuchlini defenſionem: „ Intelleximus, ait Cæſar, te omni ſtu„dio complexum defenſionem cauſæ Conſiliarii noſtri, Johannis Capnionis, & te ſingulari opere demon„ſtraturum, nihil temere & ſcandaloſe ab eodem aſſertum, quod nobis omnium maxime gratum extitit. „ Tantam in tribus linguis tuam eruditionem accepimus, cuidam ſingulari animi integritati ac religioni „conjunctam, ut ominemur modo ab æmulorum morſibus & dilaceratione famam ejus acerrime inten„tatam, tutam fore. Itaque hortamur te, ut noſtri contemplatione, hoc opus tuum, quod jam à pluri„bus obviis expectatur manibus, maturius emittas, & Capnionem interim quo incepiſti ſtudio defenſare „perſeveres.

Galatinus literis ad Cæſarem ſignificavit *Cardinalis Puccii* prima calcaria ad opus hoc pro Reuchlino ſuſcipiendum. „ Non parva, inquit, animi ſollicitatione jam pridem angebar, Maximiliane Cæſar „Auguſte, cum multiplicem eximiamque Capnionis doctrinam peſtiferis ac venenatis invidentium mor„ſibus indigne adeo lacerari viderem, ut quam plurima ejus dicta, orthodoxæ fidei maxime congruentia, „nonnulli hæreſeos nota falſo calumniari auderent. Et quanquam id malo, vel potius peſſimo in do„ctos omnes exemplo fieri animadvertebam, ſi tot exhauſtis laboribus atque vigiliis, tam iniqua expen„deretur gratia: Haud tamen quicquam ſcribere, ac ne hiſcere quidem audebam, quo hominem tam do„ctum, atque omni virtutum genere præſtantem, adverſus temerariam improborum inſcitiam defende„re tentarem: Ne temeritatis & arrogantiæ vitio mihi daretur, ſi ego vix mediocri ingenio præditus, nec „ſatis multa eruditione inſtructus, adeo perito ac triplici linguarum doctrina excellenti Viro, propterea„que ad ſe una cum veritate ipſa defenſandum, ſupra quam dici poſſit idoneo, ultro ac non vocatus patro„cinari vellem. Verum enim vero cum Reverendiſſimus Dominus meus, Dominus Laurentius Puccius, „Sanctorum quatuor Cardinalis, Chriſtianæ fidei indagator acerrimus, ac Majeſtatis tuæ, prout debet,

„ obſervantiſſimus, ad defenſionem hujusmodi alacri animo ſuſcipiendam, eo acrius me hortatus fuiſſet, „ quia Majeſtatis tuæ etiam honorem in eo agi putaret, ſi Conſiliarium ſuum vel ſola criminis objecti ſu- „ ſpicio attingeret; ut grave ac humeris meis impar, provinciæ onus neceſſario ſubirem, coëgit.

Pontificis etiam, Leonis X. voluntatem commendat Reuchlinum protegendi: „ Acceſſit præterea „ & Sanctiſſimi Leonis X. Pontificis Max. voluntas, quæ me ad hoc vel maxime impulit. Quandoqui- „ dem non ignorabam, Pontificem ipſum, tanquam unicum veritatis ac ſapientiæ cultorem, ſummopere „ cupere, & Capnionem ab hujusmodi calumniis liberari, & majeſtati Tuæ eo magis in hoc morem ge- „ rendum eſſe, quo vehementius votis ejus ſatisfactum iri optabat.

Reuchlini proinde Apologia totum hoc volumen, nuncio hoc in fronte inſcriptione: „ Religioſiſſimi „ Petri Galatini, ordinis Minorum, artium & ſacræ theologiæ doctoris, ac Reverendiſſimi Domini, D. „ Laurentii Puccii, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ titulo ſanctorum quatuor Coronatorum Presbyteri „ Cardinalis, familiaris, opus de arcanis catholicæ veritatis, in hebraicis libris, præſertim in Talmud inventis, „ in defenſionem præſtantiſſimi Viri Joannis Capnionis, & adverſus Judaicam noſtri obſtinationem, Dia- „ logo editum atque invictiſſimo Maximiliano Cæſari ſemper Auguſto dicatum.

Abſolvit hoc opus ſuum Galatinus An. 1516. pridie Nonas Septembris; impreſſum tandem ac finitum Orthonæ maris, An. 1518. 15. Cal. Mart.

Reuchlinus ipſe, ut ſtudii ſcriptorum Rabbinorum aliquem oſtenderet uſum, opus prodidit *de arte Cabbaliſtica*, quæ illis annis, in horum ſtudiorum ortu, viſa magni quid polliceri, unde & hodie venentur aliqui Chriſtianis principiis vel paria vel majora. Ætati adeo tribuendum eminens pretium rei tam peregrinæ, quam noſtra ætas introſpicit penitius, myſteriis jactatis examinandis paulo exercitatior. Fecit igitur illa ætate iſthoc opere, quod mirandum, intimis Cabbalæ fontibus ſalutatis. Carpere nihilominus non erubuit Hochſtratus hoc Reuchlini monumentum, quod vix verbo caperet Dominicanus, in his ſtudiis plene rudis, nec illis aptior quam aſinus ad lyram. Hæc illi perfricta frons: „ Deſtructio Cabbalæ „ ſeu Cabbaliſticæ perfidiæ, ab Johanne Reuchlin Capnione jam pridem in lucem editæ, Sanctiſſimo Do- „ mino noſtro Leoni Papæ decimo per Reverendum patrem Jacobum Hochſtraten, artium & Sacræ „ Theologiæ Profeſſorem eximium & hæreticæ pravitatis per Colonienſem, Moguntinum, Trevirен- „ ſem provincias inquiſitorem æquiſſimum, vigilantiſſimumque, ad totius Eccleſiæ honorem reverenter „ dedicata. Coloniæ An. 1519.

Quidni vehementer exarſerit Hochſtratus, quando in Reuchlini libro incidit, *in principio libri tertii*, in hiſtoriam nuper Romæ geſtam in lite Reuchlinum inter & Hochſtratum, quando Hochſtratus à Pontifice ad Concilium appellavit in cauſa Reuchlini, coram Concilio diſputaturus ſcil. quæ à Cardinalibus in Curia obtinere contra Reuchlinum non poſſet, quando theſes ex Reuchlini libro non depromptas ſed extortas affixit in publicis Romæ locis. Quæ Hochſtrati ſchedæ ineptæ & ſcabræ, ſuprema autoritate revulſæ & luto cœnove commiſſæ, pedibus calcandæ. Quod juſtum Leonis X. de Hochſtrati maculatis inaculandisve chartis judicium, Leoni & peritis lectoribus, recentiſſimi fati documentum in memoriam à Reuchlino tectis nominibus argute revocatum. „ Recenſitum eſſe ait, fuiſſe è Romana curia „ ſuperiori die Francofordiam miſſas propoſitiones (Hochſtrati) & concluſiones, contra inhibitionem „ apoſtolicam, ab Aſtaroto quodam (Hochſtrato) *fictas & concinnatas adverſus Joannem Reuchlinum*, „ propter libros non comburendos jam plus quinquennio crudeles perſecutiones innocenter ac ſimul ani- „ mo forti & infracto paſſum, præ foribus ſapientiæ ac templorum veſtibulis Romæ affixas, & mox in „ lutum, ſtercus & cœnum ibi projectas & conculcatas, juſtis ex cauſis, tum quia propter ſummi Pontifi- „ cis voluntatem, & abſque reverendiſſimorum judicum notitia, coram quibus ea lis, poſt Aſtaroti (Hoch- „ ſtrati) appellationem, hactenus triennium in curia penderet, tale facinus fuiſſet attentatum, tum quod „ univerſis innoteſceret eam conſcriptionem apertiſſimis ſcatere mendaciis. Principio namque pollice- „ ri Aſtarotum (Hochſtratum) in præſentia Papæ concluſiones eas fore diſputandas, & Papam tamen ne- „ gaviſſe ac certe prohibuiſſe, quoniam in multis æſtate proxima publicis Romæ ſeſſionibus habitis ea „ cauſa plene fuiſſet diſputata & diſcuſſa coram doctiſſimis mundi luminibus, Eccleſiæ catholicæ prælatis, „ Archiepiſcopis, Epiſcopis, Generalibus Ordinum, & eorum procuratoribus, pœnitentiariis, doctoribus, „ magno numero, theologiæ juriſque peritiſſimis viris, qui Capnionem eſſe abſolvendum decreviſſent. „ Deinde, quod ignominioſe appellaverit oculare ſpeculum ſcandala & erroneas continentias: Cum ta- „ men liber iſte ſit per Apoſtolicam ſententiam definitive admiſſus. Tum etiam, quod de eodem libro ita „ ſcripſerit, quod ſit à quinque univerſitatibus dudum igni addictus; Quæ certe ſunt meræ nugæ, clara & „ candida mendacia. Quia nulla in omni terrarum orbe ſit aut fuerit univerſitas, quæ oculare Speculum „ condemnaverit, ſed tantum ſingularia quædam capitoſa capita, vertiginoſo cerebro heteroclita & ſu- „ pino errore decepta, conventiculariter & conſpirative contra juris & juſtitiæ formam in oculare Specu- „ lum livore tabuerint, & ſua, ut ajunt, ſentimenta conflaverint. Poſtremo eos ajunt, qui luto & cœ- „ no corollaria illa involverint & revolverint, affirmare ſolitos, in iisdem conſcriptionibus nihil „ contineri ab α ad ω, quod non antea in defenſione publica Joannis Reuchlini contra calumniatores ſuos „ Colonienſes, juſtificatum, ſolutum & reſolutum fuiſſet, quod lectori cuique lucidius ſtellis clarue- „ rit. Aſtarotum itaque (Hochſtratum) ſemper eandem cantilenam pro turpi ſua lingua canere.

Ultimus libri terminus æternæ memoriæ pignus, ſeria & gravis compellatio Leonis X. qua illi velut compendio, ob oculos ponit, *diriſſimas perſecutiones, quas ob ſtudia hebraica ſuſcitata ultra quinque annos ſit perpeſſos*, à Dominicanis præſertim, bonarum literarum rudibus, ſed furioſis hominibus. Nec immemor ſane futura univerſa poſteritas, vel ex hoc libri epilogo, Reuchlini ſudore & ſanguine tincto, quam *difficile* fuerit *in tyrannica iſta caligine horum ſtudiorum exordium*. En ergo Capnionem pro Chriſtiano populo coram Romano Pontifice loquentem. „ Meum conatum videri tibi non plane impro-

„ improbum confido, tum quod hoc semestri legendis illis id quinquenne bellum, quod adversum me ho-
„ stes mei te sciente gerunt, si omnino nequibat vitari at levare studuerim: Tum denique, ut & meorum
„ esset apud te aliquid, quo sit benevolentior memoria nostri tua, quoties paternum erga me animum
„ tuum frangere ac avertere inimici moliuntur. Non enim intermittunt, scio, quotidie susurris attentare
„ pias aures tuas, modo per proxenetas conductitios, modo per epistolas; ut quas ad Te proxime deci-
„ mo quarto Cal. Octobris ex Agrippina Colonia datas nuper legi, quarum simul cum falsa delatione
„ titulus etiam mentitur autorem. Non enim tam colenda Colonia, tam ejus veneranda universitas, sed
„ particularitas, & quædam inimicorum singularis colluvio, minimaque pars civitatis & ea insanior, hoc
„ facinus fecit, ut Tuæ sanctitati affirmarent, quæ vera non sunt: Idque contra inhibitiones apostoli-
„ cas & contra mandatam Cæsaris pacem. Vides etiam, quanta in eisdem literis audacia, tanquam Solo-
„ nianas tibi leges præscribere, fontemque Juris docere præsumant, qua oporteat via in judicio ad nutum
„ & voluntatem eorum procedere, ut facilius me sordibus vincant, quasi non jam certa toti fere orbi ha-
„ beatur innocentia mea. Unde adduci non possum, ut suspicer, istis te fidem habere, qui despecta in-
„ hibitione Apostolica, & contemtis censuris tais, quam minime observato juris tramite, libellum meum
„ lite pendente combusserant. Credes verò potius gravioribus viris Alemaniæ Superioris, omni exce-
„ ptione majoribus, quod nullum scandalum posui, nullam ruinæ occasionem paravi, coram ulla plebe
„ Germanorum, qui mihi ejusdem linguæ societate juncti sunt, in qua lingua, istis Belgis ignota, Consi-
„ lium meum illud Camerarium, cum plana ejus declaratione, uno contextu certe, ut decebat, edidi. Ac
„ secure quidem credere potes, eoque firmius, quo de mea innocentia, pietate, fide, integritateque à
„ pluribus illustrissimis latissimarum terrarum nostræ nationis regnatoribus, magistratibus, populisque
„ Germanorum, & sanctissimis diœcesium nostrarum Episcopis, oppidis & civitatibus, ferme triennio an-
„ te per literas obsignatas ac fide dignas factus es certior. Extant penes te ab invictissimo Rom. electo im-
„ peratore Maximiliano Maximo Leoni tibi, & à reverendissimo Cardinali Domino meo Gurcensi, pro
„ mea innocentia terque quaterque oblata testimonia. Dederant & post Episcopos illustrisimi provincia-
„ rum præsides atque Duces, nobilissimo sanguine prognati: Electores imperii, Fridericus Saxoniæ &
„ Ludovicus Bavariæ interrex, & Dux Würtenbergensis, & Marchio Badensis Princeps, & strenuissimus
„ Magister ordinis Theutonicorum: Et è regione horum reverendi ac Deo amabiles Germaniæ Ponti-
„ fices, Episcopus Wormaciensis, Argentinensis, Episcopus Constantiensis, qui me ovem suam pastor
„ agnoscit, & Episcopus Spirensis, ille à tua sanctitate huic liti datus judex, qui autoritate Tua functus,
„ de consilio peritorum, pro mea & scriptorum meorum innocentia definitivam tulit sententiam, Cum
„ illis dederant pariter quinquaginta tria Sueviæ oppida, omnes officiosissimi, fortissimi & integerrimi
„ viri, commendatitias epistolas & literas, rectæ fidei probitatisque meæ indemnitatisque testes. Ad-
„ dunt illorum testificationi robur & pondus insigni doctrina & gravitate Prælati Ecclesiæ, quos reveren-
„ dissimis causæ nostræ Judicibus, Grimano & Anconitano Cardinalibus, orthodoxæ fidei columnis, tan-
„ quam perisylia junxisti Senatorios assessores, mundi lumina: Archi Episcopi, Episcopi, Ordinum Ge-
„ nerales, & eorum Procuratores, sapientiæ Romanæ magistratus, Pœnitentiariæ, & alii theologiæ atque
„ juris lectissimi doctores, pro suis singulorum dignitatibus, in historia de temporibus meis nomi-
„ nandi. Qui tot sessionibus publicis, in tuæ majestatis domestico sacrario, quam Capellam Pontificiam
„ vocant, habitis, semper agente rem meam (ut omnia solet fideliter) oratore Juris peritissimo, Joanne
„ Vanderbico, tam equestris ordinis nobili viro, quam in causarum patrociniis disputatore acerrimo, &
„ eodem Procuratore meo. Tandem in ultima sessione causa plene cognita, per sententias scriptis edi-
„ tas decreverunt, me ab hac persecutione injuriosa liberandum esse ac absolvendum. Nec ulli dubium,
„ quin definitiva quoque paris oraculi sententia reverendissimorum Judicum, ut debuerat, secuta fuisset,
„ nisi tunc mandatum de supersedendo abs te, ut dicebant accusatores, impetrassent. Eorum omnium
„ quos jam citavimus, undiquaque testimonia & vota, si recordaberis, & Acta Judiciorum coram te legi
„ curabis, plane invenies, me ab omni delatorum insimulatione prorsus alienum. Assilit huic meæ pu-
„ ritati tota ferme urbs Romana, & cunctarum nationum omnes doctissimi, quorum ego decretales quo-
„ tidie literas accipio, etiam à finibus orbis, confirmantes, me nullis hominibus scandalo fuisse unquam
„ scriptis meis; Quin me potius ædificare indies, plantareque variis linguis Ecclesiam Spiritui sancto, qui
„ per diversitatem linguarum cunctarum gentes in unitate fidei congregavit. Animadvertunt nimirum,
„ quod ego primus omnium Græca in Germaniam reduxi & primus omnium Ecclesiæ universali artem
„ & studia sermonis hebraici condonavi atque tradidi. Quare spero, me non frustra sperare posteritа-
„ tem Ecclesiasticam meritis meis futuram non ingratam, teque præsentem, Leo Pontifex, rerum magis
„ quam verborum æstimatorem, pro tot & tam duris laboribus meis in orthodoxam fidem beneficii loco
„ collatis, pacem mihi & animi tranquillitatem juste redditurum. Sin me vero cupias in hac vita ma-
„ lorum persecutioni perpetuo subjacere, vehementer gaudebo videri dignus, qui tantas pro Christo no-
„ stro injurias patiar.

Ex diris his longisque persecutionibus eluctanti Reuchlino, gratulatus publice *Ulricus Huttenus, Eleutherii Byzeni* nomine, hoc ore: „ Joannis Reuchlin viri clarissimi Encomion, triumphanti illi ex
„ devictis obscuris viris, id est, theologistis Colonienſibus, & Fratribus de ordine Prædicatorum; ab
„ Eleutherio Byzeno decantatum. Quod elegantissimum poëma nervum comprehendit omnium il-
„ lorum Reuchlini certaminum.

Integer præterea exercitus magnorum virorum, qui Reuchlino patrocinarentur, ex duobus, qui quondam An. 1519. Hagenoæ editi, *Epistolarum Reuchlini libris*, conspicitur.

Non hic conteximus *vitam Reuchlini*, quam luculenter *dedit integerrimus theologus, Johannes Henricus Majus.* Attingimus duntaxat illa temporum & scriptorum fatorumque ejus momenta, quæ de-

monſtrant, illum viam ſtruxiſſe ad publicam emendationem, Fontibus hebraicis illuſtratis, qui primus Germanos docuit hebraica; Qui ex manſuetis literis manſuetudinem veram optaret Chriſtianis: Qui pro infinitis theologorum bellis & rixis plusquam anilibus, pro ſcholaſticis nugis, ſperaret ex Fontium ſacrorum ſtudio manſuetudinem docendi rationem Chriſtianæ integritati conformem: Qui Judæorum gentem ad Chriſtianam fidem invitari cuperet, non cogi, multo minus arceri, minis, plagis & vulneribus. Qui in converſionis methodo ferre nollet vim & tyrannidem, ſed manſuetudinem Chriſtianam, quæ non exureret Judæos & eorum libros, ſed doceret meliora, inſtrueret rectius, & flecteret mollius, tractaret adeo mitius, benignius & humanius, ut puritate doctrinæ Chriſtianæ, ex fontibus non ſcholaſticorum lacunis hauſtæ, morumque Chriſtianorum integritate, perſuaderentur & convincerentur. Verbo cum illis agi voluit, non ferro, cum animus ferrum non patiatur, ſed rationem & manſuetudinem, doctrinam non vim & injuriam. Hic Reuchlini ſcopus, hæc methodus, pro optimarum literarum, quas ipſe & Eraſmus profiterentur decore, alios in orbem Chriſtianum introducendi mores, in ſalutem Judæorum & Chriſtianorum. Quod juſtum & legitimum Reuchlini inſtitutum nuper in memoriam viri & genii manſueti illuſtrare ſumus amniſi opuſculo, quod inſignivimus pro ſcopo, *Paræneſin ad doctores Judæos.* Illa vero Reuchlini mens integerrima Judæos non ad fidem Chriſtianam ferro & igne ſed verbo & fide eſſe pertrahendos aut pelliciendos, rudibus illa ætate theologis, Scholaſticis doctoribus, in Academiis & monaſteriis, adeo inviſa & exoſa, ut quam perniciem Judæis & eorum ſcriptis parabant, in Reuchlinum detorquerent, hunc pro illis excarnificaturi. Quam theologorum, omnis humanitatis expertium, iram & bilem pertulit Reuchlinus, perſecutione omnium per orbem illo ſeculo maxima. Ignorantia meliorum literarum & veræ manſuetudinis, immanis oris & mentis barbaries, tumultus in Reuchlinum excitavit plus quam barbarorum. Quæ perſecutio truculenta innocentiſſimi Reuchlini, a ſolis Scholaſticis theologis, barbaris & incultis doctoribus, inhumanitatis, ferociæ & truculentiæ profeſſoribus, parata & multis annis continuata nomen theologorum apud orbem politiorem, apud principes & magnates, convertit in theologiſtas. A qua ætate, à ſcholaſticorum truculentia & in Reuchlinum fævitia, non vocati theologi ſed theologiſtæ. Quod elogium ordinis alioquin pro Chriſtiana regula mitiſſimi manſuetiſſimique, ab Eraſmo æque ac Reuchlino millies cantatum, dein perſeveravit.

In juſtam & ſanctam memoriam ingenui pectoris Reuchliniani, qui adeo ſalubriter orbi chriſtiano conſuluit ſtudiis manſuetis, *illa monumenta*, hoc Jubilæi ævo, *reſuſcitanda ac ab interitu vindicanda* exiſtimavi, *quæ ad illam Reuchlini ſententiam, ad illam in Judæos manſuetudinem, cognoſcendam atque illuſtrandam pertinent*, ceteris Reuchlini ſcriptis præteritis & omiſſis, quæ partim adhuc habentur, partim alio tempore in lucem revocanda. Nobis nunc ſatis obſervaſſe, *uti Eraſmus ſtudiis humanioribus orbem polire & ad meliorem mentem perducere ſategit, ita & Reuchlinum pari affectu, parique manſuetiorum ſtudiorum apparatu, pectora Chriſtianorum emollire ac manſuefacere contendiſſe.* Quod benignitatis in Reuchlino argumentum pro gratia impetravit odia, pro Scholæ uſu carnificinam, qua, excruciandus vir optimus, ut experiretur, theologos illius ævi non homines eſſe, qui humanitatem callerent, ſed belluas, qui mordere & laniare didiciſſent in Collegiis, eaque arte ſuperare bruta carnivora. Quæ aſpera & inculta, trux & inhumana theologorum indoles ex theologis humanis fecit theologiſtas barbaros, æterno elogio.

Claudam hanc introductionem *compendio hiſtoriæ*, ab ipſo Reuchlino contextæ, *in Prologo in Librum Athanaſii de variis Quæſtionibus*, quem ex græco vertit latine, & An. 1519. inſcripſit *Alberto, Electori Moguntino*, qui ſuperiori anno 1518. in Comitiis Auguſtanis, à Pontifice creatus Cardinalis, maxima cum celebritate acceperat pallium & ornamenta purpurea. Rationem allegat, quare, ex græco verſurus veterem autorem, pro ſtudiorum humaniorum, quæ coleret, indole & uſu, elegerit Athanaſium, ejusve aliquod monumentum: Quoniam Athanaſius talia ſit ſuo ævo paſſus à theologiſtis, qualia nunc Reuchlinus.

„ Quid, inquit, magis par fuerit, primo quidem, quam Archi Epiſcopo Moguntino donari Archi Epiſcopum Alexandrinum: Deinde vero & eum Archi Epiſcopum, qui olim tam diuturnam perſecutionem „ à calumnioſis proditoribus, ac mendacibus theologiſtis, pro veritate non abſimiliter cum præſenti donatore (Reuchlino) paſſus eſt, ſi liceat parva comparare magnis, & tempora temporibus. Athanaſius „ namque omne ſtudium, omnem operam, omnem laborem ad id ſolum converterat, ut Eccleſiam recta „ fide augeret. Ego pariter ille Reuchlin, idem qui & Capnion, quæcunque de hebraicis voluminibus „ aut libris dixi, ſcripſi, conſului, ad incrementum Eccleſiæ catholicæ feci, ne odioſa crudelitate fugarentur, ii qui foris ſunt, quin potius communicatione linguarum & benignitate, clementia, humanitate, ad „ noſtram fidem in fideles allicerentur, juxta Patrum conſtitutiones. Sic & Paſcaſio reſcriptum extat, & „ Toletanum Concilium decrevit. Præceperunt namque ſancti Patres Eccleſiæ catholicæ ac proavi noſtri, „ ut in jure Canonico ſtatutum legitur, ita cum Judæis agendum eſſe, ut potius ratione & manſuetudine „ provocati, ſequi nos velint, non fugere, ut eos ex eorum codicibus oſtendentes quæ dicimus, ad ſinum „ matris Eccleſiæ, Deo poſſimus auxiliante convertere. Non ex noſtris codicibus, ait Jus, quæ quidem Bi„ blia eſt. (Nam omnia noſtra facimus, Lex inquit, quibus autoritatem impertimur.) Noſtra igitur eſt „ Biblia, non eorum. At ex eorum codicibus clementer ipſis oſtendere jubemur errores ſuos, non fu„ rere, non inſanire, non codices eorum publico incendio comburere, quos legere, quos & interpretari, „ transferreque nobis injunxit, autore Clemente quinto, ſancta mater Eccleſia. Hæc & alia Concilii „ Viennenſis monita imitatus ego, conſului pro commodo fidei, diſcrete admodum & limitate, ne libri „ Judæorum concremarentur. Profecto neſcius illo tempore, quod Theologiſtarum cohors & mini„ ſtri ad ſpem futuri ſibi lucri aliter contuluiſſent. Poſt autem quam prudentiſſimus imperator Maxæmi„ lianus, mei conſilii audiens, hebraicorum librorum combuſtioni ſuperſediſſet, ecce rediit mox poſt ha„ bitis illorum conſiliis, ſancti Athanaſii hiſtoria, in mei perſequendi exemplum retorta, cum excreviſſet „ ac intumuiſſet Theologiſtarum adverſus me flagrans invidia. Quam ad rem ut poſſent etiam ignobi-

„lis vulgi concinnare suffragia, cœperunt incredibilia fingere mendacia, quæ post adjuvante Deo comper-
„ta sunt fuisse prorsus ementita. Nam causa tota in Judicium deducta, & Apostolica sententia contra
„illos ac pro me lata, negotium omne patefactum est, & impostores notati sunt infamia. Cujus ob
„nauseam ut longiori me tempore vexarent, Summum Pontificem appellarunt. Ubi multis & annis &
„impensis re gesta Romæ, cum jam votis me doctissimorum virorum absolvendum fore audivissent,
„mandatum de supersedendo reverendissimis Judicibus repræsentarunt, & justitiæ rotam stiterunt, quæ
„annos supra duos in Heremodicio perstitit, sed contumelia non quievit. Interea enim Theologistæ
„Peperimanitæ, post proditionem, post injuriarum factionem, post scripturarum falsationem, post ca-
„lumniosam accusationem, post apostolicam absolutionis meæ sententiam, post papalem inhibitionem,
„& fulminatam excommunicationem, qua usque hodie detinentur irregulares, in atrocibus injuriis
„perseverantes, famosos contra me libellos divulgarunt, mendaciis plenissimos, & variis picturis nomen
„meum pro rostris ac ubilibet locorum suffixerunt, quibus me bilinguem delineabant, cum sim quinque
„linguarum peritus, Germaniæ, Gallicæ, Latinæ, Græcæ ac Hebraicæ, nec non & Chaldaice scripta me-
„diocriter calleam. Supra igitur quinquilinguem me depingi oportuit, non bilinguem tantum. At
„hæc via illorum, scandalum ipsis, ut inquit Psaltes. Jam vero cum experiuntur se in criminibus ad-
„versum me nihil posse, tum relicta ut ipsi asseruerant fidei causa, per advocatos utinam virtute præstan-
„tes, ad apiculos juris confugiunt. Si forte, quanquam non sua industria, qui ad injurias solum & non
„ad jura nati sunt, tamen advocatorum solertia ullam invenire queant captiunculam, quo judiciarii pro-
„cessus formula vel aliquantulo momento vacillet. Expectandum igitur nobis est, quid futurum sit
„Christus ne vincat an Chrysus. Sed quid in hac omni re mea conspicitur à sancti Athanasii persecutio-
„ne alienum? Quid distat nisi sola beatitudo, quam ille habet triumphans, ego desidero militans, & qui
„sentio intra me parem animum, spero illius intercessione par præmium. Tempora fateor illi fuerunt
„longiora, ceterum similis alioqui utriusque oppressio, similis impugnatio, simile decepti ac concitati
„vulgi odium. Absit invidia comparationi, non enim cum sancto peccatorem, neque cum episcopo lai-
„cum me confero: Sed consimile negotium affero. Passionum hic ratio habetur, non passorum, hostium
„similitudo, paritas votorum, æqualis Theologistarum calumnia. Ut igitur oblivisear meorum, ad Beatum
„Athanasium reverto, plenum virtute, imo ipsam virtutem. Is ubi cum Theologistis sentire nec potuit
„nec voluit: odiebat enim mecum anilia in disciplinis theologicis sophismata, quæ ita illi ut hi nostri
„amplexabantur, unde ducti sunt in hæresum profunda barathra: Tum obruitur multitudine Ariano-
„rum, quos nulla legum reverentia, nullo juris præsidio vitare, sed sola fugâ poterat. Interea sibi con-
„cessis induciis, jussu imperatoris Constantii, Archilao præsidente, omnem obtrectatorum accusationem
„& vivis & præsentibus testibus extinxit. Nam in omnium hominum frequentia, & omnium spectato-
„rum concursu, mulier, quæ illis fingebatur ab Athanasio stuprata, ipsa crimen in Timotheum presbyte-
„rum rejecit. Arsenius Melitanus, quem ostenso brachio, de corpore cujusdam mortui extracto, dixe-
„rant ab Athanasio fuisse occisum, in conspectu omnium vivus & integer apparuit, & voce alta sanctum
„à tanto crimine homicidii purgavit. Calicem, cujus cum altario fracturam impegerunt Athanasio, cle-
„rici ejus templi universis in præsentiam attulerunt. Verum, quia non judicandi sed opprimendi homi-
„nis causa concilium gerebatur, fragor omnium Theologistarum repente attollitur, Magum esse Atha-
„nasium, nec debere ullo modo talem hominem vivere. Irruentibus igitur in eum adversariis, avulsus est
„nutu præsidis, nec illi manus inferrentur, atque ut vim, arma, incursionem, impetum, furorem, terro-
„resque mortis evaderet, ubi hominum divumque jus fasque locum non habebant. Latuit igitur ad
„tempus, ut fructuosius fidei succurreret. Post multos itaque annos, mortuis crudelibus, Constantio,
„Constante, Constantino & Juliano tyrannis, tandem Joviano imperatore, cum incredibili doctrinæ suæ
„præconio, & ingenti morum laude, restitutus est honori, dignitati, & Ecclesiæ suæ. In qua docuit plu-
„rima orthodoxæ fidei non solum utilia verum etiam necessaria. Scripsit & innumera cognitu digniss-
„ima, quanquam eorum magna pars interiit, quædam autem usquam in hanc ætatem græce leguntur;
„E quorum numero præsens hoc esse arbitramur opusculum, quædam denique à Romane doctis tradu-
„cta servantur. Illud tamen ad artes & in calce hujus prologi haud obmittendum duxi, quod de tanto
„fidei protectore, XLII. annis persecutionem theologistarum perpessо, Gregorius Nazianzenus scripsit:
„Ἐν γήρᾳ καλῇ καταλύει τὸν βίον, καὶ προσίθεται τοῖς πατράσιν αὐτοῦ, πατριάρχαις καὶ προφήταις,
„καὶ ἀποστόλοις, καὶ μάρτυσι, τοῖς ὑπὲρ τῆς ἀληθείας ἠγωνισμένοις, i. e. in senectute bona exsolvit vi-
„tam, & apponitur patribus suis, patriarchis & prophetis, & apostolis & martyribus, qui pro veritate
„certarunt.

Scr. in Acad. Julia,
A. 1716. d. 16. Dec.

Erasmus Hochstrato dominicano, Colonienſi theologo,

Anno 1519. Pro linguis!

„COnsulueris non ordini modo Dominicano, verum etiam universo theologico, si quorundam maledi-
„centiam insulsissimam autoritate tua reprimas, qui passim in publicis aut privatis prælectionibus, in
„disputationibus, in conviviis, in conciliabulis, in colloquiis, & quod gravissimum est, in sacris & publicis
„concionibus, virulentissime deblaterant in linguarum peritiam, in politiores literas, in harum invidiam anti
„Christos, hæ reses, & alias id genus tragicas voces admiscentes; cum obscurum non sit, quid Ecclesia
„debeat viris linguarum peritis, quid debeat eloquentibus. Hæc studia non obscurant theologicam digni-
„tatem, sed illustrant; non oppugnant, sed famulantur. Neque enim ideo protinus cum hæreli copulata sit
„musica, si quis forte musicus huc prolapsus deprehendatur. Damnandus est error hominis, studiis suis ser-

„vandus eſt honos. At nimis prolixum ſit referre, quam ridiculas fabulas de quibusdam audiamus „quotidie, qui dum conantur apud imperitam plebeculam traducere bonas literas, cordatis, doctis, ac „probis viris ſuam produnt impudentiam parem ſtoliditati. Si Theologia cohoneſtabit hæc ſtudia, „viciſſim ab his decorabitur; ſin ſugillabit & calumniabitur, metuo ne fiat, quod ait Paulus, ut dum mu„tuis morſibus ſeſe conficiant invicem ſibi ſint exitio.

Eraſmus Pirkheimero Conſiliario Cæſareo, An. 1517. In Apologiam Pirkheimeri pro Reuchlino.

„PErplacuit tuus libellus, ut illa tam amica Reuchlini defenſio, in qua mihi videre ſolito facundior: „Credo quod, ut Fabius inquit, pectus quoque te reddiderit eloquentem, non tantum ingenium, aut „eruditio. Sed ego nihil puto calamitoſius, quam quocunque modo bellare. Tam autem nihil eſſe „calamitoſius quam ſi res incidat cum hoſte ſordido ac pudendo. Nam cum quibus tandem eſt con„flictandum Reuchlino? Cum populo crabronum (Dominicanis,) quem & ipſe Romanus, Pontifex „vereatur provocare; adeo ut Alexander ſolitus ſit dicere ſe tutius ſibi putare quemlibet è ſummis regi„bus offendere, quam unum quemvis è gregibus iſtorum mendicorum, qui ſub abjecti nominis prætextu „veram in orbem Chriſtianum exercerent tyrannidem. Etiamſi hoc, quod paucorum vitio committi„tur, non opinor æquum in ordinem univerſum conferre. Deinde vide quæſo quonam organo utuntur „iſti veræ religionis haud quaquam veri profeſſores (Theologi Colonienſes.) Homine prorſus idiota, „(Pepericorno) frontis perfrictæ, & de quo, peccando, nullum omnino detrimentum, fieri poſſit, cui non „eſſet impingendum ſemi Judæi vocabulum, niſi factis ſeſe declararet ſeſqui Judæum:. Quod aliud in„ſtrumentum optaret ſibi diabolus, Chriſtianæ religionis æternus hoſtis, quam iſtiusmodi angelum Sa„tanæ transfiguratum in angelum lucis, ad falſiſſima defendenda religionis prætextu, id ubique turban„tem, quod noſtræ religionis & caput eſt & optimum, nempe publicam orbis Chriſtiani concordiam? „Quid indignius, quam viros immortali memoria dignos cum iſtiusmodi portento digladiari? cujus e„go ſolo nomine chartas pollui puto. Diſpeream, niſi ille ſe non alio conſilio tingendum aqua curavit, „niſi ut majore pernitie graſſaretur in Chriſtianos, & nobis admixtus univerſum populum ſuo Judaico „veneno inficeret. Quid enim lædere poterat, ſi Judæus, ut erat, manſiſſet? Nunc demum verum agit „Judæum. Poſteaquam Chriſtiani perſonam induit, nunc ſuo reſpondet generi. Illi Chriſtum ſunt „calumniati, ſed unum: Iſte debacchatur in tot integros ac ſpectatos vita & eruditione viros. Nullum „officium poterat ſuis Judæis præſtare gratius, quam ut perfugam ſimulans, rem Chriſtianam hoſtibus „proderet, homo ad cetera lapis, tantum ad calumniandum ingenioſus. Annon Satanæ apoſtolus eſt, „qui totam vitam huic Studio dedicavit, ut apud imperitam plebem optimorum virorum nomina infa„met ac traducat? ad rem omnium ſceleratiſſimam religionis abutens titulo, quæ non cujusvis dæmonis, „ſed inſigniter verſuti cujuſpiam techna eſt. O ſceleratum granum, & illi diſſimillimum, quod cadens „in terram, & mortuum vitæ pabulum attulit. Hoc granum diaboli manu jactum eſt, aconiti puto, aut „ſi quod aconito peſtilentius, quod ni in tempore proſpicietur, nocentiſſimum diſſidiorum venenum in „Chriſtianorum invehit concordiam. Quid enim futurum eſt tandem, ſi ſinetur ille lycophanta ſic in „omnes ſui diſſimiles ad eundem debacchari modum? & impuriſſimæ belluæ docti viri cogentur libris „reſpondere, qui indignus eſt, qui nominetur inter homines. Crede mihi, Bilibalde doctiſſime, latius „ſpectant hæc orſa, quam fortaſſe vulgus hominum intelligit. Videmus ex quantula ſavilla quantum „aliquoties naſcatur incendium. Proinde demiror Epiſcopos hic non advigilare, ut iſtam hydram in tem„pore exurant, & malo venenum vectori & per omnia pervagato occurrant. Sceleſtus ille maledicus „vinci non poteſt, qui totus ex maledicentia conflatus eſt, is habet tot ἀλάστορας qui defeſſo ſuggerant „novas vires, (Colonienſes theologi.) Conviciis igitur ille nunquam vincetur. Eruditi non ſolum „turpiter verum etiam inaniter contra hunc congrediuntur, à quo præter infamiam nihil poſſunt con„trahere, ſive vincant ſive vincantur. Carnifix aliquis melius iſtam compeſcat rabiem. Id curare „Epiſcoporum eſt, eſt juſtiſſimi Cæſaris Maximiliani, eſt magiſtratuum inclytæ urbis Agrippinæ, non fo„vere viperam tam virulentam in certiſſimum religionis Chriſtianæ exitium, niſi paretur antidotus tali „digna malo.

Eraſmus Dominico Cardinali Grimano, An. 1515. Pro magnis Reuchlini in rem publicam meritis.

„SCis, jam vetuſtiſſimum illud eſſe, ut invidia quam excetra nocentior egregiis conatibus ſemper obſi„bilet. Id quod nuper in ſummo illo viro, Joanne Reuchlino non ſine ſummo animi dolore con„ſpeximus. Jam par erat, jam tempus erat, ut homo venerandæ ſenectutis ſuis pulcherrimis ſtudiis „frueretur, & ex honeſtiſſima juvenilium ſemente laborum, ſuaviſſimam caperet meſſem. Conveniе„bat, ut vir tot linguis, tot diſciplinis inſtructus, hoc velut ætatis autumno divitem ingenii proventum „in univerſum orbem effunderet. Ad hoc erat laudibus exſtimulandus, præmiis invitandus, ſtudio in„flammandus. Et exortos audio, neſcio quos, qui, cum ipſi nihil præclarum efficere poſſint, perver„ſiſſima via gloriam aſſectent. Deum immortalem quam frivolis ex nugis: quantas tragœdias concita„runt! Ex libello, imo epiſtola, eaque Germanice ſcripta, quam nec ediderit ipſe, nec edendam putarit, „tantum excitari tumultus! quis unquam vel ſcriptum noviſſet eum libellum, niſi iſti mundo publicaſ„ſent. Quanto placabilius erat, ſi quid ibi fuiſſet erratum (ut errant homines omnes) id vel premere „vel candide interpretari, aut certe tam eximiis hominis virtutibus condonare. Non hoc dixerim, quod „illic ullum videam erratum, qua de re ſane eſt aliorum pronunciare: illud dicam, ſi quis ad iſtum mo-

dum

„dum malignius & ut græci dicunt ἀπολόμως, excutiat divi Hieronymi libros, permulta reperiet à no-
„strorum theologorum decretis longe lateque discrepantia. Quorsum igitur attinebat, virum & literis &
„ætate venerabilem, ob rem nihili in hujusmodi pertrahi turbas, in quibus jam septimum, opinor, per-
„dit annum? Utinam hoc operæ, utinam hoc temporis, licuisset adjuvandis honestissimis literarum stu-
„diis impendere. Nunc omnibus dignus præmiis, molestissimis litibus involvitur, non mediocri docto-
„rum omnium, imo totius Germaniæ & dolore & stomacho.

Nervosum Compendium historiæ Reuchlinianæ, ore Joannis Sleidani, in Commentariis de statu Religionis & reipublicæ Carolo V. Cæsare, Libro II. fol. 22. 23. editionis primæ, Argentor. 1555.

„JOannes Pfeffercornus, Christianæ professionis Judæus Maximilianum Cæsarem diu multumque sol-
„licitaverat, (An. 1509. 1510.) ut libri Judæorum abolerentur omnes, quod essent impii plenique super-
„stitionis, & impedirent, quo minus ad Christianismum illi converterentur: itaque nihil illis permitten-
„dum esse præter Biblia. Maximilianus tandem Urieli mandat Archi Episcopo Moguntino in Acade-
„miis aliquot & Jacobo Hogostrato inquisitori & Joanni Reuchlino det negotium exquirendi ac deli-
„berandi, quid fieri conveniat, & an sit ex usu nostræ religionis, ut, Bibliis exceptis, reliqui omnes exuran-
„tur libri? Fuit hoc An. 1510. Reuchlinus, qui & Jure consultus erat, & hebraicæ linguæ peritissimus,
„acceptis à Moguntino literis, quid sui esset consilii, perscribit: & hebræorum libros ait esse tripartitos,
„historicos, medicos, Thalmudicos, & hos quidem non esse ejusdem generis omnes. In iis autem etsi
„multa sint ridicula & superstitiosa, tamen in hoc esse perutiles, quod ad illorum refutandos errores atque
„deliria magnopere conducant. Hanc suam sententiam Archi-Episcopo mittit obsignatam. Pfeffer-
„cornus autem ubi rescivit, magnam excitat tragœdiam: Et evulgato libro (Hand-Spiegel) illum op-
„pugnat, & tanquam Judæorum vindicem atque fautorem traducit. Capnion, ut existimationi suæ
„consuleret contrario scripto (An. 1511.) respondet: (Augen-Spiegel) Eoque multas in se concitavit
„Academias, Colonienſem inprimis, Erant tum in ea præcipui nominis Jacobus Hochstratus, Arnol-
„dus Tungrus. Et hic quidem invectivam in eum emisit, conatus idem quod Pfeffercornus demon-
„strare, ac libellum inscripsit Maximiliano Cæsari, (Anno 1512. Propositiones de Judaico favore nimis
„suspectæ: Cui respondet Reuchlinus Anno 1513. Apologiâ adversus Colonienſes.) Postea litem ad-
„versus eum instituunt, & agitata res fuit apud Moguntinum, cujus ad jurisdictionem reus pertinebat.
„(An. 1513. mense Septembri.) Actor erat Jacobus Hochstratus. Eum Reuchlinus ut inimicum atque
„suspectum recusabat, & initio quidem per Procuratorem (An. 1513. d. 20. Septembr.) Cum autem
„nonnulli (Moguntinum Capitulum) intercederent, venit ipse Moguntiam (An. 1513. d. 9. Octobr.) comi-
„tatus aliquot nobilitate generis & doctrina præstantibus viris (Schillingio & Lempo, illo nobili, hoc
„theologo, Ducis Würtenbergensis consiliariis) quos ei Dux Würtenbergicus Ulrichus adjunxerat.
„Cum ibi frustra pacis nonnullæ rationes proponerentur (per Capitulum d. 9. 10. Octobr.) ille ad Ponti-
„ficem Romanum provocat (d. 10. Octobr.) Is rem delegat Episcopo Spirensi, Georgio Palatino, simul-
„que mandat, ne quis præterea de causa cognoscat. Colonienſes autem, nihil eo commoti, librum
„Capnionis damnant, citra contumeliam tamen, ut ajunt autoris, & Februario deinde mense, An. 1514.
„exurunt. Tulit hoc indigne Spirensis: & quoniam actor more consueto per intervalla citatus non
„comparuerat, secundum Capnionem pronunciat, ejusque librum approbat, & Hogostratum damnat
„in sumtum litis resarciendum. Ille vero, ut sententiam hanc irritam faceret, Romam petit: Interim
„theologi sodales Parisinam Academiam sollicitant, & per Leodiensem Episcopum, Erardum Marchia-
„num, qui tunc erat Gallicarum partium, Ludovico regi XII. causam commendant. Itaque Parisienses,
„à multa deliberatione, librum & ipsi damnant, ut incendio dignum, & autorem ad revocationem co-
„gendum, & libros Thalmudicos recte damnatos olim à Pontificibus, & à suis antecessoribus crematos
„esse judicant. Fuit hoc eodem anno, postridie Calendas Augusti. Princeps Würtenbergicus in-
„tercesserat apud eos per literas, ipse quoque Reuchlinus amanter scripserat, quod ipsorum fuisset ali-
„quando discipulus, & una mittebat à Spirensi latam sententiam. Sed id frustra fuit. Hogostratus,
„Romam profectus, diligenter causam agit. Sed erant Cardinales, qui propter insignem eruditionem
„amabant Reuchlinum. In his erat Adrianus, cujus extat De lingua Latina liber. Leo tandem delectis
„aliquot rem committit. Et cum magis in Capnionem propenderent, Hogostratus, qui supra tertium
„annum ibi commoratus fuerat, nulla re perfecta domum revertit. Incredibile autem est, quantum
„invidiæ sibi conflarint hoc facto Colonienſes Theologi. Nam quicunque erant viri docti per Germa-
„niam, variis emissis in illos atque facetis libellis, Reuchlinum propugnabant, falsè deridentes illos, ut
„homines barbaros, linguarum & omnis literaturæ politioris hostes. Commendabat etiam eum Car-
„dinalibus, & quibus opus erat, Erasmus Roterodamus, & extant ejus hac de re missæ Romam epi-
„stolæ.

Doctor

Doctor Johannsen Reuchlins der K. M. als Ertzhertzogen zu Osterreich auch Churfürsten vnd fürsten gemainen bundtrichters inn Schwaben warhafftige entschuldigung gegen vnd wider ains getaufften iuden genant Pfefferkorn vormals getruckt vsgangen vnwarhaftigs schmachbüchlin

Augenspiegel



Inn disem büchlin findt man vvas hernach volget:

Item erzelung dises handels, auch gebürliche fürwort protestationes vnnd vordrung.

Item ainen ratschlag ob den iuden ire bücher zu verbrennen sind.

Item vff die ietz getone frag findt man inn dem ratschlag von allen vnd yegklichen iuden büchern vnd schrifften nichts vsgenommen dise nachuolgent antwurt die dan von kürtze wegen durch den gantzen ratschlag an allen orten, fürgemelt, repetiert vnd wider geefert sol gehalten werden. Wie sie auch by anfang mittel vnd end inn den ratschlag mit vsgetruckten worten bedacht wirt, dem ist nemlich alsso By welchem iuden wissenlich gefunden wirt ain sollich buch das mit usgetruckten worten zu schmach, schanden vnd vneere vnserm herrn got Jesu seiner werden muter, den hailigen, oder der christenlichen ordnung gemacht were, das mœcht man nemmen vnd verbrennen, daraus man verstat, dass die schrifften so etwas gots lesterung oder ketzeryen von cristenlicher ordnung den iuden verbotten inn sich halten, sollent verbrent werden, am andern blat by dem J. am xv. blat ob dem H. am xiiij. blat oben an der andern seitten.

Item innsunderhait von dem Thalmud, dass er von vilen vnd manicherlai gesunderten büchern zu sammen gesetzt, vnd ains von dem andern vnderschidlich wol zu tailen ist, am iij. blat ob dem M.

Item in welchen büchern der gemelt thalmud inn im haltet gotslestrung oder ketzerei von cristenlicher ordnung oder satzung den iuden verbotten, dieselben sollen wie obgelut hat verbrent werden, doch mit der mas wie man findt hie vnnden in den latin by den argument des halb gemacht. Aber sunst inn welchen büchern allain andere ding nütz oder vnnütz, guts oder bœs, leichtfertigkait oder torhait stund begriffen, so von cristenlicher ordnung nit sunders vervrtailt oder verbotten were, dass mœcht mit andern irrungen hin gon vnd beleiben, am x. blat mittel an der ersten seiten.

Item des gleichen soll es gehalten werden mit allen andern iren büchern.

Item darnach volgent die ynreden so man inn der schul zu latin nach gewonhait der gelerten darwider üben vnd bruchen mœcht mit kurtzen antwurtten.

Item zu letst ain warhafftig entschuldigung wider den getaufften iuden vnnd sein obgenant vnwarhafftigs vsschreiben.

ALl vnd yegklich in was eern, wirden, stands oder wesens die seien so die warhait lieb haben, vnnd dar gegen vnwarhafftig wortt vnd schrifften zu ruck vs gegossen vnd die lüginen hassent, als die nach gœttlicher satzung billich zu hassen stend, Bitt ich Johannes Reuchlin kaisserlicher rechte doctor disen nachuolgenden, hinderrücklingen, vnwarhafftigen vsgegossen handel ains getaufften iuden (got wœllt cristenlich bestetigt) so sich Pfefferkorn nempt wider vnd gegen mir gantz vermessenlich meinethalb on all vervrsachen vnd vnuerschuldt sunder on all not, hinderwerts on ainich anuordrung wider got eer vnd recht durch ain offen getrucktes schmachbüchlin vnd lasterschrifft das er nent handtspiegel geübt vnd menigklichen in nechst verruckter Franckfurter vasten mess eröffnet, also hertzlich zu bedencken auch strafflich vnd vnleidenlich zu erachten, wie ainen gemainen giftigen landtschaden, der ain yeden biderb vnd frumen menschen betreffen mœchte, vnd billich zu fliehen vnd nach allem vermœgen zu verhütten ist, Vnnd wa sollichs mit zugebung ainichs glaubens oder glimpffs also vngestrafft hin gieng, würde es leichtlich ainen yngang vnd nachuolg geberen vnd machen, das ain yeder so dem andern widerwertig were oder sein wœlte, all frum erber vnschuldig vnd vnuersprochen biderb leut mans vnnd frawen personen auch iunckfrawen, vnnd yeden hoch oder nieders stands mit der vnwarhait hinderrucks der gleichen gestalt mœcht schenden vnnd lestern welcher zeit es ainem gelustigt oder geliepte, vnd were also dehain biderb mensch ainichs stats von sollichen leichtuertigen hinderrücklingen klaffern seiner eern vnd glimpffs dehainer zeit frei noch sicher, das dan als ain gemain pestilentz oder gemainer landsshagel von yeder erbarkait billich genempt vnnd geacht würdet, so gleich gemainlich die œbersten als die niedersten betreffen vnd niderschlahen mœchte mit der zeit, altem sprüchwœrtlein nach. *Ist es heut ann mir so ist es morn an dir.* Wie dann mir auch warlich vnuersehenlicher

licher weisse begegnet, vnd vff mein vndertenig warhafftig grüntlich handlung allain zu gehorsam K. M. vnd zu eere meinen gnedigsten herrn von Mentz vff ir ernstlich gebot vnd beuelch on alle widerred geübt, dargegen der vnglimpff mit der vnwarheit zu gemessen werden will. Dar wider ich all vnnd yeden undertenigs dienstlichs vnnd freuntlichs flifs bit mein vnschuld nahuolgender mainung, mit gedult vnd müssigklich zu vernemen, dem ist alsso. Alls vor etlichen zeitten der getaufft iud obgenant nach dem vnnd er ainen schwern handel vnnd span vormals mit den iudenn gehapt wie mengklichem zu Worms wissend ist, für sich gefasst vnd grossen fleis angekeret hat, wie er die sach mœcht vff die ban richten das man allen iuden in dem gantzen rœmischen reich alle ire hebraische bücher klain vnd grofs inn was gestalt die wern nemen mœcht, allain den blossen text der bibel hin dann gesetzt, wie das clarlich aufs ettlichen seinen getrucktenn büchlin zu verston ist, daruff ich mich zeuch. Dem selben nach er by kayserlicher maiestat durch vil übung vnnd mit treffenlicher grosser fürdernus am ersten ain gebott vnd mandat erlangt, lauttend allain vff schmachbücher so die iudenn zu schanndt vnnd laster der cristenlichen kirchen hetten lafsen aufs gon, die soltten an iedem ort wa die wern im reich von den pfarrern vnnd ettlichen vom rat oder gericht da selbs besichtigt vnnd wan die dermassen erfunden als dan genommen vnnd abgethon werden, wie dan das selbig gebott vnnd mandat aigentlicher in sich gehalten hat, ist noch vil leuten vngezweifelt inn frischer gedechtnus, das selbig mandat hat mir Pfefferkornn der getaufft iud inn verschinem iar inn mein haus gebracht, mit bit vnnd begere, die weil ich der hebraische sprach vnderricht were, das ich dann wœlt mit im hinab ann den Rein reitten, im das helffen wider die iuden vollstrecken, das hab ich im aigner geschefft halb abgeschlagen, vnd doch dar zu gesagt, man werd nichts daruff haltten, dan wie wol die mainung betreffend die schmachbücher im grundt gut vnd loblich sei, so hab es doch der rechten form halb ettlich gebrechen vnd mengel, die ich im auch mit dem finger gezaigt hab. Als er aber von mir schaiden wolt, begert er an mich die yetz gedachten gebrechen vnnd mengel inn dem mandat im von mir vor angeregt, warumb man nichts daruff würd halten vffzezaichnen. Da schrib ich im die selben stuck vff ain zedelin ab ainem bappier gerissen, dar durch er nit gedechte ich wœlt inn vfffetzlich vom gemelttem kaiserlichen mandat ab zeston als ainen vnuerstendigen gern überreden, vnnd vff das er mir hinderwerts nit mœcht nach reden, ich het anders mit im geredt dann an im selber war were. Alfso hab ich lanng zeit hernach nichts mer dar von gehœrt, was er vnder den wylen gepratticiert vnnd gearbait hat wais ich nit, dann yetzt zu letst umb Bartholomei des nechst verschinen iars ist mir von meinem gnedigsten herrn von Menntz als ertzcantzlern des hailigen rœmischen reichs, vnd dar zu in disem handel betreffend die gedachten iuden bücher sunderlich verordnetem Commissatien ain kayserlich mandat uff mein person nemlich lauttendt inn ainem besundern seiner gnaden beuelch brieff sampt der kaiserlichen commission yngeschlossenn vnnd versigelt by ainem geswornen botten als er sagt ylends zugeschickt.

Laut die commission von wort zu wort alfso:

„ Maximilian von gotts gnaden Rœmischer „ kaiser &c. Erwirdiger lieber neue vnnd chur„ fürst, vnns zweifelt nit dein lieb sy noch inn fri„ scher gedechnus der handlung so wir der iuden „ bücher halben in verschiner zeit fürgenommen, „ vnd daruff wir dich mit sampt etlichen vniuersi„ teten vnd andern gelerten vnd der sach verstendi„ gen zu commissarien verordnet laut vnser com„ mission des halben vfs gangen, Nun haben wir „ in verschiner zeit den iuden ire bücher wider zu „ geben verschaffen, der gestalt das die alfso beschri„ ben vnd vnuerruckt bifs vff vnsern wytern be„ uelch behalten werden. Da mit aber inn solli„ chen allem grüntlichen gehandelt werden mœg, „ so empfelhen wir deiner lieb ernstlich vnnd wœl„ len, das du den vniuersiteten Cœln, Mentz, Erdt„ furdt vnnd Haidelberg, des gleichen Jacoben „ hochstrafs ketzermaister zu Cœln lerer der haili„ genn schrifft, Johann Reuchlin lerer der recht, „ Victor von korb priester, vnd andern der hebrai„ schen schrifft vnd gesetz verstendigen vnd gelerten „ die nit iuden sind, fürderlichen schreibest, vnnser „ für genommen handlung anzaigest, vnd von vn„ ser wegen beuelhest die sachen grunttlichen nach „ notturfft zu erwegen vnd zu beratschlagen, wel„ cher massen vnd vff was grundt vnd weg das al„ les an zufahen vnd zu thon sy, vnnd sunderlichen „ ob solliche bücher so sie über die bücher der ze„ hen gebot Moysi, der propheten vnnd psalter des „ altten testaments gebrauchen abzethon, gœtt„ lich vnnd loblich, vnnd vnserm hailigen glauben „ nützlichen sei, vnd zu merung vnd gütt kommen „ mœg, vnd dir sollich ire ratschleg zu schicken die „ du als dann fürter auch übersehen, vnnd vns des „ alles mit sampt deinen rat vnd gut beduncken by „ Johansen Pfefferkorn den wir der sachen zu sol„ licitator geordnet schrifftlichen weiter berichten „ solless, vnnd dich dar an kainerlai annder beuelch „ irren oder verhindern lafsest, sunder dem alfso „ nach kommest, daran thut dein lieb vnser ernst„ lich mainung. Geben zu Füssen am sechsten tag „ des monats Julij anno domini &c. xv. hundert „ vnd im zehenden vnser reich des rœmischen im „ fünff vnnd zwaintzigsten, vnnd des vngerischen „ im ain vnnd zwaintzigsten iaren. Ad mandatum domini imperatoris proprium. Per regem pro. ma. Sernteiner subscripsit.

Dem erwirdigen Vrieln ertzbischoffen zu Mentz des hailigen rœmischen reichs durch Germanien ertzcantzlern vnserm lieben neuen vnd Churfürsten.

So laut das mandat alfso:

„ Wir Maximilian von gots gnaden erwœlter „ rœmischer kaiser zu allen zeitten merer des „ reichs inn Germanien, zu Hungern, Dalmatien, „ Croatienn &c. künig, ertzhertzog zu Osterreich, „ hertzog zu Burgund, zu Brabant vnd Pfaltzgraff „ &c. Embietten den ersamen gelertten vnsern an„ dechtigen vnd lieben getrewen. N. rectorn vica„ rien vnd legenten der vniuersiteten Cœln, Mentz, „ Erffurt vnd Haidelberg Jacoben hochstrafs ke„ tzermaister zu Cœln lerer der hailigen schrifft. „ Johansen Reuchlin lerer der recht. Victorn von

„Corbo priester, vnd allen vnd yegklichen der he-
„braischen gesetz, schrifften vnd wesens gelerten
„vnd verstendigen die nit iuden sein, so mit disem
„vnnserm briefl oder glauplicher abschrifft darvon
„ersucht werden vnser gnad vnd alles gut. Wir
„haben dem erwirdigen Vrieln ertzbischoffen zu
„Mentz des hailigen rœmischen reichs inn Germa-
„nien ertzcantzlern vnserm lieben neuen vnd
„churfursten der iuden bücher halben, so sie yetzo
„über die bücher der zehenn gebot Moysi der pro-
„pheten vnd psalter des altten testaments gepru-
„chen ettwas für zenemen vnd zu handeln beuol-
„hen, laut vnser commission des halben vs gan-
„gen, des gleichen üwern ratschlag vnd gut bedun-
„cken hierinn zu vernemen, demnach empfelhen
„wir euch allen vnd üwer yedem ernstlichen vnd
„wœllen das ir inn denselben sachen uff des ge-
„nantten vnsers lieben neuen vnd churfürsten an-
„zaigen fürderlichen vnnd onverzogenlichen
„üwer ratschlege vnd gut beduncken verfasset,
„vnnd die seiner lieb zu schicket, darmit er wyter
„vnserm beuelch nach handeln vnd procediern
„mœg, vnd darinn nit verziehet oder sumig er-
„scheinet, daran thut ir vnser ernstlich mainung.
„Geben zu Füssen am xxvi. des monats Julij nach
„Christi geburt fünfzehen hunndert vnnd im ze-
„hennden ynnser reich des rœmischenn im fünff
„vnd zwaintzigsten vnd des vngerischen im ain
„vnd zwaintzigsten iaren. Ad mandatum domi-
ni imperatoris proprium. Per regem pro. ma.
Sernteiner subscripsit.

So laut meins gnedigsten herrn von Mentz beuelch alsso:

„Vriel dei gratia archiepiscopus Mogunti-
„nus &c. princeps elector. Ersamer vnd hochgeler-
„ter lieber andechtiger, von dem aller durchleuch-
„tigsten, grosmechtigsten, hochgebornen fürsten
„vnd herrn, herrn Maximilian rœmischen kaiser
„vnserm allergnedigsten herrn ist vns ain commis-
„sion vnd beuelch an vns, vnnd da by ain mandat
„an dich ettlich vniuersiteten vnd ander gelerten
„steend, ettlich iuden bücher belangend zu kom-
„men, her inn verschlosnen copy gleichlautennd.
„Demnach vnnd inn crafft vnnsers gegeben kai-
„serlichen beuelchs vnd commission. So beuel-
„hen wir dir, du wœllest die sachen gruntlichen
„vnd nach notturfft bewegen vnd ratschlagen, wie
„vnd welcher mass, sollichs anzufahen vnd zu
„handeln sei, vnd sunderlichen ob sollicher bücher
„so die iuden über die bücher der zehen gebott
„vnd gesetz Moysi der propheten vnd Psalters des
„alten testaments gebrauchen abzuthun gœttlich
„loblich, vnnd dem hailigen christglauben nütz-
„lich sei, vnd zu meerung gotsdienst, vnd guttem
„kommen mœge, vnd was du herinn inn rate by
„dir entschliessest, vns dasselb fürderlich vnd vn-
„gesumpt zu sendest, vns darnach mit vsrichtung
„vnd vollendung K. M. beuelchs haben zu rich-
„ten, daran geschicht K. M. ernst beuelch vnd mai-
„nung vnnd vnns gut gefallen Geben zu Aschaffen-
„burgk montags nach Laurentij. Anno &c. de-
„cimo. Honorabili Johanni Reuchlin docto-
„ri &c. Deuoto nobis in Christo dilecto.

Vss dem allem ich abgenommen das Pfeffer-
korn hernach sich mit dem ersten mandat be-
treffennd die schmachbücher wie ob stat, das wol hin gangen were inhalt meiner ersten schlosred in nachgendem meinem ratschlag begriffen nit hab lassen benügen noch settigen, sunder vff all andere bücher vsgenommen die blosse bibel seinen willen erlangt. Sollich vnnsers allergnedigsten herrn des rœmischen kaisers mandat commission vnd meins gnedigsten herrn beuelch durch den ich ernstlich requiriert vnd erfordert worden bin, hab ich vs schuldiger vntertenigkait mit aller reuerentz vnd eere empfangen, gehorsamlich angenommen, vnd nach meiner besten verstentnis als ainem doctor inn den rechten wol gezimpt erberlich vnd on als verziehen fleisslich vollenbracht, allain vmb der gehorsame willen dero ich mich hab gemaint von got vnnd dem rechten vnderworffen zu sein. Dann ich darumb weder heller noch hellers wert begert noch empfangen hab, Ist mir auch von niemant ichts darumb verhaissen noch angebotten, anders kan von mir kain mensch mit warhait reden, vnd alsso hab ich sollichenn meinen ratschlag wie der hernach volget meinen gnedigsten herrn von Mentz in rats weisse verschlossen vnd versorgt by ainem geschwornen botten zu geschickt, sich nach laut syner gnaden commission wissen zu halten. Ich hab auch denselben meinen ratschlag on ainiche ains anndern schreibers abschrifft der alten erberkait nach by mir selbs in rats wysse behaltten, wie aber derselb myn ratschlag inn des yetz gedachten Pfefferkorns oder seins wyblins handt kommen sei, kan ich noch nit wissen. Dan allain so er darinn gefunden gesehen vnd gehœrt hat, das ich nit nach seinem willen vnd gefallen alle bücher den iuden zu nemen vnd zu verbrennen geraten hab, vsgenommen die bibel, als ich auch das mit recht nit raten kan. So hat er sein vnrechts fürnemen das im billich verhinndert worden ist vnnd sein sol, an meiner aigen person selbs wœllen rechen, vnnd so er das nit hat künden noch mœgen mit gütten eern vnnd fügen thun, hat er sich doch des vnnderstanden mit der vnwarhait vnd nemlich ain schmachbüchliu vnnd lasterschrifft das er nent handtspiegel wider mich gemacht, zu vor vnersücht mein, mir zu ruck vnd hinderwerts mit rat vnd hilff anderer leut, denen ich mein leben lanng mit wisen nie laids gethon sunder mœchtten wol darvnder sein, denen ich freuntlich gedienet hab, als man aus seinen latinischen allegationen verston mag, Vnd wern sie in mein hauss kommen, ich hett inen zucht vnd eere bewisen, vnd mit inen getailt was mir got verlihen hat, Sollich lasterbüchlin hat auch Pfefferkorn verschafft zu trucken, vnd getruckt inn nechst verschiner Franckfurter mess selbs vmbgetragenn verkaufft, vnd durch sein weib in offem grempelkraum yederman fail gebotten, auch ains tails verschickt vnd verschenckt alles mir zu schmach, schandenn, verachtung vnnd vnere. So mir nun sollicher schmach inn vnsers allergnedigsten herrn des rœmischen Kaisers rat vnd dienst des ich billich gar vil bessers dancks vnd lones wartend sein soltt, widerfarn vnd begegnet ist, hab ich das gemellt schmachbüchlin ir maiestaten inn der stat Reuttlingen gezaigt vnnd für gehaltten, auch auff ire begere überanttwurt, nach dem aber desselben mals K. M. durch Schwabennlanndt seer vnnd fast eylet,

vnnd

vnnd als man mir ſagt vil vnnd gros ander ſachen vorhanden warn, das mein vnſchuld mit gütten ſtatten vnd müſſen nit wol nach der lengen mocht gehœrt werden, ſo iſt mir von dem loblichen hoffratt für ainen abſchid worden, alſo, die kaiſerlich maieſtat wœlle die gütlich verhorung meinen gnedigen herrn von Augſpurg beuelhenn, die weil mir aber biſsher kain tag angeſetzt worden iſt, damit ich dan in dieſser Franckfurter herbſtmeſs von frembden leutten die mich nit kennen nit alſso für ainen leichtuertigen man gehalten werde, wie mich der taufft iud in nechſt verſchiner meſs offenlich verunglimpfftt hat. So will ich mich mit ganntzerer warhait gegen mengklichem verantwurtenn, vnnd alls ain verwundter in anhangender taglaiſtung mich ſelber artzneyen vnd hailn, doch on abgeſchlagen gemellt verhœre, zu welcher zeit die fur genommenn würdt gehorſam zu ſuchen.

Damit ich aber inn ſollicher meiner antwurt vnd entſchuldigung nit geſehen noch geacht werd yemants wœllen ſchmehen oder laidigen, ſunder allain mein groſſe notturfft an tag legen, wie ich mir ſelbs des ſchuldig bin vnd thun ſoll, So proteſtier ich *zum erſten* vnd bezeug mich mit dieſser ſchrifft, was ich in diſem handel fürterhin ſchreiben, reden oder anzaigen würd, es gefal Pfefferkorn oder nit, das ich das alles nit will thun noch gethon haben zu rach ſines vnrechtes an mir begangen, noch yemants zu ſchmehen, ſunder allain zu rettung meiner eern, darmit mein vnſchuld an tag kum, vnd dem gemainen nutz zu gut, das ſich mengklich wiſs vor vnwarhaften leuten zu hüten, vnd inen leichtlich nit zu glauben. Diſse proteſtation auch die nachuolgenden will ich inn allen reden, ſchrifften vnd hendeln umb kürtze willen repetiert vnd geefert haben.

Zum andern. So proteſtier ich vnnd bezeug mich offenlich mit diſer ſchrifft. Das ich durch die angehengt kaiſerlich verhœre ob gedacht vor meinen gnedigen hern von Augſpurg zu geſchehen angeſetzt zu diſen mal inn kain rechtlich noch gerichtlich übung mit Pfefferkorn dem getaufften iuden gon noch gegangen ſein will. Dan die weil es ainen notorie offenbaren handel betrifft den der ſelb Pfefferkorn an mir begangen hat wider got eer vnd recht, darumb mir, den meinen, vnd vil andern leuten clag, anſprach, vordrung vnnd handlung wider denſelben Pfefferkorn zu ſtat vnd gebürt, nach vermœg kaiſerlicher recht nit allain zu burgerlicher ſunder auch peinlicher rach. Vnd aber ſollicher peinlicher handel nit vnder xx. iaren erliſt noch vſs gat. So wil ich diſer zeit darmit kainen fürſten oder herrn beladen, ſunder es gehœrt für ain ſchrannen gericht. Vnd bin der hofnung zu got vnd dem rechten, das zu vor vnd ee die ob gedachten xx. iar verſcheinen vnd noch gar vil minders, ſo werd mir der Pfefferkorn vff ainem rechten platz vnnd zu rechter zeit bekommen, das ich oder ander leut die ſich der ſach nach innhalt gemainer rechte, annemen mœgen, mit im an offen ſchrancken vmb diſe notorie offenlich vnerlich miſſshandlung ſo kaiſerliche ſatzungen by ſchwerer ſtraff verbotten haben, peinlich für faren werden, darumb ich mir vnnd inen mit diſer ſchrifft oder verwentem taglaiſten nichts wil begeben haben. Dar zu proteſtier ich vnnd bezeug mich vor aller mengklichem, ob ſich in nachgender myner entſchuldigung würd begeben, das ich billich anregte ainen anſchlag den Pfefferkorn inn ainem andern truck offenlich inn das gantz reich vſsgeſchriben verkündt vnd gelert hat, wie die vndertanen im reich ain vffrur vnd vfflauff gegen irer aigen oberkait machen ſollen, das dan inn kaiſſerlichen rechten by hencken verbotten iſt. So wil ich mir vnd ainen ieden der ſich derſelben notorie offentlichen verhandlungen von rechtswegen annemmen mag. Es ſei den halſsgerichten darinn Pfefferkorn betretten würdt, oder den edlen, ſtrengen vnd veſten, fürſichtigen, erſamen vnd wyſsen, den frummen echt recht fryſchœffen der hailigen haimlichen weſtfaliſchen gericht, als liebhabern der gerechtigkait vnd geordneten volſtreckern inn notorie offenlichen eerloſsen übeltatten, wider die ſo mit verdachten mut kaiſserliche ſtraffen vnd ſatzungen verachten, vnd mutwilligklich verſchmehen, mit diſsen meinen ſchreiben vnd verwenten taglaiſten nichts benommen noch begeben, ſunder mir vnd ainen yeden wer der iſt ſein vordrung vnd gerechtſam gegen vnd wider Pfefferkorn vorbehalten haben, inn diſsen vnd hievor gedachten handel, dan ſo er an allen ortten mit ſeinen vſsſchreiben gefreuelt vnd miſshandelt hat, ſo mag er auch an allen ortten gevrtailt vnd gericht werden nach gewonhait derſelbigen richter vnd gericht, wie das von allter herkommen vnd gebrucht iſt.

Vff hie vorgeſchriben herkommenhait der ſach, vnd meine gebürliche fürwort proteſtationen vnnd vording, da mit niemant mein handlung verborgen oder verhalten werde, ſo thu ich hiernach am erſten mengklichen zu augen ſetzen, meinen ratſchlag den ich inn dehainer andern geſtalt dan allain mercklicher meiner noturfft halb eroffnen vnd geoffnet haben will, dar durch mengklich ermeſſen mœg das der taufft iud im ſelbs vſser ſollichen meinen rat dehain gebürlich rechtmeſsig vrſach hab künden nemen noch ſchœpffen mich lut ſynes vſsſchreibens alſo offenlich zu ſchenden vnd zu ſchmehen. Wie wol er das vnderſtet zu beſcheinen vnd des inn ſeiner laſterſchrifft am erſten blat, für ain vermaint urſach für gibt mit der gleichen worten, ich hab in durch meinen ratſchlag hart angegriffen mit widerſprechung ſeiner vſslegung der hebraiſchen geſchrifft, das im an eeren vnd glimpff beſunder gegen K. M. zu nachtail raichen mœchte, &c. Vnd auch am letſten blat, ich hab im ſollich ſchreiben gegen fürſten vnd herrn vnbillich gethon, darumb es im nit ſei zu verweiſſen &c. Das aber alles hiernach inn meiner entſchuldigung grüntlich vnnd zu recht gnug ſein verantwurttung haben würd. Aber ich ſetze das ich inn meinem überſchickten verſchloſſen ratſchlag mein gut beduncken etlicher iüdiſcher wœrtter halb die vſs hebraiſcher ſprach nit rechtt getuntſt wern worden, vnd darin niemants benempt das ſchreiben wie obgemelt geton het, des ſich Pfefferkorn von im ſelbs on alle nott an nemmen wœlte, So were es doch inn kainen rechten vrſach gnug, das er mich darumb wyter inn anndern ſachen die ſein perſon kains wegs berüren, noch auch inn aigner ſach alſo ſchmehen vnd ſchen-

den ſolte oder mœchte. Sunder ob ich het meinen gnedigſten herrn den ertzbiſchoff von Mentz etwas geſchriben das wider in Pfefferkorn geweſt, ſo hette er gut macht gehabt, ſich deſſelben gegen K. M. oder meinen gnedigiſten herrn von Mentz widerumb ſchrifftlich oder müntlich zu entſchuldigen on allen ſchmach, oder er hette ſich auch des wol vor ſeinem aigen richter wer der were, mir darzu vor verkündt mœgen vnderſton rain zu machen. Oder wan im derſelben zwaien rechtmeſſigen ſtuck kains vermaint geweſen, ſo mœcht er doch den gemainen weg des rechten fürgenommen, ſich vnd mich darumb vor meinen richter beclagt, für den er mich allain mit zwaien pfennigen oder iiij. hellern hette mœgen für vordern, vnd alda benœtigt haben, das were im wol angeſtanden, aber er hat dar vor nie dehain vordrung weder gütlich noch rechtlich an mich geton, ſunder vſſerthalb rechtens hinderwerts ſeinen mutwillen gegen mir gebrucht, vnd mir ſachen zugelegt die inn der tat vnd geſchicht gantz vnwar vnd inn den rechten im Pfefferkorn nit zugehœrig vnkündig vnd über ſein vernunfft ſind, ſunder zu diſputiern inn die ſchul gehœren, wie man hie vnden im latin nach gewonhait der gelerten by den ratſchlag auch anhengklich getruckt erfindet, vnd ſo das mit fürſatz vnd willen mich zu ſchmehen bedachtlich fürgenommen iſt, wie es all vmbſtend der reden vnd ſchrifften mit ſchumpffierenden verwürfflichen worten, ſo mercklich vnd groſs verachtungen vff inen tragen. Desgleichen mit ſpotreden, fürw kappen vnzüchtig wyſen vnd geberden wider gut ſitten aller erberkait gnugſamlichen anzaigent vnd beweiſent. So iſt der miſſshandel vnd übeltat notorie offenbar vnd zu ſampt gebruchter vnwarhait inn die ſtraff vnd pen der kaiſerlichen recht notorie offenlich verfallen vnd ergeben, vnd das man des clarlichen verſtannd hab, ſo bit ich meinen ratſchlag mit den argumenten vnd daruff mein entſchuldigung inn ſunderhait zu verhœren.

Ratſchlag ob man den Juden alle ire bücher nemmen, abthun vnnd verbrennen ſoll.

DEm durchleuchtigſten vnd hochwirdigſten fürſten vnd herrn, herrn Vrieln ertzbiſchoff zu Mentz des hailgen rœmiſchen rychs durch Germanien ertzcantzlern vnnd churfürſten &c. mynem gnedigſten herren, Embeut ich Johannes Reuchlin von Pfortzheim maiſter in der philoſophi, vnd in kaiſerlichen rechten doctor, myn vndertenig willig dienſt alzeit beuor. Hochwirdigſter fürſt gnedigſter herr. Des allerdurchleuchtigſten vnnd groſsmechtigſten fürſten vnd herren herren Maximilian Rœmſchen kaiſers vnſers allergnedigſten herren commiſſion vnd beuelch hieuor an euer fürſtlich gnaden auſsgangen vnnd ietzt mit ſampt ainem mandat überſchickt, hab ich aus rechter vndertenigkait mit hohen eeren vnd reuerentz empfangenn wie ſich gebürt, darinn mir beuolhen iſt, den handel der genommen oder conſignierten iuden bücher ſo ſie yetzo über die gebott Moyſi, der propheten vnnd pſalter des alten teſtaments gebrauchen, grüntlichen vnnd nach notturfft zu erwegen. vnd zu ratſchlagen welcher maſſen vnnd vff was grund vnd weg das alles anzufahen vnd zu thund ſy, Vnnd ſunderlich ob ſollich bücher abzethun gœttlich, lœblich vnnd dem hailigen criſtglauben nützlich ſy, vnd zu meerung gottsdienſt vnd guttem kommen mœg, Wie wol ich mich aber ſœlcher groſſen ſachen der criſtenlichen kirchen nütz, vnd rœmſcher K. M. lob vnnd eer betreffende, gar vil zu klain wais vnnd acht. yedoch auſs ſchuldiger pflicht wil ich lieber gegen mengklichem für vnweis dann für vngehorſam gehalten werden, vnnd daruff mein klain verſtendigkait inn geſchrifft geben vff die fragen wie hernach volgt. Ob den iuden ire bücher ſœllent oder mœgent von rechtswegen genommen, abgethon oder verbrent werden. Sagent ettlich ia, vſs vil vrſachen. Zum erſten, dan ſie ſeien wider die criſten gemacht, Zum andern ſie ſchmehen Jeſum, Mariam vnd die zwelff botten, auch vnns vnd vnſer criſtenliche ordnung. Zum dritten dann ſie ſeien falſch. Zum vierden ſo werden dar durch die iuden verfürt das ſie verharren in irer iüdiſchhait vnd nit zum criſten glauben kommen, Welcher aber ſolch gros übel weren mœcht Vnnd das nit verhütet noch abtette, der were dem tetter gleichfœrmig zu achten vnd ſolte als ain mitverwilliger gleicher ſtraff gehalten werden, *ex. de off. delega. c. i. & i. q. i quicquid inuiſibilis.* Aber etlich ſynd die darzu ſagen, Nain, auch nit on vrſachen. Zum erſten dann die iuden als vnderthonen des hailigen rœmſchen reichs ſollent by kayſerlichen rechten behaltten werden. *l. iudei communi romano iure. C. de iude.* Zum andern was vnſer iſt das ſoll von vns nit mœgen kommen, on vnſer zu thun, *l. id quod noſtrum. ff. de reg. iur.* Zum dritten kaiſerliche vnd künigkliche recht auch andere furſtliche ſatzungen habent es fürkommen das nieman das ſyn verliere durch gewalt. *l. i. §. nequid autem. ff. de vi. & vi.* Zum vierden ſo ſol ain ieglicher by ſynem alten herkommen brauch vnd beſeſſs behalten werden, ob er gleich ain rauber wer, *c. in literis de reſti. ſpo. in fi.* Zum funfften ſo ſollennt die iuden ire ſynagogen die man nennet ſchulruwigklich on irrung vnnd eintrag mœgen halten. *c. iij. ex. de iudeis.* Zum ſechſten ſo ſind ſollch iuden bücher noch nit weder von gaiſtlichen noch weltlichen rechten verworffen noch verdampt, patet per omnia corpora iuris & patrum decreta, Vnnd darumb mainen dieſelben man ſol nit mœgen ſolliche bücher den iuden abreiſſen vnd die vndertrucken oder verbrennen.

In gottes namen amen. Vff diſe frag zu anttwurten iſt not zu bedencken was zizania vnd vnkraut vnd was triticum oder waiſſen ſei, da mit ains nit mit dem andern vſs geraufft werd, wie das hailig euangelium ſpricht *Matthei xiij.* Nun find ich vnnder den iuden büchern das ſie ſeien mannicherlai geſtalt. *Zum erſtenn* die hailig ſchrifft haiſſen ſie Eſſrim varba das iſt xxiiij. dann ſo vil haben ſy bücher

bücher inn ir bibel. *Zum andern* den Thalmud das ist ain versamelte leer vnnd auslegung aller gebott vnnd verbott, so in der thora das ist in den fünff büchern Moysi inen gegeben, der do sechs hundert vnd xiij. inn der zal, durch vil irer hochgelerten vor langen zytten beschriben sind. *Zum dritten* sind ich die hohe haimlichait der reden vnd wœrtter gottes, die sie haissent Cabala. *Zum vierden* sind ich scribenten vnnd doctores die do glos vnnd comment schreiben über yeglichs buch der bibel inn sunderhait. Solliche comment oder commentarien haissen sie perusch. *Zum funfften* sind ich sermones, disputationes vnd predig bücher genant midrasch oder draschoth. *Zum sechsten* sind ich gelert leut vnnd philosophos inn allen künsten die werden mit gemainem wort Sepharim das ist bücher genannt nach eines yegklichen künstners vnnd der kunst namen. *Zum letsten* sind ich poetry, fabel, gedicht, merlin, spœtterei, vnnd exempel büchlin, des hat iegklichs seinen aigen namen, wie der dichter des selben büchlins ainen zufall gehabt hat, vnd die selben werden von dem merertail der iuden selbs für gelogen vnnd erdicht geacht. Vss denen yetzt zu letst gemelten büchlin mag sein, es werden ettliche gefunden aber gar wenig, die ettwas spottwort nachred oder lesterunng vnserm lieben herrn vnnd gott Jesu vnnd seiner werden mutter auch den Aposteln vnnd hailigen zu legent, Deren hab ich nit mer dann zway gelesen, das ain wirt genant Nizahon das ander Toldath Jeschu, ha nozri, das auch von den iuden selbs für apocrypho gehalten wirt, *alls Paulus Burgensis schreibt in secunda parte Scrutinij. c. vi.* Wie wol ich vor zeitten ann kayser Friderichs des dritten vnsers aller gnedigsten herren vatters lœblicher gedechtnus hofe von den iuden da selbst nach vil reden zwischen vnns gehalten hab gehœrt, das solliche bücher von inen abgethon vertillckt vnnd allen den ihren verbotten sy, der gleichen nymmer mer zeschreiben oder zeredenn. Nun aber zekommend vff die frag sag ich also, By welchem iuden wissentlich gefunden würdt ain sollich buch das mit aus gedruckten wortenn schlechts vnnd stracks zu schmach, schand vnd vneere vnserm herrn gott Jesu, syner werdenn mutter, den hailigenn oder der crisstlichenn ordnung gemacht were, das mœcht mann durch kaiserlichen beuelch nemmen vnnd verbrennen, und den selben iuden darumb straffen das er es nit selbs zerrissen verbrennt oder vnder getruckt hett, das bedunckt mich gegründt sein inn den rechten, des ersten da geschriben stat *in l. Lex. cornelia. §. Si quis librum. ff. de iniur.* nemlich alsso. „Ob ainer ain büch ai„nem anndern zu vneere schmach oder schannde „hette geschriben gemacht oder aus geben oder „durch argenlist verschafft hette das deren ains ge„schehen were, vnd ob er gleich das in aines ann„dern namen lies aussgon oder on ainichen namen „wie dann sollich anspraach geburt fur zenem„men. Hat der Senat gewalt durch peinlich „clag iudiciorum publicorum die selb sach straf„fen. Darnach kommet ain ander kaiserlich „recht *l. j. C. de famos. lib.* das spricht alsso. So „ainer ain schantliche schmochliche geschrifft es „sy zu haus oder an der offen stras oder an wel„chen orten es welle, vnwissentlich findt der sol „sie entweder zerreissen ee ain ander dar über „kom, oder sol nyeman dar von sagen. Wan er „aber nit gleich von stund an sollich brieue oder „bücher zerrissen oder verbrent sunder sein in„haltung ainem andern geoffnet hat, so sol er wis„sen das er als ain selbstiffter disser übelthat mit „pynlicher vrtail sol gestrafft werden. Doch ist „das wol war ob ainer seiner aigen pflicht vnd ge„maines nutz bewarung müst tragen so sol er „sein angeben offentlich dar thun, Vnd was er im „hette gemaint durch ain schmechlich geschrifft „zu durchechten gebürn, das mag er mit mund „vssprechen, also das er on all forcht her für trett „vnnd soll das wissen, wa der glaub der warhait „synen reden zu statten kumbt, so wirdt er gros „lob vnnd nit klainem lon von vnser maiestat er„langen, wan er aber sœlchs nit mag erwaisen „war sein, so wirt er sein haupt darumb verlieren, „dannocht sol die selb geschrifft ains andern gut„ten leumbden kains wegs verletzen. Aus disen zwayen kaiserlichen satzungen vnnd rechten clarlich erscheint, das ain schmach buch soll vnder getruckt, abgethon vnd verbrent, vnnd wer das nit tette hertigklich darumb gestrafft werden, vnnd nichtz destminder mag man im sollich schmachbuch nemmen vnd verbrennen, ob er es selbs nit verbrent oder zerrissen hette Doch nit anders dan nach gnugsamer verhœrung, vnd rechtmesiger ergangner vrtail, als das geschriben recht spricht nemlich also. „Nit gleich von stund nach dem „ainer inn gefengknus gefüert ist sol man im das „syn nemmen, sunder nach dem vnnd die vrtail „wider in gangen ist, das hat kaiser Adrianus selig „schrifftlich gesetzt vnnd geordnet, *l. ij. ff. de bo. „damnat.* So vil sei gesagt von den schmachbüchern die ich am letsten tail der iuden bücher angezaigt hab, Dar inn nit anders gehandelt wirt dan wie mit ainem yeden cristen in der gleichen sach gehandelt soll werden, nach dem bayd secten on mittel gelider des hailigen reichs vnnd des kaisserthums burger synd, wir cristen durch vnser churfürsten wal vnd kur, vnd die iuden durch ir verwilligung vnnd offen bekanntnus, als sy gesprochen hond, *Wir haben kainen künig dan den kaisser. Joban. xix.* hierumb so bindent kaiserliche recht cristen vnd iuden ieglichs nach seiner gestalt.

Fürter so sollen in disem ratschlag nach beschaid K. M. commission die Essrim varba das ist die xxiiij. bücher der bibel vss genommen sein, vnnd gar billich, dann die sol man vff al seiten beleiben lassen, vnnd in grossen eeren halten vnnd haben, *sa. s. Hierony. in prologo bibliæ ibi. discamus in terris. Et ij. ad Timotheum iij. Omnis scriptura, Dann vnser cristenlicher glaub hat die selben bücher geregelt, an genommen, xv. distinctio & c. sancta romana ecclesia, alls zeugknus der vvarhait gegründt in evvigkait, als magister sententiarum inn syner vorred schreibt.* Darumb will ich für aus von den andern sagen vnnd nemlich von dem Thalmud, das ist ain samlung der lere aller gebott gottes wie oben gelaut hat in dem andern glid der aus tailung. Vnd ist gemacht worden nach Christus geburt als

ettlich ſchreiben by den iiij. hundert iaren, aber ich hon inn den hebraiſchen büchern geleſen das der Thalmud ſei vſs vil maiſtern colligiert vnnd zuſamen geleſen. Vnnd durch rab Aſſe inn ain lectur oder buch gebracht vnnd gemacht, als by vns das decret oder das buch Sententiarum, oder catena aurea, vnnd das ſy geſchehen xliiij. iar nach Hircanus. Nun iſt Hircanus der letſt des küngs Herodes ſchweher geweſen, vnder den Criſtus geborn ward, vnd ſind doch auch ander Hircani geweſen, da her mag villeicht inn der zal geirt werden. Dan es ſchreibt der wolgeborn vnd hochgelert her graff Johan Picus von Mirandel in apologia, Das der Thalmud anderhalb hundert iar nach Criſtus geburt ſy gemacht worden, doch ſynd zwaierlai Thalmud, der ain haiſt Jeroſolimitanus, der ander Babylonius, Wie dem allem ſo iſt der Thalmud on all ynred gar vil mer dan tauſent iar geweſen, vnd iſt in vier tail getailt wie wir auch alle vnſere lernung in vier facultates ſuperiores getailt haben, Theologiam, Leges, Canones vnd Medicinam. Das ain tail iſt von den hailigen dingen, feſten vnnd cerimonien, Das annder tail iſt von den kreutern vnd ſamen. Das drit tail iſt von der ee vnd den weibern. Das vierdt tail von den gerichten vnd rechten, wie wol Petrus nigri ſechs tail darvſs macht inn ſeinem buch das er nennet ſternen des Meſſias das ſelb iſt zu latin vnnd zu teutſch getruckt. Nun mag wol ſein nach dem die maiſter der iuden geſehen haben das inen die criſten nach vnnſers herrn todt haben wœllenn nach dem zaum greiffen vnnd die haiden ann ſich hencken, alls dann geſchriben ſtat *Actuum xiij.* das dan zu mal die maiſter zu ſamen geton haben, damit die alten lerer vnnd doctores nit vergiengen, vnd ſy den haiden vnnd bekerten iuden deſterbas inn den diſputacionen vnd zanckreden mœchten entgegen kommen, So haben ſie die opiniones vnnd mainungen der alten vnnd irer verrümpteſten vnd gelerteſten maiſter zu ſamen gebracht inn ain buch, vnnd da mit ſollich groſsmüe vnnd arbait ſo ſie vnnd ire eltern mit dichten vnd ſchreiben darinn gehabt hetten nit verloren würd, daruff den iren auch beuolhen ſollich buch in hohen eeren zehaben, ab dem gott ſelbs ſolte ain gros gefallen nemmen, vnd das iſt wol vnd natürlich zu glauben, was ſie haben mœgen erdencken das ſollich lere von iren nachkommen nit verachtet würde, das haben ſie angeben, für gebracht, geſchriben vnd geredt. Vnnd das alles darum das ſie ſich mœchten der haiden vnd getaufften iuden deſterbas erwern vnd entſchütten. Vnd wie wol ich vſs vnlydelichen mangel deſſelben Thalmuds den ich bis her gern' het wœllen zwifach bezalen, das er mir zu leſen worden were, ich hab es aber nie mœgen zewegen bringen, des halb kain verſtentnus des thalmuds hab, dan allain vſs vnſern buchlen die wider ſie geſchriben ſynd, yedoch mag ich wol glauben das die iuden darin vndergemüſst vnd gemengt haben vil vnd mancherlei wort vnd reden wider vnſern lieben herrn Jeſum, ſyne freunde vnd anhenger, wie ſie das im auch inn leben vnder augen geredt haben, er ſei doch nur ains zimmermans vnd ainer armen frawen ſune, vnd ſie kennen in wol, vnd er hab den deufel by im; vnd er ſy kain iud, ſunder ain ſamaritan vnd ain verfürer des volcks, vnnd ſchend vnnd leſter gott, vnd wœllt ſich gern für ainen küenig vffwerffen, vnd dem rœmſchen reich land vnd leut empfüren, Des ſie dan nit im gerechtet vnd vor kaiſerlichem richter ain vrtail wider in behaltten haben darumb er hab ſollen ſterben. Sollich vnd dergleichen mainungen mœcht man villeicht im Thalmud finden an denen ortten da es die materi begeben hett dar von zu ſchreiben. Vnd nach dem auch in denſelben büchern vill narrenwercks diſputatiue in parabolis oder in gleichnus vnd exempels wyſse gefunden mœcht werden, des ſich in geſtalt der argumenten ain doctor in reden wider den andern tut behelffen, will ich auch glauben das es vns ſo wir das hœrten ſagen oder leſen, gar frembd vnd ſeltzſam mœcht nemen, Das kan ich aber nit aigentlich anzaigen, dan ich hab mangel halb der bücher den Thalmud nit gelernt, ſo wais ich kainen criſten menſchen inn allen teutſchen landen der im Thalmud gelernt hab. So iſt by mynen lebtagen dhein iud in teutſchen landen nie getaufft worden der den Thalmud hab kinden weder verſton noch gar leſen, Vſs genommen der hochmaiſter zu Vlm der gleich darnach bald wider ain iud in der Türckei worden iſt als ſie ſagen, Dan wie wol der Thalmudt mit hebraiſchen buchſtaben ſo iſt er doch nit in luterer hebraiſcher ſprach geſchriben wie die bibel, Sunder hat er vil vermilchung anderer ſprachen von orient, Nemlich babilonier, perſier, arabiſcher, griecheſcher vnd anderer zungen, ſo ſind auch vil abbreuiaturen darinn, des halb es vil müe koſt vnd arbait haben wil, darumb nit vill iuden den Thalmud verſton künden, ich geſchweig der criſten. Diſem allem nach vff die fürgehalten frag ſag ich das der Thalmud nit zu verbrennen iſt noch abzethon, vſs vrſachen hie oben erzelet, vnnd die hernach volgent, *Zum erſten*, dan kund vnnd wiſſend iſt das menſchlich vernunfft nit mag daruor ſein, *es müſſen aberglauben vnd irrtumb ſein, als das ſchreibt der hailig Paulus in der erſten epiſtel zu den Corinthiern am xj. capitel*, vnd geſchicht durch gottes verhengknus, darumb das die recht glaubigen vnd probierten mœgen her für komen, wie der genant apoſtel an dem yezt gemeltten ort clerlich dar von redt, vnd werden ſollich menſchen gehaiſſen aberglaubig, die do die hailig ſchrifft vnrecht vſslegen, vnd daruff muttwilligklich beharren, anders dan der ſyne des hailigen gaiſtes das erhaiſt, *xxiiij. q. iij. c. inter hereſim et. c. hereſit.* Vnd wie wol recht zu reden die iuden nit ſeien hereticí, dan ſy ſind nit ab den criſten glauben gefallen, die nie darinn geweſen ſynd. Darumb ſie auch nit mœgen noch ſollen ketzer noch ir hendel ketzerei genent werden, *cle. i. de uſur. & ibi glo. in ver. hereticum.* Yedoch ſo werden ſy allhie in denen worten des apoſtels eingeſchloſſen, dann er redt von denen die vnains im glauben ſind, als auch wir vnd die iuden vnains im glauben ſind, Darumb iſt es vns nütz vnd gut das der Thalmud ſei vnd beleib, vnnd ye vngeſchickter der Thalmud iſt, ye mer er vnns criſten geſchickt macht wider in zereden vnnd zeſchreibenn.

Vnd wœllen wir ſelbs ſo iſt er vns ain gutte artznei wider die tragkait vnnd fulhait deren die in der hailigen ſchrifft ſtudieren ſollen, als die gaiſtlichen *xxiiij. q. iij. ca. ſi.* „Dieſelben ſollen ſich dar

zu richten das sie mechtig vnd gewaltig seien ander leut zu vermanen inn rechter lere, vnd mit den widersprechern zu arguiren, als Paulus schreibt zu Tito, wie dan Aristoteles in elenchis sagt, das ain wyss man sol zwu aigenschafft an im haben, nemlich, Das er nit lieg, vnd das er die erlogenn ding kund widerfechten, Nit, das ainer wœlle zürnen vnnd die bücher verbrennen, wan er nit so vil gelernet hat das er sie mit vernunfft vnnd mit predigen oder disputieren kund straffen. Es haisent sunst bachanten argument so ainer alls vngelert ist das er will mit der feust darin schlahen, wan er nichtz mer da zu reden kan, Es stat geschriben *in dem psalter ps. cxl.* „Ist ainer gerecht so straff „er mich vnd vnderweis mich in der barmhertzig„kait. Wie kan aber ainer ettwas widerfechten „oder widersprechen das er nit verstat, als sanct „Hierony. schreibt wider Jouinianum. Nun muss er doch zum minsten des Thalmuds sprach verston will er sagen dass er falsch sy, oder das er vns cristen zu schmach sey vfgericht, Dann wer die crafft der wœrter vnd sprach nit kan, der irrt liederlich spricht Aristoteles in dem obgedachten buch, vnnd Augustinus de vera religione sagt also, „Die rede „der hailigen schrifft ist zu verston nach aines ieden „gezungs aigenschafft, Dan ain yegliche sprach „hat besunder aigen manier vnnd wyss zu reden, „Wan nun dieselb inn andere sprachen gekeret „vnnd getolmetst wirt, bedunckt ainen iegklichen „es wœll sich nit reimen vnnd laut nit, Also stat „es in den gaistlichen rechten geschriben *distin.* „*xxxviij. ca. locutio.* Darus zu nemen ist, die weil der Thalmud so vilerlai aigenschafft der sprachen wie ob anzaigt ist inn im helt, das nit ain yegklicher iud der gleich recht wol hebraisch kann dannocht den Thalmud dehains wegs verstat, was grunds solt es nun haben wan die christen wolten den Thalmud verwerffen, den sie noch nit verstünden Ich gib hier in ain klain exempel. Kürtzlich ist ain büchlin getruckt wider die iuden vnnd darinn angezaigt ain gebet in iren bettbüchlin verlypt als sie das soltenn betten sunnderlich wider vnns christen, hebt also ann: ומינים das selbig wirt gar hoch vnd schwer wider sie angezogen, als ob sie die hailigen aposteln vnd ire nachvolger die den tauff empfangen haben, vnd die gemain cristenlich kirchen vnd das rœmischreich aus besem vergifftem willen verflüchten, dardurch man die iuden by den vngelerten vnd der sprach vnwissend leichtlich inn ainen sollichen hass mœcht bringen das sie umb leib vnd leben kemen. So man es aber ain liecht besicht, so findt man kain wort darin das weder die taufften noch aposteln noch christen, noch das rœmisch reich bedeut oder haist. Dan als weit die iüdisch sprach gat oder geschriben ist, findt man sonst an kainem ort, das מומר weder crisam noch tauff sy, Sunder sein bedeutnus ist vff vertilcken gesetzt, als da stet *Proverbiorum xiiij.* das hauss der boshafftigen wirt verdilkt. vnnd *Ezechielis xiiij.* Ich will inen verdilcken von mitten meines volcks Israel, vnd des gleichen allenthalb also ist inn disem gebet das wort מומרים verbum oder participium actiuum presentis temporis, vnd haist die verdilcker oder die sie verdilcken, als wœlten sie sprechen. Wer vns vertilcken wœlte dem sol nit werden ainich hoffnung synes furnemmens. Wie kan aber das bedeutten die cristenn, so doch kain volck vff erdenn ist das sie mit grœssern fryhaitten handthabt vnd vnderschleufft dan die cristen, als man inn gaistlichen vnd weltlichen rechten ersindt, vnd sie durch ir verwilligung kainen andern herrn haben dan den christenlichen kaiser, ist nit zu gedencken das sollich gebett sy vmb der cristen willen erdacht, dan sie betten es also weit als die welt gat wa sy wonen, es sei vnder den türcken, soldan, haiden, dattern oder vnder vnns. Sie wissen auch wol ob kain cristen mensch were, das sy dannocht vngluckhafftig wern, wan sy sind von den haiden verhasster vnd ubeler gehaltten dann von vns. Zum andern so haisst מומים alle die so kainen rechten glauben habent, wie kunden wir sagen das wir die seien oder das nit ander seien. Zum dritten so haisst מומ die sind das aber nach syner aigenschafft nit mag vns bedeuten. Dan ich hab hie oben warhafftigklich angezaigt, das wir vnd sie ains ainigen rœmischen reichs mitburger synd, vnd in ainem burgerrecht vnd burckfriden sitzen. wie künden wir dan siendt sein. des hon wir inn vnsern rechten ain gutte glos *in. c. Sicut iudei super ver. cimiterium ex. de iude.* Zum vierden so haisst מלכות גאוה gewalt des hochmuts vnd haisst מלכות von im selbs nit das reich, es werde dan ainen küngreich zu gesetzt. das mag man aus der hailigen geschrifft clarlich mercken *Josue xij.* da kamen vff ainen tag xxxi. künig in ain feld zu streitten wider Josue vnd wurden all über wunden ains tags, das synd nit künig gewesen der küngreich, sunder hat iegklicher ain oberkait vnd gewalt gehabt über ain rott im zu gehœrig. So singen vnd lesen wir des gleichen alle tag in vnsern kirchen, *Psal. cxviij.* Es sollent geschent werden die hochmütigen. Wan nun kain wort in disem gebet stat das weder taufften noch aposteln noch cristen noch das rœmisch reich vss syner aigenschafft der sprach bedeut, warumb lasst man ain solliche schwere schmach red offenlich trucken. Vnd ob man wœlt sagen die iuden hetten es aso im sinn, vnd mainten vns in irer gedechtnus, das kan niemand wissen dan der schœpffer aller hertzen was ainer im sinn hab, darumb ist nieman deshalb zu scheltenn noch zu straffen. *l. cogitationis. ff. de pen.* Vnd ob es ainer von im selber sagte darumb were der annder nit straffbar. *l. repeti §. i. ff. de quæstio.* Ich geschweig ietzund anderer wœrter in denselben büchlin die villeicht vss vnuerstentnus nit recht geteutst sind, als so sy wœlten ainen cristen zu haus oder vst der gassen empfahen vnd sagten, Seit wilkum, sagt der buchtichter sie sprechent, Sed wilkum, alls solt es bedeutten deusel wilkum, das kan nach rechter grammatica der hebraischen sprach nit sein, dan שד so es ainen teufel haisst, hat es ainen puncten uff der rechten seitten des buchstaben. S. darumb wirt es für sch gelesen, sched. Das kan ain iegklicher bawer mercken wann sie sprechen Sched wilkum, das es nit sei alls seit wilkum, dan sched ist dem seit gantz nit gleich, darum sind es entten teding, des gleichen ander kindswerck diennt nit zu disem ratschlag. Also mag ain ieder verstendiger wol kennen vnd mercken, das niemant den Thalmud mit recht verwerffen kan, der in nit verstat, als das hailig gaistlich recht sagt *xxxvij. distin.*

distin. in canone Qui de mensa. Ob ainer wœlt wider die mathematicos schreiben, vnd were der matheſis oder mathematigk vnerfarn, der würd der leut spot. Des gleichen welcher wider die philoſophos diſputiert vnd kan nit der philoſophy kunſt vnd lere, das iſt der text des gaiſtlichen rechten. Darwider mœcht aber ainer ſagen mir iſt nit not daſs ich den thalmud verſtand, die weil man ſo vil büchlen wider die iuden truckt, darin ich liſs das der Thalmud ain bœs ding iſt, vnd *magiſter Raimundus in pugione 3. par. diſ. iij. c. xx.* von den Thalmud ſo ſchantliche ding ſagt das es erber leut nit hœren mœgen. Des gleichen *Fortalicium fidei*, vnnd *Paulus Burgenſis in additione capituli xxxiiij. Jſaie. & Zacharie quinto, vnnd bruder Petrus Nigri inn dem ſterinen des Meſſias*, auch *Johann Pfefferkorn* der ſollicitator dis hanndels ſchreibent das die lere des Thalmuds ſei wüſt vnnd vurayn, mit vil bœſen ſchelttwortten. Dem mœcht ainer zu anttwurtt geben Es iſt noch derſelben nye kayner geweſen, der auch anzaigte des widertails grund glimpffs vnnd fügs, nun iſt ain gemayn ſprüchwort *man ſoll den andern tail auch verbœrenn.* Darumb inn den rechten gegründt iſt, das ainer nyeman verwerffen oder vervrtailen ſoll er hab dan zu vor an alle ding durch gründt vnd gnugſamlich erkündet, *xxiij. q. vlt. occidit, & xv. q. vi. c. i. in. fi.* Vnnd ob gleichwol ſollichs kayn tail ann in müttet oder begeret, ſo ſoll er dannocht ſelbs aus aigner bewegnus allen fleyſs ankeren der parthei die man args gezigen hat, fug vnd vnfug zu erlernen vnnd zu erfarn *l. ij. C. de eden. et ibi glo. & Bart.* Des halb ſo hindert mich nit was die gemeltten vnſers glaubens wider den Thalmud geſchriben hond, deren ich ettlich gekennt hab, die den Thalmud nye gelernt haben, darumb ſoll mich ir ſchreiben vnnd red nit irren, ſunder ich volg in diſem ſtuck dem gaiſtlichen rechten das da ſpricht. „Wir ſein nit ſchuldig aines „yegklichen diſputation vnd mainung wie criſten„lich der vnnd wie hochgelobt vnndern leutten „er iſt anzehangen, alls were es die hailige ſchrifft „oder geſetzte recht, *in. ca. Neque quorumlibet diſtinc. ix.* Dann were der Thalmud zu verbrennen geweſen, er were verbrennt worden vor vil hundert iaren, da vnſere alltvordern mer willens zu dem chriſten glauben gehabt haben dan wir yetzt. Ich hon aber derſelben nie kainen geleſen myns gedenckens die dar wider geſchriben hond, das ſie begert oder gewünſt hetten das der Thalmudt verbrennt wer geweſen, allain auſsgenommen die zwen obgemellt brüder Petrus Nigri prediger ordens vnnd Johann Pfefferkorn der new getawfft, die by mynen tagen geweſen ſind, vnd mit denen baiden ich geredt hab, Denſelben nym ich es auch nit für übel vnnd billich, dann ſie habent ain anfechtunng zu gott, doch nit nach der wiſſennhait alls *Paulus ſpricht ad Romanos x.* Aber die anndern vor vnns über hochgelertten vnnd der ſprachen gar vil verſtendiger wie wol ſie hart wider den Thalmud ſchreiben, noch dann ſo wünſten ſie nit das er verbrent vnd verdilckt were, inen geſchicht wie ainem adelichen ieger dem gleich ich wol vndern groſſen fürſten geſehen hab ſo er ainen ſtoltzen hirſch mit vil enden über ain weit feld iagen tut, vnd waiſs doch wol das er im nit kan entgon. So welt er umb luſts willen nit, das er erſtochen oder erſchoſſen were, Er ſicht in lieber iagen dan fahen. Alſo thon die gelertten vnd weiſen leut die ainen luſt haben den Thalmud vnd ſyne anhenger mit vernünfftigen vnd künſtlichen wortten zu widertreiben, was lobs wolten ſie erlangen, wie woltten ſie erſcheinen das ſie bewert doctores vnd maiſter der criſtenhait wern wann er verbrennt vnnd nymme wer. Nun kündt doch niemand hernach wiſſen ob ire argument vnd wider reden war oder nit war geweſen wern, dan das buch dar wider ſie arguirten vnd diſputirten were nit mer verhanden. Das iſt die mainung inn der obangezaigten rede *ſanct Paulus* die er ſchreibt *ad Corin. xi. Es müſſen aberglauben vnd irrthumb ſein darumb das die recht glaubigen bevvert erſcheinen*, von des wegen ich geſprochen hab, ye vngeſchickter vnnd vntaugenlicher der Thalmud iſt alls die vnſern ſagen, ye lieber wolt ich daſs er vnſern ſtudenten vnd ſchriffgelerten ſolt beleiben, wie ain blatt in ainer zilſtat zu dem man teglichs müſst ſchieſſen, das ſie deſter gehertzter vnnd kecker würden wider die vnglaubigen mit worten zu fechten, dan man ſligt den zaun am niderſten an ſprechent die kriegs knecht, *xiij. diſtinc. nerui.* wer er dann ſo vngeſchickt vnd ſo ſchnœd als man von im vſs gibt, ſo mœchten die vnſern bald ſigen vnd triumphiern. Das macht mich gedencken an den hochuerrümpten kriegsman vnd künig in Lacedemonia der genant iſt Ageſilaus, von dem der fürnem wyſs vnd ritterlich man Xenophon der mit ſampt Plato den ſchrein aller künſten by dem gelerteſten maiſter Socrates in die ſchul iſt gangenn, ain ſchœnes büchlin in griechieſcher ſprach geſchriben hat, darinn er ſagt das zu zeitten Ageſilaus ſyn here wider die perſier gezogen, da hab er ſynen hauptleutten vnd fendrichen benolhen was ſy volcks vſs den Barbarien gefangen nemmen das ſolten ſie vſs gezogen ire klaider inn ſeine ſtet füren, vnd ain yegklichen nackent vff dem marckt verkauffen, nemlich vſs diſer vrſach, wan ſyne kriegsknecht die fiend alſo nackent ſehent wie ſye ſo weiſs wern ann der haut, vnd wie ſie an iren leiben ſo faiſst wern das ſie, gedechten mit inen nit anders zu fechten ſyn dan wie mit weiben, vnd inen ſelbs aus ſollicher verachtung ain groſſen manſsmut nemmen. Das hat manicher treffenlicher man für ain mercklich kriegs ſtuck vnd für ain hohe wyſshait gehaltenn. Es was im gar vill nützer er lies die fiend nackent verkauffen wan das ſie wern zu todt geſchlagen, dan es machte ſyne helffer vnd helffers helffer in die harr deſter fraydiger vnnd kecker im feld. So uil ſei geſagt von der erſtenn vrſach meins ratſchlags gegründt vff die wort *ſanct Paul da er ſpricht Es müſſen von not aberglauben vnd irrthumb ſein, darum das die rechtglaubigen bevvert erſcheinen.*

Zum andern. So gründ ich meinen rat vff das hailig euangelium das der Thalmud nit ſol verbrent werden. Dan vnſer herr *Jeſus Chriſtus* hat zu den iuden geſagt *Johan. v. Erſragent ſüchent oder erforſchent die ſchrifften ſo vil ir vvenen in den ſelben das evvig leben zu haben, vnd die ſelbigen ſynd von mir zeugknus gebende.* Die wyl ich aber mein grundteſte diſs ratſchlags vff diſe red will

ſetzen,

ſetzen, ſo gebürt mir die aigenſchafft der wœrter vor hin an tag zu legen, vil ynrede der widerſecher ob die vfferſton wurden zu vermeiden. Der herr ſpricht erſtlich, erforſchent, das wirt in griechiſcher ſprach darinn das hailig euangelium am aller erſten geſchriben iſt, alſo geleſen ἐρευνᾶτε, vnd das ſelbig wort kumbt von zwaien vrſprungenn wie die wolgelerten griechiſchen ſchulmaiſter darvon ſchreiben, das ain ἐρῶ pro ἐρωτῶ haiſst *fragen* oder *ſuchen*. Das ander ἐυνὴ haiſst ain *kammer* oder *ſal* darinn man ruwt als were es ain ſchul, nam ſchola dicitur vacatio, Vnd ſo die zwai inn ain ainig wort zu ſamen geſetzt werden ἐρευνῶ, ſo bedeut es zu *fragen*, zu *forſchen* vnd zu *ſuchen* in der ſchul mit ruw vnnd mit ſpehung des gemüts. Als wœlte unſer herr Jeſus ſprechen, *Ir ſollent diſputiern in der ſchul vſs den ſchrifften darin ir wenen das ewig leben zu haben, dieſelben geben mir auch gezeugknus.* Furbas ſpricht der herr in den obgemeltten worten. So vil ir wenen in denſelben ſchrifften das ewig leben zu haben, vnd ſagt nit, in denen ir warlich wiſſent das ewig leben ze haben, dan das wort δοκεῖ am ſelben ort haiſt etwas für war halten das nit alſo iſt, bedeutet zu teutſch wenenn. Dar durch tailt er die ſchrifften in die bibel vnd in die bücher der maiſter, dan er hette ſye vor gelert das ſie warlich ſoltten wiſſen vnnd nit wenen vſs der bibel das ewig leben zu haben, *Luce x.* wan vnder dem volck ain gelerter vff ſtund vnnd ſprach. *Herr was ſoll ich thun das ich das ewig leben beſitz. Antwurt der her. Wie liſeſtu in deinen büchern des geſatz, ſprach er. Ich liſs alſo, du ſolt gott deinen herrn über alle ding lieb haben, vnd deinen nechſten als dich ſelbs, Sprach der herr, das thu ſo lebſtu.* Das hette auch Moyſes den iuden vor hin geſagt, *deuteronomij xxx. ca. Bedenck das ich heut deinem angeſicht fürgelegt hab das leben vnnd das gut* &c. darumb ſo hetten ſie kainen zweifel an der bibel es were das ewig leben darin. Noch dann ſo hetten ſie darzu auch andere bücher die nit bibel warn, die ire maiſter vnd rabi mit ſubtylkait gemacht hetten, die hieſs vnſer herr Jeſus Traditiones. *Matthei xv.* dardurch ſie inn ainen won vnd mainung kommen warn, als ſolten ſie daruſs auch das ewig leben überkommen, vnd das was doch nit war, dann vnſer herr Jeſus redt dar wider vnnd gab inen zu verſton ſie wern blindt vnnd wœltten doch ſagen ſie geſehen. *Johan. ix. ca.* Vnd vff das hat er ire ſchriften die ſie geſchriben haben vnd ir leben wider worffen, *Matthei xxiij.* mit vil worten die er gebraucht wider die ſcribenten der bücher vnd wider die gaiſtlichen, darab zenemmen iſt, das vnſer herr Jeſus die ſchrifften der maiſter daruſs der Thalmud geſamlet vnd gemacht iſt darinn ſie wenen das ewig leben ze haben, mit ſeinen worten will aigentlich bedeutten vnnd anzaigen, ſo er ſpricht. *Erfragent ſuchent oder erforſchent die ſchrifften dar inn ir wenen das ewig leben zehaben,* vnd dieſelbigen, das iſt geſprochen dieſelbigen auch zu ſampt der bibel, das ſchafft das wœrtlin vnnd oder auch, als wœlt er ſagen. Die ſchrifften ewer ſchreiber vnd gelerten daruſs der Thalmud geſamlet vnd gemacht iſt, die geben auch zeugknus von mir als wol als die bibel, vnd das iſt die warhait, dann ye mer der Thalmud wider vns gemacht iſt, ſo vil beſſer vnnd hefftiger ſynd die gezeugknus die für vns vnnd vnſern criſtenlichen glauben darin erfunden werden, darumb hat Criſtus beuolhen das man dieſelben ſchrifften inn der ſchul ſoll fleiſslich erſuchen, dar von diſputirn vnd nit verbrennen. Ich wil nur ain argument daruſs nemmen, das den iuden gar nach all ir fürnemmen mag brechen. Sie ſprechen, wir glauben wol das Jeſus ſei kommen, wir glauben aber nit das er der recht Criſtus ſei, dann Criſtus inn der bibel verhaiſſen iſt noch nit kommen. Wa ich nun inn der bibel nit ſo clar find das er kommen ſei, ſo beweis ich das aus irem Thalmud, das ire maiſter geſchriben haben, wie das geſetz Moyſi ſoll vfthœren in dem viertauſentſten iar nach ſchœpffung der welt, vnnd als dan ſol des Meſſias geſetz anfahen, vnd wern zwai tauſent iar, dan die wellt ſol allain beſton vi. tauſent iar, als ſie in ſechs tagen gemacht iſt, das ſind ire wort die der thalmud inhalt, wie es die iunger Helie geredt ſollen haben. Nun zelen die iuden yetzund nach ſchœpffung der welt 5271. daran es inen felet ietzt by den xiij. hundert iarn, das diſer mainung nach, der recht Meſſias oder Criſtus kommen were vor xiij. hundert iarn. Was gat es mich aber an, ob es war ſei das es die kinder oder iunger Helie des propheten geſagt haben oder nit, wan ich allain durch iren aigen mund bewern mag das für vnſern criſten glauben iſt, dem ſie nit mœgen widerſprechen, vnd dergleichen ding ſynd vnzalber vil die ich mag wider ſie beweiſsen vſs dem thalmud, dem ſie anhangen mit hertzen vnd den ſie mit mund veriehen, Nun iſt kain grœſſer beweiſung dann meins widertails aige bekantnus, vnd ſo ainer in offen ſchrifften oder inſtrumenten ettwas vergicht, das macht ain achtung im rechten die man nennet preſumptionem iuris & de iure, das man dar wider kain andere weiſung verhœrn bedarff, *tex. & glo. in l. antique. §. ſed ſi quidem. C. ad. S. C. vellei. vbi etiam Bald. in ver. tertio quero vtrum iſta confeſſio.* Es mœcht ainer wider mich ſprechen, doctor reuchlin du haſt hieuor geſagt der Thalmud ſei gemacht mer dan anderhalb hundert iar nach Chriſtus geburt, wie kan dar by mit warhait beſton das Criſtus hab die doctores im Thalmud gemaint, da er geſagt hat, *Suchent vnnd erforſchent die ſchrifften* &c. Darzu antwurt ich mit den worten des eerwirdigen vatters vnd hochgelerten herrn hern Pauls biſchoff zu Burgis vnd ertzcantzler in Hiſpania, die er vns ſchreibt inn der vorred des buchs genant *Scrutinium ſcripturarum,* das vor vnſers lieben herrn abſterben vnd lang vor ſyner geburt haben der iuden doctores vnd maiſter vil geſchriben vnd gelert vnnd das ſelbig inn ſundere bücher vnd ſchrifften verfaſst ſtuck zu ſtuck, aber nach dem vnd die criſtenhait ſich mern wœlt lanng nach vnnſers lieben herrn tode, da ſeien ſie nach vſswyſung rabi Moyſi egyptii inn ſeinen deuteronomio zu ſamen geſeſſen vnd haben ire alten doctores vnd maiſter inn ain buch oder collectur vnd inn ain ordnung geſtalt oder form wie die yetzund iſt zuſamen gebracht, vnd haben die ſelbig verſamlung der ſchrifften vnd lere der maiſter genent den thalmud, alſo ſagent vnd ſchreibent die vnſern darvon. Die weil aber criſtus hat beuolhen wir ſollent daruſs diſputiern vnd zeugknus ſyner zu-

kunft darab nemmen, so ist er nit zu verbrennen. *Zum dritten* so gründ ich meinen rat vff den baum der kunst des gutten vnnd des bœsen, denselbenn baum hat gott selbs in das paradeis gesetzt vnd gepflantzt. *Gene. ij. ca.* darumb er von kainem menschen ist vszerauffen, dan es ist von got verbotten. *Deutero. xx. da geschriben stat. Du solt nit vshalwen die baum darvon man essen mag.* Vnd wie woll Adam vnd Eua den tod darvon geessen haben, noch dan hat got den baum nit vsgehauen noch verbrent, sunder er hat in lassen ston bis uff disen heutigen tag, des wir teglich empfinden. Wie wol nun ettlich der vnsern sagen das vil bœses im Thalmud stand geschriben, noch dan ist es nit bœss das wir dasselbig bœss lesen vnd lernen, nit das wir dem bœsen wœllen nachvolgen, sunder das wir dest leichtlicher mœgen erkennen was gut ist vnd demselben anhangen, *xxxvij. distin. qui de mensa.* Vnd *Aristoteles in dem buch elenchorum spricht, das die kunst bœser ding sy nit bœss sunder gutt vnd erlich.* Was hat Moises künden oder mœgen von den Egyptiern guts lernen, die alle abgœtterei angenommen, vnd katzen hund, schlangen vnd natern für ire gœtt gehaltten habenn, wie der hailig Athenagoras schreibt zu Marco Aurelio Antonino vnd Lucio Aurelio Commodo baiden rœmschen kaisern, als er zu inen von den cristen in ainer legacion vnd botschafft geschickt ward, war zu solt dem Daniel die kunst der Chaldeiern darinn er vnderwysen ward, *Danie. i. ca.* Die do warn aberglaubig vnd mit der abgœtterei befleckt, von denen geschriben stat *Isaie xlviij. Flichent von den Chaldeiern*, noch dan so wirt Salomon gelobt das syn weisshait ist über die weisshait der orientischen vnd egyptiern gewesen, *iij. Re. iiij.* vnd ain gemaine red. Bistu weiser dann Daniel. *Ezechelis xxviij.* Daruff spricht das hailig gaistlich recht nechst ob angezaigt, das die iudischen knaben in Chaldea Daniel Ananias Mizael vnd Azarias nit wolten essen noch trincken von dem tisch des künigs von Babylonia, darumb das ir conscientz nit würd verunrainet, hetten sie nun gewisst das die weisshait vnd lere der babylonischen inen ain sind wer gewesen, sy hetten iren willen nimmer darzu geben sollichs zelernen das inen nit gezimpt het, Aber sie hon es gelernt nit das sie den nachuolgten, sunder das sy es kündten bewegen vnd widerfechten, so vil sind der wart des yetz gedachten gaistlichen rechtes. Vss disem text nemmen wir, das wir mœgen bœss vnd guts durch ainander lesen vnd lernen, das bœss mit vernünfftigen worten zu straffen, vnnd das gut so darunder wie die rosen inn dornen gefunden wirt, in den gebrauch der hailigen lere zu bewenden. *c. turbat. ea. dis.* Nun ist nieman der do künd oder mœg mit warhait sagen von dem thalmud, darin die vier œbern faculteten beschriben stond, das er gar vnd gantz bœss vnnd nichts guts daruss zu lernen sei, dan er halt inn im vil gutter artznei vnd künsten von kreutern vnnd wurtzeln, so halt er in im vill gutter vrtailn inn den rechten durch vil weltweisen iuden zusamen getragen. Vnnd in der theologi ist der Thalmud an vil ortten vnser handthab wider der iuden vnglaubigs fürnemmen, Als das erscheint auss des bischoffs von Burgis büchern die er cristenlich vnd lœblich über die bibel, vnnd in Scrutinio geschriben hat, dar in er vnsern glauben clarlich beschirmt vss dem Thalmud. Ich hon gemerckt vnd gezelt allain inn dem ersten tail synes buchs Scrutinii scripturarum, das er sich mer dan an fünffzig ortten wider die iuden beholffen hat aus dem Thalmud, ich geschweig in dem andern tail des selben buchs da er den Thalmud an vil ortten für vns cristen anzeucht. Vnd in der vorred schreibt er das die glosen vnnd sprüch der doctores im Thalmud seient also gestalt, das wir darvss mœgen hefftige vnnd vsrichtliche argumenten vnns nemmen wider die iuden, dann ire maister haben vnderthwylen so es verborgene gœttliche haimlichait betroffen hat, prophetiziert vnnd geweissagt, vnd doch vnwissend was sie redten, wie auch der Cayphas *Johannis xi.* So ist dannocht die bekanntnus des widertails ain crefftige bewerung, also schreibt er in der gedachten vorred. Desgleichen durch die gantzen bibel wa es sich begibt das die iuden wider vns sind, arguiert er mit inen vnns zu behelff vss irem Thalmud, des kan ain iegklicher der in gelesen hat nit abred syn. Nit anders halten sich die andern hochgelerten der hailigen schrifften doctores die iudisch sprach künden, wan sie wider die iuden disputirn wœllen so ziehen sie den Thalmud herfür, vnd kempffen wider sie mit dem Thalmud. Als der lobwirdig doctor in der hailigen schrifft barfüsser ordens der das buch Fortalicium fidei inn Hispanien gemacht, der hat sich besunder inn dem dritten buch Fortalicij vss vnd vss hin für sich vnd für vns des Thalmuds wol vnd geschicklich beholffen, als ob er die iuden wœlte mit irem aigen messer erstechen. Dem gleich thut der wolgelert doctor Nicolaus de lyra für war ain kron des barfüsser ordens nit allain inn der gantzen bibel wa es im zu felldt kumpt, sunder auch in ainem besundern buch wider die iuden das anfahet. *Primo queritur vtrum ex scripturis receptis a iudeis* &c. da er also schreibt. *Wie woll der thalmud vnd die glosen der iüdischen maistern zu grossem tail vnwar sind, so mœgen wir doch durch sie wider sie crefftigklichen arguiern.* hec ille. Also habent die andern vnsers cristenlichen glaubens maister vnd doctores, vnd nemlich die so vss den iuden sindt cristen worden auch geschriben. Als die würdigen lerer Petrus alfonsi vnd maister Alfonsus conversus in libro de bellis dei vnd maister Johannes de podico vnnd maister Hieronymus & ceteri, Ab dem allem wol zu nemmen ist, das der Thalmud nit gar vnd gantz ain bœser baum ist der kain gutte frucht mœg bringen, des halb er solte vsgehawen vnnd verbrent werden. *Matthei tertio capitulo.* Sunder er hat vil guts inn im, vnd die verstendigen mœgen vil guts darauss nemmen wie ob gehœrt ist, Dann alls sanct Hieronymus schreibt zu Athleta. Es ist ain grosse weisshait gold in kat suchen.

Ob aber die vnuerstendigen sich darab ergerten das were ir selbs schuld vnd nit des buchs, die gaisse essent bittere weiden vnd gebent darvon süsse milch, vnd von ainer ainigen blumen sugent die binen das lieplich honig, vnd die spinnen das laidig gifft, das ist der blust oder blumen schuld nit, sunder der tieren aigenschafft vnd natur,

alſo findt man bœſs leut von natur die gutte wort inn ain bœſse mainung keren, her wiederumb ſo findt man gut leut die vngeſchickte wort in ain gutte mainung keren. Darüber findt man auch ettliche ſchlechte ainfeltige leut, die kainen hœhern verſtand haben dan wie die ſchrifft nach dem buchſtaben laut, alſo verſtond ſie es. Gleich als ſich der kaiſer Julianus an nimpt in den büchern die er wider vns criſt glaubigen geſchriben hat, darin er gar nach die gantze bibel allain nach dem text vſs legt vnd keret die wort in ain bœſse mainung, wider den der hailig Cyrillus ettliche bücher gemacht vnd ercleret hat, das man die reden nit allwegen allain nach dem text wie die wort lutent verſtön ſoll. Darumb ſchreibt der hailig Hieronymus in ainer predig am oſſterabent gehaltten nemlich alſo, *Was iſt ſchantlichers inn der hailigen ſchrifft zu ſagen dann das gott dem hailigen propheten Oſeas gebotten hab, er ſol ain huren zu der ee nemmen, vnd das Judas mit ſeiner aigen ſunes fravven Thamar hab zu ſchaffen gehabt vnd ſie geſchvvengert, vnd das ſich der hailig Dauid mit dem eebruch der Bathſaba befleckt hab, vnd Onan Judas ſun ſeinen ſamen vff die erden hab gevvorffen darumb das er nit kinder mechte Will man diſſe ding nach dem buchſtaben verſtön, ſo vvurden ſie vvol von den baiden vnnd allen vnlaubigen gleich vvie kat vnnd miſt der hailigen ſchrifft vervvorffen vnnd verſpott*, hec ille. Vnd volgt gar vil hernach zu diſer mainung diennſtlich, das ain yeder ſelber leſen mag, Des halb der frydanck recht geſprochen hat, man haiſst manichen bœſs den andern gut, den man baiden vnrecht thut. Nit red ich es darumb das ich den Thalmud wœlle gutt machenn ann den enden da er zu verwerffen iſt, Sunnder allain zu beweiſen das er nit zu verbrennen oder zu verdilcken ſei, vmb des willen das inn im ettlich narrhait vnd torechtig maynungen inn diſputation wyſs begriffen ſind, vnd beſunder wann man die allain nach dem buchſtaben will verſtön, Aber das iſt war, das die alten weiſen ire hœchſte kunſt vnnd weiſshait alſo verborgen haben mit tœrechten reden, oder endrung der wort, oder anzaigung der exempel, das ſie zum dickernn maln nit allain die ſprach verwellcht, ſunnder auch die buchſtaben verwandelt, alls die Egyptier die haben zwaierlay geſchrifft gehabt. Die ain mit gemainen a. b. c. das es ain ieglicher von Egypten hat mœgen leſen. Die ander mit ſelbgewachſen naturlichen buchſtaben, die man allain gebraucht hat in der hochſpehung der hailigkait als mit bomen, ſchlangen, ſchwertern, ſtecken, rütten, ougen ſchiltten, vnnd dergleichen, dero wir noch bücher in griechiſcher ſprach geſchriben by vnſern hannden haben. Darumb hat ſich der hailig Cyrillus des kaiſsers Julianus ſpottred wider den bock daruff die iuden ire ſünd ierlichs legten, vnnd den ſelben mit iren ſünden vnd miſstatten hin weg in den wilden wald iagten, *Leuit. xvi.* allein vſs diſem ſtuck vffenthaltten vnd erweret mit ſollicher verantwurtung, das nit allain die hailige ſchrifft ſunder die alten weiſen ſollichs in ir gewonhait haben die hœchſte weiſshait mit verborgen reden, byſpiln, exempel oder reterſchen zu beſchreiben. Da her komment die ſechs tag der ſchœpffung der welt ſo doch alle ding inn ainem augenblick geſchaffen ſind. Item das zwiſchneidig ſchwert das vor dem paradeiſs hangt. Item das gott hat geſprochen, es hab in gerawen das er den menſchen gemacht hat. Item das Abraham dry man ſahe vnd ainen anbettet, vnd die drei haben mit im geeſſen ſo doch gott nit iſst. Item das gott iſt herab geſtigen gen Sodoma oder vff den berg ſynai, ſo doch gott allenthalben iſt vnbeweglich. Item das got will vffſtön. Item das got an diſen oder andern ortten wonet. Item das got inn im hab grimmen zorn, haſs, wüterei, rach vornen vnd hinden. Item antlit hend vnnd füſs. Item die altten weiſen haiſſent die weiſshait waſſer, vnnd die vnnweiſshait hunger vnd durſt. Item lyplicher luſt haiſst ain hür, darumb fahet Salomon ſyne parabolas vnd ſprüch mit ainer hurn an, vnd endet mit ainer frummen frawen, vnnd inn dem hailigen euangelium das reich der himeln wirt gegleicht vilerlai dingen, vnnd Pythagoras det erſt philoſophus nennet die gerechtigkait ain wag, den zorn das füwer, den krieg ain ſchwert, die irrung ain gemainen weg, die ſchwetzer ſcwalben, als dan Porphyrius von im ſchreibt inn dem erſten buch der philoſophen hiſtoria, vnnd ſanct Hieronymus inn ſyner anttwurt zu Ruffino dem prieſter, vnd da mit ich deſſelben Pythagoras mainung mit kurtzen wortten vergreiff, ſo hat er verbottenn ſeinen iüngern was er ſie inn der ſchul von hohen künſten würd leren das ſie das nit ſoltten vnder das gemain volk bringen, wie darvon Lyſsis zu Hipparcho clarlich geſchriben hat. Des ſich die ſelben weiſen nach im gefliſſen haben, entweder die kunſten nit laſſen zu beſchreiben, oder aber mit ſollichen verborgen worten zu bedeutten das die nit iederman kundt verſtön, als auch Plato gethon, wie ſich das erſcheint inn ſeinen büchern, vnd in ſunderhait an den miſſifen oder epiſteln die er zu groſſen herrn geſchriben hat. Alſo habent es auch gehaltten die druides in Franckreich zu zeitten kaiſser Julius wie er ſelbs in commentarijs dar von ſchreibt. Alſo finden wir in andern kunſten nemlich in Alkimia da man alle metall mit der vij. planeten namen haiſst wie dan Geber den ſie nennen maiſter der maiſtern in den büchern genannt *Summa perfectionis magiſterij.* vnd *Arnoldus de villa nova in ſuo roſario*, vnd *Lullius in codicillo & in libro vade mecum, & in li. de intentione alkimiſtarum, & in libro experimentorum* vnd *magiſter Johannes ſtirus anglicus in roſario, vnd Arcturus in arte*, vnd ander vil ſchreiben, darin man wunderliche ſeltzame wœrter vnd reden findt, darab ainer mœcht gedencken ain vnſiniger let es in ſynemt ram geredt, aber die gelerten der kunſt wiſſent wol was es iſt, vnd das es eern vnd lobs wert iſt, des gleichen liſst man inn der artznei da haiſst man album grecum hunds treck, vnd menſchen flaiſch gederret haiſst man mummea &c. Vnd in der alten poetry der gantz Homerus iſt vol haimlicher künſten die doch mit wilden ſinnen vnnd worten vſsgeſprochen ſind, des gleichen Heſiodus Orpheus vnd Theocritus. So nun alle künſten vnſer vor elttern diſe fryhait vnd vrlaub haben, das ſie vndertwilen iren ſine vnd verſtentnus anders haben dan die wort luten, da mit die vngelerten vnd vnuerſtendigen die kunſt nit verachten mœchten, warumb

solte es dem Thalmud verbotten sein, das er seinen iungern mit andern wortten zu verston gebe die haimlichait der lere, vnd nit das yederman mit vngeweschen füssen darüber lauff vnd sag, er künds auch. Wan nun yetzt ain vnuerstendiger keme vnd sprech, aller grosmechtigster kaiser aller gnedigster herr ewer maiestat soll die bücher der Alkimia vnndertrucken vnd verbrennen für die, weil in denselben büchern stond lesterliche schantliche vnd auch narrechtige tœrliche ding geschriben wider vnsern cristenlichen glauben, dan darin wirt den künstner der Alkimia gebotten das der man sol vnder der frawen ligen so lang vnd ferr bis das er durch erhitzung crefftig werd vff die frawen zu steigen, Die weil nun sollichs durch die kaiserliche recht schwer vnnd hart verbotten ist by verlierung des lebens. *l. Cum vir nubit in feminam. C. de adul. & stup.* vnd die schuler das lernen, vnde versus,

Trude illum sub eam nec fac sui cernere quicquam.
Sic crissando letus erit sub femine scandens.
Cum iacet & pugnat neque tardat sub muliere.
Viribus ascendet ipsam sub se cito prendet &c.

Wie das alles inn Arcturus kunst geschriben stat, mit vil andern vngeschickten botten vnd verbotten, so thut ewr maiestat ain gut werck solliche bücher zu verbrennen. Darzu wyter, was kan man narrechters oder tœrlichers lesen, dan so ainer sich vsgibt vnd seine iunger leret dass man vs dem mon künd vnd mœg die sunnen machen, vnd von ainen mon vil sunnen, desgleichen aufs ainen flüchtigen knecht ain steten Mercurium &c. Was solt die kaiserlich maiestat ainem sollichen biffel oder esel zu antwurt geben anders dan das er sagte. Du bist ain schlechter Mensch, vil mer zu verlachen dan zu willfaren. Ich merck vnd sich das du nichtz inn derselben kunst gelernet hast, gang hin ich will sie nit verbrennen. Die weil nun ain so klainsinniger kopff nit mag ergreiffen vnnd fassen die haimlichait ainicher kunst vnd ist dero nit wirdig, vnd verstat die ding anders dann sie an in selber sind, wœlten ir raten das man solliche bücher verbrennen solte, darumb das sie ain vngelerter man nit kündt recht verston. Ich glaub wol nain. Also sind die altten poeten, beliben die gar vil schantlichere ding inn sich halten dann der Thalmud, vnnd vnserm cristenlichen glauben gar vil widerwertiger sind dann der Thalmud. Noch dann so ist alle philosophy vs dem Homero dem ersten poeten ensprungen, wie wol er mit synen lüginen weder got noch der welt hat geschonet. Desselben bücher hat Alexander magnus by tag flyssigklich gelesen vnnd by nacht vnder seinen haupt pfilwe gelegt, wan er schlaffen gieng, als ainen quelbrunnen aller menschlichen vnd gœtlichen kunsten. Der hailig Chrysostomus hat des gleichen den poeten Aristophanes alls für ainen griffel teglichs in seiner hand gehapt. vnd alle seine reden die er inn vnzalbar vil büchern geschriben hat nach im geformt vnd gespitzt, wie wol er ain haidescher poet vnd lügen dichter ist. Darumb sagt das hailig gaistlich recht *dis. xxxvij. in canone legimus.* Wir lesen etliche ding vff dass sie nit da hinden beleiben, wir lesen ettliche vff dass wir doch auch ain wissen darvon gewinnen, wir lesen etliche nit das wir sie halten sunder das wir sie verwerffen, desshalb der hailig Basilius ainen sundern tractat geschriben hat wie wir alle bücher lesen sollen vnd mœgen, vns zu sunderm nutz, mit der beschaidenhait wie ob stat. Vs denen allen gelerten vnd hailigen mannen vnsers cristenlichen glaubens beschirmern findt man nieman der ye begert oder gewünschet hab, das solliche hie ob angezaigte bücher soltten verbrent oder vndergetruckt werden, da mit vnsers lieben herrn Jesu cristi gebotten nach kommen würde, so er hat beuolhen *Matthei xiij.* das wir den ratten vnnd das vnkraut nit sollen vs rauffen, vff das wir mit sampt demselben auch nit die gütte frucht verderben, sunder wir sollen es lasen steen bifs zu der ernd, wan aber dieselbig ernd sei, erclert er dar nach nemlich also. Die ernd ist das vffhœren oder endtschafft der welt, so wirt der hausvatter das ist gott der herr selbs sagen zu den schnitern. Rauffent mir zum ersten das vnkraut vs, vnd bindent mirs an büscheln das ichs verbrenn. Sehet zu, das dannocht got nit wil den gantzen acker verbrennen vmb der ratten oder des vnkrauts willen, sunnder er wil das man im allain das vnkraut auslese, vnd an die büschel bind, dieselben fagot oder büscheln zu verbrennen, dem volgt getrewlich nach die hailig cristenlich kirch inn den gaistlichen rechten *in ca. Sancta romana ecclesia xv. distinc.* da sie alle bücher beleiben last, das man sie schaw vnd probiere nach den worten des apostels *Pauli. i. ad thess. v.* da er spricht. *Ir mœgen alle ding schawen vnd probieren, vnd was ir guts darinn befinden das behaltent.* Wan aber wir sie verbrennten so kündten vnsere nachkommen nicht probiern, darumb verordnet die hailig cristenlich kirch das man die bücher Ruffini vnd Origenis haltten sol, vsgenommen an den orttten vnd stucken da sie von sanct Hieronymus verworffen sind &c. by den kan man wol verston das vnser muter die hailig cristenlich kirch kain buch wil verbrennen, da vnder den gutten etwas bœs in stat, wol ist war. Ob man ain buch funde das gantz bœs were, vnd daruss gar nichtz gutts kommen mœchte, wan es dan inn vnserm gewalt vnnd oberkait stund oder were, so mœchten wir dasselbig mit vrtail vnd recht abthon, vnd verbrennen wie recht were, als der ketzer bücher die vnder der cristenlichen kirchen oberkait vnd gerichts zwang, vnd von vnserm gemainen glauben gefallen sind, so die ettwas schriben oder mechten den glauben betreffend, wider satzung vnd ordnung der hailigen concilien vnd der obersten haupter der cristenhait, das selbig mœcht man durch ain vrtail oder decret abthon, gleich als geschehen ist inn der verurtailten vnnd verdamptenn sach des ketzers Eutyches genannt vnnd Nestorius vnnd ir anhenger, die inn dem Concilio zu chalcedone gehaltten, vnd epheſino vnd verdampt vnd abgeton was, da gebott der rœmisch kaiser als ain executor vnnd volstrecker der samlung vnd concilien den cristenlichen kirchen dass man sollich ketzer bücher wider das chalcedonisch vnd ephesinesch concilium geschriben vnd gemacht verbrennen solt. *l. quicunque §. Nulli etiam et. l. damnato. C. de heret. & manich.* Das hat aber ain ander vrsach vnd ainen andern handel vnd ist disem nichts gleich, dan die ketzer durch den tauff vnd andere sacramenten so sie empfangen haben, sind sie vnderworffen

worffen der criſtenlichen kirchen, vnd in den dingen den glauben antreffend iſt funſt nieman ir richter dan der bapſt vnd die gaiſtlichen vnſers glaubens. *c. vt inquiſitionis. §. prohibemus de heret. li. vi.* Aber die iuden inn den dingen die iren glauben antreffen, findt ſie allain inen ſelbs vnd ſuſt kainem richter vnderworffen, ſol auch darüber kain criſt mœgen erkennen, es were dan incidenter in ainem laiſchen handel zum rechten in vſzugs wyſs yngebracht. *l. iudei & ibi Bart. C. de iudeis.* Dan ſie ſind kain glid der chriſtenlichen kirchen vnd gat vns ir glaub nichtz an, *glo. penul. in. cle. i. de vſur.* das ſcreibt vnns der hailig apoſtel Paulus. *i. ad Corin. v.* als er ſpricht. *Was gat es mich an die leut ſo vſerthalb ſind zu richten, iſt uch nit gnug das ir die ſo vnder vns ſind mœgen richten, die leut ſo nit von vns ſunder vſs. rthalb ſind vvirt got richten,* hæc ille. So vil ſei geſagt von dem Thalmud das er nit zu vndertrucken noch zu verbrennen ſy, Nun vff die dritt vſstailung der iüdiſchen bücher betreffennd die hohe haimlichait der reden vnd wœrter gottes cabala genannt, mœcht ich gar leichtlich vil ſagen hin vnd her wider, dan vnſer hailigſter vatter bapſt Innocentius octauus hat diſe materi der Cabaliſchen bücher durch vil hochgelerter biſchoffen vnd doctores vor xx. iarn laſſen ermeſſen vnd bewegen wider den wolgebornen vnd hochgelerten herrn graff Johanſen Picus von Mirandula ſeeliger gedechtnus, der ſich zu Rom derſelben zeit zu diſputiern erboten vnd offenlich vffgeſchlagen hett vnder andern fürtregen vnd concluſiones auch diſse, nemlich. Es iſt kain kunſt die vns mer gewiſs macht von der gothait Criſti dan Magia vnd Cabala, dar wider aber die maiſter der hailigen ſchrifft vil redten vnd ſchriben, wie wol ſie grüntlich nit wiſsten was doch Cabala für ain tiere were. Doch ſo ſatzt der genant graff deſſelben mals ſein ynred in ir ſagen mit groſser vernunfft, vff das tet ſein nachred doctor Peter gariſia biſchoff zu Vſſeln mit ainen buch das er zu papſt Innocentio wider den ſelben graffen geſchriben hat. Vnd zu letſt als Innocentius geſtorben was, kam bapſt Alexander ſextus der gab inn beuelch vil hochgelerten cardinaln, biſchoffen vnd den magiſtro palatij mit fleiſs über baider ietzgemelten parthyen bücher reden vnnd wider reden zu ſitzen, alſo hat ſein hailigkait durch iren flyſs erfunden das graff Johanns obgemelt gutten fug ſeins ſchreibens vnd lernens inn Cabaliſchen büchern gehabt hat, vnd des halb ſein buch Apologia genant durch ain breue apoſtolicum beſtettet anno domini 1493. darin er die bücher der Cabala durchgründt, vnd ſagt das dieſelben bücher dero by den lxx. mœgen ſein, nit allain des hailigen Moiſes gaiſtlichait ſunder auch vnſers criſtenlichen glaubes grundt vnd warhait anzaigen, vnd das bapſt Sixtus der vierd hab beuolhen die ſelben cabaliſchen bücher in latiniſche ſprach zu transferirn vnd zu tolmetſchen, vnſerm glauben zu ſunderm nutz, der ſelben biſsher allain dreu zu latiniſcher zungen kommen ſind. Vſs dem allem vnd auch vſs dem das ich ains tails die bücher cabala geleſen hab, mœcht ich zu diſsen ratſchlag dar für vnd dar wider nach der lenge diſputiern. Aber die weil man vſs dem obgemelten graffen von Mirandula nemlich durch ſein buch das er nennet apologia das von babſt Alexander beſtetet iſt, wol mag verſtan, das die bücher der Cabala nit allain vnſchedlich ſind, ſunder auch am hœchſten nützlich vnſerm criſtenlichen glauben, vnd ſie bapſt Sixt der vierd zu nutz vns criſten hat beſtelt inn latin zu transferirn. So iſt mir gnug das ich daruſs beſchlies das ſollichen cabaliſten bücher nit ſollent noch von rechts wegen mœgen vndergetruckt noch verbrent werden. Das aber dis ſtucks halb mein ratſchlag gegründt ſei, ſo allegier ich hie mit das drit buch Eſdre, als wir das in vnſer bibel leſen inn dem xiiij. capitel von den lxx. büchern vſs dem mund gottes angeben, die nit yederman ſol verſton.

Fürter zu der vierden vſstailung der iuden bücher zu gryffen darinn commenten vnd gloſſen über die bibel gezelet werden, iſt mein rat, das die nit ſollent noch von rechts wegen mœgent vndertruckt noch verbrent werden, vſs der vrſach. Dann ſie ſagent wie ain yegklich wort inn der bibel nach aigenntſchafft irer ſprach ſol verſtanden werden, als Abraham aben Ezra vnd Moyſes ben gebirol, vnd rabi Dauid kimhi die all nach der grammatick die wœrter vſs legent, die kan man als wenig verbrennen als Priſcianum, Cornucopia, Seruium vnd Donatum inn latiniſcher ſprach. Alſo ſind die commentatores vnd vſs leger des texts rabi Salomon, rabi Moyſes gerundenſis, Rabi leui ben gerſom der do wirt genennt magiſter Leo de banolis, die zwen maiſter vatter vnnd ſune rabi Joſeph vnd rabi Dauid kimhi ſein bruder Moyſes kimhi vnd andere der gleichen die das alt teſtament von wort zu wort vſs legen nach aigenſchafft der hebraiſchen ſprach, wie Euſtathius über den Homerum, vnd Theon über Ptolomeum vnd andere commenten. Ich ſag auch vnd hab des meinen anſeger das ſich vnſere doctores vnd lerer der hailigen ſchrifft zu verſtentnus des texts inn der bibel leer vnd faſt ſollicher commenten gloſen vnd vſslegungen müſſent gebrauchen, wœllent ſie vor anfechtung fremds glaubens wol beſton, dan das hailig gaiſtlich recht ſagt. *c. ut veterum librorum diſ. ix.* das der glaub der alten blicher müſs durch die hebraiſch geſchrifft gehandt habt werden, vnd wan die wœrter vnd reden rabi Salomonis der über die bibel geſchriben hat vſs vnſerm Nicolao de lyra der auch über die bibel geſchriben hat, cantzeliert vnd aus gethon wern, ſo wœlt ich das überig ſo der ſelb Nicolaus de lyra vſs ſeinen aigen haupt über die bibel gemacht hette gar inn wenig bletter comprehendiern vnd begreiffen, ſollich commentarien kan vnd mag die criſtenlich kirch nit von handen laſen, dan ſie behaltten die hebraiſche ſprach inn der aigenſchafft übung, dero die hailig ſchrifft nit kan mangeln beſunder im alten teſtament, Gleich als wir nit künden noch mœgen der griechiſchen ſprach vnd irer grammaticken vnnd commentarien inn dem newen teſtament mangeln vnd embern, wie das yetzt gemelt gaiſtlich recht *Vt veterum* aus weiſet. Dan ich wil das mit vrlaub vnnd züchten geredt haben, das man inn vnſern criſtenlichen glauben gar vil doctores findt die do mangel halb der zwaier ſprachen die hailgen geſchrifft nit recht aus legen, vnnd werden gar dick zu ſpott darab, darumb ſoll mann die commentarios vnnd gloſen der menſchen die ir

sprach von iugent vff wol gelernt haben kains wegs vndertrucken, sunder wa die seien zu handen bringen, vff pflantzen vnd inn gutten eern haltten, als brunnen daraus die recht warhait der sprachen vnd verstentnus der hailigen schrifft fleusst, des halb spricht das gaistlich recht *in ca. ieiunium lxxvi. distinc.* „Vil der vnnsern haben vil gesagt „das anander wider ist, darumb wir genœtt vnnd „gezwungen werden zu den iuden ze lauffen vnnd „die warhait der kunst vil mer ans dem brunnen „dan aus den ab flüssen zesuchen, hec ille. Mœcht ainer sagen, ich will mich vnserer commenten wol behelffen, was bedarff ich der iuden, demselben mag auch geanntwurt werden, wer sich behelffen muss der hat nit vil überigs, als da sich ainer im winter mit hosen deckt. Wan man aber bedencken will das vnsere commentarien gar dick vnderstanden die schrifften aus zelegen die sie selber nit verstannden, so kan sich ain liebhaber der warhait daran nit lassen benügen. Der hœchste lerer sanct Hilarius hat über die hailge geschrifft commenten oder commentarios gemacht, von der gantzen cristenlichen kirchen gelobt, vnnd angenommen, aber er felet dick inn der aus legung der wœrtter, mangel halb der hebraischen sprach, die er nit gekundt hat, vnd die griechesch sprach hat in allain angeweet oder angeblasen, als *sanct Hieronymus* schribt in epistola *ad Marcellam de psal. cxxvi. & in epistola ad Damasum de Osanna*, desgleichen inn vil andern, das dan aus meinen büchern die ich de Rudimentis hebraicis geschriben hab wol mag verstannden werden.

Weiter von iren predig büchern vnnd disputationes auch breuir, gesang büchern ordnung irer cerimonien, sitten vnd andacht Was soll ich reden annders dann die loblichen kayser vnnd gaistlichen bapste dar von geredt vnnd gesetzt haben, das mann sie inn iren Synagogen, cerimonien, ritus, gewonhaitten, sitten vnd andachten rüwigklichen soll beleiben lassen, besunder wan sie vns nit wider recht thund, vnnd vnsere cristenliche kirchen offenlich nitt verachten. Dann die cristenlich kirch hat sunst nichtz mit inen zu schaffen, ausserhalb der neun stucken so die glos anzaigt. *c. iudei ex. de iudeis.* Darumb so ist mein mainung das mann inen solliche obgedachte bücher von rechts wegen nit sol nemmen, abthon noch verbrennen. *c. Consuluit ex. de iudeis et. l. iudeos. C. eo. ti.* Es wernu dann schmachbücher oder verbotten künste.

Zu letst der bücher halb so die philosophi vnd die freien natürlichen oder andere künsten berürent, das in der vstailung der iuden bücher ob angezaigt das sechste tail gewesen ist, Sag ich das es mit denselben gehaltten sol werden, wie es mit den künsten gehalten wirtt die griechesch oder latinisch oder teutsch geschriben wern, welche künsten nit verbotten sind die lasst man beleiben. Würden aber iuden bücher herfür gebracht die do lerten oder vnderwisen verbottene künsten, als zauberei, vnholden werck oder hexen werck, wann sie dan dienen mœchten den menschen zu schaden so mœcht man sie als fiend der natur abthun zerreissen vnd verbrennen. *l. cetere ff. famil. hercis.* Würden aber sollich hexenbücher allain zu nütz vnd menschlichem leben zu gutt vnnd zu kainem schaden dienen, so soltte man sie dannocht nit verbrennen noch abthon, tenet *Azo. in summa. C. de maleft & mathemat. circa fi. fa. l. eorum. C. eo. ti. & in Bart.* Vsgenommen bücher vom schatzgraben. *l. j. C. de thesaur. li. x.*

Also hat ewr fürstlich gnad vff kaiserlicher maiestat frag myn antwurtt, darus zu verstond ist, das es mich weder gœttlich loblich noch den hailigen cristglauben nützlich nock zu merung gots dienst fürderlich bedunckt sein wa man den iuden ire bücher wœllt abreissen vndertrucken oder verbrennen, hin dan gesetz vnd vsgenommen schmachbücher die man nennt libellos famosos vnnd verbotten künsten allen menschen schedlich vnnd vnleidenlich wie ob stat. Dan die iuden sind vnsere Capsarij librarij vnnd bibliothecarij die sollich bücher behalttenn daraus wir vnnsers glaubens zeugknus mœgen stellen, wie das spricht der cristenlich lerer *sanctus Thomas ad Romanos capitulo ix. lect. ij. super verbo. Major seruiet minori.*

Wider dise mein mainung bedunckent mich nit crefftigklich fechten die argumenten vnd vrsachen im anfang dargegen angezogen, *Zum ersten* das die iuden ire bücher haben wider die cristen gemacht, wie wol es an ettlichen felet, die vor cristus geburt wie ob gelut auch die in andern faculteten gemacht sind, noch dan ob sie alle wider vns wern, so sollt man sie darumb nit verbrennen, Dan die iuden habent ire bücher inen selbs zu gutt, vnd zu beschirmung irs glaubens gemacht, ob sie angefochten würden von yemants er sei haid, datter, soldanisch oder crist, vnd susst nieman zu laid schand oder schaden, Des ist sich zu vermutten vss dem das sie inn clainer zal vnder vns sitzen vnd mer berait sind zu dienen dan den leutten schaden zu ton Also sagt das gaistlich recht *xxiij. q. ult. c. dispar.* Darumb ist nit zu vermutten noch zu achten das sie die bücher wider vns sunder allain für sich geschriben haben. Vnnd mag wol sein das ich ettwas mir zu gut thu, das doch wider dich vnd dir laid ist, vnd thu dannocht nit wider dich, dan du magst es mir im rechten nit zu argen vff nemmen. *l. i. §. Denique. Marcellus. ff. de aqua. plu. arc.* Ich zel aber die iuden hetten ire bücher mit fürsatz vns zu wider geschriben, das ich doch nit main, bedœrfft auch wol ains gutten bybringens, danocht mœct ainer sye wœllenn entschuldigen das sy sollichs niemann zu schmach sunder inen zu ainer widerwere gethon hetten. Dan die weil wir sy alle iar ierlichs vnsern kirchenn am karfreitag offenlich scheltten perfidos iudeos, das ist glaubrychig iuden, vnd nach rechtem teutsch die weder trawen noch glauben haltten. So mœchter sy daruff vnder inen sagen nach innhaltung der recht also. Sie liegen vns an, wir hond vnsern glauben nie gebrochen. *iux. determinata Panor. in. c. Cum te ex. de sen. & re iudi. ix. col. ibi.* Ego vero distinguo Was sy nun reden mœchten das mœchten sy auch mit merern vnd clerern wortten schreiben, sich gegen den iren zu entschuldigen, dan als Aristoteles spricht peri hermenias. Die schrifft ist ain zaichenn der wort, darumb das argument an im selbs nichts ist so ainer wœlt sprechen. Man soll die iuden bücher verbrennen, dan sy sind wider vns geschriben, mann sicht das die cristenlich kirch andere bücher nit verbrennt die mit vff satz vnd stracks mit vff geworffen tittel wider vns gegeschri-

geschriben sind, vns dar mit an rucken zu werffen, alls die bücher Porphyrij Celsi Juliani apostate vnd ander.

Zum andern argument als man sagen mœcht. das solliche bücher schmehen Jesum, Mariam vnd die zwelff botten, auch vns vnd vnser cristenlich ordnung. Das argument vnd die vrsach were heftig, darumb ich über solliche bücher wa man die sünde mein verurtailung am ersten gesetzt hab, ich hab aber dero kains nie weder gesehen noch gelesen, dan zwai nemlich Nizahon vnd Tholduth ieschuha nozri. Inn den anndern bücher die ich bisher gesehen oder gelesen hab find ich kainen schmach. Dan was den glauben antrifft, da haltten sie dar fur ir glaub sei gerecht vnd der vnser sei vngerecht. Mann findt wol ettlich iuden die do mainen ain yegklich nacion mœg inn seinem glauben behaltten werden, vnnd wie vns die gebott Moysi nit binden, also seienn sie den gebotten Jesu nit vnderwürffig, sunder sie seien schuldig Moyses gebott zu halten, dann got hab sie inen geben vnd susst niemant, so seien wir Jesus gebot schuldig zu halten, dann got hab die vns geben. Darumb alles das sie schreiben dar zu dienende das Jesus kain got sei, vnd alles das daraus volgt das ist ir glaub, vnd wœllent dar mit nieman geschmecht haben. Vnnd das hat die cristenlich kirch also by den xiiij. hundert iar gelitten, vnd gedult, vnd hat es nie für kainen schmach angenommen. *c. consuluit. in fi. ext. de iude.* So ist Jesus hie erschinen als ain mensch vnd als ain knecht, screibt *sanct Paulus ad Philipp. ij.* also vnd nit anders haben in die iuden auch geachtet, vnd von im vnd syner mutter auch von den Aposteln nichts gœttlichs gehaltenn, vnnd nach. Ob das ain schmach sei, das gib ich denen zu ermessen die in weltlichen rechten über die satzung. *l. Item apud §. Si quis virgines. ff. de. iniur.* Vnd inn dem gaistlichen rechten über das *c. in audientia ext. de sint. ex.* geschriben haben. *Zum dritten* argumennt das die bücher falsch sindt, das kan ich nit recht verston. Dan falsch wirt genent inn manicherlei gestalt, vndertwilen haisst man die bücher falsch die nit recht corrigiert sind, als da ain wort vls gelassen oder zu vil ist, oder die buchstaben vnrecht geschriben sind, das hat kain sunderlich straff vff im, anders dan das man sollich bücher muss woll corrigiern vnnd bœssern, will man sie recht verston, dann solt man der massen bücher darumb verbrennen das sie nit recht geschriben vnd ab gemalt wern so müsst man vil bücher in der hailigen bibel verbrennen. Vnd welcher mir diser meiner rede nit will glauben, der less die *andere vorred s. Hieronymi über paralippo.* vnd die *vorred über Iob* vnd andere syne schrifften, nemlich *die epistel so er schreibt ad Lucinium Bethicum da er sagt das ye ain schreiber felscher schreibt dan der ander.* Des gleichen. *S. Augustini in ainer missiue oder epistel zu den hailigen Hieronymus in. i. parte Hieronymi epi. c. vi.* Vnd wan man also die bücher verbrennen solt die do falsch das ist nit recht geschriben oder getruckt wern, so müsst man den nützlichen Plinium in naturali historia vor allen dingen verbrennen, dan er ist in hundert iarn nie gerecht sunder allwegen falsch gewesen. Nun hat doch der erst schreiber des hailigen euangeliums Matthei im abschreiben geirrt vnd gefelt, alls do spricht *sanct Hieronymus ad Hedibiam super illud Matthei. Arundinem quassatam non confringet.* Zum andern so haisst man auch vndertwylen ain ding falsch das nit war ist, wie es gemainlich die philosophi brauchen, vnd in den rechten falsa causa, falsa demonstratio, falsa grammatica, falsa relatio, falsa denotatio, vnd sollichs hat kain pen oder straff vff im, dan *l. corne.* begryfft kain irrung noch sollich lügen, *l. quid sit falsum in fi. ff. ad l. cor. de fal.* vnd das wirt auch nit gestrafft so ainer die narracion oder den fürtrag mit der vnwarhait dar thut, sunder allain die beweisung, *sic Bal. in. l. quicunque vlt. col. C. de ser. fugi.* vnd in disen stuck mœchten die iuden bücher nach vnser mainug falsch sein aber nit nach irer mainung oder nach iren glauben, *sa. l. in synagoga C. de iude.* da gebotten wirt ob ainer zu den iuden gon wolt, das er sie doch nit in iren gaistlichen huss sol über fallen, spricht die glos über das wort *domus religionum s. iudeorum quoad eorum opinionem religiosa*, das ist so vil, sie selbs haltten es für gaistlich vnd andechtig. Zum dritten wirt ain ding falsch genent das mit bœssen listen die warhait ainen andern zu schaden vndertruckt oder endert. *In auten. de instru. caut. col. vi. circa prin. iunc. l. Nec exemplum C. ad. l. corne. de fal.* Nun waiss ich kain nacion vff diser erden die mer achtung hab die hailigen schrifft recht zu schreiben dan die iuden. Dan also ist die bibel by inen reguliert das man waisst wie vil ain iegklich buch vers oder cola die sie nennen pfukim haben. Item man waisst wie dick vnd vil wort in yer bibel stat. Item man hat massoreth darüber inn den geregulierten bibeln das sind scholia daruls man waist wan ains bubstabes zu vil oder zu wenig ist. Sollichs hon ich in kainer anndern sprach nie mer gelesenn, noch von kainen andern gehœrt, wol ist war das man etlich vnschedlich endrung findt, die sie sagen Ezras vnd Nehemias habent es also corrigirt vnd sind by den xvi. stucken, als da geschriben ist. *Gen. xviij. vnd Abraham stund noch vor got*, am selben ort soll vor Ezras vnd Nehemias zeitten geschriben gewesen sein, *vnnd got stund vor got, vnnd Habacuck capitulo primo. Mein hailig vnnd vyir vverden nit sterben, da ist vor gestanden, myn hailig vnd du vvirdest nit sterben &c.* Sollich endrung ist nit geschehen iemants zu betriegen, dan sie habent es selbs vff zaichnet wa es geendert sei, vnnd sanct Hieronymus auch die lxxij. tolmetschen haben sollich endrung in das latin vnd griechisch gebracht wol by tusent iarn, sunst kan ich kainen grund finden das es warlich an tag mœg bracht werden, das sie ire bücher gefelscht haben. Dan man findt sie inn orient vnd occident gleich lautendt, on allain was ire grammatici selbs vnderainander von wœrttern disputiern wie by vns Castigationes Hermolai barbari super Plinium, das lasst man aber allain disputationes vnd schul reden sein. Das aber ettlich der vnnsern gemaint haben, die iudenn hetten ire bibel gefellscht, mœcht vls disem kommen das vil translationes der bibel gewesen sind. Zum ersten die Chaldaisch des Onkelus vnd Jonathan.

Zum

Zum andern die griecheſch der lxxij. tolmetſchen. Zum dritten Aquile. Zum vierden Symmachi. Zum fünfften Theodotionis. Zum ſechſten Origenis mit ſeinem hexaplo. Zum vij. edicio vulgata. Zum viij. Anonymos. Zum ix. translatio auctoris incerti & ſine titulo, die alle mitainander hat ſanct Hieronymus vor augen gehabt alls er die bibel zum zehenden inn latiniſche ſprach transferiert vnd gemacht hat, das findt man inn ſeinen commenten. Noch iſt vnder denen allen der allt text der iuden beuor geweſſen on befleckt. Da were aber nit ain wunder das vnder ſo vil tolmetſchen vnd furſprechen mercklich endrung vnd abfal geſchehen, alſso das vil falſch darin were, alls doch auch iſt, wie dar von der genannt hailig Hieronymus ſchreibt *Ezech. xl. ca. ſuper verſu. Et ecce murus.* „Da er clarlich redt das gar nach „alle hebraiſche wœrter vnd namen inn der latiniſchen vnd griecheſchen translation veralltet „verwüſt, vnd der vnuernunfftigen vnd vngelerten ſchreiber halb verkert ſind, vnd ſo ainer vſs „vngerechten biichern noch vngelerter ſchreibt, „kumpt es dar zu das ain hebraiſch wort verwechſelt vnd Sarmatiſch, Behemſch oder Hungeriſch, „oder gar zu nuten wirt, dan ſo es vff hœrtt hebraiſch zu ſein, ſo facht es doch nit an aines ann„dern zu ſein, hec ille. Inn dem allem werden wir gewiſſen durch das gaiſtlich recht *ix. diſ. c. ut veterum*, das wir inn den irrungen des alten teſtaments ain zuflucht haben ſollen zu den iüdiſchen büchern, iſt ain gut zaichen das ſie die criſtenliche kirch noch fur die gerechteſten vnd nit fur falſch hat. Wœlt man aber ſagen der iuden doctores legten es falſch aus, die wyl wir vns dan der ſelben doctores behelffen vnſerm glaubem zu gut, vnd ſie zu bewyſung allegiern vnd anziehen wie obgelut hat, ſo mœcht man wider vns ſagen das wir vns inn ſollicher bewyſung falſcher zeugnus brauchten, das dan verbotten iſt. *l. ſi falſos. C. eo. ti.* Aber wie dem allem ain doctor der die ſchrifften nach ſyner beſten verſtenntnus aus legt wie er ainen zu fal hat. Er treffs oder treffs nit, ſo thut er kainen falſch, es ſei dan das er wiſſenlich ainen falſchen text dar zu allegir. *l. fi. ff. de fal.* Sunſt ſagt man er irr, dan offenbar iſt es, das man nit bezwungen iſt dehainen doctor in ſeinen ſchrifften oder opinionen zu glauben, darum kan er nieman betriegen. *l. in. i. in glo. mag. C. de leg.* Dem nach iſt mein antwurt vff das gemelt argument, ob gleich etwas falſch oder vnwars oder betrugs in der iuden bücher funnden wurde, das es im rechten nit gnug iſt ſolliche bücher zu verbrennen, ad hoc allego *Bart. in. l. quid ſit falſum ff. de fal. ubi dicit non puto quod pro quolibet dolo & qualibet deceptione quis incidat in falſum ut puniatur l. cornelia de fal. niſi ſit de capitulis expreſſis in hoc titulo*, hec ille.

Zum vierden argument das die iuden durch ire bücher verharren in irem iudiſchen glauben, vnd werden deſtminder criſten ſo ſie von iugent vff darinn erzogen ſind. Mag ſein was man inn der iugent lernet das hangt ainem gern inn dem alter an. Alſo gros iſt es, inn der iugent zu gewenen ſpricht Virgilius ij. georgi. vnnd Horatius epiſto. ij. ad Max. Lollium. Ain nüwer haf ſchmeckt lanng nach dem das am erſten darin gekocht iſt. Aber es felet auch dick, vnd kumpt zum dickern mal das die menſchen inn der iugent vngeſchickt, vnnd im allter faſt ſeer geſchickt werden über andere leut, dar von Valerius maxi. li. vi. ca. ix. ſchreibt. Aber wir wœllent die rœmer yetzt vnder wegen laſsen, vnd die iuden vor nemmen, vnſer apoſtel Paulus hat alle kunſt der iuden gelernt vnnd iſt by den rabin zu ſchul gangen, was iſt vſs im worden? mer dan alle andere apoſteln. Mœcht ainer ſagen ia got hat in dar zu gezogen, dem antwurt *Criſtus Johan. vi. Es mag nieman zu mir kommen er vverde dann von mainen vatter zu mir gezogen*, darumb iſt es kain ynred, dan wir werden all gezogen wie vil vnſer zu dem criſtenlichen glauben kommen. Wir werden nit criſten geboren, ſunder gemacht, ſpricht ſanct Hieronymus in epi. ad Athletam de educatione filie, dan das wort criſti kompt inn die oren vnd vſs den oren inn das hertz, vnd vſs dem hertzen inn den willen, vnd vſs dem willen in die verſtentnus, vnd von dannen kompt der glaub, darum ſpricht ſanct *Paulus ad Rom. x. der glaub kompt durch das hœren, vnd das hœren durch das vvort Criſti*, daruſs ich wol kan verſton welcher geſchickt iſt zu hœren, der iſt auch geſchickt zu glauben, vnd welcher vngeſchickt iſt zu hœren, der iſt vngeſchikt zu glauben, Nun iſt aber der vil geſchickter den criſtenlichen glauben zehœren, der ſich vor hin geübt hat inn den dingen dar durch ſollicher glaub der vernunfft mag ainen ſchein machen, als Ariſtoteles ſpricht ij. de Anima. Die wirckunng wirckt vil wercklicher inn ain ding das vor dar zu geſchickt iſt Sol ich nun ainem vernünfftigen menſchen ain ding glauplich machen, ſo muſs ich ſeiner verſtenntnus das ſelbig für halten durch ain mittel darab ſein vernunfft nit ſcheuhet, da mit er ſeinen freien willen in ainem zweifel mer vff diſe ſeitten naig dan vff die andern ſeitten, vnd wan der ſach ain ſollicher ſchein gemacht wirt, ſo falt der will zu der verſtentnus vnd wirt daraus ain glaub. Diſ ſind aber die mittel dar durch des menſchen verſtentnus ainen ſchein der warhait empfahet, als vnſere hochgelerten doctores inn der hailigen ſchrifft dar von ſchreiben, nemlich verkündung der profeten, ainhelligkait der geſchrifft, maiſterſchafft der bücher, erzelung der ding ſo darinn geſchriben ſtond rechter vernunfft gemeſs, vnnd ſeines widertails rechter vernunfft vngemeſs, ains yegklichen irrſals vnuernunfft, beſtand der criſtenlichen kirchen, vnd offenbarlich geſchicht der wunder zaichen. Durch diſe acht ſtucke mag des vnglaubigenn mennſchenn will zu der vernunfft gelaittet werden, dar durch er glaub ain ding des er vor in zweifell geſtanden iſt. Daruſs wol vermerckt mag werden das ain gelerter iud leichtlicher aus rechtem grundt bekert mag werden, dann ain vngelerter. Ich ſag vſs rechtem grundt, des halb ich nit red von denen die aus neid, haſs, forcht der ſtraff, armut, rach, eergeitigkait, liebe der welt, ſchlechter ainfeltigkait, vnd andern der gleichen vrſachen zu vns kommen, vnd allain mit wortten vnd mit dem namen wœllen criſten werden. Deren ich vil gekent hab, da nichts guts vs worden iſt, die ſelben glauben eben ains alls das ander, vnd wan es inen vff diſer ſeitten nit nach irem willen gat, ſo lauffen ſie in

die

die türckei vnd werden wider iuden, von denselben schalachs büben will ich hie nit geredt haben, sunder von den dapffern redlichen iuden vnd iüdinen, die ir irrtumb vnd irrsal erkennen, vnd verstanden war inn vnd wie sie irren, vnd vmb gottes vnd der warhait willen zu vnserm cristenlichen glauben zu bringen sind. Darumb so gib ich anttwurt zu dem obgemeltten vierden argument, vnd sag. Das die bücher kain wircklich vrsach seien darumb die iüden nit zu cristem glauben kommen. *Luc. xvi. Habent Moysen & prophetas*, sunder die bücher seien wol vrsach das sie leichtlich glaubig werden, wa wir der selben sprach gelert vnd wol geschickt leut hetten, die do vernünfftigklich mit inen kündten vmb gon, das bewer ich aus der geschicht vnnd der tatt, die der maister in Fortalicio fidei anzaigt libro iij. consideratione xij. da er schreibt das ainer von den gelertesten vnd weisesten iuden sei zu im kommen, vnd hab mit im vil von dem glauben geredt, vnd im da gesagt, das er warlichen glaub den cristenlichen glauben, vnd er sei dar zu gebracht worden durch fleissig übung in den schrifften nit allain der bibel, sunder auch des Thalmuds vnd der philosophy, hæc ille. Also sind maister Petrus alfonsi, maister Alfonsus, maister Johannes de podio, maister Hieronymus conversus, maister Paulus Burgensis bekert worden, die ich wolt nemen inn vnsern glauben für vier hundert kartten maler oder wucherer vnndern iuden. Ich zel aber der Thalmud were vrsach das sie nit cristen würden, darumb sol ich niemant das sein nemmen vnd verbrennen, dan mir stat das nit zu zevrtailnn. Der iud ist vnsers herr gots alls wol als ich, stat er, so stat er seinem herrn, fallt er, so fallt er seinem herrn, ain yegklicher würdt für sich selbs müssen rechnung geben. Was wœllen wir ains andern seelen vrtailn, got ist wol so mechtig das er in mag vffrichten, Das alles schreibt clarlich der hailig apostel Paulus *ad Romanos decimo quarto.* So wissen wir auch aus dem euangelio, das unser herr seine iunger Jacobum vnnd Johannem gar hart straffte da sie begerten das ain stat der vnglaubigenn die Cristum vnd seine iunger nit woltten yn uemen solt verbrent werden, *Lucæ nono capitulo.* Daraus will ich die oberkait entschuldigt haben, dann sie verwilligt nit inn das übel, aber sie lasst es geschehen, *dicto c. consuluit de iudeis, & Augustinus de Ancona in libro de ecclesiastica potestate. q. xxiiij. §. ad secundum*, vnd kan es nit wenden sie thu dan den leutten vnrecht das doch nit sein sol.

Zu beschluss dis hanndels, so kan ich für war nit gedencken das daraus ettwas vnserm cristenlichen glauben mœcht zu guttem kommen, oder der gotsdienst gemeeret werdenn. Ich kan aber wol ermessen das vil args mœcht daraus entston, so wir inen die bücher verbrentten.

Zum ersten. Das die iuden mœchten sprechen, wir nemen inenn ire wer, vnd fœrchten vns vor inen, das sie vns über disputierten, vnd klüger wern mit sinnen dan wir. Alls ob ain hertzog ainem hirtten wœlt aufsbietten mit im zu fechten, vnd liess im doch zu vor nemmen seinen stab, schwert oder messer, vnd er selbs behielt im das sein.

Zum andern. So mœchten die iuden vil seltzamer ding von nüwen schreiben die bœser wern dann dise, vnnd iren kindern von yetzt über hundert iar sagen das vnd das were inn den verbrennten büchern gestanden.

Zum dritten. So mœchten sie darnach sagen, vnsere doctores hetten die iren falschlich allegiert, vnnd anders dargethon dan sie geschriben hetten. So kündten wir dan nienen hin dehain zuflucht haben, daruff wir vns mœchten ziehen.

Zum vierden. Was man ainem verbeut das hat er erst am liebsten, darumb würden ire rabin vnd maister inn die türckei ziehen zu lernen, vnd darnach wider heraus kommen, vnd ire iungen mit grœsserm fleis leren bœsers dan sie vor ye gelernt hetten.

Zum fünfften. So mœcht es darzu kommen, als sich der welt lauff von iar zu iar endert, das wir sollicher bücher inn den concilien vnd versamlung der kirchen selbs nottürfftig würden. Als das concilium zu Basel den Alkoran des Mahumets buch durch den cardinal Johann de Ragusio zu wegen gebracht hat, vnnd dan geben wir vil darfür das sie nit wern verbrent worden, wie den rœmern geschach do der künig Tarquinius priscus der Sibylla amalthea bücher verbrent het, bis vff die drey hinderste, darumb er dannocht must iij. hundert gülden geben lutters golts, mit grossem laid das er die andern verbrent het.

Zum sechsten. So ist vns verbotten mit den ketzern so von vnserm glauben gefallen sind, offenlich zu disputiern. *l. damnato et. l. quicunque C. de heret.* Aber wol mit den iuden mœgen wir disputiern, vnd mit inen reden, da mit wir sie glaubig machen. *c. quam sit laudabile & ibi glo. i. ext. de iude. iuncto. xxiij. q. iiij. c. infideles.* So dan ire bücher verbrent wern, wes kündten wir vns wider sie behelffen, es were dan des texts der bibel. Aber das ist gar nichtz, dan das hailig gaistlich recht *xxxvij. dis. c. relatum.* spricht das vil wœrter in dem text der hailigen schrifft geschriben stond die gezogen mœgen werden vff ainen yeden sine, den im ain yegkliger selbs für nimpt. Vnd darumb wurden die clugen iuden ain andere vslegung erdencken, die sie von iren elltern nit gelernt hetten, des halb wir müsten abston.

Zum sibenden. Wan wir nieman fremds vssert halb mer hetten, es were iuden oder haiden mit denen wir inn der schrifft zanckten, Die weil dan des menschen gemütt nit feyrt, so wurden wir vnder vns selbs inn vnsern schulen vnains, vnd nüwe opiniones anfahen, oder die altten zenck erwecken, als yetzo geschehen ist mit vnser lieben frawen empfengknus, vnd ob sanct Pauls ain eewyb gehapt hab, vnd ob sanct Augustin ain münch sei gewesen. Vnd vil ander narrenwerck, das geschicht so wir nieman haben der wider vnns gedar reden, mit dem wir die horn abstossen, wie dan in der rœmer historien geschriben ist, im dritten krieg wider die stat Carthago, alls man inn dem rœmer rat darvon solt ratschlagen, da was Cato Censorinus der mainung man solt Carthago zerreissen vnd schlœuffen, Da gab Scipio Nasica disen rat, Nain, man solt Carthago lassen beleiben. Nit vmb liebe willen die er zu der stat het, dan er was ir alls fiendt als die andern. Aber allain darumb, das er die rœmer wol kantte, das sie nit feirten, vnd wan sie vswendig nit zu kriegen heten, so wurden sie selbs

inn ir aigen statt bello intestino innanander fallen, alls auch geschehen ist, vnd het gantz Rom gern darnach gewellt man het Scipionis rat gevolgt.

Zum achtenden. So ist nichtz dar mit fürkommen, ob man gleich inn teutschen lannden dar inn die minst zal der iuden ist, ire bücher verbrent. Dan sie haben noch zu Constantinopel vnd in orient auch inn italien vnnd in andern küngreichen ire hohe schulen, darinn sie frei lernen vnd lesen was sie wœllen.

Zum neunden. So nemmen wir exempel ab vns selbs. dan die zwen kaisser Diocletianus vnd Maximianus haben im achtenden iar irer regierung ain gemain mandat vnd gebot lassen vss gon, das man aller cristen bücher solt verbrennen. Als aber ain yegklicher amptmann vnder den seinen sucht an welchen orten der cristen bücher wern, Da kam der kaisserlich Commissari Magnianus genannt zu Felix dem bischoff zu Biukan vnnd zu Januarius dem priester, auch zu Fortunatus vnd Septimius, als zu denen die am meisten des selben orts vmb die bücher soltten wissen, Die gabent im zu antwurt. Es stat geschriben. „Ir sollent „nit geben das gehailigt den hunden noch den „schweinen die perlin für werffen, vnd ee sie es zaigen wœltten so sind sie darumb gestorben. Nichtz dest minder wurden der cristen bücher abgethon, welche nit verborgen warn, vnd nach absterben der zwaien gemeltten kayser. Da stunden die ketzer vff vnnd schribent andere bücher vnd gaben inen tittel der hailigen, als ob sie gerecht wern, nemlich euangelia Thaddei, euangelia Thome apostoli, euangelia Barnabe apostoli, euangelia Bartholomei, euangelia Andree apostoli, vnd vil anndere bücher die do erzelet sind *inn den gaistlichen rechten xv. dis. c. Sancta romana ecclesia §. Que uero.* Bis als lanng das die altten bücher als wyt als das rœmisch reich was inn orient vnd occident wider zu sammen gesucht, vnd durch die nachuolgenden concilien vss gelesen vnd probiert wurden. Man kan aber nit befinden das ainichs cristen menschen darumb minder sy geworden, dan ob man sollich bücher nit verbrent het, sunder die cristenlich kirch hat sich darnach ye lenger ie fester gemeret. Also würd auch hie geschehen, so die iuden sehent das man inen sollichen trang vnd gewalt ann ir hailigkait thete, so würden sie mer entzündt, iuden zu sterben, als hailigen nach irer mainung, vnd ire kind vnd wyber dester harrter daruff weisen. Darumb ist vns gebotten inn den gaistlichen rechten. *c. sicut iude. ext. de iu.* Das wir den juden das ir nit sollen nemen, es sei gelt oder gelts werdt, das durch dis wort pecunia verstanden mag werden. *i. q. iij. totum* vnd welcher dar wider tut der sol seiner eern vnd ampts entsezt werden oder im bann sein i. e. excommunicatus, so lang bis er gnugsame widerlegung thut. Nun ist es gegründt inn rechten das man nieman in bann erkent dann vmb ain todt sind. *xi q. iij. c. Nemo.* Ist es nun sind so ist es got nit loblich. Inn disen gebot der kirchen sind auch begriffen alle künig vnd kaisser nach dem sie cristen sind, vnd kaisserliche recht hond dise satzung angenommen, in *l. Christianis. C. de. paga.* vnd haben die widerlegung erclert, das man in iren schaden zwifach widerlegen sol, vnd welche oberkait oder amptleut das gestatten. die sollennt auch also gestrafft werden, als hetten sie es selber geton. Dan so die iuden frieden haltten, so sol man sie auch mit friden lassen. *dicto l. Christianis.* Das geschicht alles darumb das sie nit mœgen sprechen, wir wœllen sie tringen oder nœten zu vnserm glauben, darumb der hailig apostel *Paulus* schreibt ad *Thess. iiij.* „Wir bitten euch lieben „brüder das ir ruw haben vnd das ir eerlich gand „gegen denen die vsserthalb sind, vnd das ir nit be„gern ichtz des andern, Das ist, wir sollen die so nit cristen sind vnbekümmert lassen, vnd des iren nit begern. Darumb sollen wir ire kinder nit tauffen on iren willen. *glo. in. ca. iudeorum filios xxviij. q. i.* Das halten auch die lerer der hailigen schrifft, als *Augustinus de ancona in summa de ecclesiastica potestate q. xxiiiij.* Darus verstanden mag werden das man ire bücher auch nit sol on iren willen nemen, dan bücher sind manichen als lieb als kind, vnd wie man von den poeten sagt das sie ire bücher so sie gemacht haben für ire kind halten. Also ist es auch hie zu gedencken, so man ainem iuden seine bücher wœlt nemen darumb das man ine zu cristenlichen glauben brechte, des het ain gestalt ains zwangs *glo. super ver. licentiam in fi. xlv. dis. c. Qui sincera.*

Als aber vnser aller gnedigster herr der rœmisch kaisser üwern fürstlichen gnaden auch beuolhen hat darvff rat zehaben, welcher massen vnd vff was grund vnd weg die sach an ze fahen vnd ze thun sei, wie mir das auch von den selben üwern fürstlichen gnaden zu bewegen vnnd zu raten vff gelegt ist, kan ich für war bessers nit raten nach meiner klainen verstentnus, dan das die K. M. vmb gottes vnd vnsers cristenliches glaubes willen by den hohen schulen in teutschen landen verfüge, das ain yegliche vniuersitet muss x. iar zwen maister haltten die do künden vnd sollen die studenten vnd schüler inn hebraischer sprach leren vnd vnderwaisen, wie die *Clementin* anzaigt vnd vswaist, *sub titulo de magistris prima.* Dar zu sollen vns die iuden so in vnsern landen sitzen vnd wonen mit leihung der bücher gutwilligklich vnd nachbeurlich beholffen sein, vff zimlich caution vnd on iren schaden, so lang bis wir durch den truck oder handtgeschrifft aige bücher über kommen mœchten. So hab ich kainen zwyfel in kurtzen iarn werden vnsere studenten inn sollicher hebraischer sprach so gelert, das sie mit vernünfftigen vnd freuntlichen worten die iuden künden vnd mœgen senfftmüthigklich zu vns bringen, nach inhaltung des gaistlichen rechtes. *c. qui sincera et. c. de iude. xiv. dis.* darin mit vsgetrückten worten also stat. „Welche die syent die vss luterer mai„nung des cristenlichen glaubes frembde auslüt „begerennt zu rechtem glaubenn zu bringen, die „sollent das mit senfften wortten vnnd nit mit „rawher mainung vnnderston, vff das nit der wi„derwil die ihene vertrybe, dero gemütt wol „mœcht ain gutte vernunfft von der irrung abwen„den. Vnd welche anders thund, vnd sie vnder „verborgener gestaltt von gewonlichen sitten wœl„lent abwenden, die mag man erkennen das sie nit „gottes handel, sunder ire aigene henndel treiben, „& infra. Darumb sol man im also thun, das sie „mer durch vernünfftig vrsach vnd senfftmutig-

kait

„kait beweget, vil liber vns wœllen nachuolgen „dan fliehen, da mit wir fie aus iren aigen büchern „augenfchynlich zu vnfer mutter der criſtelichen „kirchen mit der gots hilff mœgen bekern. Das „ſind ongeuerlich die wort der angezogen cri„ſtenlichen fatzung *dicto ca. qui ſincera*, wie wir „es inn diſen ſtuck mit den iuden haltten ſollen, „vnnd der *canon* obgemelt *de iudeis ea. diſ. ſagt al„ſo.* Von den iuden hat vns gebotten das hailig „Concilium das wir fürterhin niemand gewalt thu„en zu glauben, dan welchen got wil, des erbarmt „er ſich, vnd wen er wil den macht er herrt, des „halb ſollich leut nit ſind ſeelig zu machen mit vn„willen, ſunder mit guttem willen, das die form „vnnd geſtalt der gerechtigkeit gar vnnd gantz „beleib. Aus diſen baiden yetz angezaigten rechten der Clementin vnnd diſtinction des decrets, hond wir beſchlieslich die gantz materi dis handels nemlich. Das man der iuden bücher nit ſol verbrennen, vnd das man ſie durch vernünfftig diſputationen ſenfftmüttigklich vnd güttlich zu vnſerm glauben ſol mit der hilff gottes übereden.

Hochwirdigſter fürſt gnedigſter herr, ich wil diſe meinen ſchrifften vnd mainungen üwern fürſtlichen gnaden als meinem ertzbiſchoff vnderworffen, vnd nichts anders geſchriben haben, dan das durch üwer fürſtlich gnad vnd die hailig criſtenlich kirch zugelaſſen wirt, des ich mich allhie proteſtier vnd bezeug. Vrbüttig üwern fürſtlichen gnaden allzeit vndertenigen dienſt willigklich zu beweiſen. Datum zu Stuttgarten an dem ſechſten tag octobris. Anno 1510.

PAuca ſubternotabo argumenta, quæ poſſent ſcholaſtice in contrarium objici, cum eorum breviſſimis ſolutionibus, ex quibus conſtabit fidem eccleſiæ pariter eſſe fidem meam. Arguitur I. quod in allegatione mea duorum librorum hebraicorum videlicet Nizahon & Tholduth videar judæos excuſari velle a blaſphemia propter duas cauſas, quarum prima eſt quod dixerim judæos habere illos libros pro apocryphis, probando per dictum Burgenſis. Sed certe illa probatio non eſt efficax ſi bene videantur verba dicti Burgenſis quæ ſunt illa in quodam libello apocrypho apud hebræos qui intitulatur *Liber generationis Jeſu Nazareni, non tamen ſecundum Matthæum.* In illo enim libello multa falſiſſima & abſurda continentur quæ Chriſtum diſcipulos ejus & matrem quod ex adulterio conceperit &c. hæc ille, Modo illud dictum poteſt habere duplicem ſenſum. ſ. proprium & compoſitum quando illud adjectivum apocrypho determinat ſubſtantivum ſecum poſitum ſicut magis natum eſt facere ſcilicet libello, & tunc ſenſus eſt, quod in libello apocrypho ſcilicet qui in ſe eſt apocryphus apud hæbræos tamen habitus, & ex illo non habetur quod hebræi habeant eum apocryphum, ſed quod habeatur apud eos ille libellus qui eſt apocryphus, & ita nihil ad propoſitum, poteſt enim liber eſſe apocryphus ſicut eſt Thalmud, & tamen apud eos non habetur talis ſed habetur veriſſimus, & cui non licet contradicere. & ideo dicunt Juriſtæ, non probat hoc eſſe quod contingit ad hoc abeſſe, & logici a propoſitione habente plures cauſas veritatis & ſenſus ad alteram earum arguere eſt facere fallaciam conſequentis. Præterea in Thalmud dicuntur etiam ſimilia reperiri. Modo Thalmud apud eos eſt ejusdem auctoritatis & in eodem gradu quo auctoritas univerſalis eccleſiæ apud nos ut inquit idem Burgenſis in quadam additione in Danielem, ergo ſignum eſt quod illos libellos quoad dictas blaſphemias maxime non habent apocryphos. Secundus ſenſus dictorum verborum poteſt eſſe quod voluerit dicere Burgenſis in quodam libello apud hebræos apocrypho ſc. habito, & ille ſenſus quia diviſus eſt & improprius, ut patet apud logicos, ideo non poteſt ex illo probari propoſitum, cum non illum ſed magis alium dicta verba habeant ſenſum & proprium. Secunda cauſa eſt per quam videar eos velle excuſare dicendo quod audiverim a judæis quibusdam, quod illi libri ſint deſtructi & deleti, & ſuis prohibitum, ne de cætero talia ſcribant vel loquantur. Sed certe nemo eſt qui non videat quod illa eorum confeſſio extra judicialis & in favorem eorum & per quam fugerint incommoda quæ alias poſſent incurrere nihil valeat, neque in hoc eis fides adhibenda eſt, & confirmatur maxime ex eo quia in Thalmud referunt fide digni viri ſimilia contineri. Modo nemo qui eorum ſectam noverit & doctrinas diceret, quod judæi Thalmud mandaſſent in aliquo deſtrui & deleri ex ſupra dictis. Ad hæc dico quod illa non poſui quaſi per ea voluerim judæos excuſare ex his quod non habeant vel utantur illis libris, ſed per alios ſcripta & dicta referre voluerim. Et hoc patet quia immediate poſtea dico quod apud quemcunque tales reperiantur ſcienter ille debeat puniri & tales libri auferri.

Arguitur II. Contra id quod dicere videor quod libelli continentes blaſphemiam contra Chriſtum &c. non debeant judæis auferri ubi eos haberent, niſi prius ſuper eo facta eſſet commiſſio imperatoris & pars audita, & lata ſententia. In hoc enim videor contradicere mihi ipſi, quia dixerim quod ubi libelli famoſi ab ignaris inventi eſſent illi debent ſtatim lacerari juxta legem allegatam ibi, ſed hic dicam non ſtatim ſed tunc ſcilicet facta commiſſione & ſententia prius lata. Præterea dicit quidam magnus doctor nomine Gerſon, & loquitur expertus quod ſit perverſiſſimus & perniciosiſſimus non quidem ordo juris ſed illius confuſio prius evocare aſſertores quam damnentur errores, & nolle quomodolibet tractare prius intereſſe fidei quam diſcuſſum fuerit de intereſſe perſonali, & de „illis habet locum *dictum Chriſti, Matthæi XV.* irri„tum feciſtis mandatum dei propter traditiones ho„minum, qui vellent ita jura intelligere humana in præjudicium fidei & veritatis. Advertant prælati ea quæ ſequerentur inconvenientia, paſſim enim & libere aliqui prædicarent quod vellent, neque poſſent corrigi, niſi prius referendo cauſas ad ſedem apoſtolicam, hæc ille in ſententia. Et alibi dicit idem quod non oportet prius fieri proceſſum, vel etiam ſimul adverſus aſſertores errorum, quam damnentur errores. Ita practicatum eſt in concilio Conſtantienſi circa iſtam aſſertionem, quod laici communicandi erant ſub utraque ſpecie, probant hoc exempla de falſo nomiſmate & libello famoſo, hæc ille in ſententia. Vult igitur expreſſe quod libelli famoſi hæreſes & falſum nomiſma poſſunt condemnari antequam auctores eorum, & an-

tequam processus instituatur contra eos. Sequerentur enim aliquando multa incommoda si prius judicialiter contra auctores procedi deberet, qui vel haberi non possent vel ignorarentur & interim hæresi inficerentur homines infamarentur & falso nomismate deciperentur. Non satis autem destruuntur errores ait idem Gerson si permittuntur liberi & impuniti patentes & notorii verbis aut factis hæresum defensores. Sicut autem efficacissimum machinamentum est destructionis, religionis spoliatio & priuatio librorum approbatæ religionis ut patuit in regibus Assyriorum respectu Hierusalem & judæorum inquit idem Gerson. Ita etiam efficacissima condemnatio & destructio errorum est extinctio librorum hæreticorum, & horum qui hæreses & arma diaboli continent. Unde iterum Gerson dicit quod qui positive vel privative vel omissive directe vel indirecte per cautelas humanas impedit ne tollantur errores facit se suspectum de fautoria hæreticæ pravitatis, nec jura quæ ego adduxerim loquantur in illis casibus prædictis alias continerent injustitiam nec mererentur dici jura. Ad hoc dico quod quamvis argumentum possit procedere in maxime notoriis, prout etiam conclusio mea loquitur, & tunc respondeo ad argumentum quod intelligo dicta mea assumpta in argumento supplendo ea per ly maxime proprie capiendo ita ut idem sit in casu contrario videlicet ut etiam sine causæ cognitione & commissione speciali taliter reperti libri possint auferri & comburi & ille fuit intellectus meus, quomodo sæpe summos pontifices & iura defendimus a contradictione & falsitate. Et imperatoris mentionem iccirco feci, ex quo nunc hæc consultatio est in facto imperatoris.

Arguitur III. Quod dixerim judæos concives esse nobiscum romani imperii, videtur enim quasi per hoc vellem eorum sectam esse aliqualiter approbatam, cum fide nostra a romano imperio, & quod nimis reverenter de eis loquar, & de nobis nimis despecte & contemptibiliter. Debebam enim dixisse eos subjectos esse romano imperio & nostram fidem non dicere sectam, quod videtur sonare minus bene. Ad hoc respondeo, quod ecclesia ita desiderat salutem infidelium, quatenus eos deo lucrifaciat, *cle. i. de magis.* ut etiam judæos ex quadam misericordia in nostram familiaritatem receperit, *c. etsi judæos extra de judæ.* quamvis enim esse deberent serui, tamen eos patimur nobiscum communi romano jure uti in libertate, quod ego intelligo communem civilitatem, ut *l. judæi communi romano jure, C. de judæ.* Jus enim romanum dicitur jus civile. Volui ergo tantum eos esse cives nobiscum i. e. subjectos romano imperio sicut expresse in consilio meo dixi in primo argumento ad partem negativam, non autem ut aliquem eis honorem nobis convenientem illis præstarem. Quod autem ambos nos sub uno nomine sectæ comprehenderim, feci brevitatis causa. Cum hoc nomen secta possit in bonam & in malam partem interpretari, ergo potest etiam simul & bonis & malis applicari *fa. glo. ij. in cl. ad nostrum de hæret. junct. l. ult. C. de pact.* per quod nolo fidei nostræ in aliquo detractum esse.

Arguitur IV. Videtur, quod contradicam mihi ipsi in eo quod dividendo Thalmud recedam a doctore Petro nigri & aliam divisionem faciam nullum auctorem allegando ad hoc, quasi ego ipse viderim & legerim Thalmud, & tamen inferius dicam me non legisse neque scire. Solutio, non dixi me nescire Thalmud simpliciter & sine addito, sed quod eum non intelligam nisi ex libris nostrorum, qui contra judæos scripserunt, modo constat ex auctore objectionum in thalmud qui publice impressus est & ex aliis Christianorum libris quod dividitur in quatuor partes separatas & distinctas, & secundum alios in plures. Sic opinionem scribentium sequutus sum, qui diversimode dividunt, & talis etiam est mens mea in aliis si loquar absolute non allegando auctorem.

Arguitur V. Quod hoc videatur temerarium quod dixerim nullum judæum tempore vitæ meæ fuisse baptizatum in alemania qui sciverit thalmud. Et per hoc exposuerim me periculo mendacii aut falsi, quomodo enim illam negativam scire possem, nisi omnes judæos baptizatos in germania optime novissem, sicut in simili dicunt doctores theologi *in iij. circa magistrum*, quod si quis assereret aliquod cum juramento ut certum quod sibi non potest esse certum, ille peccaret mortaliter, quia exponeret se periculo perjurii, & esset juramentum temerarium. Solutio. Illud dictum debet intelligi cum modificatione posita in dicto immediate præmisso quando dixi me nullum christianum scire qui Thalmud didicerit, ita etiam intelligatur quod nullus fuerit judæus quem ego sciverim præter unum pro ut in litera.

Arguitur VI. Quod cum ego concludo Thalmud non esse comburendum. Dico partim illud patere ex causis superius allegatis. i. in titulo quæstionis, Modo illa argumenta non probant hanc conclusionem. Primum enim est nimis generale, quia non sequitur judæi debent manu teneri cum juribus imperialibus, ergo thalmud non est eis auferendus, quia potest sequi conclusio contradictoria quod esset eis auferendus ubi contineret blasphemias sicut & jura imperialia etiam de christianis sentiunt, Sic enim sequeretur etiam quod libri hæreticorum & famosi non essent auferendi quod est falsum. Item secundum non concludit, quia procedit dumtaxat in casu ubi judæi non essent in culpa, & præterea etiam procederet ubi nulla causæ adesset. Sed hoc circa judæos deficeret ubi Thalmud blasphemias & hæreses contineret ut dicitur. Item tertium hoc non probat, qualis enim consequentia, jura imperialia volunt quod nemini sit res sua vi auferenda, ergo Thalmud non est judæis auferendus si contineret blasphemiam, quia hoc fieret non vi & injuria, sed legis & juris potestate & auctoritate si contineret prædicta mala. Item quartum nihil probat, quia sunt multi casus in quibus spoliatus non est restituendus, ut gladius furioso, & quotiescunque restitutio esset contra jus divinum vel naturale, contra bonum etiam commune ut ubi restituendus usurus esset re in contumeliam creatoris, ita Gerson in quodam loco doctissime loquitur, Sic autem dicitur esse de Thalmud. Præterea etiam jure humano non semper est restitutio facienda, ubi quis possideret contra jus, ergo potest in tali casu spoliatio fieri, de quo per doctores *in c. significavit de cens.* per ea quæ ibi ad hæc allegantur. Item quintum omnino non procedit, quia non sequitur judæi debent tolerari in synagogis suis quiete, ergo

Thal-

Thalmud non eſt comburendus quia antecedens eſt verum ſi in ſynagogis ſuis docerent ritus ſuos juxta vetus teſtamentum, ſecus ſi contrarium docerent, quod eſſet ſi Thalmud qui dicitur continere neſandiſſima contra chriſtianos ibi doceretur. Item ſextum aſſumit falſum in quantum Thalmud continet hæreſes & blaſphemias contra Chriſtum & ſanctos, ut patet cuilibet docto. Præterea de Thalmud infra habebitur, quomodo fuerit ſpecialiter condemnatus, & ſi non aliquo jure ſcripto tamen jure vivo, hoc eſt per ſummos pontifices Gregorium & Innocentium, de quo infra. Ad hæc reſpondeo, quod talia argumenta ante initium deciſionis pro & contra poſui, non ut omnino concludant tanquam probationes efficaces, ſed more conſultorum ut faciant cauſam dubiam & viam parent pro intelligentia dicendorum, quæ ex his clarior apparebit, pro ut etiam doctores in aliis materiis faciunt.

Arguitur VII. Quod prima ratio non concludit Thalmud non eſſe comburendum, ſed potius quod non poſſit impediri per homines quo minus hæreſes & errores fiant deo permittente, qui ex his poteſt bona elicere, licet non minus homo debeat laborare ne mala fiant, aut ea quantum in eo eſt non permittere niſi ubi aliter majus malum ſequeretur, non enim poteſt homo ex malo elicere bonum ſicut deus. Non autem probat quod poſtquam hæreſes & errores vel mala quæcunque poſita ſunt, quod illa non debeant puniri, extirpari & ſopiri, de quorum numero ſunt libri hæreticorum, & Thalmud ut dicitur continentes hæreſes blaſphemias contra chriſtum & ſanctos &c. ſicut alibi *Matthæi XVIII. dixit chriſtus. Neceſſe eſt, quod ſcandala fiant*, & tamen nemo eſt qui diceret quod mala ſcandalizantia non debeant puniri poſtquam perpetrata fuerint, *juxta ſcripturam* quæ dicit *Eccleſiaſtici VIII.* Etenim quia non cito profertur contra malos ſententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala, quaſi diceret. Cito malum puniendum eſt ut tollatur ſcandalum & ruina in alia mala. Præterea ſi illa ratio valeret, concluderet quod etiam hæretici non deberent puniri, & libri hæreticorum, & eorum dogmata falſa eſſent permittenda, quod eſt contra ſcripturam & apoſtolum *ad Timotheum II.* ubi dicit *quod ſermo hæreticorum ſicut cancer ſerpit*, ideo ſtatim exterminandus eſt, & qui hoc aſſereret videlicet quod hæretici eſſent ſuſtinendi & libri eorum, ſuſpectus eſſet vehementer de hæreſi ac de fautoria hæreticorum, unde apoſtolus dixit alibi *ad Timotheum III. Hæreticum hominem poſt primam & ſecundam correptionem devita, ſciens quia ſubverſus eſt.* Et ideo talis ſic relapſus traditur curiæ ſeculari & tandem igne comburendus ſecundum jura, quam pœnam etiam chriſtus inſinuavit quando dixit *Johan. XV. Si quis in me non manſerit mittetur foras ſicut palmes & areſcet & colligent eum & in ignem mittent.* Et Hieronymus dicit: „Reſecandæ ſunt putridæ carnes & ſcabioſa ovis a „caulis repellenda ne tota domus maſſa corpus & „pecora ardeant, corrumpantur, putreſcant & interean„t, Arrius enim in Alexandria una ſcintilla fuit, „ſed quoniam non ſtatim ſuppreſſus eſt, totum quaſi „orbem ejus flamma depopulata eſt, hæc ille. Cum igitur neceſſe ſit hæreſes fieri, & tamen cum hoc poſtquam ortæ fuerint non debent permitti ſed ſopiri & extingui, efficaciſſimum extinctivum eſt errorum ſi libri & auctores ſtatim damnentur & ſopiantur vel puniantur ut ſupra dictum eſt in ſecundo argumento. Ad hæc reſpondeo & dico, quod etſi illa concluſio videlicet quod Thalmud quoad illam partem in qua conſtaret eum hæreſes continere & blaſphemias non debeat comburi, non ſequatur directe ad auctoritatem apoſtoli vel ex ea, tamen propter verba illa apoſtoli quibus dicit ut qui probati ſunt manifeſti fiant, videtur aliquo modo ſequi quod probabile ſit, ut Thalmud non in omni parte ſit auferendus judæis & comburendus, licet in parte illa qua continet hæreſes & blaſphemias ſit comburendus, non tamen ſic generaliter quin conſervandus eſſet ſaltem apud ordinarios, ut docti apud nos in lingua hebræa aliquando poſſent eum habere, & ubi judæi aliqua futuris temporibus confingerent, poſſent cum opus eſſet probati apparere in reprobatione ejus & condemnatione. Ideo Gerſon in tractatu de laude ſcriptorum noluit diffinire quod libri continentes errores & arma diaboli eſſent usque adeo comburendi quod non expediret ut inquiſitores & ordinarii exemplaria apud ſe conſervarent, ſed hoc reliquit conſiderationi & judicio eorum, hæc eſt & fuit mens mea probabilis non pertinax circa illam rationem & non aliam, ſic intelligi poſſet canon Epiſcopus XXXVII. diſtinc.

Arguitur VIII. Contra illud quod dixi judæos recte loquendo non eſſe hæreticos, quia nunquam habuerunt fidem Chriſti allegando unam *glo. in cle. i. de uſur.* per quam velim eos ex omni parte quicquid ſentiant excuſare ab hæreſi. Sed certe hoc non videtur verum quoniam & ſi forte non ſint dicendi hæretici ſimpliciter, Tamen ſi ipſi contra ea credibilia quæ tradita ſunt ibi, & moralia quæ hodie etiam nos & eos ligant, tenerent & docerent, tunc eſſent veri hæretici dicendi judæi licet non Chriſtianorum hæretici ut dicit *S. Thomas ſecunda ſecundæ*, quod eſt hæreſis vel eſſe poteſt judæorum & hæc eſt hæreſis Chriſtianorum circa fidem Chriſti. Ideo bene dicit Gerſon alibi, quod hæreſis eſt tenere quod uſura non ſit peccatum mortale, Modo hoc tenent judæi quando mutuant non ſibi conjudæis, ergo hæretici in hoc ſunt ſcilicet hæretici contra fidem etiam ſuam, licet non hæretici Chriſtiani. Nec ſtandum eſt gloſſæ allegatæ, quæ vult eos non dici hæreticos in hoc, quia exceſſit limites facultatis ſuæ. Vnde papa poteſt judæos ſuper eo coërcere, ſicut ſi ipſi exponerent illud. Non occides taliter quod liceret eis chriſtianos occidere, quoniam hoc eſſet hæreſis contra legem eorum bene intellectam, & multas tales habent in ſuo Thalmud ut dicitur conſtitutiones & ſententias contra chriſtianos. Et ideo dicitur Thalmud hæreſes continere. Et tenentes igitur hæretici ſunt cenſendi in lege ſua. Et quicquid ſit de hoc, an nomen eis conveniat non multum refert, quia nomina ſunt ad placitum. Si enim non eſſent hæretici dicendi ubi etiam errarent, tamen ſtat eos æquales eſſe hæreticis, ſicut apoſtata a religione chriſtiana non eſt proprie hæreticus dicendus, & tamen pejor eſt & non minori pœna puniendus. Ita etiam ſecundum *Calderinum in conſilio* quodam, & *Jo. de ana. in. c. Poſtulaſti de judæ.* quod judæus blaſphemans fidem noſtram & chriſtum, poteſt eadem pœna puniri qua hæreticus. Reſpondeo quod

non posui hoc quod per illud vellem exculare judæos a pœna hæreticorum, si hæreses tenerent & docerent vel publice defensarent. Sed volui excludere unam objectionem quæ potuisset fuisse facta contra me dicendo, quod illa auctoritas per me assumpta loquitur de hæreticis, sed judæi non sunt recte dicendo hæretici juxta glossam allegatam &c. Ne ergo aliquis crederet quod ego tenuissem eos esse proprie hæreticos. Sicut christianus a fide devians hæreticus vocatur ideo hoc dicere volui, & non aliter.

Arguitur IX. Contra hoc quod dictum est, quod Thalmud sit nobis eo utilior quo ineptior ut per hoc juxta mentem B. Augustini pigritiam a nobis excutiamus divinas scripturas sollicitius intuentes &c. Sed hoc non concludit. Alias similiter sequeretur de libris hæreticorum & hæreticis quod essent similiter tolerandi, quod falsum est, ut supra. Præterea nullum malum esset puniendum, cum secundum B. Augustinum in Enchiridio. Deus adeo bonus est quod mala fieri non permitteret, nisi ex eo bonum elegeret. Quod autem illa ratio non concludat patet ex eo, quia illa utilitas est præter intentionem hæreticorum & judæorum, cum intentio eorum sit corrumpere fidem vel impedire quod est maximum nocumentum animæ & reipublicæ spiritualis, & quia magis respiciendum est ad id quod est per se de illorum intentione ut illud excludatur, quam ad illud quod est præter intentionem ipsorum ut sustineatur. Ideo potius sunt illa mala exterminanda quam sustinenda illa utilitas, hæc *S. Thomas secunda secundæ*. Præterea in condemnando & exterminando errores & libros eorum jam utilitas illa habetur, quia jam constantia fidelium appareret, & labor condemnantium in videndo scripturas pigritiam fugaret, etiam si adeo condemnarentur quod posterius capita non erigant. Potest itaque illa utilitas haberi & tamen condemnari & comburi hæreses hæretici & libri errorum, quare ex eo non concluditur quod oporteat illa conservare & indistincte permittere. Ad hoc respondeo quod non volui quod nullo modo possit Thalmud iudæis auferri, si hæreses aut blasphemias continet, prout objectio illa probare videtur, sed volui quod non debeat comburi generaliter & omnino, sed quod aliquis debeat conservari apud nos sub fida custodia.

Arguitur X. De oratione velammaschumadim scilicet quod velim defendere judæos, quod non orent eam orationem contra nos christianos. Sed hoc est multum errare & deficere, immo quod faciam me suspectum quod faveam judæis, quia recte constat quod eam orationem orent contra nos christianos, de quo sunt præclarissimi auctores. S. Hieronymus. Item Fortalicium. Item Paulus Burgensis. Item Nicolaus de lyra, *i. re. ij.* dicit eos expectare cessionem romani imperii. Item apostolus vocat eos inimicos crucis christi ad Philippens. iij. Item adstipulantur testes fideles in Fortalicio, & patet quod in genere contra inimicos orant & nos reputant inimicos &c. Ad hoc respondeo quod quantum ad istam orationem attinet, ego adduxi eam ad probandum quod difficile est Thalmud in sua lingua scire qui ex tam diversis linguis compositus est, ut ajunt. Cum in hac nostra germania multi hebræi & hebraistæ vix quotidianæ linguæ hebraicæ noverint proprietatem, & ad hoc ostendendum exemplificavi de hac oratione quotidiana, quam aliqui in libris impressis male transtulerunt. Et sic disputavi de proprietate grammatica verborum & vocabulorum, non de veritate negotii principaliter. Et volui quod præcise ex verbis illius orationis absolute si non alia accederent testimonia non posset illa oratio acceptari & intelligi quod sit contra nos, licet ex assumptis in argumento posset quædam præsumptio contra eos haberi quasi illa oratione uterentur contra nos, quod non negavi.

Arguitur XI. Stante eo quod oratio esset contra deletores vel delentes adhuc possent eam orationem contra nos orare quantiscunque beneficiis eos fovemus, quia putant nos eos nihilominus suppressos tenere cujus contrarium ego videor arguere. Item

Arguitur XII. Quamvis in multis regionibus terræ habitent judæi, tamen non valet illa consequentia. Judæi utuntur hac oratione ubicunque habitant, ergo non est facta contra nos, quia quis potest uti aliqua oratione contra alium etiam in absentia ejus. Item

Arguitur XIII. Illa consequentia etiam non valet, Judæi orant illam orationem contra illos qui non habent rectam fidem, ergo non orant contra nos, cum nos habeamus rectam fidem. Sed certe non valet, quia & si nos habeamus rectam fidem re ipsa & in veritate, tamen apud eos putamur non habere rectam fidem, ideo in opinione eorum sumus infideles. Item

Arguitur XIV. Illa consequentia non valet. Judæi orant contra inimicos suos ergo non contra nos, & ratio consequentiæ est, quia sumus concives romani imperii & non hostes inter nos seu diffidati, quæ non valet. Cum sæpenumero cives unius civitatis odio capitali & usque ad mortem se persequantur. Ad hæc quatuor argumenta patet solutio ex solutione decimi argumenti, quia has persuasiones solum adduxi, ut ostenderem de virtute sermonis hanc orationem secundum linguæ proprietatem & grammaticaliter non necessario nos christianos significare.

Arguitur XV. Contra id quod dixi, quia similiter oramus sicut ipsi. Confundantur superbi, sed hoc est falsum, quia ipsi ad interitum nostrum, sed nos ad correctionem eorum oramus, ut vult glo. ordinaria ibi. Solutio, quod hoc exemplum adducitur super verbo zadon quod elationem & superbiam significat, non autem romanos, & sic est graminatica allegatio, & nihilominus posset esse aliquale argumentum, dicendo si hæc oratio non dicitur a nobis malo animo, pariter ergo non concluditur necessario quod ipsi similem orationem orent malo animo, Sed quicquid sit ego maneo in proprietate grammaticæ.

Arguitur XVI. Contra id quod dixi quod iudæi si etiam intenderent uti illa oratione contra nos, tamen nemo posset hoc scire, ideo non essent puniendi, sed antecedens est falsum. Certum est enim quod judæi in sua intentione & in corde suo nos christianos denotant orando, eam orationem scilicet per confessionem eorum in Fortalicio. Item ex operibus eorum cognoscetis eos, *Matth. VII.* Sed multi fide digni testes ut supra patuit

dicunt

dicunt quod contra nos machinentur, & quotidie in ſuis ſynagogis nos anathematizent, per hoc patet quid intendant. Et quæ mala ſunt præſumuntur malo animo fieri. *Beda in quadam homilia, & Panor. in c. eſtote de re. jur.* & per exteriora probantur interiora. Et in enormi delicto præſumitur dolus. Modo judæi multa grandia delicta contra nos & chriſtum ejusque ſacramentum perpetrarunt, & etiam mala in illa oratione ſua imprecando contra legem ſuam & naturalem peccant. Ideo dolus & intentio præſumitur, & quod contra nos faciant. Item ſecundum *Jo. an. in c.* Ita quorundam de judæ. ille dicitur impugnare alium, & ſi non conſtet de animo tamen facit id, ex quo alius impugnari poteſt. Sic de illa oratione qua impugnamur ſpiritualiter. Ergo male dicitur quod nemo poſſit ſcire quid judæi hanc orationem dicentes in animo habeant ſive intendant. Eo quod ſolus deus cognoſcat cor, quod verum eſſet ſi cogitationes omnino laterent ad intra, ſecus autem de his quæ aliqualiter prodeunt extra, Ad hoc reſpondeo, quod adduxerim hoc argumentum in caſu, ubi nihil ad dicta verba accederet per quod intentio illa poſſet apparere vel præſumi, aliter ſecus.

Arguitur XVII. Contra id quod dixerim, quia quilibet intelligens poſſit noſcere & intelligere quod nemo poſſit jure Thalmud reprobare vel rejicere, immo quia aliqui ſummi pontifices condemnarunt Thalmud, ut dicit *Jo. an. in c. quod ſuper his, de voto.* & tamen nemo valet dicere quod hoc non jure fecerint, Solutio, non dixi abſolute quod nemo poſſit, ſed addidi qui non intelligit eum.

Arguitur XVIII. Quod in conſultatione mea talis ſit diſcurſus, quod licet multi de noſtris dicant Thalmud eſſe quid malum, tamen non ſequitur ergo ita tenendum eſt, & Thalmud condemnandus reprobandus vel comburendus. Et adducuntur ibi tres cauſæ, quare illa conſequentia non valeat. Prima quia nemo debet condemnare partem ad accuſationem cujuscunque vel denunciationem illa parte non audita, ſed nemo dum eſt auditus pro parte judæorum qui fundamentum juris judæorum & defenſionem fecerit, ergo &c. Secunda cauſa, quia non tenemur credere doctoribus quantumcunque Chriſtiani & multum docti reputentur. Tertia, quia aliqui ex dictis non didicerunt Thalmud, Sed certe prima cauſa quare illa conſequentia non valeat nulla eſt, tum quia tunc ſequeretur quod ſummi pontifices ut Innocentius & Gregorius injuſte condemnaſſent Thalmud, ſi non fuit pars adverſa etiam audita vel aliquis nomine ejus, quod tamen ſecundum me fieri debuit. Secundo, quia non oportet in condemnatione errorum prius citare aſſertores & auctores ut ſupra in ſecundo argumento. Secunda cauſa videtur etiam non valere, quoniam & ſi in quanto gradu ſit doctoribus illis credendum alterius ſit negotii, tamen ſaltem videtur quod ubi dicunt aliquid contineri erroneum & contra fidem noſtram eis ſit credendum, dummodo honeſti fideles & experti in hoc habeantur, tum ex eo quia ita dicit *glo. diſ. ix. in. c. veterum.* Hieronymo credendum eſſe in translationibus, tum quia cuilibet doctori illuſtri credendum eſt ſuper facto aliquo ſcribenti (ſecus ſi ſuper jure ſcribat) prout ad hoc allegatur *glo. ſing. in. l. dos a patre. C. Soluto matri.* Item doctorum dicta non adeo ſunt apocrypha quin aliquando cum eis hæreſes reprobari poſſint, ubi ſine eis hoc fieri non poſſet, ut in Concilio Conſtantienſi practicatum eſt ſecundum Gerſonem. Item detur oppoſitum, tunc ſubditi ſimplices literarum ignari non tenerentur credere ſuis plebanis dicentibus aliquid eſſe de evangelio, aliquid vero contra, ſed poſſent ſemper petere declarationem ſedis apoſtolicæ ſuper eo. Item Auguſtino, Hieronymo, Gregorio credimus cum narrant hæreſes aliorum habentes tales cum eis pro hæreticis quos ipſi hæreticos vocant. Item ſi quæſtio fieret ſuper continentia libri Thalmud directe, quæro qui erunt teſtes idonei ſuper eo. Non chriſtiani qui nihil in hebræo noverunt, non judæi, quia contra ſe teſtimonium non ferrent, nec eis pro ſe credendum eſſet. Igitur a ſufficienti inductione converſis judæis qui hujusmodi linguæ ſcientiam haberent, & maxime qui apud eos Rabini habiti ſunt ut fuerunt aliqui per me allegati. Tertia etiam cauſa parum facit, quia & ſi aliqui non ſciverunt thalmud qui contra eum ſcribunt, quos ego noverim, tamen fortaſſis alii ſciverunt quos ego non noverim, quorum teſtimonium utique aliquid facere debebit & potiſſimum mihi ſatisfacere quod pontifices ſummi condemnarunt Thalmud quibus merito ſtandum eſt. Ad hæc reſpondeo & dico quod illa fuit mens mea quod non ſit credendum doctoribus dicentibus Thalmud continere malum vel hæreſes, quin prius ſint ſuper eo audiendi judæi, Ita quod non ſtatim omnis liber dictus Thalmud in parte & in toto ſit ex eo auferendus & comburendus, quin ſi judæi dicerent non continere talem partem hæreſim vel blaſphemias audiendi ſint, & hoc examinandum, Cum multæ ſint partes ejus quarum qnælibet poſſet dici ſic Thalmud, & tamen non contineant talia. Attamen ubi nunc conſtaret facta examinatione auditis judæis vel non quod illa pars eſſet talis quæ contineret hæreſim vel blaſphemias tunc certe poſſet illa pars auferri judæis & comburi. Sic tamen quod probabiliter videtur mihi quod eſſent aliqua apud ordinarium reſervanda pro exemplari ut ſupra quoque dixi. Et ita fecerunt illi ſummi pontifices Gregorius & Innocentius qui certos libros Thalmud ex quibus judæi docuerunt hæreſim combuſſerunt, nec determinarunt quod non ſit bonum quod aliqua reſerventur. Et cum dixi quod nemo adhuc auditus eſt de parte judæorum pro ut tamen fieri debeat. Intellexi in cauſa ubi diceretur generaliter quod Thalmud in toto & in parte apud quemlibet repertus & talis dictus ſit comburendus. Nec volui quod doctores ſi qui experti dicerent determinate partem illam vel illam hæreſes & blaſphemias continere, prout de jure quod illis non ſit credendum, Sed ſic quod non ſit credendum ſtatim quamlibet partem Thalmud & omne quod indifferenter dicitur Thalmud comburendum ex illo eorum dicto in genere, hæc eſt mens mea probabiliter poſita ſine præjudicio veritatis & non alia.

Arguitur XIX. Non ſequitur ſi Thalmud eſſet comburendus ipſe ante multos annos fuiſſet combuſtus, quia in ſimili non ſequitur ſi bohemi eſſent exterminandi ante multos annos fuiſſent exterminati. Et ſic ſequeretur quod hæretici non eſſent puniendi, quia usque hodie non ſunt puniti, quod

conclu-

concluderet hæresim. Nam forte propter impedimenta commode fieri non potuit. Unde refert *Paulus Burgensis in additione Isaiæ XXXIV. cap.* quod cum fuerat semel a cæsare prohibitum ne judæi illam thalmudicam doctrinam divulgarent, procuratione quorundam dæmonum hujusmodi prohibitio fuit revocata. Præterea videtur quod thalmud non semper fuerit æque malus sed novissime factus pessimus, ergo contra eum specialiter militandum venit. Solutio, quod illud argumentum est persuasivum & topicum non demonstrativum ex se, sed cum aliis rationibus concludentibus & gratia materiæ procedit quod generaliter non sit thalmud comburendus.

Arguitur XX. Quod scripsi me non legisse aliquem cujus memoriam habeam qui etiam voluerit eum combustum fuisse exceptis duobus novissimis, ergo non est comburendus. Certe illa consequentia non valet, sicut in simili non valet. Ego non legi aliquem qui dicat hoc vel hoc esse hæresim ergo non est hæresis. Item quod blasphemi hæretici & scripta eorum sint extinguenda ex utroque jure colligitur, Præterea duo summi pontifices ut supra patuit hoc voluerunt quod creditur me legisse in jure. Ad hoc respondeo quod præcise innitendo dictis illorum qui scripserunt in speciali contra thalmud, tunc non reperitur quod hæc voluerunt in particulari exceptis duobus illis nominatis in consultatione. Et de summis pontificibus dico quod non scripserunt in speciali contra thalmud, sed tanquam judices, & non tanquam doctores sive scribentes combusserunt thalmud in aliqua ejus parte propter abusum quorundam judæorum, qui ex eo docuerunt hæresim, ut dicit *Hostien. dic. c. super his devoto*, non enim licet eis talia dogmatizare, ut dicit *glo. fi. in cle. i. de usur.*

Arguitur XXI. Quod Petrus nigri & Jo. Pfefferkorn in eo quod voluerunt comburi thalmud non sunt reprehendendi per hæc verba ad Ro. X. quod habuerunt æmulationem dei sed non secundum scientiam, quia voluerunt id fieri in particulari quod jura & eorum conditores voluerunt in universali ut libri errorum exterminarentur, similiter & summi pontifices. Respondeo quod non reprehendi eos in hoc quod scripta Thalmud quæ continerent hæreses & blasphemias vellent comburere vel exterminare, nam in hoc haberent æmulationem dei, quod laudavi. Sed quod indistincte vellent perdere justum cum impio, ubi tamen separari possunt, propter hoc addidi, non secundum scientiam.

Arguitur XXII Ubi dixi quod expediret thalmud permittere ut maneret quatenus nostri doctores haberent circa quod laborarent & delectarentur in reprobatione, & consequerentur ex eo laudem, alias non possint sciri reprobationes thalmud &c. Sed certe hoc est superius satis impugnatum circa defectum rationum. Ad hoc etiam respondeo sicut ibi dixi.

Arguitur XXIII. Contra secundum fundamentum consultationis meæ de thalmud. Videtur quod illud fundamentum sit falsum quo velim fundare determinationem meam de thalmud per dictum christi: *Scrutamini scripturas*, quia illa mea expositio. s. quod intelligatur de aliis libris a libris canonicis veteris testamenti eadem facilitate negatur & contemnitur qua asseritur ex auctoritate. S. Hieronymi, quia hoc scriptura canonica non continet. Item doctores catholici exponunt allegata verba christi de libris bibliæ veteris testamenti. Item hoc videtur esse contra scripturam in alio loco *Lucæ xii.* ubi *Christus dicit: Cavete a fermento pharisæorum*, quod est hypocrisis, quod exponit Hieron. de doctrina pharisæorum mala in quadam homilia, quomodo ergo misisset eos ad libros illius malæ doctrinæ, quasi ex eis possent fidem de eo discere, certe minime. Præterea illa est ratio Pauli Burgensis in prœmio Scrutinii scripturarum cui hic fidem habuerim, & tamen in aliis quæ de thalmud scribit eum testem idoneum non acceptaverim, Solutio, quod ratio mea videtur probare & concludere de thalmud quod non sit comburendus quo ad illam partem quæ non continet hæreses & blasphemias, & quia eam Burgensis accepit pro fundamento sui Scrutinii, ideo videtur quod saltem sit multum probabilis. Et licet alii doctores exponant de libris bibliæ, tamen potest etiam sic exponi, quia non videtur quod plus eorum expositio sit fundata in scriptura quam illa. Et de fermento pharisæorum intelligatur de doctrina mala hoc est hæretica & continente blasphemias a quibus abstinendum est nec ad illa Christus remisit.

Arguitur XXIV. Contra hoc verbum putare quod ego exposuerim opinari & aliquid tenere pro vero quod verum non est. Sed certe hoc non videtur procedere ex eo, quia si hoc intelligam sine præcisione hoc est si velim quod significet aliquid tenere pro vero quod tamen non est verum, sed non solum, quin etiam significet aliquid tenere verum quod est verum. tunc non probat propositum, quoniam ut sic hoc possit intelligi de libris bibliæ tantum veteris testamenti qui tamen veri sunt. Sin autem volo quod ita significet cum præcisione, i. e. significet aliquid tenere pro vero quod tamen non est verum & solum illud, tunc hoc non est admittendum, quia apud omnes philosophos opinio est contingentium etiam verorum, neque per me probatum est contrarium. Ad quod respondeo, quod intelligendum est dictum de opinione quæ est eorum quæ non sunt vera, sic quod possit esse verorum non tamen quorum est fides, sed alias opinio hominum.

Arguitur XXV. Contra discursum meum ubi dixi quod christus prius docuit judæos quod ex bibliæ libris vitam æternam haberent, & quod hoc vere scire deberent, ergo nunc quando dixit scripturas in quibus putatis vitam æternam habere non potuit intelligere scripturas veteris testamenti, alias dixisset in quibus vere scitis, Sed illud argumentum deficit, quia sæpius de re certitudinaliter cognita dicimus nos putare ut patet de Paulo qui dixit, Puto quod spiritum dei habeam *1. Corinth. VII.* qui tamen certus de hoc erat qui alibi dixit. *Certus sum quod neque mors neque vita* &c. Ad probationem consequentiæ scilicet, quod alias debebat dixisse in quibus scitis &c. dicitur secundum mentem cardinalis ibidem, quod quia judæi tantummodo literæ inhærebant, ideo non firmiter credebant vitam æternam, & per hoc habebant debilem opinionem & putationem in quo voluit eos christus suggillare. Valet ad hoc quod dicit glo. ordinaria ibidem quod puto est verbum dubitationis, certe non dicit falsitatis, Solutio,

hoc

hoc procedit ut persuasio probabilis non demonstratio.

Arguitur XXVI. Cum dicitur quod Christus remiserit eos in dictis verbis ad libros traditionum, ex quibus Thalmud est factus. Sed hoc non potest subsistere in veritate, quia si ille traditiones tunc omnes fuissent ex quibus hodie Thalmud est compositus non est dubium quod eos ad illum non remisisset in quo invenirent tot blasphemias sibi & matri ejus & discipulis suis illatas contineri, & sic non potest intelligi de Thalmud nostri temporis. Solutio, quod non potest intelligi de Thalmud nostri temporis, quia auctum est & accumulatum post tempora christi ut nostri dicunt. Sed tempore christi erant thalmudica quædam quæ dicebantur Mischne sive secundum græcos deuterosis quæ latine posset dici secundina, i. e. lex secunda, quam ipsi dicunt ex ore Moysi & seniorum acceptam & postea in libros redactam, de quo S. Hieronymus in pluribus locis mentionem facit. Et tunc additio posterior cum vetere thalmud simul in unum corpus collecta dicitur gamara, i. e. opus perfectum proprie loquendo. cum autem nominatur thalmud intelligitur priscorum doctrina. Et sic conclusio mea vult probare quod Thalmud saltem in istis partibus quæ non continent hæreses non est comburendus, & ita stat veritas conclusionis meæ, quæ in effectu habet tres partes scilicet, & quod Thalmud in parte qua continet hæreses &c. non est generaliter comburendus, & quod non est de qualibet parte Thalmud statim tenendum quod illa contineat, & quod ubi non continet hæreses & blasphemias nullo modo est comburendus.

Arguitur XXVII. De particula & quod sit debile fundamentum, quia sciunt logici pro quo supponit relativum ille quando dicitur. Et ille testimonium &c. cum in antecedente per scripturas intelligendæ sint scripturæ canonicæ bibliæ vet. test. ut supra, Solutio, quod jam non est vis de relativo ille, de cujus relato superius visum est, sed jam de illa conjunctione. &. pro etiam, quæ alias vacaret si nullum haberet officium *fa. l. Quod senatus consul. ff. de injur. & ibi glo.* & finaliter potest etiam responderi sicut ad argumentum XXV.

Arguitur XXVIII. Non valet consequentia sic dicendo. Ex Thalmud possumus aliqua testimonia habere pro nobis ut in exemplo ibi recitato, ergo non est comburendus, quia alias sequeretur quod libri hæreticorum essent permittendi & hæretici ipsi, quoniam quidem aliqua continent & tenent quæ sunt pro nobis, alias essent apostatæ & libri apostatarum. Præterea illa testimonia non concluderent nisi ad hominem, i. e. apud judæum. Vel verius etiam eidem non concluderet pro christo nostro, quia statim dicerent, quicquid allegas ex Thalmud hoc non potest probare quod christus tuus sit verus Messias cum in apertis locis Thalmud eum reprobum & non talem referat. Ad hæc respondetur sicut ad argumentum XXVI. circa finem.

Arguitur XXIX. De eo quod dixi optima probatio est per instrumentum in quo quis confitetur contra se quod potest esse verum ubi instrumentum illud non continet aliquid clarius contra me, immo clarissime, & tantum obscure vel in genere pro me. Secus autem est hic, quia & si per aliqua dicta generalia possit ex thalmud argui pro Christo & fide nostra, tamen in eo particulariter & expressissime continetur quod Christus noster non sit talis ideo nihil ad propositum. Clarum est enim quod generali dicto per speciale contradictorium vel contrarium derogatur. Solvitur per responsum ad argumentum xxvi.

Arguitur XXX. Contra discursum meum quod dixerim, & si Adam & Eva mortem incurrerunt ex comestione de arbore scientiæ boni & mali, tamen propter hoc deus non excidit istam arborem nec combussit, neque hominibus permissum fuit, ut illam eradicarent, ergo non obstante quod Thalmud multa mala continet ut nostri scribunt, tamen non est comburendus &c. Sed certe illud argumentum non valet. Et ratio est, quia non est simile de antecedente & consequente. Arbor enim illa non fuit ex se mala nec continuit neque continet mala ex se, sed tantum fuit extrinsece mala Adæ & Evæ, qui sumpserunt sibi occasionem mali circa eam, & ideo si obtemperassent deo fuisset eis bona arbor. Sed ipse Thalmud continet ut creditur multa ex se mala, sicut sunt blasphemiæ contra Deum & sanctos & contra bonos mores, igitur non est simile. Item si concluderet tunc sequeretur quod etiam libri hæreticorum deberent permitti, quod tamen constat esse falsum. Ad hoc dico sicut respondi ad argumentum xxvi, quia probat quod in parte sit comburendus licet non generaliter, sed ubi non continet hæreses & blasphemias ibi non est comburendus, stante commoda separatione & ita intelligo.

Arguitur XXXI. Contra dicta mea scilicet quod non peccavit Moyses nec Daniel ex eo quod didicerunt scientiam Ægyptiorum & Chaldæorum, ergo nec hodie peccaret qui errores aliorum disceret ut eos posset reprobare &c. Cum autem hoc non posset fieri sine libris ergo tales libri possent conservari, & non deberent comburi, præsertim si aliquid boni continent sicut est de thalmud. Dicendum enim est primo, quod si Moyses & Daniel potuissent destruxisse errores & libros errorum ægyptiorum & chaldæorum hoc facere debuissent, si a deo non fuissent specialiter propter aliquem finem impediti. Sed quia hoc non potuerunt & deus voluit eis uti ad gloriam suam. Ideo bonam eorum intentionem conservando permisit ut discerent literas illas & linguam sic & ritum, Specialiter itaque facta & concessa a deo qui suos quos voluit præservat, non debent passim trahi in sequelam ab omnibus, cum dicat scriptura *cum bono bonus eris cum perverso perverteris.* Quod enim Daniel fuit inter leones securus, tres pueri in igne illæsi. Ergo passim cuilibet licet sic intrare ignem aut leonibus se exponere, quis hoc diceret? Præterea verum est quod non peccat qui errores discit ut reprobet & ita tales libros legat. Sed non sequitur quin illi non sint passim permittendi, sed expedit quod comburentur & auferantur, ita habetur Actuum xix. quod qui curiosa sectati sunt attulerunt libros suos & combusserunt, & ex hoc commendantur ibi, quia dicitur quod hoc fecerunt, quia ita fortiter crescebat verbum dei & confirmabatur. Item si argumentum concluderet sequeretur idem de libris hæreticorum. Quod autem non fuerit passim utile discere ritus gentium,

patet per Psalmistam qui dicit de judæis, *Commixti sunt inter gentes ideo didicerunt opera eorum.* Ubi etiam hodie aliquis esset inter judæos & non posset evadere & perfectus esset, ille posset errores eorum discere ut reprobaret, sed si posset melius esset quod extirparet. Unde judæi prohibiti erant operam dare alii scientiæ quam legi, etiam non philosophiæ, ut patet *Deutero. IV. & VII. & Isaiæ VIII.* Et propter hoc dedit deus eis valde multa præcepta ut circa illa se occuparent. Demum tempore commentatoris Averrois cordubensis ceperunt judæi philosophari, quorum primus dicitur fuisse rabi Moyses ægyptius. Ideo mixti inter philosophos & arabas sequuntur in multis opiniones eorum inquit Guilielmus parisiensis, nescientes legis suæ credulitatem & Abrahæ fidem defendere facti sunt in lege erronei & in fide Abrahæ hæretici, hæc ille. Ad hoc respondeo, quod hæc probant quod Thalmud non sit generaliter omnibus permittendus in omni parte sua scilicet ubi continet hæreses, sed non probat quod sit generaliter etiam comburendus, cujus oppositum volui, sed illa stant simul.

Arguitur XXXII. Contra dicta mea quibus videor arguere sic, Thalmud continet multa bona etiam pro fide nostra ergo non obstante quod mala contineret non esset tamen comburendus. Sed certe ex supra dictis patet quod non concludit, alias enim idem concluderetur de libris hæreticorum. Item quando dicit quod nostri doctores utantnr thalmud pro nobis & contra judæos, de hoc dicit Picus Mirandulanus comes, quando Hieronymus, Augustinus, Eusebius & cæteri allegant pro nobis hebræorum sapientes, non intelligunt hoc de thalmudicis, quia illa doctrina est totaliter contra nos conficta ab ipsis hebræis jam contra christianos pugnantibus, quare illi doctrinæ talem honorem non detulissent nostri, ut tunc maxime aliquid dictum ab eis firmum putarent, cum judæorum testimonio corroboraretur, hæc ille. Quid igitur ex illo firmare possemus secundum illum cui non est ille honor dandus, ex sua malitia ut aliquid probatum tenere debeat, eo quod thalmud ipsum contineret. Solutio, volui non esse in aliis partibus comburendum quæ non continent mala. Et licet illi doctores præfati ex Thalmud non sumpsissent argumentum, quia debebant fidem ex scriptura fundare solida, tamen hodie possunt alii doctores saltem aliqualia adminicula recipere pro suasione fidei, saltem contra judæos ex Thalmud.

Arguitur XXXIII. Quia dixerim quod aliæ scripturæ quæ videantur fatua vana & absurda continere, similiter & mala non dicuntur esse comburenda propter mysteria quæ continentur sub illis quæ mala videntur. Sicut & de biblia videtur quæ continet quod Oseas debebat ducere meretricem &c. & tamen nemo dicit quod sit comburenda, quia hæc mysteria significabant &c. Ergo nec thalmud, & de multis ibi narratur libris quæ viderentur æque saltem prohibendi ne passim haberentur ab omnibus, sicut beatus Gregorius fecit comburi libros Titi Livii scribit Antoninus, quare dicendum quod si thalmud contineret sic mysteria tunc aliquid faceret argumentum, sed quia continet expressas ut fideles dicunt blasphemias christi matris & sanctorum. Item & hæreses, ideo secus est de eo. Ad hoc dico quod volui & volo quod sicut alii libri quoad ea quæ bona sunt non sunt comburendi, sic nec Thalmud, licet quoad mala maxime si separari possint illa sint non passim permittenda.

Arguitur XXXIV. Quod dixerim. Christus prohibuit discipulis ne eradicarent zizaniam ne simul eradicarent & triticum, ergo nos non debemus comburere Thalmud, licet contineat aliqua mala, cum contineat etiam bona, ne simul comburamus illa bona. Sed certe illa ratio non valet ad propositum, Primo ex eo, quia illa auctoritas intelligitur de malis hominibus maxime quod illi non statim debeant interfici, quia possunt forte pœnitere & fieri boni, prout exponere videtur Augustinus. Secundo, quia hoc verum est si mali non possunt puniri nisi cum præjudicio bonorum, tunc debet omitti punitio eorum. Sed ubi potest fieri quod mali puniantur etiam aliquando per mortem sine præjudicio & morte bonorum, tunc potest fieri. Ideo dixit ne simul eradicetis & triticum, quasi diceret ubi potestis sine præjudicio tritici facere non prohibeo. Præterea si concluderet sequeretur quod eadem ratione libri hæreticorum qui aliqua bona continent conservandi essent similiter & hæretici. Et si dicitur saltem, quia non potest malum comburi in thalmud nisi & bonum comburatur quod continet, ergo non debet comburi, dico quod non impedit, quia illud bonum potest alias haberi quam per thalmud, & ut supra dictum est, non est aliquod bonum præcise ex Thalmud recipiendum, & dato quod aliquod esset, tamen ipsum est minoris appretiationis quoniam sit malum detestabile quod continet. Ad hoc dico, quod de libris hæreticorum secus est, quia illi continent sic mala, quod non possunt bona seperari & conservari sine malis in talibus libris. Secus est de Thalmud qui habet partes.

Arguitur XXXV. Contra hoc quod dixi secundum apostolum. *Omnia probate quod bonum est tenete*, ergo debemus bonum servare in thalmud reperibile, sed hoc non potest fieri si comburetur ergo non est comburendus. Sed ego male exponam verbum tenere præservate vel conservate, quasi hoc debeat intellegi de conservatione quâ aliquid conservatur corporaliter ne destruatur. Sed debet intelligi quod dicta doctorum exponentium scripturas debemus examinare & quod legerimus vel viderimus bonum debemus tenere, hoc est retinere in memoria & illud sequi, & ita posset etiam fieri circa libros hæreticorum & etiam thalmud. Sed non sequitur quod ergo debeant conservari sic quod passim permittantur legi, & quod tales libri non debeant destrui, præterea ut nunc sæpe dictum est id bonum non est curandum, nec in allegatione thalmud quoad bona quæ contineret est honorandus taliter quod maneat. Ad quod respondeo quod sicut bonum est tenendum & malum fugiendum, sic si conservari potest bonum separatim sine malo, illud non est cum malo comburendum, & sic est de Thalmud quocunque modo exponatur verbum tenere.

Arguitur XXXVI. Quoniam de Origene dixerim quod ex ordinatione ecclesiæ libri Origenis licet contineant aliquas hæreses, tamen quia continent etiam bona non debent comburi, ergo nec libri Thalmud, cum etiam aliqua bona contineant.

Ante-

Antecedens patet quia ecclesia vult quod libri Origenis debent teneri exceptis locis in quibus Hieronymus reprehendit &c. Sed certe antecedens non est verum nec probatio ejus. Immo dicitur *in c. Sancta XV. dist.* Item Origenis nonnulla opuscula quæ vir beatissimus Hieronymus non repudiat legenda suscipimus, reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus esse renuenda, hoc non habet quod debeant reservari nisi bona opuscula, sed reliqua dicit esse renuenda. Solutio, verum est quod dicta verba per me allegata expresse non continent nisi Rufinum solum, tamen implicite etiam Origenem, cum dicat textus. Et non solum de Rufino sed etiam de universis quos vir sæpius memoratus scilicet Hieronymus zelo dei & fidei religione reprehendit. Et ut mens mea clarior appareat, sic scribit Hieronymus ad Tranquillinum, quomodo Origenem legere debeat. Et quia meæ parvitatis quæris sententiam, utrum secundum fratrem Faustinum penitus respuendus sit, an secundum quosdam legendus ex parte. Ego Origenem propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertulianum & Novatum, Arnobium & Apollinarem & nonnullos ecclesiasticos scriptores græcos pariter & latinos, ut bona eorum eligamus vitemusque contraria, juxta apostolum dicentem, *Omnia probate quæ bona sunt retinete*, hæc ille.

Arguitur XXXVII. Contra quædam dicta mea in quibus contineantur duo: Primum quod libri qui aliquid boni continent, etiam si malum contineant debeant manere & conservari. Secundum est quod si nihil nisi malum continerent tunc possent illi comburi mediante justitia. De secundo dictum est superius & ideo nihil de ipso hic, sed primum videtur falsum, quia si concluderet, tunc sequeretur quod libri hæreticorum qui aliqua bona continerent deberent permitti & non extingui, cum tamen mala quæ continentur præponderent bonis, in eo quod potius per mala ibi contenta bona inficiantur, quam per bona mala emendentur, quia *hæresis sicut cancer serpit* inquit apostolus, ideo quantocius remediandum est ei alias totam massam corrumpit. Et ideo dato quod pauci errores & pauca mala ibi continerentur, tamen quia grandia contra fidem nostram & contra legem etiam suam & naturalem continent, adhuc debent comburi, cum illa bona alias haberi possent, facile enim per illos errores veritas jacturam patitur, & fides qui contrarium diceret, diceret contra apostolum allegatum & contra scripturam. Immo perinde esset ac si diceret paucis lupis est parcendum in medio agnorum, quia forte lupi fient agni, & quasi diceret dimittendas esse paucas faces in medio sylvæ lignorum germinantium sylvam exurentes quia forte deus faciet illas faces fructiferas, & iterum ac si quis diceret paucos leprosos dimittendos esse in medio sani populi, quia forte deus sanabit illos. Nec attenderet iste quod facilius sæviet rabies lupina in consumptionem gregis quam lupi assumant mansuetudinem ovinam, & quod facilius a facibus ad arbores dissiliat incendium quam viror & fertilitas ab arboribus ad faces. Sic lepræ contagium facilius a leprosis ad sanos derivatur quam a sanis sanitas ad leprosos perveniat. Hinc bene dicit Gerson: Non est malum quod subsistere possit nisi aliquam speciem boni habeat, quia in auro bibitur venenum, propterea inquit idem hæc argumentatio fallit, veniunt ex hoc multa bona, ergo non est tollendum vel reprobandum, hæc ille. Solutio. Argumentum hoc probat quod non sit passim thalmud permittendus cum suis malis, & quod ubi sic mala continentur simul cum bonis quod non possunt bona separari a malis & conservari liber quoad bona quin etiam quoad mala servetur, Secus autem ubi potest unum servari sine reliquo ut est de libris Thalmud.

Arguitur XXXVIII. In eo quod dixisse videor, quod judæi in his quæ concernunt fidem suam & quæ scribunt pro fide sua nemini alteri sint subjecti quam suis superioribus & ita non possint a nobis puniri, & libri eis auferri sicut hæreticis. Si hoc intelligeretur sic generaliter quod in his quæ facerent pro suæ fidei defensione vel firmatione quomodocunque cum malo aliorum, & impugnatione fidei nostræ ultra libros legis, non esset hoc verum, sed de hoc infra aliquid dicetur. Si autem intelligitur quoad ea quæ respiciunt directe fidem suam & sectam ut est ducere uxorem fratre præmortuo sine semine, & dare libellum repudii tunc hoc esset verum, sed nihil ad propositum quia non habent in lege sua quod debeant vero Messiæ resistere & eum blasphemare, sed habent quod debeant ejus præcepta audire ut *Deutero. XVIII.* Item non habent illas hæreses & errores in lege de quibus in thalmud. Ideo nihil ad Rhombum. Solutio, Hoc volui quod ubi libros haberent tantum continentes fidem eorum sine blasphemia &c. licet errarent, non essent puniendi. Sicut si errarent circa successiones oblationes & sacrificia &c. tunc non essent a nobis puniendi. Secus si hæreses & blasphemias contra nos dicerent docerent vel scriberent.

Arguitur XXXIX. Contra id quod dixisse videor, quod Alexander sextus confirmaverit Apologiam Jo. Pici comitis Mirandulani per quoddam breve, & ex hoc approbaverit Cabalam quia illam ipse ibi utilem nobis & licitam probavit. Sed certe si illud intelligam breve apostolicum quod sub allegata data impressum est, tunc hoc non habetur ibi quod Apologia illa sit approbata & per consequens Cabala. Sed bene habetur quod Alexander processum & causam in statu in quo erat ad se revocavit, & dixit Joannem picum non incurrisse hæresis speciem vel suspicionem nec extimationis notam, & hoc quia submisit se & sua scripta determinationi ecclesiæ & papæ, sed ex hoc non habetur quod scripta illa sint approbata ut vera & catholica prout dicimus de Hieronymo & Cypriano & quibusdam aliis sanctis doctoribus qui non sunt hæretici reputati sed sancti, licet multa vel aliqua dixerint quæ non sunt vera, etiam in materia sacramentorum &c. sed quia non fuerunt pertinaces sed paratissare determinationi ecclesiæ. Refert enim multum aliquem non esse hæreticum judicatum vel ab hæresi excusatum & ejus nota. Et ea quæ scripsit vera esse atque cathiolica, Solutio, volui quod Alexander approbavit negative, i. e. non reprobavit, vel eam ut illicitam non determinavit, & hoc sufficit quod ergo possit disci, Si enim papa vidisset aut comperisset eam illicitam & non reprobasset, videretur fuisse negligens circa animas hominum & fidem.

Arguitur XL. Cum intentionem meam de cabala fundare velim per scripta in tertio libro vel quar-

to Esdræ. Sed certe immo caducum est illud fundamentum, quoniam secundum Hieronymum ille liber ultimus est inter apocryphos & procul abjiciendus & nihil nisi somnia continet. Si ergo sunt somnia quæ ibi ponuntur & abjicienda quomodo ex eis fundamentum est ad propositum faciendum. Solutio, quod Hieronymus debet intelligi quod illi libri sint abjiciendi sic quod non sint hagiographi nec ut cæteri apocryphi aliquando tenendi, sed non vult quod non possit quis eos legere, & etiam ea quæ in illis fundantur, dummodo etiam illa habeantur pro apocryphis. Sed non sequitur, hoc est apocryphum vel fundatum in apocrypho, ergo non est legendum vel licitum legi & disci.

Arguitur XLI. Et videtur quod non integre & fideliter verba Hieronymi in. c. jejunium allegaverim, quoniam sic habetur in hoc loco (& sic restringit dictum suum ad illum passum Zachariæ de quo ibi loquitur, & non loquitur sic in genere ut ego dixi. Et sequitur. Nostrorum multi multa dixerunt & inter se dissonantia & infra, Cogimur igitur ad hebræos recurrere & scientiæ veritatem magis de fonte quam de rivulis quærere, præsertim cum non prophetia aliqua de christo ubi tergiversari solent & veritatem celare mendacio sed historiæ ordo texatur, hæc ille. Videtur igitur velle Hieronymus quod non in omnibus sit hodie currendum ad hebræos, ut in his quæ de christo sunt, quia ea soleant tergiversare & veritatem celare mendaciter. Præterea hoc intelligitur quoad libros vet. test. bibliæ, quia ad illos esset recurrendum ubi integri reperiri possent. Respondeo quod allegavi hoc dictum sancti Hieronymi ad propositum quoad grammaticam tantum.

Arguitur XLII. Contra hoc dixerim quod ecclesia catholica nihil habet agere cum judæis extra casus allegatos *in glo. c. judæi. extra de judæ.* quoniam certe hoc est aperte falsum, ut patet per doctores, & præsertim cum blasphemant nomen Christi & sanctos ipsi sunt ultimo supplicio plectendi, ut patet per glo. & per ea quæ allegantur per ipsam *in. c. fi. de male. & in. c. si quis per capillos xxii. q. i. & per Bart. in authentico ut non luxur. con. nat. coll. vi. & per tex. ibi.* Et in summa pro omni peccato turbativo rei publicæ quod transit in publicum & non respicit præcise fidem, & ritum eorum puniri possunt a superioribus christianis. Sic si rapinam committerent vel furtum item coguntur ad restitutionem usurarum, & ubi delinquant in obprobrium christianæ religionis, & in aliis casibus non notatis per dic.glo.Sic per dicta mea videretur,quod ecclesiæ non debeat esse cura de salute eorum quod esset error. Solutio,dico quod intellexi etiam alios casus reducibiles ad illos etiam a remotis pro ut doctores juris faciunt *circa c. nulli & c. præsente liiij. distin. & archi. c. Si quis suadente, xvij. q. iiij. & anchor. in cle. sæpe de ver. signi. & in suo consilio xv. incipiente Spiritualis judex*, & alii alibi.

Arguitur XLIII. Quod dixerim indistincte si etiam libri judæorum aliqui essent facti contra nos ad defensionem suæ fidei, adhuc non deberent comburi. Sed certe hoc est falsum de libris in quibus pro fide sua defendenda & plantanda blasphemarent Christum & nostram fidem non manentes inter limites suæ fidei. Si enim haberent libros qui declararent vetus testamentum & ea quæ circa ipsum sunt, forte procederet de illis hoc dictum. Sed si ultra hoc Christum blasphemant & sanctos & Christianos, contra legem etiam suam aliqua confingendo contra nos, sicut dicitur Thalmud continere, de illis non esset verum, quia certe christiani de hoc punirentur si sanctis maledicerent &c. quare ergo judæi non deberent puniri & libri tales destrui. Nec ecclesia debet eos tolerare in multiplicando libros perfide, & ubi extenderent illam suam perfidiam & dilatarent ad extra. Sicut in minori ecclesia non permittit, sed potius prohibuit eis synagogas antiquas ampliare. Ad hoc respondeo intelligendum esse dictum meum quod non debeant comburi universaliter & omnes, sed quod aliqui essent conservandi, ut hoc supra probabiliter dixi in hoc Conclusionem de Thalmud positam semper volo esse intellectam.

Arguitur XLIV. Cum dixerim quod pauci sunt judæi inter nos, ergo non est præsumendum quod Thalmud vel libros habeant in contumeliam vel damnum nostrum, sed illa consequentia non valet ut patet, quia quamvis pauci sint, comparatione, tamen aperta mala & inultiplicia contra sacramentum excellentissimum in contumeliam christi contra christianos usque ad interfectionem multorum perpetrarunt, quomodo igitur ex apertis malis non possit præsumi de occultis, quæ magis machinarentur & in effectum deducerent, si possent, semel enim malus aliqua specie mali semper præsumitur malus nisi contrarium constet. Respondeo quod volui hoc, scilicet quod non sint eorum libri prima fronte etiam Thalmud dicti auferendi & comburendi, quin prius debeant examinari esse tales, & quod ipsis utantur contra nos, ex quo sunt pauci & simplices & rudes.

Arguitur XLV. Quod dixerim indistincte & ad propositum meum quod simpliciter sint magis parati servire nobis quam nocere, sed hoc videtur expresse falsum, quia quotidie parati sunt ad usuras nobis mutuare,ubi maxime nostris nocent. Item seruitus eorum est coacta, & in animo potius sunt parati nos offendere & omnino delere, ut eorum thalmud continet sicut dicunt fide digni & in hujusmodi gnari. Nec textus allegatus probat nisi quod non sunt parati nos invadere per bella sicut saraceni, sed potius habere in hoc pacem, & servire in non bellando contra nos negative ut ipsi in pace maneant. Sed nihil ad Rhombum. Item ex præteritis factis contra christianos perpetratis præsumitur ad quid ipsi parati sint de præsenti, per *c. cum in juventute & c. ex studiis de præsumpt.* Item Augustinus vocat usurarium trucidatorem pauperum *c. quid dicam xiiij. q. iiij.* Item *Tullius ij. offi.* dicit, quod fœnerari est hominem occidere. Item Ambrosius in libro de bono mortis ait, quod usuram accipere est rapinam facere, quomodo ergo plus parati sunt nobis servire quam nocere, cum etiam expectent liberari a nobis. Ad hoc dico, quod parati sunt nobis servire id est non contra nos bellari, & expresse atque aperte contra nos agere sicut alii infideles. Et quod nocent per usuras, hoc fortasse non est secundum eorum opinionem quod faciant ex proposito nocendi, licet secundum veritatem noceant, & propterea essent per superiores nostros emendandi & reformandi seu expellendi, sed quia hoc non fit, & ipsi

faciunt

faciunt talia ad petitionem noſtram poſſent ita credere ſe nobis ſuccurrere & ſervire, Et ita videtur in ſimili quod ergo etiam non habeant talem Thalmud qui contra nos ſit quo ex propoſito vellent nobis nocere.

Arguitur XLVI. Contra dicta mea quibus hoc poſuerim, ſcil. Stat quod judæi feciſſent libros eis in bonum & tamen qui ſint contra nos, & denique nihil dicerentur facere contra nos. Sed certum eſt hoc habere fallentias, de quibus alibi, ad propoſitum etiam nihil valet, quia verum eſt ſi ego habeam jus hoc faciendi, modo judæi non habent jus faciendi libros pro ſe & cum contumelia Chriſti matris & ſanctorum & in vituperium fidei noſtræ & deriſionem, ergo nihil eſt immo oppoſitum dicere eſt hæreſis. Ad hoc dico, quod voluerim quod præciſe ex eo quod illos libros habent cum non poſſet ſciri animus quod fecerint contra nos, & ita ſtaret quod adhuc non dicerentur facere contra nos ſcilicet ex animo præſertim in non prohibitis.

Arguitur XLVII. Quod dixerim ſi judæi feciſſent etiam libros contra nos ex propoſito denique poſſet aliquis velle excuſare eos, quod hoc facerent ad defenſionem ſui contra nos, quia ſcilicet nos omni die paraſceves in eccleſia publice vocamus eos & eccleſia vocat eos perfidos judæos. i. e. eos qui nec fidem nec promiſſa ſervant vel fidelitatem, ergo licet eis contra nos inter ſe ipſos dicere juxta notata Panor. &c. & ita ſcribere &c. Certe hoc nihil facit, quia perfidus hic quando eccleſia vocat eos perfidos non ſic capitur ſicut ego expoſui. Sed capitur pro infideli, & perfidia pro infidelitate, qui fidem ſed non veram habent de deo, & quod hoc ſit verum patet, quia ita accipit *Glo. ordinaria ad Ro. ij.* ubi dicit ſuper verbo apoſtoli ibi anima incredduli pro perfidia ſpirituali pœna artabitur, ita etiam capit magiſter *in iiij. diſtin. xi.* ubi dicit *opinionem Berengarii de ſacramento euchariſtiæ eſſe perfidiam* id eſt errorem. Præterea ſi etiam ita faceremus ſicut expoſitum eſt hoc vocabulum per me, tamen ipſi per hoc non excuſarentur quia excederent modum. Sufficeret eis dicere licet non deberent; Chriſtiani male loquuntur in hoc de nobis & ipſi ſunt tales, ſed ibi non manent ut dicitur, ergo. Item eccleſia non hoc dicit animo injuriandi, quia tunc eos ſic vocat quando orat pro eis, ergo videor favere judæis excuſando eos. Ad hoc reſpondeo, quod non dixi nec dico quod ſint excuſandi, ſed quod aliquis poſſet eos velle excuſare quodam colore, Non enim affirmo quod vere tales ſic excuſarentur.

Arguitur XLVIII. Quod videor dixiſſe, quicquid judæi ſcribunt quod Jeſus non ſit deus, id ſcribunt pro fide, & quia credunt Jeſum non fuiſſe deum, Ideo quicquid ex hoc ſequitur eſt fides eorum, ergo ſcribunt hoc pro defenſione fidei. Sed contra. ſi hoc valeret tunc etiam liceret eis publice hoc docere ſcilicet quod chriſtus eſſet in inferno, & quod fuiſſet ex adulterio conceptus, & quod eſſet peſſimus hominum, quia diceretur, ipſi non credunt eum eſſe deum, & ideo faciunt hoc conſequenter pro fide ſua quam hodie habent de Meſſia futuro, cujus contrarium chriſtus & chriſtiani docent. Item ſi hoc argumentum valeret, ſequeretur quod quando aliquis me offendiſſet & ſtaret adhuc inimicus meus, poſſem nedum me defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ ſed eum multipliciter defendere etiam occidere ut quia dicerem feci hoc ad defenſionem mei, quia credidi quod ille eſſet inimicus meus capitalis qui mihi contrarius ſemper eſt & fuit. Nec eccleſia in hoc eos tolerat, neque unquam toleravit, ſed ubi manerent circa libros ſuos authenticos & docerent vetus teſtamentum, & manerent in erroribus patrum quoad trinitatem perſonarum, & ſimilibus articulis etiam in his tolerati ſunt & tolerandi eſſent non alias. Item judæi male faciunt non credentes & in hoc condemnabuntur, ergo debent in eo præciſe tolerari in quo tolerantur, & non ubi adderent illi fidei malum, & malum malo cumularent prout illis ſcriptis faciunt. Non enim debet illa tolerantia extendi ut ſit occaſio majoris mali, ſed potius reſtrictiſſime intelligi. Ad hoc reſpondeo quod ſi verba mea in conſilio poſita bene intelligantur, hoc certe volui quod quicquid ex hoc ſequitur in quo tolerantur, & quod non eſt contra legem eorum bene intellectam moralem & legem naturalem &c. hæc eſt fides eorum & in hoc tolerandi ſunt, non autem de illis blaſphemiis & hæreſibus, etiam contra legem ſuam illud intellexi.

Arguitur XLIX. Quod videor voluiſſe judæos probabilem habere ignorantiam de chriſto, de ejus deitate & fidei noſtræ veritate, & ita a peccato eos excuſare, ex eo quod adduco Apoſtolum qui ſcribit chriſtum in forma ſervi apparuiſſe & habitu inventum eſſe ut hominem. Modo per not. circa jura quæ allego probatur, quod quilibet præſumitur probabiliter talis, qualem habitum portat, & quod quis ſit alius quam habitus demonſtret probabiliter ignoret. Cum autem chriſtus apud judæos in forma ſervi & habitu ut homo inventus ſit. Unde eum ut hominem & non alium id eſt deum cognoſcant, probabiliter illud ignorarent & ita eſſent excuſati. Sed certe hoc eſſet aperte hæreticum, quia eſt contra ſcripturam ſacram & *dictum Chriſti Joannis XV.* dicentis de judæis, nunc autem excuſationem non habent de peccato, loquens de peccato infidelitatis ut patet intuenti textum. Modo ſi haberent ignorantiam probabilem, haberent excuſationem a peccato, quia omnis talis excuſat a peccato, ſicut talis excuſavit Jacob a peccato fornicationis cum Lia. Et ſic excuſaret ignorantia probabilis juris poſitivi in foro animæ, ubi in aliquo talis eſſet. Item ex hoc ſequeretur quod eſſent in ſtatu ſalvationis. Et lex vetus hodie eos ligaret quoad ceremonialia & judicialia ſtante illa ignorantia quæ omnia ſunt hæretica. Nec relevaret me proteſtatio ſi quam facerem talem, quod velim ſtare veritati ſcilicet quod ignorantia eorum ſit culpabilis ſi mihi nota eſſet, quia veritas illa aperta eſt in evangelio ut dictum eſt, & ita iſta proteſtatio generalis ſtaret cum errore, quo ſcripturæ ſacræ oſtenſæ mihi non crederem. Item deberem etiam dixiſſe quomodo apoſtolus dixerit chriſtum tunc eſſe in forma dei & ita deum, ſed hoc omiſerim allegando tantum pro judæis, quaſi omnino voluerim laborare ſub quocunque colore ut defendantur & ſerventur in fide ſua. Ad hoc dico quod non volui ex verbis allegatis apoſtoli judæos excuſare, quaſi ignorantiam probabilem haberent de chriſto & fide noſtra, quoniam proteſtor me hoc nunquam ſenſiſſe, neque hodie ſentire, ſed hoc teneo firmiter & credo,

quod eorum ignorantia sit culpabilis & eam illos minime excusare a culpa mortali, verum cum ea æternaliter damnabuntur. Sed hoc volui quod ipsi ruinam & scandalum sumpserunt ex eo quod in forma servi apparuerit, & ita se exinaniverit juxta prophetiam Symeonis *Lucæ II. Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel & in signum cui contradicetur.* Ideo ex eo consequenter contra christum matrem ejus & apostolos tenuerunt & egerunt, ut in consilio meo dixi.

Arguitur L. Quod videar dubitare, an judæi ignorantes Jesum deum & hominem verum Messiam promissum, negantes deitatem ejus, & cætera quæ negant circa eum, matrem ejus & apostolos, fecerint in hoc eis contumeliam & injuriam, ex quo remitto ad notata doctorum circa jura allegata per me, ex quibus ipsi excusant aliquem a contumelia, quia scilicet ignoravit eum esse qui est, propter hoc quia habitum portat qui alium eum indicavit. Ut si quis percutiat. N. clericum laicaliter incedentem ignorans eum clericum, talis excusatur ab injuria illata dignitati, & ab excommunicatione, propter probabilem ignorantiam quam habuit putans quod non esset clericus ex laicalis habitus delatione *per c. Si vero aliquis extra de sen. excommun.* ergo sic in proposito videor velle sentire, quod quia Christus habitu inventus sit ut homo secundum apostolum, & latuit ejus divinitas sub humanitate, ergo quod Judæi eum non tenent deum sed negant, & alia etiam de matre & apostolis quod in hoc non faciunt contumeliam & injuriam ut deo &c. Sed hoc est hæreticum sicut præcedens. Procedit enim ex eo etiam quod judæi habent ignorantiam probabilem de deitate Christi &c. sed hoc est superius reprobatum & ostensum esse contra scripturam sacram, ergo &c. Ad hoc dico ut supra dixi de ignorantia quod non teneo nec tenui eos habuisse ignorantiam probabilem. Nec volui quod non facerent in hoc contumeliam & injuriam Christo, matri & apostolis, & cum remisi ad loca ubi notatur quod aliquis excusatur a contumelia dignitatis &c. propter habitum aliud significantem, non volui quo ad hoc idem esse hic. neque quantum ad hoc illuc remisi, sed quantum ad illud quod aliqui ibi notant quod ubi est ignorantia crassa & supina circa cognitionem ejus qui defert habitum alienum, tunc non obstante alietate habitus quis non excusatur a contumelia quam illi infert, & ita est in proposito, quia judæorum ignorantia est crassa & supina circa deitatem Christi, ut satis clare patet per Gratianum. *i. q. iiij. para. notandum.* Et ita ego firmiter teneo ut supra protestatus sum, & nunc iterum protestor, quod eorum ignorantia tanquam crassa & affectata eos non excusat, ideo potius hoc volui remittendo scilicet quod committunt contumeliam quam contrarium. Si quis æquus moderator & trutinator verborum meorum fuerit.

Arguitur LI. Quod ex dictis meis videar voluisse, quod Jesum fuisse Messiam verum deum et hominem fuerit facti sicut facti est nullum esse clericum qui in habitu laicali incedit, modo hoc est falsum, quia messiam esse deum & hominem est juris divini. Et quod Christus fuerit talis est juris, quia illas conditiones habuit quas scripturæ circa futurum Messiam esse commemorant. Sicut juris est & non facti quod habens institutionem debitam &c. quod sit beneficiatus in illo beneficio &c. Ad quod dico, quod licet Gratianus in loco allegato dicat hoc esse facti, tamen glo. ibi dicit hoc esse juris scilicet divini, & cum glossa ego teneo. Nec volui oppositum ut patet ex dictis, cum non volui illam ignorantiam eos excusare.

Arguitur LII. Quod dixerim hoc in effectu, quod si etiam Thalmud esset causa quare judæi non efficerentur christiani, adhuc non debemus eum eis auferre &c. hoc videtur falsum, quoniam explorati juris est reipublicæ interesse, ut quis bene utatur re sua saltem non in perniciem reipublicæ spiritualis, & contra salutem aliorum & cum crimine læsæ majestatis supremæ scilicet divinæ &c. Ad hoc respondeo quod in omnibus dictis meis de permittendo ut patuit supra, intelligi debuit hæretica & blasphema semper excipienda de quibus universaliter me primo absolui, quod & in hoc casu ex verbis meis cognoscitur, quoniam dixi, Propterea nemini debeo auferre quod suum est, sed bona hæreticorum & blasphemantium non sunt amplius sua, sed ipso jure confiscata. *c. cum secundum leges de hæret. li. vi.*

Hæc ego Joannes Reuchlin Phorcensis LL. doctor & Sueviæ triumvir, pro evidentiore declaratione mentis meæ scripsi, quæ sanctæ ecclesiæ & ejus præsuli summo, universisque quorum interest offero pie legenda & corrigenda, paratus stare sententiæ cujuslibet melius sentientis. Datum Stutgardiæ xv. Kalen. Septembres. Anno Domini. M. D. XI.

NAch dem ich aber diser sach herkommenhait mit angehenckten protestacionen vnd fürwortten die ich vff alle rede hernach volgende repetiert gedacht vnd geefert wil haben, auch meinen ratschlag mit sampt der disputation so man wol mœcht inn der schul vnder den gelerten in latin darvon halten, hie vor in ainer ordnung nach ainander clarlich vnnd augenscheinlich mit gantzem grundt dargethon hab. Wil sich nun zu letst meinenthalb gebüren warlich an tag zu legen, das mich der getaufft iud Pfefferkorn mit der vnwarhait hin geben vnd wider got eer vnd recht vsgeschriben vnd vnzimlich alsso gegen mengklichem vervnglimpfft hat, allain im selbs zu ainer vnnottürfftigen muttwilligen rach, vnd von seiner geittigen art ab seinen elttern den iuden bis vff inkommen, das er mit mir als ain buchgrempler vil gelts mœcht gewinnen, so er mich in getruckten büchlen hinderwerts verkaufft̃e, dann er hat yetzt mer guldin aufs mir gelœst, wan Judas pfennig vs vnserm herre got, darumb er im selbs als man sicht inn seinen sin vnnd mut genommen hat, so man ietzund seiner iuden büchlen müd worden sei, vnd er nichts mer von den iuden als ain vngelerter schreiben kan, daruss er gelt lœse wie bisher, so wœlle er sich nun fürterhin mit den cristen zancken vnnd wüsten, vff das er ain newe materi hab gelt zu überkommen, Wa man im nun alsso würd zu sehen vnnd es im gelinngt, so würd er es bald an ainem andern anfahen, dann er hat sich bisher mit schelttworten generet, vnd sein speis gewunnen, wie die rappen inn der keffet so gelernt haben frawen vnd mans personen mit menschlicher rede

zu

zu schelten. Das lasst aber kain sollicher vogel nimmer mer als Apulejus schreibt man schneid im dan die zungen vss dem hals, darumb es not were am anfang dar vor zu sein, das ain sollicher mensch genaigt ist zu schmehen nit in gewonhait kem, vnd ander leut von im lernten, so er vss der lügin mer guts überkumpt dan ain frumer mensch vss der warhait. Das er sich aber inn meinem handel allain der vnwarhait beholffenn hab, so volgent hernach mer dann vier vnd dreissig vnwarhaitten oder lüginen, Nemlich also:

Die erst vnwarhait des taufften iuden über mich erdacht, hat sich erhaben von ainer oration oder gebets wegen so die iuden teglichs als man sagt inn irer synagogen sprechen vnd fahent an. Velammeschumadim da sagt er inn seinen schmach büchlin am ersten blat ich wœlle nit zu lassen das sollich gebet velammeschumadim wider die cristen oder über das rœmisch reich verstanden oder gesprochen werden mœg, vnd seien doch vil der leerer darwider die er nent yeglichen mit seinem namenn. Das er aber mir daran vnrecht thu, so findt man dis sein furhaltten vnd angeben inn allem meinem ratschlag an kainem ort, dan ich bin nit darwider gewesen das ainer sollich gebet mœg wider cristen oder das rœmisch reich betten, alls man mit claren wortten an dem fünfften blat bei dem B. meins ratschlags findt, da ich von dem gebett also schreib. „Vnd ob man wœlt „sagen die iuden hetten es also im sinn und mainten „vns in irer gedechtnus, das kan nieman wissen „dan der schœpffer aller hertzen was ainer im „sinn hab. Darumb ist nieman des halb zu schelt„tenn noch zu straffen. *l. cogitationis pœnam. ff. de pœn.* vnnd ob es ainer von im selber sagte darumb wer der ander nit straffbar. *l. repeti. §. i. ff. de quæsti.* vss denen worten mag offenlich verstanden werden, das ich zu lass vnnd nit darwider bin, das ain iud inn seinem sinne vnd gemüt sollich gebet wider vns cristen oder wider das rœmisch reich betten mœg. Aber das hab ich mit gantzer warhait geschriben das in dem solben bet kain wort stat das weder taufften noch aposteln noch cristen noch das rœmisch reich aus seiner aigennschafft der sprach bedeut. Das sind meine wort die gleich vor den ob erzeltten reden inn meinem ratschlag geschriben stond, vnd das ist auch die warhait, züg mich des vff all ire grammaticos vnd vocabulisten, vnd das man sunst an kainem ort der schrifft dise iüdische wœrtter inn solcher verstentnus finden mag. Es ist auch kainer vnder seinen lerern so er zu disem hanndel her für zücht der do sag, das lammeschumadim vss aigenschafft der sprach haiss den getaufften, nach Malchuth Zadon haiss das rœmisch reich, noch das minim haiss aposteln, wie wol *Burgensis in scrutinio schreibt, das rabi Salomon vnd rabi Moyses vnd ander die legent das wort minim also vss, ich waiss nit wo nemlich. Dise ketzer sind des nazarenus iunger, vnnd spricht nit, das haisst nazarenus iunger, sunder sie sind nazarenus iunger.* Als ob ich zu ainem meinen schuler sagte. Asinus ascendit gradus, mach mir das zu teutsch. So sprech der schüler also, der Pfefferkorn laufft die stegen vff, das wer nit recht geteutst, sunder dis were sein rechtes teutsch, der esel stygt die staffeln vff, wie wol der schüler mœcht by ainem esel den Pfefferkornn verston, so hiess doch asinus ain esel vnd kainen menschen nach aigenschafft der sprach. Und ob sich Pfefferkorn nit wœlt überweisen lasen, das inn denselben getrückten büchlin dis gebet nit were recht getütst, sunder das er es vnrecht geteutst hett, vnnd wœlt sagen die iudenn mœchten wider in nit kundtschafft geben, dan sie wern seine fiendt, so mœchten die cristen wider in auch nit kundtschafft geben, dan sie verstünden es nit. So wil ich im herfür bringen *Fortalicium fidei in dem dritten buch an der vij. vffmerckung*, darinn man finndt das vor hundert vnd xxxv. iarn ain doctor inn der hailigen schrifft genant magister Alfonsus der vor ain gelerter iud ist gewesen inn Hispanien, hat ainen lyplichen aide vff das hailig euangelium vor dem bischoff zu Tholet mussen schwern, das er das gemelt bett wœlle tollmetschen vnd transferiern wie es an im selber sei, vnd die warhait sagen. Der hat by seinen geschwornen aid gesagt vnd gesprochen es lutet also: „Destructis non sit spes &c. den zerbro„chen oder den zerstœrten sei kain hoffnung, vnnd „alle ketzer schnelligklich sollen verderpt werden, „vnd all fiendt deins volcks sollent augenplicklich „zerrissen werden, vnd das regiment der hoffart „in ainem puncten soll zerbrochen werden, vnd „inn vnsern tagen sollent sie vndergon, vnd du ge„segneter got zerbrich vnsere fiend, vnd ir hoch„fart zerstœr on verzug. Dar inn findt man kain wort weder taufften noch aposteln noch cristenn noch das rœmisch reich vss seiner aigennschafft der sprach bedüten. Darumb hat nieman recht das er by den vnuerstendigen der sprach dises gebet wœlle teutschen mit disen wortten. Den getaufften sei kain hoffnung, dan es ist nit war, vnd macht vnfrid des der tüwfel ain herre ist. Nun nimpt es Pfefferkornn für ain grosse schmach an, das ich inn meinem verschlossen ratschlag inn ratsweis vnd mit der warhait geschriben hab, es sei kurtzlich ain büchlin getruckt wider die iuden vnd inn denselben angezaigt ain gebett, darinn sie die hailigen aposteln vnd ire nachuolger die den tauff empfangen haben, vnd die gemain cristenlich kirch vnd das rœmisch reich verflüchen, vnd sie doch inn demselbigen gebett kain wort begriffen das nach aigenschafft der sprach weder taufften noch aposteln noch cristen noch das rœmisch reich hails vnd bedüt. War ist, ich hab es geschriben an dem iiij. blat meins ratschlags vff der andern seitten vnd daruff geraten das man ain solliche schwere schmachred nit sollt lasenn offenlich truckenn. Das ich aber dar nit hab wœllen Pfefferkorn schmehen ist nit war, das kan ain yegklicher vss gestalt des handels wol verston, dan vnder den argumenten so ich gebrucht hab, das wir den Thalmud yetzmals mit recht nit mœgen verbrennen, ist auch deren ains gewesen darumb das wir den Thalmud nitt verstanden. Das hab ich wœllen bewyssen inn dem so er vss manigerlai sprachen gemacht, vnd mit vil abbreuiaturen geschriben ist, also das in wenig der iuden wol verstanden, ich geschwyg der cristen, die noch nit gar künden die gemaine tegliche sprach der iuden aigentlich verston, vnd hab das bestetet durch das gemain gebet, welchs gebet inn ettlichen getruckten büchlin nit recht getolmetst noch getütst sei. Da hab ich den Pfefferkorn

nit

nit genent, dan es hatt vor im auch ainer ain büchlin zu teutsch wider die iuden lafsen trucken genannt Petrus nigri, der hat das selbig gebet auch alfo geteutst, darauls es Pfefferkorn villeicht hat genommen. So sich aber erfindt das kain wort inn disem handel dis gebet betreffennd ann im selbs schmechlich noch verletzlich der eern ist, das es mir auch gedienet hat zu den argumenten vnd bewysungen warumb der Thalmud gemainlich nit sey zu verbrennen, des halb mein mainung anders ist gewesen, dan yemants zu schmehen, so kan daruls niemand dehain schmach billich annemen noch fassen, wie wol Pfefferkorn das auch für schmechlich halten wil, so ich schreib das man dar durch by den vngelerten vnd der sprach vnwissenden die iuden leichtlich in ainen sollichen hafs mœcht bringen, das sie um leib vnd leben kemen. Das ist aber nit schmelich, sunder ain getrüwe warnung vnd ain gutter rat, als ich es acht künfftige schaden im reich zu für kommen, vnd künfftig vffrur zu vermeiden, vnd ist ain not red gewesen, nach dem vnd Pfefferkorn hat wœllen sollich füwer vftblasen. Dan das sag ich niemau zu schmach, sunder allain zu meiner entschuldigung, das Pfefferkorn hat inn ainen andern büchlin das sich anfahet. „ Inn dis„ sen büchlin findet ir ain entlichen fürtrag, inn das „ gantz reich, den vndertanen ainen subtilen an„ schlag verkünt vnd sie gelert, wie sie sollen ain „ vffrur vnd vfflauff wider ire aigen oberkait ma„ chen, nemlich wa iuden sitzen, da sollent die vn„ derthonen zu iren obern versamlet gon, vnd nit ai„ ner oder zwen vls inen, sunder sie sollen sich sam„ len, vnnd also versamlet iren obern der iuden halb „ für halten, wie dann inn demselben büchlin stat, vnd sind dis die wortt hernach volgende so Pfefferkorn zu denselben versamleten vnderthonen inn gantzem reich da iuden sitzen wider ire aigen oberkait schreibt also. „ Verlassen sie üch aber, vnd „ maint die obern, villeicht durch gifft vnd gab so „ sie von den iuden nemen sunder redlichen ver„ stand oder antwurt, als wol geschehen an ettli„ chen enden müglich were, dar durch sie sich „ selbst vnd nit die ere gots oder gemainen nutz „ suchen, so thut als frum kinder, claget got by „ dem die warhait, vnd andern cristen herrn vnd „ leutten. Villeicht got vnnd yemants dar zu, „ mœcht erwecken vnd bewegen iiwern gesinnen „ vnd begern nach, die iuden mit gewalt zu straf„ fen &c. mit merern worten so hernach volgen die ain yeder selbs lesen mag, innhaltent, das man inen als dan ir hab vnd gut, kinder vnd anders mit gewalt blundern vnd nemen sol, wie dan sollich sein schrifft lutet, die ich weder mindern noch mern wil. Nun sind das nit gut schulmaister vnnder ainer gemaind, die mit denen griffen vmbgonnd, vnnd anschleg erdencken, wie sich der gemain man vnder ainer gutten gestalt sollte an andere herrn die nit an demselben ennd herrn wern, sunder an andere herrn vud leut sich anhencken vnd begeben, yemants daruls zu erwecken vnd zu bewegen die iuden wider desselben flecken endts oder orts aigen oberkait, mit kainem rechten, sunnder mit gewaltt straffen. Wan man dann würd anfahen mit gewalt hausbochen vnd blundern, so waist nieman wa es ain end nemen würd, vnnd ob dieselben obern vnd alle die so eern vnd gutt heten, vor sollichem gewalt sicher wern, vnnd wie lang die selbig gewaltsam tat wern solt, das bedarff wol nachgedenckens. Warumb solt ich dan inn rats wyse nit warnen vnd schreiben mœgen mit gemainen wortten vnd verschlosener schrifft, das man sollich schwere schmachreden nit solt offenlich trucken. Vnnd ob ich gleich den Pfefferkorn inn sollichem meinem schreiben genennt het, danocht were es nit vnrecht gewesen, dan wan ainer die warhait sagt für ainen gemainen nutz, so thut er dar mit niemau kainen schmach, sunder er verdient grossen lon vmb die K. M. also sagen die recht darvon. Ich zel aber vnd setz doch gib ich es nit zu, dan es ist nit war, das ich den Pfefferkorn geschmecht het vnd verletzt an seinen eern, dannocht hette er des weder fug noch recht dargegen ain schmachbüchlin wider mich lafsen vls gon, so ich doch nie kainem menschen gericht oder rechtt hab versagt noch abgeschlagen, vnd er het mich mœgen mit zwaien pfennigen inn meinem gericht zu recht bringenn, vmb alles das er vermaint hett zu mir zesprechen zu haben. Das ist der garvls, vnd wirt dem getaufften iuden zu seiner zeit seinen rechten lonn geben. Alls er aber schreibt, were es war, so het der rœmisch kaiser billich vrsach vmb solliche begangne mifshanndlung in mit peinlichen rechten straffen lafsen. Bekenn ich wol vnnd volg der vrtail. Sein maiestat het es auch langest billich geton, wan sie es gewifst hette.

Die ander vnwarhait des taufften iuden wider mich erdichtt ist also. Er schreibt ich hab mich hœren lafsen, das die iuden kainen hafs noch fiendschafft zu vns cristen tragen. Das erfindt sich aber an kainem ort meins ratschlags. Besunder so verkeret er mir meine wort da ich am fünfften blat. C. schreib nemlich also. „ Ich hab „ hie oben warhafftigklich angezaigt, das wir vnd „ sie ains ainigen rœmischen reichs mitbürger sind, „ vnd inn ainem burgerrecht vnd burgfriden si„ tzen, wie künden wir dan gegen ainander hostes „ oder fiendt sein, des hon wir in vnsern rechten „ ain gütte glos, *in. c. sicut iudæi super. ver. cimiterium ext. de iudæis*, vnd dar vor im anfang *l. iudæi communi romano iure. C. de iudæis.* Darumb thut er mir vnrecht, dan ich hon nit gesagt das sie nit vnsers glaubens fiendt seien, vnd also vnser, sunder das sie nit vnnsers das ist des rœmischen reichs fiend seien. Wes aber aintzechtig menschen gegen ainannder sunderlich neid vnd hafs imm hertzen tragen, darvon hab ich nichts geschriben, ich wais auch nichts darvon. Sunder Pfefferkorn waist am basten wie im vmb das hertz ist gegen iuden, vnd vls was vergangener hendel.

Die drit vnwarhait. Schreibt der taufft iud an seinen dritten blat. Ich hab die iuden enschuldigt vnd getreulichen versprochen das sie nit ketzer seien, vnnd an seinem sechsten blat sagt er, ich hab die iuden von der ketzerei gantz vnd gar beschœnet vnd verantwurtt, Das er mir aber falschlich nach sagt vnd zu legt, dan man findt inn meinem ratschlag am iiij. blat D. das ich die iuden hab begriffen bedeutet vnd yngeschlossen vnder dem wort ketzerei, inn dem hailigen apostel Paulo da er zu den Corinthiern schreibt. *Es müssenn ketzerien*

vnder

vnder iich ſein, wie wol ich da by hab angezaigt das gaiſtlich recht darinn vngeuerlich dis mainung geſchriben ſtat, die wyl ketzerei im glauben bedüt ainen abfal, vnd die iuden nit ſind von den criſten glauben abgefallen, dan ſie ſind nie darin geweſten, ſo mœgen ſie aigentlich zu reden nit ketzer genent werden, das ſind aber nit meine wort, ſunder wort des gemainen rechtes inn meinen ratſchlag für gehaltten, vnd ſind war.

Die vierd vnwarhait ſchreibt der taufft iud am andern blatt ſeins ſchmachbüchlins. Das ich mich gegen fürſten vnd herrn vnd gegen mengklichem inn der hebraiſchen zungen alſo vermeſs vnd herfür thu. Daran thut er mir wiſſenlich vnrecht, dann het mich Pfefferkorn nit ſelber angeben an dem kaiſerlichen vnnd Mentziſchen hoff, als der hebraiſchen ſprach gelert, wie er mir inn meinen haus ſelbs geſagt hat gethon habenn. So het weder kaiſer noch churfürſt von myner hebraiſchen kunſt nichts gewiſst, ſunſt hon ich mich weder gegen fürſten noch herrn nie her für gethon, noch mercken laſſen, dann es hett mir vil mer zu verclainorung gediennt, dann zu ainem lob vnnd bracht meinem ſtat nach, das kan mengklich verſton. Aber mag ſein gegen ſtudenten vnnd denen ſo gern ſeltzame ding lernen, hab ich mich myner kunſt nicht geborgen, weder inn hebraiſch noch inn griechiſch, vnd würd es ob got wil noch mer thon.

Die fünfft vnwarhait ſo mir diſer taufft iud zu contumelia vnnd verachtung zu legt, iſt der geſtalt. Er ſchreibt an dem gedachten blatt, ich verſtand die hebraiſch ſprach nit anders dan als vil oder als ferr latin oder tütſch vislegung über den hebraiſchenn worten verzaichnet ſtet, iſt zu verwunderinn das ſich Pfefferkorn nit empferwet noch ſchemet, ſo er wol gedencken mag für die wyl myn bibliotheca vnnd libery vor kainem gelertten man beſchloſſen iſt, Es ſyen vnd werden doch ettlich zu mir kommen, vnd myne bücher beſehen, ob latin oder tütſch über den iüdiſchen worten geſchriben ſtanden, Dan da findt man vnder allen meinen hebraiſchen büchern der nit wenig ſind, kain blatt, da ob den wœrtternn weder latin noch teutſch geſchriben ſtat. Er las mich aber künden wie wenig er wœlle, ſo kan ich doch alſo vil das ich waiſs wann Pfefferkorn die hebraiſchen wœrtter falſch teutſt vnd vnrecht auſslegt, alls ich im auch inn andern ſeinen büchlen zaigen kan, das würdt er mir nit mœgen verbergen, darumb bin ich im vil zu gelert.

Die ſechſt vnwarhait. Schreibt er das ich im leſen vnd ſchryben der hebraiſche ſchrifften ſo behend ſei. gleich wie ain eſel den man ylends die ſtegen oder trappen vff treiben wil, das kan nit war ſein, dann ich will dannocht viel ee ain hebraiſch wort geſchribenn oder geleſen haben, dan Pfefferkorn mit ſeinen eſel die ſtegen vff kompt. Der getaufft iud hat in ſeiner kindthait nach gewonhait der juden die bücher Moyſi gelernt, vnnd villeicht ettlich lectiones oder letzen auſs der bibel genant Haphthoras die ſie all wochen das gantz iar hin auſs leſen müſſen. Und darinn iſt er villeicht auſs der gewonhait fertig vnnd behend wie ain nun imm pſalter, dann man hatt in dick inn der ſchul darumb geſchlagen. Suſt kan er nichts grüntlichs, dann ich hon wol hebraiſche bücher die er weder leſen noch verſton kan, weder behend noch vnbehend, vnd das iſt die warhait.

Die ſibent vnwarhait iſt zwifach. Schreibt Pfefferkorn mir zu verachtunng das ich mein hebraiſch grammatick nit gemacht, ich hab ſie aber getruckt. Nun kan ich weder ſetzen noch trucken, das iſt mengklichem wiſſen, der biſsher vmb mich vnnd by mir gewonet vnnd gewandelt hat, ich hon auch meinen lebtagen nie kainen buchſtaben getruckt. Es erfindt ſich aber, das ich die gemelt grammatick vnd ſuſst nieman annders gemacht hab, wie die vorred lutet, zu nutz vnd vffgang der hailigen geſchrifft, vnd vnſern ſtudenten zu luſt vnd übung, die zu der wirdigen ler der bibel vnd zu andern fremden künſten ſundere liebe vnd begird tragen. Vnd kan Pfefferkorn keinen andern menſchen mit warhait anzaigen oder nennen, der ſich herfür thu vnd gedœr ſagen er hab ſie gemacht, wie wol vor vns etlichen gelerten leuten vndertwylen in andern iren büchern ain regel oder zwo empfallen mag ſein, als den hailigen Hieronym. inn ſeinen conmenten, doctor Nicolao de lyra Item Burgenſi, vnd doctor Petro nigri. So iſt doch vor mir nie kainer kummen, der ſich vnderſtanden hab, die gantzen hebraiſche ſprach inn ain buch zu reguliern, das ſie mœcht von den latiniſchen gefaſst vnd empfangen werden, vnd ſolt den neid ſein hertz zerbrechen, dannocht bin ich der erſt. Der taufft iud wenet ich ſei als vnuerſchempt wie er, dan er hat latiniſche bücher inn ſeinen namen vnd vnder ſeinen tittel laſſen trucken vnnd ſagt darinn er hab ſie gemacht, vnnd er kan doch kain latin, Darumb ich im diſe kundſchafft gib, das er hab vnwar geſagt vnd vnwar trucken laſſenn, die weil er doch ſchreibt er wœlle es mit mir ſelbs beweiſsen.

Die achtend vnwarhait des getaufften iuden iſt, das er ſchreibt an ſeinem dritten blat. Das gœttlich recht verbiet mit den iuden kain gemainſchafft zu habenn, iſt nit war, Es mag ain yegklicher criſt vor gericht offenlich mit inen rechten, vnd ſind die gerichts hendel gemain, man mag von inen kauffen, vnd inen widerumb zu kauffen geben. Item wechſeln oder tauſchen. Item eerlich vnd redlich contract vnd verſchreibungen mit inen vffrichten. Item inen innſunderhait ettwas ſchencken oder geben. Item den zehenden von inen nemen vſs eckern, wiſen oder wyngarten. Item es mœcht ſich ain fal begeben das ain criſt mit ainem iuden ainen gemainen erbfal haben mœcht. Item man mag mit inen redenn. Item man mag von inen lernen, wie ſanct Hieronymus gethon hat, vnd doctor Nicolaus de lyra. Item mit inen diſputiern vſs iren büchern, vnd dar durch ſie mit gütigkait vnderſton zum glauben zu bringen. Vnd als *Joannes Andree* ſpricht in *additi. ſpecul. tit. de iudæis.* So mœgen wir ſie on ir gemain bywonung got dem almechtigen nit her zu bringen. Vnd zu letſt ſo ſol ain criſten menſch den iuden lieb haben als ſeinen nechſten, das alles iſt inn den rechtenn gegründt. Wa aber die geſchrifft verbeut gemainſchafft mit den vnglaubigen oder den bœſen zu haben, das wirt verſtannden, wan ainer dar durch im glauben mœcht geſchwecht werden.

Die neund vnwarhait, ſagt Pfefferkorn an ſei-

nem iiij. blat disʃ mainung. Ich hab die iuden entʃchuldigt vnd verantwurt das ʃie nit gots leſſerer ſeien, vnnd hab doch vormahls inn ainer anndern ſchrifft ainem edelman gethon der iuden gots leſterung nach der lenge erzelet. Wœlle ich nun vff dem iüngſten beharren, ſo muſs ich das erſt widerruffen, wœlle ich aber das erſt laſsen beleiben, ſo ſei ich ſchuldig im ainen widerruff zu thonn. Ich waiſs nit wes ſich der taufft iud getrœſt, das er ſo vnerſchrockenlich gedar vnwar ſagen, dan offenbarlich in meinem ratſchlag begriffen iſt, das die iuden vnſern herrn got Jeſum leſtern, daruff beger ich zu leſen das ander blat E. ſo ich inn der vſsthailung der iuden bücher geſchribenn hab nemlich alſo. „Vſs den yetzt zu letſt gemeltten büch-
„lin mag ſein es werden ettliche gefunden aber
„gar wenig die ettwas ſpotwort, nachred oder
„leſterung vnſerm lieben herrn vnd got Jeſu vnd
„ſeiner werden mutter auch den apoſteln vnnd hai-
„ligen zu legent &c. Item fürter an den dritten
„blat F. da ich von Thalmud geſchriben hab alſo:
„Yedoch mag ich wol glauben das die iuden darin
„vnder gemüſt vnd gemengt haben vil vnd mani-
„cherlai wort vnd reden wider vnſern lieben
„herrn Jeſum ſeine fründ vnd anhenger, wie ſie
„das im auch inn leben vnder augen geredt haben,
„er ſei doch nur ains zimmermanns vnd ainer ar-
„men frawen ſune, vnd ſie kennen in wol, vnd er
„habe den tüwfel by im, vnnd er ſei kain iud ſun-
„der ain ſamaritan, vnd ain verfürer des volcks,
„vnd ſchend vnd leſter gott, vnd wœlt ſich gern
„für ain künig vffwerffen, vnd dem rœmiſchen
„reich land vnd leut empfüren, des ſie dan mit im
„gerechtet vnd vor kaiſerlichem richter ain vrtail
„wider in behaltten haben, darumb er hat ſollen
„ſterben. Item fürter am xv. blat G. da ich
„ſchreib alſo: Nit anders haben Jeſum die iuden
„auch geacht vnd von im vnd ſeiner mutter nichts
„gœttlichs gehalten vnd noch. Item fürter am
„xv. blat H. ſchreib ich alſo: Inn den andern bü-
„chern die ich biſsher geſehen oder geleſen hab
„find ich kainen ſchmach dann was den glauben
„antrifft, da ſicht vnd hœrt man vnuerholen vnd
„ſcheinbarlich, das ich die leſterung der iuden
„hab an tag gelegt, des halb ich auch die erſt
„ſchloſsred vnd concluſion inn meinen ratſchlag
„am andern blat I. geſetzt hab alſo. By wel-
„chem iuden wiſſenlich gefunden wirt ain ſollich
„buch das mit vſsgetruckten wortten ſchlechts vnd
„ſtracks zu ſchmach ſchand vnd vneere vnſerm
„herrn got Jeſu ſeiner werden mutter, den haili-
„gen, oder der criſtenlichen ordnung gemacht
„were, das mœcht man durch kaiſerlich be-
„uelch nemmen vnd verbrennen, vnd denſelben
„iuden darumb ſtraffen das er es nit ſelbs zerriſſen
„verbrent oder vndergetruckt het &c. Das iſt nit widerwertig dem büchlin ſo ich vormals dem edelman zu geſchickt, darin ich auch ettlich leſterung erzelet vnd verworffen hab. Wie gedar dan der getaufft iud ſo gehertz ſein das er vnderſtat frumm leut mit offenbarn lüginen der eern zu verletzen, er thete es dan vſs der verzwyfelten hoffnung das in nieman künd vmb ainich eere bringen.

Die x. vnwarhait iſt abermals zwifach. Er ſagt ich ſchreib von zwaien büchlin ſo der hailigen kirchenn zu ſchmach vnnd übel gemacht das die ſeien von der iüdiſchait abgeton vnd ſich der nit mer gebruchen ſollen, nun ſeien ſie noch nit abgeton, vnd die hab ich geleſen als ich ſchreib, die mir nit zu leſſen noch ich kainen verſtand dar inn hab. Das aber Pfefferkorn nit war ſag, ſo leſse man inn meinen ratſchlag diſse wort am andern blat. K. da ich ſchreib alſo. „Wie wol ich vor zeitten an kaiſser
„Fridrichs des dritten vnſers allergnedigſten
„herrn vatters loblicher gedechtnus hofe, von den
„iuden da ſelbſt nach vil reden zwiſchen vns gehal-
„ten hab gehœrt das ſolliche von inen abgeton
„verdilckt vnd allen den iren verbotten ſy, der-
„gleichen nimmermer zeſchreiben &c. So kumpt yetz Pfefferkorn vnd verkert mir die wort vnd die warhait vff ain andere mainung, nemlich das ich ſoll geſchriben haben, ſie ſeien abgeton, das findt man an kainem endt meins ratſchlags, ſunder allain das ich es hab gehœrt, züch mich vff mein ſchrifft. Alls er aber ſagt ich künd ſie weder leſſen noch verſton, wan vil daran gelegen were, ſo ſind noch verſtendig leut inn leib vnd in leben, mit denen ichs geleſsen vnd ſelbs vſs gelegt hab. Vnd wie wol ſich Pfefferkorn geudet vnd gloriert inn diſen ſchmachbüchlin, er hab die hebraiſch ſprach von ſeiner mutter bruſt geſogen, ſo hab ich doch mer bücher inn hebraiſcher ſprach die Pfefferkorn nit kan leſen noch verſton, dan er hab die ich nit kündt, das mag man leichtlich vſs meinen vſsgegangen büchern vnd auſs dem das er gemacht hat wol mercken, dann wie wol er gern ſchreibt da mit er als ain buchgremppler mœg gelt vffbringen, ſo hat er doch wol x. iar vnd ſo lang er criſt geweſsen iſt nichts künden ſchreiben noch trucken das nit vor hin zu tütſch vnd zu latin getruckt iſt, vſsgenommen, das er vns geleret hat, wie die iuden den hanen vnd fiſchen bichten das iſt die coſtlichſt kunſt da mit er die criſtelich kirch begapt hat.

Die xi. vnwarhait, Schreibt der taufft iud an ſeinem viij. blat ich hab nit allain inn dem vnd anderm ſunder inn vilen bœſse ſtuck, das kan ich anders nit verſton dan das er wil ſagen, ich hab vil bœſer ſtuck inn mir. Vnd wan ich das vſſerhalb dis ſchmachbüchlins ſolte gegen got von meinen ſünden verſton, ſo mœcht wol ſein ich bekant mich des durch das gantz iar mer dan zu ainen mal inn meiner bycht, Aber die wyl des getaufften iuden gemüt ſtat, er wœll mich mit diſen wortten an meinem gutten lümbden ſchmehen vnd verletzen, ſo ſag ich mit vorgedachter proteſtation, er lieg mich an als ain leichtfertig man.

Die xij. vnwarhait ſo er von mir ſchreibt, wie das ich hab geſagt, ich hab des thalmuds kainen verſtand noch in nie geleſen, vnd ſchreib doch ich wœlle die iuden vſs iren thalmudiſchen büchern weiſen das chriſtus der war meſſias iſt. Da verkert er abermals mir meine wort vnd die warhait. Man leſse inn meinen ratſchlag am iij. blat L. da findt man das ich kain verſtentnus des thalmuds hab, dan allain vſs vnſern büchern, die wider ſie geſchriben ſind. Diſen anhang der wœrter hat Pfefferkorn vſsgelaſſen mir zu nachtail, dan durch ſolichen zuſatz den er mir vſslaſst, wirt clarlich vermerckt das ich des thalmuds etwas verſtands hab ſo vil ich vſs den criſtenlichen büchern hab mœgen lernen. Darumb mag ich wol mit ſampt den criſtenli-

ſtenlichen lerern vſs dem Thalmud wider die iuden arguiern, leren oder ſchreiben.

Die xiij. vnwarhait iſt der ietzt gemellten nit ſeer vngleich, wie wol ich geſprochen des Thalmuds kainen verſtand zehaben. So ſchreib ich doch, man find vil gutter kreutter vnd wurtzel darinn, Da hat Pfefferkorn den zuſatz vnd anhang meiner wœrter abermalls abgeſchnitten im zum behelff ſeiner vnwarhait. Dann alls vil ich vſs vnſern criſtenbüchern inn dem Thalmud kan verſton, ſo iſt es war wie ich ſchreib, das leſse man die auſstailung des ſelben buchs inn meinem ratſchlag am dritten blat M. das Pfefferkorn ſchreibt es ſei wol dreiſſig mal græſſer dan die bibel, ſo findt man durch mich vnnd doctor Petrus nigri, das ain tail des Thalmuds ſag von der artznei, vnnd haiſst ſider zeraim, das iſt alls der yetzgemelt doctor ſchreibt die ordnung der ſomen aller kreuter vnnd wurtzel.

Die xiiij. vnwarhait iſt alſo. Er ſagt ich hab geſchriben wie wol vil bœſes inn der thalmudiſchen büchern ſtonn mag, gleich wol iſt er nit bœſs, das findt man inn gantzem meinem ratſchlag nit, vnd hat mir der taufft iud abermals nach ſeiner art die wœrter abgeſchnitten, vnnd die warhait geenndert amm achtenn blat N. da ich ſchreib alſso. „ Wie wol nun etlich der vnſern ſagen das vil bœ- „ ſes imm thalmud ſtand geſchriben, noch dan iſt „ es nit bœſs das wir daſſelbig bœſs leſsen vnd ler- „ nen, nit das wir den bœſsen nachvolgen, ſunder „ das wir deſt leichtlicher mœgen erkennen was gut „ iſt vnd demſelben anhangen.

Die xv. vnwarhait iſt alſo. Er zeicht mich ich hab geſchriben, der baum dar von Adam und Eua geeſſen haben ſei bœſs. Das man findt inn gantzen meinen ratſchlag nit, ſunder der taufft iud hat mir abermals die wort vnd warhait verkert, am viij. blat O. da ich ſchreib alſo. „ So gründ ich mei- „ nen rat vff den bom der kunſt des guten vnd des „ bœſsen, den ſelben baum hat got ſelbs inn das pa- „ radiſs geſetzt, vnd wirt fürter kains bœſsen ge- dacht, zuch mich vff die geſchrifft.

Die xvi. vnwarhait. Sagt Pfefferkorn wie wol die kirch ſei xv. hundert iar inn wirden geſtanden beſtetigt vnnd verſigelt mit vil martern, beichtigern, hailgen auch manigfaltig der gœttlichen lerern, ſo findt man doch niendert das ſie die thalmudiſchen bücher fürgeworffen oder gezugnuſs vſs inen genommen haben. Ich allain ſei alſso genaigt dem Thalmud. Das es aber nit war ſei, vnd offenlich am tag lig das es nit war ſei, ſo findt man clarlich inn meinem ratſchlag am ix. blat P. wer die wirdigen hochgelerten frumen hailgen lerer der hailgen geſchrifft ſind, die ſich inn vnſerm criſtenlichen glauben des Thalmuds gebruchen. So hat auch der hailig *Hieronymus* vor xi. hundert iarn die maiſter des Thalmuds vnnd die thalmudiſchen bücher herfür gezogen. Alſso das vſs ſeinen *comment.* ſo er ſchreibt über *Iſaiam am viij. capitel*, vnd inn *epiſtola ad Damaſum papam de ſeraphim & calculo*, vnd ſuſt an andern vil orten vnuerborgenlich vnd mit vſsgetruckten worten verſtanden mag werden.

Die xvij. vnwarhait. Schreibt Pfefferkorn ich ſei mir ſelbs widerwertig, dan inn meinem ratſchlag ſchreib ich, ob wol were das die iuden ettliche artickel wider die criſtenliche kirchen in iren büchern hetten, doch nit der criſtenlichen kirchen zu ſchmach, ſpot, übel oder verachtung, allain den iuden zu ainer gegenwere oder widerwurff, die weil ſie nit das chriſtus der war meſſias ſei haben wœllen, Wie künd er aber mich bas vſſchürtzen, dan mit meinen bekantten ſchrifften dem edelman gethon. Darin ich geſchriben hab, die leſterung nach der lennge &c. Wie wol mir nun abermals Pfefferkorn meine wort mit vſſatz nit recht nachſagt, dann inn all weg hon ich die ſchmachbücher vnd alle ſchrifften ſo zu vneere der criſtenlichen kirchen gemacht ſind vſsgenommen vnd hindan geſetzt, will auch die vor allen dingen inn allen ſachen hindan geſetzt vnd verworffen haben, von denen ich ain ſundere concluſion vnd ſchloſsred am aller erſten gemacht, abſoluiert vnd verfertigt hab. Dannocht ob ich gleich alſo geſchriben hette, ſo were ich doch nit vff zeſchürtzen mit voriger miſſyff dem edelman geton, als ob ich mir ſelbs ſolt widerwertig erfunden werden, dan der ratſchlag vnd die miſſyff die vormals auch getruckt iſt mœgen ſich inn alweg mit ainander wol vergleichen, wan das ain frummer vnd verſtendiger gegen ainannder thut leſsen vnnd collationiern.

Die xviij. vnwarhait. Sagt der taufft jud am ix. blat ich hab geſchriben, wie wol vil geweſst die den thalmud vernichten vnnd verachten, doch kainer vnder inen der do gewünſt den thalmud zu verbrennen, allain Petrus nigri vnd Pfefferkorn. Da verkert er mir aber meine wort, vnd endert die warhait, dann ich hab nit alſo geſchriben wie man das am vi. blat Q. findt, nach dem ich vil hochgelerter doctores herfür bring die wider den thalmud geſchriben hond, vff daſſelbig volgend inn meinen ratſchlag diſe wort nemlich alſo Q. „ Ich „ hon aber der ſelben nie kainen geleſsen meins ge- „ dennckens die dar wider geſchriben hond, das ſie „ begert oder gewünſt hetten, das der thalmud „ verbrent wer geweſsen, & i, vnd gib daruff ain „ gleichnus, von ainen edlen ieger der græſſern luſt „ hat das gewild zu jagen dann zu tœtten. Dar- „ nach volgent abermals diſe meine wort, alſso „ thon die gelerten vnd weiſen leut, die ainen luſt „ haben den Thalmud vnd ſeine anhenger mit „ vernünfftigen vnd künſtlichen worten zu wider- „ treiben, was lobs wœllten ſie erlangen, wie wol- „ ten ſie erſcheinen das ſie bewert doctores vnd „ meiſter der chriſtenhait wern, wan er verbrent „ vnd nimme were. Nun künd doch nieman her- „ nach wiſſen ob ire argumenten vnd widerreden „ war oder nit war geweſen wern, dan das buch „ dar wider ſie arguierten vnd diſputierten wer „ nit mer vorhanden. Vſs diſen worten kan ain yeder verſtendiger wol abnemmen, das mir der taufft iud meine wort vnd mainungen geendert vnnd verkert hat, die haben ſich gelendet allain vff die buchdichter vnd gelerten doctores vnd maiſter, ſo ir vernunfft gern wœllten ſcherpffen vnnd ſpitzen mit diſputiern vnnd arguiern, vnd nit vff die oberkait gaiſtlich oder weltlich die der iuden miſshenndel vnnd übeltatten ſo die erfunden werden nach geſtalt der ſach an iren leiben vnd gütte ſtraffen ſollen vnnd mœgen, als bapſt Gregorius ix. vnd Jnnocentius iiij. etlich iuden zu derſelben zeit vmb verſchuldt ſachen an iren leiben vnnd ann iren büchern hond laſſen ſtraffen, nach ſag *Hoſtienſis in c. quod ſuper iis de voto. col. iij. §. Et*

hac ratione. Vff den auch die andern iuristen ire reden der massen ziehen vnd gründen, wie wol Pfefferkorn das capitel vnd ettlich derselben doctores nit recht inn seinem truck hat lassen ansehen, suchen, lesen vnd allegiern wie man das sehen mag. Das alles ist aber meiner obgemeltten mainung nit widerwertig inn kainen weg.

Die xix. vnwarhait ist also. Er sagt ich hab Christus lere nitt geuolget da er spricht. *Sündiget dein bruder inn dich, so straff in zwischen dir vnd im*, ist mein antwurt, ich hab der lere nachgeuolget aber er nit, dan wiewol er dann zu mal wider mich nit gesündiget het, so hab ich in dannocht inn meinem hus gütlich gewarnet, zu lügen das er selbs ain guter crist sei, hette er mir desselben mals gesagt er wœllte ain vngeschicktern handel anfahen vnd practiciern, so kündt ich in wol zwischen mir vnnd im gestrafft haben. Aber Pfefferkorn hat Christus lere nit geuolget, so er mir vnuerkündt vnwissent, zu ruck, hinderwerts, vnbewart, on rechtmessig vrsach vnnd vnuersagt rechtes, inn ainer sach allain betreffend sein aigen person vnnd mit der vnwarhait ain schmachbüchlin vnd lasterschrifft wider mich hat lassen ausgon, das sind nit zaichen aines rechten cristen.

Die xx. vnwarhait darmit mich der taufft iud gern wœllt gegen dem hailgen barfüsser orden vervnglimpffen vnnd seinem handtwerck nach vff dem flaisch bannck zerhawen, ist der gestalt. Er schreibt ich hab den freyen Nicolaum de lyra brüder des hailgenn Franciscus mit meinen spitzfündigen reden nemlich sein des Pfefferkorns lassen entgeltten. Das es aber nit war sei, so find man am ix. blat meins ratschlags. R. Nach erzelung vil cristenlicher lerer nemlich dise wort. „Dem „gleich thut der wolgelert doctor Nicolaus de lyra „für war ain kron des barfüsser ordens &c. Darus mengklich verstat das ich den frummen herrn vnd vatter doctor Nicolaus de lyra vnder andern hochgelerten doctores wirdigklich vnd mit grosser reuerentz geeret vnd loblich genent hab, alls er auch aller eern werd ist, Aber Pfefferkorn legt im kain erlich wort zu, weder herr noch vatter, noch maister, noch doctor, sunder er nent ine den freien Nicolaum, als ob ich den Pfefferkorn nent den freien hannsen, wie man gemainlich sagt die freients büben.

Die xxi. vnwarhait ist der obgeschriben nit seer vngleich, dardurch er mich vnderstat gegen dem hailigen prediger orden auch zu vergifften, so er also schreibt, das ich Petrum schwartz doctor vnd ain glid des hailgen sanct Dominicus mit meinen spitzfündigen reden, nemlich sein Pfefferkorns lass engellten. Das es aber nit war sy, so lesse man inn meinem ratschlag am vi. blat. S. da ich denselben doctor vnder den würdigsten vnnd hochgelertesten doctores geallegiert vnnd herfür gezogen hab, grœsser eer hon ich im nie künden beweisen, so hab ich den hailgen Thomas der auch prediger ordens ist mit eerlichem lob geallegiert vnnd herzu gepracht.

Die xxij. vnwarhait hat der getaufft iud vff mich erdacht an dem ix. blat seins schmachbüchlins, alls ob ich von den iuden etwas solt genommen haben, für sie vnnd wider in zeschreiben, mit dergleichen worten, die iuden werffen mich hoch vff, das selb nem in nit wunder, dann wer inen dient dem dienen sie wider, besunder so es ettwas wider die cristenlich kirch zu nachtail kommen oder raichen mag, wie er das auch zu andern leuten müntlich geredt soll haben. Für war nun hab ich inen nie kainen dienst gethon besunder wider die cristenlich kirch, vnd daruff sag ich by dem hœchsten glauben, das ich all mein leptagen von meinen kindtlichen zeitten bis vff dise stund von den iuden noch von irentwegen weder heller noch pfenuig, weder gold noch silber, weder crütz noch müntz nie empfangen genommen noch verhofft hab. Mir hat auch alle meine leptagen kain iud nye dehain gab verhaissenu oder versprochenn vmb was sachen es wœlle, vnnd inn sunnderhait auch betreffend disen ratschlag, hat mir kain iud weder myet noch diennst noch belonung erbottenn, noch dero mich verwenet noch geben inn dehain wys noch wege. Vnnd welcher von mir zu verletzung meiner eern anderst geschriben oder geredt hat, oder anderst noch redt, der selbig lügt alls ain leichtuertiger eerloser bœswicht, vnd ob er gleich hette so ain frummen gestalt alls were er ain carthüser.

Die xxiij. vnwarhait. Da macht vff mich der getaufft iud ain gleichnus vnd beispil mit ainen doctor mir vnbekannt doctor Thomas genant, dene er für ainen ertzbuben vsschreibt. Darzu sag ich wan mich Pfefferkorn denselben gleich zelt, sa lügt er alls ain bœswicht. Ich ward kainem sollichen ertzbuben nie hold, so hon ich auch kain sollich gemainschafft mit den iudenn nie gehapt, dann allain die sprach zu lernen, wie der hailig Hieronymus von im selber schreibt in apologia ad Pammachium & Oceanum, desgleichen ander cristenlich lerer.

Die xxiiij. vnwarhait berürend den barfüsser dem er vil grosser schmachait zulegt, vnnd gar nach fünff bletter anainander von im schreibt, das las sich den hailgen orden verantwurtten.

Die xxv. vnwarhait. Sagt Pfefferkorn ich hab fürsten vnnd herrn geschriben, wie er inn iren thalmudischen schrifften nit gelernt noch darinn kainen verstand haben soll, Das findt man inn allem meinem ratschlag nit dermasen geschriben stonn. Wie wol das war ist, das er mir selber inn meiner libery alls ich im ain thalmudisch buch genant Mardochai fürlegt, bekantlich ist gewesen das er allain inn der bibel gelernt hab, vnd verstand dern bücher kains, das hab ich im dan zu mal glaubt, vnd glaub es noch, nit im selbs sunder der warhait, das er den Thalmud nit allenthalb lesen künd.

Die xxvi. vnwarhait. Sagt der taufft iud sein gezügknus sei war, vnnd ich allain vnderstand im esels oren vff zesetzen, er trag aber nit alls lang esels orn alls ich &c. Da lesse man meinen ratschlag durch vnnd durch, so findt man an kainem ort von esels oren geredt sein, dan man mag wol ainen esel finden der kain or hat, vnnd ist dannocht ain esel.

Die xxvij. vnwarhait. Zelet mich Pfefferkorn vnder denen die mit hinderschlegen die menschen berichten vnnd anweisen sprechend, was will man mit den narren machen, spotten, spaihen vnnd lestern, mit fingern vff in weisen. Das hab ich alle meine tag nye gethon, dann ich bin vormals nie vmb in gewesen, vnd hon in vor disem handel nie gekannt, aber yetzt kenn ich in wol.

Die

Die xxviij. vnwarhait. Schreibt Pfefferkorn er wœlt sich des tüfels vnd der iuden wol erwern, aber von den gedachten cristenn werd er überlenngt. Das ist nit zu glauben das sich ainer mœg des tüfels erwern der mit so grossen vnd manigfaltigen lüginen umbgat, dann der tüwfel ist ain vatter der lügin.

Die xxix. vnwarhait. Sagt Pfefferkorn der iud sei genaturtt wie der tüwfel. Das verantwurt ich alsso, wir lernen anders inn der waren philosophi, solt aber das war sein, so müst mich nit verwundern das Pfefferkorn so vil vnwarhait gedar sagen, die wyl er von tüwfelscher natur empfangen vnd geboren were, vnd tüwfelsche millch gesogen hett.

Die xxx. vnwarhait. Schreibt der taufft iud von im selbs alsso: Es mœcht ainer sprechen ich bekenn Pfefferkorn redt wol vnd loblich von den sachen. Dar zu sag ich, wer recht thon wil, der kan vnd mag nit sprechen das ainer wol vnd loblich von den sachen red, der do lügt.

Die xxxi. vnwarhait. Schreibt disser taufft iud am xxi. blatt seines schmachbüchlins, ich verantwurt die iuden ires wuchers. Da mit er mir ain schwere vnleidenliche schmach zu gefügt hat, verletzlich meiner eern, leibs vnd lebens wan es war were, „Dann so ainer den wucher wolt verant-„wurten vnd bestund daruff das es nit sünd were, „der solt als ain ketzer imm glauben gestrafft wer-„den, spricht *die Clementin von dem wucher.* Dieweil ich aber inn allem meinen ratschlag kain red noch handlung vom wucher nie gehabt hab an kainen ort, so ist es mir nit ain gleiche beschirmung wider ain sollich schwere schmach, das ich schlechts sagt er lüge, sunder ich soll es bas saltzen. Darumb sprich ich, wan Pfefferkorn schreibt oder redt das ich den iuden iren wucher veranttwurt hab, so lügt er alls ain leichtfertiger eerlosser bœswicht.

Die xxxij. vnwarhait. Schreibt Pfefferkorn der taufft iud ich hab im mein schreiben gegen fürsten vnnd herrn vnbillich gethon, darumb sei im disse sein schrifft vnbillich zu verweisen. Daruff sag ich das ich sunst seines namen gegen kainem fürsten mein leben lang ye gedacht hab, allain inn disem verschlossen ratschlag hab ich synen namen an zwaien orten eerlich vnnd herrlich gesetzt, alweg by wirdigen höchgelerten der hailgen geschrifft doctorn, vnd nit mer inn allem ratschlag, hett ich aber gewisst was er für ain man gewesst were wie ich yetzt wais, ich sollt in wol anndersch wahin gesetzt haben, da hin er billich gehœrt. Darumb es im seer zu verweisen kumpt nach laut vnnd inuhalt kaisserlicher recht.

Die xxxiij. vnwarhait schreibt Pfefferkorn der taufft iud, Er hab disses sein büchlin genant handtspiegel gemacht allain dem almechtigen künig Jesu christo vnnd seiner lieben muter zu eern, vnd allen menschen zu einem hanndtspiegel. Daruff sag ich, wan man list was er inn dem ynganng disses schmachbüchlins geschriben hat, das er es gethon hab die weil ich in alsso hart angriffen, vnnd nechst hie oben schreibt, er hab es gethon zu seiner gegen were, So mus das nit war sein das er es allain gott vnd seiner lieben muter zu eern gethon hab.

Die xxxiiij. vnwarhait schreibt der taufft iud, das es warlich inn gutter mainung geschehen sei. Das ist aber vnmüglich zu glauben, dan es ist ain bœsse vergiffte mainung sich selber mit schmachbüchlin wider ainen vnuerlümbten vnnd vnuersprochen mann zum vor vnuerkündt, zu ruck, hinderwerts, vnbewart der eern, on rechtmessig vrsach, vnuerzigen vnnd vnversagt rechts von aigner person wegen, allain sich selbs berürend, vnd mit der vnwarhait mutwilligklich wœllen rechen vnd rach suchen, wider gott ere vnd recht, so man doch gericht vnd recht gnug imm lannd findt. Vnd wan dise büberei imm reich solt überhangk nemmen, vnd von mengklichen geglimpfft werden, so wurd fürterhin kain biderb man, was stats er were, vor kainem bœswicht seiner eern sicher. Dixi.

Defensio Joannis Reuchlin Phorcensis LL. Doctoris contra calumniatores suos Colonienses.

Summarium Libri.

Welcher schrybt oder sagt das ich obgenanter doctor inn mynen ratschlag die iuden bücher betreffend, aus beuelch kaisserlicher maiestat gemacht, habe gehanndelt annders dann ain cristenlicher frummer erber biderman. Der selb lügt alls ain vnglaubhafftiger, lychtfertiger, eerlosser bœswicht, des erbeut ich mich zu eeren vnnd recht für zu kommen.

Maxæmiliano Cæsari mundi Domino Romanorum Imperatori Pio felici inclyto victori ac triumphatori Semper Augusto Germaniæ regi, & Archiduci Austriæ.

Joannes Reuchlin Phorcensis LL. doctor, se ipsum & hanc contra calumniatores suos Colonienses defensionem devote commendat.

VEhementer grata mihi est quæ sese obtulit imperator *Maxæmiliane cæsar Auguste*, apud te post omnium rerum conditorem unum mundi dominum contra pacis inimicos, apud principem justissimum contra injurios, gravissimum contra leves, æquissimum contra iniquos, denique veritatis amantissimum contra falsos delatores, sperata diu & exoptata illa ipsa, vitæ meæ innocentiam quæ a nocentibus nocens insimulatur, integritatemque fidei quæ a nugatoribus labefactata garritur, & christianam simplicitatem in qua sum ab infantia enutritus defendendi occasio, eoque optatior quo tu es & re & fama justior atque prudentior. Habes enim a divis parentibus Friderico tertio Romanorum imperatore & Leonora Augusta Portugalliæ regina, omnium virtutum promptuariis, tanquam ex traduce innatam justissimi & severissimi animi rectitudinem in odium universæ malignita-

tis & vitiorum propensam. Quod laudis testimonium & imperiales electores tibi & imperium totum patri tulit, & pater ipse tum regum rex, in desponsatione quondam reginæ matri tuæ annos ante unum & sexaginta perhibuit, quando legatis Vlysbonam missis ad sereniſſimum Alphonsum Portugalliæ regem avunculum tuum, ita suo nomine inclytam virginem Leonoram saluere jusserat his verbis: *Tota pulchra es per naturam, pulchrior per virtutes, pulcherrima per gratiam desuper datam.* Quo matrimonio Hispaniæ omnes potentissimos reges sibi affinitate conjunxit. Accedit ortus tui stirps & fundamentum Austriæ domus inclyta, regum & imperatorum mater, quæ sæpe Hungariæ, sæpe Bohemiæ, & aliquando Poloniæ reges dedit. Unde Rudolphus magnus, unde ambo imperatores Albertus secundus, & Albertus ille tertius Ladislai regis Hungariæ & Bohemiæ, atque majestatis tuæ patrui magni pater. Vnde fulmina bellorum Ernesti, Leopoldi, Friderici, & alii complures memoratissimæ ac summæ nobilitatis viri. Hoc tu regio utrobique sanguine prognatus, deque clarissimis sceptris, diadematis, thronis & regnorum foliis, justitiam & judiciorum stateram hæreditario jure adeptus, quomodo posses non justus esse? Ad ampliſſimam autem virtutum tuarum magnitudinem haud abre additur etiam illud supra modum illustre ac imperatorium, quod probissimus quisque maximo præconio in te collaudat, ut quanto sis in cunctos oppressores & violentos stomachosior, tanto consueveris benignius audire lacessitos injuria. Quo fretus ego nunc ad insignes, atroces & immanes contumelias injuriasque antea inauditas mihi tuo consuli, & divi quondam patris tui aulico veterano, contra jus & fas violenter illatas a quorundam Colonienſium professorum contubernio jam pridem per diffamatorios libellos in mille ut ajunt exemplaria divulgatos, & post omnium ferme hominum lectionem, tuæ tandem majestati oblatos, plane abigendas & propulsandas libenter & ita dilucide respondebo *Cæsar Auguſtiſſime*, ut non tantum majestas tua illa sublimis verum etiam totius orbis terrarum ambitus, cujus tu moderator & rector es, nedum oculis perspicere, sed etiam ipsas insidias, dolos & fraudes naturæ humanæ inimicas manu contrectare ac tangere queatis, meque jure optimo secundiore fama exornare. Cogor autem in hac causa contra homines rudes, contentionis cupidiores quam veritatis, tenui filo dicendi & quod me piget jejune potius & exiliter, nulla verborum ubertate, nullo eloquentiæ ornatu aut orationis elegantia tuæ majestatis auribus dulciori modulo assuetis digna, sed exiguo tantum sermone istis trivialibus sophistis apto ut incondito & prope solœcisante rem omnem agere, tum maxime cum ad metam negotii per spinosa dumeta & senticosos calles meabit oratio, ut me adversarii mei alioqui animo vulpiones & bovinatores, lingua vero agrestes & barbari, latinitatis imperiti & humanorum studiorum pertæsi facilius intelligere possint. Ubi me plurimum solatur id quod majores nostri tritum habuere in proverbio. Satis eloquentiæ est innocentia, quippe quæ plus rerum evidentiam quam verborum flores desiderat. Tamen hoc omnium primum affirmo, & tam coram te senatuque tuo illustrissimo, quam etiam coram cœlo & terra protestor, in hac mea defensione quin immo in totæ mea vita omnibus scriptis & dictis meis præteritis & futuris, nihil sensisse dixisse ac scripsisse me velle, nisi & quod & qualiter sentit & vult ecclesia catholica & ejus caput summus pontifex, cui omnia in his quæ sunt fidei atque morum dicta & dicenda subjicio, semper paratus ejus regulæ me conformare & assentiri, ac denique fiare sententiæ cujuslibet melius sentientis. Similiter in hac mea defensione dico & in omni parte ejus repetitum esse volo atque protestor, quod nullum mihi neque est neque erit propositum, nullum studium, non animus, non voluntas quenquam bonum virum aut hominem lædere, cujuscunque status, honoris, dignitatis, cujuscunque nationis, universitatis, facultatis aut doctrinæ fuerit. Constitui enim apud me, ipsum, proclamo hac voce, protestor his scriptis, nemini obesse, neminem taxare velle, nullius famam tangere, nisi fuerit unus e numero calumniatorum meorum de facultate theologiæ Colonienſis universitatis, & qui famoso carmine infames semet ipsos fecere, quorum levitatem & improbitatem crimina & scelera ostendere palam omnibus necessarium erit, ut delatorum meorum dictis nulla fides adhibeatur, & non aliam ob causam, quoniam semper jurgiorum & extra judicialium litium ego fugitans, quam mihi mea præstiterunt studia placidissimæ vitæ tranquillitatem amavi, nec odivi ullum magis scribendi munus quam quod in disceptatione & amarulenta quoquo modo altercatione sit constitutum. Atque ut inde apologia incipiat unde hæc omnis mihi falsa infamia cunctorum auribus ingesta concinnatur. Anno ab hinc ante tertio *Cæsar optime maxime*, accepi qua decuit reverentia quoddam a sacratissima majestate tua mandatum, augustali diplomate in lingua germanorum conscriptum, inque tabellas illustrissimi archicancellarii tui Vrielis Gemmingensis Moguntini archiepiscopi, pariter teutonico sermone clausum & obsignatum accurate, quibus ille in virtute commissionis sibi abs te factæ, urgebat tuis me parere jussis & præceptis, ut secundum tenorem mandati, propere ac sine mora cogitarem diligenter, & pro mea opinione consulerem tuæ majestati de omnibus judæorum libris excepta sola biblia perimendis. An deo laudem scilicet, fidei christianæ commodum, divino servitio augmentum allatura esset omnium librorum judaicorum præter bibliam peremptio sive concrematio. Simul autem tecum ille princeps exhortabatur ea de re opinionem meam quantocius & incunctanter ut ad se remitterem, quo tuæ satisfacere posset commissioni, quæ jubebat ei omnium consiliariorum per te nominatorum vota colligere, collectaque mature perpendere, ac singula cum sua quoque opinione, mox tuæ transmittere majestati. Lectis tabulis & diplomate sacro, fateor de repente primo aspectu obmutui, nescius quid struere his cœptis, quid moliri, quid conari velles nisi forte libros comburere, quos neque historiis indubitatis, neque annalibus approbatis, aut aliis fide dignis monumentis constaret ab aliquo unquam imperatore romanorum de primo ad ultimum connumerando fuisse combustos. Sed enim nec sacram etiam scripturam, nec jus civile, nec ecclesiasticas sanctiones nec determinationem ecclesiæ universalis, nec sanctorum patrum decreta

ullo

ullo in loco invenire poteram quæ de judæorum libris cremandis & comburendis ſententiam aliquam in ſpecie & ut quæſtio quærit, animo condendi legem tuliſſent. Nulla igitur lege nominatim de libris hebraicis perimendis rogata, putavi cum eis agendum eſſe quoad peremptionem vel non peremptionem, haud ſecus atque cum omnium romanorum civium libris quacunque lingua, quocunque charactere conſcriptis, Eo quod judæis per conſtitutiones imperatorum Gratiani, Valentiniani & Theodoſii Auguſtorum, liceret communi nobiſcum romano jure uti. Quare diſcuſſis quantum potui eorum voluminibus, antequam de ſingulis particulariter judicarem, prius in foribus & præ veſtibulo, in ipſo ſcilicet frontiſpicio deciſionum mearum ad generalem quæſtionem tuam. *An omnes judæorum libri præter bibliam ſint perimendi?* hoc generale quin potius univerſale reſponſum meum poſui, de vernaculo germanorum ſermone in latinum illo modo transferendum. Ita enim omnium primum ajebam. Nunc autem veniendo ad ipſam quæſtionem dico ſic: Apud quemcunque judæum ſcienter invenitur aliquis talis liber qui expreſſis verbis ſimpliciter & plane ad infamiam, blaſphemiam, ſcandalum & irreverentiam domino deo noſtro Jeſu, ſuæ digniſſimæ matri, ſanctis aut chriſtianæ conſtitutioni ſeu ordinationi editus eſſet, ille poſſet imperiali mandato eis tolli & comburi, & judæus ille ob id puniri, quod ipſemet talem non laceraſſet combuſſiſſet aut ſuppreſſiſſet. Hæc ſunt verba mea, quæ tamen in vernacula lingua germanorum qua me conformiter ad mandatum commiſſionem & præceptum uti oportebat, magis proprie reſonant. Quia vero diviſis primum judæorum libris in varias partes, ſecundum varia in eis contenta, in fine omnium partitionum charta ſecunda facie prima circa medium inter alios quam plurimos multarum formarum libros oſtendi aliquos etiam reperiri, qui irriſionibus detractionibus vel blaſphemiis quibusdam ſingularibus, dilectiſſimum dominum noſtrum & deum Jeſum, digniſſimamque matrem ejus, etiam apoſtolos & ſanctos afficiunt, quorum ego non plus quam duos legi Nizahon & Tholduth Jeſu Honozri, ne me de eisdem inter cæteros illius ordinis commemoratos libros ſpecialiter contumelioſis proprium poſtea in deciſione partium inſtituere tractatum oporteret volui tales libros extra ſuum ordinem exceptos expreſſis verbis ſimul ſub hac generalitate jam lecta comprehendere. Quare mox ſingularem de illis & notabiliter diſtinctum paragraphum univerſali deciſioni meæ ſuperius poſitæ ſubjunxi & adnexui ſub hac verborum forma. „ Tantundem ſit dictum de contu-
„ melioſis libris quos ego in ultima parte librorum
„ judaicorum indicavi, hæc ibi. Adjecta enim iſta expeditione putavi me patenter exoneratum, ne proprium capitulum de Nizahon & Tholduth ejuſcemodique voluminibus elaborare oporteret. De reliquis autem ordine ſequentibus ſpeciatim enumeratis quatrifidam oſtendi opinionem meam, non pertinacem aſſertionem, videlicet & bibliam penitus intemeratam venerari, & libros qui nihil ſontici contineant quocunque vocentur nomine ut Cabala, Perus, Midras, Draſoth Spharim & conſimiles ſervare. Omniaque magica hominibus nociva perdere, & thalmud non propter contentas in eo ſtultitias fatuitates, abſurdasve doctorum opiniones diſputandi gratia recitatas maxime ſecundum verborum corticem intellectas comburere, ſed qua in partitione ſeu portione thalmud aliquis malignus eſſet abjicere, & hoc ad mentem univerſalis reſponſi ſuperius præmiſſi. Habes jam ſummam conſilii mei formaliter recitatam *cæſar invictiſſime*, quod longiore compagine abſolutum legiſti, eo me refero. Sane non mihi deerat voluntas omni opera ſtudio diligentia (ut omnes debemus) tuis deſubito & puriter obtemperandi mandatis. Miſi enim celeriter ut imperaſti, & miſi fideliſſime, parique modo ſicut accepi clauſum & obſignatum de conſulendo mandatum, ita reſponſa dedi, viciſſimque clauſum & obſignatum conſilium meum non fraudulentum, non diffinitionem pertinacem quin potius opinionis meæ conſilium ad te dandum per apparitorem fidelem & juratum commiſſario tuo transmiſi. Sed quid ſecutum ſit audi obſecro, & quidem attente, non enim mea tantum res agitur, ſed & tua & ſenatus, & omnium principum, omnium magiſtratuum, omnium conſularium virorum, omnium qui circa res publicas in rebus agendis, in conſiliis capiundis, in electionibus tractandis, in votis ſuſcipiendis, in occupatione urbis & orbis verſantur. Nam cum jam fuiſſet conſilium meum in manu Archicancellarii tui principis illuſtriſſimi, antequam majeſtati tuæ repræſentaretur, inventus eſt judæus quidam baptizatus Colonienſis cognomento Pepericornus cum aſſumpto ſibi titulo, judæorum hoſtis, ignavus certe homo, vel beſtia potius venenata, qui mox idem conſilium jam tuum cæſar, tuum inquam, quia tibi deſtinatum juſſu tuo & commiſſario tuo traditum, neſcio quomodo, qua fraude, quo aſtu, quo ingenio malo, qua hominum perfidia te præveniens, in ſui poteſtatem redegit, & furia percitus quod me videret non omnia judæorum cremanda decreviſſe, ut multorum auxilio & conſilio iniquiſſimo & injuſtiſſimo vindictam quæreret, in publicum per plurima tranſſumpta prodidit atque renunciavit. De quo nefario ſcelere imperialis lex principum loco ſic ait: Conſiliorum noſtrorum renunciatores aut vivi exurantur, aut furca ſuſpendantur. Quo nihil unquam potuit a majoribus noſtris ſanctius ſanciri, nihil opportunius, nihil commodius, imperatoribus clariſſimis, exercitibus ornatiſſimis, provinciis graviſſimis, civitatibus, municipiis, conſulibus, conſiliariis, ducibus, auctoribusque conſervandæ rei pub. ne conſilia conſularium virorum temere diſpergerentur in vulgus, ſine decreto absque juſſu, præter voluntatem principis & magiſtratus, nulla cogente neceſſitate. Nunquam enim taciturnitatem ut ait Valerius optimum ac tutiſſimum adminiſtrandarum rerum vinculum labefactari volebant. Unde Fabius Maximus eo quod P. Craſſo tum quæſtori, nec dum in ſenatorum ordinem deſcripto, quæ in ſenatu geſta erant, obviam factus in itinere narravit, vehementer a conſulibus objurgatus eſt, quamvis honeſto ductus errore, a ſilentio nam quem dictum eſſe arbitrabantur conſilium quaſi conſilentium ut Feſtus Pompejus ſcribit. Quapropter conſiliarii in jure civili ſilentiarii appellantur, & ſecretarium locus eſt qui a noſtris cancellaria dicitur. Hoc uno igitur maxime omnium in conſiliis opus eſt, quod Simo Terentianus optavit in Soſia, Fide & taci-

taciturnitate. Unde Salomon in proverbiis ait: *Fidelis spiritu celat verbum.* Non id eo prosequor quod mea fuerint quæ sunt proditorie revelata, aut quod me pudeat meorum quæ consului. Omnia enim consilii mei sana sunt, si sane intelligantur, & omnia recta, si non pervertantur. Coinquinatis autem nihil mundum sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia, quo sæpe & sanctissima profanantur & mundissima polluuntur, iniquissimorum audacia & temeritate, sed tantum ostendere volui quæ honesta, quæ gravia, immo autem quæ turpissima, quæ levissima calumniæ suæ fundamenta novo more per alium lacessendi jecerint delatores mei a nefaria proditione Pepericorni Colonienſis sumentes initium, qui non hoc contentus erat quod prodidit, non his in limitibus mansit, non perstitit hoc scelere, sed ultra grassatus est, judæus aqua tinctus, contemptor legum, humanæ societatis prævaricator, & evangelicæ charitatis apostata. Instructus enim ab eis qui se jactant e numero doctorum esse, ac suffarcinatus multis & variis inutilibus allegationibus, tam theologiæ quam jurium homo alioqui indoctus & literarum imperitus, nullosque latini sermonis libros callens, & judaica quotidiana pueriliter tenens, ad libellum aliquem famosum fictis criminibus respersum, contra me in lingua vernacula promulgandum adornatur, & tanquam crudelis qui famam & existimationem honoris, bonique nominis cultum faciat nihili, expeditur in facinus, armatur in audaciam, committitur periculo, exponitur mortuus morti, contra quem non nisi laruis pugnandum sit, semet ipso judice, indignus contra quem optimus quisque & gravissimus talione confligat. Nundinis igitur aprilibus anno M. D. XI. Francofordiæ apparet iste liber diffamatorius, manuale speculum inscriptus adversum me docticulorum machinatione consutus, proditoris nomine promulgatus, & ad circiter mille exemplaria per chalcographum Moguntinum redactus in publicum, ipso suo prologo indicans manifeste tanti facinoris auctores, neque enim qui prodere consueverat, factionem illam perditissimorum hominum tanquam vas futile & rimatum valde plenum, continere celareve poterat. Sed Arnoldum quendam de Tungari ex professoribus Colonienſibus adversum me (ut idem ipse protestatur) de collegio electum, in libelli famosi titulo præfatur atque prænominat, sicut malleus fabrum, cui & ea ipsa diffamatio quodam ritu dicatur & sacratur. Quæ cum a mercatoribus propter longinquitatem loci peregre ad me allata fuisset, eandem mox ad te *Cæsar optime maxime*, in imperiali civitate Reutlingen attuli, supplicando flagitans, ut innocentiam meam audires. Tu vero qui vitæ meæ integritatem non tantum experimento proprio atque tuo, verum etiam optimorum testimonio & communi fama jam diu pernosti, plane atque conspicuo abominabaris & vultu & verbis tantum scelus & tam nefarium facinus, utque tibi libellum eundem famosum porrigerem imperasti, quem mox e sinu meo porrectum de manu in manum astantibus tuo lateri proceribus commendasti. Sed hi propter occupationem tot & tantarum legationum tunc affluentium, pollicebantur te negotium illud Augustensi episcopo commissurum. Ergo properanter abeunte te transalpes ut ajebant, domum repedavi, expectans citationem episcopi, cum autem molesta mihi esset omnis cunctatio, per amicos sollicite reverendissimum episcopum commonebam, ut imperiali delegatione fungens innocentiam meam audiret, qui respondit se nullam recepisse commissionem, quapropter in causa mea procedere nequiret. Jam appropinquabant nundinæ septembris urbis Francofordiæ, ubi ante neophytus infamis ille judæus infamiam nominis mei sparserat. Quid tum facerem Cæsar? hanc enim mihi molem inpendentem quæ honoris mei ruinam minaretur, si aut ponderosam asperam & arduam, aut plenam sollicitudinis atque curarum fuisse negem, mentiar, præsertim qui facile cogitare poteram, hoc monstrum, hoc prodigium, Hebionem corpore, Therſitem animo, audacia furentem, scelus anhelantem, pestem mihi nefarie molientem ad eundem locum, ad easdem nundinas communis germanorum emporii rursus esse venturum, neque absentem multo gravius vehementiusque laceraturum, si non ego ipse omnem de me iniquam suspicionem veritate prius tollerem, si non quæ sanari poterant, quacunque ratione sanarem, sed resecanda pullulare permitterem. Scio fuisse expectationem mei grandem & ingentem, scio judicium populi, qui non delectu aliquo aut sapientia ducitur ad judicandum, sed impetu nonnunquam & quadam etiam temeritate (ut Cicero ait) non est consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia. Quinimmo prisca & agresti simplicitate plebs vivit, & quicquid dicitur, ut prima specie verum esse putat, quoniam non nisi vera dici arbitratur oportere, in hoc laudanda vel etiam amanda, non assueta mendaciis, non fucata, non erudita artificio simulationis. Erat igitur facillimum credere me reprobum esse, quia tot clamoribus tanta vociferatione, tam frequenti concione levissimus ille ganeo multitudinis aures meas infamia oppleverat, quapropter enitendum fuit ut quicquid contra me temerator scripserat, quam verissime diluerem, & rumores enacularem. Feci certe diligenter quod institueram, feci quod debui, feci triumphare veritatem, quare librum apologeticum in lingua teutonica Oculare speculum nominavi, quoniam suum calumniator Manuale speculum prius inscripserat, melioribus ego auspiciis, quod manus non videat sed oculus, quod ego innocentiam meam oculis subjeci, at ille calumniam suam manibus & violentiæ. Nam ipse manum inferre voluit, ego saltem videri & agnosci e speculo manum potentiam atque vim adversus me furentem. Socrates dicitur a nequissimo nebulone in faciem percussus nihil vindictæ postulasse, nisi ut nomen injuriantis in fronte gereret, quo illius tanta malitia omnium oculis appareret spectanda. Sic oculari speculo istius maledicta conspicienda statui, quo viderent omnes boni clare aperte liquide adversarios meos plusquam triginta quatuor mendaciis ad mei contumeliam in manuali speculo esse abusos. Utque figmenta sua splendidius sole patefierent, libuit ea unicuique digito monstrare, quod fieri sane non potuit, nisi & una omnibus consilium meum tibi cæsari augustissimo a me datum, quod prius a proditore non solum renunciatum sed etiam publicatum fuit, in propatulo & perspicuo exhiberem, ut cujuslibet in pagina chartæ

per

per appoſita ſigna deprehenderet univerſa natio germanorum calumniatoris falſitatem. Coactus autem ego in tali periculo famæ defenſor ſalutis meæ, atque compulſus, ipſum conſilium neceſſario in triviis & compitis, omnibus dignis & indignis proponere, haud ab re conſiderabam me poſſe in contentiones & dimicationes vel ignorantium vel malignantium incidere, qui forte non talem de me incognito gererent, qualem tu habes exiſtimationem Cæſar optimam & probiſſimam ac ſinceræ honeſtatis meæ opinionem perſpectam. Quapropter & ſimul conſilio adjunxi ſcholares diſputationes cum argumentorum breviſſimis ſolutionibus, quibus docti & literati cognoſcerent me non aliter ſenſiſſe ac ſentire velle, quam ſentiat catholica eccleſia. Quod & in ipſo meo conſilio expreſſis verbis proteſtatus ſum, ut integritatem in me fides incontaminata cuſtodiat. Appoſuiſſemque tunc vulgarem illam in lingua vernacula declarationem, quæ in manibus erat, ſi non ut ſupra dixi nundinæ ſeptembres præſto fuiſſent, operamque impreſſoris intercepiſſent, quam tamen declarationem vulgarem antea paratam, mox in ſequentibus nundinis impreſſam, mea ſponte & ultroneo amore erga veritatem exhibui, ob depellendam a puſillis nubeculam, & ad auferendum ab oculis velamen, ut nemo infirmus & puſillus poſſet ad lapides ſermonum meorum ſi qui forte putarentur pedem offendere, omnia vulnera præcavens ſauciandorum, & nulla tela formidans adverſariorum. Itaque commiſi vela ventis, & apologeticum meum una cum conſilio, diſputatione & declaratione vulgari, pariter per mille exemplaria univerſis & ſingulis venum expoſui. Quæ omnia Colonienſes & habuerunt & legerunt ante præſentis eorum libelli famoſi editionem, quod conſitentur in exordio ad tuam ſacratiſſimam majeſtatem compoſito. Gratulabantur tum mihi docti & indocti, adhuc & literatiſſimi doctores plurium univerſitatum, aliique viri boni & prudentes, quotquot ſunt injuriarum peroſi, abſentes partim literis partim nunciis, gaudebant & præſentes meæ dignitatis non modo fautores ſed etiam amplificatores, maxima lætitia & voluptate affecti, quod me audirent cum chriſto, qui eſt veritas, de ſupercilio montis non eſſe præcipitatum, & quod tranſiens per medium illorum iverim de manibus cogitantium mihi mala. Soli omnium peperiphrones & peperimanitæ quorum factioſa catheua eſt de incolumitate nominis mei, de proſpero ſucceſſu famæ, de honoris augmento ingemiſcebant, de mea dignitate triſtabantur, gratiæ invidebant, gloriæ tædebat, virtutum mearum laudes oderant, quia veritas mea vicit illorum falſitatem. De quorum numero plebejus ſacerdos Francofordienſis quem plebanum appellant, defenſionis meæ volumina (quoniam commiſſarium ſe Moguntinum gereret) mercatoribus vendere prohibuit, poſtquam ea Pepericorno judæo baptizato ad latus tunc aſſidenti & decum prandenti legiſſet, certe recordari nequeo fuerit ne etiam tum uxorcula præſens, bellula quidem mulier, & quæ cum Pepericorno marito ſoleat vicatim, domeſticatim, hoſtiatim ambulare. Cauſam vero vel falſo potius ad archiepiſcopum retulit iſte ſacellanus, ſed illuſtriſſimus princeps cui jam conſtaret mihi fieri gravem injuriam, ut qui non prohibuiſſet detractionem, noluit prohibere defenſionem, immo refutavit confirmare prohibitionem, quam ſciebat eſſe tam injuſtam quam invidioſam. Igitur concedente magiſtratu apologiæ meæ ſpeculum oculare ab univerſis multo uberius emptum fuit, rumpantur ut ilia Codro. Qua ſane re commotus & ira punctus idem plebejus ſacrificulus, proclamavit de ſuggeſtu coram omni populo inter divina officia congregato Pepericornum judæum baptizatum in ſequenti proteſto beatiſſimæ virginis Mariæ eo loci prædicare velle, diligenter adhortando, ut tum convenirent populariter. Jam enim miſeri peperiphrones cruciabantur, nullis hactenus ſcriptis valuiſſe celebrem famam meam labefactare, quare dolo malo invenerunt occaſionem, ut ſub colore prædicationis abſentem me & tales inſidias ne cogitantem quidem lacerare & infamare, nomenque meum denigrantes in commune odium deferre poſſent, ut quod literis nequeant, id verbis & ore ſuo me non audiente attentent. Et ecce ſtato tempore incedit iſte infamis Pepericornus multa ſanctitate o deus & ſuperi quin potius hypocriſi nequiſſima præditus, obſtipo capite defigens lumina terræ, murmuraque & ſecum rabioſa ſilentia rodens, atque exporrecto trutinatur verba labello, vota precesque dicenti ſimilis. Aſcendit ante templum judæus aqua tinctus; laicus conjugatus, coadunata fidelium congregatione id eſt eccleſia convocata, prædicat de verbo dei & fide chriſtiana pontificaliter bananſus lanius, cum benedictione ad populum per ſignum crucis, contra prohibitionem imperatoris Martiani *in lege Nemo. Codice de ſumma trinitate & fide catholica*, ubi ſic conſtituitur. „ Ne„mo clericus vel militaris vel alterius cujuslibet „conditionis de fide chriſtiana publice turbis coa„dunatis & audientibus tractare conetur in poſte„rum. Et infra, quia judæis & paganis ex hujusmodi „certamine profanant veneranda myſteria. Quod etiam tunc factum eſſe neceſſario ex tam audaci & temerario actu iſtius profani & execrabilis ſemijudæi præſumitur, cui ingenium velox ad malum, audacia perdita, ſermo promptus & iſæo torrentior. Unde artificium tunc omne ſermonis in proponendo verbum dei ſenſim transvertit in ſeditionem & mordacem contumeliam. Quæ crux? quæ nex huic furcifero ſatis? antea contempſit leges proditor, deſpexit ſanctiones calumniator, jura vilipendit ſeditionis auctor, nunc eccleſiæ determinationem ludibrio habet prædicator, immo prævaricator. Qui cum ſit ex judæis, audet illud quod eſt in eccleſia & congregatione fidelium ſingularis dignitatis & præeminentiæ officium publicum appetere. Contra Toletanum concilium etiam de judæis de novo converſis intellectum ſecundum extremam intentionem gloſſæ atque nonnullorum doctorum, quod ſtatuit eum publicis cædibus deputandum, & permiſſorem ejus tanquam ſacrilegum excommunicandum. Sunt enim multi ut ſcribit tuba eccleſiæ *Paulus noſter ad* „*Titum* etiam inobedientes vaniloqui & mentium „deceptores maxime qui de circumciſione ſunt, „quibus oportet ſilentium indici, qui univerſas „domos ſubvertunt, docentes quæ non oportet „turpis lucri gratia. Hæc eſt Hieronymo teſte vera interpretatio, de quorum numero Pepericornum eſſe, judicari facile poteſt, quin audis hanc buccinam Cæſar? quaſi tonitru de cœlis. Accedit ad hoc

hoc quod simul etiam prædicat laicus conjugatus a clericis neque invitatus neque rogatus, & alias visis circumstantiis de jure inhabilis, & per nullam dispensationem a superiore habilitatus, sed tantum a plebano permissus, in scandalum non modicum sanctæ matris ecclesiæ, taceo in mei contumeliam, sileo in odium mihi parandum, suppriuno quod sub colore sanctæ prædicationis audientium simultates adversum me conflare nitebatur. Parvifacio meam injuriam Cæsar, dummodo tu & christiani omnes maxime æstimetis ecclesiæ opprobrium. Et audet professorum Colonienſium antesignanus in album ac pro rostris affigere suam prædicationem, propter quale crimen nostra memoria & ætate agrestis & simplex quidam opilio in Niclashausen per judicum sententiam igne combustus est, deceptus licet primo in agris nocturna visione, posterius autem paris avaritiæ stellionatu notatus. At iste non somnio illusus, non larvis & lemuribus, quos ipse corrupto vocabulo de ore suo corrupto & putido lullos nominat, commotus aut persuasus, non simplicitate seductus, non pietate lapsus est, sed a leviſſimis hypocritis, simulatoribus & dissimulatoribus, ac iisdem victis cupiditate & avaritia magistris imbutus instructus & subornatus, videns eligens & intelligens, malorum præceptorum pessimus discipulus, sua audacia, sua temeritate, sua furia, tot immania scelera, tot nefaria crimina, tot & tam intolerabiles contra divina & humana scita, præcepta, mandata & in jure statuta, machinationes admisit & perpetravit. Quæ debet igitur hunc absumere pœna? quod supplicium? quæ saxa? quæ cruces? quæ fides hujus verbis? quæ credulitas sermonibus? quæ spes figmentis adhibenda est hujus vitiosissimi flagrionis & leviſſimi obtrectatoris? Hactenus agnoscere licuit *Maxæmiliane Cæsar Auguste* contumeliarum & injuriarum contra meam innocentiam primordiale instrumentum. Deinceps ad opifices ipsos animum adverte obsecro, probasti malleum, ad fabros perge, vidisti rivum, fontes scrutare, omnis dedecoris discipulum audivisti dolis instructum & arte pelasga, scholas aspice atque magistros ejus sceleris auctores. Non enim me juvat evasisse tot urbes argolicas ut inquit poeta. Quod restat horribilius est. Centauri in foribus stabulant, scyllæque biformes, disponunt enses & scuta latentia conduut. Quid hoc rerum est inquies? Erupit (ut uno verbo dicam) tota concio professorum theologicæ facultatis Colonienſium duce Arnoldo tanquam mandatario (ut ipse ait) ab eisdem electo, instar apum ex alveario cum murmure & susurro, in auxilium sui præcursoris judæi tincti. Nam cum se vident nihil egisse hoc suo Sinone quod honorem meum apud bonos & graves minueret, ipsi catervatim quasi ex equo trojano cavo se robore promunt, & qui hactenus occultis insidiis certarunt, nunc aperto marte conantur me opprimere. Acta res fuit usque huc in lingua germanica, quoniam tu Cæsar non tantum imperator mundi verum etiam idem ipse & rex Germaniæ & archidux Austriæ, cum tuo cancellario archiepiscopo Moguntino, omnia mecum in lingua germanica & sermone patrio egistis, ego item germanice respondi. Quando igitur nostra gens teutonica quæ legere & intelligere potuit quicquid vernaculo sermone inter nos disceptavimus, innocentem me & ab omni aberrantis opinionis suspicione liberum, propterque declarationem meam vulgarem jam diu publice ubique lectam integrum atque probum in hac causa virum esse cognovit, injustam afflictionem mei commiserata, quod istis professoribus & eorum complicibus bilem & stomachum movit, jamjam alia via nocere decreverunt, & alteros in loquela latina contra me diffamatorios libellos composuerunt, quos ut majoris essent auctoritatis tuo nomini maxime imperator titulariter dicarunt, quo de te quali sint judicio facile sentis, cum non defensiones de jure naturæ homini datas ut ego, qui eos nunquam ante læsi, sed famosas eorum calumnias in tuam gloriam adscribant, & tuæ serenitati suas ignominiæ nubes obducant. Intelligis & qua fraude, quibus insidiis impressos eosdem latine, cum simus nos utraque parte germani, & consilium illud meum germanice ad te scriptum a me fuerit, omnibus passim & nostratibus & peregrinis vendiderint, scilicet ut nationes exteræ ignorantes linguæ nostræ idioma & dicendi pronunciandi scribendique proprietatem ae consuetudinem, falsa & perversa eorum interpretatione & mutilata immutataque de alemanico in latinum translatione persuasæ aliquando, nomen meum hominis ignoti & in oculis suis peregrini, ultra Sauromatas Gallias & alpes ubi nemo me possit defendere, inter reos deferant, vnde obliqua & reflexa tandem ad terras nostras referatur mea infamia. Hæc illis summa instituti fuit, qua in causa clementissime Cæsar id me beat & hoc mihi a superis benigna sorte contigisse arbitror, quod coram te imperatore optimo maximo bellum hoc turbulentum licet sine sanguine, non in campo armatorum & castris ubi tu hostium potestatem semper cum triumpho vincere soles, sed inter parietes calamo & atramento expugnare mihi tuo veterano conceditur, qui non tantum sub divo patre tuo causarum patronus militavi quondam tam in senatu quam in consistorio assessor, & imperialis palatii comes verum in maximis rebus etiam tuis gerendis, in regia dignitate consequenda, in corona & unctione suscipienda, inter tuos clarissimos annumeratus sum, & catalogo adscriptus, quo certius mores tuos nobilissimos, animum moderatissimum, voluntatem æquissimam & judicium tuum justissimum ad meam innocentiam recte & quadre aptum atque propensum novi. Scio consuetudinem tuam humanissimam luctuosis in casibus oppressorum, scio incredibilem virtutem tuam in calamitatibus abjectorum, scio in te atque in ipso tuo corde sitam fixam & locatam erga omnes vi injuria contumelia & calumnia pulsos & suppressos, maxime singularem & præsentissimam commiserationem, non patieris præventioni gratiam esse, nihil præjudicabit adversariorum prior & celerior accursus, nihil assentatio, nihil simulatio, nullus apud te adulatori locus est. Platonicos amas non gnatonicos, & omnia tibi odio sunt hypocritica, falsa, fucata, obærata, sophistica. Cui cum deus & natura duas aures dederit, vel ambas delatori claudis, sicut imperator Cajus Caligula Treverensis, vel unam obstruis, ut vel suam quoque defensor inveniat, quoniam Alexander ille magnus ob id maxime laudatus. Nunquam ergo te movet alicujus etiam gigantis aut herois libellus famo-

famoſus, qui ineininiſti legibus eſſe cautum, eoſce libellos alterius opinionem non lædere, ſed tantum ſuorum auctorum nomen infamare. Nihil agit apud te popularis ſuſpicio, qui cum cæteris juribus, quæ in ſcrinio pectoris tui contines etiam hanc legem præceptore Ulpiano didiciſti, non de ſuſpicionibus debere aliquem damnari, quod divus Adrianus Aufidio ſevero reſcripſit. Niſi enim eſſet hoc tibi cor tam generoſum, hic animus tam regius, hæc voluntas tam nobilis, heus tu quam iſti profeſſores Colonienſes jamdudum me laceraſſent, ſublime medium me arriperent, ut inquit Comicus, & capite primum in terram ſtatuerent, ut cerebro diſpergerent viam, eriperent oculos, poſthac præcipitem darent, raperent, ruerent, agerent, tunderent & proſternerent. Quare male de te ſentiunt, qui ſe putant indignationem tuam ulli homini parare præveniendo querulando antevortundo poſſe. Una ſpe iſta fruor, ut & me quoque auditurus ſis perbenigue & perhumaniter clementiſſime Cæſar, qui adverſarios meos ante audiviſti. Ne ideo tantum crimina ſint quod objecta ſunt. In jure namque civili de requirendis reis hoc eſſe ſcriptum Martianus conſul teſtatur, ne inaudita cauſa quenquam damnemus, quod ex Athenarum legibus Solone latis romani acceperunt *ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι*, id eſt ſimiliter ambos audire. Si hoc non eſſet (quod deus avertat) jamdudum plurimorum claritas a viliſſimis & tenebricoſis mancipiis per libros injurioſos obfuſcata fuiſſet, quibus in reſpondendo vel ipſimet injuriam paſſi, vel alii virtutum laudibus affecti, vel qui alicunde pro merito humanitatem debent eorum vices ulti ſunt. Recte quidem, ne quid reſpub. detrimenti caperet, ſi ſtudiolorum aſſidui labores omnibus conniventibus & diſſimulantibus ab inertiæ & fecordiæ deditis in famæ diſpendium, impune ac ita levi facilitate traherentur, ut nemo literarum, nemo lucubrationum, nemo dogmatum traditioni operam navare auderet usquam gentium. Quid enim factu facilius quam maledicere? Non eſt magni ingenii reprehendere, facilius deſtruitur quam conſtruitur. Non eſt artis neque doctrinæ conviciari, obloqui, detrahere honori & famæ, mordere nomen, & invectivas ſcribere aut dicere. Fecerunt & faciunt hoc mulieres, fecerunt evirati & effœminati furciferi & blaſtero-
Nemo caret nes, & quorum omnis vita laude caret.
æmulis. Contra Theophraſtum in eloquentia divinum, id quod nomen indicat & res eſt, meretricula quædam Leontium ſcribere auſa fuit. Contra Homerum Zoilus, contra Democritum & Empedoclem Epicurus, contra Demoſthenem Æſchines, ab æmulis Terentius incesſitur, ab Aſinio Gallo & Saluſtio Tullius, a Cornificio & Filiſco Virgilius, & ut ad noſtra pergamus Julianus apoſtata evangelium laceſſivit, Diotrephes Joannem evangeliſtam, Apollophanes Dionyſium Areopagitam, Iſchyras ſanctum Athanaſium, Joannes Antiochenus Cyrillum Alexandrinum, Ammonium Porphyrius, Hieronymum Ruffinus, & Cyprianus martyr ab adverſariis coprianus, id eſt ſtercorarius ignominioſe dictus eſt. Et noſtra ætate Philelphus philelcus. Et doctiſſimus Joannes Picus comes Mirandulanus ab æmulis miſere vexatus eſt, taceo Sebaſtianum Brant juris doctorem optimorum ſtudiorum & vitæ claritate inſignem a Vigando fratre ordinis prædicatorum injurioſe laceratum. Taceo juriſconſultiſſimum Petrum Ravennatem a Colonienſibus theologis quibusdam ut in apologeticis ſuis continetur proximis nuper annis male taxatum. Taceo me ipſum a Colonienſibus theologiſtis nequiter attentatum. Ita ſemper meliores a deterioribus paſſi ſunt opprobria, quæ tractu temporis perpetuam infamiam retorquent in auctores, opinionem & bonam exiſtimationem laceſſitis & paſſis ut lex ait nequaquam lædendo. Quo fit ut adverſarii mei ſint ipſo jure & facto notorie infames, quapropter etiam ſi maxime conentur neque me neque alium quenquam revera infamare apud bonos & graves queunt, eo quod contra neminem neque dictis neque ſcriptis nec eorum etiam teſtimoniis credendum ſit, ut qui ſint omni honore indigni & veri fide deſtituti, neque in hac neque in alia parte veneratione habentes. Quis enim illis credat? aut quam ſpem veritatis in eos conferat? qui omnium vitiorum affectione molles & mobiles, pluma & epicureis atomis ſunt leviores, quos equidem ſolos calumniatores meos Colonienſes nequeo vere theologos appellare, ſed vel falſos theologos ſicut nummos reprobos, vel manuporrecticios & diales, non ab Jove quem dia vocant, ſed ab unius diei momentanea ſapientia, quales Gregorius ille Nazianzenus theologiæ gymnaſiarcha noſter *αὐθημερινὲς καὶ χειροτονήτες θεολόγες* nominat in libro primo de theologia, & ego poſterius notiore vocabulo theologiſtas appellabo, ne mihi quisquam aliarum univerſitatum de ſancto Ne boni æ-
cœtu verorum theologorum ſuccenſeat, gre ferant.
qui fidei doctrina ſacratiſſimæque ſcripturæ notitia, & moralibus optime inſtructi pro honore dei ſua denique & aliorum ſalute fraterna charitate utuntur, quorum ego nonnullos chriſti & veritatis evangelicæ teſtes novi, qui ſimul activi & contemplativi utraque manu pro dextra utuntur, quali alter ſalvator Iſrael Æhud filius Jemini, quem corrupto vocabulo Aioth legimus, in ſalutem proximi & oppreſſionis remedium omnia ſua ſtudia vertentes, profecto qui mea ſententia nequaquam ſunt exacerbandi, ſed omni reverentia colendi, qui ſoli & eſſe & dici merentur theologi puritate vitæ & morum ædificatione, erga fratres humanitate, erga deum omnium patrem pietate, & in lege ejus meditatione die ac nocte, tali munditia cum eſſe purgatum oportet, qui cum deo mundiſſimo loqui deſiderat. Ita enim theologia vocabulum Theo-
ſumpſit a divina ſcilicet locutione. Sic Jo- logia.
annes evangeliſta in literis ſancti Dionyſii Areopagitæ theologus cognominatus eſt, cujus rei tam ſanctum nomen vel de rapina vel furto ſibi calumniatores mei arrogant, etiam quacunque humana ſcientia inflati, qui & vita & lingua mentiri non erubeſcunt, qui ſolis operam dant contentionibus & rixoſis diſputationibus, ad quod artificium linguas armant, longe a tergo bonarum actionum relictis officiis. Magnum igitur chaos, maxima intercapedo, & notiſſima inter theolo- Theologus,
gos & theologiſtas differentia eſt, qualis Theologi-
inter virtutem & vitium, inter bonum ſta.
& malum, inter fucatum & merum, inter falſum & verum, tametſi nullo diſcrimine omnes vulgo theologi appellentur. Sed ſi pondere modo & menſura ſapienter cujusque naturam, conditio-

nem, mores & effectus intueamur, citra controversiam judicare oportet, alteros re, alteros opinione sola dicendos esse theologos. Hæc & his similia non finxi optime Cæsar, sed sunt columnæ religionis nostræ sancti quam plurimi qui astipulantur. Quinimmo lucerna nostra Paulus ad Titum scribens hanc theologorum insinuat diversitatem, & docet aliam esse scientiam in agnitione veritatis quæ secundum pietatem est, cujus ipse apostolatum acceperit secundum fidem electorum dei, quam & prima ad Timotheum ultimo appellat eam quæ secundum pietatem est doctrinam. Aliam denique scientiam contentionis, de qua eundem Titum facit certiorem monendo sic, *Stultas autem quæstiones & genealogias & contentiones & pugnas legis devita, sunt enim inutiles & vanæ*, Super quo S. „Hieronymus ita scribens. Dialectici ait & Ari„stoteles qui princeps est solent argumentatio„num retia tendere, & vagam rhetoricæ liberta„tem in syllogismorum spineta concludere, Hi „ergo qui in eo totos dies & noctes terunt, ut vel „interrogent vel respondeant, vel dent propositio„nem, vel accipiant, assumant, confirment atque „ concludant, quos quidem contentiosos vocant, „qui ut libet non ratione sed stomacho putent li„tigandum. Si igitur illi faciunt quorum proprie „ars contentio est, quid debet facere christianus? „nisi omnino fugere contentionem. Hæc non est mentitus Hieronymus, cujus rei Urbanus papa causam assignat ad Carolum scribens. Non in dialectica placuit deo patri & filio & spiritui sancto, regnum enim dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis, sic Urbanus. Ideo Nazianzenus ille Gregorius in libro secundo de theologia. „Τί γάρ ποτε ait ὑπολήψῃ τὸ θεῖον, εἴπερ „ὅλως ταῖς λογικαῖς πιστεύεις ἐφόδοις. ἢ πρὸς τί „σε ὁ λόγος ἀνάξει βασανιζόμενος ὦ φιλοσο„φώτατε σὺ καὶ θεολογικώτατε καὶ κακυχώμενε „εἰς τὰ ἄμετρα, πότερον, σῶμα; Id est. Quid „enim tum suspicaberis divinum esse, si omnino „logicis credis speculationibus, aut ad quid te ra„tio inducet examinata (seu ut alii codices habent „βιαζόμενος id est violenta) o philosophissime „tu, & theologicissime qui gloriaris circa immen„sa utrum ne corpus? Ista sunt theologorum ver„ba, ex quibus hanc omnium pace differentiam „ostendo inter theologum & theologistam. Non quod in aliis præclarissimarum artium exercitiis differendi rationem quæ logica dicitur abiiciendam esse arbitrer, quam ad suscipiendam & ingrediendam altiorum studiorum viam plurimum commodare fateor & laudo, ut in adolescentia & puerili ætate animos nostros rationali discursu & acquirendæ veritatis venatrice logica excolamus. Sed hoc turpe duco, post artes & philosophiam viro ad sublimem illam theologiæ facultatem evecto, relabi ad elementa, & cum pueris balbutiendo ludere, ac se ingeniosum in vanis & curiosis sophismatibus ostentare. Syllogismos quoque in paralipton vel bocardo texere, solum ut contendendo loquacitate vincat & proximum supprimat, quod vitium maxime omnium detestantur vere theologi, vocaturque ab ipsis *φιλονεικία*, de qua suo ævo præstans theologus & sanctus papa Julius ad Antiochenos scribens inquit. „ὃ γὰρ εἰρήνης ἀλλὰ φι„λονεικίας καὶ μισαδελφίας τὰ τοιαῦτα γνωρίσ„ματα, id est non enim pacis sed contentionis & odii fraterni talia sunt studia, quam Athanasius λογομαχίαν nominat in epistola quæ dicitur enkyclios ad Ægypti & Libyæ episcopos, ubi reprehendit adversarios quod *πρόφασιν λογομαχίας περιέχουσιν*, i.e. occasionem contentionis amplexantur, qui paulo ante confutavit græca id est dialectica sophistarum præstigia, umbrasque verborum inanes, caute admodum de diabolo præmonens his verbis, „πολλάκις δὲ καὶ δι' ἑλληνικῆς κομψολογίας καὶ „τοῖς αὐτοῖς σοφίσμασι πειράζει πλανᾶν ὁ κακο„θελής, i. e. plerumque autem & per græcam versutiloquentiam & ipsis sophismatibus tentat seducere malevolus, scilicet diabolus. Unde talem contendendi artem Jacobus apostolus non vult dici sapientiam in theologia desursum descendentem, sed terrenam, animalem, diabolicam, quæ longe a „veris theologis est aliena, ait enim quod Σοφὸς καὶ „ἐπιστήμων ἐν ὑμῖν δειξάτω ἐκ τῆς καλῆς ἀναστρο„φῆς τὰ ἔργα αὐτοῦ ἐν πραΰτητι σοφίας εἰ δὲ ζῆ„λον πικρὸν ἔχετε καὶ ἐριθείαν ἐν τῇ καρδίᾳ ὑ„μῶν, μὴ κατακαυχᾶσθε καὶ ψεύδεσθε κατὰ τῆς „ἀληθείας οὐκ ἔστιν αὕτη ἡ σοφία ἄνωθεν κατερ„χομένη ἀλλ' ἐπίγειος, ψυχικὴ, δαιμονιώδης, lati„ne sic: Sapiens & scientia præditus inter vos ostendat ex bona conversatione opera sua, in mansue„tudine sapientiæ. Si autem zelum acerbum ha„betis & contentionem in corde vestro, ne glorie„mini & mentiamini contra veritatem, non est hæc „illa sapientia desursum descendens, sed terrena, „animalis, dæmoniaca. Ex eo cognoscere possumus quod Colonienssium theologistarum calumniatorum meorum scientia est diabolica, sed verorum theologorum scientia est divina de- Theologo- sursum a patre luminum descendens, rum laus. quam habent aliarum universitatum præclarissimi doctores & magistri theologiæ, quorum cœlesti sapientia mundus illustratur, quorum pietate fraterna charitas incenditur & incensa fovetur, quos natura ad honestatem finxit, gravitatem, temperantiam justitiam, & eruditio ad humanitatem inflexit, quorum auctoritate doctrina & bene vivendi exemplo societas humana confirmatur, & pax in christi corpore atque membris indissoluta custoditur, & proximus tanquam frater a fratre diligitur & adjuvatur, qui sanctificati, mundati & loti cum Aaron & duobus filiis montem ascendunt, quotiescunque Moyses ingreditur nubem. Sed isti Colonienses theologistæ calumniatores mei de quibus noster sermo est tunc inter jumenta & malas bestias extra terminos pro divina ordinatione procul repulsi stabulant, non audentes appropinquare monti theologiæ, sunt enim hi brutis inhumaniores, equis & mulis haud absimiles, qui uno tantum pabulo pascuntur, equus avena, mulus palea, sic isti uno dogmate contenti, quodcunque arripuerint, cætera eruditissimorum hominum studia quantumcunque veritate coruscantia, quia tamen non sua vel a se prodita sunt, contemnunt aut damnant, porcis atque suibus simillimi, qui suis abusibus delectati, omnium aliorum margaritas calcant. Potius autem vulpeculis dolosis haud impares, quod magis sophismatum fallaciis & cornutis syllogismis quam solidis vetustissimorum ecclesiæ doctorum gaudeant sermonibus, lupi rapaces, arabicis pejores leones, syrii rugientes & quærentes quem devorent. Quid pluribus?

ad

ad montem veræ theologiæ impediuntur aſcendere, qui totos ſe animales oſtendunt, & hypocritico more vitiis omnibus inteſtinis ſcatent, avaritia, ſuperbia, ira, odio, invidia, & mille pravis animi affectionibus. Unde recte diffinitur theologus, qui in divinis cum ſcientia pietatis, virtute ac ſanctitate eſt præditus. Ita enim ait Nazianzenus qui hoc quoque cognomentum a ſanctis juſte obtinuit ut theologus diceretur, quod non omnium ſit de deo philoſophari, ſed illorum tantum (ut verbis ſuis utar) „τῶν ἐξητασμένων καὶ „διαβεβηκότων ἐν θεωρίᾳ. καὶ πρὸ τούτων, καὶ „ψυχὴν καὶ σῶμα προκεκαθαρμένων. Id eſt, „exquiſitorum & tanscendentium in contemplatione & ante illa etiam animo & corpore præ„purificatorum. Deinde ſubjungit: Μὴ καθαρῷ „γὰρ ἅπτεσθαι καθαρῶς, τυχὸν δὲ δὲ ἀσφαλὲς ὁ„σπερ δὲ ὄψει σαθρᾷ ἡλιακῆς ἀκτῖνος. Id eſt, „Non puro enim attingere purum forte ne tutum „quidem eſt, ſicut neq; viſui debili ſolarem radium. Ecce marcidum & debilem viſum comparat impuro theologiſtæ, qui ſic diffinitur. Theologiſta eſt qui in divinis ſcientia contentionis nititur, vitiis & criminibus inquinatus. Si quæres qua indagine internoſcantur, audi chriſtum: *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Quibus autem fructibus iſtos Colonienſes theologiæ profeſſores cognoſcam? Et ſcribit Paulus noſter hanc ipſam profeſſorum diverſitatem indicans ad Philippenſes. „Quidam propter invidiam & con„tentionem, quidam autem propter bonam volun„tatem chriſtum prædicant. Hæc eſt regula veritatis, hæc experimenti amuſſis, hoc celere diſcerniculum, hæc gruma rectiſſima. Profeſſores enim ſunt, quia chriſtum prædicant, theologiſtæ autem ſunt, quia propter invidiam & contentionem. Quid clarius? ſi docuero quod iſti Colonienſes calumniatores mei multo poſt mentis meæ vulgarem declarationem quam & habuerunt & viderunt, & poſt mei oblationem de ſtando juri & judicio adverſus omnem denunciatorem vel accuſatorem ſua venenata immo venenoſa lingua, ſuo malo animo, ingenio ſolum nocendi cupido, per invidiam odium & contentionem magis contra famam meam quam ſcriptam opinionem invecti ſint. Tantum defendenti mihi ne noceat ſanctitatis artificioſa illorum ſimulatio, ac ſi non poſſint male agere, ἀναμάρτητοι juxta pelagianos hæreticos tam ſancta ſpecie, tam ſimplici vultu, tam humili veſte & omni apparatu, quo nos deludunt in habitu, in forma, in inceſſu, in voce, in oratione, in lectione, in ſcientia, in ſermone & taciturnitate, in otio & negotio, plus quam divini & ſancti homines populo rudi & indoctæ plebi apparentes. Sane qui hac de iſtis Colonienſibus calumniatoribus meis præſtigiantur fraude, meminerint oro Suſannæ hiſtoriam, & Belis collegiatos, & ſepulchra dealbata, & ſerpentes, genimina viperarum, & fermentum in maſſa & fere totum quod phariſæis qnadrat in evangelio. Sic enim cognoſcent lupos in veſtimentis omnium, & fel ſentient mellis habere colorem. Non enim omnes qui philoſophiam promittunt thebani Cratetes ſunt, ſed quidam pecuniarum cupidine fictam aſſeverationem detegunt, auctore Papiniano, quorum profeſſio & deſiderium inter ſe diſcrepant. Nam cum philoſophos ſe eſſe proponant, vincuntur avaritia & rapacitate, ut imperator Diocletianus de muneribus patrimoniorum reſpondit. Tales in gentibus fuerunt pagani philoſophi, qui propter pecuniarum cupiditatem & ſpem acquirendi theſauri multa virtuti contraria dicuntur attentaſſe, ut in Philoſtrati volumine primo, Æſchines apud Dionyſium in Sicilia, Plato ter charybdim paſſus opum gratia. Sic divitiarum curis dediti Ariſtippus Cyrenæus, & Lycon Cyzicenſis, & Phyton Rhegio exulans, & Eudoxus in ægyptum proficiſcens, & Speuſippus Athenienſis aliique complures, quibus non erat familiariter dictum, nolite concupiſcere aurum, neque theſauriſate vobis theſauros in terra, & quam difficile qui pecunias habent in regnum dei introibunt. Sed iſtis Colonienſibus theologiæ profeſſoribus calumniatoribus meis qui ſibi magiſtrum illius doctrinæ præ ceteris hominibus peculiarius profitentur, hæc diſciplina de negligendis divitiis propenſius commendatur, licet contra eos evidentiſſima ſuſpicio ſit, quod auri quærendi cauſa ſpreto magiſtro quem ſolis verbis hypocritice præferunt, hoc vaframentum de libris judæorum cremandis excogitaverint, quod cum eis non ex voto ſucceſſerit, furibundos in me vertiſſe calamos. Scribunt enim irarum œſtro immoderate perciti, quod ego negotium judaicorum librorum per tuam cæſaream majeſtatem cœptum conſilio meo interverterim, hoc enim uerbo utuntur. Primo. Deus ita me amet ut neſcivi cœptum tuum, aut cur conſilia noſtra optaveris. Deinde nemo eſt qui recte arbitrari poſſit me tanti apud te invictiſſime imperator eſſe, aut tam gratæ auctoritatis fuiſſe aliquando, quod voluntatem tibi ultro propoſitam ego homuncio ſuaſione mea intervertere queam, cum nihil unquam tibi propoſueris quin id tanta ratione provideris, quæ omnium hominum, populorum, gentium & regum prudentiam excederet, ad hanc te induſtriam natura peperit, exercitatio formavit, fortuna conſervavit. Lædunt ergo majeſtatem, diminuunt totius orbis caput, qui in alieni homunculi cerebrum conferunt tuam præteritarum, præſentium & futurarum rerum cognitionem, tu ipſe noſti, qui omnia jura in ſcrinio pectoris habes recondita, non clam te eſt, non te latet, quid, quo modo agendum ſit. Non noſtro eguiſti conſilio, niſi forte ut periculum de nobis faceres ut experimento cognoſceres, quo quisque in tali negotio duceretur ſpiritu, quis chriſtum, quis fiſcum, quid interſit inter philochryſos & philochriſtos. Quid enim non mox ſuſpicandum erat ex conſiliis theologiſtarum Colonienſium detractorum meorum? quod ſicut Ceres Proſerpinam, ita illi Plutonem quærerent. Tu Cæſar petebas eſſentne judæorum libri præter bibliam perimendi an non? Theologiſtæ reſponderunt per conſilium inquiſitoris atque ſuum, inquirendos eſſe judæos de fide. Sic enim verba ſua inſinuant, multo prius aliis publicata, iccirco a me impune recenſenda, ſunt enim illorum conſiliorum ſuorum confeſtim hinc inde exempla & copiæ diſtributæ. Scribit itaque inquiſitor & poſt eum iſti contubernales ſui hoc modo: Imperiali celſitudini opus digniſſimum fore ſi in privata librorum examinatione per eos qui judaicam intelligunt ſcripturam extraherentur inibi contenti articuli erronei, impii

Theologus quis.

Theologiſta quis.

Objectorum ſolutio.

Conſilium Colonienſium.

& blasphemi, contra propriam legem, & instituere-retur contra judæos solennis inquisitio, & super articulis extractis mature examinarentur. Et quidem si tunc articulos illos recognoscant erroneos, etiam consequenter fateri habent libros tales eis esse periculosos & merito comburendos. Si autem articulos illos defenderint & obstinati in eis perseveraverint, certe tunc poterit cæsarea majestas, quoniam unice super se coram Pilato stantes regiam potestatem professi sunt, tanquam hæreticos sacrilegos in divina & propria eorum lege digna animadversione punire. Hæc ad tuæ majestatis propositam quæstionem inquisitoris & sociorum fuit responsalis conclusio. Haud secus atque olim fertur oppidi cujusdam ruentibus muris consulem civitatis tribunos plebis ad consultandum de reparatione murorum in prætorium convocasse. Cum autem, ut moris est, consul vota tribunorum peteret, sententiam primus dixit fabrorum lignariorum tribunus, sibi utilius videri muros lignis & trabibus fulciri, quia breviore compendio fieret. Deinde tribunus cementariorum ait, sibi videri muros lapidibus restaurari oportere ut antea fuerint. Post quos sententiam rogatus pellipariorum tribunus, quod priores suo artificio favissent, eo ipse quoque consuluit ruinam illam pellibus & pelliciis esse farciendam, quia prope ingrueret hyems, ne frigore cementa & lapides rimas paterentur. Ita propriun commodum pervertit humanum judicium. Non enim inquisitor solus hoc modo sed & cæteri ejusdem artificii contribules qui possent inquisitionis fieri assessores & lucri participes similiter consuluerunt, & quanto magis tu de libris quæsiisti, tanto plus illi de inquirendis judæis responderunt, ut cum lupus cepisset quondam discere literas, quicquid eum præceptor de syllabarum comprehensione interrogabat, totum id semper ovem sonare respondebat. Ex quo Cæsar Auguste sagaciter odoratus es qui homines intus & in cute nosti, hoc novum & antea inauditum genus aucupii, hanc extorquendarum pecuniarum subtilem inventionem, ut mihi cum Virgilio te liceat affari, *Accipe nunc Danaum insidias & crimine ab uno, disce omnes.* Quod enim jura canonica illis non concedunt, quod leges non statuunt, id abs te suspicio est illos surrepticie voluisse impetrare, dum opus illud quod tibi assignaverunt, videlicet per intelligentes extrahere articulos erroneos, instituere contra judæos solennem inquisitionem, & facere examinationem super articulis extractis, & si defenderint articulos esse non erroneos, punire ut hæreticos, id tibi terreno & temporali domino per consilium suum destinant, affirmantes idem opus tuæ imperiali celsitudini opus dignissimum fore. Constat autem in jure quod judæi non cadunt in officium inquisitoris hæreticæ pravitatis, quia non dicuntur proprie hæretici. Excipiuntur tres casus in quibus aliquo certo modo possunt procedere contra eos, scilicet si christianus fit judæus, vel si judæus factus christianus revertitur ad judaismum, vel si judæi inducunt christianos ad judaismum. Sub quo casu secundum aliquos comprehenditur etiam, si judæus volens baptizari impediatur a judæo cum effectu, eo quod in favorem nostræ religionis volens ex proposito baptizari habetur pro baptizato, & si qui sint alii similes sub istis comprehensi. In his enim casibus nos de nostris atque propriis judicamus, & non de alienis. Cætera non sunt in inquisitoris potestate, ut cardinalis de Zabarellis, Dominicus, aliique consultissimi juris docuerunt. Qua igitur causa extra modos assignatos inquisitionem solennem abs te domino temporali & terreno contra judæorum fidem spiritualem institui desiderent, inconsulto papa cogitare nequimus, nisi hoc Satyricum. Unde habeas quærit nemo, sed oportet habere. Talem sua culpa suspicionem incurrit, qui se rei ad eum non pertinenti ingerit. Hoc est fortasse quod succensent, quod furore complentur, hæc causa irarum, quia non consului quod judæi per inquisitorem de fide inquirerentur. Si expostulo quod de libris tantum interrogatus sim non de personis, nihil facio, nulla recipitur excusatio. Res est in ortis, olle olle, blasphemavit, intervertit Capnion tam sanctum opus inquisitionis. Et si ignoravit, super ea re non petitus, tamen non satisfacit nobis, scire debuit magnam utilitatem, magnum commodum (ne dicam magnam concussionem) ex ea re obventuram. Nam hæreticorum bona sunt confiscata. Fateor, hoc nonnihil est, cæterum potest inquisitor aliquando pœnas mutare de corporali in pecuniariam, & suo inquisitionis officio applicare, hoc etiam aliquid est, hic ulcus acu tangitur, hic est iste anguis qui latet in herba. Dixi judæos esse cives romanos, occultare debui vel submissa voce dicere, non jam licebit subtili ingenio aurum abripere a barbaris, per legem imperatoris Gratiani, quia non barbaros eos sed romanos esse ostenderim, & devotos imperio. Scripsi judæos non dici proprie hæreticos, supprimere debui vel tacere, ut saltem imperatori obreperent de inquirendo, & quod non possent jure, id facerent palliata violentia. Miser ego, illorum insidias diu cogitatas certe ignorans patefeci, nescius quorsum jam multis annis tot & tam varii libelli per docticulos quosdam nomine judæi baptizati compositi tenderent, aut quid sibi vellent, quibus libellis ex Agrippina Colonia circumfertur ubique judæos non ultra esse judæos sed hæreticos & hostes nostros. Nunc quod mihi forte fortuna excidit, eos non dici proprie hæreticos, & non esse hostes, quamvis sint inimici fidei nostræ, hinc judæorum fautor dicendus sum, hinc contra christum ingenium exacui, hinc omnium hominum plebis & patriciorum secularium & clericorum odia mihi concinnare moliuntur. Rem malam feci, abstuli spem aurum sitientibus, si justus præsumptioni locus est, magna sunt & admiranda evangelii mysteria, quia fracto alabastro & effuso ungento quod potuisset venundari trecentis argenteis, Judas iscariotes vehementer & plus cæteris indignatus est. Speravit enim de eis triginta posse sibi ipsi denarios in usus proprios applicare. Quomodo autem perditione lucri infelix avarus graviter mœreret, plurimumque ingemisceret, tunc abiit, iterum dico tunc abiit, si forte ullo ingenio malo lucrum amissum posset reparare. At quando abiit? tunc abiit quando spem lucri perdidit. Abiit autem, ut quid faceret? ut proderet, ut traderet, quem? cui? istum, pharisæis, qui habet aures audiendi audiat. Cessent modo Delia, sileant Pythia, Corybantes & Curetes valeant, ab ecclesiæ oraculis vera capiamus responsa.

Judæi.

ſponſa. Dic mihi o eccleſia, quare plus aliis omnibus generalium ſtudiorum & univerſitatum doctiſſimis & graviſſimis theologis ſoli Colonienſes theologiſtæ calumniatores mei adverſus me tam temere, tam inſenſate impelluntur furiis, ira corripiuntur, flagrant amentia, bacchantur inſania, & rabie ſpumant? Et reſpondet eccleſia ſuperans excellensque veritate ipſa Delphos & Phocenſium Sabas, & Dodonam illam fatidicam, & Amphiareum & antrum Trophonii, omnesque Sibyllas, aitque in *canone Qui ſincera XLV. diſtinctione* ſuas illi magis quam dei cauſas probantur attendere. O verum oraculum & Crœſi quondam pretioſiſſimis oblationibus digniſſimum, Jamjam fundata roborata & confirmata non tantum ſuſpicio eſt, contra calumniatores meos, verum etiam vehemens præſumptio immo violenta juris & de jure, quod in hoc negotio cauſas agant ſuas non dei. Nam aliter qui fieri poſſet? ut ſoli Colonienſes calumniatores mei verbis meis inſidias ſtruerent, pedicas figerent, retia tenderent, ſoli nodum in ſcirpo quærerent, ſoli nullis adjuti ſociis famam meam ſcripto laceſſerent & vexarent, quaſi ipſis ſolis deus mandaſſet de proximo. Mandavit quidem omnibus nobis, ſed non lacerare, non interficere, ſed curare, ſi dei cauſa eſſet, haberent utique adjunctam eccleſiam, haberent ſanctiſſimos epiſcopos, qui cauſis dei præfecti & prælati ſunt, quibus ovile dei & oves chriſti commendantur, quibus ratio reddenda eſt de ovibus, unde paſtorum nomine vocantur, & baculo paſtorali pro ſceptro utuntur. Quis vobis Colonienſes theologiſtæ calumniatores mei, quis vobis ovibus immo hircis vel potius ſuibus & porcis ſuper me ovem ſceptra dedit? Quis vos conſtituit judices ſuper me & conſilia mea? qui tribus provinciis & ferme quinque epiſcopatibus a vobis ſeparatus abſum, nec eundem aërem ſpirans, nec igne vobiſcum nec aqua communicans, ſed nec loquendi conſuetudine, Chriſtus vivorum & mortuorum judex noluit inter fratres hæreditatem dividere, dicens. Quis me conſtituit judicem ſupra vos, videte & cavete ab omni avaritia, hæc in evangelio. At vero iſti mei calumniatores deſpicientes chriſti actionem, quæ in hoc noſtræ eſſe debet vitæ inſtitutio, judicare omnia tentant, ut qui non eſſent animales ſed ſpirituales, omnia judicantes, & ipſi a nemine judicandi, juxta corinthiorum epiſtolam. Tanta extat eorum ſuperbia, tantus faſtus & animi tumor, ut cum diabolo cogitent in cordibus ſuis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo, nec Aloidas nec Salmonea timentes, de genere levi homines leviſſimi, uſurpant ſibi quæ ſunt epiſcoporum propria, cognoſcere inter lepram & lepram, non ut eos decet magiſtraliter in ſcholis, ſed per modum præcepti promulgati & cujusdam deciſionis, quæ ſuo arbitratu tranſeat in rem judicatam. Arrogant ſibi jura pontificum, majoritates & jurisdictiones ſuperiorum, ſola temeritate, nullum habentes tribunal in eccleſia, & ſi haberent tamen malunt injuria quam jure agere, omnium judiciorum ordinem pervertere, æquitatem rumpere, fraternam charitatem ſcindere, & cujus ganeonem viliſſimum puderet, id minime abhorrere. Ego imperatoris juſſu conſului pro meo captu & juris profeſſione, quid ad iſtos theologiſtas? quid ad iſtos idiotas? & cementarios philoſopha-

ſtros? niſi forte ſollicitet auri ſacra fames. Quod ſi ſua intereſſet, præſcriptus eſt tamen eis modus evangelicus, quem majore ſtudio acriore diligentia & amplius atque perfectius quam alii homines imitari debuiſſent, cum dicant apud ſemetipſos, gratias agimus tibi deus, quia non ſumus ſicut cæteri hominum. Nam jejunant bis in die ſabbati, & quandoque ter cum quater liguriunt. Si inquam eſſent quod ſe fingunt, & quod gaudent videri tantum, ſi theologiam vere amarent & non falſe profiterentur, evangelii veſtigia & divinorum præceptorum calles ambularent utique, aut ſaltem ut omnem ſimulant ſanctitatem, ita hoc quoque decuiſſet oſtentare, ut verba chriſti majeſtatemque evangelicam non deprehenderentur publice contemnere ac deſpectui habere, ubi ſic præcipitur: *Si peccaverit frater tuus in te id eſt te ſciente, corripe eum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum, ſi te non audierit, adhibe tecum unum vel duos, quod ſi non audierit, die eccleſiæ.* Non jubet ante diffamare proximum, nec prius lacerare honorem ejus, ſicut iſti calumniatores fecerunt. Audi *maxime Cæſar* quique in conſilio eſtis quam luce illuſtrius appareat adverſarios meos quaſi ethnicos evangelium ſacroſanctum, quin etiam tanquam injurios formam juris contempſiſſe. Juſſiſti conſulere, obtemperavi, præcepiſti accelerare, obedivi, clauſam miſiſti quæſtionem, reſpondi literis clauſis & obſignatis. Num ſi quid peccaſſem quod humanum eſt, id inter te, archicancellariumque tuum fuiſſet ſecretum? & ut S. Hieronymus ad Pammachium ſcribit de optimo genere interpretandi, aſtipulante nonnihil S. Auguſtino in homilia de pœnitentia, ne maledictum quidem eſſet, quod laures publice neſciebant. Denique in calce libelli proteſtatus ſum pro non ſcripto habendum eſſe quicquid meorum cancellarius tuus ille archiepiſcopus & ſancta mater eccleſia non acceptaverint. Si fuiſſet irreligioſum, ſi ſcandaloſum, ſi piarum aurium offenſivum, non ideo debueram diffamari ut ethnicus, quaſi eccleſiam non voluerim audire ſuper ea re informatus, potuit in terram calcari, potuit in ignem jactari, potuit in flumina mergi, antequam trifurcifer iſte proditor Pepericornus te neſciente clauſum & obſignatum renunciaſſet, antequam vecordiſſimus nebulo publicaſſet, antequam adverſus me puerilibus allegationibus juris & theologiæ refertum & ſtipatum homo librorum imperitus & paulo ante banauſus lanio, nunc vero vel ſaccularius in piſtrino, vel ſalipenſor Colonienſis ſuum illum famoſum tractatum edidiſſet, & burſæ rectori Arnoldo inſcripſiſſet, vir infamis quod publicavit, viro infami quod non ſupreſſit, utrumque atteſtantibus chriſtianis legibus & ſanctionibus. Poſtquam autem peperiphrones ſcandalum id eſt offenſionem ibi poſuerunt ubi nulla fuit offenſio, & puſillos non ego ſed illi ipſi ſuo livore odio & invidia (præcedente nihilominus avaritia) forti ſcandalicarunt, licebat ſopire, & ad charitatem fraternam omnia redigere, aut ſi putaſſent me aſinariæ molæ reum, oportuit, juxta legem evangelicam in hoc caſu meo, nulli alteri prius dicere, quam eccleſiæ id eſt proprio prælato, ait enim chriſtus, dic eccleſiæ. „ Debueruut igitur me ſanctiſſimo „ epiſcoporum ordini denunciare, ad quos ſpectat

ex

„ex officio pastorali & statu hierarchico ut inquit „Gerson in sermone festi purificationis, errores in „fide & moribus palam erroneos & scandalosos „judicialiter condemnare. Sacra namque præcipiunt eloquia, juste quod justum est persequeris, & *Gregorius Nazianzenus in libro qui inscribitur, προδιάλεξις* sic ait, *τὸ καλὸν ὃ καλὸν ὅταν μὴ καλῶς γένηται*, id est, bonum non est bonum si non bene fiat. Coram illis ecclesiæ nostræ reverendis & deo amabilibus episcopis consilium meum una cum declaratione chalcographice publicata & edita proposuissem, & ostendissem pusillo nemini occasionem etiam minimam ullius scandali esse præstitam, & simul ablatam pravis malignandi facultatem. Cum enim præter opinionem evenisset, ut post proditionem detestabilem a crudelissimis advocatis adjuram, deinceps honore meo urgente oporteret consilium meum in aleam jacere, & vulgi auribus committere, quod tibi soli omnium sapientissimo principi cum tuo a secretis cancellario silentiariorum more fabrefactum transmiseram, recte constitui apud me illud non sine scholari disputatione atque vulgari declaratione in publicum emittere. Quo facilius sycophantias dolos & vafritias audacissimorum & calumnias æmulorum meorum vitare possem. Et ita declaravi Cæsar inclyte alemannicum consilium, alemannica in lingua, ut nullus restet sophistarum elenchus non solutus, nullum argumentum, nulla suspicio, nullus scrupus, nullum scandalum, ita quoque disputavi etiam latine ut tota mens mea clarissime vel stupidis & obtusis ingeniis pateret in solutionibus concordare cum ecclesia. Quapropter utraque hæc & latinam disputationem meam & alemannicam declarationem episcopus quisque ut pater inter filios approbasset, absque injuria, citra ignominiam, sine rixa, vel docuisset tamen quid qualiter emendandum fuerit. Unde canon Cle„mentis ita præcipit, audiri episcopum attentius „oportet, & ab ipso suscipere doctrinam fidei. „Et Julius papa sic scribit Antiochenis *ἢ ἀγνοεῖτε „ὅτι τοῦτο ἔθος ἦν πρότερον γράφεσθαι ἡμῖν καὶ „ὕστως ἔνθεν ὁρίζεσθαι τὰ δίκαια*, id est, an ignoro„ratis quod hæc consuetudo fuerit, prius scribere „nobis, & ita hinc determinari justa. Postquam itaque legerant in mea declaratione detractores mei, quod obtulerim me omnibus & singulis de stando juri & judicio. Erat utique fidei probitatis justitiæ referre ad episcopum judicem meum ordinarium, si quid alienum a vera theologia commisissem. Nisi forte mei canes obtendant & jactent ut sunt super omnes apud se glorioси, quod habeant inquisitorem hæreticæ pravitatis, quare negligendi sint ab eis episcopi. Nescio, at potest esse quod talem habeant prædicatores Coloniæ, qui hoc se officio agnominet, quem provincialis eorum illuc delegaverit revocareque possit ad libitum. Habent pariter & alia loca, generaliaque studia inquisitores suos, quod omnes fideles optare debemus pro severitate censuræ in ecclesiæ turbulentos & fidei seditiosos. Sed non dubito quin nemo sit qui per tales putet evacuatas & enervatas, vel etiam diffiniendo excluſas regulariter esse vires reverendissimorum episcoporum. Palam etiam constat, quod nullus inquisitor hæreticæ pravitatis de jure communi auctoritatem aliquam, majoritatem jurisdictionem aut cognoscendi potestatem habeat in negotio fidei catholicæ, super hæresi suspicione receptatione defensione aut fautoria, ubi & quando non est manifestum quod sit hæresis expressa & explicite condemnata. Multo minus pertinet ad inquisitorem de his quæ non sunt hæretica, sed tantum piarum aurium offensiva, seu etiam scandalosa. In illis enim diœcesanorum ordinaria est cognitio, quod non modo juris sed etiam theologiæ scribunt sentiunt & tenent doctores. De meo autem consilio nihil ultra ægre tulerunt adversarii, nisi quod (ut verbis eorum utar) inseruerim hinc inde propositiones scandalosas, male sonantes, & piarum aurium offensivas, cui addunt Colonienses in epistola collegialiter ad me data Coloniæ die secunda mensis Januarii Anno MDXII. sub decanatus eorum sigillo, quod per scripta mea effectum sit, ut me catholicum ecclesiæ verum & obedientem filium reputent & reputabunt, si quod vulgo incaute sparserim recolligere studeam, & lapides tollam, quibus alii in via dei sint offensi. Quo sermone, quibus verbis, quibus literis & sigillo suo authentico, nullam me incurrisse speciem hæresis insimulant, sed catholicum & obedientem ecclesiæ filium me reputant & reputabunt, tantummodo ut lapides tollam, quibus alii ut ajunt in via dei sunt offensi. Offendere autem in sermone non pravitatis neque criminis est, sed imperfectionis. In multis enim ut inquit Jacobus apostolus offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit hic perfectus est vir. Quod cum ita sit, necessarium videri arbitrabimur, si qui fuissent ut sunt qui pacem odiunt, & disceptationes impudenter amant, saltem ab illis ea de re ad episcopum fuisse referendum, sive nocens reus esset sive innocens. Sic beatus Marcellus tanquam fuisset in christum impius ab adversariis Julio pontifici denunciatus, & causa cognita fuit absolutus. Sic Athanasius ille sanctissimus ac si fuisset sacrilegus & homicida episcopis delatus, & per concilium Sardicense honori atque famæ restitutus fuit. Sic beatissimus Dionysius Alexandrinus Arianorum fautor insimulatus, ac Arius ignominioso nomine vocatus, episcopis primum, deinde Julio papæ, qui tum contra Sabellianos librum composuit postulatus est reus, quia in epistola quadam ad Euphranorem & Ammonium scripserat filium dei esse *κτίσμα* id est creaturam, de quo in sapientia legitur. Prior omnium creata est sapientia; & esse quoque *ποίημα* id est opus seu facturam sicut est vitis agricolæ juxta christi sermonem. Et ut Paulus loquitur. Qui fidelis est ei qui fecit illum, quibus verbis homousion negare videbatur. Sed quum in aliis epistolis se ipsum mentemque suam declarasset contra Sabellizantes hæc a se scripta fuisse, ne filium crederent esse patrem, ad quod persuadendum omnia christi citasset humana, dedisseque suæ declarationis librum, cui titulus extabat *ἐλέγχου καὶ ἀπολογίας*, nec rem ipsam asserens, nec quo. dogma defendens, sed mentem & intelligentiam a suspicione liberans, receptus est cum tanta benevolentia & fidei commendatione a patribus, quoniam fraterna charitas vigebat in theologis, ut pro eo ipse quoque Athanasius theologus contra detractores illius singulare defensionis volumen conscriberet, qui liber adhuc penes nos est & græce legitur, ubi Literæ Coloniensium. Declaratio a

idem

idem S. Athanaſius docet, ἵνα μὴ τὰς λέξεις, ἀλλὰ τὴν διάνοιαν τῦ γράφοντ@ κρίνωσι, id eſt, ut non verba ſed mentem & ſententiam ſcribentis judicent, τῦτο γὰρ καὶ ἡ ἀπολογία αὐτῦ δείκνυσι, hoc enim apologia ejus demonſtrat, per quam quid verbis ſuis enunciare voluerit, & quomodo fuerit ejus ſermo juxta ipſius præconceptam voluntatem intelligendus declaravit. *Quis enim hominum ſcit quæ ſint hominis? niſi ſpiritus hominis, qui eſt in ipſo, inquit Paulus ad Corinthios epiſtola prima.* Cum non intentio verbis ſed verba debeant intentioni deſervire. Quamvis namque proferens cenſeatur talis animi fuiſſe, qualia verba ſonant, tamen ſi ex circumſtantiis vel alias appareat contrarium, non ſtatur verbis ſed menti, ut eſt in deciſione dominorum de Rota. DCCCLXXV. In antiquis, & ſi de mente dubitatur, ſemper in omni gente & omni ætate recepta fuit dicentis declaratio, a cujus animo res dependebat, nulla impediente temporis præſcriptione. Unde Metiano auctore lex iſta promulgatur, in ambiguis orationibus maxime ſententiam ſpectandam ejus eſſe qui eas protuliſſet, præſertim in mitiorem partem, & ut res valeat, cum id verborum tenor admittat. Vis potentiſſime imperator illud experiri de antiquiſſima natione judaica. Nam primus hebræorum Abraham cujus nos eſſe filios gaudemus, ut in ſacra ſcriptura legitur, de Sara uxore ſua dixit inter ignotos & extraneos quod ſoror ejus eſſet, aitque ad eam: *In omni loco ad quem ingrediemur dices, quod frater tuus ſim.* Qua opinione ductus Abimelech rex, accepit ſibi Saram, quem deus reprehendebat graviter admonens quod haberet maritum. Reſpondit Abimelech: Nonne ipſe dixit mihi ſoror mea eſt, & ipſa ait frater meus eſt. Dixitque ad Abraham: Quæ non debuiſti facere feciſti nobis: Tunc declaravit mentem ſuam Abraham, & quid verbis ſuis ſenſiſſet oſtendit, ne mendacii reus notaretur. Confeſſus eſt enim quod uxor ſua eſſet, ſed timore mortis appellatam a ſe ſororem, ut autem poſſet ita interpretari quod verum dixiſſet, & ſcandalum vitari, hanc fecit declarationem. Erat namque Sara cujusdam Aran filia ex altera matre fratris ſui, qui gradus matrimonii nondum fuit prohibitus, intentionem igitur hanc fuiſſe ſuam indicavit, quod cum eſſet Sara patris ſui neptis, recte quoque filia illius diceretur, ut Calliſtratus juriſconſultus affirmat, tametſi ea lex ceſſet in locis ubi talis appellatio non eſt in conſuetudine. Quia vero filiam vocari liceret patris ſui, cujus & ipſe filius eſſet, ratiocinabatur, Saram nominari poſſe ſororem ſuam, quanquam uxor erat. Quis igitur ſanæ mentis potuiſſet illum poſt tam evidentem declarationem cogere ad revocationem? perinde ac eſſet mentitus, & ſcandali occaſionem præbuiſſet, cui obſtaret, quod in canone ſcribitur ſecundum *Auguſtinum xxii. q. ii.* quæritur: Ubi tam probus vir excuſatur, quia ream linguam non facit, niſi rea mens, quare ſcandalum Abimelech non vitio proferentis, ſed negligentia præſumentis accidit, qui ſi ante perſcrutatus fuiſſet mentem Abrahæ, & ſecum prius de negotio fuiſſet locutus ſicut poſtea fecit, non dubium, quin ex patriarchæ verbis non fuiſſet ſcandalizatus. Ambulemus ad novum teſtamentum. Et ſcribit *Lucas in libro ſuo ſecundo*, quod dux noſter Paulus ad Hananniam principem ſacerdotum illic omnibus notum dixerit: *Percutiet te deus paries dealbate.* Cumque ab aſtantibus reprehenderetur, quod ſummum ſacerdotem dei malediceret, declaravit mentem ſuam, quod non fuerit voluntatis ſuæ principi mala imprecari, cum ſciret ſcriptum eſſe. *Principem populi tui non maledices.* Sed quia neſciverit Hananniam eſſe principem ſacerdotum, hac declaratione ſe purgavit, ejuſcemodi multa licet reperire in biblia. Quare pergamus ad gentes, & ecce antiquiſſimus græcorum ſcriptor *Homerus*, ut a futuris maſtigiis reprehenſione vacaret, optima ratione declaravit ſe non interfuiſſe rebus geſtis quas ſcripſerat, ſed eas auditu tantum „accepiſſe, ait enim *in libro ſecundo iliados ſic*, ἡμεῖς „δὲ κλέ@ ἔιον ἀκέομεν οὐδέ τι ἴδμεν, id eſt: Nos „autem gloriam tantum audivimus neque quic„quam ſcimus. Et *Herodotus* græcus auctor muſarum volumine ſeptimo declarationem intentionis ſuæ proteſtatur, extendens eam ad omnia ſua ſcripta ſic, „Ἐγὼ δὲ ὀφείλω λέγειν τὰ λεγόμενα, „πείθεσθαι γε μὴν ὐ παντάπασιν ὀφείλω, καὶ „μοὶ τῦτο τὸ ἔπ@ ἐχέτω ἐς πάντα τὸν λόγον, „id eſt, Ego vero quæ dicuntur debeo dicere crede„re autem non omnino omnibus debeo, & iſte ſer„mo mihi obtineat in univerſum librum. Veniamus ad Romanos qui latini dicuntur, & apud Suetonium in hiſtoriis Cai cæſaris dictatoris extat, quod & Plutarchus in Catone confirmat, Decium Syllanum conſulem deſignatum non piguiſſe ſententiam ſuam quam dixerat de conjuratis & ſociis Catilinæ, quod eſſent ultimo ſupplicio afficiendi, quia mutare turpe erat, interpretatione lenire. Declaravit enim ſe per ultimum ſupplicium intellexiſſe carcerem, non autem mortem, ut quidam gravius ſentientes accipiebant, quoniam inquit carcer romano viro ultimum ſupplicium eſt, talem enim juriſconſulti mortem civilem nominant. Vides maxime Cæſar, & qui in conſilio eſtis, illuſtriſſimi proceres me rem non novam nec inauditam ſed omni fere nationi conſuetam & conſtituti loco acceptam feciſſe, ut conſilii mei declarationem ignorantibus quidem lucem malignantibus autem ſcutum prætenderem, cum nihil meorum contra veritatem & eccleſiam ſit, ſi recte beneque fuerit intellectum, ac non hoſtiliter perverſum. Atque alii plane intervallo aliquo, at ego confeſtim moxque ut ſarcinulas componere licuit, abſque ſollicitatore ſine quovis petente aut poſtulante. Sumque non ſolum conſuetudinem ac mores populorum ſecutus, verum etiam jura & conſtitutiones communes licet non conſiderando particularia ſtatuta facultatis theologicæ ſi quæ ſunt quæ & me non ligant & ignorare impune valeo. Hæc autem eſt juriſperitorum ſententia communis in non limitatis ab eccleſia, quod non ſolum in foro animæ ſed & in quaſi foro animæ credendum ſit declaranti ſe & voluntatem ſuam confitenti. Dicitur autem quaſi forus animæ, quando quis non accuſatur, nec inquiritur nec denunciatur, ſed ſponte ac ultroneo nulla extrinſecus ratione cogente, pro ſalute animæ ſuæ ac aliorum, declarat mentem ſuam & voluntatem. Unde legislator *Ulpianus in libro digeſtorum de judiciis ſic ait: Si quis intentione ambigua vel oratione uſus ſit, id quod utilius ei eſt ac-*

cipiendum est. Neque hoc de me ipso solum aut quolibet loquente statuitur, verum & de omnibus verba alterius & sermonem interpretantibus. Est enim universalis jureconsultorum theoria hæc: Quando actus potest dici vel geri eo modo, quo dicens vel gerens incidat in delictum vel pœnam, & eo modo, quo non incidat, semper debet interpretari eo modo, ut non incidat in pœnam vel delictum. Quare sine acerbitate acceptanda est dicentis declaratio, maxime in consiliis principum aut sociorum, ubi totum quod dicitur & totum quod declaratur, in arbitrium collocatur alienum, ut cum olim Agamemnon in exercitu destructis & perditis munitionibus græcorum daret consilium, ne a troianis caperentur, quod naves a litore in altum noctu deducerent, quoniam esset fuga captivitate utilior. Eamque sententiam effœminati cujusdam timoris nutricem contumeliosis etiam argumentis coram electissimis græcorum ducibus impugnaret Ulysses legitur ita se Agamemnon declarasse. Non esse neque fuisse mentem aut voluntatem suam ut græci huic suo consilio parerent inviti, sed ea in medium conferre voluisse, ut postquam juvenes & senes suam quisque sententiam dixisset, id obtineret quod una concluderent. Id ita legimus in iliados volumine quarto decimo. Sic de meo consilio arbitrandum est, quod de crimandis judæorum libris tuæ majestati proposueram, reservans in fine conclusionem ejus archicancellario tuo & ecclesiæ catholicæ, cum solenni protestatione, nihil me velle scripsisse nisi quod ab illustrissimo Archiepiscopo & sancta christi ecclesia esset receptum & approbatum. Quæ consilii mei extrema verba plane indicant ac luce clarius ostendunt id quod scripsi, non fuisse a me tanquam fides orthodoxa creditum, affirmatum & assertum, sed in modum opinionis cum patientia oppositi probabiliter expositum, cujus conclusionem in alterius contulerim voluntatem. Ita in consessu principis universa omnium consiliariorum virorum consilia & quæcunque consulendo apud semetipsos concludunt, intelliguntur & intelligi debent non aliter quam argumenta probabilia. Quia omnium illorum vota semper referuntur & referenda sunt in principis acceptationem, determinationem, approbationem, arbitrium atque nutum. Ita *Iliados viii.* Nestor prudentissimus de cujus ore dulcior melle fluebat oratio ad regem loquitur hæc verba:

Ἀτρέϊδη κύδιστε ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων
Ἐν σοὶ μὲν λήξω, σέο δ' ἄρξομαι, ἔνεκα πολλῶν
Λαῶν ἐσσὶ ἄναξ, καί τοι ζεὺς ἐγγυάλιξε
Σκῆπτρον τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσι βουλεύῃθα,
Τῷ σὲ χρὴ περὶ μὲν φάσθαι ἔπεσσιν ἢ δ' ἐπακοῦσαι
Κρῆηναί δὲ καὶ ἄλλῳ ἑτάν τινα θυμὸς ἀνώγῃ
Ἔμπεδα εἰς ἀγαθὸν, σέο δ' ἔξεται ὅττι κεν ἄρχῃ.

„ id est: Atrida gloriose rex virorum Agamemnon, „ in te quidem desinam, teque incipiam. Pro„ pterea quod multorum populorum es rex, & tibi „ Juppiter præbuit sceptrum atque justitias ut ipsis „ consulas. Ideo te oportet quidem fari sermo„ nem atque audire, auscultare autem alteri, „ quando aliquem animus impellit dicere ad bo„ num tui autem habebitur quicquid obtinuerit. Ex quo heroico divini Homeri dogmate consuevimus dicere, quotquot in consiliis regum aut principum sedemus, conceptas nobis opiniones nos velle deprimere, nihilominus quid optimum sit principi reservantes. Omnis enim consilii conclusio principis est, non consulum, ait ergo. Tuum erit quod obtinet, nam tale consilium appellant nostri Camerarium, in quo solum dolus manifestus, sed neque culpa nec imperitia venit redarguenda, at secus in consilio judiciario, ubi non tantum dolus sed etiam culpa, vel imperitia condemnatur. Permultum igitur refert officium consulendi assumas in judicio, an dignitatem in principis confessu, quod jurisconsulti memori mente post Joannem Andreæ in additione speculi de requisitione consilii notaverunt, quoniam omnes silentiariorum conclusiones non sunt nisi sententiæ opinabiles, quarum assertio in principis confertur assensum. Illud imitatus ego pariter ab initio consilii mei in lingua germanica sic scripsi: „Quamvis ego me tantæ caulæ quæ utilitatem ec„clesiæ & imperatoriæ majestatis honorem concer„nit imparem agnoscam & judicem, tamen propter „debitam obedientiam magis elegi apud univer„sos insipiens quam inobediens existimari. Ideo „velim minutam & exilem illam intelligentiam „meam ad quæstionem propositam in scriptis dare, Conclusi autem teutonice sic: *Illustrissime princeps, volo hæc scripta & opiniones meas vestræ clementiæ tanquam archiepiscopo meo subjecisse, & aliter nihil scripsisse, quam quod per vestram clementiam & sanctam christianam ecclesiam fuerit admissum sive receptum.* Disputata vero mox subsequentia incepi his verbis: *pauca subternotabo argumenta, quæ possent scholastice in contrarium objici, cum eorum brevissimis solutionibus, ex quibus constabit fidem ecclesiæ pariter esse fidem meam.* „In cujus fine sic posui: Hæc ego Joannes „Reuchlin Phorcensis LL. doctor & sueviæ trium„ vir, pro evidentiori declaratione mentis meæ „scripsi, quæ sanctæ ecclesiæ & ejus præsuli sum„mo universisque quorum interest offero, pie le„genda & corrigenda, paratus stare sententiæ cu„juslibet melius sentientis. Et in fine declara„tionis meæ vulgaris in vernacula nostra lingua „sic scripsi, quod eandem declarationem ideo „sponte libere atque libenter publicaverim, ut „possit cognosci propositi mei & voluntatis sem„per fuisse & esse in consilio meo & alias ubique, „non aliter credere quam sicut credit ecclesia „christiana. Propterea ego præfatus Joannes „Reuchlin LL. imperialium doctor trado & subji„cio hæc mea scripta sanctissimo patri domino „papæ & omnibus ejus negotii potestatem haben„tibus, paterne & cum fraterna charitate legenda, „corrigenda & melioranda, quia paratus sum a quo„libet qui melius intelligit erudiri & corrigi, ad „quod me obtulisse hic volo, die xxii. Martii „anno M. D. XII. Ejuscemodi verba mea omnia & singula tunc promulgata quid aliud indicant quam nihil me asseruisse temere nihil tenuisse nihil asserere nihil tenere nisi quod tenet ecclesia. Nemo autem ad hodiernum etiam diem immo nemo usque in hanc horam fide dignus venit, qui ostenderet, quod ego assertive scripsi me credere & tenere, illius contrarium credere ecclesiam, si scripta mea non pervertantur. Quinimmo indagine multa & acri diligentia feci apud eminentissime doctos in theologia & philosophia, supra

modum

modum probos viros, non illius dico non illius Colonienſis factionis, ſed apud probos, ſingularem pro ſerenanda conſcientia inquiſitionem, ne in ullo vincibili errore detinerer. Quis ergo ſine verecundia? quis abque rubore? quis citra mendacium dicere aut ſcribere poteſt? quod ego præter chriſtianæ pietatis religioſam impiæ gentis judaicæ feralem ſectam, fidem, magiſtros & libros commendare viſus ſim, a quo tantum ego ipſe abſum, quantum calumniator leviſſimus a probitate. Nunquam enim turpe laudavi, nunquam honeſtum vituperavi, non perſonarum acceptor fui, ſed legis æſtimator, nemini blanditus ſum, ſed quæ vera eſſe probabiliter opinor deprompſi. At ſit ne verum an falſum quod opinatus ſum, & adhuc ſine pertinacia opinor, illud ad epiſcoporum & eccleſiæ retuli examen & arbitrium. Cum igitur in cauſa nondum ab eccleſia determinata de libris judæorum comburendis ſcripſi, quæ ſenſi ſub correctione eccleſiæ, credens eam contrarium non credere, ſine culpabili negligentia, venatus latentem veritatem argumentis quibuslibet citra præjudicium melius ſentientis, paratus corrigere omne illud cujus contrarium mihi oſtenditur, eccleſiam catholicam credere diligenter etiam quærenti, quod tamen nemo adhuc mihi veraciter oſtendit, certum eſt quod a culpa vaco, quod nullum crimen admiſi, quinimmo non peccavi, & nunc ne pecco quidem, puerilibus ſophiſmatibus iſtorum Colonienſium calumniatorum meorum & argumentis anilibus ſuper falſo & injuria fundatis, ac multo ante tempore in meis declarationibus chalcographice publicatis, per me ſolutis & reſolutis minime credens. Non enim ſunt vere theologi quibus ſit credendum, non tanto & tam pretioſo theologiæ nomine digni, qui non theologos ſed viliſſimos ſcurras, turpiſſimos blaſterones, infames ſcenicosque detractores imitantur, impingentes crimen non peccanti, & concionibus ſeditioſe concitatis, innocenti mihi qui eos qualibet data opera nusquam & nunquam lædere voluiſſem, vel verbo vel opere, ſtudent famam denigrare, conflare invidiam, ſibi ipſis per hoc imperitorum hominum rumuſculos aucupari. Si eſſent vere theologi aut veri theologi decebat eos contra meas poſitiones, ſi quas aſſertive dixiſſem ac tenuiſſem, vel de cathedra vel in pulvere magiſtraliter arguere, pugnare rationibus, non contumeliis, certare ſententiis pro conſuetudine honeſta omnium aliarum univerſitatum, atque moribus laude dignis galliæ, italiæ & germanorum, & tuliſſem utique patienter, quotidie enim oriuntur opiniones doctorum contrariæ, & partes faciunt in ſcholis, ac citra injuriam & præter ſchiſma fraternitatis, quia quisque proprio ingenio confiſus, ratione ſua debellatur alterius rationem. Sed nemo bonus, nemo probus, nemo vita & hoc cœli aëre dignus quem ſpirat, nemo inter homines tolerandus, ad illud levitatis & nequitiæ devenit, ut propterea integræ famæ virum criminetur conviciis, opprobiis contaminet, judicet ſine judicio, condemnet ſine jurisdictione, & proſcribat ſine auctoritate. Sicut iſti mei non aſeres, qui clamantes non nocent, ſed canes qui clamantes mordent iſti cerberi, iſtæ furiæ infernales Colonienſes theologiſtæ obtrectatores mei patrarunt, qui nihil de ſuo ingenio in me protulerunt niſi atroces injurias. Quod ut cognoſcas *Max. æmiliane imperator feliciſſime*, omnium primum quando conſilium meum in publicum edere oportuit, ſimul una edidi quoque ego ipſe & non alius contra me ipſum diverſi generis argumenta perquam plurima & varia enthymemata, ut prima ſpecie adverſari ſcriptis meis viſa, ut fieri ſolet, quibus breviſſimas adjunxi ſolutiones, ſperans doctis iisdemque probis tanquam intelligentibus & bonæ voluntatis hominibus ſatisfacere, ne quis putaret ab eccleſia me voluiſſe vel in uno atomo deviare. Eisdem Cæſar optime ſolis meis argumentis a me diſputandi & puſillos a ſcandalo præſervandi gratia productis & non aliis licet quandoque alteratis iſti Colonienſes detractores mei in hoc ſuo contra me libello famoſo utuntur, nihil de ſuis ſcientiarum promptuariis afferentes, præter ſolam linguacitatem, per quam ex concordantiis majoribus bibliæ nec non puerilibus bacchantum reportatis ſuas nugas ampliaverunt, & pinxerunt ſinopide anilium contentionum, manifeſte bona retorquentes in malum, & omnia in pejus interpretantes, ut ille qui cum triginta dierum eſſent cum hoſte pactæ induciæ, noctu populabatur agros, quod dierum eſſent pactæ non noctium induciæ. Hanc & ſimilem expoſitionem gentilis ille infidelis Cicero in officiis maxime deteſtatur, quanto magis nos chriſtiani abominabimur immo abhorrebimus tale genus nocentiſſimi vaframenti, tanquam humanitati contrarium. Cætera quæ opponunt mea ſunt ſpicula, & meæ pharetræ tela, prius a me retuſa & obtuſa ante diſſoluta & præfracta omnia. Quo patet quam miſerrimi ingenii ſint adverſarii mei Colonienſes, qui nullis a ſe inveniendis ſed tantum a me inventis mea oppugnant, & his ſolum quæ multo prius oſtendi ad evertendam intentionem conſilii mei eſſe imbecilla & invalida. Nullum enim argumentum eſt illorum quod a me non fuerit ante repulſum atque ſolutum, quia ego ipſe illorum adducendo auctor ſum, & mei detractores a me illa ſibi mendicando uſurparunt. Neque eſt ullum ſophiſma quod non poſſit, ſi quid ſibi hodierna die contra me finxerint, per diſputationis meæ ſolutiones & per vulgarem meam declarationem repelli atque reſolvi. Vellem Cæſar experimentum ſumeres, ſed tanta tua majeſtas & amplitudo animi longe majoribus reipubl. chriſtianæ opportunitatibus reſervata, juſte harum infantium neniarum tædio afficitur. Quare obſecro ex tuis alicui demandes audiendum tam ſcholare negotium, cui primo conſilium meum proponatur. Secundo mea diſputatio interpretetur. Tertio vulgaris mea declaratio legatur. Quo inclyte Cæſar & quotquot eſtis auditores alii pernoſcatis tam lucide cuncta, tam clare omnia, tam extricate ſingula conſilii mei verba & ſententias in diſputatis meis latinis & in vulgari declaratione alemannica longe prius & ante multo quam Colonienſes profeſſores vel perfoſſores potius hoc ſcelus nefarium calumniandi adverſus me inſtituiſſent, memetipſum ultroneo delectu tota cum animi mei libertate ac mea ſponte in omnium hominum oculos & aures protuliſſe, atque tali moderamine tanta æquabilitate immo tanta rectitudine declaraſſe ſingulariter ſingula, ut a ſcriptis meis nemo bonus, pius, fidelis poſſet ſcandali-

dalizari quantumcunque simplex. Fateor autem quod avaritia excæcati livore odio & superbia permoti, homines inhumani & impii facile quocunque etiam optimo scandalizentur, sicut & scandalizabantur ex denario conducti. Et multi adhuc scandalizantur ex novissimo, qui una hora laboravit, & tantum recepit quantum primi qui portaverunt pondus diei & æstus, quia ipsi mali sunt, quorum oculus nequam est, quoniam ego bonus sum. Ex quorum corde malo visus extra mittendo cum Platone, non intus suscipiendo cum Aristotele generatur. Sicut ictericis in more est, omnia quæ vident crocea putant, etiam si albissima sint, qui eis color non ab objecto externo, sed a morbi vitio interno concipitur. Sic posset aliquid meorum forte offensivum videri non piarum aurium, sed surdorum auri cupidorum aut aliter hominum impiissimorum, quod & christo contigit, ut docente eo conterranei & compopulares in patria dicerent. Unde huic hæc omnia, & scandalizabantur in eo, ut est in Matthæi & Marci evangelio. Si doctrina magistri mei christi scandalizavit impios, quid non mihi discipulo illius evangelico metuendum fuit a Colonienſibus istis? quorum nemo pius, immo nemo vir bonus auctore Luciano dici potest qui calumniam infert. Unde perspicis facile Cæsar illos ad deferendum me non esse motos (ut falsè jactant) zelo fidei, quæ declarationibus meis salva integra & incontaminata est & fuit. Denique quotocuique non suspecta, quin adhuc pio & paterno judicio pontificum subjecta, sed magis æmulatione perfidiæ ac opprimendi mei desiderio & nocendi voluntate, quod nisi esset, certe petitionem & oblationem illam meam juri rationi & æquitati naturali consonam per literas meas super exhortatione illorum coram eis a me factam non respuissent. At quid prohibet, quin profero nostri amborum utrinque scripta, quibus intueri licebit, quid illi a me petierint, quid ego illis receperim. Nam In epistola Colonienſium collegialiter ad me data secunda mensis Januarii Anno M D X I I. sub decanatus eorum sigillo post declarationes meas simul cum consilio editas, tum primum cœperunt ad me scribere his verbis. „ Verum quia te scripsisti non meminisse ubinam „ speciatim scandali occasionem præstitisses, aut „ scripturas exposuisses aliter quam patiatur intel„ lectus ecclesiæ, iccirco literis his nostris illo„ rum indicem implicatum transmittimus, in quo „ adnotatæ habentur propositiones & allegationes „ sparsim per te ex scriptura sacra & ex utroque ju„ re impertinenter allatæ, super quibus ut nobis vi„ sum est in defensione tua latine edita ac consul„ tationi juncta non satis pro fidei tuæ sinceritate te „ expurgasti. Quare petimus ut per tua scripta „ mentem tuam latius develando nos informes, aut „ exemplo humilis & sapientis Augustini palino„ diam cantando retractes. Audis Cæsar eos tantummodo indicem quarundam propositionum, quas non ingenio proprio sed ex meis disputatis quæ cum meis argumentis & solutionibus præ oculis & manibus habebant excerpserunt, nihilque præterea vel parum aliud mihi ut scribunt petenti misisse. Ad quæ per alternam epistolam datam ex Stutgardia VI. Kalend. Februarias anno eodem in-

Literæ Colonienſium.

„ ter cætera respondi sic: Latere non pot- Literæ
„ est sed se ipsam plane ostendit ingens Joannis
„ virtus humilitatis vestræ, qui ut unani- Reuchlin.
„ mes idem ipsum sentiamus nihil per contentio„ nem neque per inanem gloriam, in vera quidem
„ humilitate a me poscitis ulteriorem informatio„ nem. Ego vero agnoscens ingenii mei tenuita„ tem quod sentio quod sit exiguum, explicare theo„ logicas subtilitates mihi tanquam laico & quidem
„ digamo temere non arrogavero, cui explicatio„ nes fidei & singulares ejus decisiones recte licebit
„ sine culpa ignorare. Defero autem omnem hu„ jusmodi honorem excellentissimæ facultati ve„ stræ, paratus nunc & semper ubicunque errave„ rim benigne potius corrigi in misericordia a ju„ sto, quam ut caput meum impinguet oleum pec„ catoris. Quod ex eo maxime patere potest, quia
„ cum jam ex libello Joannis Pfefferkorn intellexe„ ram quosdam pusillos forsan & minus perfectos
„ scandalum potuisse pati, occasione consilii mei
„ antea per renunciatores publicati, tamen mox
„ ipse ego a nemine adhortatus coactus aut requi„ situs mentem meam declaravi latine. Para„ tus tunc easdem declarationes in lingua verna„ cula & vulgari edere, nisi brevitate temporis &
„ impressoris impedimento fuissem retardatus, ad
„ quod etiam hodie paratus existo. Inde sperans
„ probabiliter quod per eas erigerentur si qui forte
„ cecidissent, nec de cætero casum paterentur qui
„ starent. Quia vero uberiorem declarationem
„ desideratis, facile intelligo me propositi mei fi„ nem non esse consecutum. Ut igitur & petitio„ ni vestræ pro mea virili satisfaciam, & circuitus
„ vitentur inanes, & itineris longi varia caveantur
„ discrimina, simulque inutiles expensæ ac super„ vacui labores hinc & inde tollantur, vestrum o„ mni laude dignissimum & ornatissimum colle„ gium oro atque obsecro & ab universis vobis
„ quam humillime ita peto, ut majore cura, majore
„ studio nullo modo possim, ut vos ipsi ad me dare,
„ quas desideratis sive novas seu veterum extensi„ vas declarationes (dum quid cui satis sit nescio)
„ easdemque cum proprio nuncio etiam meis ex„ pensis mihi transmittere pro fraterna charitate
„ dignemini, ut illis visis sollicite cogitemus in al„ terutrum servare unitatem spiritus in vinculo pa„ cis, ut idem sapiamus & in eadem permaneamus
„ regula, ad reædificationem offensorum, & famæ
„ meæ permanentiam, & devotionis vestræ præco„ nium. Hæc sunt quæ collegio professorum theologiæ Colonienſium ad eorum epistolam rescripsi in forma. Ex quibus amborum literis optime cæsar jam factus es certior, adversarios meos (quos esse putavi viros probos honestos & omni laude dignissimos sed me plurimum fefellit opinio, fallaxque rumor existimationem de illis meam & multorum aliorum decepit) longe post mentis meæ declarationem simul cum consilio publicatam, nihil ad me nisi quasdam, quas appellant propositiones, tametsi crebro ab eisdem falsatas, tamen & pro pessimis excerptas, inermes, nudas & nullis argumentis, nulla ipsorum oppositione impugnatas, absque paternis præceptionibus obiter misisse, quas volebant nominari lapides de via tollendos, non ostendentes ut debuissent qua ratione illæ propositiones offenderent, aut qua turpitudine occasionem præ-

starent

ſtarent ruinæ, aut ſi quod ſcandalum, ut ajebant, vel ex meis ſcriptis vel aliorum vel ſua proditione fuiſſet ortum, qua ſaltem doctrina ſana, qua ſcribendi aut dicendi figura, qua verborum forma tales lapides tollerentur, & in ſumma quid explicite credendum eſſet, quid non credendum. Non ſatis erat dicere hoc eſt ſcandaloſum, & hoc eſt aurium piarum offenſivum, ergo tolle, auſer, dele, revoca. Quod enim ut inquit S. Auguſtinus neque contra fidem catholicam, neque contra bonos mores eſſe convincitur, indifferenter eſt habendum. Ubi notandum eſt hoc verbum convincitur, quod Auguſtinus non fruſtra poſuit. Debebant itaque propoſitiones per eos quomodocunque excerptas ſaltem inter nos prius fraterne convincere ore vel ſcripto, quod contrarium determinaſſet vel conſuevilſet eccleſia, vel quod ſanctarum ſcripturarum auctoritas contradiceret, vel quod ſacrorum conciliorum ſtatuta repugnarent, tunc enim ſine ulla dubitatione ut idem ſcribit Auguſtinus quæ ſcripta fuiſſent exiſtimarentur reſecanda. Quod autem cum non fecerint, nonne clarius ſole vides cæſar? quod contra evangelicam dilectionem iſti ſacerdotes & devotionarii optaverint & voluerint ruinam meam potius quam ſtabilitatem, & perniciem plus quam ſalutem, & ignominiam magis quam nomen bonum, immo turpiſſimum interitum pro vita laudabili. Ad illud autem quid denique potuit a me fieri commodius ad humanitatem, ad pietatem, ad fidem, quid ad vota obtemperantius? quid ad correctionem humilius? ſi quid corrigendum fuiſſet, quam ab adverſariis petere, ut ipſimet ipſi mihi formam præſcriberent, per quam ſicut deſiderabant vel latiore informatione vel Auguſtinana palinodia ſibi ſatisfieri potuiſſet. Quod utique inhumanum erat & theologos & ſacerdotes negare laico, qui explicare ſubtilitates theologicas non tenetur. Sane turpe negare fuit, quod ultro mihi offerre decebat, quod alia generalia ſtudia & univerſitates, quod ſacro ſancta concilia nulli unquam etiam in hæreſim lapſo denegaſſe inveniuntur, a quo ego tamen vitio dei gratia ſemper fui & ſum eroque in perpetuum alienus. Abſit enim a me toto vitæ meæ tempore quicquam ſive magnum ſeu minutum, vel ne atomo quidem par credere, niſi & quod & qualiter ſancta mater credit eccleſia. Concilium autem generale tertium quod ſub Cæleſtino papa & Theodoſio imperatore celebratum eſt lapſo in perfidiam Neſtorio, prius determinationem centum & quinquaginta patrum ſimul & typum & formam erroris ſui abnegandi per Cyrillum Alexandriæ archiepiſcopum honeſtiſſimo cum literarum moderamine præſcriptam miſerunt. „ Cujus epiſtolæ ſalutatio hæc „ fuit: *τῷ ἐυλαβεςάτῳ καὶ θεοφιλεςάτῳ συλλειτέρ-*
„ *γῳ Νεςορίῳ Κύριλλος, καὶ ἡ συνελθοῦσα σύνο-*
„ *δος ἐν ἀλεξανδρείᾳ ἐκ τῆς αἰγυπτιακῆς διοική-*
„ *σεως ἐν κυρίῳ χαίρειν*, id eſt, Reverendiſſimo & „ deo amabiliſſimo comminiſtro Neſtorio Cyril- „ lus & conveniens concilium in Alexandria ex Æ- „ gyptiaca diœceſi in domino ſaluere. Et in ejus „ narratione ſic, *ὑπετάξαμεν δὲ τούτοις ἡμῶν τοῖς*
„ *γράμμασιν, ἃ τε δεῖ φρονεῖν καὶ διδάσκειν. καὶ ὧν*
„ *ἀπεχέσθαι πρόσηκεν*, id eſt, Subjunximus autem „ his noſtris ſcriptis, quæ oportet ſapere & docere, & „ quibus abſtinere convenit. Circa finem tum etiam „ ſic ſcriptum fuit, *ἃ δ' ἐςὶν ἀναγκαῖα ἀναθεματίσαι*
„ *τὴν σὴν εὐλάβειαν, ὑπολέταχται τῇ δὲ ἡμῶν ἐπιςολῇ*,
„ id eſt, quæ autem ſunt neceſſaria execrare tuam „ reverentiam ſubjuncta ſunt huic noſtræ epiſtolæ. Hæc eſt Cæſar vera forma etiam perfidis & nocentibus qualis ego non ſum neque fui unquam ſcribendi docendi & monendi cum fraterna charitate, abſque diminutione honoris, priusquam ut ethnicus quispiam & publicanus habeatur. Hic enim doctiſſimi & ſanctiſſimi patres determinant ante quid ſit ſentiendum & qualiter cum jugi & non intermiſſa præfatione honoris. Deinde quid ſit rejiciendum, & interea eum nihilominus appellant theophileſtaton id eſt deo amabiliſſimum, cui & ſalvere dicunt, quod mihi Colonienſes theologiſtæ nullis meis demeritis præcedentibus ex ſingulari ſuperbia ſua & odio non dixerunt neque ſcripſerunt, ſed magis poſt injurioſas ſuas literas humilitati meæ convicia miſerunt. Qua in re compaſſione quadam miſerendum eſſe tam antiquæ ſcholæ facultatis theologicæ Colonienſium, quæ forte ut annoſis accidit ſenio deſipere incipit delirare ac dementare. Prius ſolebant theologi opiniones & propoſitiones rationabiliter & ſcholaſtice impugnare. Nunc iſti Colonienſes poſtquam deficiunt in cerebro & minuuntur ingenio & ſurdeſcunt auribus & eluſcantur oculis, incipiunt mulierculorum more conviciis diſputare, atque minorum infamium & ſcenicorum inſtar actus hominum mordere, non ponderantes quid ſit ſcriptum, ſed quid ſcriptor, non quid opus ſed auctor, non quid conſilium ſed conſul, & deſertis literis literatorem perſequuntur, quia facilius eſt detrahere honori, quam honorifice diſputare, iſtud veræ ſcientiæ, illud temeritatis & ignorantiæ ſignum. Tota igitur metamorphoſeos immutatio Coloniæ facta eſt. Ex Mida aſininæ aures, ex ſcylla canes, ex lycaone lupus, ex arachne aranea venenoſa, ex acheloo anguis, ex ephyre ſerpens, & cætera id genus plurima portenta & monſtra, ut qui habiti ſunt antea theologi, nunc merito & potius demerito theologiſtæ immo theoſophiſtæ & diabologi appellentur, a diabolo, quod vocabulum græcum latine detractorem & criminatorem ſignificat, & quæ prius eorum facultas dicta eſt, nunc recte nominetur facilitas, immo levitas. Conſtat enim notorie illos eſſe de facilitate diabologica, quibus non ſatis erat dixiſſe hanc & hanc aut quamlibet propoſitionem eſſe falſam vel erroneam vel non admittendam, vel quod horribilius eſt ſcandaloſam vel piarum aurium offenſivam, quod olim temerariis ſcriptis & aperte deviis veri theologi conſueverunt etiam cum quadam decora modeſtia magiſtraliter opponere. Sed vero ut ardentius in perſonam meam inveherentur per Arnoldum ut ipſe affirmat eorum mandatarium & collegam, addiderunt cum ementita calumnia turpiſſimi nebulones hæc etiam „ quæ ſequuntur convicia, quod ego ipſe Convicia.
„ libelli auctor præter chriſtianæ pietatis „ religioſam modeſtiam impiæ hujus gentis feralem ſectam fidem magiſtros & libros commendare viſus ſim. Quod thalmud ac alia judæorum improba & infamia commenta judæis falvare voluerim, quod judæos adulatorie decepe- „ rim, quod ego ſcriptor velamine judæorum facies

„cies obvelaverim, quod judæos defenderim, quod „usuras eorum coner utcunque excusare, quod „minus reverenter de scriptoribus catholicis sen„serim, quod fidei reverentiæ non satisfecerim, „quod pia corda christi fidelium vulneraverim ego „& tergiversator & excusator & auctor timidulus „& inconstans. Si argumentum ad formam redi„gam, quod hæresim concludam, quod dicta mea „hæresim sapere videntur, quod quasi cæcutiens in „tenebris nesciam ubi sim, quod faciam calu„mniam ecclesiæ, quod argumentatione turbatus „non satis perspexerim quid solvendo dixerim, „quod Paulum falso testem induxerim, quod injuriam apostolo fecerim dum falso eum dixisse „quod non dixit affirmaverim, quod parum ma„gnifice senserim de ecclesia catholica, quod con„tra doctrinam christi & apostolorum dicere præ„sumpserim, quod contra christum & fidem scri„bentes in jure testes citaverim, quod in christi in„juriam ego nimis licenter ingenium exacuerim. Hæc mendacia manifestaria pravo animo & meditata fraude in me finxerunt. O lex remia, o legis minister imperator, est hoccine officium theologorum? estne decus sacerdotum? estne ordo religiosorum? estne omnino christiani adversus christianum? Quis unquam a scurra in curiis, a mimo in scenis, a lixa in castris, a meritorio in bajis, a furcifero in scortis, a flagrione in flagris audivit similia objectari turpissimo alicui & damnoso viro? qualia isti professores objectant innocenti & eis ignoto mihi, qui eorum neminem a die qua natus sum usque ad hanc suam calumniam ullo facto vel verbo ex proposito læserim. Qui in omnium oculis mecum conversantium non modo ab opere malo verum etiam a conscientiæ suspicione absum, tanta protectus vitæ integritate ut non vereat si oporteret cum laudatissimis ætatis nostræ sine invidia de virtute certare, testimonio clarissimorum & doctissimorum virorum. Ut autem hanc probitatis meæ famam labore vigiliis & multo studio partam ad illos peregre allatam, in publico exinanirent & fœdarent, qui fœdant omnia hypocritæ, potius elegerunt sibi nullo cum rubore mentiri, & sic omnibus odiosum me facere quam vera dicere, quo me omnes amarent. Vehemens enim suspicio est inclyte Cæsar eos plurimum sperare communi omnium odio & populari condemnatione tandem etiam majestati me tuæ contemptui fore, *juxta legem Cæsiam* & ita in mei contemptum te illis concessurum fuisse, quod jus publicum & ecclesiasticum eis hactenus non concessit, ut inquisitione sua illa solenni quam cupere videntur aurum a judæis emungerent. Orandus igitur o Cæsar & implorandus mihi es, ut istis hominum pestibus & avaritiæ barathris permittas saltem aut certe mandes, comminatione incendii judæos concutere, ut eas imperii tui oves glubant non tondant. Sumant, auferant, habeant sibi aurum judaicum, & ego pacem habebo, sollicitabunt enim me crebro, quia sollicitat eos quotidie improba sperati lucri cupiditas. Ergo gentem externam & peregrinam judæorum, quam ante christi nativitatem magnus Pompejus in deditionem romano imperio recepit, quam ut S. Hieronymus in epistola ad Galatas scribit Cajus cæsar & Octavianus Augustus ille unde tibi nomen tam late coruscans & tam splendidum propagatur. Et Tiberius Augusti successor legibus statuerunt in toto imperii romani orbe posse ritu proprio vivere, & patriis ceremoniis deservire, quam Antoninus ut illi, & Gratianus, Valentinianus, Theodosius imperatores ut nos ipsi legimus civitate donarunt, quam Honorius imperator in tutelam defensionem & securitatem imperii romani suscepit. Tu cæsar, tu solus & omnium in catalogo romanorum imperatorum primus, truculentis istorum manibus inquirendam de fide, quam tamen nationem constat fidem nostram nunquam tenuisse nec aliquando assumpsisse, atque per hoc concutiendam & spoliandam tradas, obsecro & obtestor, ut sentiant videlicet mea intercessione quem tanti æstimant, coram te meaque præsenti supplicatione impetratum sibi esse quod saccos & marsupia sua judaico auro compleant, a quo tamen Pompejum illum ethnicum & gentilem victis Hierosolymis prudenter abstinuisse *Tullius in oratione pro L. Flacco* dixit. Quod certe si precibus meis inclinatus feceris, honorem famæ meæ ut illi putant ablatum libenter restituent, quia tunc propositiones meæ bene sonabunt in auribus suis, sin vero non feceris & quam diu non feceris, crede mihi tam diu clamitant & clamabunt, quod de judaico sim favore suspectus, & quod propositiones meæ offendentes aures eorum male sonent, & quod non reverenter senserim de scriptoribus ecclesiasticis id est de Colonienſibus theologistis. Et quod parum magnifice senserim de ecclesia id est de istis magistris nostris diabologis, qui glorioſi etiam acephali se ostentant repræsentare ecclesiam. Idque ubilibet locorum de me divulgabunt, sicut & hactenus divulgaverunt, omnibus contemptis legibus & canonibus, insidiantes honori meo & integræ famæ, optimo cuique & omnibus ingenue literatis celebratæ, quam labefactare, subruere, opprimere, vincere isti præsumpserunt & intendunt, quemadmodum in evangelio Lucæ scriptum est, quod observantes miserunt insidiatores, qui se justos simularent, ut caperent eum in sermone & traderent illum principatui & potestati præsidis. Cum autem, ut ait Salomon, *melius sit nomen bonum quam divitiæ multæ*, unde præcepit *Ecclesiasticus* ita dicens: Curam habe de bono nomine, iccirco ædificavi turrim fortissimam nomini meo quod est pretiosum in libris sacris. Significat enim Johanan gratificatum, quod latina inflexione Johannes pronunciamus. Id isti magistri cupiunt facere omnibus ingratum, sed ipsum nec aër nec ignis nec poterit ferrum nec edax abolere vetustas, quod vallo munivi contra misanthroporum & Timonum id est illorum in natura humana monstrorum subversiones & nocumenta invidiæ, quibus *pallor in ore sedet, macies in corpore toto, nusquam recta acies, livent rubigine dentes, pectora felle virent, lingua est suffusa veneno, ut Naso poeta inquit.* Age itaque Cæsar qui non modo eorum hominum qui nunc sunt gloriam sed etiam antiquitatis memoriam, virtute, auctoritate, felicitate, quodque potissimum in rem nostram est, scientia disciplinæ militaris superas & excellis. Vide oro quibus conatibus, quibus modis, qua industria, quo consilio animo quo dolo adversus me bellum instituunt, du-

cem

cem ſibi elegerunt exercitus Arnoldum de Tungari non tungarenſem, ſed ut ipſe ait de Tungari, ut præſcriptum a patria ob crimen, magis aptum mendaciis & ad temeritatem idoneum, quem ſecularem ſacerdotem appellant, ne ſi quis monachus aut frater eſſet, hoc ſcelere maculam toti ordini ſuo inureret. Hic ſe conſitente coactus a profeſſoribus iſtis Colonienſibus talem mandatarius ſuſcepit provinciam, ſcilicet calumniandi, incertum tamen qua vi aut violentia eum coëgerint ſocii ſui. Quo autem feciali uſus ſit ad bellum indicendum judæo baptizato præcurſore, aliquanto ſuperius oſtenditur, cui reſpondi priore libello ut decuerat, monſtrans digito in me ficta ejusdem triginta quatuor lucida mendacia. Reverſo autem ad ſe iſto feciali ſuo, rem omnem collegis proponit, & quod refutavi conſilium meum illorum ſubmittere facultati ut petebant, & quod etiam veritatem bene intellectam nunquam revocare propoſui ut volebant, igneſcunt iræ, & duris dolor oſſibus ardet. Tum electus ille dux famoſiſſimus principio ſociis edicit, ſigna ſequantur, atque animos aptent armis, pugnæque parent ſe, ipſe medius incedit ſignifer, in cujus vexillo ſtygia depingitur a lecto concitis alis, dextra levaque ſtipatur eviratus & effœminatus campi ductor ſceleroſiſſimis commilitonibus altero ſemijudæo & altero ſemipagano, ut ducis gravitas ex militum levitate cognoſcatur. Nam ſemijudæus ille Pepericornus antea expoſitum eſt qua ſimultate, qua ſeditione, qua proditione, qua infami calumnia ſit notatus. Conſideranda non minus jam venit ſemipagani conditio, cui nomen Ortwinus, nomen barbarum, quod ipſum hominem barbarum eſſe deſignat, ſi nomina ſint conſona rebus. Quod & verum eſſe crimen ſuum (non ut ipſe inſcripſit carmen) oſtendit. Nam qui glorioſior impendio gloriatur ſe oratoriam poëticamque docere, vix literas balbutire novit analphabetus, usque adeo furiis plenus, ut furiarum nomina recte nequeat effutire. Poſuit enim, impia theſiphone &c. per th & e, cum per t exile & i ſcribendum ſit, ad hunc modum τισιφόνη tiſiphone. Et baratrum per t exile, cum per th ſcribi debeat ſic βάραθρον barathrum. Ecquis unquam latinorum dixit antaritiem? quis oratoream? Hæc atque itein alia iſtiusmodi profeſſionis ſuæ rudimenta mercenarius corrector impreſſorum diſcat velim, nec me nec alios boni nominis viros ſuis infantiſſimis verſibus ne dicam carminibus tam facile carpat in poſterum nequiſſimus & perditiſſimus nebulo, valeat cavillator & ridicularius homo, valeat inquam in pejorem partem, & ſi non reſipuerit, cum Dathan & Abirom (quos terra vivos abſorbuit) accipiat portionem. Unum ſibi annuſus ille gloriæ ducit quod verſifex eſt, unde buccinator legioni præficitur, aptus ut putant ære ciere viros martemque accendere cantu. Omitto in præſentia reliquos duos æneatores cum ſua cujusque taratantara, ſi forte aliquando cum Steſichoro convertantur, audientes divinam vocem. Non dimittuntur peccata niſi reſtituantur ablata, putavi enim illos multorum relatione ſingulares mihi amicos, quos amor litetarum junxiſſet. Quid igitur tuba canat iſte bonarum artium perverſor, dicere volui profeſſor Ortwinus Colonienſis verſifex,

Contra Ortwinum.

metrifex, immo fex omnis ſceleris & perfidiæ, audiamus modo ſi pietas & pudor chriſtianarum aurium permittat, ac non potius quisque chriſti fidelis ſi eſt ullus in viſceribus ardor fidei, aut ſi ut debet ulla reſidet in corde vera dilectio dei horreat audiendo. Nam proclamat ore ſpurco & blaſphemo quin etiam impreſſum chalcographice publicavit in ipſo libro hujus mandatarii theologiſticæ facilitatis ſocii ſui de beatiſſima & immaculatiſſima virgine Maria, quod ſit alma parens Jovis. Quæ nova hæreſis antea neque in orbis terrarum latiſſimo ſpatio, nec apud ſuperos, nec apud inferos audita eſt a mundi exordio. Tali ſocietate gaudet Arnoldus profeſſor Colonienſis, ut habeat vel in hoc adverſum me crudeli bello, in hoc conventiculari exercitu fidelem legionarium, cujus poſſit conſilio & auxilio uti, qui ſit identidem ſui ſimilis profeſſor Colonienſis, ſicut ſplendidus ille titulus in libello ſuo contra me famoſo depictus commonſtrat. O quam reverendi profeſſores, ſed & o quam inſignis inilitia ne dicam malitia, proditor, calumniator, hæreſiarcha, tria hæc. Non erat usque huc ſatis iſtos theologiſtas contra plures celeberrimas univerſitates beatiſſimæ virgini Mariæ hunc honorem non concedere, quod immaculata ſine peccato originali ſit concepta, quin & auſu temerario addatur ei altera quoque macula ſub titulo & nomine Arnoldi de Tungari theologiæ profeſſoris Colonienſis. Certe futura ſuper illos dei vindicta, ut dum argumentationibus tortuoſis plus quam ſcripturarum veritate præter jus & fas nomen meum infamare conantur, furia, odio livore ira excæcati, neque ſalutis ſuæ memores, neque divini honoris cultores, non dubitent apertam hæreſin & inexcuſabilem promulgare. Eſt enim ſine controverſia hæreſis expreſſa & condemnata ſimulque in nullam bonam partem interpretanda dicere aut ſcribere ſanctiſſimam virginem Mariam peperiſſe Jovem, quem omnis chriſtiana religio dæmonem & dæmonium eſſe confitetur, prope quotidie nobis fidelibus in eccleſia proponens ſacræ ſcripturæ ſententiam, quoniam omnes dii gentium dæmonia. Quod *S. Cyrillus ille Alexandrinus in li. ii. contra Julianum apoſtatam confirmat his verbis* „ἴσμεν δὲ „πρὸς τούτῳ καὶ ἀνενδοιάστως πεπιστεύκαμεν, ὅτι „πάντες οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν δαιμόνια, id eſt: Sci„mus autem adhuc & indubitate credidimus, quod „omnes dii gentium dæmonia ſint, de quibus S. „Cyprianus in libro quod idola dii non ſint ait: „Hos & poëtæ dæmonas norunt, & j. nec aliud „his ſtudium eſt quam a deo homines avocare, & „ad ſuperſtitionem ſui ab intellectu veræ religio„nis avertere, & cum ſint ipſi pœnales, quærere „ſibi ad pœnam comites, quos ad crimen ſuum „fecerunt errore participes. Hi tamen adjurati „per deum verum, nobis ſtatim cedunt & faten„tur, & de obſeſſis corporibus exire coguntur, hæc Cyprianus martyr. Unde verum eſſe credimus quod a S. Bernardo in monte Jovis factum legitur, qui Jovem chriſtiano exorciſmo adjurans coëgit, ut quisnam eſſet palam omnibus exponeret. Reſpondit Juppiter veritate victus, ſe diabolum eſſe. Iccirco ut ſcribit doctiſſimus *Origenes in lib. V. contra Celſum*. „Malumus omnes pœ-

Hæreſis de Jove.

„nas subire, quam deum esse Jovem fateri, non „enim eundem & Jovem esse & sabaoth dici„mus, nec prorsus Jovem quicquam habere divi„nitatis, sed dæmonem quendam in malam ejus „crucem sic appellatum, nec mortalibus ipsis nec „deo vero acceptum. Hæc Origenes, quem suscipit ecclesia catholica in his, quæ beatus Hieronymus non repudiat. Ille autem non tantum hunc locum non repudiat, verum etiam confirmat, cum in epistolam ad Titum sic ait. Itaque & Callimachus & Epimenides non ideo vere dixerunt Jovem deum esse, quia Cretenses fallaces sunt. Et ad Paulinum quoque scribit ab Adriani temporibus usque ad imperium Constantini per annos circiter centum octoginta in loco resurrectionis, simulacrum Jovis in crucis rupe loca sancta polluisse. Et Chrysostomus *in homilia iii. super epistolam ad Titum.* „Unde igitur probamus „*inquit* deum non esse Jovem, ad id quidem & „aliis plurimis ex locis probare perfacile est, hæc ibi. Et iterum *S. martyr Cyprianus ad Donatum ita scribit:* „Jovem illum suum non magis „regno quam vitiis principem in terrenos amores „cum ipsis fulminibus suis ardentem nunc in „plumas oloris flavescere, nunc aureo imbre de„fluere, nunc in puerorum pubescentium raptus „ministris avibus prosilire, quære jam nunc an pos„sit esse qui spectat integer vel pudicus. Cæterum *Lactantius libro primo divinarum institutionum* declamando ut omnia solet ornate plurimum. Quomodo inquit potest deus videri ut ait poeta hominum rerumque repertor, ante cujus ortum infinita hominum millia fuerunt, eorum scilicet qui Saturno regnante vixerunt, ac priores luce quam Jupiter sunt potiti, Jovem autem illum esse qui sit ex Ope Saturnoque natus negari non potest. Pergit ultra Lactantius. Ergo non imperitus modo sed & impius est, qui nomine Jovis virtutem summæ potestatis imminuit. Qui natus in Ida & in Creta mortuus est, cujus Cretenses sepulchrum ostendunt auctore Callimacho Cyrenæo hemistichion hoc ab Epimenide mutuato

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι καὶ γὰρ τάφον ὦ ἄνα σεῖο,
Κρῆτες ἐτεκτήναντο. - - -

„id est, Cretenses semper mendaces, etenim sepul„chrum o rex tuum Cretenses fabrefecerunt. Ecce inortuum, qui tam impure vixit in terra, ut anima ejus non cœlo digna sed tartaro sit obligata. Unde Jovis anima vere dicta est dæmon etiam secundum gentiles philosophos. Sic enim *Porphyrius in libro de abstinentia animalium secundo scribit:* „ὅσαι δὲ ψυχαὶ, τῷ συνεχῶς πνεύματι ἐ κρατῶσιν, ἀλλ' ὡς τὸ πολὺ καὶ κρατῶνται, δι' αὐτὸ τῶτο ἄγονταί τε καὶ φέρονται λίαν, ὅταν αἱ τῷ πνεύματι ὀργαί τε καὶ ἐπιθυμίαι τὴν ὁρμὴν λάβωσιν, αὗται δ' αἱ ψυχαὶ δαίμονες μὲν καὶ αὗται κακοεργοὶ δ' ἂν εἰκότως λέγοιντο, id est, quæcunque autem animæ conjuncto spiritui non imperant, sed ut in plurimum occumbunt, propter hoc ducuntur & feruntur nimis, quando ipsæ spiritus iræ & concupiscentiæ impetum arripuerint, eædemque animæ dæmones quidem ac ipsæ maligni seu malefici utique convenienter dicantur. At de anima Jovis quod talis fuerit, quando is Jupiter adhuc inter homines mortalis conversabatur, audiamus sanctum *Athanasium in libro contra græcos ita græce scribentem,* „εἰ γάρ τις λάβοι τὰς „πράξεις, ἐυρήσει μὴ μόνον ἐκ εἶναι αὐτὸς θεὸς, „ἀλλὰ καὶ τῶν ἀνθρώπων αἰσχίστους γεγονότας. „ἔστιν γὰρ ὅσον ἐξὸν ἰδεῖν τὸς παρὰ ποιηταῖς τῷ διὸς „ἔρωτας καὶ τὰς ἀσελγείας. ὅσον ἐξὸν αὐτῶν ἀκοῦσαι, „ἁρπάζοντα μὲν τὸν γανυμήδην καὶ τὰς κλοπι„μαίους ἐργαζόμενον μοιχείας, & cætera quorum me pudet, post varia deinde concludit, „ἆρ' ἔστιν „ἄξιον τῦτον ὑπονοεῖν θεὸν τοσαῦτα δράσαντα καὶ „διαβληθέντα ἃ μηδὲ οἱ κοινοὶ ῥωμαίων νόμοι καὶ „τὸς ἁπλῶς ἀνθρώπους ἐπιτρέπουσι ποιεῖν, id est, „Si enim quis sumat actiones inveniet non solum „non esse ipsos deos, sed etiam hominum turpissi„mos. Sicut enim sicut est videre illos apud poë„tas Jovis amores & lascivias, sicut est eos audire „rapientem quidem Gannymedem & furtiva fa„cientem adulteria & cætera. Est ne igitur di„gnum eum suspicari deum tanta patrantem & „committentem crimina? quæ ne communes qui„dem romanorum leges etiam simpliciter homines „concedunt facere. Multa brevitatis causa omitto, nefanda Jovis opera, quæ idem ibi Athanasius copiose recitat, omnibus bene literatis nota. Scripsit etiam ad græcos sanctus Justinus martyr volumen elegans in quo postea quam longo tractu recensuisset nefaria Jovis facinora, quæ, ne tædium pariam relinquo, tandem subjunxit, „ἀνάγνωτε „τῷ Διὶ ἄνδρες ἕλληνες τὸν κατὰ πατρολώων νό„μον, καὶ τὸ μοιχείας πρόστιμον, καὶ τὴν παιδε„ραστείας αἰσχρότητα, id est, legite Jovi viri græci il„lam contra parricidas legem, & adulterii supplicium sive pœnam & Sodomitarum turpitudinem. Est in eadem sententia vir per omnia incomparabilis splendidissimum lumen scientiæ *Gregorius ille Nazianzenus in lib. ij. invectivarum adversus Julianum apostatam,* qui inter cætera sic ait: „Πάλιν „τὰ πάντα γίνεται δι' ἀστέλγειαν καὶ ἀκαθαρσίαν „ὁ ζεὺς, ὁ τῶν θεῶν μήτωρ καὶ ὕπατος & reliqua, id est, Iterum omnia fit per lasciviam & impuritatem Jupiter ille deorum consiliator & supremus. Hoc plane intelligimus, quoniam legimus illum incubonem ut mos dæmonum est in omnes se species transmutasse magicaque arte puellas delusisse. Quod si christianis nobis ille semipaganus Ortwinus credere nolit, quippe infidelium plus studiosus, tamen credat suis vere paganis & gentilibus, quorum dogmata solummodo bonas artes appellat. Scripsit enim Lucianus Samosatensis sub Hadriano imperatore nullis initiatus fidei catholicæ sacramentis, apud quem Jupiter Cupidinem alloquitur sic, „Σκόπει ὦ καλάραλε, „εἰ μικρὰ, ὃς ἐμοὶ μὲν ὅτως ἐντρυφᾶς ὥστε μηδὲν „ἐξὸν ὃ μὴ πεπόικάς με σάτυρον, ταῦρον, χρυ„σὸν, κύκνον, ἀετὸν, ἐμοῦ δὲ ὅλως ἀδεμίαν, ἤντινα „ἐραθῆναι πεπόικας ἀδὲ συνῆκαί πώς γυναικί διὰ „σὲ γεγενημένῳ, ἀλλά με δεῖ μαγγανεύειν ἐπ' „αὐτὰς καὶ κρύπτειν ἐμαυτόν, id est, Considera o „maledicte an parva (scilicet injuria me afficeris) „qui mihi quidem ita illudis, ut nihil sit, quod non „feceris me, satyrum, taurum, aurum, cygnum, „aquilam. Mearum autem omnino nullam quam „certe amatam esse fecisti ne cognovi quidem de„siderabilis mulieri per te factus. Sed me opor„tet magicari contra eas & occultare me ipsum. Unde ortum est hoc distichon:

Ζεὺς.

Ζεὺς, κύκνος, ταῦρος, σάτυρος, χρυσὸς δὶ ἔρωτα,
λήδης, εὐρώπης, ἀντιόπης δανάης.

Latine ſic:

Juppiter & cygnus, taurus, ſatyrus fit, & aurum,
Ob Ledam, Europen, Antiopam, Danaen.

Quid nunc egemus teſtibus? ſe ipſum Juppiter incubum larvalem confitetur eſſe turpiſſimum dæmonium, cujus avus paternus dæmon fuit. Quem Orpheus antiquiſſimus in hymnis deorum πρωτογενέτορα δαίμονα, id eſt, Saturni genitorem dæmonem vocat. Nam occultare omnino non poterat antiquitas veritatem, propter ejus inſuperabilem ſplendorem, cujus vi & poteſtate ad id devenere veteres etiam idololatræ, ut Jovem non tantum appellarent dæmonem, verum etiam dæmoniorum omnium peſſimum. Scribit enim *Homerus* poëtarum princeps in tertio iliados ſub Menelai perſona ſic dicens:

Ζεῦ πάτερ ἴστις σεῖο θεῶν ὀλοώτερος ἄλλος.

„id eſt, Jupiter pater nullus te deorum malignior alius, ſcilicet eſt. Et idem ipſe Juppiter ſororem ſuam germanam Junonem qua etiam pro uxore abuſus eſt, dæmoniam appellat iliados quarto. Quæ Jovi reſpondet, genus inde mihi eſt unde tibi, & me ſeniorem genuit Saturnus. Ecce totam cognationem diabolicam, qua ille blaſphemus noſter hæreſiarcha qui ſe gloriatur profeſſorem Colonienſem eſſe chriſti genealogiam fœdare ac maculare propoſuit, omnibus & noſtris & infidelibus, qui foris ſunt in peſſimum exemplum. Jam vero Cæſar vide hominis audaciam, cui non ſatis viſum eſt male ſapere de ſanctiſſima virgine, ſed & palam male dicere, & peſſime ſcribere, easdem blaſphemias in omnes nationes & gentes per mille volumina diſpergere ſibi placuit, & poſteritati monumenta ſceleris & impietatis ſuæ nunquam intermoritura relinquere. Annon eſt hoc violare catholicam religionem? polluere univerſalem ſanctorum fidem? calamo ſacrilego eccleſiæ devota obſequia tollere? apoſtolos deceptionis arguere? & prophetas mendacii accuſare? Iſaias enim de noſtra domina Maria cæli regina prophetavit, quod alma virgo conceptura eſſet & paritura filium, cujus nomen vocaretur nobiſcum deus, qui parvulus natus eſt nobis & filius datus eſt nobis, & vocatur nomen ejus inter cætera ſecundum Jonathæ chaldaicam translationem Meſiha id eſt, chriſtus pacis. At tu homo minimæ probitatis & maximæ nequitiæ profeſſor Ortwine (incipiam enim jam tecum loqui, quoniam tu quoque me allocutus es in carminibus ſed magis criminibus tuis) de oris tui teterrimum odorem exhalantis, quem non beſtiæ quidem ferre poſſent ſpurcitia & ebrietate audes evomere Jovem eſſe filium Mariæ, qui non modo non eſt princeps pacis ſed perfidus & perjurus fractor pacis. Ita in Homero legitur ut ex tuis ego id eſt gentilium ſcripturis, quas etſi profiteris tamen non intelligis te aratorem non oratorem facilius convincam. Præcepit namque Juppiter Palladi quarto iliados hoc modo:

αἶψα μάλ' ἐς στρατὸν ἐλθὲ μετὰ τρωὰς καὶ ἀχαιούς
πειρᾶν δ' ὥσκεν τρῶες ὑπερκύδαντας ἀχαιοὺς
ἄρξωσι πρότεροι ὑπὲρ ὅρκια δηλήσασθαι.

„id eſt, Cito valde ad exercitum vade ad trojanos & achivos, tentare ut trojani ſuper glorioſos achivos incipiant primi juramenta frangere. Nam ut ibi conſtat ſuper duello Paridis & Menelai futuro pacem utrinque juraverant exercitus, quæ fœdera Jove auctore fracta fuere. Igitur longe alius eſt & non parum multa huic impar Mariæ filius, qui dixit *apud Lucam: Pax vobis ego ſum, & apud Marcum: Pacem habete inter vos.* De quo ſcribit *apoſtolus ad epheſios. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum*, non eſt ergo Jeſus Jupiter. Abſit hæc commutatio, Jupiter eſt Cæli nepos, ſi idololatris credimus, Jeſus autem creator cœli & terræ, iſte verus deus, ille vero dæmon. Nec poteſt aliquam ingenium humanum excogitare comparationem aut propoëtionem inter utrosque ſimilem neque rei ſignificatæ, neque vocis ſignificantis, ut ſi quis vellet poeticum aliquod ſchema fingere, quo alterum pro altero figurate ſumi liceret. Hoc pro reverentia religionis chriſtianæ eſt in prælenti negotio impoſſibile. Quod evidenter *apoſtolus Paulus* nos docuit *in epiſtola ſecunda ad Corinthios* ubi ait! „Τίς δὲ κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος τίς δὲ συμ„φώνησις χριστῷ πρὸς βελίαρ id eſt, quæ com„munitio luci ad tenebras, quæ coæquivocatio „chriſto ad Belial. Quare fides catholica non patitur ut pro Jove Jeſus intelligatur, neque pro deo dæmon. Semper enim dæmon ab orthodoxis pro maligno accipitur, non ab intelligentia vel ſcientia, juxta morem infidelium derivato vocabulo, quod δαήμων daëmon doctus & intelligens interpretatur, ſed ab αἷμων æmon quod eſt cruentus præponendo p literam fit dæmon, ſicut a daſcalus fit didaſcalus. Et hæc eſt vera grammatica ſanctorum omnium etiam literatiſſimorum. Unde Severus Sulpitius de obitu ſancti Martini quem græci θαυματεργὸν id eſt miraculorum operatorem dixerunt epiſcopii Turonenſis, quæ civitas olim Conſtantina denominata eſt. Sic ſcribit: hæc locutus diabolum videt prope ſe aſſiſtere. Quid hic, inquit, adſtas cruenta beſtia, nihil in me funeſte reperies. Recte tum eam beſtiam ſcilicet dæmonem cruentam appellavit S. Martinus, hoc eſt æmonem, quia æma id eſt ſanguinem ſanctorum fundere deſiderat, ὑπὸ τῶν τῦ διαβόλυ ὑπασπιστῶν per diaboli ſatellites, ut ſuper apocalypſin ſcribit S. Hippolytus papa in tertia phiala. Quos ego haud ab re nomino diabolos incarnatos, id eſt falſos acculatores fratrum ſuorum. Quo nam itaque pacto chriſtus nobis permitteret ſe dæmonem vocare? qui præcepit diſcipulis ſuis dicens: *Dæmones ejicite.* Multo minus Jovis patietur nomen, quod neque apoſtoli ferre poterant, quum Lyſtrica turba lycaoniæ Paulum appellarent Mercurium, & Barnabam Jovem, propterea quod ſanabant homines a languoribus, ut in actibus apoſtolorum legitur, tunc enim ſciſſis veſtimentis exilierunt in turbas clamantes & dicentes Viri quid hæc facitis? & nos ὁμοιοπαθεῖς id eſt ſimiles paſſione ſumus homines evangelizantes vobis ab his vanis converti ad deum vivum, qui fecit cœlum & terram. Per hanc ſacræ ſcripturæ auctoritatem tibi fucoſe gloſſandi poteſtas ablata eſt. Si forte dicere velles, quoniam Juppiter dicatur quaſi juvans pater, quod

de deo possit intelligi, at etiam de asino intelligitur, quem fortasse pro deo adoras versifex, immo versutifex. Generat enim asinus asinum, ergo pater est asinus, & idem jumentum dicitur, quia juvat hominem, quare asinus tuus quem nunquam derelinques Juppiter est, quasi juvans pater. Quod si grammaticæ artis peritus esles, obtinerem apud te facile, quod concederes auctore PriscIano & Celsellio vindice de proprietate sermonis latini Jovem non habere Jupiter in nominativo. Ubi ergo erit tuus juvans pater? qui Jovem dixisti, non autem Juppitrem. Sed noluerunt apostoli etiam sanantes & juvantes nominari Joves. Non est enim inquit Lactantius proprium divinitatis juvare, sed salvare. Tuus autem Jupiter non modo non salvat, verum etiam æternæ damnationis ruinam & occasionem præstat, quod tota christi confitetur ecclesia, quam integritate fidei & sana doctrina illustres nostri sequuntur poetæ. Jam non te connumero Orte vino vel zytho potius, cum tu neque poëta sis, neque sanæ fidei aut doctrinæ possessor. Sed nostros volo tibi absimiles, non a recta fide alienos. Sequuntur inquam illustres nostri poëtæ sanctam ecclesiam, adversus Jovem tuum *Aurelius Prudentius Clemens in libro contra Symmachum primo cum ait:*

Heu male de populo meriti, male patribus ipsis
Blanditi quos præcipites in tartara mergi
Cum Jove siverunt multa & cum plebe deorum.

Et infra,

Nempe charon jugulis miserorum se duce dignas.
Accipit inferias placatus crimine sacro.
Hæ sunt delitiæ Jovis infernalis, in istis.
Arbiter obscuro placidus requiescit averno.

Et Arator,

Discite jam verum sacra de virgine natum,
In terris celebrare deum nec vota feratis,
Lanigero damnosa gregi quos liberat agnus
Unicus ablutum qui sanguine comparat orbem.

Et Sedulius,

Heu miseri! qui fana colunt, qui corde siniſtro.
Religiosa sibi sculpunt simulacra suumque
Factorem fugiunt ea quæ fecere verentur.

Possem græcos poëtas christianæ religionis lucernas in medium afferre. Joannem Damascenum, Cosman Hierosolymitanum, Nonnum, & Gregorium Nazianzenum, cui viro non solum dulcedine carminis cedit Homerus, sed etiam veritatis splendore. Audi sed asinus ad lyram ex innumerabilibus ejus vel hoc carmen de libro suo ad Nemesium:

Λάτριες εἰδώλων κενεόφρονες οἳ παθέεσσιν
Ἄλκαρ ἑοῖ μήσασθε θεὸς πήσασθαι ἀλιτρὸς
Ψεύσας ἀνδροφόνους σκολιὸς ἐπίκηρον ὀμόντας
Ἁρπαγας ἀνδρογύνους, μοιχοὺς ἐπιβήτορας ἀνδρῶν

Ἀδρὴ δὴ πρήτισεν ὃς ἔπλετο μαργοσύνησι
Ταῦρ, κύκν, χρυσὸς, ὄφις πόσις, ἄρκ, ἅπαντα

Ὅσσά μιν ὠκὺς ἄγαγεν ἔρως κύρ τ' ἀλαπαδνὸς,

„ id est: Cultores simulacrorum insani qui affecti„ bus auxilium propriis, consuluistis deos statuere „ peccatores, mendaces, homicidas, perversos, per„ jurium jurantes, raptores, fœminiviros, adulteros „ ascensores virorum, vide autem quot fuit stultitiis „ taurus, olor, aurum, serpens maritus, ursus. Omnia „ quæcunque ipsi volucris jussit amor puerque im„ becillis, hæc de Jove Nazianzenus. Non possum venustatem loquendi suam assequi transferendo præsertim verbum e verbo. Est quæ omnium nemo, qui verborum suorum conjunctionisque laudem nervos ac vires orationis forma colore luminibusque distincte, nedum hic sed in omni ejus opificio queat satis explicare, tam tersus, teres, tener tam aptus & concinnus est. Non minoris præconii pariter latini orthodoxæ nostræ fidei poëtæ sunt, etiam ætate nostra scribentes. Quid ille nobilis & generosus romani imperii comes Joannes Franciscus Mirandulanus? nonne simul ubique & jucunda & idonea dicere verba solet? maxime autem in hymnis ostendit quam sincerus sit, de quo experire si latinum sermonem intelligas, num Jovem tuum in cælum, & cum dei genitrice supra decem choros angelorum tuo more collocaverit, ait autem: Ca„ pitoli sede vetusta, Jupiter excedens turba comi„ tante deorum, horrendas petiit luce impellente „ tenebras, reservo nostrates & patrios miro decore scribendi præditos, ad meorum temporum historias quæ in procinctu sunt, quos aliæ præstantissimæ studiorum universitates in germania non sinerent usquam nisi a tanta sacrorum injuria manus abstinuissent, quia in uno ore se cum laudibus Jovis, christi laudes non capiunt. Ita determinat expressis verbis sancta catholica ecclesia in *decretis* „ *LXXXVI. dist.* Tu vero ineptissime conviciator po„ pinarum gurges, & contemptor ecclesiæ, non te „ putabis esse disertum, nisi a vera religione discedas, & tuos joves tanquam ethnicus cum injuria „ beatissimæ virginis Mariæ magnifacias, utrumque „ mentitus, & quod alma Jovis sit parens, & quod „ fleat, utrumque contra fidem catholicam. Cujus incontaminatæ fidei confessor & illustris ille doctor *S Hieronymus* de assumptione virginis Mariæ *sic loquitur.* „ Hodie gloriosa semper virgo Ma„ ria cœlos ascendit, rogo gaudete, quia ut ita fa„ tear ineffabiliter sublimata cum christo regnat in „ æternum, & infra. Hæc est dies præclara, in qua „ meruit exaltari super choros angelorum, & per„ venire ultra quam nostræ humilitatis est natura, „ & infra. Submittitur sanctorum claritas ut ejus „ amplius splendor & gloria commendetur, quæ su„ per angelorum choros elevata jam beata prædi„ catur, etiam beatissima. Et in sermone altero „ de ejusdem virginis assumptione sic ait: Tu con„ cinentibus sine fine angelis conjuncta, archange„ lisque sociata, indefessa clamitare voce sanctus, „ sanctus, sanctus non desinis. Est ergo sublimata in æternum, est & super choros angelorum, est & beatissima, est & semper canens, ut S. Dionysius vocat de cœlesti hierarchia Τὴν πολυύμνητον ἐκεί„ νην καὶ σεβασμιωτάτην θεολογίαν ἅγιος, ἅγιος „ ἅγιος, id est, Laudatissimam illam & pientissi„ mam theologiam sanctus, sanctus, sanctus. Non igitur flet cum Jove apud inferos, ubi est fletus & stridor dentium, quia regnat cum christo exaltata supra cœlos, ubi perpetuum est gaudium sanctorum. Non flet sublimata in æternum, ubi etiam secundum paganos tuos sunt entia impassibilia optimam vitam ducentia. Non flet supra choros angelorum in tabernaculo dei ἐν ᾧ ἁπλότης εἰρηναίας καὶ ἀσφαλείας, ut *scribit Chrysostomus in primo de angelis panegyrico*, „ id est, in quo simplicitas „ vitæ pacata est & immota. Ergo aut apud infe-

ros

tos eſt ſi fleat, & beata non eſt, aut non flet, ſi apud ſuperos beatiſſima eſt. Ecce amice, noli gloriari hoc nomine, ſic enim chriſtus Judam alloquitur: Vide inquam amice, ad quid veniſti, in quod barathrum cecidiſti, dum me oculo invidiæ aſpicis, neſcius quid ante pedes offenderis. Perfidior namque videris Mahometo & omnibus thurcis, quorum liber legis id eſt alcoran Mariam confitetur verbum dei peperiſſe, Sultanus enim & thurcus & arabes in Alcoran legunt juxta quosdam quibus Azoara ſecunda in duas partes dividitur capite ſexto. In meo autem codice ubi non dividitur capite quinto legunt ſic angelos eſſe ad Mariam loquutos: O Maria omnibus viris & mulieribus ſplendidior & mundior atque lotior, ſoli deo perſeveranter ſtudens, & infra: O Maria, tibi ſum nuncius gaudium cum verbo dei, cujus nomen eſt chriſtus filius Mariæ, qui eſt facies omnium gentium in ſeculo hoc & futuro conveniens, præſens, ſapiens, vir optimus, ab nniverſitatis creatore mittitur. Ecce thurcus, ſultanus, maurus, arabs hoſtes chriſtianorum confitentur chriſtum Mariæ filium, qui eſt facies omnium gentium, a creatore univerſitatis in Mariam miſſum. Tu Jovem qui eſt turpitudo omnium diabolorum, a creatore univerſitatis miſſum in ignem æternum ſibi & angelis ejus paratum, hujus almæ parentis audes dicere filium. Alcoran aſſerit Mariæ gaudium ab univerſitatis creatore per angelos & divinos nuntios mitti. Tu Mariam flere decantas ſacrilege dæmonoticta. Eccleſia legit virginem Mariam indeſinenter canere. Tu longe miſeriorem illam te mortali verme doces eſſe, quam ipſe canendo ſcribis flere. O ſcelus o ſcelerate, tu ne canas & illa fleat? At juſte quidem fleret, ſi ut tu ais ipſa Jovis parens eſſet, tunc enim mater dei non eſſet, conſule verbero in gemonias ſcalas conjiciende ſocium criminis & fautorem tuum Arnoldum, quia ſophiſta eſt, an poſſis te aliquo ſyllogiſmo in baroco vel baralipton ab expreſſa hæreſi explicare. Si enim unus & idem juxta te eſt Jeſus & Juppiter, non jam deus, ſed quod abſit dæmon eſt. Incidiſti ergo in hæreſin Neſtorianorum, qui non confitebantur beatiſſimam virginem Mariam eſſe theotocon, id eſt, dei parentem. Quæ ſacrilega hæreſis (ita namque eam nominat imperator Theodoſius) in generali concilio Epheſi civitatis græcorum nomine totius eccleſiæ damnata eſt inter XII. anathematiſmos in æternum promulgatos, anathemate primo his verbis, „ἔιτις „ὐχ ὁμολογεῖ Θεὸν εἶναι κατὰ ἀλήθειαν τὸν ἐμμα„νηλ καὶ διὰ τοῦτο Θεοτόκον τὴν ἁγίαν παρθένον ἀνά„θεμα ἔστω, i. e. Si quis non confitetur deum eſſe le„cundum veritatem ipſum Emanuel, & propter hoc „theotocon, id eſt, dei parentem ſanctam virginem „anathema ſit. Sin autem non ſentis unum & idem eſſe Jeſum & Jovem, ut diſtet alter ab altero, ſic duo erunt Mariæ filii. Tuque nihilominus in hæreſin damnatam incidiſti Heluidiorum, quos ita nominat S. Auguſtinus de hæreſibus, qui Mariam dixerunt habuiſſe plures filios & chriſtum plures fratres carnales, inter quos ipſe fuerit primogenitus. Quapropter eos hæreticos appellavit Epiphanius Antimaritas quaſi adverſarios Mariæ virginis, contra quos S. Hieronymus ſingulare volumen edidit. Igitur quaqua verſum te vertis verſibus tuis, aperte pates univerſis, quod in uno hemiſtichio tot aſſeruiſti hæreſes, quot ſunt verba. Nec enim alia quædam alma ſingetur a te ullo exquiſito mendacio, quam illa ipſa alma tantum, quam tu & in cœlum & apud ſuperos, & ſuper decimum chorum inter chriſtum & angelos, illis tuis famoſis verſibus cum titulo prænotato caſuque ſummario collocaſti. Ea eſt alma virgo Maria, quæ unica & ſola intemerata mater & virgo ad throni celſitudinem in regni ſolio ſublimata poſt chriſtum glorioſa reſedit. „De qua (ut ait in ſermo„ne ad Paulum & Euſtochium S. Hieronymus) ſic „ubique confidenter ſancta dei canit eccleſia, quod „de nullo aliorum ſanctorum fas eſt credere, hæc ille. Quare de ſola Iſaiæ alma hoc tam nefarium blaphemiæ ſacrilegium in honorem deorum gentilium ſenſiſti, intellexiſti, voluiſti & dixiſti. Flet Jovis alma parens, tu perfide idololatra, veritatis apoſtata, ſchiſmatis & hæreſeos novæ inventor. Unde in te ipſum & in tuum corpus juſte verſiculum illum proprium & tuum retorquebo ſic.

Dignus es & flammis dignus obire nece.

Atque ut cum Ovidio dicam quod ſentio:

Nec enim lex æquior ulla eſt.

Quam necis artifices arte perire ſua.

Ut cum ſis alter Perillus, mortem quam innocenti mihi minatus es, tu nocentiſſime hæreſiarcha turpiter patiaris. Expeditionem vidiſti totam cæſar bellicoſiſſime Colonienſium theologiſtarum quanta arte, quo duce, quibus commilitonibus, quibus æneatoribus adverſum me inſtruxerint pugnam, in dextro cornu carminator, in ſiniſtro criminator, in medio ſignifer Arnoldus calumniator. Unde illud Terentii, Dorax Syriſce ſequimini me, ubi Centurio ſanga & manipulus furum? Certe Pyrrhus ipſe ſibi videtur pugnax eſt. Multa de præliis legit, de Marathone, ſalamine, platæis, thermopylis, leuctris. Titum Livium in parvis logicalibus didicit. Vegetium in libris elenchorum. Aſpice igitur qua me verſutia provincialis ille diabologorum nitatur ſupplantare. Vel fortaſſe non provincialis ſed præſes provinciæ, ſcribit enim ſibi provinciam, neſcio quam, eſſe demandatam. Hoc tu videris Cæſar num illi provinciam germaniæ inferioris regendam mandaveris, quod Agrippinenſes juris italici deprecabuntur. Nam ego tali præſidi non agaſonum ſtabula committerem, qui poſt ignorantiam veræ doctrinæ nullo etiam viri munere ornatus cum amentia magnam habet jactantiam, at quod pejus fore judicatur mendax eſt, & pater ejus. Nunc divinabis quoto gradu diabolo ſit affinis, quanquam enim ſcivit omnia conſilii mei dicta ſi ad mentem meam, ut oportet, bene intellecta fuerint concordare cum eccleſia, ita quod nemo poſſet cum veritate honorem famamque meam lædere, quod ſibi ſatis & ſuper ex declaratione mea dudum patuit, quam præ ſe habuit, & legit, tamen nihilominus ad nocendum paratus, conſtituit apud ſe relicta veritate me falſo expugnare, quo motus triplici phalarica turrim fortiſſimam nominis mei conatur diruere. Primo falſis opinionibus, deinde falſis argumentationibus, tum demum falſis traductionibus. Jam autem cognoſce, quid audet temeritas, falſam opinionem gregariis & trivialibus literatoribus in ipſo libelli veſtibulo prætendit, magno ingenti procero & giganteo characſtere, quaſi pro roſtris in album inſcriptam, aut monumentum ali- Objectorum ſolutio.

quod in æs marmorve perpetuo incisum hoc modo, ARTICULI SIVE PROPOSITIONES DE JUDAICO FAVORE NIMIS suspectæ. Cætera minusculis sequuntur literis. Tentavit igitur ac potius temeravit calumniator initio & in primo congressu tam splendida inscriptione, tam eminentibus literarum figuris, & tam speciosо titulo in superliminari porticus edito Judæorum favor. infamare me de judaico favore, perinde ac ecclesia catholica favorem judæorum indistincte prohiberet, ac omnis fautor judæorum criminosus esset & infamis. Quodsi non distinguatur falsum dogma est ex falso fundamento procedens. Non sunt enim judæi proprie dicti hæretici, quorum fautoria interdicitur. Nam qui ad Titum scripsit hæreticum hominem devita, ille ipse & ad Corinthios scripsit factus sum judæis tanquam judæus, ut judæos lucrarer. Fuit igitur sol noster S. Paulus fautor judæorum, qui optavit anathema esse a christo pro fratribus suis, qui sunt cognati sui secundum carnem, qui sunt israelitæ, quorum patres ex quibus est christus secundum carnem, qui est super omnia deus benedictus in secula seculorum, hæc ad Romanos nono. Fautor erat *S. Clemens* de quo legit ecclesia *in lectione matutina loco primo.* Hic ita morum ornamentis pollebat, quod non solum christianis sed & judæis & gentilibus complaceret, eo quod nullorum vitam specialiter reprehenderet, sed omnes gratia dei indigere, & eam posse consequi comprobaret. Fautor erat *S. Hieronymus qui in psalmo CVIII. super verbo: Erubescant & confundantur*, addit. „ Et sic salventur, non dicit contra judæos sed pro ipsis „ dicit. Creator enim est & illorum & noster. Non eos omnino eradicavit. Vultis „ scire? Petrus ex ipsis erat, & omnes apostoli „ ex ipsis erant, nos in radicem ipsorum inserti sumus, „ Nos rami sumus, illi radix, non debemus „ maledicere radicibus, sed debemus orare pro radicibus nostris, qui inserti sumus radici, & reliqua, Hieronymus hæc. Fautor S. Thomas de aquino, qui scribit hoc circa judæos servandum „ esse, ut sicut jura (inquiens) determinant ab eis „ coacta servitia non exigantur, quæ ipso præteri„ to tempore facere non consueverunt, quia ea „ quæ sunt insolita magis solent animas homi„ num perturbare, hæc ille. Similiter fautor erat Gregorius papa qui permisit judæis veteres synagogas sine inquietudine habere, & terrarum suarum agrorumve colonos, a quibus pensiones annuas acceipiant, retinere. Fautor Alexander papa iii. qui judæis concessit, ut si veteres synagogæ corruerent, eas in pristinum statum reforment, & voluit non tanto illos subjacere odio, quanto saracenos, cum nobis sint servire parati. Fautor erat Clemens papa iii. qui concessit judæis, quod inviti non trahantur ad baptismum, nec sint ad baptizandum cogendi, nec sine judicio lædendi & puniendi, aut rebus suis spoliandi, vel in suis festivitatibus molestandi, nec eorum cœmiteria violanda, aut eorum corpora exhumanda, nec sint ad coacta servitia & inconsueta compellendi, iccirco non sunt servi. Fautores quoque judæorum imperatores sunt Valentinianus & Valens, qui judæis privilegium dederunt, ne teneantur ad hospitalitatem aut habitationem quorumcunque, etsi curialium in synagogis eorum. Præterea iidem concesserunt illis quod romano jure utantur, tam agendo quam excipiendo, nisi in civili negotio arbitrum inter se judæum elegerint, quod facere possunt, cujus sententiam judex ordinarius loci exequi teneatur. Fautores sunt imperatores Honorius & Theodosius, qui privilegium concesserunt judæis, ut in die sabbati ac reliquis diebus, quo tempore ipsi cultus sui reverentiam servant a nemine possint conveniri. Fautores sunt judæorum imperatores Honorius & Arcadius, qui eis bonos contractus permiserunt pro sua voluntate, absque ullo moderatore vel discussore christiano, quoniam justum sit sua cuique committere. Fautores etiam sunt iidem imperatores constitutionibus propriis judæos defendentes, ne quisquam quacunque religione affectus sæviat in eos, non solum personam obterendo, aut contumeliose injuriando, sed etiam synagogas aut habitacula eorum concremando, vel perperam eos lædendo, etiamsi aliquis judæorum fuerit scelaribus implicitus. Nam subjecerunt eos juris publici tutelæ, ne sibi quisquam permittere valeat ultionem. Et vide Cæsar quantum faverunt imperatores judæis, cum sint sub protectione & defensione romani imperii. De summa enim clementia & bonitate ut inquit Rofredus ille jurisconsultus antiquus & laudatus tulerunt legem pro judæis quæ incipit Christianis, ut ipsos quiete manentes nihil turbulentum & contra jura tentantes christiani nullo modo offendant, etiamsi vellent dicere, nos vos offendimus, quia vos judæi lege abutimini, & ideo vos offendimus, quia religionem christianorum defendere volumus, & si contra ipsos judæos qui securi sunt & esse debent hac constitutione, violentiam forte commiserint vel rapuerint ipsorum bona, & exinde fuerint convicti vel per confessionem vel per testes, vel quia factum notorium est, omnia quæ abstulerint vel rapuerint in duplum restituere compellentur. Plus etiam & quoddam mirabile de novo statuitur, quod si rectores provinciarum talia non vindicaverint, sed permittunt hoc fieri ab istis popularibus, ipsi rectores ita punientur ac si ipsi commisissent. Numquid iste est favor judæorum? non tamen judaicus reprobus. Quid de doctissimis luminibus & jurisconsultissimis doctoribus? qui sæpe pro judæis causas decidunt & deciderunt, etiam contra christianos injustam causam foventes, suntne fautores? ut cum lex dicit universitatibus judæorum legata peti non posse, respondent illi cuilibet judæo singulariter legari, donari, renuntiari, gratificari posse. Item judæum succedere consanguineo christiano. Item si judæo per statuta communia prohibitum sit acquirere immobilia, concedunt judæo acquirere posse ut vendant & pretium capiat. Item quod judæi non arctentur canonibus quoad spiritualia & ad peccatum mortale. Item quod gaudeant privilegiis civitatis. Quod judæum esse non sit delictum punibile per christianos, secus in hæretico. Relicta valere singulis judæis, secus in hæreticis. Judæorum collegia non reprobari, secus in hæreticis, judæos habere privilegia dotium, secus in hæreticis, judæos esse fovendos a christianis licet limitate secus in hæreticis; judæis communicandum tanquam non excommunicatis, secus in hæreticis, judæos posse habere loca am publi-

ca

ea quam privata ubi conveniant, ſecus in hæreticis, quibus ne per reſcriptum quidem concedi poſſit, Quid de eccleſia? nonne favet judæis? quæ cum poſſet eos expellere, tamen ex ſingulari pietate eos benigne tolerat, ſecus de hæreticis. Permittit etiam nobis cum eis diſputare publice, ceteris paribus, ſecus de hæreticis. Item colloqui cum eis tamen caute. Item quod ex charitate cum eis agendum ſit & non ex furore, quia ipſi hoc præſtatur, qui corrigitur, ne gehennæ ignibus tradatur. Item negandum eis non eſſe quod jus humanæ ſocietatis concedit. Item quod ſine illorum conſortio ipſos deo lucrari non poſſumus. Item quod blandimentis non aſperitatibus debemus eos ad fidem rectam perducere. Item quod ſuadendi ſunt non impellendi, & agendum cum eis ut potius ratione & manſuetudine provocati ſequi nos velint, non fugere, ut eos ex eorum codicibus oſtendentes quæ dicimus ad ſinum matris eccleſiæ deo poſſimus auxiliante convertere. Sic eccleſia præcepit *in canone: Qui ſincera, & canone de judæis XLV. diſtinctione.* Item quod in ſcholis noſtris debeant haberi præceptores & magiſtri, qui linguam judaicam doceant. Item quod libros judæorum transferant. Denique ſumma ſummarum in jure ſcriptum eſt, quod judæi tanquam proximi noſtri a nobis diligendi ſint. Hæc omnia & ſingula breviter enumeravi ſalvis unicuique propriis & juſtis limitationibus, in jurisconſultorum ſcholis civiliter & humaniter determinandis, in quibus, ſi quæ fidei intercíderent, ea ſemper judicio eccleſiæ ſubjicio, ut in mea proteſtatione ab initio facta continetur. Hos tu, *Cæſar Auguſtiſſime*, favores in gentem judaicam collatos haud obſcure vides omni carere turpitudine. Illud ergo quod dicitur favor judaicus tantum, non delicti verbum ſed meri facti eſt, quidam enim ſunt fautores judæorum tantummodo, quod adjunctam ſibi pœnam aut ignominiam non habet, ut cum theologis ſentire voluit *Bartolus in lege prima ff. ad Turpilianum.* Et quidam eorum ſunt fautores ſolum perfidiæ, & tertio quidam tam judæorum quam perfidiæ. Fruſtra igitur conati ſunt adverſarii me tam celebri & eminenti ſuo titulo infamare, prætendentes ex conſilio meo articulos ſeu propoſitiones de judaico tantum favore nimis ſuſpectas. Quid enim oportuit addere nimis, vel vehementer, vel violenter ſuſpectas? cum non modo ſuſpicione ſed etiam evidentia veri, judæis ſimpliciter loquendo antea non baptizatis notorie favens ut ſupra neque infamiam neque pœnam incurrat, nam favor ille nomen facti eſt, non delicti. Sed non idem de favore hæreticorum, qui tam circa perſonas, quam circa perfidiam de jure civili & canonico damnatus eſt. Unde fautor poſt excommunicationem anno lapſo infamis eſt. Favor autem judæorum ſi non conjungatur perfidiæ nullo jure prohibitus eſt, quia illorum delicto ſalus eſt gentibus ut illos æmulentur. Tu autem cum oleaſter eſſes, inſertus es in illis & ſocius radicis & pinguedinis olivæ factus es, noli gloriari adverſus ramos, ait Apoſtolus ad Romanos XI. & ſequitur. Sicut enim aliquando & vos non credidiſtis deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis propter incredulitatem illorum. Ita & iſti nunc non crediderunt in veſtram miſericordiam, ut & ipſi miſericordiam conſequantur. *Concluſit enim deus omnia in incredulitate, ut omnium miſereatur*, hæc Paulus ubi ſupra. Non ergo ſuſcipiemus peccatores propter hoc quod ſunt peccatores, ut ait Auguſtinus, ſed tamen eos ipſos quia & homines ſunt humana conſideratione tractemus. Quanto igitur tempore illos tolerat eccleſia, nihil injuriarum illis inferri tolerandum eſt, ſicut & nihil injuriarum vicisſim patiendum. Ita faveo judæis, ut injuriæ non ſubjaceant & injuriam non faciant, hæc mihi viſa eſt naturalis vitæ ſocietas & humana conſideratio, qua hominem etiam peccatorem a jure non expulſum neque prohibitum tractare jubemur. Injuſtitia enim eſt immanitas omnem humanitatem repellens, cujus qui ſunt appetentes vel turpi quæſtu vel odioſa ſuperbia moti, tanquam immanes beluæ nihil abſunt a natura ferarum, ſint judæi ſive chriſtiani, immo chriſtiani primum & judæi. Eſt ergo juſtus & debitus favor ut odio habeantur peccata, non autem homines, *LXXXVI. diſtin. in decretis*, ubi ſcripſit Joannes Papa VIII. Quid probat odiſſe ſe vitia qui condemnat errantes. Ego autem acerrime omnium in meo conſilio vitia peccata & perfidiam judaicorum librorum condemnavi, quando ad ignem judicavi omnes libros judæorum, qui ad infamiam, blaſphemiam, ſcandalum & irreverentiam domino deo noſtro Jeſu, ſuæ digniſſimæ matri, ſanctis, aut chriſtianæ conſtitutioni ſeu ordinationi fuiſſent editi. Et judæum tales ſcienter poſſidentem puniendum. Similiter omnes libros magicos & reprobatæ lectionis. Quo factum eſt ut probaviſſe aperte videar, odire me vitia judæorum religioni noſtræ adverſantia, quia condemnavi errantes. Ecce qualis ſum fautor judæorum, qui deteſtandam perfidiam reſeco, & tamen in eo injuriam illis inferri non conſulo. Sic enim ego neque conſentiens, qui mala non approbo, neque negligens, qui arguo, neque ſuperbiens, qui non inſulto a quoquam juſte potero accuſari. Fautor igitur ſum ut debeo, ut decet, ut S. Paulus, ut S. Hieronymus, ut S. Thomas de Aquino, ut pontifices, ut imperatores, ut jurisconſulti omnes doctiſſimi & chriſtianiſſimi, non contra eccleſiam, ſed pro eccleſia, quia pro juſtitia & pro utilitate eccleſiæ, ut lucrifaciam fratres noſtros, quos tenemur diligere, ſicut nos ipſos, licet cum moderamine, qui ſunt etiam chriſti oves, pro quibus chriſtus quoque mortuus eſt. Scio tulerunt ægre adverſarii, quia eos dixi concives eſſe noſtros, nunc plus inſaniant velim iracundia, rumpantur ilia, quia dico judæos eſſe fratres noſtros, fratres Arnoldi, fratres omnium theologiſtarum Colonienſium, non tantum quod unum patrem omnium habeamus in cœlis, unde omnis paternitas, verum etiam quod ex eodem nobiſcum parente in terris generati ſunt, qui licet non ſint nobiſcum membra, tamen ſunt nobiſcum fratres ut ait S. Hieronymus ſuper illud ad Epheſios. Loquimini veritatem unusquisque cum proximo ſuo, conſideremus quanta diſtrictione S. Johannes loquitur. *Omnis, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Duo autem nomina cum dicimus homo peccator, ut inquit Auguſtinus, non utique fruſtra dicuntur, quia peccator eſt, corripe, quia homo eſt, miſerere. Utrumque ſecutus ſum, volui omnibus judæis omnes libros reprobatæ lectionis & blaſphemos de conſilio & ſententia mea cremare. Fautor ſum, quia perverſis & nocenti-

bus mala & intolerabilia juste perimo. Volui & nihil cum eis tanquam hominibus attentari: nisi causa cognita, cum etiam de notoriis liceat prius declarative cognoscere, fautor sum, quia illi homines sunt, & proximi nostri. Unde non tantum justitia est, sed & misericordia defendere proximum ab injuria, defendere a vi, defendere ab impetu irrefrenato & ultione propria atque privata. Dicit enim Ambrosius in libro primo de officiis: Non in inferenda, sed depellenda injuria lex virtutis est. Ex utraque igitur parte fautor sum, hinc, quia ab illis favore justitiæ abstuli quæ leges & ecclesia condemnant. Inde, quia ea illis singulari humanitate permisi, quæ leges & ecclesia tolerant, hæc omnia dilucide apparent in declaratione mea vulgari. Quicunque ergo asserit vel dicto vel scripto, me judæis inordinate aut injuste favere aut faviſſe, per hoc volens asserere, quod judæorum perfidiæ faveam, ille in perniciem animæ suæ mentitur famicida & boni nominis raptor, veritatisque transfuga leviſſimus. Nunc accedit altera opinio falsa, qua imperitis oculorum aciem adversum me præstringere nititur calumniator meus, ait enim, quod auctoritates quam plurimas sacræ scripturæ & sanctorum doctorum & allegationes ex textibus & scriptoribus utriusque juris impertinenter præter & contra intentionem scripturæ & doctorum allegare volui, ex quibus nonnullæ si ad intellectum referantur, in quo in originalibus suis sunt scriptæ, & postea applicentur ad propositum, falsum inferunt, & ut sibi visum sit nonnunquam hæresi vicinum, hæc ille tam generaliter & indistincte perinde ac si nulla scriptura possit aut debeat aliter applicari quam scripta sit, aut in alia forma recitari quam auctores posuerunt. Quod quamvis ego non fecerim, tamen nihilominus iterum est falsum dogma, ex imperitia vel malitia potius diffamatoris mei procedens, & ut mihi visum est non solum vicinum hæresi, sed etiam inquilinum. Est enim contra consuetudinem ecclesiæ, contra usum sacræ scripturæ, contra determinationem sanctorum doctorum, contra grammaticos, rhetores & philosophos. Nam constat ecclesiam crebro & frequenter multas auctoritates scripturæ & scriptorum ad alium sensum applicare quam litera habet, non tamen aliter quam spiritus sanctus intenderit. Evangelium Lucæ X. de Maria quæ soror fuit Marthæ applicat sancta ecclesia beatissimæ virgini. Et ecclesiastici verba sequentia sanctis applicantur confessoribus, de quibus singulis ecclesia canit: Ecce sacerdos magnus. Et dictum de Enoch, qui placuit deo. De Noe qui inventus est justus, & in tempore iracundiæ facta est reconciliatio. De Abraham. Non est inventus similis illi, qui conservaret legem excelsi. De Isaac. Benedictionem omnium gentium dedit illi dominus, & testamentum suum confirmavit super caput Jacob. De Moyse. Dilectus deo & hominibus; sic consequenter singula non secundum applicationem recensentur auctoris. Canticum etiam canticorum refertur extra limites ad beatissimam virginem Mariam, quod tamen quidam christo tribuunt & ecclesiæ, alii animæ conjunctioni & verbi dei. Possem volumen implere de auctoritatibus, quas ecclesia non ad intentionem literalem auctorum, sed ad honorem atque decus sanctorum, & salutem sanctificandorum adducit. Cæterum S. Petrus ab urbe Roma diversis ecclesiis nomine fidelium, qui secum romæ congregati fuerunt, hoc modo scripsit: „Salutat vos „ecclesia quæ est in Babylone collecta, cum neque ipse neque tunc ecclesia venisset ad Assyrios. Sed Babylonem posuit pro Roma. Quid Paulus? Nonne *Actuum XVII.* allegavit Athenienſibus inscriptionem Aræ aliter quam esset, cum sic ajebat: „Præteriens enim & videns simulacra vestra, inveni „& aram in qua scriptum erat ignoto deo, sed neque verba nec intentio statuentium ei consonabat. Cum enim debellassent Athenienses circum circa vicinos, & in signum victoriæ, ut moris erat cujuslibet regionis subjugatæ, domum retulissent proprios deos, sicut postea in eorum imitatione Romani pantheon ædificarunt, ita illi publicam aram erexerunt, cui titulum inscripserunt: Diis Asiæ & Europæ & Africæ diis ignotis & peregrinis. Illud ad propositum suum commutans Paulus sicut sibi visum erat utile, pro constituenda christi ecclesia recitavit singulariter ignoto deo. Fecerunt evangelistæ similiter, nam Matthæus allegat Hieremiam, & acceperunt xxx. argenteos precium appreciati, quod appreciaverunt a filiis Israel & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi dominus, quod non solum Hieremias non sic intendit, sed penitus non scripsit in forma. Idem Zachariæ testimonio utitur. *Percutiam pastorem & dispergantur oves*, quod propheta intendit alio modo deum rogando percute pastorem. Idem ut impleretur quod dictum est per prophetas, quia Nazaræus vocabitur, quod nusquam reperitur in prophetis. Marcus discipulus Petri suum ita orditur evangelium. Initium evangelii Jesu christi sicut scriptum est in Isaia propheta: Ecce ego mitto angelum meum, quod Isaias neque scripsit neque formaliter intendit. Lucas enarrat Stephanum recitare historiam & descendit Jacob in Ægyptum & defunctus est ipse & patres nostri, & translati sunt in sichem, & positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Emor filii Sichem. Sed legatur genesis xxiii. Et erit alia intentio scripturæ alia verba, alius sensus literalis. Hæc jam cum S. Hieronymo replicare cogor, cum quo in his & aliis catholice sentio, non ut evangelistas arguam falsitatis, quod absit, hoc quippe impiorum est. Celsi, Porphyrii, Juliani, sed ut reprehensores meos arguam vel imperitiæ, vel quod detestabilius est manifestæ calumniæ atque sceleroſæ detractionis, ut saltem concedant mihi in meo consilio simplici mente bonaque intentione composito, quod in scripturis sanctis velint nolint evangelistis & apostolis concessuri sunt. Ne autem hac occasione judæi nobis possint illudere. Sciant etiam Moysen verba dei non ita recitare, ut dicta sunt: Nam de monte sinai locutus est dominus. *Memento ut diem sabbati sanctifices*, cum autem Moyses hoc præceptum allegare vellet in deuteronomio, ait dominum dixisse sic: Observa diem sabbati, ut sanctifices eum. Et Moyses dixit: *In principio creavit deus cælum & terram*, David conversis verbis recitando allegavit, *Initio tu domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.* Talia & similia possunt in magno numero inveniri, ubi

allega-

allegationes non per omnia quadrant ad literam, ſecus ſpiritus ſancti intentione. Unde quatuor illi ſenſus exponendi ſcripturas a ſanctis doctoribus eccleſiæ recepti ſunt, videlicet hiſtoricus, allegoricus, tropologicus & anagogicus. Quo apoſtolus illud *i. paralip. XVII. Ego ero ei in patrem & ipſe erit mihi in filium*, a deo per Nathan ad ſervum ſuum David de filio ſuo Salomone prædictum, pro chriſto allegavit *ad Hebræos primo capite.* Idem etiam oſtendit non ſemper oportere ſcripta ad intentionem auctorum literalem allegare, cum ait *ad Galatas IV.* Scriptum eſt enim, quia Abraham duos filios habuit, unum de ancilla & unum de libera. Sed qui de ancilla, ſecundum carnem natus eſt, qui autem de libera, per repromiſſionem. Quæ ſunt per allegoriam dicta, hæc enim ſunt duo teſtamenta. Et ſequitur de Jeruſalem terreſtri & ea, quæ ſurſum eſt. Talia cum ſint in eccleſiæ catholicæ tanta conſuetudine frequentata, quomodo audet aliquis tam falſo dogmate homines præſtigiare velle? ut innuat non licere ſcripturarum auctoritates aliorſum applicare aut aliter quam auctores poſuerunt, dummodo expoſitionem ſacræ ſcripturæ nemo retorqueat maligne ad illud quod contrariatur ei, quod eſt per ſpiritum ſanctum revelatum. Dicit enim *canon:* „ Conſuetudinem laudamus, quæ tamen „ contra fidem catholicam nihil uſurpare dignoſcitur, *xi. diſt.* Cæterum de aliis vel quorum nihil intereſt ad fidem utrum ſic vel aliter teneantur, vel etiam de quibusdam ad fidem pertinentibus quæ nondum ſunt per eccleſiam determinata, cum quis non habet electionem contradicentem eccleſiæ doctrinæ, poterit impune ex una eademque ſcriptura tam in vocabulis quam in ſermone varios ſenſus & diverſas intentiones elicere. Non obſtante illo quod gloſſæ vel doctores aliter exponant. In talibus enim illud apoſtoli procedit, unusquisque in ſenſu ſuo abundet. Non enim neceſſario ſequitur gloſſa ita exponit, ergo tibi non licet aliter exponere ex ratione. Neque de neceſſitate ſequitur iſte doctor ita exponit, ergo tibi non licet aliter exponere, tum maxime quando rationabiliter non eſt contra vetitum neque prohibitum aliter exponi debere aut poſſe „ ἐν τούτοις γὰρ καὶ τὸ ἐπιτυγχάνειν ἐκ ἄ„χρηστον καὶ τὸ διαμαρτάνειν ἀκίνδυνον, ut dicit „ Gregorius Nazianzenus in libro ad Eunomianos „ cui eſt titulus προδιάλεξις circa finem id eſt, in „ illis enim & obtinere non eſt inutile, & peccare „ impericuloſum. Ut cum ſermonem evangelicum zizaniorum ad dogmata retulerim, non contradicendo eccleſiæ, per id nihil egerim, quod juſte debeat reprehendi, quantumvis me in eo reprehendat rudis ingenii & minutulæ doctrinæ homo meus, qui non legit ſanctos doctores, ſed tantum excerpta quædam Ariſtotelis & concordantias majores bibliæ cum bacchanticis & biianicis reportatis. Sic enim ſcribit poſt meam declarationem in xvii. propoſitione, quod verba chriſti ad ſenſum impertinentem contorqueam, quando hoc, quod chriſtus *Matthæi XIII.* de malis hominibus fieri juſſit, ad improbatæ lectionis libros traham. Audiat diabologus iſte S. Hieronymum in eo loco ita ſcribentem: „ Omnia ſcandala refe„ runtur ad zizania, & paulo poſt, quamobrem „ non dormiat, qui eccleſiæ præpoſitus eſt, ne „ per illius negligentiam inimicus homo ſuperſe„ minet zizania, hoc eſt hæreticorum dogmata, hæc ille. Sed nemo miretur audaculum theoſophiſtam veros theologos non legiſſe, qui neque perlegerit bibliam novi teſtamenti. Quid enim turpius theologo facinus facere potuit Arnoldus? quam objicere mihi vocabulum ſectæ, in propoſitione ſua tertia? quod confitetur me vincente ex grammatica proprietate poſſe malis & bonis applicari, & ea propter philoſophi & legum ac jurium ſcriptores in utraque ſignificatione eo utantur, ita enim ipſemet ſcribit, ſed hoc addidit, quod non debuit tamen iſte doctor (me notando) in ſermone fidei, niſi ſecundum quod in ſcripturis ſacris invenitur, & ſicut ſcriptores catholici & ſacri utuntur, ſic & ipſe vocabulo uti. Audite ruditatem & ignorantiam hominis cum diabolica ſuperbia, omnes reliquas facultates contemnentis. Conſentit enim quod grammatica proprietas & legum ac jurium ſcriptores ſectæ vocabulo erga bonos & malos utantur. Et paulo ante ſcripſit me non eſſe in ſcholis theologiæ doctum, ſed tantum legibus ſtuduiſſe. Jam me renegare optaret profeſſionem meam legalem, ſicut ipſe renegat veritatem. Oſtendi autem huic agaſoni longe prius quam hunc famoſum libellum ederet, quod *S. Paulus actuum XXIV.* iſto vocabulo in bonum de ſe ipſo utitur, ſic loquens ad præſidem: Confiteor autem hoc tibi quod ſecundum ſectam, quam dicunt hæreſin, ſic deſervio patri & deo meo. Et cum iſta ſcriptura ſacra hoc modo interpretata legatur in eccleſia, cur non erubeſcit poſt aſſignatum uſum juris & grammaticorum ſcribere de me dicens ſic: non debuit tamen iſte doctor in ſermone fidei, niſi ſecundum quod in ſcripturis ſacris invenitur, & ſicut ſcriptores catholici ac ſacri utuntur, ſic & ipſe vocabulo uti, perinde atque juriſconſulti non eſſent ſcriptores catholici, aut jura non eſſent ſacra. Sed hæc excæcatus livore per aoraſiam non vidit, neque quid ſcripſerim conſideravit, in quo facile deprehenſus eſt furere mania, cum me iterum redarguere vellet dicens: quod non mihi licuit ita loqui cauſa brevitatis, quia non ſit tam anguſta lingua latina, ut non ſuppetere mihi potuiſſent copioſe gratiora vocabula. Stultus quantum inſanit, oblitus meorum quæ legit, quoniam & conſilium & declarationem vulgarem non in lingua latina, quam ipſe aſſerit, non eſſe anguſtam, ſed in lingua teutonica & utriusque noſtrum vernacula ſcripſi. At redeundo unde digreſſus ſum S. Cyprianus in libro de montibus ſina & ſion adverſus judæos ſcribit primum hominem a quattuor cardinibus orbis nomen adeptum, ut Adam diceretur. A. anatole id eſt oriens, D. dyſis id eſt occidens, A. arctos id eſt ſeptentrio, M. meſembrion id eſt meridies, quod certe non vituperandum in tali viro fuit, qui bono animo & ſimplici mente ad excitandam contemplationem ſic ſcripſit, quamvis nunquam de mente auctoris vel dei vel Moyſi fuerit, in lingua enim hebraica nomen Adam a deo impoſitum non habet niſi tres literas. Quod autem idem Cyprianus interpretatur, Adam id eſt, terra caro facta, id profecto facit ille ſanctus vir, ut qui linguam hebraicam non didicit, ſicut plures ſanctorum fecere. Solum

lum habeatur etiam mecum similis patientia, & non tam facile improperetur mihi, dicendo: Si auctorum intellectus ad meum intellectum applicetur, quod falsum aut hæresi vicinum inferatur. Credo indubitate quod a nemine inferatur, nisi a detrimentosis famicidis istis Colonienſibus, diabologis detractoribus meis, qui ex omnibus dictis & factis suis falsa inferunt, quia falsi & fallaces sunt, nec consueverunt aliud quam ex vero falsum concludere. Unum hoc haud scio an maximum est hypocritarum vitium immo flagitium, quod omnium mores & facta notant, at se ipsos esse sine crimine ostentant, cum sint turpissimi. Unde risum continere non possum, cum lego hujus simulatoris alphabeticariam propositionem XXI. & sequentem cum suis prædicationibus tum equidem istuc os suum impudens vidisse nimium vellem, qui fuisset status, cum ea ganeo scripserat, ut crimina detestaretur, quæ ipse quotidie committit & commiserat. Recte Cicero: *Carere debet omni vitio qui in alterum paratus est dicere.* Si allegationes Arnoldi doctissimus quisque acerrimo judicio examinet, profecto inveniet ingentem numerum & acervos auctoritatum aliter applicatarum quam fuerit intentio auctorum, ita ut etiam nonnihil inquilinum hæresi sequatur, quod multo propius est quam vicinum. Sed quid ego cuncta revolvam libellorum suorum? qui tot erroribus & tanta ruditate scatent, ut non sint doctorum auribus aut lectione digni. Unum hoc pro exemplo ad amussim pensitemus, quoniam judæorum genti applicat id quod dicunt Moysen scripsisse: *Maleficum non patieris vivere super terram*, eo quod judæi committunt maleficia plurima, hæreses, schismata, blasphemias, irrisiones christi & ecclesiæ ac scripturæ sacræ perversas interpretationes. Ideo non patiamur, inquit, eos in aliquo mundi angulo supereſſe. Indigna vox theologi, indigna sacerdotis sanguinem humanum sitientis, vult enim omnes malefactores hoc vocabulo comprehendere, quia maleficia committunt. Sed id non solum est præter intentionem, verum etiam contra mentem auctoris & legislatoris, qui sub eodem capite *Exodi XXII.* multa enumerat maleficia corporis, quibus non imponit mortem, ut furtum, stuprum, verbalem majestatis læsionem. Et ibi solum magicam, & idololatriam plectit morte. Si hoc iste non novit, stultus doctor est. Sin vero novit & pervertit, criminosus est. Non enim maleficus hic omnem malefactorem significat, sed tantum facinorosum magum, ut est in lege imperatoris Constantini de maleficis. Sic enim Moyses loquitur: מכשפה לא תחיה id est, maga non vivat, in fœminino genere, non dixit malefactrix sed maga, malefica, lamia. Non dixit super terram, ne forte illi vel in aqua cum piscibus, vel in igne cum salamandra degendum sit, hoc illud est, quod iste applicat ad omnes homines malos, quos non vult pati, ut vivant qualicunque maleficio sint obnoxii. Contra Augustinum ad Donatum scribentem. Ex occasione terribilium judicum & legum ne æterni supplicii pœnas luant, corrigi eos cupimus, non necari, nec disciplinam circa eos negligi, nec suppliciis quibus digni sunt coërceri. Sint calumniatores mei quantumcunque tyranni & crudeles, tamen se meminerint sacerdotes esse, ne occidant, & utcunque doctores etiam dici, ne sacram scripturam aliter allegent, quam spiritus sanctus efflagitet, aut si id per ignorantiam attentaverint, dent laicis quoque aliquid veniæ, qui talem non sunt professi doctrinam, & patienter festucam meam ferant, si volunt in oculis suis gestare trabem. Si non timerem quod magnitudo libelli nimis excresceret, liquido exponerem locos alios, in quibus auctoritates contra intentionem auctorum etiam pernicioſe adversarius allegat. Talia enim multa in illo suo reprobatæ lectionis libro continentur, ut est illud: Gladium furioso de manibus auferri debere, quod applicat ad judæorum libros, tam vi quam dolo auferendos, quos affirmat judæorum animas necare. Primum obtrectator aliter allegat quam auctor ille Tullius scripsit, ait enim sic *offici. iii.* „Si gladium quis apud te sana mente deposuerit, „repetat insaniens, reddere peccatum sit, non „reddere officium, ubi de reddendo non de vi auferendo loquitur, quanquam hic non persto, deinde non solum citra & præter intentionem, sed etiam contra mentem & voluntatem auctoris eandem auctoritatem citat. Causa enim Tullii fuit, ne furiosus in ipsa furia per gladium vitam corporis amitteret. Sed Arnoldi causa est, ne judæi animarum suarum vitam per libros hæreticos amittant. Addit enim, quoniam sic animas necant, quia ex his discunt ipsi, & docent uxores suas & proles jugiter blasphemare, hæc ille. Oro te Cæsar interroga eum, nunquid hoc sit vicinum hæresi, vel interroga proceres tuos illustri doctrina clarissimos, an non est hæresis manifesta, credere judæum perfidum animæ vitam habere, cum apostolus & evangelista Joannes in epistola prima decretum hoc publicaverit. *Qui habet filium dei habet vitam, qui non habet filium dei, vitam non habet.* Et in evangelio ejusdem dixit christus. *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ergo si dimittantur universis judæis omnes libri, non necant animas, neque suas, neque uxorum, neque prolis, quia omnes eorum animæ non vivunt, sive libros habeant, sive careant libris, comburantur omnes eorum libri, non permanent in vita perfidi judæi, quia nunquam fuerunt in vita, vivere enim christus est, quem nunquam receperunt per fidem & baptisma. Quapropter sanctissimæ leges imperatorum tam Theodosii quam Valentiniani libros hæreticorum comburunt, quia extincta super aliquo articulo hæretico sacrilega doctrina, possunt credentes eundem articulum abjurare, & per hoc vitam beatam nanciscı. At fingamus apud judæos centum articulos hæreticos, & comburantur omnes abjurenturque, nihilominus adhuc non habebunt vitam, adhuc non credunt in filium dei, adhuc non coguntur baptizari, adhuc manent judæi. Et hæc videtur occasio fortasse probabilis, quare nusquam habeatur expressum in sacra scriptura vel in aliquo jure aut determinatione ecclesiæ, quod specialiter judæorum libri sint comburendi, quantumvis nullos scripserint sicut sanctus spiritus efflagitat. Quare adversarius etiam hac abutitur contra mentem scribentis auctoritate, cum allegat, quod resecandæ sint putridæ carnes. Quam sententiam transumit in judæos, cum aperte pateat mens auctoris, quod

ibi

ibi loquatur de chriſtianis, eo quod immediate ſequitur, & ſcabioſa ovis a caulis repellenda, certum eſt autem quod judæi non ſunt de caulis ſeu ovilibus chriſtianorum, dicente chriſto : Habeo alias oves, quæ non ſunt de hoc ovili. Unde allegata auctoritas exemplum dat de Ario in Alexandria hæretico chriſtiano, non de aliquo judæo. Ita per omnes libellos ſuos diſcurrendo præſtigiator blactero, quicquid de noſtris hæreticis & chriſtianorum hæreſi ſcriptum eſt, id totum ad judæorum hæreſes ſolum modo ad me infamandum callide retorquet, præter citra & contra mentem & intentionem auctorum, deſpiciens jura, quorum intentio mens & voluntas eſt, quod pœnales conſtitutiones caſum proprium non excedant, præſertim quando verba legis, ut inquit Baldus & Joannes de Imola ſunt adaptata ad certas perſonas, tunc enim non debet trahi lex ad alias, etiam ſi quis vellet omnia in confuſo commiſcere tam titulos, quam leges favore religionis, tunc enim hoc minime procederet, quando non ſolum nulla intercederet paritas rationis, ſed omnis appareret etiam diſparitas, hæc autem ad ſcholas jurisperitiſſimorum doctorum pertinent latius diſputanda, non ad Arnoldi & anilium theoſophiſtarum detractorum meorum gurguſtium. Unde oritur alia falſa opinio, qua conviciator indoctos ſtudet excæcare, quod non licuerit hanc materiam, quam ipſe appellat fidei ac morum, quaſi in civili caſu per jurisperitum aliquem qualibuscunque hinc inde allegationibus tractare. Hic peto a tua majeſtate Cæſar fortiſſime triumphator imperii, an per quæſtionem omnibus nobis propoſitam volueris diſputare de fide? aut quos mores diſcere a nobis paratus eras? qui univerſorum es morum in republica legifer & arbitrator, non quærebatur, an judæi eſſent fideles orthodoxi, an crederent noſtram eccleſiam ſanctam, non fuit res dubia, quin omnes judæi ſint hæretici improprie & lato vocabulo dicti, nihil horum diſputandum erat etiam agricolis notum. Sed an judæorum libri eſſent de jure perimendi, & an eſſet utile eccleſiæ, ſuppoſito quod hæretici erronei aut ſcandaloſi eſſent, quod cognoſcere etſi non primo, tamen & ſecundario canoniſtis non eſt denegatum. Aut igitur volebas libros condemnare, aut condemnatos perimere. Condemnare autem vel eſſe condemnatum, legale verbum eſt & juris officium, non theologiæ præſertim judicialiter. Aliud eſt enim cauſis terminum imponere, & aliud ſcripturas ſacras diligenter exponere, ut habetur in *decretis XX. diſtinctione*. Quare liceat adverſariis meis opiniones profide catholica vel contra fidem catholicam magiſtraliter diſputare de cathedra, non de tribunali, per argumenta non per mandata, honeſte non contumelioſe. Quæ vero ſint lectiones per leges vel canones reprobatæ, ſeu ad peremptionem aut combuſtionem condemnatæ, hoc jurisperitis committitur, qui ſciunt, an & quomodo legis generalitas ſingula ſpecialia ſub ſe complectatur. Et an aut quomodo pœnæ ſint extendendæ vel reſtringendæ, & an aut quando proviſio in materia pœnali concepta in veram & certam perſonam extendatur ad repræſentatam, habent ſuos titulos, habent leges & canones de fide catholica, de hæreticis, de judæis, de ſanctiſſimis epiſcopis, de eccleſiis, & aliis fidem chriſtianam concernentibus. Sinat Arnoldus jurisconſultos etiam aliquid eſſe in eccleſia, ſunt enim eo invito etiam eccleſiaſtici ſcriptores & catholici doctores. Accepiſti ſerenisſime Cæſar, qualiter tribus catapultis leviſſimus ardelio adverſum me falſo licet fruſtra jaculatur. Nunc poſt falſas opiniones quas imperitis prædicavit, ſequuntur falſæ atque ſophiſticæ argumentationes. Nam ut ait *S. Hieronymus homilia quarta ſuper cantica canticorum*, apud imperitos & animales homines pulchriora videntur mendacii ſophiſmata, quam dogmata veritatis. Sed tanto facilius vincam, quanto puerilius omnia paralogizat, tantoque brevius abſolvendus eſt nugigerulus, quanto lucidius ſua tela prævidi & prudenter cavi, prius enim fregi ſingula quam hæc ille ſtrueret. Accedit etiam quod recte docti eum indoctum logicum judicant, tam anilibus vanis debilibus utitur argumentis, in nullo modo, in nulla figura, phreneticorum more, niſi hoc ſibi mollis homo in delitiis habeat, quod neſcio, quid novum in logicis invenerit, propter quod Apollini bovem ſacrificet de cornuto quodam ſyllogiſmo. Loquitur enim de me in propoſitione prima his verbis. Et ut aliquantulum inquit eum (me notando) fortius ſtringam, hunc cornutum ei ſyllogiſmum ponam. Quæ cum legenti mihi dicerent amici, cur tantopere riderem, illis reſpondi, mirum, quod non auritum poſuerit, ut qui ab aſino procederet, totus enim mihi nunc videtur cum Luciano in aſinum non aureum, ſed ſtercorarium verſus, qui ante ceraſtes eſſe potuit aut bubalus, ſed ut melius intelligatur ſophiſta noſterculus. Nam ſine commentariis non intelligit neque ipſe ſe neque alius quisquam, brevi auſculta Cæſar. In tuæ majeſtatis reprehenſo conſilio ſcripſi me quondam in curia divi patris tui audiviſſe a judæis, quod extinxerint famoſos & nefandos libros Tholduth Jeſu Hanozri & Nizahon, diligenterque prohibuerint inter ſe, ne ulterius talia ſcriberentur, id autem fuit ſemeſtri antequam ſereniſſimus cæſar Fridericus tertius pater tuus imperator invicticſſimus morte vinceretur, qui obiit me preſente in Lyncea XIV. kalend. ſeptembres, anno M. CCCC. LXXXXIII. poſt ea tempora petenti a me cuidam nobili, quid honeſte ac ſine ſcandalo quandoque poſſet cum ſuis judæis colloqui recreationis cauſa, reſpondi per epiſtolam, ut eos interrogaret, quam potiſſimum ob cauſam ipſi putarent in tam longa ſe captivitate detineri, & ad eam diſputationem multa formavi argumenta, hinc inde tam gravia quam levia qualia poteram excogitare, quorum ſibi juſſeram poſtulare ſolutiones. Inter illa fuit unum, quod dei filium Jeſum blaſphemarent, & quod in tali blaſphemia delectarentur, unde poſteri fierent participes priorum, & quod id ex conſuetis precibus eorum atque libris ut Nizahon & Velameſumadim notari poſſet. Hæc a me fuit epiſtola cum talibus objectionibus & petitionibus, non autem determinationibus ſeu concluſionibus ullis data anno M D V. Audi nunc cum tuis, qui in conſilio ſunt, quomodo ſuper hac hiſtoria inſtruxerit calumniator ſuum cornutum, ut ait, ſyllogiſmum. Vult enim dicere ut intelligo, ſi non credidi judæis mihi dicentibus in curia imperatoris abolitos fuiſſe hos libros, quare conſilio inſervi. Sin credidi,

De epiſtola ad nobilem.

didi, quare ad nobilem ſcripſi manifeſtum eſſe quod tales libros habeant. Hic eſt ignaviſſimi pecoris, immo nocentiſſimi peccatoris cornutus ſyllogiſmus, de quo me conſolatur divina vox. *Omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua juſti.* Pudet me cæſar coram tua majeſtate tam ſumma, tam auguſta, tam abjectis infantilium næniarum ſuſurris, ex paupere vena miſerrimi iſtius ingenii prorumpentibus verba facere, quapropter ad eum ipſum, qui fœnum in cornu gerit, me convertam. Quæ malum iſta tua ratiocinatio eſt? aut quod eſt medium ſyllogiſmi quem appellas Arnolde? credo nec medium nec extremitates formare noveris, omitto mendacium tuum, qui manifeſti vocabulum nec ore, nec calamo, protuli, ſed huc ad pulpitum. Si dico me ante annos XX. credidiſſe judæis hæc affirmantibus, & tandem nugis eorum deceptum me ſenſiſſe decimo poſt anno, tum quomodo ſyllogizabis? quis erit elenchus? cum tamen & tam longum contradictioni tuæ interceſſerit tempus, in quo idem homo poſſet fuiſſe candidus & ater, albus & non albus. Diſpeream ſi ego tot cornua in tuo capite quæſiviſſem. At nunc Senecæ credam ſyllogiſmo licet ſophiſtico. Quod non perdidiſti habes, cornua non perdidiſti, ergo cornua habes, forte in ſimilitudinem tauri æthiopici, cujus Pauſanias in Bœoticis meminit, unde tibi Sapphus iſte conveniet verſiculus. Accedant capiti cornua bacchus eris, immo bacchans, quod pecuale atque proprium tibi eſt, non bacchus quod divinum ajunt. Bacchantes autem eos germani vocant, quos galli bijanos. Recipe igitur & a me hunc viciſſim cornutum ſyllogiſmum, tam bonum ac potius meliorem in materia & forma quam tuus fuerit. Si janus eſt bifrons, & tu es bijanus, ergo tu es quadrifrons, & inter bacchantes quadrifrontes perpetuo connumerandus. Bacchantes enim ſunt rudes & agreſtes literatores. Sed quadrifrontes, qui nulla ſibi concipiunt ex turpitudine verecundiam, & vere tu ex illis es, nam & loquela tua manifeſtum te facit, qua palam inſinuas morum cenſoribus neque pudorem te, neque pudicitiam habere ullam, quamvis apud ignaros & ſimplices omnem frontem undique oſtentes maledicte hypocrita. Nam quid non te pudeat cum calumniando mea, ſermonem continuum præter & contra intentionem meam aperte dividas, ut tibi facilior ſit cavillandi occaſio. Nihil enim differt, ſic dixerim, duos ego blaſphemos eorum libros legi, quamvis affirmarint tales ſe libros extinxiſſe, an ordine converſo ſic. Quamvis affirmarint tales ſe libros extinxiſſe, ego legi duos, ut videas cæſar, quanta vanitate laboret in re tam ardua viliſſimus theoſophiſta, perinde ac ſi nos non legerimus Ariſtotelis organum, non tantum latine, verum etiam ut ipſe ſcripſit, græce, quo concedatur haud nos ignorare, quantum iſte calefactor circa ſyllogiſmos peccet, tam in materia, quam in forma. Deinde mihi cum doctis convenit, quod iſte in topicis nullus eſt, vel ſi aliquis eſt, omnium theologorum fex & turpitudo eſt, & ob id ab integris & ſolidis doctoribus repellendus & reſpuendus. Faciamus obiter deguſtationem impudentiſſimæ ignorantiæ ſuæ, tum & nequitiæ, ut mercatores piper probant. Enim vero dialecticam hanc diſſuaſionem meam qua ſcripſi, ſi thalmud eſſet comburendus, jamdudum combuſtus eſſet ante multos annos, quando patres noſtri plus affectionis habuerunt ad fidem noſtram, quam nos nunc, cum iſte vir acer in prælio impugnare vellet, jamque lacertos exertaret, cæſtusque ponderaret, poſt rhetoricam declamationem ſuam me ſic philoſophice adoritur. Si topicum eſt, dicatur per quem locum. Si dicat (me notando) quod per locum ab auctoritate ſumptum ex patribus. Sane jam non topicum erit, quia apud topicos triviale eſt locum ab auctoritate negative nihil momenti habere, licet in theologicis nonnunquam valeat. Hæc ille ſapiens magiſterculus in logica, vel ſi ſpernat diminutivum, ſit ſaltem magiſtercus, aut per metatheſin ſtercus magis. Quam belle triumphat, primo, quia ſit locus ab auctoritate, qui non poſſit eſſe negativus. Secundo quia tametſi conſueverit ita in theologia poſſe argui, tamen mihi non velit permittere, tali fortaſſe venia indigno. Putat me tam deſuetum his, quæ quondam pueri didicimus, ut ei concedam locum eſſe ab auctoritate. Fuitne patribus major auctoritas ante tempora in affectione ad fidem, quam nunc ſit noſtris patribus, aut quæ requiritur auctoritas? ut quis habeat affectionem ad fidem, quid commune præſtantia hominum ſive auctoritas cum fide habet? Nunquid bubulcus aut opilio tantam fidem habere poteſt, quantam in ſumma poteſtate atque auctoritate conſtitutus? niſi erret in evangelio, quod de Centurione, qui ſub ſe dixit habere milites chriſtus loquitur, non inveni tantam fidem in Iſrael, perinde ac ſi præeminentiæ hominis majeſtate regnantis & magnitudini auctoritatis, fidei quoque magnitudinem adſcripſerit. Si tam manifeſte in iſtis puerilibus, quæ novitiis nota ſunt errat, quæ tam longo ſpatio temporis & tam præmeditato ſtudio cum omnium ſuorum contubernalium conſilio & auxilio adverſus me collegit, quid eum cerebri habere putabimus? quid induſtriæ? quid ingenii? Quod ſi eſt iſte ad pugnam electus? ut ipſe aſſerit a collegio theologorum, quales arbitrabimur electores eſſe? quam ſciolos, quam rationales, cum talis ſit electus. Niſi cum gloſſa noſtra in libro digeſtorum poſita ſub titulo de origine juris in lege ſecunda de Romanis, qui diſputaturi olim cum græcis, ſtultum quendam elegerunt ad diſputandum cum græco, ut ſi perderet, tantum deriſio eſſet, & reliqua, ſimili uſu præcogitata fraude hunc ſtultum elegerint, ut ſi manifeſtaretur ex operibus & verbis ſuis, quod eſſet malus logicus, pejor philoſophus, peſſimus theologus, converteretur in riſum, dicendo: Facile potuit ſtultus ſuperari, nobis autem Colonienſibus theologis non erit dedecus, ſed ſtulto. Ego vero propter reverentiam facultatis collegii & ordinis, agam cum eo tanquam revera eſſet aliquantum, licet non nimis ſapiens, & ſi patiatur, docebo eum non eſſe ab auctoritate ſed locum a majore, quam procedit negative, quoniam ejus eſt maxima propoſitio. Si id quod magis videtur ineſſe non ineſt, nec id quod minus ineſſe videbitur inerit. De prædeceſſoribus enim noſtris ante multos annos ſcriptum eſt, ſancti per fidem vicerunt regna. De nobis autem quod in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſe ipſos amantes cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati,

grati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, & reliqua. Concludendo ſic habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. O ſancte Paule propheta veriſſime, quam clare vidiſti theoſophiſtas in ſpiritu. Eſſet facile cudendum volumen integrum de fatuo ſenſu iſtius magiſtri, quo nihil guſtare vel in logicis oſtenderetur, ut eſt hoc etiam objectum mihi ab eo argumentum. Naturaliter credibile eſt judæos feciſſe, quicquid potuerunt excogitare, quod eorum doctrina a ſuis non contemneretur, ergo naturale eſt quibuscunque modis paternas eos traditiones defendere. Principio, non contentus tribus terminis, ſed & quatuor aut quinque ſyllogizat. Deinde puer ego ſæpe ferulam lachrymans paſſus ſum ob tam puerilis ſolutionis ignorantiam, cum argueretur naturaliter credibile eſt lapidem moveri ſurſum, ergo naturale eſt lapidem moveri ſurſum, & ſic de ſimilibus, quæ indefinenter paralogizat, ut, non habeo intelligentiam in thalmud niſi ex noſtris libellis, ergo non habeo intelligentiam in thalmud penitus & ſimpliciter. Sic thalmud nobis & noſtris ſervandus eſt, ergo thalmud penitus ſimpliciter & libere ſervandus eſt. Similiter illud. Credo judæos hoc dicere, ergo credo illud verum eſſe quodcunque dicunt. Item illud. Non credo hoc ineptum ut tu dicis, ergo non credo hoc ineptum. Quis hanc fallaciam non novit? non credo mundum cœpiſſe ut Plato dicit, ergo non credo mundum cœpiſſe. Eſt enim verum quod credo mundum cœpiſſe, ut Moyſes dicit, non autem ut Plato dicit. Sic poſſet aliquis credere aliquem thalmud non eſſe ineptum, ut Pepericornus dicit, & ſimul tamen credere aliquem thalmud eſſe ineptum aliquo modo. Item quamvis pernicioſe mentiatur Arnoldus, me dixiſſe non eſſe credendum noſtris ſcriptoribus, tamen hoc argumentum etiam non valet, huic non eſt credendum ut teſti, ergo huic non eſt credendum. Item non valet. Ad condemnandum aliquem ad ignem vel combuſtionem ſcripta iſtius teſtis me non movent, ergo volo, quod iſti teſti ſimpliciter & penitus nunquam ſit credendum. Dicit enim lex: *Non teſtimoniis ſed teſtibus crimina ſunt probanda.* Hoc tacere non poſſum, quod tam egregius rector burſæ Colonienſis tam ruſtice perplexe ignaviter argumentum ad formam redigat in propoſitione XXX. qui antea omnem formam fugerat, ſed hoc putat ſe venari poſſe, licet ſpes eum fallat, quod in minore fatear hæreſin, & deinde hæreſin concludam, & ait his verbis: Quicunque habet jus faciendi aliquid, poteſt illud facere ſibi in bonum, quamvis alteri ſit ingratum, & tamen non facit contra alium, nec poteſt ille jure culpare aut ægre ex ipſo id animo accipere. Sed judæi habent jus ſic faciendi thalmud uti factus eſt ſibi in bonum, quamvis deo, & ſanctis ac nobis ſit ingratus, non tamen fecerunt contra nos, nec poſſumus jure eos culpare, aut id ægro aut malo ex eis animo factum accipere. Hoc argumentum, quod a me ipſo mendicavit, & ego illud in declaratione mea vulgari §. 28. antea ſolvi, non novit miſer philoſophaſter ad formam redigere. Ita enim inter ſentes & vepres hæret cornibus, ut cum Hieronymo contra Jovinianum ſcribente poſſim dicere: Ubi ſpiritus legendo deficit ibi diſtinctio eſt. Appellas tu id Arnolde formam ſyllogiſticam? erue oculos præceptori, qui te tam indoctum reddidit. Tamen noli deſperare, ego docebo te, tu imitare Ariſtotelem, at heu quomodo potis es? qui eum non intelligas, quantumvis profitearis. Adverte tamen & auſculta. Sint A. B. C. ſyllogiſmus. A potentes facere abſque injuria. B habentes jus faciendi. C judæi facientes thalmud ut nunc eſt. Da Cæſar veniam ineptitudini, oportet ita loqui cum iſtis naſturciis, nam ut Picus comes tuus Mirandulanus ait: Balbi non niſi balbos intelligunt. Fiet itaque ſyllogiſmus. Omne B. eſt A, id eſt omnes habentes jus faciendi ſunt potentes facere absque injuria, & C. eſt B. id eſt judæi facientes thalmud, ut nunc eſt, ſunt habentes jus faciendi, ergo C. eſt A. id eſt judæi facientes thalmud ut nunc eſt, ſunt potentes facere absque injuria. Hanc redactionem in formam ſyllogiſticam poterunt melius intelligere diſcipuli tui, ſi non eos dimidio feceris ſtultiores quam acceperis. Es enim magiſter ignorantiæ, qui quotannis accepta ingenti pecunia neſcire doces, ſed non ut Socrates. Hoc itaque argumentum Darii eſt, non illius Perſarum regis, ſed tui ſimilium. Majorem, omne B. eſt A. dicis juridicam, concedo, Minorem. C. eſt B. dicis hæreticam, nego, quoniam ad ejus veritatem, quæ indefinita eſt ſufficit, quod aliquid ſit quod dicatur thalmud ut ipſum nunc eſt, cujus judæi habeant jus faciendi, ut eſt Sepher zeraim, id eſt, liber ſeminum, quod volumina ſunt mere medicinalia, ſimiliter X. XX. XXX. vel plures alii aliarum facultatum aut hiſtoriarum, qui pari modo dicuntur thalmud ſingulariter, in quibus nulla fortaſſe continetur hæreſis non tolerata neque blaſphemia, neque infamia, neque magica, quapropter eorum habent faciendi jus ad minus tolerantiæ ac ſimplicis permiſſionis, quia tolerantur in perfidia, & per conſequens in his, quibus perfidiam ſuam manutenent & exercent, propter quæ puniendi non ſunt, primo permiſſo tanquam principali. Dividitur denique thalmud in quatuor facultates ſuperiores ut dictum eſt, a me in conſilio. Et collectionem librorum thalmud dicunt majorem eſſe triginta bibliis, ſed de quolibet eorum librorum ſeparabilium dicitur, hoc eſt thalmud ut nunc eſt, & hoc eſt thalmud ut nunc eſt. Sicut Socrates eſt homo ut nunc eſt, & Plato eſt homo ut nunc eſt. Nunquam autem & nusquam quisquam ex me audivit, quod affirmaverim loquendo vel ſcribendo judæos habuiſſe jus faciendi omnes & ſingulos libros thalmudicos, quinimmo dixi contrarium, ſcilicet de blaſphemis & contumelioſis in prima determinatione conſilii, & de magicis in ultima. Cæterum qualisne reputandus eſt ille logicus ſive logiſticus? qui naturam oppoſitorum non intelligit, ait enim illas duas propoſitiones eſſe ita oppoſitas, quod ſimul ſtare non poſſint. Unam. Multos libros legi & nullam in eis contumeliam ſcriptam inveni. Alteram. Multæ ſunt in libris judæorum blaſphemiæ & hæreſes contentæ. Et quanquam hoc modo non ſcripſi, tamen miror, quod has ſimul eſſe veras dicit impoſſibile. Quod clareſcit aperte Arnoldum non eſſe philoſophum neque theologiæ doctorem, niſi ſit doctor creatus ex nihilo, ſolent enim quandoque creari doctores. Quare noli Cæſar in hoc homine

aliquid sperare quod sit firmum, constans, virile, theologo vel saltem philosopho dignum. Nihil in eo invenies, nisi molle, effœminatum, puerile, senticosum, hæsitans atque dubium, tam vecors est lepus, nihil ferme arguit, de quo assertive audeat dicere A est B. sed sicut simia poscenti præbet manum & retrahit cum formidine, quoniam semper intendit falsum in mente. Quare omnia pene argumenta sua incipit per verba ejuscemodi, ut videtur, visus est, suspectus videri potest, forte divinatur, apparet, ego puto, velle videtur, hæc dicta hæresin sapere videntur, quantum ego conjicio, hoc vel illud esset impertinens, apparet hic impertinenter allegare, cum tamen in tuo fuerit arbitrio Cæsar collocatum, quid te moveret ut pertinens vel impertinens tanquam judicis non partis. Per totum autem famosum libellum suum fere nihil audet iste quasarius opponere aut arguere, nisi per hanc dictionem indeclinabilem quasi, quasi, quasi, somniatoris instar, ut quasi velit hoc innuere, quasi vellet dicere, quasi in materia civili, quasi nulla deberet esse cura pro alio. Significat autem hæc dictiuncula, quasi aliqualem similitudinem, sed simile non est idem, quoniam nihil est tam alterum quam simile. Ideo apud grammaticos est nota incertitudinis, ut *1. Regum IX. Erant enim quasi XXX. viri*, quod significat incertum fuisse numerum. Quare ad eam particulam affirmatio sequitur & negatio, ut cum legitur. *1. Paralip. XVII.* Fecitque tibi nomen quasi unius magnorum, fuit enim revera unus magnorum. Et *Psal. XXXIV.* quasi lugens & contristatus sic humiliabar, fuit enim revera contristatus. Et in evangelio Joannis, gloriam quasi unigeniti a patre, fuit enim revera unigenitus a patre. Negative sic, *Job. XV.* Numquid sapiens respondebit quasi in ventum loquens? nam revera non erit in ventum loquens. Et *Hieremiæ XLVIII.* Fuit in detisum tibi israel, quasi inter fures reperisses eum, nam revera non reperisti eum inter fures. Cum igitur dicat iste theologista, quasi hoc vellem dicere, non propterea debet continuo syllogizare, quod revera dicere voluerim, quoniam fortasse non volui hoc dicere, sicut & sæpe voluntatem contrariam in mea declaratione legit. Sic contra ubi dicit quasi nulla deberet esse cura pro aliquo, non debet mox syllogisare, quod voluerim nullam esse curam pro altero, cum ejus contrarium inveniat in declarationibus meis, quod debeat alterius pro altero cura esse suo modo limitata. Valeat igitur iste quasarius cum suis quasalitatibus in malam crucem, adversus quem spero cunctos præstantes & veros theologos indignari tanquam contra inhonestissimum quasarium & contra suas latrunculas quasalitates. Nunc maxime vellem *sacratissime imperator* parum quod adhuc reliqui est nefariorum scelerum hominis perditissimi & de salute sua desperati hujus Arnoldi attente & cum singulari erga me clementia indefesse audires. Non enim satis turpe sibi duxit, in evidenti calumnia deprehensum se, injuriarum & famosi libelli condemnatione notari, quod quanto illi probro futurum sit omnes norunt. Verum etiam adhuc in me diffamando capitale judiciorum publicorum aliud horrendum & abominabile crimen falsi admisit Vulcano sacrandum. Qua in causa quo me vertam cæsar inclyte? quos implorem? ordinariumne suum? at falsarius Arnoldus confidentia clericatus & sacerdotii in tanto facinore & tam crudeli scelere spem sibi impunitatis concepit. An collegium facultatis suæ? sed ipsa sibi facultas hunc falsarium se jactante & gloriante non tantum ad hanc provinciam subeundam elegit, sed etiam negotium hoc illi demandavit, & perficere ac perpetrare coëgit. Tantis suffragiis sociorum, tanta Colonienſium ut audio familiaritate stipatus, tanto scholasticorum favore accensus, & simul præjudicio singularis Agrippinorum invidiæ, ac odii popularis per eum siniſtra machinatione jam toto biennio adversum me conflati munitus, & ut sibi videtur securus, omnem ordinem judiciorum fas & jura contumaciter despicabitur & contemnet. Igitur in te unum spem adjutorii & consolationis fixi & locavi, ut tam immani detractoris & calumniatoris mei comperto flagitio, me innocentem falso circumventum, tandem aliquando integræ famæ nominisque boni virum declares. Ut autem in limine primo indomitam & effrenatam istius conviciatoris audaciam & impudentiam incredibilem præter hunc unum in omni scholastico homine inauditam accipias & agnoscas, cum ei ad nihil nisi ad oppressionem quærebar, haud parum multa se obtulerunt, quibus cogitare poterat ob vitam meam usque huc integerrime peractam non facile labefactari famam meam, & bonam tam in divinis quam humanis rebus existimationem, quare formidandum ei recte putabat, ut nunc sunt penes nos juniorum & perspicacium athletarum studia, fore multos Colonienſibus theologistis doctiores in aliorum universitatibus gymnasiorum, qui purpurissatas argumentationes & vanos abortivosque syllogismos & susurra quibus exurdantur aures, & præstigia, quibus eluscantur oculi, pure, clare, luminose internoscerent. Ne conatus scholastice disputando frangerentur, cœpit consilii mei sacratissimæ tuæ majestati a me obedienter exposiți chirographum, ejusque librum chalcographice tibi editum particulariter immutare, amovere, celare, delere, interlere, recitare dolo malo, ut veritas apparere non possit, & ita perfecto falsi crimine in perniciem & destructionem boni nominis, dignæ existimationis & integræ famæ meæ capitalia illius scripturæ puncta, quibus totius causæ fundamentum & status quiescit, falsavit multis in locis, maxime illustribus & perspectis, quæ ordine videamus. Principio qui sunt nervi causæ nostræ de thalmud judæorum maxime accusor apud omnes ab adversario, quod illum de meo consilio indistincte voluerim conservare, ad hoc ostendendum omnes dies noctes somnos & vigilias suas & suorum contubernalium accommodavit, & quicquid unquam didicisse videtur. Addit illud etiam, quod si in mea consultatione imperatoriæ majestati respondens distincte sic expressissem, quod plurima me nota levassem, & hoc modo per omnia sua opuscula scribit, prædicat, suggerit me thalmud indistincte commendare, laudare, defendere & conservare, in quo de fautoria judæorum me notat cum ingenti vituperio. Sed illud quo tempore adhuc in lingua germanica per interpositam Pepericorni personam mecum agebatur, semper atque constanter negavi, simul contra ostendens & in summario speculi ocularis & in

Crimen falsi.

decla-

declaratione vulgari & in diſputatis, diſtincte me locutum eſſe & non indiſtincte. Nunc autem quum ſibi propoſuerunt mihi latine pariter injuriari, tum illorum de mea patientia & humilitate ſpes audaciam ſceleri præſtitit, & confidentiam impunitatis auxit latina eorum interpretatio, per quam non ſine irrefragabili putarent licentia ſcribere, quicquid malignandi ſuaſerit libido. Quare conſtituerunt ex meo conſilio portiunculas excerpere, quas viderent ad odium mei concitandum aptiores, ut ſolet non miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo, quam appellant ſanguiſugam, ea enim ſemper deteriorem elicit ſanguinem relicto meliore. Sic aranea florum ſucos meliores apibus permittit, pejores ipſa colligit, ex quibus venenum coquat. Non fuit tam iniqua conſuetudo majoribus noſtris illis veris & vere ſanctis theologis dantibus bene agendi exemplum poſteritati, omnibusque his, qui tam honorabile nomen theologiæ ſibi non in vanum uſurpant, illi namque librum aliquem reprehenſuri totum interſerebant de verbo ad verbum ſermonis contextum, nihil relinquentes, ut ab omni etiam ſpecie mali abſtinuiſſe probarentur, quemadmodum Origenes contra Celſi libros & adverſum Juliani beatus Cyrillus Alexandriæ archiepiſcopus, qui ſic ait: *Διελόντες τοίνυν ἐν τάξει, τῇ πρεπωδεστέρᾳ τὸν παρ' αὐτῷ λόγον καὶ τὰς ἐν αὐτῷ διανοίας συνενεγκόντες κατ' εἶδος, οὐχ ἑκάστῃ πλειοσάκις ἀποχρώντως δὲ ἅπαξ καὶ ἐντέχνως ἀπαντήσομεν*, id eſt, „Digerentes itaque in ordine „decentiori eum, qui ab ipſo eſt librum, & ipſas „in eo ſententias conferentes juxta formam, non „unicuique ſæpius, ſufficienter autem ſemel & „artificioſe obviabimus. Unde jam cognoſcitur qua norma vir bonus gravis & honeſtus librum indignum rite poſſit impugnare, diſtinguendo videlicet totum librum auctoris non particulas quaslibet decerpendo, & ordine, non intricate, & ſimul collationando, ſententiam referendo ſententiæ, non verba inquit, ſed ſententias & mentem intentam, ea enim per *διανοίας* hic ſignificatur, & *κατ' εἶδος*, id eſt, ſecundum formam aut ſpeciem, ſic ſpecifice ac formaliter ut jacent, nihil interpretando aliter quam ſcribitur. Hæc eſt doctrina chriſtianorum & ſancti ſpiritus. Alia eſt doctrina diabologorum & maligni ſpiritus, qua matrem humani generis Hevam ſeduxit primus falſarius, qua multos quoque poſt eam ad caſum invitavit, addendo, minuendo, immutando pernicioſe aliter quam verba fuerunt prolata. Diabolus enim præceptor & magiſter omnium falſariorum ad Hevam ita locutus eſt: *Cur præcepit vobis deus ut non comederetis ex omni ligno paradiſi.* Erant vero dei verba præcipientis ad unum Adam prolata, priusquam Heva fieret, cui prohibuit deus ſolum lignum ſcientiæ boni & mali. Diabolus autem volens decipere ſophiſtico more per cornutum Arnoldinum ſyllogiſinum, immutans verba dei ex numero ſingulari fecit pluralem, dicente deo de ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas. Recitavit diabolus. Cur præcepit vobis deus ne comederetis ex omni ligno paradiſi, per quam lectionem reddidit diſcipulam docilem, ſicut adverſarii mei docibiles diabolo facti ſunt. Reſpondens autem Heva, dixit: De fructu lignorum quæ ſunt in paradiſo veſcimur, quo ſe fallacias oſtendit præceptoris ſui agnoſcere, quem in exordio mentitum eſſe deprehendebat. Sed ut eruditior magiſtro ſuo appareret, alia quoque ipſa diabolice, non dicta dictis addidit. De fructu inquit ligni quod eſt in medio paradiſi (ſimulans ſe nomen arboris ignorare) præcepit nobis deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Æqualis jam magiſtro, qui dixit vobis, & illa, nobis reſpondit, & ne comederemus, ſed in imitatione agilior quoque ut forte putabat magiſtro, addidit totum hunc ſermonem. Et ne tangeremus illud, juncto adverbio dubitandi, ne forte moriamur. Hoc eſt gymnaſium Satanæ, tales facit diſcipulos diabolus. Et qui ſuo iſto dogmate paravit lapſum, voluit eodem reſtaurandi parare impedimentum. Eisdem enim apparentibus elenchis uſus eſt tentando Jeſum cupiens ſcire, an eſſet chriſtus. Nam ſic ei diabolus dolo malo ſcripturas detruncando, minuendo, variando recitavit, & ſcriptum eſt enim ait: *quia angelis ſuis mandavit de te & in manibus tollent te, ne forte ad lapidem offendas pedem tuum.* Super quo *S. Hieronymus* ita „*ſcribit:* diabolus nihil amplius dixit niſi hoc, quod „angelis ſuis mandavit de te, ut in manibus portent „te, ne forte ad lapidem offendas pedem tuum. „Mediam partem dimiſit. Sic enim dicitur, quo„niam angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te „in omnibus viis tuis. Hoc non dixit, ut cuſtodi„ant te. Sciebat enim contra ſe eſſe. Idem *Hieronymus Matthæi quarto ſuper eodem* ait: De an„gelorum auxilio quaſi ad infirmum loquitur, de „ſua conculcatione quaſi tergiverſator tacet. Audiviſti Cæſar ſcholam diaboli, audias oro & ſcholaſticos tartari & diſcipulos inferni. Sed paulo ante tamen quid actum ſit, perpende. Quæſiviſti a me, an omnes libri judæorum præter bibliam ſint perimendi. Ad quod poſt varias librorum partitiones reſpondi teutonice ſub hac verborum forma: Nunc autem veniendo ad ipſam quæſtionem dico ſic: apud quemcunque judæum inveniturr aliquis talis liber, qui expreſſis verbis ſimpliciter & plane ad infamiam, blaſphemiam, ſcandalum & irreverentiam domino deo noſtro Jeſu, ſuæ digniſſimæ matri, ſanctis, aut chriſtianæ conſtitutioni ſeu ordinationi editus eſſet, ille poſſet imperiali mandato eis tolli & comburi, & judæus ille puniri, quod ipſemet talem non laceraſſet combuſſiſſet aut ſuppreſſiſſet. Jam omnes vident, quod hanc generalem ſententiam meam expreſſis verbis ad generalem majeſtatis tuæ quæſtionem pronunciavi atque tuli, vident & audiunt me præmiſiſſe hanc clauſulam, quod ea dicam nunc veniendo ad quæſtionem tuam. Sed adverſarius ut verum non appareret, ipſe hujus determinationis meæ principium dolo malo amputavit, celavit, ſurripuit articulando ſecundam propoſitionem, quam reprehendere intendebat ſine capite hoc modo: Apud quemcunque judæum ſcienter inveniretur aliquis talis liber & cætera, ut per hoc licentius mentiatur ea verba jam lecta continuari tantum ad ultimum ordinem librorum in ſeptenaria partitione mea comprehenſorum. Hoc totum fundamentum eſt criminatoris, ut dicat, quod determinando a noviſſimis ſeptimi ordinis libris ordiar, volens quod hæc determinatio mea generalis

ralis jam expolita restringatur solummodo ad novissimos libros septimi ordinis. Feciſſem igitur orationem perpetuam & non disjunctam, continuam & non discretam, non interseruiſſem ponendo inter ultimum librorum ordinem & principium decisionis meæ historiam de rebus ante annos XX. gestis. Frustra ejus decisionis caput tam egregio & ingenti charactere notasſem ut oculis patet, frustra punctum evidentem præfixiſſem, frustra inter historiæ de curia imperiali recitatæ finem & determinationis meæ principium, terminale spatium alias inconsuetum dimisiſſem. Quæ omnia etiam rudibus signum præmonstrant alterius cujusdam distincti & non pendentis a proximo sermonis. Accedit & illud quod falsarius ut verum non appareat detruncavit, abscidit & occultavit introitum relativum quæstionis generaliter factæ, ubi præfatus sum. Nunc autem veniendo ad ipsam quæstionem, quod vocabulum nunc, apud omnes consuevit esse signum initii non dependentis, quinimmo fere semper novum inchoat capitulum tam in græcis, quam in latinis scriptoribus. *Aristoteles in VII. metaphysicæ*, τῦν δὲ λέγωμεν, id „est, Nunc autem dicamus. *Lactantius divina „institu. VII.* Nunc ignaros veritatis instruamus, „& ejusdem de opificio dei. Nunc rationem totius hominis ostendam, ubi semper magna capita sic incipiunt. Et nunquam talis modus dicendi significat restrictam condependentiam, præsertim quando additur conjunctio, autem, adversativa particula ut hic. Dixi veniendo scilicet non proximis immorando, dixi ad ipsam, non referens me ad aliud quicquam nisi ad ipsammet generaliter motam quæstionem, dixi quæstionem quæ universaliter proponebatur ad quam universalem dedi responsionem. Hæc omnia falsarius dolo malo omisit, detruncavit, abstulit, celavit. Non igitur potest intelligi, quod hanc universalem & generalem determinationem de omnibus libris apud quemcunque judæum repertis blasphemis & injuriosis positam solummodo restrinxerim ad ultimi ordinis quosdam particulares libellos, quinimmo nisi mirificam cæcitatem in adversariis suspicio auri judaici & odium invidiaque peperisſet, videretur eis necessario iste intellectus esse circa omnes judæorum libros cujuscunque conditionis, facultatis aut ordinis fuerint, & aliud intellectum pati non posse, quod meridiana luce clarius ex consilii responsione ad argumentum secundum verba mea expresse patefaciunt. Fuit enim in vestibulo & janua consultationis meæ ante omnem distinctionem aut ordinem in genere ad quæstionem ipsam de libris judæorum in prima charta hoc objectum argumentum. Quod blasphemant Jesum, Mariam & apostolos, etiam nos & christianam ordinationem. Ad hoc argumentum in fine consultationis post omnem determinationem meam sic respondi: Hoc esset efficax argumentum, & propterea ego super talibus libris ubicunque invenirentur meam condemnationem in principio posui, hæc fuerunt verba mea. Nunquid clare inde constat, quod condemnationem meam sine aliqua restrictione generaliter ad omnia volumina intenderim referre, quam essent injuriosa & blasphema. Quoniam igitur omnes & singuli blasphemiæ libri universaliter sunt a me condemnati, sequitur quodsi inveniantur aliqui thalmudici libri esse blasphemi, aut contra ecclesiæ ordinationem hæretici, quod eosdem condemnaverim. Nam hæresis sub blasphemia comprehenditur, eo quod secundum S. Hieronymum in homilia quarta super cantica. Hæretici non dogmata veritatis sed blasphemias in deum & iniquitatem in excelsum loquuntur. Ergo cum in principio separavi omnes blasphemos & hæreticos judæorum libros ab aliis non hæreticis neque blasphemis, per judicium condemnatorium ad perimendum seu comburendum igne. Qua temeritate audet falsarius scribere? quod thalmud hæresin continentem indistincte voluerim conservare, diaboli mendacis ipse mendacissimus discipulus, quem nulla retrahit a tanto famicidio verecundia, cum legerit quoque & secum legerint fere mille homines, me thalmud sæpe distinxisse, primo in quatuor facultates superiores theologiam leges, canones & medicinam. Deinde secundaria divisione distinxi eadem charta facie altera thalmud in blasphemias, seu hæreses ex una, & fatuitates atque stultitias ex altera partibus. Subjungens me non posse talia ostendere in locis propriis, quia thalmudista nunquam fuerim, sed quæ cognoverim ex nostris ea referam, ut legitur in Fortalicio fidei libro tertio consideratione octava & ante, ubi ea quæ judæi contra nostram fidem dicunt, ipse auctor quisquis fuit nominat cæcitates, falsa mendacia & crudelitates. Ea autem quæ contra legem naturæ ac morum, contra charitatem & legem Mosaicam dicunt aut scribunt, appellat idem fatuitates aut stultitias, nominans eos amentes & insanos, sic faciunt & alii multi de nostris quos ego secutus & alios quoque hebræorum libros imitatus, dixi me posse credere multa eorum similia inveniri in thalmud, qualia olim contra dominum nostrum & ejus amicos sæpe in præsentia sua locuti sint, citando blasphemias, quas in evangelica historia legimus, qua in re ut in omnibus mihi adversaretur, & a planta pedis usque ad verticem non esset in me ab eo permissa sanitas, etiam historias veras redarguit, & quarum omnino haud potest inficias ire, dicit sic: Esto quod judæi id dicerent, debebat doctor iste continuisse ambas aures suas, cum multa digressione rhetorica, & demosthenico invehendi apparatu quasi non & turpiora in libris Pepericorni sui scripta legatur, & nefandiora de judæis cum veritate in quotidianis sermonibus prædicentur & prædicari debeant in ecclesia, quoniam evangelica veritas scandalum non parit in cordibus orthodoxorum, quam christus jussit prædicare super tecta. Sed illas blasphemias iste quasarius cum suis quasalitatibus mihi ipsi quasi attribuere videtur, asserens eas se nunquam in evangelio legisse, quod valde credo, quia sophista evangelicæ non studet historiæ, sed apparentiæ tamen redargutionum. Unde iterum applicat dorsum suum ad mendacia, plurimum disputans de servato juris ordine ac legum respectu, quem ego nunquam dixi esse servatum, & ne verbum quidem feci, neque de legibus neque de ordine juris. Sed audi cæsar alterum locum in quod scriptura mea est ab isto Colonienſium mandatario falsata, nam ut illud jam dictum mendacium coloraret, verba ipsa, quæ scripsi, quod judæi de christo ita dicerent: *Des sie dann mit im gerechtet haben*, de germanico in latinum

tinum falſe tranſtulit ſic: *ſuper quibus etiam ipſi eum jure conveniſſent*, ut per hanc immutationem poſſet me poſtulare perfidiæ, quod juris fecerim mentionem, & ſuper hoc verbo jure, longam ſcripſit & ementitam invectivam, erat autem ſecundum proprietatem linguæ noſtræ germanicæ de verbo ad verbum ita transferendum, ſuper quo tum ipſi cum eo judicio contenderunt. Nam hoc verbum teutonicum *rechten*, ſignificat in judicio contendere ſive agere, non conſiderato vel jure vel injuria, quicquid enim cum altero coram tribunali agitur, in alemanico *rechten* dicitur. Aliud eſt nomen recht, quod jus ſignificat, ſed verbo activo ſum uſus non nomine. Alteram falſitatem commiſit in eadem propoſitione quinta, volens enim mihi conflare acerbiſſimum odium, dixit me graviſſimas blaſphemias in chriſtum expreſſiſſe ſine ulla divinæ majeſtatis habita reverentia, quapropter omiſit iſtud erga parentem pium filiorum verbum, quod ob reverentiam divinæ majeſtatis, ut debui domino noſtro Jeſu chriſto exhibui ſcilicet dilectum ſeu amabilem. Sic enim ſonat in alemannico, *wider unſern lieben herrn Jeſum*, id eſt, contra noſtrum dilectum ſeu amabilem dominum Jeſum, quod tamen velut per ſe inexiſtens theologi plusquam in mille locis non addunt, & frequenter evangelia de Jeſu ſine honoris præfatione loquuntur. Quando enim fidelis fideli ſcribit talibus exornationibus opus non eſt. Memento hic Cæſar, quod evidentia veritatis cogente, confitetur graviſſimas blaſphemias in chriſtum me hic expreſſiſſe, quas aut quarum ſimiles credam in thalmud inveniri poſſe, quo facilius agnoſcas deteſtanda ſua mendacia, quibus ſæpe dicit me laudare thalmud, quem a turpitudine hæreſi blaſphemia & falſo excuſare & honeſtare coner. Contrarius igitur ſibimet ipſi eſt, & pugnantia aſſerit, tanto & tam intolerabili contra me furore commotus, ut ſua mendacia rebus veris applicare non poſſit, quod tamen omnium eſt deceptorum ſingulare ſtudium, licet tanquam alter Proteus nunc in aquam, nunc in ignem labatur, & ſicut anguis in gramine repens, & vulpes cauda quantum valet ſua veſtigia ſubigens, ait: quod nunc judæi has blaſphemias quaſi a me excogitatas ſint audituri. Miſer ſycophanta putat judæos evangelium noſtrum non etiam in hebraico tenere translatum, & non legiſſe in angulis, quod nos prædicamus ſuper tecta. Scripſi ſcilicet talia, non idem ſed talia judæos ſcribere poſſe, qualia in evangeliis legimus dixiſſe: Non ſcripſi eos juſtam mortis ſententiam obtinuiſſe. Mentitur falſarius nebulo, ſed judæos ſcripſi dicere, quod coram imperiali judice ſententiam contra chriſtum obtinuerint. Quod duabus de cauſis reprobat theologiſta. Primo quoniam nullibi evangelium exprimit, tanquam contra judæos hæc dicentes pugnaturus de evangelio, quamvis & in hoc mentiatur, quod & Lucas teſtatur, & prima Petri ſecundo, tradebat autem judicanti ſe injuſte, ſed deſperans de ſalute ſua Arnoldus omnia audet mentiri & pervertere. Nihilominus ut apertiſſime pateat, eum non eſſe theologum, quia veros theologos non legit, ſed ſolum ſua parva logicalia, Produco in palæſtram S. Hieronymum *Matthæi XXVII. ſuper verbo, tunc dicit illi Pilatus*, ubi ſic ſcribit: „Ethnicus quidem eſt, qui condemnat „Jeſum, ſed cauſam refert in populum judæorum, „& infra. Sed ſciendum eſt romanis ea legibus „miniſtraſſe, quibus ſancitum eſt, ut qui crucifigi„tur, prius flagellis verberetur, hæc ille. Secundo repugnat detractor, quia dicit converſos ſuos palam teſtificari, quod hæc & talia nunquam audiverint in judaiſmo exiſtentes. Equidem teſtibus illis interrogatoria non dedi, nec poſſum ſcire quid audiverint aut legerint, ſimul quoque ſuſpicor Arnoldum propter conſuetudinem mentiendi etiam in hoc loco de ſuis converſis eſſe mentitum, quod ſi aliquando tamen (dei gratia) vix ſemel vera dixerit, certe ignaros & imperitos lectionum hebraicarum eſſe ſuos converſos putandum eſt, qui non legerunt judæi, quod ego chriſtianus legi, quomodo igitur per tales & tam ignaros voluiſſet inquirere judæos de ipſorum libris hebraicis? niſi calumnioſe, ut ſolet omnia. Ego vero me ipſum profiteor hæc legiſſe in libris & ſcripturis judæorum, ut in *libro Nizahon capite ducenteſimo nono*, ubi ſic ſcribitur, אך דע כי מכשף היה וכל נפלאיתיו היו כישוף על כן נידין למיתה ברין ובמשפט כאשר ציונו אלהינו: „id eſt, Veruntamen noverunt quod maleficus ma„gus fuit, & omnia miracula ejus fuerunt venefi„cium, propterea ſententiatus eſt ad mortem per „jus & per judicium, ſicut præcepit nobis deus no„ſter. Aut igitur ipſe Arnoldus iterum mentitus eſt, aut converſi ſui adverſum me ſunt mentiti, aut utrique temerarii odio & livore in meam infamiam converſi ſunt vel perverſi potius. Quod autem accuſaverint eum de uſurpando regno patet *Lucæ XXIII.* hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram & prohibentem tributa dare cæſari, & dicentem ſe chriſtum regem eſſe. Cæterum ne viderer eam collectionem librorum quæ dicitur thalmud de iſtis a me recitatis blaſphemiis temere inſimulare, qui thalmud eo tempore nondum legeram, concluſi hanc primam partitionem ejus iſtis verbis: Talis & ei ſimilis intentio poſſet forte in thalmud reperiri in illis locis, ubi ſe materia obtuliſſet de eo ſcribendi, teutonice ſic: da es die materi begeben hette da von zeſchriben. Quod iterum criminator falſavit hoc modo, in his locis ſeu angulis, in quibus ea ſcribendi materia exegiſſet, ubi pro occurrit, vel ſe obtulit ipſe interpretatus eſt exegit, ut calumniandi occaſionem ignorantibus perſuaderet, tanquam judæos dixerim in neceſſitate compulſos ad ſic ſcribendum, ac non potius hoc ſentirem, eos talia ſcripſiſſe, ubi ſe obtuliſſet de Jeſu chriſto ſcribendi locus, ut puta de ejus vita, converſatione ac morte. Unde ſic exclamans inſidiator: Quæ eſt iſta materia inquit, quæ requirere poſſet apud eos, ut blaſphemetur chriſtus, ut immaculata virgo deturpetur. Quæ neceſſitas impellit eos? Ecce quomodo ad probationem diffamationis falſo utitur, quod ipſe falſavit. Manifeſta eſt hactenus clementiſſime cæſar ipſius thalmud diſtinctio, primum in quatuor facultates, deinde in hæreſes & ſtultitias. Nunc qualiter alterum ab altero ſegregaverim, judicando vide. Scripſi enim de thalmud non cremando charta X. hoc modo: „Nit red ich es darumb, das ich den thal„mud wœlle gut machen ann den enden da er zu „uerwerffen iſt, ſunder allain zu bewyſen, das er

nit

„nit zuverbrennen oder zu vertilcken sei vmb des „willen das inn im ettlich narhait vnd tœrechtig „mainungen in disputation weis begriffen sindt. „id est, non loquor hæc ideo, quod ego thalmud „velim bonum facere ubi abjiciendus est, sed tan„tummodo ad ostendendum, quod non comburen„dus vel delendus sit propter id, quod in eo aliquæ „stultæ & fatuæ intentiones per modum disputan„di seu differendi contentæ sint. Hoc totum omisit falsarius, & in nullo famosi libelli sui loco vel verbi ejusce meminit. Quapropter in cri- Crimen men falsi omnium prudentum judicio ma- falsi. nifeste incidit. Quod & Cicero Romanorum scientissimus juris affirmat in oratione pro Roscio comœdo. Æque enim tabulæ inquit condemnantur ejus, qui verum non retulit, & ejus qui falsum perscripsit, cujus pœna & ad L. Corneliam de falsis constituitur in eum, qui ut verum non appareat, qui celaverit. Constitui omnes libros blasphemos & hæreticos igne comburendos. Replicavi & in hoc loco de thalmud, quando est sonticus & malignus. Sed ubi continet stultitias, & fatuitates, facetias, adagia, dicteria, jocos, fabulas, quod hebræi vocant אגדה pro illa parte jam eum segregavi a blasphemis, & putavi probabiliter eum talem non esse comburendum, quando judæi per tales libros non turbant pacificum statum ecclesiæ, potissimum ut audio illis libris non astricti ad credendum. Quod rabi Jehiel filius Joseph scribit in disputatione gallicana, cum de libris thalmudicis inter cætera sic inquit: אך יש בהם רבני אגדה להמשיך לב האדם לחבין המליצה אם תרצה תאמין ואם לא תרצה לא תאמין: id est, Enim„vero sunt in eis sermones agada hoc est, fabularum „(sicut nos dicimus studia humanitatis) ad indu„cendum cor hominis ut intelligat eloquentiam, si „voles credes, si non voles non credes, hæc ille. Ita nos poëtarum, oratorum, philosophorum & historicorum libros etiam paganorum propter eloquii venustatem legimus, & non comburimus, quamvis Antonius narret Titum Livium a Gregorio papa esse concrematum. Quia vero constat me thalmud distinxisse tanquam generale in plura particularia variarum conditionum, quæ diversam penitus naturam & rationem habent. Nam alia est ratio blasphemiæ, alia stultitiæ, quorum tamen quodlibet vere dicitur thalmud, mirandum incredibiliter & stupendum est de homine, qui philosophum atque theologum præ se fert, quod non pudeat tantæ ignorantiæ in re tam facili, tam trita omnium scholasticorum, ut opprobrio atque vitio immo crimini mihi vertat, quod thalmud non esse comburendum scripserim, in quo maxime notatur Arnoldus insciti a & imperitia logicæ artis. In hoc enim universi conveniunt, si omnes homines currerent, præter unum Socratem, quod vere dicerem homo non currit. Quare igitur non consentit iste, si omnes thalmudici libri essent hæretici & propterea comburendi præter unum medicinæ librum, qui dicitur thalmud Zeraim, quod vere dicerem thalmud non esse comburendum, quoniam ad indefinitæ propositionis veritatem sufficit unam ejus singularem esse veram. Sic utraque propositio vera esse posset, Thalmud est comburendus, & thalmud non est comburendus. Nisi jam relicta sua facultate mecum decertare vellet in jure, quam tamen facultatem illustrissimam ante vilipendit & sprevit, diceretque indefinitam in jure æquipollere universali, ut thalmud non esse comburendum, æquipolleret huic, nullum thalmud esse comburendum, vel omnem thalmud non esse comburendum. Cui liceret mihi per jura quoque respondere capiendo *glo. magn. in c. ut circa de elec. li. vi.* quæ dicit: quod quando non est eadem ratio & conditio propter aliquod accidens omnium particularium in universo comprehensorum, tunc indefinita non æquipollet universali, quod & Dynus approbat *de re. jur. lib. vi.* sub rubrica. Eodem modo si dicerem: thalmud non est hæreticus, intelligendum esset secundum omnes logicos de aliquo particulari thalmud in quo non inveniretur hæresis, ut subjectum propositionis indefinitæ acciperetur pro tali, quale illud esse permitteret prædicatum. Ergo si quæras, an omnes libri judæorum præter bibliam sint comburendi, & ego simplici & bono animo non professus theologicas subtilitates respondeam: Omnes libros blasphemos & hæreticos esse comburendos, magicos & reprobatæ lectionis libros esse comburendos. Deinde sic: Commentarios bibliæ non esse comburendos, artium libros non esse comburendos, cabalisticos non esse comburendos, thalmud non esse comburendum. Nonne satis distincte affirmatum a me fuisse arbitraberis? ut si reperiatur aliquis thalmud hæreticus videlicet contra tolerantiam ecclesiæ, quod ille judicio meo sit comburendus. Sicut in simili cum aliquis hostis theologorum a me semper amicissimo theologiæ fautore quæreret. An omnes theologi præter sanctos sint comburendi, & ego tum nihil mali suspicans responderem: Omnes theologi, qui perseverant in hæresi, sunt comburendi. Deinde sic: Scotistæ non sunt comburendi. Occanistæ non sunt comburendi. Albertistæ non sunt comburendi. Thomistæ non sunt comburendi. Mox ille maledictus hostis theologorum injuriose contra me insurgeret ac proterve nimis insultaret verbis contumeliosis sic mihi loquens: Quare mentitus es affirmando, quod Thomistæ non sint comburendi, jam dicis contra ecclesiam & contra papam. Nam papa fecit comburi tres doctores Thomistas Florentiæ in italia anno domini M. cccc. lxxxviii. & alios quatuor Thomistas fecit comburi Bernæ in alemannia anno domini M. D. VII. Ad hæc ego humiliter responderem homini protervo. Amice ac frater, illi, quos tu recenses thomistas proximis annis fuisse combustos, fuerunt (ut fama est) hæretici, de quibus ego prius ab initio responsionis meæ tibi dixi, quod omnes perseverantes in hæresi sint comburendi. Nihilominus tamen iste hostis prænotatus persequeretur me multis injuriis canendo, scribendo, loquendo, quod ego essem mentitus de thomistis, qui affirmaverim eos non esse comburendos contra papam, contra ecclesiam, contra christum & contra Paulum, & nisi revocarem tanquam scandalosum, ipse me vellet flammis & nece perdere nequissimum auctorem. Nonne misericordia dignus viderer Colonien sibus theologiæ professoribus Albertistis & Thomistis ob tam injustam lacerationem? Tunc certe merito cuncta sua parva logicalia, exponibilia, insolubilia & obligatoria, libellos de modo respondendi & opponendi, omnes paralogismos, omnia sophistica evolverent,

rent, ut dictum hoc meum ſalvarent, quo affirmaverim Thomiſtas & Albertiſtas non eſſe comburendos. Uterentur ſaltem appellatione rationis, qua licet vera eſſe poſſit propoſitio hæc, papa Thomiſtas combuſſit, tamen illa non ſit vera, papa combuſſit Thomiſtas, quia non combuſſit illos ea ratione qua fuerunt thomiſtæ, ſed qua fuerunt hæretici. Quare igitur non eandem mecum habent patientiam? ſi poſt generalem condemnationem librorum hæreticorum, dixi thalmud non eſſe comburendum, intelligens ea ratione qua thalmud eſt, cum multi reperiantur thalmudici libri naturales & impunes, licet ea ratione qua thalmud aliquis eſſet intolerabiliter hæreticus poſſet mea ſententia comburi, ut ex univerſali propoſitione mea claruit. Cum itaque ut in iſta quæſtione jam expedita ſic etiam in hac quæſtione de thalmud non ſit eadem ratio & conditio in particularibus, certe indefinita neque tunc logice neque juridice debet æquipollere univerſali. Quædam enim thalmud continet ut ajunt omnino bona, & illa omnium judicio ſunt conſervanda, quædam tamen fatua & ſtulta, & illa nullo jure ſunt ad perimendum condemnata. Alia vero contumelioſa chriſto & ſanctis blaſphemaque, & illa ſunt comburenda etiam ſecundum leges, quamvis judæi dicant nullum thalmud neque contra Jeſum chriſtum dominum noſtrum neque contra Mariam matrem ejus quicquam tractare. Sic enim idem rabi Jehiel filius Joſeph in diſputatione gallicana de beata virgine ſcripſit: אין לנו לדבר עליה כי מה חטאה ומה פשעה וכי מעצמינו ומבשרינו היתה וכל התלמוד וכל האגדה לא דיבר עליה כי היא שהניח עליה אחרת היתה; id eſt, „Nil nobis „ad dicendum contra eam, quoniam quid peccavit? & quid deliquit? Et quidem de oſſibus „noſtris & de carne noſtra fuit, & omne thalmud „& omne poëticum non locutum eſt contra eam, „quoniam illa ſuper qua enunciatum eſt altera „fuit, hæc ille. Quod in eodem volumine multis conatur probare argumentis. Affirmat autem idem auctor quod etiam thalmud nil dicat contra Jeſum chriſtum noſtrum. Sed Jeſus Nazarenus de quo thalmud loquitur fuerit alius, ſicut & in multis hiſtoriis inveniantur plures ejusdem nominis atque ejusdem civitatis ſimiliter vixiſſe & ſimiliter occidiſſe. Recenſetque ad minus duos Jeſus Nazarenos diverſis temporibus fuiſſe, & thalmud loqui de Jeſu Nazareno qui diſcipulus fuit rabi Joſua Parhaja ad idololatriam tandem converſo ante annos centum & decem priusquam Jeſus chriſtus noſter naſceretur, & multos diſcipulos a rabi Joſua ad ſe traxit, qui quidem idololatræ per longa deinde tempora dicti ſunt Nazareni, de quibus forte loquitur, *S. Hieronymus* ſuper *Matthæum cap. XXVII.* ita ſcribens: „Legi nuper in quodam hebrai„co volumine quod Nazarenæ ſectæ mihi hebræ„us obtulit Jeremiam apocryphum. Quæ ſi vera eſ„ſent de Jeſu diſcipulo Joſua Prahaja ut Jehiel ſcripſit, ſeveriore profecto pœna juſte plecterentur judæi, ſi quod a ſuis majoribus ſcriptum fuiſſet de quodam idololatra ut ipſimet confitentur, id jam perverſe chriſtianis inſultando applicarent ad dominum noſtrum Jeſum chriſtum. Et quod de alia quadam Maria poſitum invenirent, id in beatæ virginis Mariæ ignominiam publice converterent. Sed ut ea in parte thalmud ego ipſe quoque viderem, comparavi mihi a quibusdam chriſtianis libros thalmudicos Sanhedrin, & inveni materiam iſtam in volumine Helek, cujus verba ſunt hæc: תנו רבנן לעולם תהא שמאל דוחה וימין מקרבה לא כאלישע שדחפו לגיחזי בשתי ידיו ולא כיהושע בן פרחיה שדחפו לישו הנוצרי בשתי ידיו id eſt, „dixerunt magiſtri, ſemper ſit ſiniſtra „repellens & dextera propinquans. Non ſicut „Eliſæus qui amovit illum Geheſi cum duabus ma„nibus, & non ſicut Joſua filius Prahaia qui amovit „illum Jeſum Nazarenum cum duabus manibus, „& reliqua. Ubi poſt enarrationem facti Eliſæi & Gehezi deinceps longiuſcule explanat hiſtoriam de rabi Joſua filio Parahaia quoniam diſcipulum ſuum Jeſum Nazarenum a ſua ſchola expulit, & ille abiens adoravit idola & vexavit iſrael. Qui vero res geſtas conſiderant per hiſtorias, dicunt ſe invenire totum hunc tractatum de Jeſu fuiſſe peractum ſub Hircano Machabeo Simonis Machabæi filio, qui fuit circiter centum & decem annos ante domini noſtri Jeſu chriſti nativitatem, vel aliquanto plus ſecundum Joannem Annium Viterbienſem in commentariis ſuper Philonem de temporibus. Hæc incertus adhuc nec affirmo neque nego, quod proteſtor ne alteram calumniandi mei ſumat adverſarius occaſionem, tamen cum negatio judæorum quorundam ut jam audivimus faciat in judicio cauſam dubiam in non notoriis, ut ſaltem opus ſit proceſſu declaratorio, non potui omnes libros thalmudicos judicare ad ignem, quare in mea deciſione contra blaſphemos libros facta de cremando, addidi verba hæc: Attamen non aliter quam poſt ſufficientem examinationem & legitimam ſententiam. Quæ omnia qualiter ſint intelligenda ſecundum mentem meam, clare patet in publicatis a me declarationibus, ad quas totum hoc negotium refero, quibus merito fuiſſet retractus calumniator a tanta mihi ab eo illata injuria. Quarto falſavit ſcripturam meam infamis Arnoldus theologiſtarum Colonienſium mandatarius in propoſitione ſua nona multipliciter. Cum enim de oratione velameſumadim ſcriberem, accuſationem circumferri adverſum iudæos, *als die das ſolten betten ſunderlich wider vnſs chriſten*, id eſt, „quaſi ipſi eam „deberent orare ſpecifice vel particulariter contra „nos chriſtianos. Falſarius poſuit, quaſi hanc orarent ſignanter contra nos. Per hoc adverbium ſignanter dicit me negare quod non poſſint nos in ſua petitione deſignare, quod ego nunquam dixi. Sequitur deinde horrendum crimen falſi, cum ſcripta mea ſic immutavit, ubi enim ſcribo. *So findt man kain wort darinn das weder die taufften, noch apoſteln, noch chriſten, noch das rœmiſch reich bedeutet oder haiſzt.* Falſarius in libellum famoſum ita traduxit. Invenitur nullum verbum in illa oratione eſſe quod contra baptizatos, aut apoſtolos, aut chriſtianos, aut romanum imperium interpretetur aut ſonet. Quod de veritate linguæ noſtræ ſic erat transferendum. Invenitur nullum verbum in ea quod neque baptizatos, nec apoſtolos, nec chriſtianos, nec romanum imperium ſignificat vel vocat. Ex ſua igitur falſa interpretatione dolo malo conficta invehitur contra me dicens: quod eam orationem affirmem judæos non orare contra nos, quod ſimpliciter falſum eſt.

Nunquam enim negavi eam orationem factam esse universaliter & in genere contra omnes inimicos suos, sed probabiliter negavi eandem orationem communibus verbis compositam contra christianos aut contra romanum imperium particulariter aut specialiter factam esse, aut sic a synagoga dici. Sicut neque psalmum, deus laudem meam ne tacueris, aut deus venerunt gentes & similes. Quare falsarius transtulit signanter pro adverbio particulariter aut specifice. Quem enim quilibet singularis judæus in animo suo signet orando, ego nescio, sicut neque scio quem singularis christianus in corde suo designet precando. Sed hoc scio quod synagoga judæorum præceptum habet quod & legit & inter se in festivitatibus publicat, ut omnes judæi debeant orare pro pace regni. Sic enim scribitur in Perakim quod in libro quotidianarum orationum legunt בפרק השלישי hoc modo. ר' חנניא סגן הכהנים אומר הוי מתפלל בשלומה של מלכות שאלמלא מוראה איש את רעהו חיים בולעינו id est, „Rabi Hannania princeps sacerdotum dicit: Sis orans pro „pace sua ipsius regni quoniam nisi esset plenum „timore, quilibet socium suum vivi deglutiremus „nos. Quid mihi suos conversos allegat? quid mihi complices adducit? ego ne illis credam? qui aperta mendacia fingunt. Si hoc mihi faciunt christiano, quid facerent judæis? Scribo nullum inveniri vocabulum in oratione velamesumadim quod neque baptizatum nec apostolum nec christianum nec papam nec romanum imperium de proprietate sermonis significat. Id satis probavi in consilio & declaratione vulgari, quod cum refellere nequeant, conantur scripta mea falsare & in effectu falsant, transferuntque ad latinum sic me scripsisse, quod nullum verbum in illa oratione sit quod interpretetur aut sonet contra baptizatos aut romanum imperium. Nusquam autem dixi quod tion interpretetur aut interpretari vel sonare possit contra baptizatum aut imperium, sed nullum vocabulum de proprietate sermonis significare baptizatum aut imperium romanum, quod si falsum esset, certe cum habeat conversos suos ut se jactat adversarius, quare non dudum ostendit aliquem locum extra hanc causam approbatum & receptum? ubi Meschumad præcise quemlibet baptizatum aut christianum significet. Quomodo igitur judæi orarent quod baptizato non debeat esse spes? cum ipsi de quolibet ex eis baptizato spem habeant ut ad eos revertatur, & revertentem cum gaudio recipiunt. Quamvis autem hæc de proprietate & natura vocabulorum disputavi, tamen nihilominus per hoc volui non solum grammatice verum etiam logice ethice & juridice nullam fieri debere interpretationem transsumptionem seu metaphoram nominis aut vocabuli cujuscunque in perniciem alicujus quod æque possit in bonam partem interpretari, tum autem multo minime quando potest tendere ad homicidia & seditionem, quam intendisse Pepericornus ex libellis suis conjectura fortissima deprehenditur, ut in apologia mea contra eundem scripta monstravi, qui non solum hanc orationem Velameschumadim falsè traduxit, sed etiam sequentem mox illam in suo libello quem hostis judæorum inscripsit majore dolo malo additis etiam mendatiis calumniatus est dicens, quod in festo propitiationis cognomento Kipurim judæi orent maledictionem istam contra nos his verbis. „Per„turbabit deus cogitationes & consilia inimicorum „nostrorum occisione gladio fame peste & cæteris „præcipuis plagis & id fiat nostra causa precamur, hoc addidit denique de suo sic dicens: Verba hæc omnia quis nescit adversum nos christianos dici neque id dissimulare possunt. Utque cognoscas cæsar aperta mendacia, ne in aliis quoque translationibus cogamur eis firmiter credere. Audi verba ipsa orationis quæ falsarius mutilavit: אבינו מלכינו בטל מחשבות שונאינו: א"מ חפר עצת אויבינו א"מ כלה כל צר ומשטין מעלינו א"מ כלה דבר וחרב והעב ושבי ומשחית ומגפה מבני בריתך: id est, „Pater „noster, Rex noster, Destrue cogitationes odien„tium nos. P. n. R. n. confunde consilium inimi„corum nostrorum. P. n. R. n. fini omnem tri„bulationem & adversitatem a nobis, P. n. R. n. „Fini pestem & gladium & famem & captivitatem „& corruptionem & plagam a filiis fœderis tui. Videmus & audimus quod a seipsis deprecantur mala quæ interpres latinus recenset, & nemini imprecantur. Nec invenitur quod ait & id fiat nostra causa precamur, quanta fides sit istis hominibus adhibenda cogitet unusquisque. Sunt alii complures loci quos in consilio meo Colonienses sycophantæ per suum mandatarium dolo malo & falsè corruperunt partim de mendacio redarguendi mei causa, partim denique (quod horrendum est) ad infamandum me de suspicione infidelitatis. Vocabulorum autem multorum & diversorum crebram immutationem judicio committam conferentium mea & sua, & latinum eorum cum meo alemannico comparantium, & quæ magni sint & quæ parvi præjudicii, ut cum dixi per eorum consensum, illi transtulerunt ex spontanea electione, & cum dixi, quod nemo posset thalmud judicialiter vel de jure rejicere, qui eum non intelligit, illi omiserunt judicialiter vel de jure. Et in propositione XII. celavit & omisit falsarius, ad quod quotidie oporteret jaculari. Et in eadem propositione quandam novam sententiam incipit per hanc dictionem verum, quam continuitate sermonis legendam scripsi, in quo falsavit dictionem alemannicam, *dann*, quæ significat quia, & nunquam denotat conjunctionem adversativam verum. Item propositionem XVII. falsavit celando & omittendo relativum initii, quo sermonem meum retuli restrictive ad viros in præcedenti oratione nominatos sic dicens: Ex illis omnibus doctis & sanctis viris, pro quo falsarius posuit universaliter sic, ex omnibus doctis viris, & pro *begert hab*, id est, petiverit, ipse posuit auspicatus fuisset. Item in propositione XVIII. quatenus quod est hic temporis, male & contra mentem meam exposuit ut in disputatis & declaratione vulgari ante sibi apparuit. Item in propositione XX. falsavit ferme totum sermonem immutando addendo interserendo quæ in eo consilio nusquam cernuntur. Item in propositione XXIV. pro eo quod dixi qui se sustentare cogitur illi parum superest. Falsarius posuit qui se juvare habet. Item in propositione XXV. falsavit iterum scripta mea delendo celando surripiendo verbum cognitu necessarium ad veritatem, cum enim scripserim sic præsertim quando

ipsi

ipſi (ſcilicet judæi) nobis nil contrà jus faciunt, & noſtram chriſtianam eccleſiam publice non contemnunt, quia chriſtiana eccleſia habet alioquin nihil cum eis agendum. Hanc dictionem, *ſunſt*, id eſt, alioquin celavit & interlevit falſarius, qua excluditur turbatio ſtatus eccleſiæ & ſingulorum membrorum ejus, & includitur pacifica vita judæorum, quare mentitur falſarius ſcribens in eo loco de me, quod abſoluto ſermone univerſaliter dixerim: quod nihil ſe habeat intromittere eccleſia, & hic omiſit totam & integram orationem præcedentem, ut me falſo calumniaretur. Item in XXX. propoſitione, nec tu potes malo id animo ex me ſuſcipere, falſarius omiſit, *im rechten*, id eſt, in judidio ſeu in jure. Item in propoſitione XXXII. falſarius iterum amovit verba præcedentia de judæis dicta, quod poſſet ſe aliquis velle excuſare, eo quod nos quotannis dicamus eos perfidos judæos, quod inter ſe ipſos poſſent dicere mentiuntur nos non ſumus perfidi. Nam hic falſarius dolo malo incepit proprium & ſeparatum capitulum ſuæ propoſitionis acephalum ſic, ex quo ſingulis annis inclamamus eos in eccleſia perfidos, perinde ac ſi eſſent mea verba excuſationis aſſertiva, quæ tamen ſunt verba judæorum in oppoſitum argumentative per me allegata, non quod revera excuſentur, ſed quodam colore fruſtra nitantur, aliud eſt enim ſe velle excuſare, & aliud ſe excuſare, & multum intereſt inter velle & perficere. Sic multifariam multisque modis ſermonem quem in perſona judæorum ſub forma dramatis loquor, ille mihi ipſi attribuit tanquam aſſertive illa ſentiam, ut jam iterum patebit. Item in propoſitione XXXV. & XXXVI. falſarius ex arte ſophiſtica falſavit ſcripta mea dividendo, quæ ego conjunctim legenda ſcripſi. Utque ſua dolola corruptio & depravatio fiat omnibus manifeſta, ego in ſolutione ſecundi argumenti ab initio ad quæſtionem generalem generaliter objecti ſic ſcribo: „Ad ſecundum argumentum ita poſſet dici, quod tales „libri injuriantur ſeu blaſphemant Jeſum, Mariam, „& apoſtolos, etiam nos & noſtras eccleſiaſticas „conſtitutiones, hoc argumentum & hæc cauſa „eſſet efficax, propterea ego de talibus libris, „ubi reperirentur, meam condemnationem in prin„cipio poſui, ego autem eorum nullum unquam „neque vidi neque legi, præter duos nominatim. „Nizahon & Tholduth Jeſu Hanozri. In aliis li„bris, quos hactenus vidi vel legi, invenio nullam „injuriam ſive contumeliam, præter quod fidem „attinet. Ibi tenent ipſi pro eo, quod fides eorum „ſit recta, & noſtra ſit iniqua. Inveniuntur bene „aliqui judæi qui opinantur quamlibet nationem „in fide ſua ſalvari poſſe, & ſicut nos præcepta „Moyſi non ligent, ita ſint ipſi præceptis Jeſu non „ſubjecti, ſed ipſi ſint obligati Moyſi præcepta te„nere, quia deus ea ipſis dederit & alias nemini. „Ita ſumus nos Jeſu præcepta obligati tenere, „quia deus ea nobis dederit, ideo quicquid ſcri„bant ad id deſerviens quod Jeſus non ſit deus, „& quicquid ex eo ſequitur, hoc eſt fides eorum, & „velint per hoc neminem injuriari, & hoc eccleſia „chriſtiana circiter mille quadringentos annos „toleravit & paſſa eſt, & ipſum nunquam pro „contumelia acceptavit, *c. conſuluit. in fi. de judæ.* „præterea Jeſus hic apparuit ſicut homo, & ſicut „ſervus, ſcribit *S. Paulus ad Philip. II.* ita & non „aliter reputaverint eum etiam judæi, & de eo ne„que de matre ejus etiam de apoſtolis nihil di„vinum tenuerint & adhuc. Utrum illud ſit injuria, hoc trado illis metiendum, qui in jure civili „ſuper l. item apud §. ſi quis virgines ff. de injuriis, „& in jure canonico ſuper c. inaudientia extra de „ſententia excom. ſcripſerunt. Hactenus hæc ita ſcripſi quæ falſarius diſcerpſit in multas partes & mutilavit, fregit, fruſtillavit miſerabiliter, cum ſit & eſſe debeat una contiguitas lectionis & perpetua oratio. Falſavit autem omnia diabolice interpretando in pejus, cum potuit interpretari in melius, & commutavit modos verborum perinde atque debeat reputari aſſertio mea, id quod ſentio, judæos contra meam deciſionem opponere. Ex hoc enim manifeſte apparet lucidius ſole, primo, quod omnes libros blaſphemiæ & injurioſos univerſaliter condemnavi. Secundo, quod ego hactenus non legerim libros hebraicos, qui ad aliquam ſingularem erga nos injuriam aut contumeliam tendant, præter duos Nizahon & Tholduth, non quod alii non ſint, quos tamen neſcio, ſed quod hi ſint. Tertio, quod aſſertive tenui & expreſſis verbis ſentio, quod judæi credendo fidem ſuam judaicam, ſaltem aliquo modo faciant chriſto & eccleſiæ injuriam. Ita enim hoc loco ſcripſi, videlicet. In aliis libris, quos hactenus vidi vel legi, invenio nullam injuriam ſive contumeliam, præter quod fidem attinet. Ergo in eo quod fidem attinet, ſenſi generaliter fieri contumeliam & injuriam. Contra hanc aſſertionem meam, poſui ego cætera quæ ſequuntur judæorum argumenta quatuor, quod per ſuam fidem nullam committere videantur injuriam, *primo*, quia credant omnes gentes ſalvari poſſe in ſua fide. *Secundo*, quia quod credant Jeſum non eſſe deum ſit fides eorum nullo animo injuriandi. *Tertio*, quia eccleſia tolerat, *quarto*, quia tenuerint Jeſum pro homine ſicut ipſe in humana natura apparuit. Iſta omnia judæorum argumenta mihi attribuit calumniator iſte canis meus, cujus rictus mendax & vaniloquus menalio ramo retundi deberet, ac ſi non diſputando ſed aſſertive decidendo hæc ſcripſerim. Cum tamen his non conſideratis ego nihilominus in præpoſita mea concluſione fixe permanſerim nusquam recedendo ab ea, ſcilicet quod injuriam & contumeliam faciant etiam in his, quod fidem eorum attinet. Et ſolutionem oppoſiti tanquam rem claram & indubitatam rejeci ad ſcribentes in jure, qui omnes uno ore dicunt & ſcribunt talem & ejuſcemodi ignorantiam eſſe craſſam & ſupinam, neque hominem relevare ab injuria, ſicut de eo latius & clarius ante tractavi in diſputatis meis & in declaratione vulgari in §. XXX. & XXXI. diu atque longe prius, quam calumniatores mei hunc adverſus me libellum famoſum ederent publicatis. Unde ſi perſpiciantur ſingula, videbuntur multa quoque vocabula eſſe ab eo falſata, ut pro vulgari teutonico, *So*, quod incipit argumentum judæorum ultimum, & in communi uſu ſignificat præterea, ipſe obtrectator poſuit, ſicut. Et in propoſitione 38. poſuit falſitatem pro eo, quod ſignificat crimen falſi. Et in propoſitione XLI. falſarius falſavit S. Paulum & ſcripta mea in perniciem meam in eo, quod tranſtulit alterius pro alieni. Paulus enim ad Rom. XIV. ſcribit: Tu quis

es,qui judicas alienum servum, quod in lingua græca, in qua Paulus hæc scripsit, ponitur ἀλλότριον & id ex linguæ proprietate significat peregrinum, extraneum, alienum, tanquam ἄλλο ὅριον hoc est, ex aliis finibus terminis seu confiniis. In hac proprietate secutus sum S. Paulum metaphoricos & transsumptive, sententiam eandem applicando judæis, volens in teutonico dicere. Quid volumus alieni animam judicare? Unde calumniator velo expasso invehitur contra me: & ait me scripsisse quid volumus animam alterius judicare, per quod inquit sequatur hæresis, quod superiorum & prælatorum non interesset judicare, quoniam viverent subditi, contra S. Paulum actuum XX. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam dei.* Ex hoc autem oculis cernit Arnoldum sentire quod judæi sint ecclesiæ membra, & de grege ecclesiæ dei, quod esset hæresis manifesta, si absque declaratione in hoc perseveraret. Nam ego de judæis & non aliis hominibus locutus sum. Unde in quo me criminatur Paulum falso citasse, ac ei feciisse injuriam, ipse convincitur Pauli falsarius esse ac hæresin sapere. Prætereo multa sceleris & indignitatis pleniissima contra me temerata ab isto insidioso rabula, quæ aliquando vel amici vel inimici acrius intuebuntur, atque nullius tamen viri boni & virtute præditi tam sermo quam opinio comprobabit. Ob id forte multi putabunt oratione longa nihil opus fuisse, quoniam jamdudum in omnium auribus sonet, in omnium oculis versetur declaratio mea, quæ jam prope annum totum non modo literatis verum etiam rudibus & agricolis impressa chalcographice innotuit, ubi multo ante importuniissimorum adversariorum meorum omnia sunt argumenta soluta, perfracta, repulsa, omnia enthymemata suffocata, sophismata comminuta & exploса ingenue atque sancte, tanto robore, tanta firmitate, ut si quas posterius sibi finxerint fallacias, technas, pseudologias consilio meo contrarias, ex eisdem disputatis & ex eadem declaratione, cui titulus est alemannice. Clara intelligentia, videri queant cineritiæ nebulæ ac nebulonum præstigia, quibus turbæ inerti oculorum acies præstringunt. Illuc mea scripta tanquam ad cujusdam Tutani asylum refero, & tum cuique doctissimo solertissime judicanda committo, non mei nimis amanti neque nimis inimico, quoniam utriusque suspecta sunt judicia. Scio non deerunt *Maxæmiliane cæsar excellentisime imperator*, qui tantam in me patientiam mirabuntur, tantam mansuetudinem, tantam humilitatem, cum erga maledicentes tam leniter maledicto superfederim, tam reverenter obmutuerim, tam moderate sustinuerim opprobria, cum tanta humanitate, benignitate, urbanitate, abstinens talionis & iraruin temperans, qui multo acrius deberem pro talibus calumniatorum aulis mutuarias operas impendisse, ut clavum clavo protunderem, ut pariter ignea fulmina jacularer, ut consimiliter insaniam insaniæ, rabiem rabiei, suspicionem suspicioni, calumniam calumniæ redderem, ut atramentum cum sæpia, & cum draçone flammas evomerem, non ita, ut universorum, sed potius ut singulorum cujusque mores, vitam, actus sceleroсos & nefarios ab eisdem hypocritice in hunc diem occultatos sempiterno stigmate notarem. Quæ tamen omnia si adversus me latius efferaverint, ad alteram maxillam reservabo. Hactenus enim solummodo apud me constitui cum moderamine inculpatæ tutelæ meam innocentiam defendere, calumnias vulgatissima observationum consuetudine vere refutare, mendacia revelare, falsi crimen detegere & consilii mei syngrapham protegere, ne quid maculæ aut inhonestamenti in me admittatur. Atqui o deus immortalis & superi omnes, istis fœdissimis & immanissimis detractionibus, conviciis, injuriis, contumeliis, turpissimis proditionibus, falsis insimulationibus, ignominiosis famicidiis, quibus hic professorum theologiæ Colonienсium commissarius procurator, zythobiba, gurges atque helluo, natus abdomini suo cum suis verificatoribus; me innocentem populari condemnationi detulit & obtulit, an potest ullum excogitari æquum moderamen? quodnam æstimabitur satis temperatum suffragium? quæ defensionis mensura? quæ armorum paritas? Cum latro gladium strinxerit, percusserit, vulneraverit, & vulnerando iterum quoque mortem ipsam minetur, nec mortem tantum, sed & turpissimam, nec eam solum corporis verum illam etiam animæ ac salutis interitum. Credo si hujus aggressoris nocentissimi & flagitiosissimi crudele jugulum ense confoderem, & ferro ad necem usque ferirem in dubio vitæ discrimine constitutus, tanquam defensor propriæ salutis contra latrocinantem (ut lex ait) in nullo peccasse viderer. Horret humana natura tantum & tam truculentum ferocis Arnoldi scelus, neminem læsi, nec lædere volui, mandato imperiali obedivi, pro meo captu, quod utile videbatur, consului, opinionem meam ecclesiæ submisi, declarationem mentis meæ adjunctam edidi, de standó juri & judicio me obtuli. Adversarios meos quomodo sibi velint per me satisfieri copiam & præscriptum exemplum ut meis expensis ad me mitterent frustra oravi, Arnoldo ipsi singularibus meis literis ut boni consulat supplicavi, cunctis universitatibus satisfeci, præter hanc unam Colonienсium theologisticam facilitatem calumniatorum meorum, quæ nullam satisfactionem imaginari neque præscribere noverat, sed facerem quicquid vellent, me tamen infamare sibi propositerant contra literas ipsorum proprias & sigilla, cœnum & fex omnium theologorum, pestis & calamitas sacræ theologiæ, corruptissima & impudentissima theosophistarum cohors, qui mihi sub suo facultatis theologicæ sigillo per epistolam datam (ut verbis eorum utar) ex Colonia die ultima mensis Februarii, Anno domini M. D. XII. insinuaverunt, si eis non fatisfacerem, quod tum ex integra ad me charitate me ipsum vellent ad se vocare. Post quas literas me non vocarunt, nihilque sequutum est ulterius nisi libellus eorum iste famosus, contra deum & homines, contra jus & fas, contra humanam societatem, contra fraternam charitatem, contra evangelicam majestatem, contra formam legum & canonum editus & promulgatus mendaciorum pleniissimus. Non feciissent hoc cerdones, sutores, zonarii, opifices, tabernarii ut fidem frangerent, ut sigillo suo auctoritatem minuerent. Fecerunt autem ita leviissimi & perfidissimi Colonienses isti calumniatores mei literarum suarum contemptores & sigillorum fractores. Qui cum se scirent in jure mecum sine spe victoriæ manum conse-

conſerere (nam etiam ſi publice peccaſſem quod non feci, tamen non ad iſta pecora campi ſcriptum eſt, peccantes coram omnibus argue. Sed ad Timotheum primatem epheſinum & ſolos prælatos eccleſiæ judicesque, quibus ſecundum formam juris & evangelii me prius debebant detuliſſe.) Cum itaque ſcirent ſe mecum in jure ſine ſpe victoriæ certaturos fuiſſe, conſilium inierunt, me qui natura mitis ſum & manſuetus injuria peſſundare, non audentem contra muſſare. Et tacuiſſem utique quali ſum æquabilitate animi, ſi me ſamaritanum tantum appellaſſent, ſed habere dæmonium, etiam ne chriſtus quidem tulit. Ater illis eſſem an candidus, illiteratus an doctus, prudens an inſipiens, id parvi referret. At quod exacuerim ingenium in chriſti injuriam, pro quo tamen mortem opto ſubire, tantumque ſanguinis effundere quantum iſte timidus excors & effœminatus Arnoldus, ſine pallore exanimatione ac ſyncopi ne aſpicere quidem poſſet, quod contra eccleſiam ſenſerim extra quam ſalvari non credo. Et cætera capitalia crimina hæreſin ſignificantia, quæ leviſſimi ſycophantæ mihi falſe impingunt, non debuit tranſire leniter, ſed Herculis clavo repercutere. Scribit enim S. Hieronym. contra Joannem hieroſolymitanum epiſcopum. Nolo (inquiens) in ſuſpicione hæreſeos quemquam eſſe patientem, ne apud eos, qui ignorant innocentiam ejus, diſſimulatio conſcientia judicetur ſi taceat. Ergo S. Hieronym. me juſſit impatienter reſpondere, quod tamen honeſtius feci quam adverſarii poſtulaſſe videntur. Non enim præmiſi tot verſificatores, tot metrifices, tot carminifices ne dicam carnifices quod carmen famoſum ab initio buccinarent, ut profeſſores tibi theologiæ contra conſuetudinem & mores profeſſionis ſuæ fecerunt, quod æque potuiſſem, ſi non ego ipſe mihi ſatis eſſem ad hoc artificium nullius alieni adjutorio egens, qui puer quondam carmina quoque tornavi ſive pari ſeu impari menſura. Nec dum lupi mœrim videre priores, ut ſi cuperem elegiam meditari ſic inciperem.

Blaſphemi Arnoldus falſarius hæreſiarchæ
Ortuini ſocius cernitur hocce libro.

Aut ſi verſus elegiacus diſpliceret, & majorem voluptatem calumniator ex carmine heroico tanquam aliquis heros glorioſus de ſtirpe gigantum ſibi conciperet, quippe qui ut æternam memoriam aſſequeretur etiam ſceleribus alter Pauſanias innoteſcere non dubitavit, poſſem hoc modulo exordiri.

Arnoldus fautor philodæmonis hæreſiarchæ
Rector Agrippinus infamis capniomaſtix.

Poſſem & ejuſcemodi verſus quotoquoque die ad ferme ducentos cudere, ſi non magis quid me deceat, quam adverſarii, qua ſint ultione digni, conſiderare oporteret. Unde recuſo Arnoldinum verſificium, nec imitabor prædones honoris mei, habeant ſibi hanc gloriolam bonos viros laceſſendi, & qui conſueverunt maledicere, aſſueſcant male audire, ut dum dicunt, quod volunt, audiant, quod non volunt, diſcantque patienter ferre, quod violenter intulerunt, & qui mala faciunt ad extremum mala ſentiant. Quanquam oro deum (ut debeo) pro inimicis meis, quod eos a ſempiternis gehennæ ignibus præſervet, & in hac vita tradat illos Satanæ in interitum carnis me vivente & vidente ut ſpiritus ſalvus fiat, dieque ac nocte gravetur ſuper eos manus domini ut converſi dum configitur ſpina delictum ſuum illud graviſſimum detractionis famæ ac opinionis meæ univerſis cognitum faciant & injuſtitiam ſuam non abſcondant, publice reſtituendo per revocationem & retractationem ſicut injuſte contra juris ordinem mihi publice detraxerunt, ne in tam periculoſo & difficili caſu reſtitutionis ſecundum B. Thomam, Scotum & communiter omnes doctores *in lib. IV. ſenten. diſt. XV. ſine ſpe veniæ*, absque vera pœnitentia & ſine ſatisfactione mihi læſo debita (cui teſtibus his ſcriptis non renuntio) iſti calumniatoris & detractores famæ meæ profeſſores theologiæ atque bonarum artium Pharaonico & indurato corde contra ſpiritum ſanctum, irremiſſibiliter & deſperate miſſarum ſacratiſſima & diviniſſima myſteria celebrent, corporis & ſanguinis chriſti ſacramento coram omnibus in publico peccato mortali præſumptuoſe ac indigne communicantes in ſcandalum & offenſionem ſimplicium puſillorum omniumque laicorum chriſti fidelium & ſibi ipſis in æternæ damnationis judicium. Quos obſecro ſi hæc mea qualiacunque ſunt ægre moleſteque patiantur, ut non mihi vitio vertant, ſed ſuo illi negotioſo procuratori & electo mandatario, qui me non provocatus non irritatus, nullis meis demeritis neque erga ſe, neque in aliquem Colonienſem profeſſorem præcedentibus, intolerabili affecit & laceſſivit injuria. Quo facinore ſperavit ex mea ignominia perpetuum ſibi nomen ad poſteros transmittere aurea ſtatua theologiſtis donandus, ob tam mirum artificium infamandi, non ſum autem tam invidens alienæ gloriæ, ut non concedam adverſario meo amplam illuſtrem claramque diuturni monumenti nobilitatem, quam tamen ille nimium ſuperbe appetit, aut certe ut eum prohibeam, ne juxta morem nobilium romanorum, qui conſueverunt quatuor ſibi nomina in memoriam ſui non intermorituram vendicare, prænomen nomen cognomen & agnomen, ipſe quoque ſibi titulum ſplendidum quantumvis ex mei ſuppreſſione quærat, quin potius adjuvabo, ſi poſſum. Appellandus igitur eſto me permittente cunctis nationibus & venturæ poſteritati delator immo deletor iſte meus deinceps a kalendis Martiis præſentibus anni M D XIII. quatuor his inſignibus famoſis & glorioſis nominibus cedro aut buxo incidendis vel marmore ſi maluerit ita: *Tungarus Arnoldus Calumniator Falſarius per omnia ſecula ſeculorum.*

Tubingæ apud Thomam Anshelmum Badenſem,
Anno M. D. XIII.

Acta Judiciorum inter F. Jacobum Hochſtraten Inquiſitorem Colonienſium & Johannem Reuchlin LL. Doc. ex Regiſtro publico, autentico & ſigillato.

AD LECTOREM.

Utilis hic liber erit ſtudentibus in jure canonico & civili, in quo videbunt practicam in materia inquiſitionis, citationis, recuſationis, appellationis, libelli accuſatorii, libelli defenſionalis. Contumaciarum, ſententiæ, executionis, inhibitionis, mandati de ſuperſedendo, & notæ Turpiliani.

ANno domini Milleſimo Quingenteſimo tredecimo. Die nona menſis ſeptembris inquiſitor Colonienſis frater Jacobus Hochſtraten ordinis prædicatorum volens jurisdictionem ſuam contra quendam libellum, qui nominatur Oculare Speculum, & ejus autorem Joannem Reuchlin Phorcenſem. L. L. doctorem, origine Spirenſis diœceſis, ſed domicilio diuturno, atque etiam tunc temporis exiſtentem Conſtantienſis diœceſis, in Moguntina provincia exercere, conſiderans, quod in inquiſitionibus erga ſeculares, qualis eſt præfatus doctor Jo. Reuchlin, ſervandus eſt ordo juris *c. ad petitionem cum glo. in ver. non ſervatum, & c. qualiter & quando Jo. II. extra de accuſa.* primo, ut judex delegatus, citavit eundem doctorem Stutgardiæ in loco reſidentiæ ſuæ, ut ad diem ſextum proxime poſt ejusmodi citationis executionem compareret Moguntiæ in ambitu eccleſiæ majoris, hora octava ante meridiem, qui locus diſtat a Stutgardia prope nonaginta milliaria juridica ſive juris, inſerendo in eadem citatione commiſſionem ſui provincialis cum privilegio ordinis, ad hujusmodi deſerviente. Cumque prædictus Reuchlin citatus, non poſſet propter ſenium & imbecillitatem ſuam in tam brevi temporis ſpacio tam longum iter conficere, miſit ſuum indubitatum & legitimum Procuratorem cum mandato de alterum ſubſtituendo. Comparuit itaque die atque loco conſtitutis, præfati doctoris Reuchlin nomine, atque pro eo Petrus Staffel de Nurtingen legitimus procurator apud acta rite ac debite ſubſtitutus. Igitur ſedente pro tribunali præfato fratre Jacobo Inquiſitore productus eſt pro parte ſua libellus, qui ſequitur.

Libellus accuſatorius fratris Jacobi de Hochſtraten theologiæ doctoris, ordinis prædicatorum, Inquiſitoris, contra Oculare Speculum Joannis Reuchlin. LL. doctoris coram ſe & Commiſſariis archiepiſcopi Moguntini productus, ut eſt in Regiſtro actorum judicii primæ inſtantiæ folio LXX. II.

COram vobis reverendis, venerabilibus, & eximiis, reverendiſs. & illuſtriſſimis ſacri imperii principis electoris ſanctæ Moguntinæ ſedis archipræſulis in negotio inquiſitionis hujusmodi contra libellos Speculum Oculare Joanni Reuchlin inſcriptos & impreſſos perque diœceſin Moguntinenſem conſiſtentes & diſperſos inſtituto, dominis Commiſſariis, nos Jacobus de Hochſtraten ordinis prædicatorum ſacræ theologiæ humilis profeſſor, ac apoſtolica autoritate hæreticæ pravitatis Inquiſitor, proteſtationibus prioribus ac acceptationibus fieri ſolitis & conſuetis repetitis, & hic pro inſertis habitis ſine ſtrepitu & figura judicii, prout in talibus decet. Velo levato procedendo in modum ſimplicis facti narrationis, damus, facimus & exhibemus infra ſcripta, quæ ad probandum admitti petimus citra tamen onus ſuperfluæ probationis, quod ſubire non intendimus, de quo proteſtamur per expreſſum. In primis & ante omnia libellum Speculum Oculare Joannis Reuchlin inſcriptum, & illius contenta una cum mandatis imperialibus & actis cauſæ, quatenus tamen pro nobis & intentione noſtra fundanda fecerint & non alias nec alio modo, hic repetimus, inſerimus ac pro repetitis & inſertis haberi volumus & intendimus, ex quibus ſic repetitis & inſertis conſtat luce clarius nos vulgata fama præcedente & clamoroſa inſinuatione ſubſequente, didiciſſe, dictum libellum in judaicæ perfidiæ favorem & illius excuſationem nimis eſſe propenſum & favorabilem. Hunc articulum lucidius declarando repetimus ejusdem libelli continentiam, & præſertim particulam ſic incipientem: *Dann ich hab hie oben warhafftiglichen &c. folio V. pagina prima* deſcriptam. In qua ultra id quod judæos perfidos homines & impudentes canes domino crucifixo ejusque deiferæ matri virgini Mariæ immaculatæ blaſphemiis jugiter oblatrare non verentes, chriſti fidelibus eccleſiæ membris in civilitate comparando, perſuadere nititur. Execrabilem orationem, quæ hebraica lingua incipit Velamineſchumadim, contra chriſti eccleſiam & illius membra non orare, pro inconvenienti aſſerens, quod tam gravis & contumelioſus ſermo contra judæos imprimi permittatur. Unde tantum contra eos odium apud eccleſiæ principes & hebraicæ linguæ ignaros concitari poterit, ut ne dum bonis verum & corpore privarentur & vita. Cum tamen venerabilis doctor Paulus Burgenſis epiſcopus, omnes ad chriſti fidem converſi judæi eccleſiæ doctores, & alii, oppoſitum conſtanter affirment. Et præfatus etiam Joannes Reuchlin in epiſtola ſua ad quendam militem Anno Milleſimo quingenteſimo ſcripta & impreſſa contrarium affirment, quam quidem & illius contenta hic exhibemus & inſerimus ac pro inſertis & repetitis haberi volumus & habemus. Conſimilibus inſuper fama & inſinuatione didicimus dictum libellum in chriſtianos & chriſti eccleſiam irreverentialem & nimis eſſe injurioſum. Novamque judæis in nos chriſti fideles inſultandi materiam fovere, adminiſtrare pariter & præbere. Hunc articulum latius declarando repetimus dicti libelli particulam incipientem: *Dann die wyl wir ſie alle iar &c. fo. XV. pag. prima* annotatam, in qua munimine prætenſi juris aſtruere nititur judæos ſecundum tenorem dicere & ſcribere poſſe, dei eccleſiam quotannis in ſacra Pareſceves die mentiri dum orando dicit: Oremus pro perfidis judæis &c. Memoratis pariter fama & inſinuationibus percepimus

pimus libellum eundem de sacris ecclesiasticis doctoribus & scriptoribus viliter nimis indigne ac contemptibiliter loqui, ipsisque hebræorum & judæorum magistros & Rabbi anteponere non veretur. Hæc lucidius declarando repetimus, dicti libelli contenta & signanter particulam incipientem. *Ich sag auch vnnd hab des &c. fo. XIII. pag. II.* annotatam, in qua affirmat quod pro intelligentia textus bibliæ doctores nostri multum & sæpe judæorum commentariis & glossis cogantur uti, subdens, quod si subtraherentur ea quæ Nicolaus de Lyra sumpsit ex rabbi Salomone, residuum quod idem Nicolaus de suo capite scripsit super bibliam, paucis admodum foliis comprehendi posset. Subditur etiam in fide nostra christiana valde multos doctores inveniri, qui ob defectum duorum idiomatum sacram scripturam non recte exponant. Propter quod sæpe numero irridentur, cum tamen constet divum Hieronymum & plures ecclesiæ doctores alios, vasa spiritus sancti hebraice græce pariter & latine fuisse doctissimos. Præmissa etiam luculentius declarando repetimus & inserimus contenta præfati libelli specialiter particulam incipientem. *Mecht ainer sagen &c. fol. XIV. pag. prima* descriptam, in qua ad ostendendum doctorum catholicorum scripta parum ad scripturarum veteris testamenti intelligentiam proficere, scandalosa & irreverenti comparatione illorum scripta ridiculose caligarum operimento invalido comparat in tempore algido hyemis. Item latius declarando repetimus contenta particulæ incipientis. *Deshalben so hindert mich nit &c. fol. VI. pag. 1.* descriptæ, ubi postquam de christianis doctoribus & scriptoribus magistro *Raimundo in pugione, autore fortalicii fidei, Paulo Burgensi, Petro nigri in stella Messiæ*, & aliis multa mala in Talmud contineri affirmantibus, sermo incidisset, sic subditur. Nihil me impedit quicquid supra memorati nostræ fidei scriptores contra Thalmud scripserunt, quorum aliquos novi qui Thalmud nunquam didicerunt, & propterea eorum scripturæ & verba me non movebunt. Sacra per hæc doctorum scripta in ecclesiæ & christi fidelium scandalum nihili faciens & contemnens. Ultra præmissa paribus fama, insinuatione & vociferatione cognovimus ante dictum libellum piarum aurium plurimum offensivum & in scandalum tendere non modicum christi fidelium præsertim laicorum & simplicium. Pro cujus articuli latiori declaratione continentiam particulæ præscripti libelli repetimus incipientem, *Ob aber die vnuerstendigen &c. fol. IX. pag. 2.* annotatæ in qua ostendere nititur. Si quæ mala in Thalmud contineantur ea non ex ipso libro, sed ex sola legentium perversa interpretatione accidere. Post illius particulæ descriptionem etiam iniqua quadam comparatione subjungens. Sicut verba Thalmud in perversum sensum trahi possunt, ita & verba sacræ bibliæ. Et quemadmodum quædam turpia ad litteram contenta in biblia mysticantur ita & turpia contenta in Thalmud pari modo mysticari posse & debere insinuat. Pro clariori præmissorum elucidatione pariformiter repetimus prænominati libelli continentiam & præcipue horrendam auditu particulam incipientem. *Darum alles dás sie &c. fol. XV. pag. 2.* annotatam. In qua judæos a contumelia in dominum Jesum salvatorem nostrum excusando dicit. Quæcunque judæi scribunt pertinentia ad hoc quod Jesus non sit deus, & quicquid sequitur ex hoc illud eorum fidem esse, per hoc nulli contumeliam inferre velle, ac Catholicam ecclesiam circiter annos mille quadringentos passam esse, neque unquam id pro contumelia acceptasse, affirmare nitens, illam injuriam dissimulatione tot curriculis temporum remissam & propterea jure eam illis impune licere repetere, sinistre & impertinenter pro illius corroboratione. *c. consuluit, de judæ.* adducens, cum tamen omni jurisperito memoratum can. intuenti clareat id non de falsa doctrina & de perversis ac contumeliosis judæorum scriptis, sed de solis antiquis ritibus, & synagogicis ceremoniis esse locutum. Ad evidentioris declarationis effectum præmissorum, repetimus continentiam sæpe dicti libelli, & signanter particulam incipientem. *Ich zel aber der Thalmud &c. fol. XVIII. pag. 1.* in qua levi argumento astruere nititur perfidis judæis in famem suum Thalmud & in christum contumeliosum etiam si a conversione eos ad rectam fidem impediat, minime auferendum quasi Imperatoria majestas aut ecclesiæ principes & prælati non possint neque debeant impedimenta salutis ecclesiæ offensiva judæis tollere vel prohibere. Periculosam dicti libelli corroborationem in particula inchoante. *Der jud ist vnsers hergotzs als &c. fol. XVIII. pag. 1.* descriptam pariformiter repetimus. In qua ex divi Pauli apostoli sententia pro confirmatione præmissorum astruere nititur Sanctam dei ecclesiam & ejus prælatos ac principes de judæorum factis cum domino suo stent & cadent & quemlibet pro seipso rationem reddere oporteat, intromittere se non debere, subjungendo deum satis potentem etiam, si velit, eos posse erigere. Vulgatissima similiter fama & insinuatione præmissis intellexi-mus prænominatum libellum quam plurimos sacræ scripturæ ecclesiæ ac jurium textus & dicta impertinenter applicare & corrupte allegare. Pro hujus articuli manifestiori declaratione ultra præmissa repetimus in præfato libello & signanter *folio IV. p. 1.* allegatum verbum apostoli *1. Corinth. XI. oportet hæresis esse & folio XII. pag. 1. & ca. sancta romana XV. distinct.* per quæ astruere respective nititur Thalmud non cremandum sed necessario judæis relinquendum, & hæreticorum libros a dei ecclesia non supprimendos sed conservandos &c. Ultra memorata quod dolenter referimus, prescriptum libellum in pluribus suis locis & passibus hæresin sapere & a sinceritate fidei aberrare similibus insinuatione & fama didicimus. Hunc articulum specialibus declarando repetimus dicti libelli particulam incipientem. *Darab zu nemen ist das &c. fol. VII. pag. 2.* descriptam. In qua per domini nostri Jesu christi salvatoris nostri verba, *scrutamini scripturas in quibus vos putatis vitam æternam habere, & illæ perhibent testimonium de me*, conatur affirmare scripturas magistrorum in Thalmud comprehensas proprie esse designatas & illas æque ut bibliam testimonium perhibere de christo, asserens hanc veritatem esse, Illasque propterea a nobis non cremandas sed ex commissione christi scrutandas. Ad præmissorum lucidioris declarationis effectum modis & formis præmissis repetimus

mus & inſerimus ac pro inſertis & repetitis cum proteſtatione tamen fieri ſolita & conſueta haberi volumus continentiam ſæpe dicti libelli & ſignanter horriſonam chriſti fidelibus particulam incipientem. *So iſt Jeſus hie &c. fol. XV pag. 2.* annotata. Vbi myſterium incarnationis & ſalutiferam domini noſtri Jeſu Chriſti pro nobis aſſumptam humanitatem, nefaria aſſimulatione, habitui meretricio indecenti comparare nititur. In quo pudicitiam matronæ honeſtæ attentantes, ab injuriis excuſari jure videntur. Inſinuare volens judæos Jeſum hominem in forma ſervi videntes, nihil divini in eo reputantes ipſum crucifigentes contumeliam ei non intuliſſe. Verum rationabiliter propterea excuſatos contra veritatis verbum *Joan. XV. ſi non veniſſem & eis locutus fuiſſem peccatum non haberent &c.* excuſationem hujuſmodi prætenſam Jurisperitorum rationibus colorare ſatagens. Ad clariorem & luculentiorem præmiſſorum declarationem particulam hæreſin ſapientem incipientem *vnſer apoſtel Paulus fol. XVII. pag. 1.* deſcriptam ſimiliter repetimus & inſerimus & pro inſerta haberi volumus. In qua aſtruere nititur quod Paulus maximus apoſtolorum in doctrina cæteris eminentior ſit factus id ex eo, eveniſſe quod literas hebraicas didicerit & cum Rabi ſeu hebræorum magiſtris ſcholas frequentaverit, cum tamen ipſe *apoſtolus ad Galat. I.* fateatur ingenue evangelium a ſe evangeliſatum non ab homine accepiſſe illud, ſed per revelationem Jeſu Chriſti. Erroneam & hæreſin ſapientem continentiam dicti libelli clarius deducendo particulam incipientem. *Es mag nyemand zu mir kumen fol. XVII. pag. 1.* annotatam. Similiter repetimus & pro inſerta haberi volumus. In qua molitur aſſerere Paulum apoſtolum gentium doctorem ad fidem non miraculoſa ſed ſola communi vocatione tractum, quod tamen Palam ab eccleſia & inſtitutione ejus exorbitare cernitur dum in ea illius converſionis annis ſingulis tanquam miraculoſæ feſtivitas celebretur. Periculoſam præterea dicti libelli particulam incipientem, *Alſo wird auch hie geſchehen fol. XIX. pag. 2.* deſcriptam conſimilibus modo & forma repetimus præmiſſis. In qua damnabili & intolerabili quadam comparatione chriſti fidelium ſub tyrannis olim factam perſecutionem comparare ablationi pernitioſorum librorum judaicorum non veretur aſſertive inſerens hodie Judaicam creſcere debere perfidiam & eorum pertinaciam ſi nefandi eorum libri auferrentur. Quemadmodum ſub tyrannis tempore perſecutionis olim creviſſe dei conſpicitur eccleſia. Damnoſam inſuper & hæreticam comparationem qua nefandum Thalmud a filiis diaboli compilatum peſſimis malis refertum in particula ſæpe dicti libelli incipiente, *vnd wie wol Adam &c. fol. VIII. p. 2.* deſcriptam, arbori ſcientiæ boni & mali, quam deus optimus maximus in paradiſo plantaverat terreſtri comparat his ſimiliter inſerimus & pro inſertis haberi volumus. Cum tamen veritas ſit, dictam arborem nil mali continuiſſe, malitiam autem ex protoparentis prævaricatione & divini præcepti transgreſſione accidiſſe; Thalmud vero juxta ſcripta doctorum eccleſiæ toxico & mortifero veneno plenum. Præmiſſa lucidius declarando, hæreſin ſapientem allegationem. *l. 1. §. denique Marcellus ff. de aqua pluv. ar. fol. XV. pag. 1.* dicti libelli contentam repetimus, & his noſtris poſitionibus & articulis inſerimus, per quam inſtruere nititur in effectu perfidis licuiſſe & licere judæis pro ſua defenſione nefandos chriſto & nobis ingratos condere libros. Item ſimiliter ponimus & dicimus quod de præmiſſis omnibus & ſingulis, & de prædicti libelli erroneis ſententiis eſt publica vox & fama, vulgare dictum & clamoroſa inſinuatio, ne dum apud vulgares & plebejos, verum etiam apud principes eccleſiæ prælatos doctores & literarum peritos commune dictum & vulgaris hominum aſſertio. Proteſtamur inſuper quod ad ſuperfluam præmiſſorum deductionem & probationem aſtringi nolumus, ſed ſolum erroneas ſæpe dicti libelli continentias quantum ad præſentem inquiſitionem attinet deducere & probare ac ſi plura poſita non fuiſſent. Cognito igitur de præmiſſis quantum ſufficit ut errores hæreſes & ſcandala in memorato libello contenta radicitus extirpentur, nulloque tempore repullulent petimus per vos venerabiles dominos Commiſſarios, veſtramque diffinitivam ſententiam pronuntiari decerni & declarari *præfatum libellum Speculum Oculare Joanni Reuchlin inſcriptum* hæreſibus & erroribus refertum, perfidis judæis nimis favorabilem, eccleſiæ dei injurioſum, ac ſacris eccleſiæ doctoribus irreverentialem, ipſumque propterea ſeu impreſſoria arte per provinciam & ſeu diœceſin Moguntinenſem multiplicatum communi hominum uſui interdicendum, condemnandum, ſupprimendum, tollendum, ac igne publice concremandum, jus nobis & juſtitiam miniſtrari veſtrum benignum officium in præmiſſis humiliter implorando, ſalvo jure addendi, mutandi, minuendi, corrigendi. Et proteſtatur, prout eſt juris moris atque ſtili. Quo lecto & audito mox procurator præfati doctoris Reuchlin etiam ad infra ſcripta ſpecialiter conſtitutus ante litis conteſtationem recuſavit indicem ut inimicum & ſuſpectum. Et cauſas recuſationis coram ipſo judice Inquiſitore in ſcriptis produxit offerendo ſe illas in continenti probaturum coram arbitris juris quorum electionem poſtulavit nominans pro parte ſua vicarium in ſpiritualibus epiſcopi Wormacienſis & ſimul petiit, quatenus Inquiſitor etiam ſuum arbitrum nominaret.

Sequuntur cauſæ ſuſpicionis ad recuſandum D. Jacobum Hochſtraten tanquam inimicum & ſuſpectum in ſcriptis propoſitæ ac oblatæ.

PRimo proponit & dicit doctor Joannes Reuchlin quod D. Jacobus Hochſtraten fuit autor, ſollicitator ſive promotor ut creditur primarius hujus negotii ſuper judaicis libris comburendis, propter quod a Cæſarea majeſtate onus ſibi conſulendi injunctum fuit.

Item quod præfatus D. Jacobus in hac cauſa particulariter conſuluit, deinde etiam communiter aliorum conſilia ſubſcripſit.

Item quod conſilium Joannis Reuchlin non in omnibus concordavit cum conſilio Jacobi. Unde præſumendum eſt ipſum Jacobum eſſe propenſiorem

ſiorem ad ſuum conſilium autorizandum quam conſilium doctoris Jo. Reuchlin.

Item quod prædictus Jacobus dum fuit decanus facultatis theologicæ, miſit in hoc negotio ad Jo. Reuchlin epiſtolam quandam, & in ea ſibi minime pertinaci nullam ſalutationem ſcripſit.

Item quod contra morem ſuum erga alios doctores hactenus obſervatum cum nullam habuiſſet antea cum Jo. Reuchlin converſationem, neque familiaritatem appellavit eum ſingulari numero tibizando ut vulgo dicitur.

Item quod idem Jacobus in eisdem literis quibus odium & inimicitia erga Jo. Reuchlin clare patet motum animi ſui detexit, cujus ſit & eſſe velit ſententiæ ſuper libellis dicti Jo. Reuchlin editis, longe ante ſcribendo in hanc vel ſimilem ſententiam, ſcilicet ſe comperiſſe, quod dictus Jo. aliter ſcripſerit quam chriſtianum deceret, & quod inſeruerit propoſitiones ſcandaloſas, male ſonantes, & piarum aurium offenſivas.

Item quod ſæpe dictus Jacobus tanquam privata perſona & ſolum decanus facultatis, voluit a Joanne Reuchlin alterum illorum extorquere, vel quod revocaret vel quod mentem ſuam latius develaret, & cum ipſe mentem ſuam voluntarie develavit. Idem Jacobus nullo juris ordine obſervato, nec etiam evangelica forma, mox in libellum famoſum contra ſe edendum conſpiravit.

Item quod ipſe Jacobus unus & quidem de principalioribus ex numero illorum eſt, contra quos tanquam injuriatores Jo. Reuchlin defenſionem ſuam pro honore & fama ſua conſervanda edidit multis conviciis & quidem intolerabilibus laceſſitus, etiam ante hanc inſtantiam.

Item quod præfatus Jacobus eſt prior ordinis Prædicatorum Coloniæ, & permiſit fratri ſuo Jacobo Magdalio ejusdem ordinis ſibi ſubdito, & de domo ſua, carmen famoſum contra jus & fas & contra ordinis regulam, & conſtitutiones contra eundem Jo. Reuchlin ſcribere ubilibet per impreſſionem publicatum.

Item quod dictus Jacobus eſt de baſſa alemania ſive partibus inferioribus. Et Jo. Reuchlin eſt de alta alemania, & libelli ſui ſunt ſcripti in lingua altæ alemaniæ ſive Sueviæ, quam linguam non ſane intelligit Jacobus. Et ſic præſumendum eſt quod plus faveat notæ linguæ ſuæ quam ignotæ.

Item ex quo Jacobus prænominatus male intelligendo linguam Joannis Reuchlin vernaculam, prius ad ſuæ famæ læſionem conſpiravit, præſumitur etiam nunc quod facile iterum læſurus ſit.

Item quod etiam Jacobus Hochſtraten fervens odium ſuum quod habet adverſus Jo. Reuchlin oſtendit nunc quoque in privata ſcriptura ſibi oblata prætenſæ citationis, ad defenſionem libellorum ſuorum dando ſibi breviſſimam dilationem qua non poſſet commode itineri ſe aptare propter magnam diſtantiam loci & corporis ſui imbecillitatem, non ſervatis tribus edictis, ſed peremptorium ſuum ad ſextam diem comparendi aſtrinxit, quod non continet tantum tempus quantum tria edicta, nec expreſſit aliquam cauſam abbreviationis ſui peremptorii, immo nec habet cauſam, cum hoc negotium jam biennio vel plus absque aliquo juris proceſſu per quemcunque inſtituto ſe ſciente per manſit.

Ex his & aliis legitimis cauſis in proceſſu deducendis vel omnibus vel aliquibus recuſat præfatus doctor Reuchlin ſæpe nominatum Jacobum Hochſtraten ut inimicum ſibi & ſuſpectum, offerendo ſe legitimam ſuſpicionis cauſam ſive cauſas coram arbitris juris probare velle. Et eligit atque nominat pro ſua parte Venerabilem & egregium virum dominum Joannem Vuacker, J. U. Doctorem reverendiſſimi domini epiſcopi Wormacienſ. in ſpiritualibus vicarium generalem. Ad quam procuratoris recuſationem, oblationem & petitionem præfatus Inquiſitor judex delegatus, interlocutus eſt ſub hac verborum forma in ſcriptis prolata ut ſequitur:

„Cum hæc non noſtra ſed omnipotentis dei or„thodoxæ fidei & catholicæ eccleſiæ cauſa ſit, ac „contra libellos apud acta cauſæ deſignatos in pro„vincia ſeu ſubditione domini Moguntini conſi„ſtentes erroribus hæreſibusque ſcaturientes pro„ceſſum inſtituimus qui libellus per inſpectionem „ad oculum cuicunque fideli legenti & intelligen„ti qualis ſit patet clarius, nec frivolas ſuſpitionis „cauſas contra nos opponere poterit libellus præ„nominatus. Ut igitur puteus toxico plenus o„mnibus patens celeriter obſtruatur, lapis offenſio„nis ac petra ſcandali de via publica tollatur, in ne„gotio inquiſitionis contra libellum inſtituto, ut „putei obſtructio & lapidis offenſionis ablatio fri„volis non impediatur ſubterfugiis, cognitione ac „deciſione Reverendis ac venerabilibus dominis „commiſſariis illuſtriſſimi principis, Electoris ar„chipræſulis Moguntini reſervata, proceſſum „iſtum continuando procedere volumus in inqui„ſitionis negotio. Cum poteſtate tamen hujus„modi facultatem dum jure licuerit aut nobis pla„cuerit reſumendi. Et quatenus Joannes Reuch„lin tanquam dicti libelli author & ſeu illius hic „præſens prætenſus procurator tanquam dicti il„lius libelli defenſor & fautor nos tanquam ſu„ſpectum, & forum noſtrum in inquiſitionem in „perſonas inſtituenda, declinare voluerit & partia„lem nos reputare, qui revera partem non fovemus „ſed veritati & fidei puritati in officio Inquiſitionis „prout ex injuncto nobis decet officio aſſiſtimus, „placet nobis quod domini Commiſſarii prænomi„nati in negotio inquiſitionis hujusmodi audiant „cognoſcant & diffiniant. Et ut præmiſſa omnia „& ſingula luce clarius pateant, prætenſo procura„tori ex nunc primam diem Juridicam præfigant „& contra quoscunque conjunctim vel diviſim ſua „intereſſe putantes citationem in tabulis Mogunti„nis ad inſtar albi prætoris exequendam decernant, „ad exhiberi videndum & recipiendum articulos „dicti libelli ſeu Speculi Ocularis hæreticas, erro„neas, eccleſiæ dei ſcandaloſas, & fidei catholicæ „injurioſas certas complectentes ſententias &c. „prout in Actis.

Per quam inquiſitoris interlocutoriam & commiſſionem a ſe quibusdam aliis factam, præfatus procurator ad probandum ſuſpicionem & ejus cauſas non admiſſus, tanquam ipſe contra jura gravatus & partem ſuam enormiter gravatam eſſe ſentiens, juxta *c. Secundo requiris, extra de appel. &c. Judex. de offi. dele. li. VI.* Appellavit coram judice

ad ſedem apoſtolicam in forma meliori & apoſtolos petivit prout eſt juris & ſtili. Nam *c. ſuper quæſtionum articulis* §. *fi. extra de offi. dele. ſic dicit:* „ Quid ſi juſtam recuſationis cauſam noluit „ admittere delegatus ſed coram ſuſpectis eum li„ tigare cogebat a tali gravamine licite potuit „ ad noſtram audientiam appellare & quicquid „ poſt appellationem hujusmodi eſt præſumptum „ judicari debet irritum & inane. Apoſtoli au„ tem quos inquiſitor dedit de verbo ad verbum „ ut extat in regiſtro ſunt tales: Quia in hoc „ negotio inquiſitionis contra ſpeculum Oculare „ Joanni Reuchlin inſcriptum, inpræſentiarum „ dumtaxat, & non in perſonam inſtituto, præten„ ſis ſuſpitionum & recuſationum articulis oblatis „ & viſis, cognitionem & deciſionem cauſæ nobis „ non reſervavimus ſed in reverendum venerabiles „ & eximios dominos commiſſarios Reverendiſſi„ mi & illuſtriſſimi principis Electoris ſanctæ „ Mogunt. eccleſiæ Archipræſulis hæreticæ pravi„ tatis Inquiſitores ordinarios juxta decreti noſtri „ continentiam rejecimus, ut frivolis præcludatur „ via ſubterfugiis, & ex toxico pleno puteo non „ inficiantur nec ad lapidem offenſionis & petram „ ſcandali pedem offendant viatores, inquiſitoris „ onus nobis reſervantes. Quare nos aſſertam „ tuam appellationem tanquam frivolam & futi„ lem refutamus, *Act. die Mart. XX. ſeptembris hora poſt meridiem tertia Anno &c. XIII.* Datis itaque apoſtolis refutatoriis proceſſum eſt ulterius abſente doctor. Reuchlin & ejus procuratore ad exhibitionem librorum Ocularis ſpeculi & examinationem teſtium concludendo in tota cauſa usque ad ſententiam diffinitivam. Sed cum hæc atque talia in abſentia doctoris Reuchlin ac ſine ipſius notitia tam præcipitanter fierent, multorum judicio præter aut potius contra juris diſpoſitionem, ne igitur tam ſplendida & laudabilis civitas Moguntina tot nobilius & tam doctis viris referta, ac tam inſigni eccleſia cathedrali & eccleſiaſticorum virorum reſidentia plurimum illuſtrata ullam exinde contrahere apud exteros vilipenſionis maculam ſive labem poſſet, decreverunt inter ſe Magnifici Nobiles Reverendi & Venerabiles domini Decanus & capitulum Eccleſiæ majoris proprio motu laborare ad ſuſpendendum ſententiæ prolationem ad parvum tempus ſub ſpe bonæ concordiæ, cujus ſe fideles fore interceſſores apud Inquiſitorem pro bono pacis obtulerunt. Impetrarunt itaque ab eo quindenam in qua cœptum negotium amicabiliter componi poſſet. Quod ſi non fieret, ſtatutus jam erat ab inquiſitore terminus ad ferendum ſententiam, *feria quarta poſt diem ſancti Dionyſii, quæ fuit XI. octobris.* De quo præfati domini Decanus & capitulum eccleſiæ majoris doctor. Reuchlin per literas certiorem fecerat petentes ut intra quindecim dierum ſpatium perſonaliter Moguntiæ compareat. Et quamvis datæ fuiſſent literæ feria II. poſt diem S. Mauritii Moguntiæ, quæ fuit XXII. menſis ſeptembris, tamen præſentatæ fuerunt Stutgardiam & doctori Reuchlin redditæ. V. nonas octobres. Venit igitur Joannes Reuchlin Moguntiam in die ſancti Dionyſii, honorifice comitatus conſiliariis illuſtris ducis Wirtembergenſis præſertim Egregio theologiæ atque juris doctore domino Jacobo Lempo Generalis ſtudii Tubingenſis in theologia primario regenti, ac Nobili & militari viro, Henrico Schilhing præfecto in Faihingen ambobus Capnioni per ducem Wirtenbergenſis adjunctis. Nihilominus tamen ſtantibus præfatis induciis Frater Jacobus Inquiſitor mandavit in virtute jurisdictionis ſuæ omnibus concionatoribus in Eccleſiis civitatis Moguntinæ proponere ac intimare populo, de Oculari Speculo ea quæ in hunc ſequuntur modum. „ Univerſis & ſingulis per civitatem Moguntinam ver„ bum dei prædicantibus Frater Jacobus de Hoch„ ſtraten ſacræ theologiæ profeſſor ordinis præ„ dicatorum nec non per Moguntinam Colo„ nienſem Treverenſem provincias hæreticæ pra„ vitatis Inquiſitor a ſancta ſede Apoſtolica deputa„ tus ſalutem, & noſtris immo verius apoſtolicis „ obedire mandatis. Cum alias ad noſtram re„ quiſitionem per Reverendos dominos Reveren„ diſſimi domini Moguntini Archiepiſcopi in cau„ ſa fidei commiſſarios latum fit judiciale decre„ tum certis pœnis vallatum quo ſcilicet ſub pœ„ na excommunicationis latæ ſententiæ ſingulis „ chriſti fidelibus. Judæis vero ſub pœna priva„ tionis communionis cum chriſti fidelibus ac „ ſub pœna non recipiendi uſuras a chriſtianis in„ terea eis promiſſas præcipitur, quatenus univer„ ſi habentes libellos in vulgari lingua ſub nomine „ Speculi Ocularis intitulatos, eos traderent ad „ manus dictorum dominorum commiſſariorum „ proxima feria quarta ad horam octavam in am„ bitu majoris eccleſiæ. Hinc eſt quod veſtrum „ ſingulos requirimus, & in virtute ſanctæ obe„ dientiæ qua tenemini ſedi apoſtolicæ Manda„ mus quatenus craſtina die quæ eſt dominica inter „ prædicandum verbum dei, dictum decretum ſub „ lingua vulgari in cancellis populo inſinuetis, „ monentes populum ut humiliter obediendo a „ dicta pœna excommunicationis ſe præſervet avi„ ſando, etiam homines quod per pœnitentiarios „ vel communes confeſſores a dicta cenſura non „ poſſent abſolvi, & ſi apud aliquos inpoſterum ta„ les libelli invenirentur, declararentur excommu„ nicati & ad arbitrium Reverendiſſimi domini „ Moguntini alias pœnas ſubirent. In veritatis te„ ſtimonium ſignetum noſtrum quo communiter „ utimur præſentibus ſubimpreſſimus. Anno gratiæ M. D. XIII. Menſis Octobris die octava. Cum autem media concordiæ per præfatos Dominos de capitulo concepta, Inquiſitori & ejus adhærentibus porrecta fuiſſent, & ea quidem ac talia per quæ arbitrabantur cunctis ſatisfactum, tam principibus quam univerſitatibus & facultati theologiæ Colonienſi. Et ſimul cum illo honor doctoris Reuchlin in nullo foret diminutus ipſi certe nulla media volebant acceptare niſi quæ videbantur tendere in doctoris Reuchlin manifeſtam infamiam. Quare cum nulla ulterius fuiſſet ſpes concordiæ, ſentiretque doctor Reuchlin ut ajebat ſe nihilominus non ſolum ab Inquiſitore, ſed etiam a commiſſariis maxime gravatum & ab eodem illo conſeſſu quotidie gravari, fuiſſetque adhuc infra tempus decem dierum, mox accito notario. Coram eo & teſtibus vocatis in hoſpitio Coronæ etiam a commiſſariis appellavit in ſcriptis ad ſedem apoſtolicam prout eſt moris juris atque ſtili, appellationemque

que intimavit, ut debuit cum apoſtolis & cæteris requilitis. Poſtquam autem Reverendiſſimus Archiepiſcopus Moguntinus qui tunc in Aſthaffenburgo habitavit de utraque doctoris Reuchlin appellatione informatus & certificatus fuerat, videratque ſimul plurimas & varias exorbitantias & nullitates Inquiſitoris & commiſſariorum ſuorum, doctus enim erat in jure, tamen ut honor ſuorum conſiliariorum & commiſſariorum maneret ſalvus, voluit potius in propria perſona quædam afferre media bona & apta, quibus de conſenſu partium hæc contentio & lis ſopiretur, ut ex literis ſuis ad Capitulum miſſis clare patet, ad quod poſtulavit unius menſis dilationem, ut interea ſententiæ prolatio ſuſpenderetur absque præjudicio quorumcunque. Sed in caſu quo inquiſitor dilationem eandem recuſaret, & omnino vellet poſt appellationes interpoſitas procedere, ex tunc revocavit & revocatos eſſe voluit ſuos commiſſarios eisque omnibus & ſingulis inhibuit ne ultra in aliquo procederent, aliter enim omne id quod ſecus factum foret revocabat, ac irritum inane caſſatum & adnullatum eſſe volebat. Acta ſunt hæc in Aſthaffenburgo tunc reſidentiæ ſuæ loco feria tertia poſt diem ſancti Dionyſii quæ fuit XI. menſis octobris anno &c. XIII. Ab hac revocatione Commiſſariorum qua delatum fuit appellationi doctoris Reuchlin, etiam Inquiſitor cum magna indignatione appellavit ad ſedem apoſtolicam & ſuam appellationem eccleſiæ majori affixit, ſed habito conſilio jurisperitorum appellationem deſeruit. Interea vero dum hæc agerentur Moguntiæ, partiumque adhærentes ſemotis principalibus inter ſe colloquia tenerent, obtulit ſe pro parte Joannis Reuchlin imperialium. LL. doctoris, prænominatus ille venerabilis & egregius theologiæ jurisque doctor Jacobus Lempus generalis ſtudii Tubingenſis, regens ordinarius contra & adverſus Inquiſitorem & ejus adhærentes hanc materiam publice diſputaturum in Univerſitate Moguntina, dummodo ſibi cautio fieret de ſecuritate & ſalvo conductu. Sed nemo fuit qui ſe ab altera parte contra eum opponere vellet. Sic utrinque diſceſſum eſt cum ingenti rancore Colonienſium. Cauſa itaque totius negotii hujus ad curiam Romanam per appellationem devoluta, ſanctiſſimus dominus noſter, dominus Leo papa decimus, per ſupplicationem Joannis Reuchlin Phorcenſis, natione ac origine Spirenſis, ſed domicilio Conſtantienſis diœceſis, clementer motus dedit commiſſionem ad partes ſicut in hoc citationis ac inhibitionis apoſtolicæ proceſſu continetur, cujus tenor ſequitur & eſt talis:

„Georgius dei & apoſtolicæ ſedis gratia, electus „& confirmatus eccleſiæ Spirenſis comes Palatinus „rheni & Bavariæ dux &c. Judex & Commiſſa„rius cauſarum & cauſæ ac partibus infra ſcriptis „una cum certo alio noſtro in hac parte collega, „cum clauſula ut vos vel alter veſtrum vocatis vo„candis &c. a ſancta ſede apoſtolica ſpecialiter de„putatus. Univerſis & ſingulis dominis, abbati„bus, prioribus, præpoſitis, decanis, archidiaconis, „ſcholaſticis, cantoribus, cuſtodibus, theſaurariis, „ſacriſtis, tam Metropolitanenſium & cathedra„lium quam collegiatarum, canonicis parrochia„liumque eccleſiarum rectoribus & loca tenenti„bus eorundem plebanis, viceplebanis, capellanis, „curatis & non curatis, primiſſariis, altariſtis, cæ„terisque præsbyteris, clericis, notariis, & tabellio„nibus publicis, quibuscunque per civitates & diœ„ceſ. Moguntinenſem, Colonienſem & Spirenſem, „ac alias ubilibet conſtitutis, nec non curſoribus „curiæ Spirenſis juratis, illique vel illis ad quem „vel ad quos præſentes noſtræ literæ pervenerint, „quique earundem vigore fuerint requiſiti eorum „cuilibet inſolidum. Salutem in domino & noſtris „hujuſmodi, immo verius apoſtolicis firmiter obe„dire mandatis Literas apoſtolicas in forma brevis, „Sanctiſſimi in chriſto patris & domini noſtri, „domini Leonis divina providentia papæ decimi „ſub annulo piſcatoris ſignatas una cum ſupplica„tione introcluſa ſanas & integras non vitiatas non „cancellatas neque in aliqua ſui parte ſuſpectas. „Sed omni prorſus vitio & ſuſpicione uti prima ap„parebat facie carentes nobis per venerabilem „& Egregium virum dominum Joannem Reuch„lin Phorcenſ. Spirenſ. diœceſ. Legum doctorem „principalem in eisdem literis, ſeu brevi apoſtolico „& ſupplicatione principaliter nominatum co„ram Notario publico & teſtibus infra ſcriptis „præſentatas nos cum ea qua decuit reverentia no„veritis recepiſſe. Cujus quidem brevis apo„ſtolici & ſupplicationis introcluſæ tenores ſuc„ceſſive ſequuntur, & ſunt tales Leo papa X. ve„nerabilibus fratribus Wormacienſi, & Spirenſi „Epiſcopis vel eorum alteri Venerabiles fratres, „Salutem & apoſtolicam benedictionem. Mit„timus fraternitati veſtræ ſupplicationem præſen„tibus introcluſam manu dilecti filii noſtri L. „Cardinalis Agennenſis in præſentia noſtra ſigna„tam volumusque & vobis committimus, ac „mandamus ut vos vel alter veſtrum, vocatis „vocandis ad illius executionem procedatis juxta „ejus continentiam & ſignaturam. Datum Ro„mæ apud ſanct. Petrum ſub annulo piſcatoris „die XXI. Novembris M. D. XIII. pontificatus no„ſtri: Anno I. In margine inferiori dicti brevis ſcripta erant hæc verba F. Caſtilioneus, extra vero hæc verba talis ſignatura reperiebatur. P. Vipera, tenor vero dictæ ſupplicationis introcluſæ eſt talis Beatiſſime pater, alias poſtquam quidam Jacobus de Hochſtraten pro ordinis prædicatorum profeſſore, & hæreticæ pravitatis in certis provinciis Germanicæ nationis inquiſitore ſe gerens devotum oratorem veſtrum Joan. Reuchlin Phorcenſ. Spirenſ. diœceſ. Legum doctor. ut infra certum brevem tunc expreſſum terminum Moguntiæ compareret, ad videndum ſuper continentiis certi tunc expreſſi libelli Ocularis ſpeculi nuncupati per ipſum oratorem editi, & ſuper eis per viam inquiſitionis & alias procedi citari mandaſſet, & dictus orator procuratorem legitimum cum poteſtate ſubſtituendi ad cauſam hujusmodi conſtituiſſet & procurator legitime ſubſtitutus præfatum Jacobum, de cujus delegatione ſeu ſub delegatione oratori non conſtabat, etiam variis legitimis de cauſis inſcriptis recuſaſſet, & cauſas legitimas recuſationis nomine ipſius oratoris coram arbitris Juris, quorum unum confeſtim nominavit ſe probaturum obtuliſſet, ac prætatum Jacobum ut in ſuum arbitrum aliquem nominaret prout de jure requiſiviſſet & dictus Jacobus recuſationem hujusmodi repellens & eam admit-

tere recusans, se causæ hujusmodi Judicem competentem fore & coram eo ad ulteriora procedi debere per suam interlocutoriam inter alia declaravit iniquam, a qua & nonnullis aliis sibi in hujusmodi causa illatis gravaminibus procurator. Seu etiam postmodum orator præfatus sentiens se indebite gravatum timensque imposterum plus gravari, ad S. V. & sedem apostolicam infra tempus debitum, etiam forsan iteratis vicibus appellavit. Et cum dictus Jacobus appellatione hujusmodi non obstante ad ulteriora procedere vellet, ac modernus archiepiscopus Moguntinus certos, qui prius ipsius Jacobi assessores ut asseritur fuerant pro commissariis dedisset seu deputasset, ipsique commissarii onus prætensæ commissionis nimium præcipitanter exequi niterentur, præfatus archiepiscopus ex certis causis dictis commissariis, ut usque ad certum tunc expressum terminum in causa & negotio hujusmodi supersederent mandavit alioquin ex tunc eosdem commissarios revocavit, ac eis ne ultra procederent inhibuit. Recurrit igitur humiliter ad S. V. præfatus Joannes orator quatenus sibi in præmissis justitiæ ministerio subvenientes, ac causæ hujusmodi statum & merita omniumque nec non singulorum aliorum hic forsan de necessitate exprimendorum tenores pro expressis habentes singularum appellationum pro parte dicti Joannis oratoris in hujusmodi causa quomodolibet interpositarum, ac post & contra illa forsan attentatorum & innovatorum nullitatisque processus & sententiæ per Jacobum & alios præfatos habitorum & latæ ac omnium & singulorum in præjudicium ipsius oratoris circa præmissa per quoscunque quomodolibet gestorum totiusque negotii principalis causas cum omnibus & singulis suis incidentibus dependentibus emergentibus annexis & connexis aliquibus probis viris in partibus illis summarie simpliciter & de plano audiendum, cognoscendum, decidendum, & fine debito terminandum. Cum potestate citandi prædictos, & quoscunque alios quorum interierit ac inhibendi tam archiepiscopo quam Jacobo & quibusvis aliis judicibus & personis quibus & quoties inhibendum fuerit, etiam sub censuris &c. omniaque & singula alia in præmissis, & circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi & exequendi. Invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis per literas S. V. in forma brevis, hac supplicatione introclusa committere & mandare dignemini, de gratia speciali non obstante fe. re. Bonifacii papæ VIII. S. V. prædecessoris de una & concilii generalis de duabus dietis, & quibusvis aliis constitutionibus & ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis privilegiis & indultis præfatis adversariis, & quibuscunque aliis cujuscunque dignitatis &c. in contrarium quomodolibet forsan concessis & confirmatis, quibus etiam si de eis &c. tenores &c. pro expressis habentes placeat hac vice derogare, cæterisque contrariis quibuscunque cum clausulis opportunis. Quæ quidem supplicatio sic signata erat Concessum, ut petitur in præsentia domini nostri Papæ, LL. Cardinalis Agennensis. Et deinde sequebantur hæ clausulæ. Et per breve S. V. hac supplicatione introclusa. Et dummodo ultra tres dictas non tra-

hatur. Quarum quidem clausularum signatura talis erat concessum. L. L. Cardin. Agennens. In inferiori autem margine dictæ supplicationis scripta erant hæc verba, Datum Romæ apud sanctum Petrum Quintodecimo kalend. Decembris Anno primo. Post cujusquidem præinserti Brevis apostolici una cum supplicatione introclusa præsentationem & receptionem nobis & per nos ut præmittitur factas, fuimus per præfatum dominum Joan. Reuchlin legum doctor. principalem in præinsertis Brevi & supplicatione principaliter nominatum coram nobis personaliter constitutum, debita cum instantia requisiti. Quatenus ad earundem literarum apostolicarum, & supplicationis introclusæ executionem procedere. Sibique citationem legitimam contra & adversus fratrem Jacobum de Hochstraten pro ordinis prædicatorum professore, & hæreticæ pravitatis in certis provinciis Germanicæ nationis inquisitore se gerentem, ex adverso principalem in eisdem præinsertis literis ex adverso principaliter nominatum. Omnesque alios & singulos sua communiter vel divisim interesse putantes, & in executione Citationis hujusmodi nominandos, una cum inhibitione inserta sub pœnis & censuris solitis in forma consueta decernere & concedere dignaremur. Nos igitur Georgius electus & confirmatus ecclesiæ Spirensis &c. Judex & commissarius apostolicus præfatus attendentes postulationem hujusmodi fore justam & consonam rationi, volentesque mandatum apostolicum nobis in hac parte directum reverentur, exequi, ac in causa & causis hujusmodi rite & legitime præcedere, ac partibus ipsis dante domino justitiam ministrare, ut tenemur receptis primitus per nos super recognitione annuli piscatoris in forma juris nonnullis testibus fide dignis, ac illo per eisdem recognito, & per nos pro recognito habito. Idcirco authoritate apostolica nobis commissa & qui fungimur in hac parte, Vos omnes & singulos supradictos, & vestrum quemlibet insolidum tenore præsentium requirimus & monemus primo secundo tertio peremptorie conjunctim & divisim vobis nihilominus & utrum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna quam in vos & vestrum quemlibet canonica monitionis præmissa, si ea quæ vobis in hac parte committimus & mandamus, neglexeritis seu distuleritis contumaciter adimplere ferimus in his scriptis, districte præcipiendo mandando. Quatenus infra sex dierum post præsentationem seu notificationem præsentium vobis, seu alteri vestrum factas, & postquam pro parte dicti domini Reuchlin doctoris principalis super hoc vigore præsentium fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus, immediate sequentium spatium, ita tamen quod in his exequendis unus vestrum alterum non expectet, nec unus pro alio seu per alium se excuset; quorum sex dierum duos pro primo, duos pro secundo & reliquos duos dies vobis universis & singulis supra dictis pro tertio & peremptorio termino, ac monitione canonica assignamus supra dictum fratrem Jacobum de Hochstraten pro hæreticæ pravitatis inquisitore se gerentem ex adverso principalem, omnesque alios & singulos sua communiter vel divisim interesse putantes & in executione præsentium nominandos in propriis eorum personis, si

ipso-

ipſorum præſentias commode habere poteritis, alioquin in hoſpitiis habitationum ſuarum, ſi ad ea vobis tutus pateat acceſſus, ac in parochiali ſeu parochialibus ſub qua vel quibus degunt & morantur. Sin autem in Metropolitanenſi, Moguntinenſi & Colonienſi ac cathedrali Spirenſi, nec non ſancti Caſtoris confluent. Treverenſi diœceſi & dictis parochialibus aliisve eccleſiis & locis publicis quibuscunque, ubi dum quando & quoties expedierit infra miſſarum & aliarum divinarum horarum ſolennia, dum ibidem populi multitudo ad divina audienda convenerit, aut alias legitime congregata fuerit, ex parte noſtra, immo verius apoſtolica autoritate publice alta & intelligibili voce peremptorie citetis & citari curetis, ita tamen quod veriſimile ſit citationem veſtram hujuſmodi ad ipſorum citandorum notitiam devenire indubitatam quos & eorum quemlibet nos etiam tenore præſentium ſic citamus. Quatenus triceſima die proxima poſt præſentium inſinuationem, ſi dies ipſa triceſima juridica fuerit, alioquin proxima die juridica, ex tunc ſequenti coram nobis Spiræ in palatio noſtro ſolito & conſueto, aut coram venerabilibus in chriſto nobis dilectis Thoma Truchſes decretorum doctore ſcholaſtico & Georgio de Sualbach canonicis eccleſiæ noſtræ Spirenſis noſtris in hac parte ſubdelegatis, aut altero eorundem quos etiam & eorum quemlibet ad cauſam hujuſmodi. Retenta nobis poteſtate diffinitive pronunciandi, ac eos & eorum quemlibet revocandi, & onus hujusmodi reaſſumendi toties quoties nobis placuerit & viſum fuerit expedire, loco noſtri ſubdelegavimus in judicio legitime compareant, hora poſt meridiem duodecima audientiæ cauſarum Commiſſariorum apoſtolicorum conſueta per ſe vel procuratorem ſeu procuratores ſuos idoneos, ad cauſam & cauſas hujusmodi ſufficienter inſtructos & informatos cum omnibus & ſingulis actis, actitatis, literis, ſcripturis, inſtrumentis, juribus & munimentis ad cauſam & cauſas hujusmodi facientibus & deſervientibus, præfato domino Jo. Reuchlin doctori principali, vel procuratori ſuo legitimo, de & ſuper omnibus & ſingulis in præinſertis literis apoſtolicis & ſupplicatione contentis, de juſtitia legitime reſponſuri, nec non in cauſa & cauſis hujusmodi ad omnes & ſingulos actus & terminos judiciales gradatim & ſucceſſive, & usque ad diffinitivam ſententiam incluſive ferendam, debitis tamen & conſuetis terminis & dilationem præcedentibus ut moris eſt proceſſuri & procedi viſuri, aliasque dicturi, facturi, allegaturi, oſtenſuri & recepturi id quod juſtitia ſuadebit, & ordo dictaverit rationis: Certificantes etiam eosdem ſic citatos ſeu citandos quod ſive in dicto citationis termino, ut præmiſſum eſt, comparere curaverint ſive non, nos nihilominus vel ſubdelegati noſtri prædicti ſeu alter eorum ad partis comparentis, & cauſam ſeu cauſas hujusmodi proſequi curantis inſtantiam ad præmiſſa omnia & ſingula, & alias prout juſtum fuerit procedemus ſeu procedent, aut alter eorum procedet, juſtitia mediante. Ipſis etiam de cætero non niſi in valvis dictæ eccleſiæ noſtræ Spirenſis ad alios actus judiciales, ut moris eſt vocatis ſeu citatis. Et inſuper attendendum quod cauſa & cauſis hujusmodi coram nobis pendentibus nihil ſit per quemcunque innovandum vel attentandum, vobis univerſis & ſingulis ſupra dictis, quibus præſentes noſtræ literæ diriguntur, & cuilibet veſtrum autoritate apoſtolica prædicta modo & forma præmiſſis committimus & mandamus. Quatenus poſt legitimam dictæ citationis executionem Reverendiſſimo in chriſti patri & domino Vrieli ſanctæ Moguntinenſis ſedis archiepiſcopo, ſacri Romani imperii per germaniam archicancellario & principi electori, ſuisque commiſſariis judicibus, & quibuscunque aliis judicibus & officialibus, quacunque autoritate fungentibus. Nec non præfato fratri Jac. Hochſtraten ex adverſo principali. Omnibus aliis & ſingulis quorum intereſt intererit aut intereſſe poterit quomodolibet in futurum, quibuscunque nominibus cenſeantur, & quacunque præfulgeant dignitate, de quibus pro parte dicti domini Joannis Reuchlin principalis præſentium fueritis vigore requiſiti, aut alter veſtrum fuerit requiſitus, inhibeatur, quibus etiam & eorum cuilibet nos tenore præſentium ſub excommunicationis pœna ſic inhibemus ne ipſi ſeu eorum alter in vilipendium litis pendentiæ, & jurisdictionis noſtræ, immo verius apoſtolicæ ſedis contemptum, dictique domini Joannis Reuchlin principalis præjudicium & gravamen, in cauſa & cauſis antedictis, per ſe vel alium ſeu alios publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quæſito colore vel ingenio innovare vel attentare præſumant, aut aliquis eorum præſumat. Quod ſi ſecus factum fuerit, nos id totum revocare, & in ſtatum priſtinum reducere, ac addictæ ſententiæ excommunicationis declarationem, & alias ad ulteriora procedere curabimus, ſuccurabunt, aut alter eorum curabit, juſtitia mediante. Diem vero ſeu dies citationis & inhibitionis veſtrarum hujusmodi atque formam, & quicquid in præmiſſis feceritis, aut alter veſtrum duxerit faciendum nobis per veſtras patentes literas, aut inſtrumentum publicum harum ſerie ſeu deſignationem in ſe continentes ſive continens remiſſis præſentibus quantocius poteritis fideliter intimare curetis. Abſolutionem vero omnium & ſingulorum qui præfatam noſtram excommunicationis ſententiam incurrerint, ſive incurrerit quoquo modo nobis vel ſuperiori noſtro tantummodo reſervamus. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes literas, ſeu præſens publicum inſtrumentum citationem & inhibitionem noſtras hujusmodi in ſe continens, ſive continens exinde fieri, & per notarium publicum ſcribamque noſtrum infra ſcriptum, ſubſcribi & publicari mandavimus, noſtrique ſigilli juſſimus & fecimus appenſione communiri. Datum & actum in caſtro noſtro Udenheim noſtræ diœceſ. in ſtuba minori ſub anno a nativitate domini M. D. XIII. indictione prima. Die vero Martis viceſima menſis decembris, pontificatus præfati ſanctiſſimi in chriſto patris & domini noſtri domini Leonis divina providentia papæ decimi, anno ejus primo, præſentibus ibidem honorabilibus in chriſto nobis dilectis magiſtris Joanne Froſch, & Joanni Holtzhaji præsbyteris, capellanis noſtris teſtibus ad præmiſſa vocatis, ſpecialiter atque rogatis.

Et ego Conradus Syes de Heppenheim clericus

Moguntinenſis, diœceſ. publicus ſacra imperiali autoritate notarius cauſarumque curiæ epiſcopalis Spirenſis & officii vicariatus in ſpiritualibus ſcriba juratus, quia præinſerti brevis apoſtolici & ſupplicationis introcluſæ præſentationi, receptioni, productioni teſtium, & annuli piſcatoris recognitioni præſentisque citationis una cum inhibitioni petitioni & decreto, omnibusque aliis & ſingulis præmiſſis, dum ſicut præmittitur coram reverendiſſimo & illuſtriſſimo principe & domino, domino Georgio electo & confirmato eccleſiæ Spirenſi comite Palatino Rheni, ac Bavariæ duce &c. judice & commiſſario apoſtolico, & per eundem fierent & agerentur una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audivi. Idcirco præſens publicum inſtrumentum hujusmodi proceſſum in ſe continens manu alterius, me interim aliis legitimis præpetito negotiis, fideliter ſcriptum ex inde confeci, ſubſcripſi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque & nomine meis ſolitis & conſuetis, una cum præfati reverendiſſimi domini judicis & commiſſarii apoſtolici ſigilli appenſione conſignavi, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum rogatus & requiſitus.

Executa eſt primo hæc citatio XXVII. die menſis decembris anno &c. in loco debito Moguntiæ qui non diſtat a Spira ultra tres dietas, ubi ſibi frater Jacobus Inquiſitor jurisdictionis ſuæ tribunal conſiſtorium & inquiſitionis ſedem in provincia Moguntina elegerat domiciliumque conſtituerat principale quoad cauſam ſubjectam, ad quem locum doctorem Reuchlin nominatim citando, ex diœceſi Conſtantienſi per viginti duo magna milliaria alemanica traxerat, & ubi judicando vel contraxerat vel deliquerat. Unde alias ibi præfato doctori Reuchlin de jure contra eum agenti tenebatur reſpondere *ſa. ad hæc not. Panormitan. in ca. nonnulli extra de reſcripti. col. IV. in ver. quæro extra gloſam.* Deinde nihilominus tamen ex abundanti pro majori cautela, quia etiam Inquiſitor deſervire voluit officio prioratus in Colonia, & eo tempore a Moguntia illuc ſe retraxerat. Et ſic quia ſe collocavit in utroque, cenſetur reſidere in utroque. Panormitanus in *c. poſtulaſti i. col. de foro competenti*, propterea ne poſſet ipſe Inquiſitor allegare ignorantiam. Etiam executa eſt hæc citatio Coloniæ ad manus ejus proprias certificando eum de citationis die Moguntiæ factæ quæ tum propter adhærentes & ſua intereſſe putantes & maxime quoque propter inhibitionem Apoſtolicam affixa etiam eſt ad conventum ſuum apud prædicatores ibidem & eccleſiam majorem & alia publica loca Coloniæ atque per deſtrictum Rheni non parvo numero, ne quis ſe poſſet ab inhibitione apoſtolica excuſare. Poſtquam autem illuſtris princeps & Reverendus dominus Spirenſis Judex apoſtolicus audientiam cauſæ ſuis commiſſariis ſubdelegaverat, comparuit ad terminum utrisque partibus præfixum Doct. Jo. Reuchlin pars appellans in propria perſona coram eisdem dominis commiſſariis & Judicibus delegatis, ſplendido conſeſſu doctiſſimorum virorum & tam theologiæ quam utriusque juris peritorum tanquam aſſeſſorum ornatis & fulcitis, coram quibus tunc apud acta procuratorem ſibi, magiſtrum Joan. Greiff conſtituit in meliori forma. Inquiſitor autem ille F. Jacobus non comparuit, ſed quidam religioſus ut aſſerebat ejusdem ordinis prædicatorum Joannes Horſt de Romberg alias Kerſpe absque & ſine mandato legitimo & ſufficienti ſeipſum in judicio præſentavit cum quodam ſcripto in forma procuratorii quod proteſtabatur ſe non velle acceptare in toto ſed ſolum in parte ut in actis ſecundæ inſtantiæ fol. XXXIV. quod cum impugnaretur a procuratore Joan. Reuchlin in multis paſſibus & ſimul per hoc quod non conſtaret de licentia ſui ſuperioris cum eſſet religioſus & careret aliis requiſitis vero procuratori neceſſariis, ex adverſo præfatus F. Joannes produxit literas commendatitias a F. Jacobo Inquiſitore ut dicebat emanatas, quibus petiit omnes chriſti fideles ut huic fratri in negotiis fidei proficiſcenti ſubveniant propter deum, quos dictus procurator etiam impugnavit allegando non eſſe autenticas & fide dignas & omnino ad legitimandum procuratorem impertinentes. Tandem interrogatus eſt frater ille an velit præſtare cautionem prout de jure Reſpondit idem frater neque ſe neque principalem ſuum teneri ad cautionem præſtandam ex quo eſſent ambo fratres mendicantes, quare nec ſatisdationem nec ullam cautionem præſtare vellet, ut in actis fol. XLVII. facie ſecunda. Et idem paulo ante, ut etiam extat in actis, confeſſus fuit quod non acceſſiſſet pro utilitate ſui monaſterii ut ibidem facie prima circa principium. Denegata igitur cautione & evidentiori ac validiori procuratorio non oſtenſo. Domini commiſſarii ad inſtantiam procuratoris appellantis pronunciaverunt F. Joannem Horſt prænominatum non eſſe admittendum. Decreveruntque partibus, pro ulteriori proceſſu Citationem ad valvas eccleſiæ prout moris eſt & ſtili. Anno igitur &c. XIII. die lunæ XX. menſis februarii hora præfixa comparuit. Magiſter Joan. Greiff procurator reproduxit citationem in valvis affixam accuſavit contumaciam citatorum non comparentium. In contumaciam petiit decerni prout in materiis ſuis inſcriptis exhibitis continetur. Et ponuntur in actis folio CXI.

Sequuntur materiæ pro juſtificanda appellatione productæ.

AD oſtendendum nullitatem proceſſus nuper per F. Jacobum Hochſtraten dictum, ordinis prædicatorum ac ſacræ paginæ profeſſorem, hæreticæque quoque pravitatis aſſertum inquiſitorem, ac nonnullos reverendi in chriſto patris & domini. Domini Vrielis Archiepiſcopi Moguntini &c. aſſertos Commiſſarios inſtitutum & habitum ſuper quodam libello ſpeculum Oculare intitulato, nec non ad juſtificandum appellationes per Egregium virum dominum Joan. Reuchlin LL. Doctor. &c. ut authorem ejusdem libelli ab eorundem proceſſu interpoſitas. Inque omnes alios fines & affectus parti ſuæ utiliores, procurator & eo nomine ſupradicti domini appellantis exhibet & producit acta primæ inſtantiæ, ſi modo ſic dici merentur, quatenus pro parte ſua faciunt & non aliter, de quo proteſtatur. Ex quibus vobis venerabilibus & Egregiis viris præſentis cauſæ apoſtolica authoritate ſubdelegatis absque extrinſeca probatione evidentiſſime conſtábit

bit & apparebit de debito tempore interpoſitæ appellationis & aliis requiſitis ad formalia appellationis ac de notoria nullitate proceſſus, ſimul etiam gravamina præfatis appellationibus inſerta probata & verificata eſſe. Specialius tamen præmiſſa oſtendendo procurator dicit & allegat quod dictus aſſertus inquiſitor ſuo nomine & præſumpta ſibi jurisdictione confiſus, citationem quandam decrevit in qua prædictum dominum Joan. Reuchlin appellantem Stutgardiæ morantem ut authorem memorati libelli & intereſſe habentem nominatim & peremptorie citavit & citari mandavit ad comparendum coram ſe Moguntiæ &c. ſexta die mane poſt ejusdem citationis executionem ad videndum & audiendum ſuper continentiam prædicti libelli inquiri juxta tenorem ejusdem citationis actis fol. XXII. & ſequenti inſertæ. Ex qua patet quod eadem citatio peremptoria nuncupata non habuit tria legitima intervalla, quibus ſingulis quisquam a Stutgardia commode Moguntiam venire potuerit juxta juris diſpoſitionem quod profecto conſiderata locorum diſtantia habitaque ratione temporis, conditionis, ac ætatis, domini citati, jam ſenio confecti patebit temporis citationi inſertum. Nec pro una dilatione aut ſimplici citatione ſufficere præſertim in tam arduo negotio. Ex qua præcipitatione non parva ſuſpicio & iniquitas aſſerti inquiſitoris oritur ac nullitas proceſſus. Accedit huic quod idem aſſertus inquiſitor prætenſam ſuam jurisdictionem fundare volens in abſentia citati, eoque minime vocato, nulliter & de facto, quædam munimenta ac teſtes deſuper produci & audiri fecit. Sic quoque jurisdictione ſua dubia exiſtente & nondum legitime fundata procedere viſus fuit. Patet inſuper ex eisdem actis quod dominus appellans licet nulliter citatus nolens tamen præſumptam aliquam contumaciam incidere per procuratorem ſuum ad id legitime conſtitutum ſeu verius ejusdem ſubſtitutum in termino prædicto comparuit. Et legitimas quasdam ſuſpicionis cauſas probabiles contra perſonam ejusdem aſſerti inquiſitoris in ſcriptis exhibuit & coram eodem propoſuit fol. XLIV. regiſtratas, petens easdem admitti atque ad cognoſcendum de juſtitia & veritate earundem arbitros juris eligi, coram quibus ſe easdem in continenti probaturum obtulerat prout hæc clare ex actis patent. Idem tamen aſſertus Inquiſitor contra evidentem juris diſpoſitionem ſupradictum dominum appellantem manifeſte & injuſte gravando hujusmodi ſuſpicionis cauſas legitimas & probabiles repulit, & dominum appellantem ad probandum non admiſit, quinimo per quandam proteſtationem primo fol. XLII. regiſtratam, deinde per prætenſam quandam interlocutoriam ſeu decretum fol. LII. reſervata cognitione deciſionem commiſſariis reverendiſſimi patris & domini archipræſulis Moguntini inchoatum proceſſum continuare & in inquiſitionis negotio ſe proceſſurum decrevit, cum poteſtate hujusmodi facultatem dum jure liceret & ſi placuerit reaſſumendi. Ex quibus partem ſuam indebite gravatam ex vera & juſta cauſa ab eodem aſſerto inquiſitore appellatum fuiſſe & eſſe.

Inſuper ad oſtendendum gravamina per aſſertos commiſſarios Reverendiſſimi patris & domini archiepiſcopi Moguntinenſis illata & appellationi ſecundæ inſerta, procurator quo ſupra nomine dicitque licet aſſertus inquiſitor in præfata prætenſa ſua interlocutoria cognitionem & deciſionem cauſæ inchoatæ eisdem commiſſariis certa forma expreſſa reſervaverit & in eosdem tranſtuliſſe & delegiſſe videatur. Verum tamen eſt quod aſſertus inquiſitor cujus induſtria electa præſumitur prout ex commiſſione provincialis ſui patere dignoſcitur. Et quia ipſe delegatus alteri ſubdelegare non potuit maxime ac indubie in caſu noſtro, cum certum ſit quod inquiſitores non ordinariam, ſed delegatam habeant jurisdictionem. Ideoque idem aſſertus inquiſitor & delegatus propoſita legitima & probabili cauſa ſuſpicionis contra ſe, non debuit nec potuit. Jure prohibente ad quod procurator ſe refert, cauſam ipſam ſine recuſatoris aſſenſu ſubdelegare nec committere. Unde cum non conſtat ipſum recuſantem huic commiſſioni conſenſiſſe, patet eandem nullam fuiſſe & de facto. Nullamque jurisdictionem ab eodem aſſerto inquiſitore in eosdem transfuſam. Unde proceſſum ipſius etiam proprio nomine inſtitutum continuare non potuerunt. Præterea non conſtat ex actis eisdem Commiſſariis a reverendiſſimo patre & domino archiepiſcopo Mogunt. Cognitionem aliquam aut jurisdictionem ſeu facultatem inquirendi contra libellum intitulatum Oculare ſpeculum datam ſeu conceſſam. Legenti ei commiſſionem eisdem præſentatam fol. XVIII. & ſequent: deſcriptam, claret ad oculum quod eisdem nulla cauſæ cognitio ſed nudum miniſterium & executio literarum imperialium ſeu Cæſareæ majeſtatis ſub data confluentiæ. Anno M. D. XIII. In actis fol. LIX. ſubdelegatur ſeu committitur. Verum in eisdem literis vel imperiali mandato de libello prædicto Oculare ſpeculum nuncupato nulla fit mentio. Sed alius quidam libellus qui contra facultatem theologicam Colonienſem editus dicitur, ſupprimi mandatur, nec fundat jurisdictionem eorundem quod primum mandatum ab eadem Cæſarea majeſtate emanatum fol. LII. prædictum libellum ſeu verius conſilium eidem inſertum complectitur, cum pateat ex eodem mandato quod nulla ſuppreſſio vel extinctio ejusdem libelli ſive conſilii mandetur. Nec imperator tale mandatum ſive cognitionem, ut per commiſſarios geſtum apparet mandare aut delegare potuerit vel præſumatur, cum ſit materia fidei ut ipſi ajunt, & eccleſiaſtica, quæ non ad forum ſuum ſed ut ait canon ad Petrum pertineat. Præterea nemo dubitat quin eadem mandata ad importunam inſtantiam adverſariorum emanaverint ſupradictoque domino appellanti contra eosdem locus excipiendi ac principem melius informandi patere debuiſſet. Sed ex actis minime conſtat ipſum appellantem ad prædicta faciendum legitime citatum fuiſſe. Unde neceſſario ſequitur quod prædicti domini Commiſſarii nulla jurisdictione ſuffulti & fines ac limites mandati egrediendo nulliter vel ſaltem inique ac partem enormiter vel ignoranter lædendo proceſſerunt. Poſtremo præter ſupradicta ex actis productis clariſſime conſtat quod licet ſæpe nominati domini Commiſſarii nullam cognitionem ſeu jurisdictionem ad

actum

actum prætenſum ut præmittitur habuerunt. Nihilominus tamen ipſi ad importunam inſtantiam præfati aſſerti inquiſitoris qui ſuſpicionem perſonæ ſuæ in odium privatum demonſtrando, de judice factus eſt accuſator & denunciator ſive ut ipſemet ait delator, contra libellum ſupradictum Oculare ſpeculum intitulatum temere & de facto ſive injuſte juris ordine prætermiſſo proceſſerunt eodem videlicet appellante ut autore ejusdem & intereſſe habente nunquam vel ad aliquem actum legitime citato ſive vocato, quod tamen fieri debuit, præſertim cum idem libellus ut intuenti patet, nihil notorie contra articulos fidei, contra ſacramenta eccleſiæ, aut alias notorie doctrinam & opinionem ab eccleſia ut hæreticam damnatam aſſerat, aut credendum doceat, faveat vel defendat, per quod eidem domino appellanti omnem defenſionem contra divina humanaque jura præſertim in arduo negotio abſtulerunt prout gravamen iſtud ex actis productis notorie apparet. Nullæ enim citationes commiſſariorum in eisdem niſi in valvis eccleſiæ majoris ſive in tabulis affixæ inveniuntur, & tam brevi ſpatio concluſæ, quod tempus etiam Moguntiæ reſidenti ad deliberandum in tam arduo negotio & præcipuo proceſſu non ſuffeciſſet, nec ad notitiam appellantis pervenire potuerunt, nec potuerunt prædicti commiſſarii ignorantiam prætendere. Sciebant enim ex inſcriptione libelli actis inſerti ipſum dominum Jo. Reuchlin appellantem ejusdem autorem, & in eodem negotio legitimum contradictorem eſſe atque condemnationem ejusdem libelli in gravamen & intolerabilem læſionem, infamiam atque injuriam ipſius redundare, prout per procuratorem ſuum ad proponendas cauſas ſuſpicionis conſtitutum de iis & de ignorantia principalis ſui non citati plene præmoniti fuerunt prout in actis fol. LIII. & ſequentibus. Ex quibus ſequitur & patet quod dominus appellans tanquam intereſſe habens merito citandus fuiſſet, & ab eodem proceſſu & gravaminibus ſupra dictis pro ſuo intereſſe legitimam cauſam appellandi habuerit. Unde cum ſupra dicta gravamina contra jus manifeſtum illata & appellationibus inſerta, & alia multa ex actis productis evidentiſſime cunctis legentibus pateant & colligi poſſint, neque pro verificatione eorundem uberiori probatione opus ſit, ſuper quo ſe procurator ad jus refert, petit procurator quo ſupra nomine per vos venerabiles egregios & circumſpectos viros hujus cauſæ ſubdelegatos judices ſeu commiſſarios pronuntiari & decerni nulliter vel ſaltem inique & injuſte per aſſertum Inquiſitorem ac commiſſarios ſupra dictos proceſſum, & pro parte ſua bene & legitime appellatum fuiſſe & eſſe, ac ejusdem aſſerti inquiſitoris proceſſum poſt propoſitionem legitime ſuſpicionis, & præſertim ſubdelegationem, eorundemque ſubdelegatorum & commiſſariorum præfatorum proceſſum, omniaque inde ſubſecuta nulla & irrita fuiſſe & eſſe, vel ſaltem per viam attentatorum & innovatorum poſt legitimam appellationem, & ex probabili cauſa emiſſam, caſſanda, irritanda & revocanda fore & eſſe, ac caſſari & irritari & revocari, nec non cauſam principalem juxta commiſſionis tenorem apoſtolicæ ad reverendum dominum Spirenſem &c. & P. V. ſubdelegatos devolutam, inque eadem procedendum fore & eſſe. Supradictumque fratrem Jacobum Hochſtraten aſſertum inquiſitorem ex adverſo appellatum principalem in expenſis huc usque propter hujusmodi nullum aut iniquum ac injuſtum proceſſum per appellantem factis damnis paſſis & intereſſe, condemnandum fore & condemnari. Et ad ſatisfaciendum de hujusmodi expenſis damnis & intereſſe compelli, juſtitia mediante. V. P. officium circa præmiſſa humiliter implorando ac ſibi in de & ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis conjunctim & diviſim juſtitiam, & quod juſtum fuerit decerni & miniſtrari.

Poſtea cum domini Commiſſarii præhabita deliberatione ſe de ſententia ferenda reſolviſſent, vocatis partibus. Et magiſtro Joanne Greiff recomparente, ac in præſentia fratris Joannis Horſt ex adverſo aſſerti procuratoris ſimiliter comparentis, tacentis & nil contradicentis interloqui, & juxta petita decerni iterum petente, domini Commiſſarii interloquendo decreverunt in hunc qui ſequitur modum:

Viſis actis interloquendo decernimus cauſam & cauſas appellationis & appellationum pro parte egregii viri domini Jo. Reuchlin LL. doctoris appellantis principalis ad ſanctam ſedem apoſtolicam interpoſitæ & interpoſitarum rite & legitime ſore & eſſe devolutas. Et nobis prætextu apoſtolicarum in forma brevis, & ſubdelegationis literarum nobis præſentatarum, jurisdictionem competiiſſe & competere. Et in cauſa hujusmodi ad ulteriora prout de jure procedendum fore & eſſe. Prædicta ſententia ſic lata, aſſertus inquiſitoris procurator mandatum quoddam in ſcriptis exhibuit ſigillo curiæ epiſcopalis Colonienſis munitum, ac per notarium ejusdem conſiſtorii ſubſcriptum & ſignatum, in quo continebatur ratificatio & approbatio prioris conſtitutionis & actorum, & quatenus fuerit opus, nova conſtitutio & licentiæ datio ejusdem fratris & cujusdam alterius lectoris conventus Wormacienſis, cui tunc præſenti frater Paulus prior coram dominis ſubdelegatis licentiam dedit. Et licet quilibet eorum inſolidum fuerit conſtitutus, ipſi tamen ambo ſimul virtute jam dicti mandati petitionem neſcio quam produxerunt, ac demum exceptiones, in ſcriptis contra reſcriptum & appellationes. Procurator vero partis appellantis replicavit articulum appellationis expeditum, ac ſententia ſubdelegatorum diſcuſſum, quare prædicta petita eſſe repellenda &c. Quatenus vero exhibitum, mandatum & lectum dominis ſubdelegatis quibus procurator appellantis ſe ſubmiſit ſufficiens videretur, petiit eisdem procuratoribus prædictis præmemoratis præfigi terminum libellandi in principali cauſa in feriam ſecundam poſt dominicam Reminiſcere. Tandem poſt multas altercationes ſubdelegati præhabita deliberatione inhærentes priori ſententiæ, præfixerunt utrisque partibus terminum libellandi in feriam ſecundam ſupra petitam. Quo audito procuratores inquiſitoris denuo priora producta & exceptiones repetebant petentes reſtitui. Procurator appellantis generalia contra replicavit. Super quo demum domini ſubdelegati reſponderunt ſe velle inhærere jam latæ ſententiæ & præfixioni termini ad libellandum. Mox procuratores Inquiſitoris appellati exhibuerunt duas ſchedulas priorum appellationum

tionum uti aſſerebant correctorias, ac etiam tertiam appellationem in ſcriptis petentes ſibi reſpondere de apoſtolis. Subdelegatis autem de dandis apoſtolis deliberantibus, Joannes Pfefferkorn judæus baptizatus, qui tunc una cum prædictis fratribus prædicatoribus aderat ſchedulam quandam impreſſam continentem ſententiam Colonienſium condemnatoriam Ocularis ſpeculi ſuper quo jam in lite contendebatur, publice in aula ante auditorium affixit cujus tenor ſequitur & eſt talis. „Chriſti crucifixi noſtra opprobria ſuæ incarna„tionis, & amaræ paſſionis myſteriis delentis no„mine invocato, pro tribunali ſedentes, & ſo„lum deum & ejus juſtitiam & religionem præ „oculis habentes, ipſiusque in religionem divi„nam, quæ in omnium tendunt injuriam, com„miſſa opprobria, ac hæreticæ ſuperſtitionis in „via, inulta dimittere nolentes, in cauſa inquiſitio„nis contra Speculum oculare Jo. Reuchlin in„ſcriptum in proceſſu cauſæ clarius deſignatum „inſtitutæ, citra tamen ipſius auctoris notam, „quem ab ejus humilem ſubmiſſionem & alia ejus „laudabilia ſcripta pro catholico habemus. Poteſt „namque non hæreticus dicta hæreſin ſapientia „ſcribere, ut de abbate Joachim apud jura con„ſtant per hanc noſtram diffinitivam ſententiam „quam actis, cauſæ meritis, diligenter viſis & re„viſis, theologorum & juriſperitorum nobis „communicato conſilio, pariter & aſſenſu feri„mus in his ſcriptis, pronunciamus, decerni„mus, & declaramus, memoratum libellum hæ„reſes ſapientem, & errores multos continentem „perfidis judæis plusquam deceat favorabilem, „eccleſiæ dei injurioſum, ac ſacris eccleſiæ do„ctoribus irreverentialem chriſti fidelium maxi„me ſimplicium ſcantaliſativum, ipſumque pro„pterea, ſcriptura ſeu impreſſoria arte per Colo„nienſ. diœceſin multiplicatam communi ho„minum uſui interdicendum, condemnandum, „ſupprimendum, tollendum, ac igni publice con„cremandum, prout interdicimus, condemna„mus, ſupprimimus, tollimus, pariter & igne con„cremari præcipimus. Lata & executa eſt pu„blico incendio Coloniæ hæc ſententia in die „Scholaſticæ virginis &c. anno XIV. Qua ſchedula ſic publicata procurator doctoris Jo. Reuchlin eam affixionem propria temeritate in palatio principis absque alicujus autoritate factam, & in contemptum jurisdictionis epiſcopi Spirenſis ac dominorum ſubdelegatorum vergentem, quibus cauſa hæc ſpecialiter delegata reperitur, cum inhibitione apoſtolica omnibus aliis judicibus factam, ad notitiam eorundem ſubdelegatorum devolvit petens declarari eundem incidiſſe ſententiam excommunicationis inhibitioni inſertam &c. ac ſibi inhiberi ne talia in futurum attentaret, proteſtando etiam de injuriis ſuo principali illatis poſt multas altercationes domini ſubdelegati eundem Pfefferkorn de præfata inhibitione certificantes, ſpecialiter eidem inhibuerunt ſub pœna excommunicationis &c.

Et ſic de apoſtolis dandis receperunt terminum juris, & finaliter dederunt refutatorios. Interea D. Jo. Reuchlin pars appellans cum ſtaret cum Inquiſitore in judicio, & eodem tempore ſe a fratribus prædicatoribus Coloniæ ſentiret per affixionem & publicationem præfatæ nullæ aut ſaltem injuſtæ ſententiæ in abſentia ſua eo ignorante nulliter aut inique ab ipſis latæ ubique diffamari, coactus eſt pro tuitione honoris & famæ ſuæ adverſus eos & contra præmemoratum ſive nullum ſeu injuſtum, iniquum, injurioſum infame judicium, in lingua germanica etiam in omnibus locis inſignibus, proceſſus eorum & nullitatem ſeu etiam iniquitatem ipſorum publice per impreſſas literas propalare. Quæ quidem ſcriptura inter cætera ſe quoque fundabat ſuper iſtis atque talibus in jure rationibus. Primo quod tunc actu in hac cauſa jurisdictionem non habeant eo quod commiſſio ſpecialis excludit generalem circa idem negotium. Item quod lite pendente nihil eſt innovandum. Item quod inhibitio apoſtolica eis publicata tam ipſis quam omnibus aliis judicibus ademit in hoc negotio judicandi poteſtatem. Item quod Judex Inferior papa regulariter non poteſt citare per edictum. Item quod cum perſona poteſt facile haberi debet perſonaliter citari. Item quod non potuerunt inquiſitores unius & ejusdem negotii alter ſine altero condemnatoriam ferre ſententiam.

Item quod Inquiſitor prædicatorum non poteſt procedere ſine ordinario loci ad ſententiam diffinitivam, quod in hoc caſu factum eſt.

Item quod non valet ſententia a judice excommunicato lata ſicut iſte inquiſitor fuit, quamtumvis non fuerit denunciatus.

Item quod inquiſitoris facultas non extendit ſe niſi ubi eſt hæreſis manifeſta expreſſa & condemnata, ſed hic caſus fuit eis dubius, quia miſerunt eum ad univerſitates diſputandum & conſulendum, ergo debuit referri ad beatum Petrum.

Item inquiſitores & fratres prædicatores non habent poteſtatem realiter & cum effectu comburendi, ſed ſecundum jura debet committi brachio, id eſt judici ſeculari.

Item omnibus hominibus eſt notum, quod hoc proceſſit ab inimicis hoſtibus & ſuſpectis de quibus loquitur *c. ſecundo requiris §. tertio poſtulas extra de appel.* his verbis, *ipſa namque ratio dictat quod ſuſpecti & inimici Judices eſſe non debent*, hæc & ſimilia præfatus doctor Joannes Reuchlin aſſeruit eſſe notoria & manifeſta ut probatione ulteriore non egeant & ſimul ſuper jus fundata. Dum hoc negotium de cremando libello a fratribus prædicatoribus Coloniæ contra inhibitionem apoſtolicam atque tunc eadem lite cauſa & appellatione pendente tractaretur, fuit quidam ex amiciſſimis eorum magis de honore tanti & tam venerabilis ordinis ſollicitus qui præcavere ipſorum infamiæ futura pericula volens in hæc ad illos ſcripſit verba:

„S. D. P. Egregii & doctiſſimi patres & domini „mei Colendiſſimi! Ego natura ſcire deſideraus „ab ineunte usque huc ætate libenter rerum cau„ſas ſcrutor, & quantum queo circa veri inveniendi ſemitam verſor. Quare cum nuper Oculare „ſpeculum doctoris Joannis Reuchlin legerem qui „liber in uno & eodem corpore compoſitus eſt ex „conſilio de judæorum libris concremandis ejus„que declaratione latina & Teutonica & ſic publi„ce impreſſus, audirem denique a quam plurimis „quod vos cupiatis eundem librum concremare ac „igni tradere, tum commovit me ſciendi ſtudium „& amor veritatis etiam ſi doctor ille mortuus

„ esset cujus notitiam non habeo, ut hæc a paterni-
„ tatibus vestris neutri parti affectus quærerem scili-
„ cet ob quam potissimum causam vos putetis e-
„ undem librum esse igni tradendum. Ex quo non-
„ dum viderim esse statutum libros reprobandæ
„ lectionis, sed potius reprobatæ lectionis suppri-
„ mendos, ut sunt hæretici, famosi, magici. Qui
„ dudum expresse reprobati sunt a jure. De iis
„ autem qui nondum sunt jure aliquo ad legendum
„ prohibiti, videtur quod etiam si essent vitandi, ta-
„ men nullo jure sint concremandi. Nunc vero
„ cum pace vestra & bona venia loquor Oculare
„ speculum non approbat magica sed damnat fol.
„ XIV. & famosa scripta igni tradenda judicat fol.
„ II. Et hæreses detestatur librosque hæreticorum
„ pronuntiat esse comburendos fol. XII. Cum-
„ que idem liber Oculare speculum dictus nihil as-
„ sertive neque pertinaciter diffiniat sed omnia ec-
„ clesiæ determinationi subjiciat, & non extrinsecus
„ aut separatim, sed intrinsecus in eodem suo cor-
„ pore protestatur, pro non scripto habendum quic-
„ quid ecclesia non recipit. Non sicut Abbas Joa-
„ chim qui contra expressam sacræ scripturæ veri-
„ tatem diffinivit, infamando nihilominus Petrum
„ Lombardum de hæresi, & post illum suum tracta-
„ tum separatim & non in continenti per quandam
„ singularem epistolam omnia sua scripta subjecit
„ sedi apostolicæ. Unde papa ipsemet ad quem
„ hoc spectat, libellum damnavit, sed non ideo
„ inferiori se, talia facere permisit. Iste autem li-
„ ber Ocularis speculi seipsum papæ submisit & in
„ continenti & in eodem corpore non per aliquod
„ extraneum. Satis igitur videtur nullam hæresin
„ docere, astruere, ac adhærendo affirmare. Im-
„ mo nullam manifestam hæresin simpliciter con-
„ tinere, cum sit constitutus ex tam clara tamque
„ lucida declaratione non solum in lingua latina,
„ sed etiam teutonica, ut omnia conjunctim lecta
„ neminem piarum aurium judicio præditum pos-
„ sint scandalisare. Nisi velitis separare declara-
„ tionem a declarato, quod si hoc liceret, rogo
„ quantas contineret vetus biblia hæreses ablato
„ novo testamento. Et in eodem novo testamen-
„ to videte an bene sonaret Pater major me est, si
„ auferretur quod sequitur, Ego & pater unum su-
„ mus. Quis tum esset S. Augustinus, si libri retra-
„ ctationum ab aliis suis scriptis detraherentur.
„ Quis esset Thomas de Aquino si Capreolus adi-
„ meretur. Et in jure quid essent libri digestorum
„ si Justiniani codices non extarent. Et nuper A-
„ lexandro papa sexto Conclusiones Mirandulæ
„ propter ejus declarationem nullum incendii peri-
„ culum nullam passæ sunt repulsam. Sic vide-
„ tur in omni pene facultate. Idque maxime in
„ facultate theologica. Quod si dicatur multa ex
„ eo libro posse per rationem elici erronea, scanda-
„ losa, hæreticalia, certe meo arbitratu formidare
„ debemus, ne talis actus eliciendi, etiam sit erro-
„ neus, qua propter ne innitamur prudentiæ no-
„ stræ hoc jure cautum est expressis verbis quoties
„ ratio fidei ventilatur quod tunc neque ipsorum
„ neque inferiorum aut æqualium est cognitio, sed
„ causa est ad Petrum referenda, id est, ad sedem
„ apostolicam. Quare multum ego & quam plu-
„ rimi mecum præstantissimi viri dubitamus, quæ
„ sit causa quod tam vehementer laboratis ut vos
„ ipsi vos personaliter eum libellum comburetis.
„ Peto igitur quam humillime ut ea in re me per
„ hunc nuntium vestro responso certiorem facia-
„ tis, ut in congregatione multorum de hac re lo-
„ quentium vestrum honorem disputando possim
„ defensare qui semper in laudem & obsequium
„ ordinis vestri sum paratissimus Valete. Sed nul-
la præmonitione, nullaque inhibitione, fratres illi Colonienses prænominati poterant neque voluerant ab illo suo proposito averti quod sibi, ut ajebant, prius in Moguntia concepissent. Igitur feria secunda post dominicam Reminiscere ad horam præfixam comparuit procurator Doctor Reuchlin coram præfatis judicibus subdelegatis faciens omnia juxta citationem prius publice emanatam. Et in vim illius contra & adversus prænominatum inquisitorem hunc qui sequitur libellum nomine sui principalis proposuit.

Ex registro Actorum secundæ instantiæ fol. CLXXV. Libellus Joannis Reuchlin LL. Doctoris coram Judice apostolico in secunda instantia super Oculari speculo: contra fratrem Jacobum Hochstraten Inquisitorem propositus, quando in termino utrisque partibus dato ad hinc inde libellandum frater ille neque libello suo in prima instantia proposito adhæsit neque de novo libellavit.

COram vobis venerabilibus viris præstantissimis causæ cujus apostolica authoritate subdelegatis judicibus sive commissariis procurator & eo nomine Egregii & eximii viri Jo. Reuchlin LL. Doctor &c. defensurus quendam libellum ab eodem doctore editum & Oculare speculum intitulatum a quorundam sibi hac in causa adversariorum calumnia ac perversa atque sinistra interpretatione ac diffamatione. In primis & ante omnia nomine & ex speciali commissione ejusdem principalis sui repetit ac pro repetitis haberi vult omnes & singulas protestationes per eundem ante hac in singulis suis libellis præsentem causam tangentibus factas & insertas potissime vero quod in hac judiciali indagine quæcunque aut quibuscunque per eundem aut ejusdem nomine verbis facta vel scriptis exhibita, vel in futurum proponenda aut exhibenda quinimo in tota vita sua omnibus scriptis & dictis suis præteritis & futuris. Nihil sensisse, dixisse, scripsisse velit, nisi & quod & qualiter sentit & vult ecclesia Catholica, & ejus caput summus pontifex. Cui ac etiam venerandis paternitatibus vestris omnia in prædictis quæ sunt fidei atque morum, dicta & dicenda subjicit. Quam protestationem in omnibus & singulis proponendis & faciendis tota hac in causa & singulis articulis in principio medio & fine semper repetitam haberi vult, de quibus solenniter & expresse protestatur. Qua protestatione prævia eidem inhærendo neque ab eadem aliquo modo recedendo. Procurator quo supra nomine contra & adversus quendam F. Jacobum Hochstraten ordinis prædicatorum ac Theologiæ professorem in præsenti causa adversarium ex adverso principalem nec

non

non omnes eidem adhærentes ac ſua intereſſe putantes ſeu pro eisdem in judicio legitime comparentes per modum libelli ſeu verius ſummariæ petitionis ac ſimplicis facti narrationis omnibus melioribus modo via ſtilo jure & ordine, quibus melius & efficacius poteſt & debet, dat facit & exhibet poſitiones & articulos ſubſcriptos, omniaque & ſingula in eisdem contenta tam conjunctim quam diviſim. Quibus ſingulariter ſingulis ſibi in hac cauſa adverſarios, ſi modo aliqui legitime compareant & quatenus opus ſit & non aliter, clare & ſufficienter reſpondere ſeque & partem ſuam ad probandum neceſſaria duntaxat admitti petit, de quibus & quod probata relevent ac ſi non plura nec aliter poſita forent ſolenniter & expreſſe proteſtatur. In primis ponit & dicit, quod propter hunc libellum quem coram vobis hic & nunc exhibeo, a quodam Judæo baptizato cognomine Pfefferkorn contra honorem & famam Egregii viri doctor. Joan. Reuchlin principalis ſui editum & cuidam profeſſori theologiæ ſtudii Colonienſis adſcriptum, per impreſſionem univerſis publicatum, & in nundinis Francofordienſibus paſſim ſub nomine Manualis ſpeculi venditum & emptum. Idem D. doctor principalis ſuus neceſſitate coactus ad defenſionem honoris & famæ ſuæ. Etiam hunc ſuum libellum excuſatorium ſub nomine Ocularis ſpeculi, quem ſimiliter coram vobis nunc quoque exhibeo, compoſuit edidit & in continenti poſt prædictum libellum famoſum in proxime ſequentibus Nundinis Francofordienſibus ad manifeſtandum innocentiam ſuam conſimiliter publicavit. Item quod idem libellus exculatorius Oculare ſpeculum inſcriptus in uno & eodem corpore ex declaratione Teutonica in inventario vel indice a principio poſita, & narratione geſtorum & quodam conſilio de libris judæorum concremandis ad mandatum Imperatoris ac Archiepiſcopi Moguntini facto. Et diſputatione Scholaſtica loco declarationis latinæ habita. Et reſponſione ad præfatum libellum famoſum data conjunctim ſimul & in eodem tempore ab eodem principali ſuo editus eſt & ſic publicatus. Item ne laici qui latinum ſermonem non intelligerent aliquo modo poſſent in re tam nova de Judæorum libris per imperatorem comburendis prius ab eccleſia catholica nondum determinata ſcandalizari, præfatus doctor principalis ſuus idem negotium proſequendo in continenti libellum ſuum Oculare ſpeculum quadam etiam teutonica & vulgari declaratione complevit, cujus continentia ſive initium usque ad §. *Item das wort ſecta* appellandum eſt & allegabitur primum notabile. Deinde jam dictus verſiculus Item *das wort &c.* dicitur primus §. Et omnia. Item & item ſequentia dicuntur paragraphi. Et illud idem Ocularis ſpeculi complementum etiam publice & multipliciter impreſſum. In nundinis quoque Francofordienſibus una cum ſuo Oculari ſpeculo eſt omnibus volentibus paſſim & publice venditum & emptum ſicut in his exhibitis licet intueri. Item quod Oculare ſpeculum eſt unus & idem liber ſui ipſius declarativus ex declarato & declaratione tam latina quam teutonica integraliter conſtitutus ut patet intuenti ex ejus inventario ab initio impreſſo. Item quod omnis declaratio ejusdem libri completa, publicata, impreſſa, & in nundinis Francofordienſibus univerſis vendita eſt antequam aliquis judex ſive ordinarius ſive delegatus per denunciationem, vel per accuſationem, vel per inquiſitionem, de ulla ſiniſtra ſuſpicione Ocularis ſpeculi audiviſſet, ut patet ex data libri & data citationis prætenſi inquiſitoris in priore inſtantia. Item quod præfati Ocularis ſpeculi compoſitio completa eſt per declarationem, non absque notitia & ſcientia theologicæ facultatis Colonienſis cujus tunc F. Jacobus ordinis prædicatorum decanus fuerat, ut patet ex Colonienſi libello inferius offerendo, qui incipit Articuli, in ejus prologo ad imperatorem, facie prima circa medium ibi. Ipſe autem. Et de decanatu adverſarii eſt notorium. Item ponit, ſalva tamen priori proteſtatione, quod quanquam Oculare ſpeculum ex declarato ut præmiſſum eſt & declaratione compilatum, nullam doctrinam aut opinionem condemnatam hæreſin ſapientem, vel ab eccleſia publice reprobatam contineat, aut credendum aſſerat, nihilominus tamen idem F. Jac. de Hochſtraten, tunc cum eſſet Coloniæ decanus, poſt omnia ſupradicta cum aliis ſuis collegis theologicæ facultatis profeſſoribus Colonienſibus cœpit diffamare & diffamavit ejusdem doctoris Joannis Reuchlin Oculare ſpeculum per quendam ſuum mandatarium Arnoldum de Tungari, ſicut in hoc ejusdem libro diffamatorio continetur, quem V. P. ſimul etiam offero & exhibeo, & incipit ſeu intitulatur Articuli. Item quod ſuper eadem diffamatione idem principalis ſuus doctor Jo. Reuchlin expurgationem ſufficientem compoſuit ſub nomine defenſionis publicatam & publice univerſis venalem exhibitam per quam merito præfatus Jacobus debuiſſet eſſe & bene fuiſſet de innocentia libelli Ocularis ſpeculi ſatis inſtructus, quam defenſionem etiam hic coram vobis offero & exhibeo. Et incipit defenſio Jo. Reuchlin: Omnes iſti libelli quos nomine procuratorio P. V. jam exhibui & exhibitos atque oblatos eſſe volo continetur in foliis 154. impreſſis, quæ peto regiſtrari manu notarii, & per cordulam transfixam ſigillari ad cautelam. Item quod illis omnibus non obſtantibus, & poſt omnia ſupradicta præfatus F. Jacobus tandem prætendens ſe eſſe inquiſitorem Moguntinæ provinciæ, diffamavit eundem libellum doctoris Jo. Reuchlin in multis provinciis eccleſiis & publicis locis per quandam prætenſam citationem valde injurioſam ubilibet affixam, ac prædicationem in congregatione multorum populorum promulgatam, in qua dixit, ſcripſit & affirmavit ſe cognoviſſe Oculare ſpeculum Jo. Reuchlin certas conſultationes, propoſitiones ſeu concluſiones erroneas, & a fidei catholicæ veritate exorbitantes & extraneas, in judaicæ perfidiæ favorem propenſas, in orthodoxæ eccleſiæ doctores minus quam decuit reverentiales, in ſacro ſanctam eccleſiam contumelioſas, varios errores continentes, in fide ſuſpectas & hæreſin ſapientes continere, quod tamen non eſt verum ut infra patebit, citando Moguntiam ad videndum dictum libellum tanquam erronea & de fide ſuſpecta continentem ſupprimi, tolli & damnari, ut patet ex citatione ſua, actis primæ inſtantiæ inſerta. Item quod præfatus F. Jacobus eo tunc non

fuit inquisitor Moguntinæ provinciæ nec potuit esse, licet se ita nominaverit, & si a suo provinciali fuisset ad hoc deputatus, tamen non fuit capax officii inquisitionis in provincia Moguntina, quod est notorium & notorie patet ex constitutionibus ordinis prædicatorum sub titulo de prædicatoribus capitulo XII. §. Item dicimus de inquisitoribus. Quia est extraneæ linguæ Hochstratensis inferior ista, qui a communi vulgo Moguntinæ provinciæ altæ Alemaniæ non intelligitur sufficienter. Sic enim dicit constitutio. Item dicimus de inquisitoribus hæreticæ pravitatis non instituendis qui sufficienter in locis suæ inquisitionis nesciunt prædicare. Quod si secus factum fuerit, nullius sit roboris aut momenti, quare non potuit hoc facere ratione officii. Item quod præfatus Jacobus diffamavit prædictum Oculare speculum de vulgata fama judaicæ perfidiæ, cum tamen ipsemet cum suis complicibus & cum suo judæo baptizato per libellos suos famosos supra exhibitos, nec evangelii, nec juris ordine servato, ejusdem clamoris & famæ non legitimæ, ut puta a malivolis ortæ primi autores fuerint, sicut patet in principio libelli famosi ipsius Pfefferkorn in prologo ad Arnoldum. Et in prologo ejusdem Arnoldi ad imperatorem in libello suo qui incipit Articuli; prima facie circa finem, ibi, visum fuit magistris.

Item quod idem frater Jacobus diffamavit dictum Oculare Speculum jactando se de multarum Universitatum consiliis cujus ipsum, ut affirmavit conscriptis, cum tamen nulla universitas contra ipsum Ocularis speculi librum scripserit. Sed quia facultas theologica Colonienſis declarationem a declarato abscidit, abstulit, detruncavit ac separavit, & ex declarato nihilominus quædam ad eorum sensum ut volebant detracta & excepta solummodo facultati theologicæ Erfordensi in XIX. chartis. Et Lovaniensi in XVI. chartis, & sic fragmenta tantum & non integrum librum obtulit, ideoque earundem facultatum quidam professores contra memoratum libellum fraude inducti & errantes consuluerunt.

Item quod idem frater Jacobus ut facilius dolose & fraudulenter diffamaret, ipse eum librum Ocularis Speculi discidit, in folia divisit & detruncavit & separavit partes ejus integrales ab invicem & abstulit declarationem a declarato, ut patet inspectioni oculorum in actis, ubi etiam solis usus est fragmentis, & non toto Oculari speculo prætendens & volens declaratum, separatum absque declaratione libelli, dentibus lacerare, ac igni tradere, quod nullo jure sibi permittitur, cum quilibet libellus quantumcunque ineptus ante litis contestationem possit emendari multo magis ante omnem citationem. Et dato non tamen concesso quod in eo contenta fuissent hæretica manifesta, tamen licuisset corrigere antequam essent delata vel accusata coram judice, ut docet *Card.* etiam *testimonio Genze. in cle. ad nostram de hæretiis ver. penul. ibi* cum autem. Nam si hoc liceret, quid esset vetus testamentum? ablato novo. Quid esset novum testamentum si folium a folio posset detruncari & auferri. Si quis audiret, pater major me est, & non etiam audiret. Ego & pater unum sumus. Quid esset sanctus Augustinus sublatis & suppressis retractationum suarum libris. Quid esset Thomas sine Capreolo. Sic Alexander Papa VI. comitem Mirandulanum propter ejus declarationem absolvit. Sic ejusdem propositiones ab incendio manserunt impunes. Et sic de pluribus aliis, ita in ecclesia fieri consuetis. In hoc etiam libello sequuntur diffamationes fratris Jacobi Hochstraten in libello suo accusatorio in actis contentæ.

Item quod idem frater Jacobus volens se ex judice simul etiam facere delatorem diffamavit Oculare speculum de favore judaicæ perfidiæ per quosdam prætensos articulos, quos Moguntiæ in libello accusatorio legendos obtulit, ex quibus favorem judaicæ perfidiæ contra Oculare speculum probare conatur, & primo quod Oculare speculum comparaverit judæos christi fidelibus in civilitate, ubi F. Jac. more suo tacuit veritatem illam, scilicet, quod idem Oculare speculum in argumento III. his verbis sic dicit: „Volui ego eos tan„tum esse cives nobiscum id est subjectos Roma„no imperio, sicut expresse in consilio meo dixi „in primo argumento ad partem negativam. „Non autem ut aliquem eis honorem nobis con„venientem illis præstarem. Hæc ibi. Consimiliter & clarius habetur in declaratione vulgari. §. III. ibi. *Item durch das wort burger.* Nec hoc inducit favorem judaicæ perfidiæ. Nam esse civem vel non esse civem non est quæstio theologiæ sed meri juris positivi. Secundo dicit frater Jacobus Oculare speculum continere quod execrabilis oratio illa Velameschumadim contra christi ecclesiam non oretur ubi omisit & tacuit veritatem illam videlicet, quod in eodem libro Ocularis speculi de hoc in decimo argumento continetur his verbis. „Et sic disputavi de proprietate gram„matica verborum & vocabulorum, non de veri„tate negotii principaliter. Et volui quod præ„cise ex verbis illius orationis absolute si non alia „accederent testimonia non posset illa oratio ac„ceptari & intelligi quod sit contra nos, licet ex „assumptis in argumento posset quædam præ„sumptio contra eos haberi quasi illa oratione „uterentur contra nos. Hæc ibi. Per quod etiam responsum erit ad epistolam nobili missam, ubi hoc præsumptive, sed hic proprie & vere intelligitur. Et clare in solutione argumenti XV. & XVI. & adhuc clarius in declaratione vulgari, quod intelligi debeant secundum grammaticam proprietatem, ac etiam quoad logicam & mores & jura, scilicet quod ea vocabula quæ possunt in bonum & malum interpretari nunquam debent interpretari in gravissimam hominum perniciem. De hoc videatur in teutonica declaratione §. IX. X. & XI. Et finaliter an judæi utantur contra nos aut non utantur, non est quæstio fidei sed meri facti.

Item quod idem frater Jacobus diffamavit Oculare speculum quod sit in christianos & christianam ecclesiam irreverentiale & nimis injuriosum novam Judæis in nos christi fideles insultandi materiam fovens administrans & præbens quod sic probare conatur. Quia Oculare speculum nitatur astruere fol. XV. pag. 1. Judæos secundum tenorem jurium dicere & scribere posse, dei ecclesiam quotannis in sacra Paraskeves die mentiri, dum orando dicit oremus pro perfidis judæis. Ibi F. Jacobus verba Ocularis speculi perverse ac aliter

recitat

recitat quam scribuntur. Nam idem Oculare speculum in argumento, XLVII. sic ait: *Non dixi nec dico quod sint excusandi, sed quod aliquis posset eos velle excusare quodam colore. Non enim affirmo quod vere tales excusarentur*, hæc ibi. Verba autem prout in teutonico sunt leguntur latine de judæis sic: adhuc posset aliquis se velle excusare quod talia nemini ad injuriam sed sibi ipsis ad defensionem fecissent. Ex quo nos eos omni anno in nostris ecclesiis in die parasceves publice vituperamus perfidos judæos hoc est fidei fractores, & juxta verum teutonicum, qui neque fidem neque fidelitatem servant, tunc possent ipsi super hoc inter seipsos dicere juxta continentiam jurium sic ipsi mentiuntur nos nostram fidem nunquam fregimus, juxta determinata *Panor. in c. cum te. extra de sent. & re judica. IX. col.* ibi ego vero distinguo hæc ad literam. Ecce omnia hæc sunt judæorum argumenta in eorum persona prolata cum hac clausula quod posset aliquis scilicet judæorum se velle sic excusare. Et non dicitur sic posse se excusare: Sed posse velle. Aliud est autem velle, aliud perficere *ad Roma. VII.* Oculare igitur speculum seipsum declaravit, quod non nitatur astruere illud de quo F. Jacobus ipsum diffamavit. Hæc autem materia de verbali injuria s. tu mentiris & quando verba injuriosa etiam arguunt animum injuriandi vel non, certe hæc non est materia fidei sed meri juris atque morum. Et sic non pertinet nec pertinuit ad inquisitorem hæreticæ pravitatis.

Item quod idem F. Jacobus diffamavit prædictum Oculare speculum de sacris ecclesiasticis doctoribus & scriptoribus viliter nimis indigne & contemptibiliter loqui, ipsisque hebræorum & judæorum magistros & Rabi anteponere. Quod ita vult probare quia dicat, quod pro intelligentia textus bibliæ doctores nostri multum & sæpe Judæorum commentariis & glosis coguntur uti, ubi tacuit quod in declaratione vulgari seu teutonica legitur §. XXII. Nam ibi tota mens illius dicti aperitur sine alicujus hominis contemptu. Et in hoc iste liber Oculare speculum imitatur sanctum Hieronymum, qui hoc idem in pluribus suorum commentariorum & epistolarum libris affirmat. Legatur in prologo super Psal. VII. Legatur ad fabiolam de quadraginta duabus mansionibus, mansione IX. Et ne tædio P. V. afficiantur posset ex eodem Hieronymo integrum volumen colligi errorum quos latini per ignorantiam linguarum hebraicæ atque græcæ circa bibliam sibi contraxerunt. Similiter ex Nicolao de lyra & Paulo burgensi ac aliis, hoc non est contemnere ignorantes, sed incitare scire desiderantes. Et finaliter hæc materia non pertinet ad inquisitorem quia non est materia fidei sed grammaticorum. Et super hac tota diffamatione fratris Jacobi in actis inserta refert se principalis suus ad declarationem vulgarem in §. XXII. & §. XXIII.

Item idem F. Jacobus diffamavit Oculare speculum quod scripta doctorum in ecclesiæ & Christi fidelium scandalum nihili faciat & contemnat, eo quod dicit. Nihil me impedit quicquid supra memorati nostræ fidei scriptores contra Thalmud scripserunt. Ubi tacet veritatem quod idem Oculare speculum de eodem in argumento, XVIII. sic dicit: „ Illa fuit mens mea quod „ non sit credendum doctoribus dicentibus Thal„ mud continere malum vel hæreses, quin prius „ super eo sint audiendi Judæi ita quod statim „ omnis liber dictus Thalmud in parte & in toto „ sit ex eo auferendus & comburendus quin si Ju„ dæi dicerent non continere talem partem hære„ sin vel blasphemias audiendi sint, & hoc exami„ nandum. Cum multæ sint partes ejus quarum „ quælibet posset dici sic Thalmud, & tamen non „ contineant talia, attamen ubi nunc constaret, fa„ cta examinatione auditis judæis vel non, quod „ illa pars esset talis quæ contineret hæreses vel „ Blasphemias, tunc certe posset illa pars auferri „ Judæis & comburi. Sic tamen quod probabili„ ter videtur mihi quod essent aliqua apud ordi„ narium reservanda pro exemplari, & cætera quæ „ sequuntur. Hæc ad literam continentur in Oculari speculo folio signato XXV. & legatur usque ad finem ejusdem solutionis argumenti, XVIII. Hoc abscidit & abstulit F. Jacobus de Oculari speculo, Quod autem non possit hoc tendere in scandalum & offensionem simplicium & laicorum. Legatur declaratio vulgaris in Teutonico §. XII. ad quam idem doctor principalis suus se refert.

Item quod F. Jacobus diffamavit Oculare speculum quod sit piarum aurium offensivum plurimum, & in scandalum tendat non modicum Christi fidelium præsertim laicorum & simplicium, eo quod folio IX. pag. II. nitatur ostendere. „ Si quæ mala in Thalmud contineantur, ea non ex ipso libro, sed ex sola legentium perversa interpretatione accidere. Ubi tacuit veritatem illam seu quod ad tollendum omne scandalum a simplicibus laicis, scribitur in declaratione vulgari §. XII. quod hoc non sit dictum de Thalmud ubi contineret hæreses & Blasphemias. Et si legatur ille §. XVI. in Teutonico usque ad finem nullum potest ex prædictis verbis oriri scandalum clerico sive laico. Et valde notandum est quod præfatus frater Jacobus false recitat verba sequentia speculi Ocularis. Nam ibi dicitur quod continentur multa bona in eo. Unde si scandalizentur aliqui, sit culpa eorum, hic vero recitat si qua mala contineantur. Similiter perverse recitat de verbis bibliæ quæ non comparantur ad Thalmud, sed potius, scientiæ veterum & Thalmud ad se invicem comparantur, ut patet intuenti. „ Ubi & tacuit veritatem frater Jacobus „ illam videlicet, quod Oculare Speculum dicit in „ argumento XXXIII. Sic dico quod volo & vo„ lui quod sicut alii libri quoad ea quæ bona sunt „ non sunt comburendi, sic nec Thalmud, licet quo „ ad mala, maxime si separari possint, illa non sint passim permittenda. Hæc ibi.

Item præmissa protestatione de non injuriando idem F. Jacobus expresso mendacio & tacita veritate diffamavit Oculare Speculum, quod Judæos a contumelia in dominum Jesum Salvatorem nostrum excusando dixerit fol. XV. pag. II. quod quæcunque judæi scribunt pertinentia ad hoc quod Jesus non sit deus & quicquid ex hoc sequitur illud eorum esse fidem, per hoc nulli contumeliam inferre velle, ac Catholicam ecclesiam circiter annos mille quadringentos passam esse, neque unquam id pro contumelia acceptasse, affirmare nitens illam injuriam dissimulationis tot curriculis temporum remissam, & propterea Jure eam illis licere repete-

re &c. ubi omnia verba hujus loci etiam fallando, simulat esse assertiva affirmativa & decisiva Ocularis speculi cum sint verba in Judæorum persona recitative prolata, tanquam argumenta judæorum contra conclusionem libelli mota. Nam libellus Ocularis speculi tenet apertis verbis, quod judæi credendo contra Christum faciunt aliquo modo injuriam Christo & ecclesiæ. Ait enim folio XV. his verbis sic: In aliis libris quos hactenus vidi & legi invenio nullam injuriam sive contumeliam. Per quod fidem attinet. Sed frater Jacobus tacuit veritatem illam, seu quod idem Oculare Speculum lucide, aperte & clare de hac materia loquitur quomodo sit interpretanda & intelligenda fol. signato XXXI. in argumento XLVIII. & XLIX. & L. & LI. Et ne aliquod ex eo etiam Laicis & simplicibus possit scandalum oriri, legatur in declaratione vulgari sive teutonica §. XXX. & XXXI. Et potissimum legatur in defensione Doctoris Joannis Reuchlin principalis sui contra Calumniatores suos, superius exhibita folio XXXVIII. ubi apertissime invenitur hujusmodi diffamationis calumnia.

Item idem frater Jacobus diffamavit Oculare speculum dicens fol. XVII. quod levi argumento astruere nitatur perfidis judæis infamem suum Thalmud & in christum contumeliosum, etiam si a conversione eos ad rectam fidem impediat minime auferendum, quasi imperatoria majestas aut ecclesiæ principes non possint neque debeant impedimenta salutis ecclesiæ offensiva Judæis tollere aut prohibere. Ubi falsè recitat verba Ocularis Speculi in eodem folio, XVIII. posita. Et iccirco tacet veritatem illam, quod idem Oculare Speculum de hac re sic scribit in argumento LII. In omnibus dictis meis de permittendo, ut patuit supra, intelligi debent hæretica & blasphema semper excipienda, de quibus universaliter me primo absolvi. Et ne aliquis simplex laicus scandalizare posset, legatur declaratio teutonica sive vulgaris §. XXXVI. & invenietur hæc diffamatio esse calumniosa.

Item idem frater Jacobus infamavit Oculare Speculum, quod sentiat sanctam dei ecclesiam & ejus prælatos & principes de judæorum factis, cum domino suo sient & cadant & quemlibet pro seipso rationem reddere oporteat, intromittere se non debere subjungendo, deum satis potentem esse, si velit eos, posse erigere. Ubi tacuit veritatem illam quod declaratio vulgaris ejusdem Ocularis Speculi §. XXXVII. dicit: „Hoc esse interpretandum, quando judæus peccat in his quæ „pertinent ad ritus suos synagogicos & cerimonias in quibus tolerantur, quia hæc sunt committenda deo, sed in criminibus & casibus pœnalibus Ecclesia habet jus Canonicum & civile „procedendi contra eos. Hæc ibi. Qua declaratione non omissa omne scandalum tollitur.

Item idem F. Jacobus diffamavit Oculare speculum quod quam plurimos sacræ scripturæ ecclesiæ ac jurium textus & dicta impertinenter applicare & corrupte allegare præsumat. Et conatur hoc probare de autoritate apostoli *oportet hæreses esse &c.* Ubi tacet veritatem illam. Quod idem Oculare speculum hanc materiam lucidissime ac sine offensione tractat in argumento VII. & ejus solutione. Et quo ipsius Ocularis speculi loco deprehenditur diffamatoris apertum mendacium. Similiter de authoritate *ca. sancta Romana XV. dist.* tacuit veritatem quam Oculare speculum tractat in argumento XXXVI. Et pro omni scandalo tollendo legatur declaratio vulgaris & ipsius Ocularis speculi §. XIX.

Item idem frater Jacobus diffamavit Oculare speculum, dicens id in pluribus suis locis & passibus hæresin sapere & a sinceritate fidei aberrare, volens illud probare per authoritatem. *Scrutamini scripturas* &c. per quam Oculare speculum ut ipse ait conatur affirmare scripturas magistrorum in Thalmud comprehensas proprie esse designatas, & illas æque ut bibliam testimonium perhibere de christo; asserens hanc veritatem esse, propterea a nobis non cremandam, ubi non solum pervertit verba & sententias, sed etiam tacuit veritatem illam quod idem Oculare speculum fol. signato XXVI. in argumento XXIII. de hac authoritate *Scrutamini scripturas* sic dicit: „Ratio illa videtur probare & concludere de Thalmud quod non sit comburendus quo „ad illam partem quæ non continet hæreses & „blasphemias. Et quia eam Burgensis accepit „pro fundamento sui scrutinii. Ideo videtur „quod saltem sit probabilis, & licet alii doctores „exponant de libris bibliæ, tamen potest etiam sic „exponi, quia non videtur quod plus eorum expositio sit fundata in scriptura quam ista. Hæc ibi ad literam. Unde patenter apparet delatoris falsitas, & intellectus Ocularis speculi veritas.

Item præmissa protestatione solita idem frater Jacobus calumniosè & apertis mendaciis diffamavit Oculare speculum dicens: ipsam assumptam christi pro nobis humanitatem & incarnationis mysterium nefaria assimilatione habitui meretricio indecenti comparare. Et propterea judæos rationabiliter esse excusatos affirmare, cum cæteris quæ in eadem diffamatione calumniosa sequuntur, actis inserta & libello suo accusatorio comprehensa, ubi ad celandum ut præsumitur veritatem dolosè tacuit & suppressit illa verba quæ idem Oculare speculum de hac materia dicit folio signato XXXI. in argumento XLIX. & maxime ad propositum in argumento L. & ejus solutione ubi in Oculari speculo sic scribitur: „Ad hoc dico ut supra dixi de ignorantia, quod non teneo nec tenui eos habuisse „ignorantiam probabilem, nec volui quod non facerent in hoc contumeliam & injuriam christo, „matri & apostolis. Et cum remisi ad loca ubi „notatur quod aliquis excusatur a contumelia dignitatis &c. propter habitum aliud significantem, „non volui quoad hoc idem esse hic, neque quantum ad hoc illuc remisi, sed quantum ad illud „quod aliqui ibi notant, quod ubi est ignorantia „crassa & supina circa cognitionem ejus qui defert „habitum alienum, tunc non obstante alietate habitus quis non excusatur a contumelia quam illi „infert, & ita est in proposito, quia judæorum ignorantia est crassa & supina circa deitatem christi, „ut satis clare patet per *Gratianum I. q. IV. §.* notandum. Et ita ego firmiter teneo ut supra protestatus sum, & nunc iterum protestor, quod eorum ignorantia tanquam crassa & affectata eos

non

„non excuſet. Ideo hoc potius volui remitten-
„do ſcilicet quod committunt contumeliam quam
„contrarium. Hæc ſunt verba Ocularis ſpeculi, per quæ diffamatio delatoris deprehenditur eſſe falſa. Et ne aliquod ſimplicibus inde oriatur ſcandalum, legatur teutonica vulgaris declaratio §. XXXI. & apparebit omnis offenſio quæ poſſet etiam leviter imminere ſublata.

Item idem frater Jacobus diffamavit, Oculare ſpeculum quod contra ſacram ſcripturam ſancti Pauli conetur aſtruere eundem ſanctum Paulum maximum apoſtolorum in doctrina cæteris eminentiorem eſſe factum ex eo quod literas hebraicas didicerit, & cum Rabbi ſeu hebræorum magiſtris ſcholas frequentaverit, ubi veritatem tacuit, quod declaratio vulgaris illius mentem explicat, ſcilicet hoc intelligendum eſſe non de converſione ſancti Pauli quæ fuit miraculoſa, ſed de variis artibus & ſcientiis, quas apud judæos didicit ex communi influentia divina & dotibus naturæ ut ſcribitur §. XXXV. Ex quo etiam falſitas delatoris quoad ſequentia ſua opprobria reperitur.

Item idem frater Jacobus diffamavit Oculare ſpeculum de quadam intolerabili & damnabili comparatione ad ablationem vel ſuppreſſionem judaicorum librorum facta, dicens ipſum aſſertive inferre hodie judaicam creſcere debere perfidiam; ſi nefandi eorum libri auferrentur, quemadmodum ſub tyrannis olim creviſſe dei conſpicitur eccleſia, ubi verba pervertit quæ non veritatis ſed exempli gratia ſunt poſita. Et pervertit etiam mentem quæ aperte patet ex Ocularis ſpeculi teutonica vel vulgari declaratione §. XXXIX. ubi ſcri-
„bitur ſic: Non volui per hoc ut talis devaſtatio &
„combuſtio librorum omnino & per omnia ſimi-
„lis haberi debeat, neque in ſe neque in operatio-
„ne, illi miſerabili perſecutioni & perturbationi
„eccleſiæ chriſtianæ ab antiquo a tyrannis factæ, &
„infra per longum tractum quæ omnia legan-
„tur diligenter, & clare videbitur delatoris ca-
„luminia.

Item idem frater Jacobus diffamavit Oculare ſpeculum de comparatione arboris ſcientiæ boni & mali in paradiſo ad Thalmud toxico & mortifero veneno plenum, ubi mentem Ocularis ſpeculi ſcienter pervertit. Scit enim aperte ſcriptum eſſe in ejus libri declaratione vulgari. Quomodo hæc comparatio intelligenda ſit, & quod omnis ſimilitudo claudicat, & quod non ſit hic omnimoda ſimilitudo, & quod non debeat intelligi de Thalmud ubi continet hæreſes vel blaſphemias. Super quo legatur in Ocularis ſpeculi declaratione vulgari §. XV.

Item idem frater Jacobus diffamavit Oculare ſpeculum de eo quod per l. 1. §. denique *Marcellus ff. de aqua plu. ar. fol. XV.* contentam aſſerat licuiſſe & licere judæos pro ſua offenſione nefandos chriſto, nobis ingratos condere libros: Ubi tacuit veritatem quia voluit pervertere allegationis mentem & intellectum. Scivit enim in Ocularis ſpeculi declaratione clariſſime ſcriptum eſſe §. XXVIII. quod non intelligitur de nefandis libris ſed de fandis qui neque hæreſin neque blaſphemias continent. Et iſte eſt locus optime deciſus in defenſione contra calumniatores ſuperius exhibita fol. XXX. facie II. ibi, hoc tacere non poſſum & ibi videbitur. Inſuper dicit procurator quo ſupra nomine quod neque epiſcopis neque inquiſitoribus competat inquiſitio niſi in manifeſta & damnata hæreſi, quod tam juriſtæ quam theologi tenent, ut habetur *in ca. quotiens XXIV. q. i. c. ad abolendam de hæret. & ibi doct. Et c. majores de bap. & ejus effectu*, ubi dicitur majores eccleſiæ cauſas præſertim articulos fidei contingentes ad Petri ſedem referendas. Et huic ſoli ſedi conceſſa nullus uſurpare ſine ejus conſultu præſumat ut dic. *c. huic ſoli XVII. diſt.*

Item quod prætenſi inquiſitoris commiſſio ſolum ſe ad hæreticos extendit, ut patet in actis excitatione prioris inſtantiæ, multumque inter ſe diſtent hæretica, & hæreſin ſapientia, erronea, injurioſa, temeraria, male ſonantia, & piarum aurium offenſiva quæ a theologis & re & nomine diſtinguuntur. Sequitur ergo quod frater Jacobus prætenſam ſuam poteſtatem egrediendo, in alienam meſſem de facto falcem miſerit.

Item ponit quod veritas ſit, præter id & absque eo quod Oculare ſpeculum aliquam hæreſin aut doctrinam ab eccleſia damnatam manifeſte aſſerat aut credendum adhæſive doceat, ut patet intuenti & legenti eundem librum ex declarato & declaratione compilatum.

Item quod præmiſſa omnia & ſingula ſint vera partim per acta Moguntiæ habita, & nuper coram P. V. exhibita, partim impreſſoria arte cunctis publicata manifeſta & notoria. Eſt quoque de eisdem aut ſaltem majori parte publica vox & fama.

Cognito igitur de præmiſſis quantum ſufficit ex quibus paternitatibus veſtris eminentiſſime conſtabit, Oculare ſpeculum ſui ipſius declarationibus eidem libello ut partibus integralibus inſertis & incorporatis ab inſimulatione hæreticæ pravitatis, aliisque ſupra dictis adverſariorum diffamationibus ſatis ſuperque expurgatum & defenſum, petit procurator quo ſupra nomine per vos venerabiles dominos ſubdelegatos ſeu verius per reverendum in chriſto patrem & dominum dominum Georgium epiſcopum Spirenſem &c. hujus cauſæ ab apoſtolica ſede delegatum judicem ſive commiſſarium, aut per eundem forſan ſubdelegandos ejusdemque ſive eorundem diffinitivam ſententiam, pronunciari decerni & declarari ſæpe dictum libellum Ocularis ſpeculi a præfato doctore principali ſuo editum de ſuſpicione hæreticæ pravitatis aliisque criminibus ſupra articulatis per fratrem Jacobum Hochſtraten, hac in cauſa adverſarium, ex adverſo principalem eique adhærentes, indebite, injuſte, & falſe, tacita veritate, notatum & diffamatum fuiſſe & eſſe, ſibique & adhærentibus aut ſua intereſſe putantibus ſupra articulatas diffamationes & inculationes facere & publicare minime licuiſſe neque licere, ac eisdem omnibus adverſariis & ſingulis ſuper præmiſſis perpetuum ſilentium imponendum ac imponi nec non pari ſententia diffinitiva decerni & declarari ſupra memoratum libellum nullam hæreſin aut errorem ab eccleſia publice damnatum, manifeſte ſapientem & continentem, perfidis judæis non plus quam deceat aut jura permittunt favorabilem, eccleſiæ dei aut ſacris ejusdem doctoribus neque injurioſum neque irreverentialem, ab omnibus

ſive

sive simplicium aut cujuscunque scandalo aut fidei nostræ, vel piarum aurium offensa legi & publicari posse non obstantibus supra dictis adversariorum falsis & injustis diffamationibus. Super quibus omnibus & singulis conjunctim & divisim petit. Procurator supra memoratus sibi justitiam & quod justum fuerit ministrari & decerni. Paternitatum vestrarum aut cujuscunque judicis competentis benignum officium humiliter implorando, salvo jure addendi, mutandi, minuendi &c. Et protestatur ut est juris moris atque stili.

Hunc libellum cum propositis in promptu probationibus ante multa tempora per impressoriam calcographiam universa germania publicatis Reverendus & illustris princeps dominus Spirensis, cum multorum tam suorum consiliariorum quam ex aliis universitatibus & alienis locis accitorum theologiæ atque jurisperitorum diligenti examine ponderavit & scrutatus est non segniter sed prudenter & accurate durante totius processus tempore cum omnibus suis dictis & terminorum observationibus, dum per omnes & singulos consistoriales actus negotium a suis subdelegatis judicibus interea tractaretur. Cum igitur F. Jacobus inquisitor citationibus rite emanatis & executis esset inobediens, & nusquam immo nunquam in hoc judicio personaliter comparuisset neque compareret. Suus etiam procurator supra nominatus expresse dixisset se non velle principalem suum in hoc judicio defendere: sed a præsentia judicum recedendo appellans, hoc ipsum coram judicibus & astantibus universis asseruit, se nolle coram istis judicibus nec etiam subdelegante de cætero litigare, cum publica etiam protestatione, quod si post hac unquam se conspectui judicis aut commissariorum præfatorum exhibiturus foret aut in eorum præsentia appareret, quod certe per hoc suæ appellationi non vellet renunciasse nec renunciare quovis modo, nihilominus tamen de benignitate judicum singuli termini substantiales cum suis citationibus debite executis & aliis omnibus in tali causa observandis ac observari solitis, ex abundanti fuerunt observati, quamvis ad alia quæ postea in judicio facienda incumbebant vel etiam ad sententiam audiendam pro parte inquisitoris citatione opus non fuisset juxta *c. Eum qu. I. de dol. & contu. li. VI.* tandem ad instantiam magistri Joannes Greiff præfati doctoris Reuchlin procuratoris sibi & parti suæ justitiam ministrari petentis processum fuit sicut ex infra scriptis executorialibus patet his verbis:

Illustrissimo & invictissimo principi & domino domino Maximiliano divina favente clementia Romano imperatori electo semper augusto Germaniæ ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. regi, archiduci Austriæ, duci Burgundiæ, Brabantiæ, Geldriæ, & palatino, regnorum & dominiorum vestrorum felicis prosperitatis augmentum. Nec non reverendissimis ac reverendis in christo patribus & dominis dominis dei & apostolicæ sedis gratia Moguntinensi Coloniensi & Treverensi archiepiscopis ac Wormacensi & Constantiensi episcopis? eorumque & cujuslibet ipsorum in spiritualibus & temporalibus vicariis & officialibus generalibus, ac venerabilibus & circumspectis viris dominis curiæ causarum cameræ apostolicæ generali auditori, ejusque vice auditori seu locum tenenti eorundem, nec non universis & singulis dominis abbatibus prioribus, præpositis, decanis, archidiaconis, scholasticis, cantoribus, custodibus, thesaurariis, succentoribus, sacristis tam Metropolitanarum cathedralium quam collegiatarum canonicis parochialiumque ecclesiarum rectoribus seu locatenentibus earundem plebanis, viceplebanis, capellanis, curatis & non curatis, vicariis perpetuis, altaristis, ac etiam monasteriorum ordinum quorumcunque generalibus provincialibus, ministris, prioribus, vicariis Guardianis, monachis, custodibus, & signanter beatæ Mariæ teutonicorum magistris commendatoribus & præceptoribus eorundemque, nec non prædicatorum, minorum, heremitarum sancti Augustini, & beatæ Mariæ carmelitarum ac aliorum ordinum quarumcunque domorum & conventuum fratribus regularibus & conventualibus exeimptis & non exemptis, cæterisque presbyteris, clericis, notariis, & tabellionibus publicis & fructuum, redituum, proventuum cameræ apostolicæ debitoribus, collectoribus & subcollectoribus pro tempore existentibus quibuscunque per sacrum Romanum imperium prædictum ac dictorum dominorum archiepiscoporum & episcoporum provincias; civitates & diœceses, ac alias ubilibet constitutis ex eorum cuilibet insolidum. Nec non illustribus principibus ac nobilibus potentatibus & magnificis viris dominis ducibus marchionibus, comitibus, vice comitibus, baronibus, militibus militaribus, nobilibus, marschalcis, capitaneis, castellanis, proconsulibus, consulibus, magistris civium sive burgimagistris, scabinis, communitatibus, universitatibus, civibus, oppidanis, incolis civitatum, oppidorum, castrorum, villarum, villagiorum, urbium, suburbium, ac aliorum locorum quorumcunque advocatis, judicibus, præsidibus, justitiariis servientibus clientulis, scribis, præconibus & officialibus, cæterisque dominis & personis quibuscunque jurisdictionem spiritualem, temporalem & ordinariam per se vel alios mediate vel immediate per sacrum Romanum imperium provinciasque civitates & diœceses prædictis ac alias ubicunque pro tempore existentibus & constitutis, & eorum cuilibet insolidum omnibusque aliis & singulis quorum interest intererit aut interesse seu tangere poterit quomodolibet in futurum quibuscunque nominibus censeantur, aut quacunque præfulgeant dignitate communiter vel separatim. Georgius dei & apostolicæ sedis gratia electus & confirmatus ecclesiæ Spirensis comes palatinus Rheni ac Bavariæ dux &c. Judex & comminissarius causarum & causæ, ac partibus infra scriptis una cum certo alio nostro in hac parte collega (cum clausula ut vos vel alter vestrum vocatis vocandis) &c. a sancta sede apostolica specialiter deputatus, salutem in domino & nostris hujusmodi, immo verius apostolicis firmiter obedire mandatis. Noveritis nos literas apostolicas in forma brevis sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Leonis divina providentia papæ decimi sub annulo piscatoris signatas una cum supplicatione introclusa sanas & integras, non vitiatas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus

ſus vitio ac ſuſpicione carentes nobis per venerabilem & eximium virum dominum Jo Reuchlin PhorcenſemSpirenſis diœceſis LL. doct rem principalem in eisdem literis ſeu brevi apoſtolico ac ſupplicatione introcluſa principaliter nominatum prælentatas, cum ea qua decuit reverentia recepiſſe, quarum literarum apoſtolicarum in forma brevis & ſupplicatione introcluſa tenores de verbo ad „verbum ſequuntur, & ſunt tales: Leo Papa deci„mus venerabilibus fratribus, Wormacienſi & Spi„renſi epiſcopis vel eorum alteri venerabiles fra„tres ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Mit„timus fraternitati veſtræ ſupplicationem præſen„tibus introcluſam manu dilecti filii noſtri L. Card. „Agennenſis in præſentia noſtra ſignatam, volumus„que & vobis committimus ac mandamus, ut vos „vel alter veſtrum vocatis vocandis ad illius exe„cutionem procedatis juxta ejus continentiam & „ſignaturam. Datum Romæ apud ſanctum Pe„trum ſub annulo piſcatoris die XXI. Novembris „M. D. XIII. Pontificatus noſtri anno primo in „margine inferiori dicti brevis ſcripta erant hæc „verba F. Caſtilioneus, ab extra vero talis ſignatu„ra reperiebatur P. Vipera. Tenor vero dictæ ſupplicationis introcluſæ eſt talis: BEATISSIME pater alias poſtquam quidam Jacobus de Hochſtraten pro ordinis prædicatorum profeſſore & hæreticæ pravitatis in certis provinciis Germanicæ nationis inquiſitore ſe gerens devotum oratorem veſtrum Jo. Reuchlin Phorcenſem Spirenſis diœceſis LL. doctorem ut infra certum brevem tunc expreſſum terminum Moguntiæ compareret ad videndum ſuper continentiis certi tunc expreſſi libelli Ocularis ſpeculi nuncupati per ipſum oratorem editi, & ſuper eis per viam inquiſitionis & alias procedi citari mandaſſet, & dictus orator procuratorem legitimum cum poteſtate ſubſtituendi ad cauſam hujusmodi conſtituiſſet, & procurator legitimus ſubſtitutus præfatum Jacobum de cujus delegatione ſeu ſubdelegatione oratori non conſtabat, etiam variis legitimis de cauſis in ſcriptis recuſaſſet, & cauſas legitimas recuſationis, nomine ipſius oratoris coram arbitris juris quorum unum confeſtim nominavit ſe probaturum obtuliſſet, ac præfatum Jacobum ut in ſuum arbitrum aliquem nominaret prout de jure requiſiviſſet, & dictus Jacobus recuſationem hujusmodi repellens & eam admittere recuſans ſe cauſæ hujusmodi judicem competentem fore & coram eo ad ulteriora procedi debere per ſuam interlocutoriam inter alia declaravit iniquam a qua & nonnullis aliis ſibi in hujusmodi cauſa illatis gravaminibus procurator ſeu etiam poſtmodum orator præfatus ſentiens ſe indebite gravatum timensque impoſterum plus gravari, ad S. V. & ſedem apoſtolicam intra tempus debitum, etiam forſan iteratis vicibus appellavit. Et cum dictus Jacobus appellationibus hujusmodi non obſtantibus ad ulteriora procedere vellet, ac modernus archiepiſcopus Moguntinenſis certos qui prius ipſius Jacobi aſſeſſores ut aſſeritur fuerant pro commiſſariis dediſſet ſeu deputaſſet. Ipſique commiſſarii onus prætenſæ commiſſionis nimium præcipitanter exequi niterentur, præfatus archiepiſcopus ex certis cauſis dictis commiſſariis ut usque ad certum tunc expreſſum terminum in cauſa & negotio hujusmodi ſuperſederent inandavit. Alioquin ex tunc eosdem commiſſarios revocavit, ac eis ne ultra procederent inhibuit. Recurrit igitur humiliter ad S. V. præfatus Joannes orator quatenus ſibi in præmiſſis juſtitiæ miniſterio ſubvenientes, ac cauſæ hujusmodi ſtatum & merita omniumque nec non ſingulorum aliorum hic forſan de neceſſitate exprimendorum tenores pro expreſſis habentes. Singularum appellationum pro parte dicti Joannis oratoris in hujusmodi cauſa quomodolibet interpoſitarum, ac poſt & contra illas forſan attentatorum & innovatorum nullitatisque proceſſus & ſententiæ per Jacobum & alios præfatos habitorum & latæ, ac omnium & ſingulorum in præjudicium ipſius oratoris circa præmiſſa per quoscunque quomodolibet geſtorum totiusque negotii principalis cauſas cum omnibus & ſingulis ſuis incidentibus, dependentibus, emergentibus annexis & connexis aliquibus probis viris in partibus illis ſummarie ſimpliciter & de plano audiendum cognoſcendum decidendum, & fine debito terminandum, cum poteſtate citandi prædictos & quoscunque alios quorum intererit, ac inhibendi tam archiepiſcopo quam Jacobo ac quibusvis aliis judicibus & perſonis quibus & quoties inhibendum fuerit, etiam ſub cenſuris &c. Omniaque & ſingula alia in præmiſſis & circa ea neceſſaria ſeu quomodolibet opportuna faciendi & exequendi, invocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſecularis per literas S. V. in forma brevis ac ſupplicatione introcluſa committere & mandare dignemini de gratia ſpeciali. Non obſtante fe. re. Bonifacii Papæ VIII. S. V. prædeceſſoris de una, & concilii generalis de duabus dietis & quibusvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, nec non quibusvis privilegiis & indultis præfatis adverſariis & quibuscunque aliis cujuscunque dignitatis &c. in contrarium quomodolibet forſan conceſſis & confirmatis, quibus etiam ſi de eis &c. tenores &c. pro expreſſis habentes, placeat hac vice derogare, cæterisque contrariis quibuscunque cum clericis opportunis. Quæ quidem ſupplicatio ſic ſignata erat, conceſſum ut petitur in præſentia D. Papæ L. Card, Agennenſis. Et deinde ſequebantur hæ clauſulæ. Et per breve S. V. hac ſupplicatione introcluſa, & dummodo ultra tres dietas non trahatur. Quarum quidem clauſularum ſignatura talis erat. Conceſſum L. Car. Agennenſi. In inferiori autem margine dictæ ſupplicationis ſcripta erant hæc verba. Datum Romæ apud ſanctum Petrum XV. Kalend. Decembris Anno primo. Quarum quidem literarum apoſtolicarum in forma brevis & ſupplicationis introcluſæ vigore ad inſtantiam dicti domini Jo. Reuchlin doctoris appellantis principalis, annulo piſcatoris per teſtes fide dignos recognito, & per nos pro recognito habito. Citatione legitima una cum inhibitione inſerta extra civitatem noſtram Spirenſem & ad partes contra & adverſus venerabilem F. Jacobum Hochſtraten ordinis prædicatorum & ſacræ theologiæ profeſſorem, ac hæreticæ pravitatis in certis provinciis germanicæ nationis inquiſitorem ex adverſo principalem in eisdem præinſertis literis apoſtolicis ex adverſo principaliter nominatum, omnesque alios & ſingulos ſua communiter vel diviſim intereſſe putantes cum certificatione ſolita quod in eventum non comparitio-

nis ad ulteriora prout de jure procedere curaremus, ſeu noſtri in hac parte ſubdelegati commiſſarii infra ſcripti procedere curarent, aut alter eorum curaret juſtitia mediante, ipſis ad alios actus & terminos judiciales non niſi in valvis dictæ eccleſiæ noſtræ Spirenſis ut moris eſt citatis vocatis in forma conſueta per nos decreta, & nihilominus quia aliis arduis dictæ eccleſiæ noſtræ Spirenſis præpediti negotiis cauſæ & cauſarum hujusmodi perſonaliter intendere aut illis intereſſe non valuimus, venerabiles devotos in chriſto nobis dilectos dominos Thomam truchſes decretorum doctorem ſcholaſticum, & Georgium de Swalbach cuſtodem & canonicos eccleſiæ noſtræ Spirenſis prædictæ conjunctim & eorum quemlibet inſolidum ad cauſam hujusmodi (poteſtate tamen diffinitive pronunciandi, ac eos & eorum quemlibet in quacunque parte litis revocandi & onus hujusmodi reaſſumendi toties quoties expedire videretur nobis reſervata) ſubdelegavimus, literas ſubdelegationis in forma conſueta decrevimus, nec non citatione legitima una cum inhibitione hujusmodi in partibus legitime executa, ac coram præfatis dominis Thoma Truchſes ſcholaſtico, & Georgio de Swalbach cuſtode canonicis, judicibus & commiſſariis noſtris ſubdelegatis una cum earundem legitimis executionibus a tergo deſcriptis reproducta. Nec non coram dictis ſubdelegatis noſtris in cauſa ſeu negotio hujusmodi debite proceſſo. Terminis quoque tam ſubſtantialibus quam accidentalibus in cauſa ſeu negotio hujuſmodi ſervari ſolitis etiam ad concluſionem cauſæ inclusive coram dictis ſubdelegatis noſtris rite & legitime tentis & obſervatis. Tandem ad magiſtri Joannis Greiff cauſarum curiæ Spirenſis jurati & dicti domini Jo. Reuchlin doctoris appellantis principalis ad hanc cauſam procuratoris conſtituti prout de ſuo procurationis mandato nobis legitima extitit facta fides, & eo nomine procuratorio inſtantiam & petitionem & in contumaciam dicti magiſtri Jacobi Hochſtraten hæreticæ pravitatis Inquiſitoris ex adverſo principalis omniumque & ſingulorum intereſſe putantium ex adverſo principalium in valvis dictæ eccleſiæ noſtræ Spirenſis citatorum non comparentium, licet ſufficienter & usque ad horam debitam expectatorum, ſervatisque ſervandis ac tam theologorum quam jurisperitorum conſilio nobis communicato deliberationeque matura præhabitis noſtram in ſcriptis tulimus & promulgavimus ſententiam diffinitivam in hunc qui ſequitur modum:

CHriſti nomine invocato pro tribunali ſedentes & ſolum deum præ oculis habentes per hanc noſtram ſententiam diffinitivam quam de jurisperitorum conſilio & aſſenſu ferimus in his ſcriptis pronunciamus, decernimus & declaramus in cauſa & cauſis quæ inter eximium dominum Joannem Reuchlin. LL. doctorem Phorcenſem Spirenſis diœceſis ex una, & religioſum fratrem Jacobum de Hochſtraten ſacræ theologiæ & ordinis prædicatorum profeſſorem, & in certis provinciis Germanicæ nationis hæreticæ pravitatis Inquiſitorem partibus ex altera, de & ſuper quodam libello Speculum oculare nuncupato ac per præfatum dominum Ioannem doctorem edito, nobis apoſtolica authoritate ſpecialiter commiſſa, & coram nobis indeciſa pendente bene fuiſſe & eſſe appellatum ac nulliter proceſſum. Nec non libellum Ocularis ſpeculi antedictum cum ſua annexa declaratione in actis cauſæ hujusmodi deductum (cum ex declaratione & declarato ſit unus & idem liber & ſui ipſius declarativus) a præfato domino Jo. Reuchlin doctore compilatum ut præfertur atque editum, de ſuſpicione atque inſimulatione hæreticæ pravitatis aliisque criminibus ſibi per fratrem Jacobum antedictum hac in cauſa adverſarium ex adverſo principalem eidemque adhærentes indebite temerarie & injuſte, tacita veritate fuiſſe & eſſe notatum atque diffamatum, ſibique fratri Jacobo & eidem adhærentibus aut ſua quomodolibet intereſſe habere putantibus, diffamationem & recuſationem hujusmodi facere & publicare minime licuiſſe neque licere, & eisdem omnibus adverſariis & ſingulis aliis ſuper præmiſſis perpetuum ſilentium imponendum fore & imponimus. Nec non pari noſtra diffinitiva ſententia decernimus & declaramus ſupra memoratum libellum cum ejus declaratione annexa ut præfertur nullam hæreſin aut errorem ab eccleſia publice damnatum manifeſte ſapere aut continere, perfidis judæis non plus quam deceat aut jura permittant favorabilem fore, aut eccleſiæ dei ſeu ſacris ejusdem doctoribus neque injurioſum neque irreverentialem eſſe. Et ab omnibus ipſum Oculare ſpeculum cum ejus annexa declaratione (quam in ſingulis conjunctam cum libello & repetitam eſſe volumus) legi & publicari poſſe, diffamatione in contrarium ab adverſariis deducta non obſtante, ſimili modo pari noſtra diffinitiva ſententia antedictum fratrem Jacobum Inquiſitorem in expenſis in hujusmodi cauſa pro parte dicti domini Jo. Reuchlin doctoris tam coram nobis & noſtris ſubdelegatis quam Moguntiæ legitime factis condemnandum fore & condemnamus, quarum taxationem nobis impoſterum reſervamus.

Quæ quidem ſententia noſtra diffinitiva dum nulla provocatione ſeu appellatione ſaltem legitima ſuſpenſa in rem tranſiviſſet judicatam, nos ad præfati magiſtri Joannis Greiff procuratoris, & eo quo ſupra nomine procuratorio inſtantiam & petitionem ulteriorem, præfatum magiſtrum Jacobum de Hochſtraten hæreticæ pravitatis Inquiſitorem ex adverſo principalem, omnesque adhærentes ac ſua communiter vel diviſim intereſſe putantes. Ad videndum & audiendum omnes & ſingulas expenſas pro parte dicti domini Jo. Reuchlin doctoris appellantis principalis in hac cauſa ſeu negotio legitime factas, & in quibus dictus magiſter Jacobus Hochſtrat ex adverſo principalis per nos ſententialiter & diffinitive condemnatus exiſtit taxari & moderari. Sententiam quoque noſtram exequi & executioni debitæ demandari, nec non literas executoriales deſuper neceſſarias & opportunas in forma ſolita & conſueta decerni & concedi, vel ſaltem dicendum & cauſam ſi quam habuerint rationabilem quare præmiſſa fieri minime debeant allegandum per literas noſtras citatorias in valvis eccleſiæ noſtræ Spirenſis prædictæ affixas & executas in & ad certum peremptorium terminum competentem diem videlicet & horam infra ſcriptas peremptorie citari fecimus & mandavimus. Quibus quidem die & hora adveniente comparuit

coram

coram nobis judicialiter dictus magiſter Joannes Greiff procurator, & eo quo ſupra nomine procuratorio citationem in valvis prædictis ut præfertur executam una cum ejus executione coram nobis reproduxit. Dictique magiſtri Jacobi Hochſtraten ex adverſo principalis omniumque & ſingulorum citatorum non comparentium contumaciam accuſavit, ipſosque contumaces reputari, & in eorum contumaciam omnes & ſingulas expenſas pro parte ſua in proſecutione litis & cauſæ præſentis factas juxta & ſecundum cujusdam expenſarum papyreæ ſchedulæ coram nobis per eundem exhibitæ vim formam atque tenorem taxari & moderari; ſententiam quoque noſtram diffinitivam exequi & executionis debitæ demandari, nec non literas executoriales deſuper neceſſarias & opportunas in forma ſolita & conſueta decerni & concedi per nos inſtanter poſtulavit. Nos tunc Georgius electus & confirmatus eccleſiæ Spirenſis &c. judex & commiſſarius apoſtolicus præfatus dictos citatos non comparentes reputavimus merito prout erant id exigente juſtitia contumaces, & in eorum contumaciam prahabitis primitus dictorum dominorum commiſſariorum ſubdelegatorum & aliorum juriſperitorum relatione fide digna ac deliberatione matura, ad præfati magiſtri Joannis Greiff procuratoris, & eo quo ſupra nomine procuratorio inſtantiam & petitionem omnes & ſingulas expenſas pro parte ſua in hac cauſa tam coram nobis & noſtris ſubdelegatis quam Moguntiæ habitas & factas & in quibus dictus magiſter Jacobus Hochſtratenus per nos ſententialiter condemnatus exiſtit ad ſummam centum & undecim florenorum auri Rhenani per eundem magiſtrum Jacobum ex adverſo principalem dicto domino Joanni Reuchlin doctori appellanti principali nomine expenſarum hujusmodi perſolvendarum provida moderatione prævia taxavimus & moderavimus. Recepto primitus juramento corporali a dicto magiſtro Ioanne Greiff procuratore quod tantum expoſuerit ſeu adhuc neceſſario exponere habeat in & pro lite & cauſa ante dictis literas noſtras executoriales hujusmodi deſuper in forma ſolita decernendo & concedendo. Quæ omnia & ſingula vobis omnibus & ſingulis ſupradictis & veſtrum cuilibet inſolidum intimamus inſinuamus & notificamus ac ad veſtram & cujuslibet veſtrum notitias deducimus & deduci volumus per præſentes. Quo circa vos omnes & veſtrum quemlibet inſolidum tenore præſentium requirimus & monemus primo ſecundo tertio & peremptorie, vobis nihilominus in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub excommunicationis pœna, trium tamen dierum canonica monitione præmiſſa firmiter & diſtricte præcipiendo mandando, quatenus mox viſis atque receptis præſentibus accedatis quo & ubi propterea fuerit accedendum ſeu accedere fueritis requiſiti vel alter veſtrum fuerit requiſitus prænominatum magiſtrum Jacobum Hochſtratenum ex adverſo principalem diligenter & publice moneatis & requiratis, quem nos etiam tenore præſentium requirimus & monemus, ut infra triginta dierum poſt veſtram hujusmodi requiſitionem ipſi factam immediate ſequens ſpatium, quorum triginta dierum decem pro primo, decem pro ſecundo & reliquos decem dies ipſis & eorum cuilibet pro tertio & peremptorio termino ſic monitione canonica præfigimus & aſſignamus prænominato domino Joanni Reuchlin doctori appellanti principali aut procuratori ſuo legitimo ad hoc ab eo ſufficiens mandatum habenti de ſupra dictis centum & undecim florenis auri Rhenani in quibus per nos ut præmittitur ſententialiter condemnatus extitit plenam & integram ſolutionem & ſatisfactionem impendat & impendi faciat. Sententiæ quoque diffinitivæ monitionibusque & requiſitionibus noſtris hujusmodi immo verius apoſtolicis in omnibus & per omnia pareat & obediat realiter & cum effectu vel ſaltem inedio tempore amicabiliter ſe cum eo componat, alioquin dicto triginta dierum termino lapſo ipſum magiſtrum Jacobum monitum & requiſitum ex nunc prout ex tunc & ex tunc prout ex nunc excommunicamus in his ſcriptis & per præſentes. Quem etiam ex tunc ſingulis diebus Dominicis & feſtivis in veſtris monaſteriis eccleſiis & capellis excommunicatum publice denuncietis, tam diu donec & quousque a nobis deſuper receperitis in mandatis. Si vero præfatus excommunicatus hujusmodi excommunicationis ſententiam per decem dies dictos triginta dies immediate ſequentes animo quod abſit ſuſtinuerit indurato ex tunc attendendum, quod creſcente contumacia merito creſcere debeat & pœna, ne facilitas pœnæ audaciam tribuat delinquendi ſententiam excommunicationis & proceſſus noſtros hujusmodi præſentibus aggravamus, vobis omnibus & ſingulis ſupradictis modo & forma præmiſſis diſtrictius injungendo quatenus ipſum magiſtrum Jacobum Hochſtraten. excommunicatum & aggravatum nominatim & publice in veſtris cancellis accenſis candelis & demum extinctis, ac in terram projectis, cruce erecta, & religione induta. Et pulſatis campanis etiam poſt miſſam & in veſperis aliisque horis & locis conſuetis ſolenniter publicetis & denuncietis, faciendoque ab aliis quantum in vobis fuerit publice denunciari. Verum ſi præfatus denunciatus excommunicatus & aggravatus prætactam aggravationis ſententiam per alios decem dies dictas decem dies immediate ſequentes ſuſtinuerit, nos ex tunc quia perverſorum contumacia & audacia præſumpta id exigit ut unica pœna non faciati fortioribus arceantur pœnis. Ne forte fidos illorum lædatur, qui forſan ſuperioribus ſuis obedientiam debitam ſemper impenderunt, proceſſus noſtros hujusmodi reaggravamus, vobis omnibus & ſingulis ſupradictis mandando, quatenus ex tunc omnes & ſingulos ſubditos veſtros & chriſtianos utriusque ſexus homines præſertim dicti magiſtri Jacobi familiares, nec non fratres dicti ordinis ſub excommunicationis pœna prædicta moneatis & requiratis. Quos & nos tenore præſentium ſic requirimus & monemus ut infra ſex dierum monitionem & requiſitionem veſtras hujusmodi immediate ſequens ſpacium, quos quidem ſex dies ipſis & eorum cuilibet pro canonica monitione terminoque peremptorio præfigimus & aſſignamus, ipſe videlicet moniti & requiſiti a participatione communione familiaritate & ſervitio dicti excommunicati aggravati penitus & omnino deſiſtant. Nec cum eo ſerviendo, ſtando, loquendo, comedendo, bibendo, ſal, aquam ignem

ministrando, aut aliquo alio communionis genere sive humanitatis solatio, præterquam in casibus & personis a jure permissis, quovis modo communicent aut aliquis eorum communicet. Alioquin contrarium facientes minoris excommunicationis sententias incidisse, & incurrisse modo & forma præmissis publice denuncietis & denunciari ac ab omnibus christi fidelibus arctius evitari faciatis, donec aliud a nobis desuper fuerit significatum. Demum si prænominatus & excommunicatus denunciatus aggravatus & reaggravatus dictam reaggravationis sententiam per alios decem dies dictos decem dies immediate sequentes animo quod absit sustinuerit indurato pharaonis duritiam imitando, ad modum aspidum surdarum aures suas obturantium, ne forte voces audiant incantantium, ex tunc attendendo quod tanto graviora sunt peccata quanto diutius animas infelices detinent ligatas, omnes & singulas civitates terras oppida castra villas aliaque loca in & sub quibus ipsum excommunicatum aggravatum & reaggravatum devenire morari declinare aut convenire contigerit ecclesiastico supponimus interdicto, vobis omnibus & singulis districte præcipiendo mandando quatenus in præsentia ejusdem excommunicati aggravati reaggravati & interdicti quamdiu ibidem fuerit moram traxerit domicilium sive receptaculum inibi habuerit & per tres dies post ipsius recessum continue sese sequentes cessetis & cessari faciatis penitus ab officiis divinorum. Ita quod hujusmodi nostro durante interdicto nulla ecclesiastica sacramenta penitus ministrentur nisi baptismus confessio & pœnitentia omnibus indifferenter, Eucharistia infirmis tantum, & matrimonium sine ecclesiastica solennitate contrahatur, inibique & sub eisdem locis decedentibus ecclesiastica denegetur sepultura. Quod si forte vos omnes & singuli prædicti præmissa omnia & singula prout vobis mandantur facere adimplere recusaveritis, mandatisque & monitionibus nostris hujusmodi immo verius apostolicis non parueritis realiter & cum effectu, nos in vos omnes & singulos qui culpabiles fueritis in præmissis aut rebelles, singulares personas excommunicationis. In capitula vero collegia & conventus quæcunque in his delinquentes suspensione a divinis, & in ipsorum delinquentium & rebellium hujusmodi ecclesias monasteria & capellas interdicti sententias ferimus in his scriptis & etiam promulgamus. Vobis vero reverendissimis ac reverendis in christo patribus & dominis dominis Archiepiscopis & episcopis præfatis duntaxat exceptis quibus ob reverentiam vestrarum pontificalium dignitatum deferimus in hac parte, si contra præmissa vel aliquid præmissorum feceritis per se vel submissas personas, sex tamen dierum canonica monitione præmissa, ingressum ecclesiæ interdicimus in his scriptis. Si vero hujusmodi interdictum per alios sex dies præfatos sex dies immediate sequentes sustinueritis, vos in his scriptis similiter canonica monitione præmissa suspendimus a divinis. Verum si præfatos interdicti & suspensionis sententias per alios sex dies dictos duodecim dies immediate sequentes animis quod absit sustinueritis induratis vos in eisdem scriptis eadem canonica monitione præmissa ex nunc pro ut ex tunc, & ex tunc pro ut ex nunc excommunicationis sententia innodamus. Absolutionem vero omnium & singulorum qui prætactas sententias aut eorum aliquam incurrerint sive incurrerit quoquo modo nobis vel superiori nostro tantummodo reservamus. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum præsentes literas sive præsens publicum instrumentum hujusmodi nostros processus executoriales in se continentes sive continens exinde fieri, & per Notarium publicum nostrumque & hujusmodi causæ coram nobis scribam infra scriptum subscribi & publicari mandavimus, nostrique sigilli jussimus & fecimus appensione communiri. Datum & actum in civitate Spirensi in aula nostra episcopali sub anno a nativitate domini millesimo quingentesimo quartodecimo, indictione secunda, die vero luna vicesima quarta mensis Aprilis, pontificatus Sanctissimi in christo patris & domini nostri domini Leonis divina providentia papæ decimi anno secundo, præsentibus ibidem honorabilibus viris magistro Hartmanno Lupolt sanctorum germani & Mauritii & domino Martino Zeuternensi sancti Guidonis Spirens ecclesiarum canonicis testibus ad præmissa vocatis specialiter atque rogatis.

Et ego Conradus Sies de Heppenheim clericus Moguntinensis diœcesis publicus sacra imperiali authoritate Notarius, causarumque curiæ Spirensis juratus & hujusmodi causæ coram reverendissimo & illustri principe & domino domino Georgio electo & confirmato ecclesiæ Spirens. Comite palatino Rheni ac bavariæ duce judice & Commissario. Scriba, quia expensarum taxationi præsentiumque literarum executori alium petitioni & decreto, omnibusque aliis & singulis præmissis dum sicut præmittitur coram præfato Reverend. Spirens. judice & commissario apostolico fierent & agerentur una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque omnia & singula sic fieri vidi & audivi. Iccirco præsens publicum instrumentum hujusmodi literas executoriales in se continens manu alterius me interim aliis legitimis præpedito negotiis fideliter scriptum exinde confeci, subscripsi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, signoque & nomine meis solitis & consuetis una cum prælibati domini reverendi: Spirensis judicis & commissarii apostolici sigilli appensione consignavi in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum rogatus & requisitus.

In nomine domini amen. Anno a nativitate M. D. XIV. indictione secunda. Die vero Jovis decima octava mensis Maji, pontificatus sanctissimi in christo patris & domini nostri domini Leonis divina providentia papæ decimi anno secundo. Ego Andreas Gudell notarius infra scriptus pro parte venerabilis & eximii viri domini Jo. Reuchlin Phorcensis, Spirensis diœces. LL. doctoris principalis in retro scriptis literis executorialibus principaliter nominati legitime requisitus. Easdem retro scriptas literas executoriales, ac omnia & singula in eisdem contenta & descripta reverendo patri domino Jacobo de Hochstraten ex adverso principali in dictis retro scriptis ex adverso principaliter nominato, personaliter apprehenso & reperto intimavi, insinuavi & notificavi, ac ad ejus

veram

veram & indubitatam notitiam deduxi, ipſumque ſub pœnis ſententiis & cenſuris in præfatis retro ſcriptis literis executorialibus contentis & comprehenſis monui & requiſivi, aliasque & alia feci & executus ſum, prout in jam dictis literis executorialibus retro ſcriptis latius continetur & habetur. Et in ſignum veræ legitimæ & realis executionis prænominato domino Jacobo de Hochſtraten ex adverſo principali copiam earundem retro ſcriptarum literarum executorialium per me notarium præ & infra ſcriptam collationatam & ſubſcriptam dedi tradidi & aſſignavi, quam a me recepit. Super quibus omnibus & ſingulis præmiſſis præfatus eximius dominus Joannes Reuchlin doctor principalis ſibi a me notario publico infra ſcripto unum vel plura publicum ſeu publica fieri atque confici petiit inſtrumentum vel inſtrumenta. Acta fuerunt hæc in oppido Heidelberg Wormacienſis diœceſis in domo Bethleem dicta, ſita in monaſterio fratrum ordinis prædicatorum ibidem ſuperius in camera dicti domini Jacobi de Hochſtraten ſub anno domini, in dictione, die, menſe & pontificatu quibus ſupra, præſentibus ibidem diſcretis viris Joanne Obell de Marpach Spirenſis & Caſpar Durck de Stutgarten Conſtantienſis diœceſis ſcholaribus univerſalis ſtudii Heidelbergenſis teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter atque rogatis.

Et ego Andreas Gudell de Weinheim, clericus Wormacienſis diœceſis publicus ſacra imperiali authoritate notarius approbatus, quia præmiſſis omnibus & ſingulis dum ſicut præmittitur fierent & agerentur una prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audivi atque feci. Iccirco præſens publicum tergotenus inſtrumentum manu mea propria ſcriptum exinde confeci ſubſcripſi publicavi & in hanc publicam formam redegi, ſignaque & nomine meis ſolitis & conſuetis conſignavi in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum rogatus pariter & requiſitus.

Cum itaque F. Jacobus, præfatæ ſententiæ apoſtolicæ ac mandatis executorialibus parere non vellet, diceretque ſe ad ſedem apoſtolicam appellaſſe, quod tamen legitime neſciebatur, & adhuc neſcitur, quia neque parti nec judici ut debuerat eſt inſinuatum. Jamque ceſſaret inquiſitor & quieſceret multis menſibus & non parvo tempore neque veritus Turpiliani notam & nec proſequeretur ſi quam interpoſuiſſet appellationem. Propterea timens Joan. Reuchlin ne forte adverſarii ſui dolo malo negotium protrahere vellent, quatenus idem Joan. Reuchlin tam ſenio quam valetudine gravatus interea moreretur, & quod tunc ille Inquiſitor aut ejus adhærentes mortuo ſibi illuderent. Quod idem frater Jacobus cum tota facultate theologiæ cujus erat tunc Decanus, multo ante litis exordium ſibi graviter minatus fuerat per Epiſtolam quandam ab eo & tota facultate theologica Colonienſi collegialiter ad ſe miſſam, & ſub facultatis ſigillo datam ex Colonia die ultima menſis Februarii Anno domini milleſimo quingenteſimo duodecimo. Per quam epiſtolam Joannem Reuchlin cogere volebant ad publicam revocationem faciendam adjunctis etiam his verbis (ſic enim in illa epiſtola præfato Reuchlin ab ipſis miſſa continetur.) „Prudens „namque es (inquiunt) & facile conjicere poteris „ſi tu non feceris, & nos quoque poſtquam res „nobis ſic innotuit torperemus, revera etiam poſt „mortem tuam non defuturos qui dum tu neque „loqui neque reſpondere illis poſſes, tamen leoni „mortuo barbam vellerent & te ſorte in ima „tartara delapſum legentes tua ſcripta & dicerent & ſcriberent. Hæc ſunt ipſa verba Joanni Reuchlin ante hujus proceſſus initium a theologis Colonienſibus quorum frater Jacobus decanus erat graviter comminata, quare ſæpe nominatus Reuchlin, tametſi rem judicatam pro ſe haberet, tamen fiducia veritatis, & ne quis probus vir atque doctus ſibi mortuo barbam vellere aut illudere poſſet, inquiſitoris ut ajebant appellantis tunc prætenſam provocationem non attenta partis adverſæ negligentia ipſemet diligenter ad curiam Romanam devolvit. Igitur Joannes Reuchlin Romam miſit Acta cauſæ autentica & originalia cum regiſtris ambarum inſtantiarum tam Moguntinenſis quam Spirenſis ſigillatis & procuratores ſuos legitimos cum libera conſtituit. Per quos ſupplicationem Sanctiſſimo domino noſtro porrexit juxta tenorem qui in ſequenti proceſſu apparebit. Et nihilominus petivit etiam diligentiſſime ut cauſa hæc decideretur ſummarie ac de plano ſine ſtrepitu judiciorum, & quanto minoribus fieri poſſet temporibus & expenſis attento eo quod & probationes eſſent in promptu & factum eſſet notorium. Et quod Joan. Reuchlin eſſet ſingularis unica & privata perſona homo ſenex & valetudinarius mediocris facultatis reſpectu tot & tantorum adverſariorum, non potens ſufficientibus pecuniis tam abundantibus & tot numero divitibus mendicantibus facile reſiſtere. Hoc idem ſecum petiverunt Sereniſſimus & Invictiſſimus Romanorum imperator electus & Reverendiſſimus dominus Cardinali Gurcenſis. Item illuſtriſſimi duces electores Imperii Fridericus ſaxoniæ & Ludovicus bavariæ duces. Et dux Wirtenbergenſis Marchio Badenſis princeps. Magiſter inclytus ordinis teutonicorum. Et Germaniæ ſuperioris deo amabiles Epiſcopi quinque. Et XIII. Abbates infulati. Et quinquaginta tria oppida ſueviæ, & multi alii nobiles magiſtratus, univerſi & ſinguli nihil aliud petentes quam juſtam & brevem hujus litis expeditionem cum teſtificatione Joan. Reuchlin doctrinæ atque morum eccleſiæ catholicæ nullo ſcandalo ſed ædificationi quotidianæ exiſtentium, & hæc omnia ſub ſigillis ſuis & fide dignis ſcripturis & epiſtolis commendatitiis Sanctiſſimo domino noſtro papæ pro Jo. Reuchlin exhibitis. Quare cauſam totam Sanctitas ſua delegavit in Curia ut in præſente habetur proceſſu qui de verbo ad verbum ſequitur & eſt talis:

Dominicus Grimanus, Miſeratione divina Epiſcopus portuenſis ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalis ſancti Marci patriarcha Aquileienſis Judex & commiſſarius cauſarum cauſæque & cauſis ac partibus infra ſcriptis a ſanctiſſimo domino noſtro papa ſpecialiter deputatus univerſis & ſingulis dominis abbatibus prioribus præpoſitis Decanis archidiaconis Scholaſticis Cantoribus Cuſtodibus Theſaurariis Succentoribus Sacricriſtis tam Cathedralium etiam Metropolitanarum quam collegiatarum Canonicis, parochialiumque eccleſiarum Rectoribus

seu locatenentibus eorundem plebanis vice plebanis Capellanis Curatis & non curatis vicariis perpetuis altaristis. Cæterisque presbyteris Clericis notariis & Tabellionibus publicis quibuscunque per Civitatem & diœcesin Spirensem ac alias ubilibet constitutis & eorum cuilibet insolidum, ac illi vel illis ad quem vel ad quos præsentes nostræ literæ pervenerint salutem in domino, & nostris hujusmodi immo verius apostolicis firmiter obedire mandatis. Noveritis quod nuper Sanctissimus in christo pater & dominus noster dominus Leo divina providentia papa decimus quandam commissionis sive supplicationis schedulam nobis per certos suos cursores præsentari fecit. Quam nos cum ea quá decuit reverentia recepimus hujusmodi sub tenore:

„Beatissime pater cum alias devotus S. V. Ora„tor Joannes Reuchlin LL. doctor Laicus Spi„rens. diœcesf. non solum latinam, sed & græcam „& hebraicam linguas quod citra lactantiam ei„dem S. V. exponitur callens, quendam libel„lum seu Opusculum quoddam Oculare specu„lum nuncupatum, per quod Christi fideles ad „dandam operam sacris hoc est hebraicis literis „invitare nitebatur ac hebræorum libros passim „igni cremandos non esse inter alia dicebat, edi„disset. Et Jacobus de Hochstraten pro sacræ „theologiæ: & ordinis prædicatorum professore, „ac in certis provinciis germanicæ nationis de „quarum numero eam provinciam quam orator „incolebat & incolit esse dicebat hæreticæ pravi„tatis inquisitore se gerens, & nonnulli ejusdem „Jacobi ea in parte adhærentes Oculare speculum „hujusmodi & quasdam declarationes super illo „per oratorem similiter editas hæresin sapere fal„so asseruisset. Orta fuit inter ipsos oratorem & „Jacobum super præmissis quæstionibus materja, „& in causa hujusmodi coram ipso Jacobo. Com„petentem judicem ex prætenso sibi uti dicebat „injuncto officio se affirmante, & forte aliis judi„cibus & Commissariis ad aliquos actus processo. „Cum dictus orator a certo sibi per dictum Jaco„bum illato seu inferri comminato gravamine ad „S. V. seu sedem apostolicam appellasset fuit cau„sa appellationis hujusmodi una cum negotio prin„cipali Reverend. P. & illustri principi domino „Georgio ex ducibus bavariæ & Comitibus pala„tinis Rheni episcopo Spirensi commissa, audien„da & fine debito terminanda. Qui quidem do„minus Georgius episcopus in illa rite procedens „diffinitivam per quam inter cætera pro parte ora„toris bene appellatum & nulliter per dictum Ja„cobum processum ac eundem oratorem per Jaco„bum & ejus adhærentes indebite & injuste occa„sione dicti opusculi & ejus declarationum fuisse „de suspicione hæresis notatum & diffamatum ac „opusculum & declarationes hujusmodi nullam „hæresin aut errorem ab ecclesia publice damna„tum sapere aut continere decrevit & declaravit. „Sententiam promulgavit a qua sententia pro par„te Jacobi & ejus adhærentium conjunctim seu di„visim dicitur ad S. V. appellatum. Cum autem „pater clementissime in hac causa agatur super „prætensis erroribus in dicto Opusculo contentis. „Et in ipso opusculo & ejus declaratione contine„antur passim multæ particulæ. In quibus trium „linguarum prædictarum auctores allegantur. Et „propterea opusculum & ejus declarationes hujus„modi in nullo alio loco quam in curia S. V. in qua „hominum in ipsis tribus linguis expertorum co„pia habetur probari vel reprobari possint. Di„gnetur S. V. Causam & causas prætensæ posterio„ris appellationis hujusmodi ac contra illam forsan „attentatorum quorumcunque una cum toto nego„tio principali alicui ex reverendissimis dominis „sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus. Et si magis „placet Reverendissimo Cardinali Grimano com„mittere audiendum cognoscendum decidendum, „& fine debito terminandum. Cum omnibus & „singulis incidentibus dependentibus emergentibus „annexis & connexis. Et cum opportuna illius a „quibuscunque judicibus in partibus illis forsan de„putatis, quibus tamen commissio eis forte directa „præsentata nondum sit advocatione ac potestate „citandi & inhibendi in dicta curia & extra eam „etiam per edictum publicum, conflito summa„rie de non tuto accessu. Cæteraque faciendi „& fieri mandandi quæ in præmissis, & circa ea ne„cessaria fuerint seu quomodolibet opportuna, præ„missis ac constitutionibus & ordinationibus apo„stolicis quodque causa seu causæ hujusmodi non „sint forsan ad dictam curiam legitime devolutæ „neque in ea de sui natura aut juris necessitate tra„ctandæ seu etiam finiendæ cæterisque contrariis „non obstantibus quibuscunque, habentes statum „& merita litis & causæ hujusmodi prænarratorum „& aliorum hic forsan necessario exprimendorum „tenores pro sufficienter expressis. In fine vero dictæ „Commissionis sive supplicationis schedulæ scripta „erant de alterius manus litera superiori literæ ipsius „schedulæ penitus, & omnino dissimili & diversa „hæc verba videlicet, de mandato domini nostri Pa„pæ audiat idem reverendissimus Cardinalis Gri„manus, & constito summarie de non tuto accessu, „citet etiam per edictum ut petitur, In ex„tremitate vero inferioris marginis ejusdem com„missionis sive supplicationis schedulæ scripta „erant etiam de alienæ manus litera superiori„bus literis ipsius schedulæ etiam penitus dissi„mili & diversa hæc verba videlicet, placet. I. „Post cujusquidem commissionis sive supplicatio„nis schedulæ præsentationem & receptionem „nobis & per nos ut præmittitur factas, fuimus „pro parte Spectabilis viri domini Joannis Reuch„lin LL. doctor principalis in præinserta commis„sione nobis ut præmittitur facta & præsentatæ „principaliter nominati debita cum instantia re„quisiti. Quatenus sibi citationem personalem „extra Romanam curiam & ad partes contra & „adversus quendam Jacobum de Hochstraten or„dinis prædicatorum sacræ theologiæ profesſo„rem ex adverso principalem in eadem præinserta „commissione ex adverso principaliter nomina„tum juxta prætactæ commissionis vim formam „continentiam, & tenorem in forma solita & con„sueta decernere & concedere dignaremur. Nos „igitur Dominicus episcopus portuens. & Cardin. „sancti Marci Judex & commissarius præfatus „attendentes requisitionem hujusmodi fore ju„stam & consonam rationi volentesque in causa „& causis hujusmodi rite & legitime procedere ac „partibus ipsis dante domino justitiam ministrare

ut

„ut tenemur, & nihilominus quod dictam citatio-
„nem perſonalem contra & adverſus Jacobum
„de Hochſtraten ordinis prædicatorum ex ad-
„verſo principalem non malitioſe, ſed pro juſti-
„tia conſequenda, peteret. Idemque domi-
„nus Joannes Reuchlin principalis juxta conſti-
„tutionem Gregorianam ſuper citationibus perſo-
„nalibus decernendis editam ſub pœna ducento-
„rum florenorum Auri de camera boni & juſti
„ponderis pro una eidem cameræ apoſtolicæ &
„pro alia medietatibus dicto Jacobo de Hoch-
„ſtraten ex adverſo principali perſonaliter ci-
„tando applicandorum quod cauſam hujusmodi
„contra eundem Jacobum de Hochſtraten ex
„adverſo principalem usque ad finem litis proſe-
„qui vellet & intenderet ſe efficaciter obligavit.
„Iccirco apoſtolica auctoritate nobis commiſſa
„& qua fungimur in hac parte, vos omnes &
„ſingulos ſupradictos & veſtrum quemlibet inſo-
„lidum tenore præſentium requirimus & mone-
„mus primo ſecundo tertio & peremptorie vobis-
„que nihilominus & veſtrum cuilibet in virtute
„ſanctæ obedientiæ & ſub excommunicationis
„pœna quam in veſtrum quemlibet canonica mo-
„nitione præmiſſa, ſi ea quæ vobis in hac parte
„committimus & mandamus neglexeritis ſeu di-
„ſtuleritis contumaciter adimplere ferimus in
„his ſcriptis, diſtricte præcipiendo mandando
„quatenus infra ſex dierum ſpatium poſt præſen-
„tationem ſeu notificationem præſentium vobis
„ſeu alteri veſtrum factas. Et poſtquam pro
„parte dicti domini Joannis Reuchlin principa-
„lis ſuper hoc vigore præſentium fueritis requi-
„ſiti ſeu alter veſtrum fuerit requiſitus immedia-
„te ſequentium. Quorum ſex dierum duos pro
„primo duos pro ſecundo & reliquos duos dies
„vobis univerſis & ſingulis ſupradictis & veſtrum
„cuilibet pro tertio & peremptorio termino ac
„monitione canonica aſſignamus, ita tamen
„quod in exequendis unus veſtrum alterum non
„expectet, nec unus pro alio ſeu per alium ſe
„excuſet præfatum Jacobum de Hochſtraten ex
„adverſo principalem in ejus propria perſona
„ſi ipſius præſentiam commode habere poteritis,
„alioquin in monaſteriis ſive hoſpitiis habitatio-
„nis ſuæ ſi ad ea tutus pateat acceſſus. Et in
„parochiali ſeu parochialibus ſub qua vel qui-
„bus degit & moratur. Sin autem in Cathedra-
„li Spirenſi & dictis parochiali vel parochialibus
„ſub qua vel quibus degit & moratur, aliisve
„eccleſiis & locis publicis quibuscunque de quibus
„ac ubi dum ibidem populi multitudo ad divina
„audienda convenerit aut alias legitime congre-
„gata fuerit ex parte noſtra immo verius apo-
„ſtolica auctoritate alta & intelligibili voce per-
„emptorie citare curetis. Ita tamen quod ve-
„riſimile citationem noſtram hujusmodi ad
„ipſius citandi notitiam indubitatam devenire,
„ne de præmiſſis vel infra ſcriptis ignorantiam ali-
„quam oſtendere valeat, ſeu etiam quomodoli-
„bet allegare, quem nos tenore præſentium ſic
„citamus, quatenus XL. die poſt citationem ve-
„ſtram hujusmodi per vos ſeu alterum veſtrum
„ei factam immediate ſequenti ſi dies ipſa qua-
„drageſima juridica fuerit. Et nos vel alter for-
„ſan loco noſtro ſurrogandus vel ſubdelegandus
„auditor ad jura reddendum & ad cauſas audien-
„dum pro tribunali ſederimus vel ſederit. Alio-
„quin proxima die juridica immediate ſequente
„qua nos vel eundem ſurrogandum ſive ſubdele-
„gandum auditorem præfatum Romæ vel alibi
„ubi tunc dominus noſter papa cum ſua Romana
„Curia reſidebit in palatio S. Marci habitationis
„noſtræ hora veſperarum & audientiæ cauſarum
„more commiſſariorum conſueta. Ad jura red-
„dendum & cauſas audiendum pro tribunali ſe-
„dere contigerit. Compareat perſonaliter & in
„ejus propria perſona in judicio legitime coram
„nobis vel dicto domino ſurrogando ſive ſub-
„delegando Auditore prædicto per ſe cum omni-
„bus & ſingulis actis actitatis literis ſcripturis in-
„ſtrumentis proceſſibus privilegiis aliisque juri-
„bus & munimentis cauſam & cauſas hujusmo-
„di tangentibus ſeu eam & eas quomodolibet
„concernentibus præfato domino Joanni Reuch-
„lin principali ſeu ejus procuratori legitimo de
„& ſuper omnibus & ſingulis in ſupradicta no-
„bis facta & præſentata commiſſione contentis de
„Juſtitia reſponſuri ac in cauſa & cauſis hujusmo-
„di ad omnes & ſingulos actus & terminos gra-
„datim & ſucceſſive etiam usque ad diffinitivam
„ſententiam incluſive debitis & conſuetis termi-
„nis & dilationibus præcedentibus & moris eſt
„proceſſuri & procedi viſuri, aliasque dicturi fa-
„cturi allegaturi audituri & recepturi quicquid
„juſtitia ſuadebit & ordo dictaverit rationis. Cer-
„tificantes nihilominus eundem ſic citatum quod
„ſive in dicto citationis termino ut præmiſſum eſt
„comparuerit ſive non. Nos nihilominus vel
„dictus ſurrogandus ſive ſubdelegandus Auditor
„ad partis comparentis & cauſam ſeu cauſas hujus-
„modi proſequi curantis inſtantis ad præmiſſa
„omnia & ſingula ac alias prout injuſtum fuerat
„procedemus ſeu procedet juſtitia mediante. Di-
„cti citati contumacia ſeu abſentia non obſtante
„in aliquo. Et inſuper attendendum quod lite
„& cauſa ſeu cauſis hujusmodi ſicut præmittitur
„coram nobis in Romana curia indeciſis penden-
„tibus nihil ſit in partibus innovandum, & per
„quemcunque ſeu attentandum. Iccirco vobis
„omnibus & ſingulis ſupradictis quibus præſentes
„noſtræ literæ diriguntur, & cuilibet veſtrum
„authoritate apoſtolica ſupradicto modo & for-
„ma præmiſſis tenore præſentium committimus
„& mandamus. Quatenus poſt legitimam dictæ
„citationis executionem reverendo in chriſto pa-
„tri & domino domino dei & apoſtolicæ ſedis gra-
„tia epiſcopo Spirenſi ejusque in ſpiritualibus &
„temporalibus vicario ſeu officiali generali, Cæ-
„terisque officialibus judicibus commiſſariis dele-
„gatis ſubdelegatis & extra ordinariis quibuscun-
„que per civitatem & diœceſin Spirenſem prædictas
„& alias ubilibet conſtitutis & præſertim Jacobus
„Hochſtraten, ex adverſo principali ſupradicto,
„omnibusque aliis & ſingulis quorum intereſt,
„intererit ſeu intereſſe poterit quomodolibet in
„futurum quibuscunque nominibus cenſeantur
„ſeu quacunque præfulgeant dignitate de quibus
„pro parte antedicti domini Joannis Reuchlin
„principalis vigore præſentium ſuper hoc fue-
„ritis requiſiti ſeu alter veſtrum fuerit requiſitus
„inhibeatis. Quibus nos etiam & eorum cuilibet

tenore

„tenore præſentium inhibemus ne ipſi ſeu eo-
„rum alter in cauſa & cauſis hujuſmodi per ſe
„vel per alium ſeu alios publice occulte directe
„vel indirecte quovis quæſito colore vel ingenio
„in litiſpendentiam & jurisdictionem noſtræ im-
„mo verius apoſtolicæ ſedis vilipendium & con-
„temptum dictique domini Joannis Reuchlin
„principalis jurisque ſui præjudicium & grava-
„men lite & cauſa ſeu cauſis hujusmodi, coram
„vobis indeciſis pendentibus quicquam innova-
„re ſeu attentare præſumant ſeu præſumat. Quod
„ſi ſecus factum fuerit id totum revocare & in
„ſtatum priſtinum reducere curabimus juſtitia me-
„diante. Diem vero citationis & inhibitionis
„veſtrarum hujusmodi atque formam & quicquid
„in præmiſſis feceritis ſeu alter veſtrum duxerit
„faciendum nobis per veſtras literas patentes, aut
„inſtrumentum publicum harum ſeriem ſeu de-
„ſignationem in ſe continentem ſive continens re-
„miſſis præſentibus quanto citius poteritis fideli-
„ter intimare curetis. Abſolutionem vero
„omnium & ſingulorum qui præfatam noſtram
„excommunicationis ſententiam incurrerint ſive
„incurrerit quoquomodo nobis vel ſuperiori no-
„ſtro tantummodo reſervamus. In quorum
„omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium
„præmiſſorum præſentes literas ſive præſens pu-
„blicum inſtrumentum hujusmodi noſtras cita-
„tionem & inhibitionem in ſe continentes ſive
„continens exinde fieri & per notarium publicum
„noſtrumque & hujusmodi cauſæ coram nobis
„ſcribam infra ſcriptum ſubſcribi & publicari
„mandavimus. Sigillique noſtri juſſimus & fe-
„cimus appenſione communiri datum & actum
„Romæ in palatio ſancti Marci noſtræ reſiden-
„tiæ. Sub anno a nativitate domini M D. XIV·
„indictione ſecunda. Die vero Jovis octava
„menſis Junii, pontificatus præfati ſanctiſſimi in
„chriſto patris & domini noſtri domini Leonis
„divina providentia papæ decimi anno ſecundo,
„præſentibus ibidem venerabilibus viris dominis
„Petro Alexandro vicario Mortegliani Aquileien-
„ſis diœceſ. ſecretario noſtro. Et Jacobo Nor-
„dio canonico Aquileienſi teſtibus ad præmiſſa
„vocatis ſpecialiter, atque rogatis.

Et ego Jacobus Sketa Trebanus clericus Aquileienſis diœceſis publicus imperiali auctoritate notarius prælibatique reverendiſſimi domini epiſcopi, Cardinalis patriarchæ, judicis & commiſſarii apoſtolici & hujusmodi cauſæ coram eo ſcriba, quia dictis citationi & inhibitioni petitioni & decreto omnibusque aliis & ſingulis dum ut præfertur agerentur & fierent una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audivi. Iccirco hoc præſens publicum inſtrumentum manu alterius ſcriptum me aliis negotiis impedito exinde confeci, ſubſcripſi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque & nomine meis ſolitis & conſuetis una cum præfati reverendiſſimi domini Cardinalis judicis & commiſſarii, ſigilli appenſione ſignavi rogatus & requiſitus in fidem robur & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

Per hanc citationem frater Jacobus Inquiſitor præfatus ad comparendum perſonaliter in curia Romana vocatus, tandem in propria perſona Romam venit cum magnis ſuarum & aliarum univerſitatum principum & dominorum promotionibus, pulchro equitatu comitatus, jactando ſe pecuniis ſufficientibus inſtructum eſſe quibus iſtum doctorem Johannem Reuchlin tam in honore ſuo ac bona fama quam etiam in externorum bonorum fortunis ſupprimere poſſit. Poſtquam autem Romam venerat, primum & ſummum ſtudium adhibebat ut reverendiſſimum dominum Bernardinum Cardinalem S. Crucis hujus cauſæ cognitioni adderet judicem, qui jam eundem fratrem Jacobum ab excommunicationis vinculo abſolverat, parte adverſa non citata, & qui ante in legatione germanica a ſe & ſuis theologis in Colonia quam optime hoſpitio receptus & tentus fuerat. Quare libenter ipſum intruſiſſet, niſi fuiſſet pro parte Jo. Reuchlin multis & juſtis de cauſis recuſatus. Quibus recuſationibus papa recte motus, judicem alium adjunxerat reverendiſſimum dominum Cardinalem ſancti Euſebii, mandando quatenus reverendiſſimos Cardinales ſancti Marci & ſancti Euſebii totum hoc negotium expedirent etiam appellatione remota prout in proceſſu infra ſcripto continetur, qui ſequitur & eſt talis:

Dominicus Grimanus miſeratione divina epiſcopus Portuenſis ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalis ſancti Marci, ac ſanctæ ſedis Aquileienſis patriarcha, totiusque ordinis minorum beati Franciſci & ſanctæ Claræ & fratrum tertii ordinis de pœnitentia, gubernator, protector & corrector judex & commiſſarius, ac reverendiſſimi in chriſto patris & domini domini ejusdem ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalis ſancti Euſebii, etiam judicis & commiſſarii ſubdelegatus, cauſæ & cauſis ac partibus infra ſcriptis a ſanctiſſimo domino noſtro papa ſpecialiter deputatus univerſis & ſingulis dominis abbatibus, prioribus, propoſitis, decanis, archidiaconis, ſcholaſticis, cantoribus, cuſtodibus, theſaurariis, ſuccentoribus, ſacriſtis tam cathedralium etiam Metropolitanarum quam collegiatarum canonicis parochialiumque eccleſiarum rectoribus ſeu loca tenentibus eorundem plebanis viceplebanis, capellanis, curatis & non curatis, vicariis perpetuis, altariſtis, cæterisque presbyteris, clericis, notariis & tabellionibus publicis, quibuscunque per civitates & diœceſes Colonienſem & Spirenſem ac alias ubilibet conſtitutis, & eorum cuilibet inſolidum, ac illi vel illis ad quem vel ad quos præſentes noſtræ literæ pervenerint. Salutem in domino & noſtris hujusmodi immo verius apoſtolicis firmiter obedire mandatis. Noveritis quod nuper ſanctiſſimus in chriſto pater & dominus noſter dominus Leo divina providentia papa decimus quandam commiſſionis ſive ſupplicationis ſchedulam, quinque aliis commiſſiones in fronte præinſertas habentem nobis & præfato reverendiſſimo Cardinali ſancti Euſebii per certos ſuos curſores præſentari fecit, quam nos & ipſe cum ea qua decuit reverentia recepimus hujusmodi ſub tenoribus ſequentibus: BEATISSIME pater cum alias devotus S. V. orator Jo. Reuchlin LL. doctor, laicus Spirenſis diœceſ. non ſolum latinam ſed & græcam & hebraicam linguas, quod citra jactantiam eidem ſanctitati veſtræ exponitur, callens, quendam libel-

libellum ſeu quoddam opuſculum Oculare ſpeculum nuncupatum, per quod chriſti fideles ad dandum operam ſacris, hoc eſt hebraicis literis invitare nitebatur, ac hebræorum libros paſſim igni cremandos non eſſe inter alia dicebat, edidiſſet, & Jacobus de Hochſtraten pro ſacræ theologiæ & ordinis prædicatorum profeſſore, ac in certis provinciis germanicæ nationis, de quarum numero eam provinciam quam ipſe incolebat & incolit eſſe dicebat, hæreticæ pravitatis inquiſitore ſe gerens. Et nonnulli ejusdem Jacobi ea in parte adhærentes Oculare ſpeculum hujusmodi, ac quasdam declarationes ſuper illo per oratorem ſimiliter editas hæreſin ſapere falſo aſſeruiſſet. Orta fuit inter ipſos oratorem & Jacobum ſuper præmiſſis, quæſtionis materia. Et in cauſa hujusmodi tam coram ipſo Jacobo competentem judicem ex prætenſo ſibi uti dicebat, injuncto officio ſe affirmante & forte aliis judicibus & commiſſariis ad aliquos actus proceſſo. Cum dictus orator a certo ſibi per dictum Jacobum illato ſeu inferri comminato gravamine ad S. V. ſeu ſedem apoſtolicam appellaſſet, fuit cauſa appellationis hujusmodi cum negotio principali reverendiſſimo patri & illuſtri principi domino Georgio ex ducibus Bavariæ & comitibus Palatinis Rheni epiſcopo Spirenſi commiſſa, audienda & fine debito terminanda. Qui quidam dominus Georgius epiſcopus in illa rite procedens diffinitivam, per quam inter alia pro parte oratoris bene appellatum & nulliter per dictum Jacobum proceſſum, ac eundem oratorem per dictum Jacobum & ejus declarationem fuiſſe de ſuſpicione hæreſes notatum & diffamatum, ac opuſculum & declarationes hujusmodi nullam hæreſin aut errorem ab eccleſia publice damnatum ſapere aut continere decrevit & declaravit, ſententiam promulgavit, a qua ſententia pro parte Jacobi & ejus adhærentium conjunctim ſeu diviſim dicitur ad S. V. appellatum. Cum autem pater clementiſſime in hac cauſa agatur ſuper prætenſis erroribus in dicto opuſculo contentis. Et in ipſo opuſculo & ejus declaratione contineantur paſſim multæ particulæ in quibus trium linguarum autores allegantur prædictarum: Et opuſculum propterea & ejus declarationes hujusmodi in nullo alio loco quam in curia S. V. in qua hominum in ipſis tribus linguis expertorum copia habetur probari vel reprobari poſſint, dignetur S. V. cauſam & cauſas prætenſæ appellationis poſterioris hujusmodi, ac contra illam forſan attentatorum quorumcunque, una cum toto negotio principali alicui ex reverendiſſimis dominis ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalibus, & ſi magis placet reverendiſſimo domino Cardinal. Grimano committere, audiendum cognoſcendum decidendum & fine debito terminandum. Cum omnibus & ſingulis incidentibus dependentibus emergentibus annexis & connexis. Et cum opportuna illius a quibuscunque judicibus in partibus illis forſan deputatis, quibus tamen commiſſio eis forte directa & nondum præſentata ſit advocatione ac poteſtate citandi & inhibendi in dicta curia & extra eam etiam per edictum, *conſtito ſummarie &c. de non tuto acceſſu*, cæteraque faciendi & fieri mandandi quæ in præmiſſis & circa ea neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet opportuna præmiſſis ac conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, quodque cauſa ſeu cauſæ hujusmodi non ſint forſan ad dictam curiam legitimæ devolutæ, neque in ea de ſui natura aut juris neceſſitate tractandæ & finiendæ. Cæterisque contrariis non obſtantibus quibuscunque habentes ſtatum & merita litis & cauſæ hujusmodi præenarratorum & aliorum hic forſan neceſſariorum exprimendorum tenores pro ſufficienter expreſſis. De mandato domini noſtri papæ audiat idem reverendiſſimus Dominicus Grimanus, & conſtito ſummarie de non tuto acceſſu etiam citet per edictum ut petitur. Placet. I. BEATISSIME pater poſtquam devotiſſimus S. V. in chriſto filius Maximilianus Romanorum imperator electus, errores quantum cum juſtitia potuerat ſubmovere, tunc cupiens aliisque rationabilibus cauſis inductus quendam libellum Speculum oculare intitulatum per quendam Joannem Reuchlin LL. doctorem adverſarium in lingua vulgari Alemanica in judaicæ perfidiæ favorem editum tanquam ſimplicium chriſti fidelium ſcandalizativum ubilibet. Ac devotæ S. V. creaturæ Moguntinenſis & Colonienſis ac Herbipolenſis & Wormacienſis archiepiſcopi & epiſcopi per ipſorum reſpectivas civitates & diœceſes ubicunque repertum vendi & publicari reſpective prohibuiſſent. Nec non idem libellus per artem impreſſoriam multipliciter ac in copioſo numero ad nundinas Francofordienſes Moguntinenſis diœceſis adductus ſub formidalibus pœnis arreſtatus. Et mercatoribus ne eundem cuiquam venderent ſub ſimilibus pœnis inhibitum fuiſſet. Et dictus Joannes adverſarius pro dicti libelli Speculum Oculare nuncupati defenſione quendam alium injurioſum novum libellum edidiſſet, & præfatus Maximilianus imperator electus Moguntinenſi Colonienſi & Treverenſi Archiepiſcopis ac hæreticæ pravitatis inquiſitoribus & cuilibet ipſorum inſolidum dictos libellos per dictum Joannem adverſarium editos & publicatos ſupprimere commiſiſſet. Et devotus S. V. Jacobus Hochſtraten ordinem S. Dominici expreſſe profeſſus in ſacra theologia magiſter, ac dictæ hæreticæ pravitatis per Moguntinenſem Colonienſem & Treverenſem provincias inquiſitor a ſede apoſtolica ſpecialiter deputatus a Collegio theologicæ facultatis univerſitatis Colonienſis ut contra dictum libellum Speculum Oculare nuncupatum ipſiusque defenſores, prout juris foret procederet legitime requiſitus fuiſſet. Idem Jacobus inquiſitor Orator præfatus mandatis & requiſitioni hujusmodi annuens, & in hujusmodi cauſa & negotio arduis mature ut decuit procedere cupiens, libellum Speculum Oculare nuncupatum prædictum cum ſuis defenſionibus & ipſius impugnatione quatuor diverſarum univerſitatum in actis ſpecificatarum ſacræ theologiæ profeſſoribus examinandum exhibuit & conſignavit, qui deſuper collegialiter congregati diverſis conſultationibus & reſolutionibus præhabitis dictum libellum ſpeculum Oculare nuncupatum tanquam intolerabilem & ab uſu humano omnino tollendum fore judicarunt & condemnarunt. Jacobus orator præfatus conſiliis tot dictæ facultatis profeſſorum præmunitus. Ac poſtquam fides & publica fama quod dictus libellus fuiſſet de veritate

ritate fidei exorbitans ac positiones suspectas ac hæresin sapientes contineret coram ipso oratore legitime facta fuisset. Idem orator contra libellum speculum Oculare nuncupatum prædictum tanquam diversas in fide erroneas ac reprobatas positiones continentem instituisset, ac dictum Joannem Reuchlin adversarium ejusdem libelli editorem, quatenus sua interesset ac quoscunque alios sua communiter vel divisim interesse habuisse, ipsumque libellum defendere prætendentes ad civitatem Moguntinensem ad certos terminum & locum tunc expressos citari fecisset. Et deinde Joannes adversarius multas & diversas frivolas suspicionis causas contra Jacobum inquisitorem oratorem præfatum ejusque personam objecisset. Ac idem orator processum prædictum per ipsum ut præfertur institutum abbreviandi causa officio accusatoris & delatoris sibi duntaxat reservato, ac se ab officio cognoscendi & in causa & in causis hujusmodi diffiniendi exonerando causam & causas easdem certis commissariis in actis specificatis per bonæ memoriæ Vrielem archiepiscopum Moguntinensem specialiter deputatis audiendas cognoscendas decidendas & in fine debito terminandas reliquisset. Et aliquali processu coram eisdem commissariis inchoato Joannes adversarius præfatus a quadam interlocutoria sententia & certis aliis gravaminibus conflictis tunc expressis ad S. V. sanctamque sedem apostolicam appellasse dicitur, ac causam prætensarum appellationis & appellationum hujusmodi, postquam dicti commissarii pro tribunali ad in causa & causis hujusmodi pronunciandum sedissent. Et præfatus Vriel archiepiscopus Moguntinensis commissarios hujusmodi ad dicti Joannis adversarii ut creditur instantiam revocasset, ac Jacobus orator præfatus ab ulteriori processu in causa inquisitionis hujusmodi se abstinuisset, per eandem S. V. reverendis patribus dominis Wormacienſi & Spirensi episcopis vel eorum alteri audiendam & fine debito terminandam committi obtinuit. Cujus prætensæ commissionis surreptitie & obreptitie extortæ vigore certi commissarii per reverendum patrem dominum Georgium episcopum Spirensem subdelegatum præfatum oratorem ad dicti Joannis adversarii instantiam ad locum ad quatuor dietas a fine diœcesis oratoris distantem etiam contra formam dictæ prætensæ commissionis citari mandarunt, prout citatus extiterat, & oratore per procuratorem in termino citationis legitime comparente. Cum idem orator nonnullas exceptiones, surreptionem & obreptionem & invaliditatem dictæ commissionis deducendas exhibuisset. Et quod nisi eisdem exceptionibus discussis ad ulteriora procedi non deberet protestatus fuisset, dicti commissarii præmissis non attentis se exceptionibus hujusmodi tacite rejectis judices competentes sententialiter pronunciarunt, & quamvis ab hujusmodi judicium competentium pronunciatione ac dictarum exceptionum tacita rejectione, aliisque gravaminibus in appellatione seu appellationibus desuper interjectis latius expressis pro parte dicti oratoris ad eandem S. V. sanctamque sedem apostolicam appellatum fuisset. Et idem orator eidem appellationi semper adhæsisset. Et cum alter per dictum dominum Georgium episcopum subdelegatorum in causa & causis hujusmodi etiam usque ad conclusionem causæ inclusive processisset præfatus dominus Georgius episcopus Spirensis delegatus causam & causas ad se advocavit. Et postquam appellatio prædicta pro parte dicti oratoris interposita sibi insinuata fuisset libellum Speculum Oculare nuncupatum prædictum de & super quo & illius validitate agebatur antea semel per certum alium dictæ pravitatis inquisitorem judicialiter condemnatum per prætensam diffinitivam in dicti Joannis adversarii, & contra oratorem præfatum cum expensarum condemnatione justificavit sententiam a qua prætensa diffinitiva sententia per dictum dominum Georgium episcopum delegatum ut præfertur lata ac toto prætenso processu ipsius occasione quomodolibet habito & facto iterum pro parte Jacobi inquisitoris oratoris præfati ad S. V. & sedem prædictas legitime appellato. Cum autem pater sancte causa hujusmodi sinceritatem fidei christianæ & sanctam Catholicam ecclesiam, cujus eadem S. V. sponsus & propugnator existit, concernens, adeo ardua est, ut nullibi quam apud S. V. & sedem apostolicam tractari conveniat ne tunica inconsutilis domini zizania satanæ crucis Christi inimici dissolvi possit. Dignetur igitur eadem S. V. ad ipsius Jacobi inquisitoris oratoris præfati preces, qui pro fide catholica ut decuit multos frequenter labores subiit & se pro defensione causæ hujusmodi personaliter ad Romanam curiam divertit, causam & causas hujusmodi a quibuscunque judicibus tam in partibus quam in dicta Romana curia coram quibus causa hujusmodi instructa non existit, quibus forsan eadem causa & causæ per eandem S. V. commissæ reperirentur ad se advocare illamque & illas nec non causam & causas singularum appellationis & appellationum pro parte dicti oratoris ut præfertur succesſive ad eandem S. V. interpositæ & interpositarum, nullitatis & nullitatum dictæ prætensæ diffinitivæ sententiæ per dictum dominum Georgium episcopum delegatum latæ, omniumque & singulorum, processuum per eundem dominum Georgium & assertos commissarios per ipsum subdelegatos, ac coram eis quomodolibet habitorum & factorum ac revocationis commissariorum per dictum Urielem archiepiscopum Moguntinum ut præfertur factæ attentatorumque & innovatorum quorumcunque una cum toto negotio principali duobus reverendissimis dominis Cardinalibus sancti Marci & sancti Eusebii qui sunt in deputatione sacri Lateranensis concilii in negociis fidei deputati, summarie simpliciter & de plano sine strepitu & figura judicii sola facti veritate inspecta committere audiendum, cognoscendum, ac sacro lateranensi concilio referendum. Cum omnibus singulisque suis incidentibus, emergentibus, dependentibus annexis & connexis, ac potestate dictum Joannem Reuchlin adversarium omnesque alios & singulos sua communiter vel divisim interesse putantes ac contenta in dicto libello speculo Oculari nuncupato defendere volentes in executione citationis præsentium vigore decernendæ nominandos in dicta Romana curia extra eam & ad partes etiam per edictum publicum, *constito summarie &c. & extra judicialiter de non tuto accessu* citandi, eisque & aliis, quibus & quoties opportu-

portunum viſum fuerit etiam ſub excommunicationis aliisque ſententiis, cenſuris eccleſiaſticis, etiam pecuniariis, arbitrio commiſſariorum aut alterius eorundem, moderandum, ac cum reſpectivis medietatibus more ſolito toties quoties committum fuerit applicand. pœnis, & in eventum contraventionis. Cum poteſtate contravenientes ac rebelles cenſuras & pœnas hujusmodi incurriſſe declarandi ipſosque contraveniendi, ac illos ac proceſſus habentes aggravandi reaggravandi interdictum eccleſiaſticum ponendi ac auxilium brachii ſecularis invocandi. Cæteraque alia in præmiſſis neceſſaria & opportuna faciendi & exercendi ac fieri mandandi præmiſſis ac conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, ſtilo palatii, juribusque quodque cauſa & cauſæ hujusmodi ad dictam Romanam curiam legitime devolutæ ſeu in ea de ſui natura aut juris neceſſitate tractandæ ſeu finiendæ non exiſtant, cæterisque contrariis non obſtantibus quibuscunque ſtatum & merita cauſæ & cauſarum hujusmodi, omniumque & ſingulorum præmiſſorum & aliorum de neceſſitate forſan hic exprimendorum tenores pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes. De mandato domini noſtri papæ audiant præfati reverendiſſimi Cardinales ſancti Marci & ſancti Euſebii, *Et conſtito ſummarie etiam extra judicialiter de non tuto accesſiſſe* citent. Inhibeant etiam ſub cenſuris & aliis præmiſſis pœnis, & per edictum referant ut petitur. Placet. I. Pater ſancte quamvis pro parte præfati oratoris dicta prætenſa diffinitiva ſententia per dictum dominum Georgium electum, aſſertum delegatum, ut præfertur lata infra tempus debitum ad S. V. & ſedem prædictas appellatum, & de intimando eandem appellationem debita diligentia facta fuiſſet. Nihilominus dictus Joan. Reuchlin adverſarius prætendens licet falſe dictam prætenſam diffinitivam ſententiam in rem judicatam tranſiviſſe, ſuis ſiniſtris favoribus tantum procuraſſe dicitur, ut idem dominus Georgius electus qui tamen dictam appellationem a præfata diffinitiva ſententia, interpoſitam ſibi infra terminum juris, ad petendum apoſtolos inſinuatam pro inſinuata ſe habere dixit, certas prætenſas literas executoriales, ſuper eadem prætenſa diffinitiva ſententia per appellationem ut præfertur ſuſpenſa & expenſarum taxatione per ipſum facta decreviſſe dicitur, licet nulliter & de facto, quæ forſan etiam eidem oratori inſinuatæ exiſtunt. Et forſan etiam idem orator ob earundem literarum executori alium non paritionem quibus parere non tenebatur etiam poſt itineris ad Romanam curiam veniendi arreptionem, prætenſas ſententias & cenſuras, in eisdem literis executorialibus contentas incidiſſe declaratus, aut etiam aggravatus, reaggravatus & interdictus exiſtat. Ne igitur pater ſancte impoſterum de viribus præinſertis ac proceſſus ejusdem præinſertis, vigore forſan habiti & habendi, dubitari ipſeque præinſertam de ſurreptionis & obreptionis vitio ac alias invaliditate impugnari poſſet, ex eo quod in eadem præinſerta, de dictarum literarum executorialium decreto, & expenſarum taxatione ac alias de proceſſu in negotio declarationis: forſan habita mentio facta non exiſtit. Et grave foret præfatum oratorem omnino nullum ſtipendium ex officio inquiſitionis dictæ pravitatis habentem, & ordinem S. Dominici prædicatorum mendicantium profeſſum, dictam cauſam ſuis propriis ſumptibus & expenſis, fidei zelo defendentem diutius impenſis & incommoditatibus litis fatigari debere, & ſeſſiones dicti concilii quarum paucæ in anno inſervantur, & in quibus majores cauſæ tractari & diſcuti conſueverunt, pro reſolutione dictæ cauſæ quæ per theologos & ſacræ ſcripturæ magiſtros faciliter diſcuti poſſet cum expenſarum & temporis diſpendio expectare dignetur eadem S. V. ad dicti Jacobi oratoris inſtantiam qui ut præfertur fidei zelo ad hujusmodi cauſæ defenſionem inductus exiſtit, præfatis duobus reverendiſſimis dominis Cardinalibus in facultate & commiſſione omnes & ſingulas cauſas prædictas audiendi & cognoſcendi ac ut ſubjungitur referendi Reverendiſſimum dominum Bernardinum Cardinalem S. Crucis, etiam ſacræ theologiæ profeſſorem & magiſtrum exiſtentem adjungere, eisque committere & mandare, ut conſtito eis ſeu eorum alteri de appellatione a dicta prætenſa diffinitiva ſententia ut præfertur interpoſita, & ipſius inſinuatione infra terminum juris ad petendum apoſtolos præfixum facta in ſingulis cauſis prædictis ut præfertur vigore præinſertæ commiſſionis juxta ejusdem præinſertæ vim formam continentiam & tenorem, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi de decreto dictarum literarum executorialium & aliis præmiſſis in eadem præinſerta mentio facta fuiſſet, ad ulteriora procedant, illasque ſimiliter ulterius audiant & cognoſcant. Et poſtquam cauſæ ſufficienter per reverendiſſimos dominos Cardinales cognitæ fuerint in dicto ſacro concilio juxta formam præinſertæ fideliter referant, partibus ipſis juſtitiam miniſtrando cum poteſtate citandi & inhibendi ut præfertur, ac ſi quid de jure exequendum fuerit exequendi, nec non eundem oratorem ab omnibus & ſingulis ſententiis & cenſuris eccleſiaſticis, in & contra ipſum præmiſſorum forſan occaſione latis, per ſe vel per alium ſeu alios ſi & prout juris fuerit, ſimpliciter etiam ad cautelam abſolvendi, ac facultate ſingulos terminos ſubſtantiales, ac alios actus judiciales coram dictis dominis Cardinalibus conjunctim, ſeu altero ipſorum ſeorſum obſervandi & tenendi, cæteraque alia in præmiſſis & circa neceſſaria & opportuna faciendi, exercendi, mandandi & decernendi, præmiſſis ac conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis ſtilo palatii cæterisque contrariis non obſtantibus quibuscunque. De mandato domini noſtri papæ audiant præfati reverendiſſimi domini Cardinales adjuncto reverendiſſimo domino Cardinali S. Crucis citent, & conſtito de aſſertis procedant, & in eventum prædictum referant & exequantur, mandent & decernant ut petitur, abſolvant etiam ad cautelam per ſe vel per alium ſi & prout de jure Placet. I. BEATISSIME pater exponitur S. V. pro parte devotorum illius oratoris Arnoldi de Tungaris & aliorum univerſitatis ſtudii Colonienſis in theologia magiſtrorum, quod olim poſtquam devotiſſimus veſter & ſanctæ Romanæ eccleſiæ filius Maximilianus Romanorum Imperator electus, devotæ creaturæ veſtræ moderno archiepiſcopo Moguntino principi electori, & per germaniam ipſius imperii archicancellario mandaverat, quatenus habito conſilio magiſtrorum

rum & doctorum nonnullarum universitatum, studiorum generalium alemaniæ, ac Inquisitoris hæreticæ pravitatis, & nonnullorum aliorum privatorum hominum, an deo gratum & acceptum foret, & ad fidei nostræ exaltationem & augmentum cederet, ut a judæis tolerentur OMNES LIBRI, quibus ultra libros veteris testamenti utuntur, & in sua perfidia foventur, se diligenter informent: Et præfati magistri universitatis Colonienſis juxta mandatum eis per archiepiscopum factum eorum ordinationem & deliberationem super hoc de consilio aliorum seniorum, aliarum facultatum dictæ universitatis ad ipsum archiepiscopum miserant, ac diversarum aliarum universitatum studiorum generalium illarum partium, doctores & magistri spiritu sancto cooperante in hujusmodi ordinationem convenerant. Ac quidam Jo. Reuchlin laicus CONSTANTIENSIS vel alterius diœcesis LL. doctor se in lingua hebraica expertum esse prætendens, per eundem archiepiscopum ad consilium suum super hoc dandum, ut dicitur, requisitus, rectamque viam veritatis ingredi nolens, suam ordinationem seu consilium omnium aliorum prædictorum ordinationibus seu consiliis contrarium in lingua vulgari dare non expaverat. Ac postquam plures fideles christi ad quos hujusmodi consilium pervenerat, scandalizati, considerantes quod si illud divulgaretur pernicioſa exempla & scandala tam inter christianos quam judæos in futurum incitarentur, contra illud objecerant, increpando, arguendo & reprehendendo. Ac idem Joannes ambitione potius & inani gloria quam veritatis amore stimulatus, dictum suum consilium vulgaribus publicaverat, seu publicari & imprimi ac publice venundari fecerat & permiserat, ac quam plurimi christiani dicto consilio per eos lecto plurimum scandalizati fuerant. Judæis vero ex hoc gloriantibus, asserentibus, quod eis inter doctores christianos non deessent qui eorum partes tuerentur, licet præfati oratores cum præmissa ad eorum notitiam devenissent, cupientes hujusmodi scandala de medio submovere, inspicientes hujusmodi consilium judaici favoris plenum, ac propositiones & articulos male sonantes in se continere, cum præfatum Joannem fraterno amore per diversas eorum literas monuissent & rogassent, ut mentem suam super hujusmodi articulis declararet, prohiberetque in quantum posset, tales libros seu articulos vendi & publicari, ac eidem Joanni postquam ipse receptis earundem magistrorum & professorum literis callide agens ac simulans se errores in dicto libello seu consilio insertos ignorare, ac eisdem magistris & professoribus ut in indicem qui hujusmodi errores corrigeret, ad eum mitterent scripserat, & cum indicem articulorum erroneorum suis scriptis ad eum misissent, ac singulis articulis erroneis causas, rationes & autoritates sibi in scriptis assignassent. Et deinde cum idem Joannes præmissis & diversis aliis monitionibus per eosdem magistros sibi factis non obstantibus hujusmodi errores corrigere recusaret, per diversas civitates & diœceses illarum partium ne hujusmodi libri venderentur, & si qui reperirentur secundum juris formam arrestarentur inhibitum fuerit, ac præfati magistri & professores hujusmodi scandala in totum eradicare cupientes habita inter se matura deliberatione præfato Arnoldo quatenus ea quam per ipsos magistros in dicta facultate contra consilium & articulos dicti Joannis allegata fuerant, recolligeret, & in modum libelli redigeret, ac imprimi faceret, commisissent, ac idem Arnoldus libellum contra consilium & articulos dicti Joannis ediderit, & illud per eosdem magistros approbatum, ac idem imperator illud imprimi mandaverit, tamen idem Joannes videns hujusmodi errores suos in vulgus prodire, & dictus Joannes quo spiritu ductus nescitur nisi maligno, certum alium librum injuriis, spurciciis, ignominiis, aliisque conviciis, contumeliis, opprobriis & maledictis plenum, ederet & omnia fere vocabula græca & latina ad maledicendum apta, in eodem suo libello insereret. Cumque sibi verba græca & latina deessent, alia excogitare, quibus honorem & integritatem, nedum Arnoldi & aliorum magistrorum prædictorum, sed etiam ipsam facultatem theologiæ & fidem catholicam lædere & gravare posset non expavit. Cum autem S. pater præmissam fidem apostolicam & universalem ecclesiam illiusque unitatem concernant, & propterea causa merito ut de majoribus causis ad S. V. deferenda esset. Nihilominus tamen illa in partibus quoad probationem necessarias inibi faciendas melius & commodius in prima instantia cognosci & agitari poterit. Supplicatur igitur humillime S. V. pro parte dictorum oratorum, quatenus in præmissis opportune providentibus ipsosque specialibus gratiis prosequentibus ac causam & causas præmissorum occasione pro parte dicti Joannis quibusvis judicibus in Romana curia vel extra eam, forsan contra oratores vel eorum aliquos, seu quoscunque alios, commissas, attento quod oratoribus de hoc non constat ad S. V. advocandum aliquibus probis viris in partibus illis commorantibus, sub excommunicationis latæ sententiæ & trium millium florenorum auri de camera cameræ apostolicæ persolvendum nisi commissionem hujusmodi adimpleverint, seu distulerint, vel recusaverint adimplere, absque alia declaratione solvendorum pœnis, committere & mandare dignemini, ut omnes & singulas quas ipsi oratores & eorum quilibet contra dictum Joan. Reuchlin, omnesque alios & singulos alias dicto Jo. adhæsuros & adhærentes & eorum complices, ac quoscunque alios sua communiter vel divisim interesse putantes tam conjunctim quam divisim movere intendunt causas, cum omnibus & singulis suis incidentibus emergentibus annexis & connexis etiam summarie simpliciter & de plano sine strepitu & figura judicii sola facti veritate inspecta, audiant, cognoscant & appellatione remota decidant & terminent, cum potestate citandi, & per edictum publicum *constito summarie de non tuto accessu*, ac inhibendi, & quæcunque mandata monitionis & inhibitionis necessaria & opportuna contra ipsos citandos & inhibendos, sub excommunicationis latæ sententiæ, & aliis ecclesiasticis ac etiam pecuniariis pœnis, nec non privationibus, beneficiorum suorum & aliorum bonorum, tam contra ecclesiasticos quam seculares personas cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis & conditionis etiamsi episcopali, archiepiscopali, aut alia ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate decernendi & exequendi aliaque in præmissis &

circa

circa ea neceſſaria ſeu quomodolibet opportuna faciendi de gratia ſpeciali, non obſtant. præmiſſ. ac ſe. re. Boni papæ VIII. S. V. prædeceſſoris de una, & concilio generali edita de duabus dietis, dummodo non ultra quinque quibusvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis & ſtatutis & conſuetudinibus, nec non privilegiis indultis literis apoſtolicis tam de jure communi quam alias etiam quibusvis civitatibus, univerſitatibus, collegiis & congregationibus ac perſonis etiam cauſis ſtudiorum a quibusvis Romanis pontificibus ac imperatoribus ſub quibusvis verborum in genere vel in ſpecie conceſſis, quibus omnibus latiſſime extendentibus derogare placeat, cæterisque contrariis quibuscunque, ſtatum cauſæ & cauſarum, ac monitionum literarum & conſiliorum, articulorum & libellorum aliorumque præmiſſorum tenores, ac omnia & ſingula hic forſan de neceſſitate exprimenda præſentibus pro expreſſis habentes. Conceſſum ut petitur in prælentia domini noſtri papæ L. Car. Agennen. & per breve S. S. hac ſupplicatione introcluſum attenta materia fidei Catholicæ, Conceſſum L. Agennen. Datum Romæ apud ſanctum Petrum XII. kalendas Marcii Anno primo.

Pater ſancte præfati S. V. oratores eo tempore quo inſertam ſupplicationem S. V. porrigi fecerunt, credebant ſe in partibus conſequi poſſe contra eundem Jo. Reuchlin in cauſa & cauſis prænarratis juſtitiæ complementum. Verum nunc experientia edocente non credunt ſe ab aliquibus perſonis in partibus infra quinque dietas, a fine diœceſis in qua dictus Joannes habitat, commorantibus poſſe conſequi propter multiplices & inordinatos favores quos idem Joan. procurante ut etiam creditur, id perfidorum Judæorum pecunia, juſtitiæ complementum. Nam cum anno nondum elapſo, pro parte inquiſitoris hæreticæ pravitatis contra eundem Joannem inde & ſuper cauſa & cauſis ex quibus cauſæ quæ nunc a S. V. committi petuntur, pullularunt, legitimus fuiſſet inſtitutus proceſſus, & eo usque in cauſa proceſſum, quod nihil aliud quam ſententiam contra eundem ferre reſtaretur, tamen ſuis inordinatis favoribus effecit, quod a judicibus ipſis quibus eædem cauſæ a reverendiſſimo tunc Archiepiſcopo Moguntino commiſſæ fuerant ſublata fuit per ipſum committentem ab ipſis commiſſariis, ad hoc per eundem deputatis, pronunciandi & contra eundem ſententiandi facultas. Simili quoque modo & de hoc præſenti anno reverendus P. D. electus & confirmatus Spirenſis in favorem ejusdem Joannis & contra inquiſitorem hæreticæ pravitatis, in cauſa fidem catholicam & illius zelum & defenſionem concernentem præcipitavit procedendo parte inquiſitoris minime uti debuit audita. Cauſarumque meritis non diſcuſſis, dicto Joanni nimium ut creditur favendo, diffinitivam inquam quidam & injuſtam prout & id ſuo tempore procul dubio conſtabit promulgavit ſententiam, ſcandaloſam quidem, & exemplo quoad ſinceritatem fidei chriſtianæ perniciolſiſſimam, quæ libellum ſeu libellos a dicto Joanne publice editos, errores plures, & pernicioſa dogmata, & a ſinceritate fidei chriſtianæ aliena in ſe continentes uti ſanos & probatæ lectionis approbavit ut dicitur & confirmavit, ut igitur cauſæ ipſæ quæ nunc committi petuntur celerius in juſtitia terminentur quod quidem fieri nequit niſi in Romana curia ubi fons juſtitiæ ſine perſonarum acceptione exiſtit, cauſa & cauſæ hujusmodi decidantur. Iccirco recurrunt iidem oratores ad pedes S. V. humiliter ſupplicando quatenus eadem S. V. dignetur cauſam & cauſas hujusmodi, etiam quarumcunque injuriarum aut quibusvis judicibus in partibus commiſſionis ad ſe advocandum alicui ex reverendis P. D. veſtri ſacri palatii apoſtolici cauſarum auditoribus aut illorum locum tenentibus committendum etiam ſummarie ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii facti veritate inſpecta præterquam in cauſa injuriarum, audiendum, decidendum cognoſcendum fineque debito terminandum, una cum omnibus & ſingulis ſuis emergentibus incidentibus dependentibus annexis & connexis, attentis præmiſſis, & quod cauſa & cauſæ hujusmodi ex zelo & defenſione fidei catholicæ emanarunt, & ortum habuerunt & habent, & quod cauſa principalis ex qua & cauſæ hujusmodi occaſionem traxerunt ſit fidei, & in Romana curia ad inſtantiam Inquiſitoris hæreticæ pravitatis, contra eundem Joannem commiſſa ex cujus deductione & deciſione etiam clare conſtabit quam graviter & atrociter idem Joannes dictis oratoribus fuerit & ſit injuriatus, cum poteſtate in Romana curia & extra eam in partibus, tam ipſum Joannem & complices illius & adhærentes ac in præmiſſis quomodolibet culpabiles & alios quoscunque in executione citatione hujusmodi nominandi etiam per edictum publicum, *conſtito de non tuto acceſſu* citandi & inhibendi quibus & quoties inhibendum fuerit, aliaque faciendi & exercendi, quæ in præmiſſis & circa ea neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet opportuna, præmiſſis & conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, & aliis in fine præinſertæ commiſſionis expreſſis ſtilo palatii & cancellariæ regulis, quodque cauſa & cauſæ hujusmodi non ſint forſan ad Romanam curiam legitime devolutæ, neque in ea de ſui natura aut juris neceſsitate tractandæ & finiendæ, cæterisque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuscunque ſtatum & merita cauſæ & cauſarum hujusmodi, ac omnium & ſingulorum ſorſan hic latius exprimendorum tenores pro ſufficienter expreſsis habentes. Placet domino noſtro papæ L. Cardinal. Agenen. BEATISSIME pater, cum olim ſupradictus Jo. Reuchlin L L. doctor græcæ, latinæ, hebraicæ & politioris germanicæ literaturæ peritus ad requiſitionem invictiſſimi filii Maximiliani imperatoris electi, hebræorum libros paſſim igni non cremandos juſtiſſime & catholice conſuluiſſet. Et quidam illiteratus baptizatus judæus contra rectiſſimam ipſius Joan. Reuchlin conſultationem in ipſius Jo. doctoris ignominiam, injuriam, & infamiam non ſine quorundam Colonienſium aſſertorum theologorum, ut præſumitur inſtigatione, librum quendam Manuale ſpeculum nuncupatum & intitulatum ignominioſe ad ipſius pudorem lædendum, ac famam & bonam opinionem lacerandam ediditſet, divulgaſſet ac venum præbuiſſet. Idem Jo. Reuchlin iccirco neceſsitate coactus ad defenſionem honoris & famæ ſuæ, etiam librum

ſui contra hujusmodi Manuale ſpeculum, excuſatorium ſub nomine Ocularis ſpeculi ad innocentiam ſuam oſtendendam omnibus viris aliqua eruditione inſignibus acceptum publicaſſet. Ac theologi Colonienſes in commisſionibus prædictis nominati, quorum tunc quidam F. Jacobus Hochſtraten pro ſacræ theologiæ & ordinis prædicatorum profeſſore ſe gerens decanus extiterat, una cum Arnoldo Tungaro eorum ad hoc mandatario, non ſine invidia, ut præſumitur, celeberrimam eruditionis ac doctrinæ ipſius Joannis famam, & prædictam ejus innocentiæ declarationem obliterare, maculare, extinguere, ipſiusque Joannis Reuchlin legitime excuſationis librum ſtatumque & conditionem per librum eorundem diffamatorium, ineptum & ſophiſticum denigrare præſumpſiſſent, prout præſumpſerunt. Et iccirco ipſe Joannes iterum neceſsitate ſuadente contra calumnias iſtorum ex imperitia linguæ politioris germanicæ, & alias injuriandi libidine, contra ipſum inſurgentium, librum apologeticum & defenſivum, in quo inter alia juſtis de cauſis, provocatus eorundem ignorantiam errorem & inſcitiam oſtenderet prout legibus promiſſum erat conſcripſiſſet & edidiſſet, ac demum publice in judicio produxiſſet. Idem adverſarii ſupradicti in ſupradictis commiſſionibus nominati, ignorantiæ tenebris cæcutientes, quamvis ſcribendi ſuper præmiſſis contra eundem viam elegerint, ac ipſum ad reſpondendum illis provocaverint, poſt defenſiones ſuas clariſſimas palæſtræ ſecum ſcriptis certandi inutiles ſeſe ut præſumitur conſpicientes & inermes, literatoria pugna æquo marte ſuffugientes bellare, poſtcaquam ſua plurifaria doctrina multarumque linguarum cognitione perterriti ſcribendi viciſſitudinario officio terga dediſſent, & non haberent quo ipſum ultra ſcriptis læderent, falſiſſimis quibusdam perverſiſſimisque ſuggeſtionibus & cautelis juxta aliqualem narratorum adverſariorum prædictorum partem a nonnullis impetrarunt, ut cauſa indicta libri ſui ſupprimi, ignique tradi, & eorum libri in propatulo ſine ulla reprehenſione in manibus omnium in ipſius injuriam & contumeliam verſari deberent, ut ſic dicto oratori ignominiam perpetuam inurerent, & ſuorum ſcriptorum calumnioſorum defenſionem præriperent. Et propterea falſo conſinxere libellum Oculare ſpeculum nuncupatum, & pro ipſius oratoris juſtiſſima & ſummopere contra judæi baptizati ſcripturas famoſas neceſſaria defenſione editum, chriſti fidelibusque utilem, & minime pernicioſum, nec judaicæ perfidiæ favorabilem, aut ſimplicium fidelium ſcandalizativum, & nedum ut calumnia hujusmodi ipſum Jo. reum facerent, ſed ultro ſine cauſa, nulla injuria provocati, ut apparet ſeſe ulciſcerentur, medio ipſius Jacobi, primum partis, & deinde inquiſitoris, ut ſic ſuam inſcitiam & ignorantiam extra limina recti judicii vindicarent, ſub colore inquiſitionis oratorem ipſum excogitarunt inquietare, moleſtare, perturbare, expenſis & laboribus fatigare, & quaſi nequitias hujusmodi facerent autoritate proborum, ſe munitos quatuor diverſarum univerſitatum theologicæ facultatis Judiciis & conſiliis aſſeruerunt; & tamen ut indubium eſt & nemo niſi deſipiat credere poſsit, contra fundata jura ipſius oratoris nunquam a veris philoſophis & theologis ulla conſilia & judicia niſi philoſophos & theologos illos exquiſitis modis fefellerit, & oratoris ſcripta pro libito propriæ voluntatis falſo illis interpretati fuerint, & libellos oratoris decerpſerint, mutilaverint, & detruncaverint, habuiſſe & habere, præmisſisque injuriis nondum ſatiati ad deteriora prolabentes, ut tandem in vulgo ut præſumitur qualis ſcientiæ ipſorum famam popularem aucuparentur, & inſcitiam ſuam & errorem ut apparet ſub ſcuto judiciorum publicorum palliarent dictum Joannem virum innocentem & probum variis exquiſitis modis ipſius Jacobi proceſſu, partis & judicis vices ſungentis, læſerunt & gravarunt. Et propterea pro parte Joannis præfati legitime appellato & ſuper appellationem in literis apoſtolicis in forma brevis obtentis, & demum ſecundum quod in præinſerta ipſius commisſione narratur, ſententia rite lata & nulla appellatione legitima ſuſpenſa executioni debitæ demandata, iidem adverſarii conjunctim & diviſim ſupra ſcriptas exorbitantes commisſiones ad diverſos & varios judices, ut orator ſumptibus & laboribus fatigaretur, & continentiæ cauſarum dividerentur ſurrepticie & obrepticie ex falſis narratis extorſerunt: Et ne cauſa celerius experiretur non ſine gravisſima calumnia ad diverſos reverendisſimos dominos Cardinales quos difficile eſt convenire & propter alia ardua eis incumbentia negotia liti finem imponere, ſub magnis fruſtrationibus & dilationibus ad referendum ſacro Lateranenſi concilio, ſubdola narratione quod cauſa hujusmodi ſinceritatem fidei chriſtianæ ac catholicam ſanctam eccleſiam concernat impetrarunt. Cum itaque pater ſancte in dictis libris Joannis oratoris ſolum factum mores & jus poſitivum tanguntur, & nulla ſint comprehenſa catholicam fidem prout adverſarii doloſa ſuggeſtione S. V. expoſuerunt concernentia, vel hæreſin vel blaſphemiam ſapientia, hujusmodique prædicta & in commiſſionibus adverſariorum deducta ad impediendum legitimam ſententiæ latæ executionem perperam excogitantur, prout ex actis cauſarum hujusmodi conſtat evidenter. Et propterea S. V. ac ſedis apoſtolicæ filius Maximilianus Romanorum Imperator Electus ac devota creatura veſtra Matthæus S. angeli diaconus Cardinalis & alii principes, prælati, civitates, & communia partium illarum. Quibus innocentia dicti Joannis eſt nota quos propter tamen ingentem numerum & excelſiſſima dignitatum columina, & exploratæ veritatis indicia non veriſimile, neque ambigendum, pro dicto oratore intercedere voluiſſe, niſi morum ipſius integritas, vitæque ſanctitas quibus perpetuam vitæ lineam ſine quavis labecula duxit, illis ad unguem perſpecta fuiſſet, pro celeri cauſæ hujus expeditione S. V. ſupplicarunt & ejus innocentiam approbarunt & atteſtati fuerunt, prout S. V. ex literis ipſorum principum ſecularium & eccleſiaſticorum & aliorum prælatorum & civitatum communiumque indubie habet exploratum. Dignetur igitur S. V. omnes & ſingulas commiſſæ proximæ præinſertas & pro dictis partibus adverſis impetratas, ad formam juris communis reducere, ac cum opportuna advocatione cauſæ & cauſarum prædictarum quatenus inſtructæ non fuerint in dictis commisſionibus pro partibus hujusmodi hinc inde impetratis expreſſe & expreſſarum, duobus & non

tion pluribus S. Romanæ eccleſiæ Cardinalibus ne partes litigantes cum diſpendio ad plures judices diſcurrere habeant, neve lites quodammodo fiant immortales, ut ad executionem præinſertarum commiſſionum juxta earum formam & continentiam procedant, ac omnes & ſingulas cauſas prædictas in commiſſionibus prædictis contentas inſolidum audiant, cognoſcant, decidant, & fine debito terminent. Et ſi ſententiam pro parte dicti oratoris latam in rem judicatam tranſiviſſe, & legitime executioni demandatam eſſe conſtiterit, ipſam executioni debite & totaliter per excommunicationis ſententiam & alias pœnas & ſententias ac cenſuras eccleſiaſticas in literis executorialibus contentas demandent, ac non parentes & rebelles quoſcunque tam conjunctim quam diviſim excommunicationis ſententiam & alias pœnas ac cenſuras eccleſiaſticas in literis executorialibus contentas incidiſſe & incurriſſe declarent & aggravent, reaggravent interdicant, auxilium brachii ſecularis invocent, cæteraque in præmiſſis & circa ea neceſſaria & opportuna faciant & exequantur. Ubi vero de re judicata non conſtiterit, & opus ſit, conſtito cauſam & cauſas prædictas ex actis cauſæ hujusmodi habitis facti morum & juris poſitivi duntaxat ut præfertur exiſtere, præparatoriis judiciorum rejectis patefacta veritate ex actis autenticis inſtantiarum in hujusmodi cauſa habitarum, cauſam & cauſas hujusmodi ſummarie ſimpliciter & de plano ſine ſtrepitu & figura judicii audiant, cognoſcant, decidant, & quod juſtum fuerit appellatione remota decernant, cum poteſtate citandi & inhibendi, cæteraque faciendi & fieri mandandi quæ in præmiſſis & circa ea neceſſaria fuerint ſeu quomodolibet opportuna committere & mandare dignemini de gratia ſpeciali præmiſſis ac conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis quodque cauſa ſeu cauſæ hujusmodi non ſint forſan ad Romanam curiam legitime devolutæ neque in ea de ſui natura aut juris neceſſitate tractandæ & finiendæ cæterisque contrariis non obſtantibus quibuscunque habentes ſtatum & merita litis & cauſæ hujusmodi & aliorum hic forſan exprimendorum tenores pro ſufficienter expreſſis. Attendito pater ſancte quod dictus Joannes orator vitam ſinceram, inconcuſſam, & ſanctum orthodoxæ fidei chriſtianæ ſplendorem & puritatem ut fidelis catholicus & integer chriſtianus ſemper profeſſus fuerit & profiteatur, ut liber ejusdem utiliſſimus de verbo Mirifico fideliſſime editus, cum aliis ejusdem operibus, & fama bona integraque & multifaria ejusdem eruditio manifeſte oſtendunt. Nullaque unquam favorem hæreticæ ſeu judaicæ pravitatis ſapientia conſcripſerit, quod adverſarii falſo conſinxere in præinſertis minime verentur. In fine vero dictæ ultimæ commiſſionis ſive ſupplicationis ſchedulæ ſcripta erant de alterius manus litera ſuperiori literæ ipſius ultimæ commiſſionis ſchedulæ penitus & omnino diverſa hæc verba videlicet. De mandato domini noſtri papæ audiant reverendiſſimi domini Cardinales Grimanus & S. Euſebii omnes cauſas prædictas, quatenus cauſæ non ſint inſtructæ, citent & in eventum prædictum exequantur, alioquin procedant ſummarie ut petitur declarent, aggravent &c. etiam cum invocatione, ſi & prout de jure, præmiſſis non obſtantibus. In extremitate ipſius ultimæ commiſſionis ſive ſupplicationis ſchedulæ ſcripta erant de alterius manus litera ſuperioribus literis ſimiliter penitus & omnino diverſa hæc verba videlicet. Placet, & committantur omnia Grimano & S. Euſebii Cardinalibus. I. Cujus quidem commiſſionis & certarum aliarum præinſertarum vigore in cauſa inquiſitionis & diffamationis libelli Ocularis ſpeculi intitulati, & cauſis hujusmodi per nos & coram nobis inter partes in eisdem commiſſionibus contentas, ſeu verius earundem procuratores ad omnium fere terminorum ſubſtantialium & aliorum actuum judicialium obſervationem, citra tamen cauſæ concluſionem rite & legitime proceſſo, ſubſequenter nos ad providi viri M. Joannis van der Wick in Romana curia cauſarum & egregii & circumſpecti viri domini Jo. Reuchlin LL. doctoris principalis in præinſertis commiſſionibus principaliter nominati procuratoris inſtantiam, tam in cauſa inquiſitionis & diffamationis libelli Ocularis ſpeculi intitulati, quam etiam Colonienſium injuriarum, quam nobis etiam & dicto reverendiſſimo Cardinali S. Euſebii concommiſſario noſtro jam pridem per avocationem ejusdem commiſſa extitit providum virum magiſtrum Joannem Kœtenbruer in eadem Romana curia etiam cauſarum & venerabilis & religioſi F. Jacobi Hochſtraten & Arnoldi de Tungaris aliorumque magiſtrorum in theologia univerſitatis Colonienſis ex adverſo principalium procuratorem prout de ipſorum hinc inde procuratorum procurationis mandatis nobis legitima extitit facta fides, ad videndum & audiendum in hujusmodi cauſa & cauſis more ſolito ſub excommunicationis aliisque ſententiis cenſuris & pœnis eccleſiaſticis etiam pecuniariis inhiberi literasque inhibitorias deſuper neceſſarias & opportunas extra Romanam curiam & ad partes in forma ſolita & conſueta decerni & concedi, vel dicendi & cauſam ſi quam habeat rationabilem quare inhiberi non debeat allegandi per unum ex dictis curſoribus citari mandavimus & fecimus ad horam audientiæ cauſarum more commiſſariorum conſueto. Quibus advenientibus comparuit in judicio legitime coram nobis magiſter Joannes van der wyck procurator prædictus nomine quod ſupra procuratorio, & primo expoſuit nobis & allegavit quod licet reverendiſſimus pater ac illuſtris princeps epiſcopus Spirenſis comes palatinus rheni & Bavariæ dux judex & delegatus apoſtolicus libellum Oculare ſpeculum autoritate apoſtolica ſibi commiſſa ſua diffinitiva ſententia, rite cauſa cognita de conſilio tam utriusque juris doctorum quam theologiæ magiſtrorum approbatæ lectionis declaraverit, ac per Jacobum de Hochſtraten profeſſorem ordinis prædicatorum & aſſertum Inquiſitorem. Ipſiusque domini Jo. & libri ſui inſidiatorem ac adhærentes ejusdem temerarie & injuſte diffamatum pari ſententia pronunciaverit & propterea eidem adverſario & ejus litis conſortibus & aliis ipſius domini Jo. detractoribus in commiſſione ſupra dicta partim nominatis cum eorundem adhærentibus prædicatoribus cæterisque theologis poſt appellationem ad ſedem apoſtolicam interpoſitam cauſæque commiſſionem ut præmittitur pro parte domini Jo. factam, contra leges, canones, jus divinum, & bonos mores, librum ipſum hujusmodi indi-

indirectis & obliquis viis detractorie contra evangelicam doctrinam quam profitentur diffamare & ad fororinas & fratrinas theologiæ assertæ facultates adversus judiciales sententias & judiciorum rigorem recurrere, & falsas & ementitas detractorias & diffamatorias sententias reportare, ac contra edictum, ne lite pendente juris prohibitionem & judicis mandatum, dictum dominum Jo. Reuchlin, ejusque librum ac prædicti principis judicis apostolici sententiam, de ambonibus ecclesiarum per famosas schedulas, etiam prætextu mandatorum surreptitie & obreptitie obtentorum, vituperare & diffamando, dicendo, determinando, scribendo, dictando, prædicando, aliisque siniſtris vetitis obliquis viis detrahendo, attentare & innovare, ac fere crimina læsæ majestatis libellique famosi, & vis publicæ ac privatæ per præmissa impune committere non licuerit neque liceat, ipsoque jure tam divino quam humano ac prioribus judicialibus processibus & mandatis hujusmodi facere & committere, fuerint & sint prohibita & interdicta. Nihilominus tamen ut dicta querela subjunxit prædictus Jacobus ejusque adhærentes & litis consortes nos judiciumque & jurisdictionem nostram ac legem divinam & humanam in præmissis contemnantes, ac sedem apostolicam & Romanum imperatorem scholæ Parisiensium nonnullorum theologorum, quam tum in eis est submittentes & eorundem assertorum theologorum sentimentum sententiæ diffinitivæ rite authoritate sedis apostolicæ latæ contradictorie seu contrarie in sedis apostolicæ contemptum opponentes, librum supradictum ejusque authorem diffamando ac recursus supradictos faciendo, ac contra librum ipsum prædictum & ejus authorem prædicando scribendo dictando determinando scripta determinata & dicta imprimi faciendo, aliaque varia & diversa exercendo attentarunt & innovarunt, ac attentare & innovare præsumunt in contemptum sedis apostolicæ ejusque authoritatis vilipendium ac legum divinarum & humanarum ac jurisdictionis nostræ contemptum. Quibus sic allegatis & coram nobis expositis dicti magistri Joannis kœtenbruer ex adverso procuratoris non comparentis contumaciam accusavit, ipsumque contumacem reputari, & in ejus contumaciam in causa & causis hujusmodi more solito inhiberi literasque inhibitorias desuper necessarias & opportunas sub excommunicationis aliisque sententiis censuris & pœnis ecclesiasticis etiam pecuniariis juxta & secundum dictarum præinsertarum commissionum vim formam continentiam & tenorem in forma solita & consueta decerni & concedi per nos instanter postulavit. Nos tunc Dominicus episcopus portuensis Cardinal. S. Marci judex & commissarius præfatique reverendissimi Cardinalis S. Eusebii ejusdem causæ etiam judicis & commissarii subdelegatus præfatus dictum magistrum Joan. kœttenbruer ex adverso procuratorem non comparentem reputavimus merito prout erat justitia exigente contumacem & in ejus contumaciam attendentem postulationem hujusmodi fore justam & rationi consonam quodq; in causa & causis hujusmodi sic coram nobis indecisis pendentibus nihil sit in partibus per quemcunque attentandum seu innovandum, volentesque inter partes prædictas æqualitatem servare ac ipsis dante domino justitiam ministrare ut tenemur. Iccirco authoritate apostolica nobis & præfato reverendissimo Cardinali S. Eusebii concommissario nostro concommissa & qua fungimur in hac parte vos omnes & singulos supradictos & vestrum quemlibet insolidum tenore præsentium requirimus & monemus primo secundo tertio & peremptorie vobisque nihilominus & vestrum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ & sub excommunicationis pœna, quam in vos & vestrum quemlibet, si ea quæ vobis in hac parte committimus & mandamus neglexeritis seu distuleritis contumaciter adimplere, canonica monitione præmissa ferimus in his scriptis districte præcipiendo mandamus quatenus infra sex dierum spacium post præsentationem seu notificationem præsentium vobis seu alteri vestrum factas. Et postquam pro parte egregii viri domini Joanis Reuchlin LL. doctor. principalis præfati vigore præsentium fueritis requisiti seu alter vestrum fuerit requisitus immediate sequentium quorum sex dierum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos dies pro tertio & peremptorio termino ac monitione Canonica assignamus, Ita tamen, quod in his exequendis unus vestrum alium non expectet, nec unus pro alio seu per alium se excuset accedendo propterea quo fuerit accedendum reverendissimo in Christo patri & domino domino dei & apostolicæ sedis gratia archiepiscopo Colonienſi sub interdicto ingressus ecclesiæ ejusque in spiritualibus & temporalibus vicario seu officiali generali cæterisque officialibus judicibus commissariis, delegatis, subdelegatis, ordinariis extraordinariis, quibuscunque quacunque authoritate fungentibus. Et præsertim Arnoldo tungaro & cæteris theologis, Theologiæ facultatibus, inquisitoribus & universitatibus omnibusque aliis & singulis quorum interest intererit aut interesse poterit quomodolibet in futurum quibuscunq; nominibus censeantur, & quacunque præfulgeant dignitate, de quibus pro parte dicti domini Joan. Reuchlin principalis fueritis requisiti seu alter vestrum fuerit requisitus sub excommunicationis, suspensionis & interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis & censuris, esse trium millium Ducatorum auri de camera boni & justi ponderis, pro una ipsi cameræ apostolicæ & pro alia medietatibus parti applicandorum pœnis quas ferimus in his scriptis quasque quemlibet hujusmodi nostræ inhibitioni contravenientem incurrere volumus ipso facto inhibeatis, quibus nos etiam una cum præfato reverendiſ. Cardinali S. Eusebii tenore præsentium sub similibus pœnis inhibemus ne ipsi vel eorum alter in causa & causis hujusmodi per se vel alium seu alios publice vel occulte directe vel indirecte quovis quæsito colore vel ingenio in vilipendium litis pendentis & jurisdictionis nostræ immo verius apostolicæ, aut in dicti domini Jo. Reuchlin principalis jurisque sui præjudicium & gravamen lite & causa hujusmodi sic coram nobis indecisis pendentibus quicquam attentare seu innovare, præsumant seu præsumat. Quod si secus factum fuerit id totum revocare & ad statum pristinum reducere & ad dictarum excommunicationis & aliarum sententiarum & pœnarum declarationem earumque aggravationem, reaggravationem interdicti ecclesiastici appo-

appoſitionem ac auxilii brachii ſecularis invocationem procedere curabimus juſtitia mediante præfato vero domino archiepiſcopo Colonienſi duntaxat excepto, cui ob reverentiam ſuæ pontificalis dignitatis deferimus in hac parte ſi contra præmiſſa vel eorum aliquid fecerit per ſe vel ſubmiſſas perſonas dicta ſex dierum canonica monitione præmiſſa ingreſſum eccleſiæ interdicimus in his ſcriptis. Si vero hujusmodi interdictum per alios ſex dies immediate ſequentes ſuſtinuerit ipſum in ſcriptis ſimili monitione canonica præmiſſa ſuſpendimus a divinis, verum ſi præfati interdicti & ſuſpenſionis ſententias per alios ſex dies dictos XII. dies immediate ſequentes animo quod abſit ſuſtinuerit indurato, ipſum in eisdem ſcriptis ſimili monitione canonica prævia ex tunc excommunicationis ſententia innodamus, diem vero ſeu dies inhibitionis ſeu inhibitionum veſtrarum hujusmodi atque formam & quicquid in præmisſis feceritis, ſeu alter veſtrum duxerit faciendum nobis per veſtras literas patentes aut inſtrumentum publicum harum ſeriem ſeu deſignationem in ſe continentes ſive continens remiſſis patentibus quanto citius poteritis fideliter intimare curetis. Abſolutionem vero omnium & ſingulorum qui præfatam noſtram excommunicationis ſententiam incurrerint ſive incurrerit quoquo modo nobis vel ſuperiori noſtro tantummodo reſervamus. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes literas ſive præſens publicum inſtrumentum hujusmodi noſtram inhibitionem continentes ſive continens exinde fieri, & per notarium publicum noſtrumque & hujusmodi cauſæ coram nobis ſcribam infra ſcriptum ſubſcribi & publicari mandavimus. Sigillique noſtri juſſimus & fecimus appenſione, communiri. Datum & actum Romæ apud S. Marcum in ædibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ ſub anno a Nativitate domini M. D. XV. indictione tertia, die vero veneris decima nona menſis Januarii pontificatus Sanctiſſimi in chriſto patris & domini noſtri domini Leonis divina providentia papæ decimi anno II. præſentibus ibidem venerabilibus viris dominis Demetrio Calc. Archidiacono eccleſiæ Aquileienſis & Ambroſio de popaitis Clerico Concordienſi camerariis noſtris teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et ego Jacobus Sketa Trebanus clericus Aquileienſis diœceſis publicus imperiali authoritate notarius prælibatique reverendiſſimi domini epiſcopi Cardinalis patriarchæ Judicis & commiſſarii apoſtolici Tabellio notarius, & hujusmodi cauſæ coram eo ſcriba, quia dictæ ultimæ commiſſionis dependentis præſentationis receptionis allegationis inhibitionisque decreto ſub pœnis & cenſuris omnibusque aliis & ſingulis dum ſicut præfertur agerentur & fierent una cum prænominatis teſtibus interfui, ea ſic fieri dici vidi & audivi & in notam publicam ſumpſi, & exinde hoc publicum inſtrumentum confeci, aliis vero negotiis impeditus per alium in hanc publicam formam ſcribi feci videlicet ſubſtitutum meum notarium, me aliis rebus & negotiis impedito. Ideo me ſubſcripſi in fidem robur & teſtimonium præmiſſorum cum appenſione rotundi Sigilli præfati reverendiſſimi domini epiſcopi Cardinalis patriarchæ & commiſſarii apoſtolici de ejus mandato, ſolita mea atteſtatione rogatus & requiſitus. Hac non obſtante inhibitione interea multi famoſi libelli adverſus Joannem Reuchlin lite pendente profecto ut patet modeſte quieſcentem & omnia moleſta ſine repercuſſione tolerantem a Jacobitis inordinati ſunt quibus tamen libellis nullam fidem adhibent probi viri. Scientes illos authore judæo quodam tincto editos eſſe, qui crucifer ante aliquot annos a duabus crucibus patibularibus data pecunia ut publica fama fert & notorium extat liberatus eſt. Cauſa igitur hac primum reverendiſſimo ſancti Marci Cardinali commiſſa, pro ulteriori proceſſu oblata fuit partibus citatio XIII. die menſis Januarii Anno M. D. XIV. ad concordandum de interprete libri Ocularis ſpeculi ſuper quo vertitur quæſtio, & videndum illum ſibi tradi & de fideliter interpretando jurare. Nam pro majori parte liber ille in lingua germanica editus fuit. Tunc autem electi ſunt duo interpretes alter pro fratre Jacobo & alter pro Joan. Reuchlin quibus ſtatuto die ac termino comparentibus, reviſisque hinc inde interpretationibus, oppoſuit F. Jacobus quod interpres Reuchlinus in octo locis male tranſtulerit, præfati autem Joannis Reuchlin interpres, nomine Martinus Groningus Bremenſis juris utriusque Doctor in continenti defendebat interpretationem ſuam referens negotium ad arbitros altæ alemanniæ, in qua lingua liber ille ſcriptus erat, & e veſtigio ex adverſo opponebat ipſe trecentos fere locos quos inquiſitoris interpres male verterat, qui adhuc offendi poterunt tam magni quam parvi. Multis itaque ac variis hinc inde ſuper eo dictis & replicatis, tandem interpretatio Doctoris Reuchlin fuit per judicem admiſſa & inquiſitoris rejecta. Poſtea vero ad præcedentem proceſſum ventum eſt, ex quo quidem proceſſu cognoſcitur quanto conatu & quam multo tempore laborarunt F. Jacobus & adhærentes cauſam avocare a datis judicibus & rejicere ad kalendas græcas ut ajunt aut ut ſacro Concilio interminabili & infinito committeretur, aut quod Cardinalis ſanctæ crucis & alii Jacobitarum amici adjungerentur. Cumque reverendiſſimi Judices materiam iſtam quibusdam ſacræ theologiæ doctoribus tradidiſſent viſitandam mox conqueſti ſunt Jacobitæ ſanctiſſimo domino noſtro papæ quod tanta cauſa univerſalis eccleſiæ & quidem cauſa fidei committeretur paucis hominibus, ſupplicantes quatenus adhiberentur multi alii. Ex adverſo autem pro parte Doctoris Reuchlin dicebatur quod hæc lis & iſta contentio non eſſent cauſa fidei ſed cauſa invidiæ. Et conſiſteret ſolum in facto & in jure humano, quare procedi deberet ſecundum jura & conſtitutiones prout in profanis eſſet moris & ſtili. Volens igitur papa ſatisfacere importunis precibus inquiſitoris mandavit quod reverendiſſimis dominis Cardinalibus hujus cauſæ judicibus adjungerentur plurimi aſſeſſores. Quare fuerunt ab utraque parte nominati doctores præſtantiſſimi & clariſſimi viri numero XXII. quorum ſeptem ex parte Jo. Reuchlin adhibiti ſunt, ſed duo ex ipſis abierunt, relictis cæteris quinque pro hac parte. Omnes vero reliqui pro parte Jacobitarum introducti ſunt. Ex quibus quidam magiſter theologiæ Pariſienſis repulſus fuit, eo quod ab exordio affirmaret ſe nihil poſſe dicere aut facere contra matrem ſuam facultatem Pariſienſem,

quo dicto risum astantibus movit. Unde tanquam suspectus a conventu fuit excluſus. Alius etiam quidam magiſter theologiæ ordinis prædicatorum ſua ſponte ſurrexit & abiit. Permanſerunt igitur adhuc XVIII. deputati homines celeberrimi & lumina mundi Archiepiſcopi Epiſcopi pœnitentiarii referendarii regentes in ſapientia Romana theologi. Commiſſarii fratrum minorum & magiſtri palatii fratrum prædicatorum cum Generalibus aliorum ordinum mendicantium cum multis tam in theologia quam in jure doctiſſimis viris quorum nomina dignitates & merita cum aliis rebus geſtis cito prodibunt in lucem. Poſtquam autem multæ ſeſſiones ſuper ea cauſa tentæ fuiſſent prima & item altera in Capella papæ. Deinde alia ſeſſio in templo pacis quod eſt monaſterium canonicorum regularium & alibi alia, tandem decretum fuit ut unusquisque ad certum & ſtatutum terminum ſententiam ſuam in ſcriptis afferret cum continentia cauſarum & rationum quæ eum moverent ad ſic pronunciandum. Viſis igitur a quolibet ſcriptis Jo. Reuchlin in judicio ut ſupra patuit receptis. Viſis & auditis etiam in contrarium a fratre Jacobo allegatis tandem afferentes unusquisque ſententiam ſuam cum rationibus & allegationibus roboratam convenerunt in publicam ſeſſionem, Anno domini MDXVI. ſecunda Julii præſentibus viris innumerabilibus. Et tunc primus omnium Archiepiſcopus Nazarenus ſacræ theologiæ Doctor clariſſimus, juſtificavit & approbavit Oculare ſpeculum, & condemnavit ſentimentum Pariſienſium & aliarum univerſitatum adverſus illud conſulentium. Secundus Epiſcopus Malfetanus græcus natus pariter confirmavit, & dictavit etiam F. Jacobum inquiſitorem & accuſatorem eſſe puniendum. Deinde Epiſcopus Forlivienſis pari voto, & ſic de reliquis per ordinem. Qui omnes & ſinguli pro Joanne Reuchlin ac ejus innocentia & intemerato libro ſuo tulerunt ſententiam abſolutoriam. Præter Magiſtrum palatii de ordine prædicatorum qui noviter factus fuit magiſter. Nam prædeceſſor ſuus ille ante eum magiſter palatii prius ſæpe ac publice aſſipulatus eſt innocentiæ Reuchlinianæ. Et Oculare ſpeculum tunc denuo juſſerat Romæ imprimi tanquam non ſcandaloſum ſed magis ædificativum. Cæterum quando hæc vota tot & tam illuſtrium ac præclarorum hominum audierat F. Jacobus prædicatorum inquiſitor, mox & auxilio fautorum, & præterea more curiæ mandatum ſummi pontificis impetraverat de ſuperſedendo. Timebant enim tunc Jacobitæ omnes ne reverendiſſimi domini judices apoſtolici commiſſarii tot & tantorum virorum vota imitantes mox diffinitive pronunciarent, ita diſceſſum eſt. Et omnium vota in ſcriptis producta cum ſuis rationibus in manibus domini Jacobi Sketæ notarii cauſæ hactenus permanſerunt. Major pars Reuchliniſtarum putant quod hoc inquiſitoris factum fuerit aperte contra unum juramenti calumniæ capitulum. Alii dicunt quod fuerit ſpecies notæ ſenatusconſulti Turpiliani. Stante igitur ſic ultima dominorum Cardinalium ſententia in ſuſpenſo F. Jacobus ſe obtulit articulos quos ipſe ex libro ſpeculi Ocularis cæſim membratimque extraxerat velle coram Concilio diſputare, ſed ei reſpondebatur, quod tota cauſa eſſet jam ſatis diſputata. Ideoque concluſiones & corollaria ſua, quæ præ foribus cancellariæ & alibi Romæ affixerat diripiebantur & in lutum atque pulverem conculcabantur. Et inſuper inhibitum ei fuit a reverendiſſimis Judicibus ne talia de cætero attentaret. Sic tandem inquiſitor prænominatus a curia Romana ubi jam in quartum annum ad invalidandum proceſſum Spirenſem variis modis perſonaliter laboraverat, vacuis manibus Coloniam rediit. Et adhuc manet æternumque manebit ſententia Spirenſis in vigore & honore.

Hagenoæ in ædibus Thomæ Anshelmi, Anno M. D. XVIII.
Menſe Februario.

Judicent Præſentes & Poſteri.

Bilibaldi Pirckheymeri, Cæſarei Conſiliarii, Patritii ac Senatoris Nurenbergenſis

EPISTOLA APOLOGETICA.

Impreſſa per Fridericum Peypus, Nurenbergæ ſexto Nonas Octobris
Anno ſalutis M. D. XVII.

Clariſſimo ac Excellenti Juris Doctori Laurentio Beheym Divi Stephani Babenbergæ Canonico Bilibaldus Pirckheymer. S. D.

SI cunctorum mortalium res geſtas ſcrutatus fueris, jucundiſſime ac eruditiſſime mi Laurens, ſi omnium gentium hiſtorias diligenter evolveris nullum unquam hominum genus pejus audiviſſe invenies, quam eos, qui virtutem ac ſapientiam, tanquam proprias ſibi deſumpſere ac vindicavere. Non quod per ſe virtus ipſa, vel ſapientia, vituperatione aliqua eſſet digna, ſed quia illarum prætextu, ſemper perditiſſimi quidam deliteſcentes, ea perpetrare ſunt auſi, quæ apud ſceleratos quoque nebulones reprehenſione non carerent. Nemo ſiquidem manifeſte malos, tam infenſo odio perſequi conſuevit, quemadmodum eos, qui Curios ſimulant, & bacchanalia vivunt. Quapropter apud Platonem, (*a*) perquam acriter Callicles in deſides iſtos & ignavos invehitur, qui Philoſophiæ obtentu, inutile otium & linguæ vitæque tenebras ſequuntur, oſtendens eos in angulis commurmurantes, ingenium, magnum, aut dignum quid loqui nunquam, publica & privata omnia ignorare, nilque niſi arguta ſive deliramenta, ſive nugalia exercere. Verum de Philoſophia illa non

(*a*) In Gorgia.

ſentit

sentit, quæ virtutum omnium disciplina est, quæque in publicis simul, & privatis officiis excellit, Civitatesque & respublicas, si nihil prohibeat, constanter, fortiter, & perite administrat. Sed de ista futili, atque puerili meditatione argutiarum, nihil ad vitam, neque tuendam, neque ordinandam, promovente. Qua id genus homines consenescunt, male feriati, quos Philosophos & vulgus esse putat, & miseri illi sibi ipsis applaudentes, non solum esse, sed & cuncta se scire arbitrantur, cum tamen omnia ignorent, & totius vitæ spatio nihil aliud, summis etiam laboribus quam nihil scire didicere. Apud Athenæum (*b*) quoque asperrime Myrtillus ille, philosophos ejusmodi taxat, tanquam ab omni virtute alienos, ac vitiorum cunctorum receptacula, hominum sceleristissimos, & injustissimos appellans, & qui minime constantem exerceant vitam, sensus vero, & scientiarum humanarum, omnino sint expertes. Petulantes insuper, mollissimos, vel si hoc careant vitio avarissimos, invidiosissimos, ac arrogantissimos, eos esse ostendens, temerarios præterea, Calumniatores, & conviciatores egregios, expilatores, ac abliguritores, ad totius denique humanæ vitæ usum, penitus inutiles, ideo a Lacedæmoniis olim minime admissos, ne præter reliquam improbitatem, urbem quoque contentionibus, jurgiis, ac intempestivis replerent Elenchis. Ab Athenienssibus vero, ad corvos actos. A Lysimacho rege, toto regno ejectos. A Romanis quoque sapientissimis, ac optimis viris, tanquam inutiles, & noxios, urbe pulsos. Quapropter Anaxippi Comici jambica. Hæc, olim in omnium ore fuisse refert:

Hei mihi Philosopharis? philosophos attamen,
Compertum habeo, verbis sapere tantummodo,
At esse stultos in factis plane video.

Tales quoque *Madaurensis philosophus* *, affabre depinxit: *Profanæ philosophiæ turba imperitorum ait, vana sanctitudinis, priva veræ rationis, inops religionis, indiga veritatis. Scrupulosissimo cultu, insolentissimo spiritu, deos negligit, pars in contemptu tumida non rite veneratur, omnes sed inscie metuunt, pauci vero impie diffitentur.* Proinde ut gentiles obmittamus, quis ignorat quale nam certamen, Christus deus, & salvator noster, adversum Hypocritas, scribas, ac pharisæos inierit, cum illorum quoque fraude, dolo, & machinatione, mortem acerbissimam, & indignissimam protulerit. Adeo semper improbis virtus exosa fuit, ac maxime iis, qui sceleris conscientia exagitati, viri tamen probi & haberi & censeri voluere. Qui si potius boni esse, quam videri atque id quod ceremoniis ac titulo præ se ferunt vere moribus exprimere mallent, neque ipsi alios injuria afficerent, nec ab aliis qualia nollent audire ac perpeti cogerentur. Veluti ii qui contra christianam institutionem ac bonorum morum honestatem, in optimum & accuratissime doctum virum Joannem Reuchleyn, plaustra conviciis plena exonerare, tam petulanterque facundiam caninam exercere non erubuerunt. Scilicet, ne a gentilium philosophorum degenerarent improbitate, sed illos tam factis, quam verbis, egregie repræsentarent. Non de iis loquor, qui causam suam legitime sunt tutati, jure enim quicquid sit, injustum esse non potest, præcipue tanto sub judice, sed de illis, qui omisso fidei negotio, devoratoque pudore, tam virulenta rabie, ac execrabili furore sunt debacchati, ut plane ozimum (quod maledictis & probris lætius, & fœcundius provenire dicitur,) (*c*) conseviisse videantur. Hæc non scribo, mi Laurens, quod liti alienæ me immiscere cupiam, vel quempiam contra ac deceat, defendere intendam, nullius addictus jurare in verba magistri. Non iccirco quod vellicatorum quorundam scriptis ineptissimis ac levissimis, me læsum putem, ideoque stomacher ac proprias injurias ultum eam, siquidem haud ita nostra inacuit contumelia, sed quod sciam, nil homini ingenuo, maxime vero christiano, turpius & indignius esse, quam tam effrenatis, & temerariis maledictis ac conviciis velitari, tam nefanda & teterrima in multorum ruinam & scandala proferre, quæ nec de lupa meretrix, de lenone mimus, de furcifero impurissimus diceret sacrilegus. Quæ est enim audientium ædificatio, propter judæorum libros christianorum carnes maledicendo devorare, adeoque contumeliis digladiarij, ut vix judaico, nedum christiano nomine dignus esse censearis? Quæ est christianæ religionis defensio, si longe acrius quam christiana mansuetudo permittat incandescas, ac non solum in tantum virum fanda pariter & infanda evomas, sed & omnes amicos ejus mordicus arripias? possem & ego stulta illorum loquacitate irritatus, contra insanientes insanire, ac suaves illos viros, sibi ipsis, tanquam in speculo ostendere, ni id naturalis prohiberet æquitas, ni id christiana detestaretur pietas. Absit enim ut a quo junior semper abhorrui id vergentibus annis perpetrare incipiam, atque imitator sim eorum, qui ob linguæ amaritudinem merito reprehenduntur. Illi loquantur spurcitias, qui & spurca committere possunt, ego vero divinis ac christianis institutis edoctus, scio salvatoris esse præceptum, ne maledicentibus remaledicamus, neve malum pro malo reddamus, quod tantus ille magister non solum ore docuit, sed re ipsa plane adimplevit. Præstat igitur tolerando illius sequi vestigia, quam vindicando sanctissima mandata transgredi, siquidem vera in hoc mundo victoria, non ab agendo, sed patiendo, contrariaque penitus ratione est aucupanda, quoniam non qui injuriam infert, sed qui patitur, vincit. Proinde blacteramina hæc non solum non contumeliosa, sed admodum honorifica mihi esse duco. Siquidem inter reliqua scribunt, se a Bilibaldo nescio quo in Nurenberga læsos esse, tanquam nullius sit Bilibaldus momenti, quoniam ipsis incognitus. Ceterum faxit deus, optimus maximus, ut semper illis remaneam ignotus, ac nunquam mihi a talibus benedicatur a quibus vilipendi, quam laudari præstat. Antisthenes cum aliquando ab improbis extolleretur, magna inquit anxietate maceror, ne forte mali quippiam feciisse videar. Me igitur ignorent, quoniam nec ego illos scire laboro. Deinde me Reuchlinistam appellant, verum tantum abest ut cognomen id ægre feram, ut etiam summopere ob illud exultem. Siquidem vere affirmare ausim, inter cuncta externa, quæ mihi divina benignitas vel indulgenter concesit, vix aliquid æque me, ac bonorum virorum amicitiam oblectare. Præcipue, quam non casus, sed litterarium peperit consortium. Eam siquidem tanti fa-

(*b*) Dipnosophistarum lib. XIII.
* Apulejus de Deo Socratis.

 (*c*) Plinius. cio

cio, ut potentiſſimorum etiam principum dignationi æquare non dubitem. Magnam igitur eruditorum amicorum copiam, non ſolum per germaniam, ſed univerſam ferme Europam, mihi eſſe & gaudeo, & glorior. Amicus igitur magnus ille Roterodamicus Eraſmus, defecatum naturæ ſpecimen, quem eodem famoſo libello, Theologum eloquentem appellare non dubitant, tanquam citra facundiam, omni careat ſcientia. Amicus item celebratiſſimus ac eruditiſſimus Reuchleyn, viri qui non ſolum vitæ excelleant probitate, ingenii floreant dexteritate, linguarum emineant varietate, eloquentiæ polleant felicitate, ſed & doctrina abſoluta, eruditione exquiſita, ſcientia multifaria, gloria demum veriſſima, tanquam Heroes quidam fortunæ aleam ſuperaverint, ac virtutis adoria humanos ferme terminos, ſupergreſſi ſint. Quis igitur tantorum virorum amicitia non gauderet? quis eorum familiaritate non oblectaretur? ſive igitur me Eraſmiſtam, ſive nuncupent Reuchliniſtam, nulla contumelia, ſed potius me laude affeciſſe ſciant. Proinde reprehenſione non carerem, ſi Capnionem amicum tam veterem defenſione mea fraudarem, maxime contra invidorum contumelioſam inſolentiam, & tam impudenter, ne dicam nequiter, conficta mendacia, quæ tamen partim ridenda, partim vero tanquam aniles fabulæ ſunt contemnenda. Illud vero prætereundum eſſe non videtur, quod famoſo illo libello, optimo viro objiciunt, inquiunt enim, ut a judæis aurum extorqueret, in eorum favorem multa perverſa ſcribere non erubuit. Verum o tempora, o mores, ſi a judæis munera accepit, cur non quis dederit? ubi quando & quantum ille accepit? num aurum, argentumve ſignatum fuerit? palam oſtendunt. Quod ſi minus tantum facinus comprobare poſſunt, ut profecto nunquam poterunt, cur tam nefandi criminis hominem chriſtianum inſimulare audent? nonne ſcriptum eſt? *Quicunque dixerit fratri ſuo fatue, teuebitur ad gehennam ignis.* Quo igitur ſupplicio digni erunt, qui proximo ſuo tam falſa, deteſtanda, & ab omni veritate aliena objiciunt crimina? quæ non ſolum coërtionem exigant temporalem, ſed & pœnam mereantur æternam, hæc vere labiorum ſunt delicta, ob quæ in laqueum incidit peccator, qui in proximum ſuum fabricatur malum, & inimicatur adverſus hominem ſine cauſa. Sane conjectura inquiunt, tanti ſceleris convinci poteſt. Verum ô admirandi, nunquam probat præſumptio, in iis, quæ veritati minus ſunt conſona. Proinde ſi conjecturis agenduin cenſent, & nos pauliſper rhetoriſare patiantur. Siquidem conjecturis manifeſte comprobabimus, Capnionem noſtrum tantum facinus non ſolum non feciſſe, ſed nec ſi voluiſſet facere potuiſſe, ideo nec unquam animo voluiſſe. Quid enim virum chriſtianum ad tantum ſcelus impellere debuiſſet, ut judæorum amicitiam, & fidei, & veritati præferre dignum duxiſſet? num illorum amor? verum is odio eſt digniſſimus. Num adverſus chriſtianam pietatem iracundia, ac veræ religionis contemptus? ſed adeo incredendum id, ut nemo ſanæ mentis, tale quid nec fingere, nedum credere auderet. Sed nec reliquis affectibus impelli potuit, utpote vir penitus ab iis alienus. Quid igitur? numquid judæorum amicitiam veritati prætulit? & recte quidem inquiunt, ob quam cupidine cœcus, & commodum, ac divitias. Tanti ſceleris authoramenta conſequi ſperavit. Atque vir grandævus, & multis honoribus jam functus, chriſtianis denique parentibus ortus, tam dedecoroſum quid auderet? qui & ipſe egeſtate non laboraret, verum divitiis affluueret, filios quibus male parta reliuquere poſſet nullos haberet, paucis amplius ob ætatem indigeret. Denique qui certo certius cognoſceret, etiam ſi tam deteſtandæ avaritiæ ſuccumbere voluiſſet, judæos tamen ob innatam avaritiam, magnam pecuniam nunquam expoſituros, parvam nullo ſibi uſui futuram. Porro, quis crederet virum prudentem, tam inopem animi, adeo mente excidiſſe, ut tam ingens ſcelus ac tanti ſcenam facinoris, unquam latere poſſe confideret? & ſi homines, certe non deum, quo adjutore ille, ne Atheus putetur. Certiſſimam ex inimicis vindictam ſperat. Verum rei gloria & famæ aſſignatio illum incitavit. Quaſi perſidorum judæorum conſortium, aliud quam certam ignominiam afferre poſſet. Dubia igitur ſpe, nec ulla neceſſitate adactus, in certum periculum ſe committere voluiſſet, ac innocentem ſenectutem, tam turpi & inaudito facinore defœdare? priſtini honoris immemor, officiorum quæ omnibus præſtitit, chriſtiani nominis, æternæ ſalutis, ac ante actæ demum vitæ, quæ neque ad tempus ſimulari, nec ullo modo mutari poteſt. Et cui longe major fides adhibenda eſt, quam invidorum criminationibus univerſis, quæ ſubito & facile a ſceleſtiſſimo etiam ad tempus confingi poſſunt. Proinde cum plane comprobatum ſit, Capnionem noſtrum, rem tam improbam nunquam in animum induxiſſe, longe facilius oſtendi poterit, adverſarios pugnantia dicere, & in ipſius poteſtate nunquam fuiſſe, ut judæos favore ſuo protegere potuiſſet (ut obiter præteream Ardelionum noſtrorum curioſam indagationem, & quam non deceat magni principis ſecreta revelare, ac conſilia quæ ipſe abſcondita eſſe voluit & juſſit, paſſim omnibus divulgare.) Quapropter admodum miror, Reuchlinomaſtiges, tanta vecordia tantaque cæcitate perculſos, ut impoſſibilia quoque, pro certis ac veris affirmare audeant. Si enim Reuchlyn in judaicum favorem quid Cæſareæ majeſtati ſuaſiſſet, num ideo Cæſar illi parere coactus fuiſſet? quinimo ſi Cæſar, ut eſt ſapientiſſimus ac optimus, perverſe & inique Capnionem conſuluiſſe deprehendiſſet, nonne potius in contrariam ſententiam, cum ex ejus arbitrio cuncta penderent, tranſiviſſet? debebant equidem illius negotii geſtores, tanto acrius, ut eorum opinio executioni mandaretur, inſtare, quanto plus Reuchlinum ad judæorum favorem inclinatum ſenſiſſent. Quid enim ſi malæ conſcientiæ reatus illum exagitaſſet, ei moleſtius eſſe potuiſſet, quam ſi dolens ac frendens, judæos quoque, una cum libris univerſis, exuri cernere coactus fuiſſet. Nunc vero chriſtianæ religionis defenſores illi egregii, ac acerrimi judaicæ perfidiæ impugnatores tantis agitantur intemperiis, ut principali penitus omiſſo negotio, quod tamen longe minori labore, tempore, ac impenſa abſolvi potuiſſet, ad linguæ violentam confugiunt temeritatem, & bilem, virusque omne in Reuchlinum innocentem evomere contendunt, ac ſi quis e manibus emiſſo alite, cum in illum nequeat, in relictas tamen pen-

nas

mas furenter sæviat. Quamvis non desint qui prærepti lucelli potius gratia non ullos insaniviſſe, quam veritatis amore commotos fuiſſe autumnent. & hanc ipsam Helenam esse contendunt, propter quam tam acriter conflictaverint. Ceterum ut noxam tam fraudulentam effugere videantur, hæc omnia ob christianæ fidei zelum, se committere fingunt. Verum absit ut fides sanctissima, spurcissimis protegatur conviciis, petulantissimis defendatur cavillis, non docet hoc deus noster christus, quoniam mitis est & humilis, non permittit vas electionis Paulus, qui contentiones, æmulationes, obloquutiones, concertationes, susurrationes, tumores, seditiones, vociferationes, suspitiones, conflictationes, amarulentiam, invidiam maledicentiam, calumniam, & reliqua id genus vitia, longe a christiano homine abesse, & vult, & præcipit: *Modestia* inquit, *vestra nota sit omnibus hominibus, quoniam non confusionis deus, sed pacis.* Quid christi successor Petrus, nonne malum malo, convicium convicio retaliare prohibuit? cuncti denique tam gentiles quam christiani viri boni, semper pestilens linguæ vitium acerrime sunt detestati quod & impudentissimo cuique maxime contingere solet. Quæ si Reuchlinomastiges illi, exactius perpendissent, nunquam sanctissimam christi fidem, sordidissimis maledictis, ac illotis sermonibus stabiliendam esse censuissent, nunquam tanti dehonestamenti Idolum erexissent, per cujus os impurum, quod ipsi palam non auderent, tam effrenate deblacterarent. Nunc vero personati, ac digno operculo tecti, omnia etiam in omnes sibi licere arbitrantur, nam ut reliquas eorum sileam ineptias, nonne hoc piaculo, vel risu potius dignum, quod tot tantosque viros tam effrenate lacessere, tam petulanter sugillare non verentur? Conradum Peutingerum Jo. Cuspianum, qui ambo præter juris lauream, ea fulgent dignitate, ut divi quoque Cæsaris, etiam secretioribus adhibeantur consiliis. Joachimum radianum, Simonem Lazium, quos omnes honoris gratia appello, quinimmo cavillis infectari sat non erat, nisi ex hominum ejectos numero, etiam brutis impurissimis æquiparassent. Mutuis inquiunt se laudibus extollunt, ac porcorum more fricant, proh quam digna recutito homini, ex hara comparatio. Cui tamen, cum haud amplius judaizare dicatur, suilla, ex qua apud veteres quinquaginta ferme sapores fieri solebant, veluti pernæ, petasones, lucanica, tomacula, insitia & reliqua id genus farcimina, non tam abominale, sed in deliciis merito esse debet, nam omnia munda mundis porro germaniæ nostræ spem certissimam, Udalricum Huttenum & nobilitatis stemmate clarum & ingenio ac eruditione præstantem, non solum pseudo-christianum appellare, sed etiam si diis placet, tali viro palam minitari, ac omnem defensionem penitus adimendam esse censent. Nemo inquiunt, nobilitate excusandus videtur. Quin potius majoribus suis degenerans, posteris omnibus suæ ignobilitatis relinquet exordium. Ex quibus plane liquet miserrimos ac temerarios homines, & conditionis propriæ oblitos, & internecivo odio ita extra terminos mentis esse positos, ut liberum arbitrium ac violentiæ sceptrum in universum genus humanum accepisse certissime putent, ac firmiter credant, ita ut cuncta quæ vel maledicendo, vel male agendo, perpetrant, illis æqua, digna ac justa esse videantur. Quam vellem serii viri modestius ac verecundius egissent, ne astutulis suis commentis insigni Theologico nomini, tam turpes notas inussissent, veræ philosophiæ majestatem adeo temere profanassent. Quandoquidem & si adversarios suos ut male audiant dignos putant, indigna tamen quæ maledicat sanctissima Theologia, indigna christiana fides, ut a Neophito defendatur, & tanquam cœlum illius humeris sustineatur. Non ita salus defecit populi, ut alienigenæ nostræ fidei mysteria, ne dicam oves lupo committi debeant. Sed multas deo inquiunt animas, noster lucratus est. Verum si ii quoque illius instar tanquam mali genii seu Cacodæmones quidam, inter fideles grassari incipient, tum demum manifeste cognosci poterit, num tam acerba discordiæ seminare poma, num tantas inter christianum populum turbas concitare, lucrum, seu rectius damnum sit appellandum. Siquidem confictæ ad tempus simulationi, temere credendum haud esse, præter cætera vel Hispaniæ nobis documento erunt, longe enim satius erat, Marranos, quos appellant, in nativa remanere perfidia, quam veritatem palam simulantes, clanculum judaizare. Quid enim de male mutatis illis, maxime jam inveteratis sperandum sit, varia edocent exempla, quin Cæsar ipse nuper Augustæ multis audientibus, miram & lepidam retulit historiam quam plane ostendere voluit judæis conversis, idem cum christiana convenire pietate, quod soricum generi cum felibus. At qui cuncta ajunt evangelia egregius discipulus noster memoriæ commendavit, verum an nulli quod apostolus præcipiat scitis? *non auditores* inquit, *legis justi sunt apud deum, sed qui legem opere servant justificabuntur*, & divus Jacobus *quæ utilitas fratres mei, si fidem dicat aliquis habere se, facta vero non habeat, num potest fides salvum facere illum?* igitur quo pacto mandatorum observatores erunt? quorum sermo ut gangræna serpit? ne erretis fratres deus non irridetur? non est hoc veram fidem servare, si ea protuleris, quæ nihil nisi ad audientium subversionem conducunt. Non licet christianam pietatem verbo & lingua simulare, re vero & opere etiam judæis pernicioſiora committere. Quibus profecto nil jucundius nil posset accidere exoptabilius, quam contribules suos, orci cancros, ac spurcissima illa propudia inter christianos homines, tam improbe debacchari, tam infeste obgannientes cernere, ut plane ideo conversi censerentur, quo libere christianis conviciari, & ea perpetrare audeant, quæ nedum apud judæos, sed nec immanissimos permitterentur Barbaros. Proinde scripta tam proterva, & insigni stultitia famosa, sua esse persancte negant, non quia displiceant, sed quod admiratione ingenti digna videantur. Cæterum si tam inconcinna, ac omnis doctrinæ expertia, non composuere, cur edidere? vel si neque edidere, cur ne ederentur impedimento haud fuere? an ignorant in pari culpa esse eum, qui damnum dat, & qui non prohibet cum prohibere possit? evolvant scripturas, & invenient quam pœnam mereantur, qui acquiescunt iis, qui morte digna committunt, vel saltem committentibus obviam non eunt. Equidem si glorias inanes flare ac ingenium, sive suum,

seu alterius cujuscunque ostentare cupiebant, multa cum hebræa, tum græca, & latina superant, quibus nisi litium avidi fuissent, plusquam si Ephesiæ Dianæ templum incendissent, claresceré poterant. Cur non magnum Erasmum scribendo, emendando, & vertendo potius imitari voluere, quam male dicendo, optimo Capnioni impedimento esse, ne quæ jam diu parturiebat, aliquando pareret? poterant & ipsi sui specimen dare, si Capnionis verbo mirifico, mirabilius, grævius, copiosius, si arte cabalistica acutius, præclarius, absolutius quid protulissent. Verum non decrat animus, voluntas, libido, sed deerat ingenium, doctrina, solertia. Quod si ob litterarum græcarum & latinarum ignorantiam, seu ut ipsi volunt contemptum, hebræis potius (cum aliter non valerent) famam quærere dignum duxissent, poterant si non propria industria, saltem judæi, vel christiani cujusdam recutiti opera, multa quæ adhuc sive in Cabalistica seu Thalmudica doctrina recondita latebant, in lucem proferre. Ac ex iis quæ vel bene litteratus Capnion, vel Paulus Rizius & ipse amicus noster eruditus, prætermerant, dei ecclesiam locupletare. Quanto fuisset laudabilius, arcana legis eruere mysteria, quam linguam garrulam velut ensem maledictis acuere, quam ignavo animo, ac procaci ore, tam bruta ac omni dedecore maculosa effutire. Siquidem poterant de triginta duabus scientiæ viis, de divinis attributis, & unitatibus abstractis, & quomodo omnis sanctitas in deo comprehenditur & continetur, verba facere, vel ultra divina nomina, tam mirifice a Capnione explanata, legis ac synagogæ vocabula, seu decem magni dei sigilla, totidemque justi cornua, cum litterarum combinationibus, & psalmorum secretis depromere, quid cabalistæ de verbo dei, virginis partu, incarnatione filii dei, morte, resurrectione, corporis ejus in cibum & potum conversione sentirent, ostendere. Quid de cœli & terræ creatione, materia, forma, separatis substantiis, anima intellectiva, fortuna, fato philosopharentur, explanare, hæc si potius quam sordida deliramenta tractare voluissent, deprehendissent procul dubio, quomodo pax & veritas, principium de principio, & lingua prava deterior quam idololatria esse potuisset. Siquidem in libro midras tehelim plane reperissent, quando peccaverunt filii Israel in deserto, non fuisse latam in eos judicii sententiam, donec perpetrarunt peccatum oris, & hoc est quod scriptum est, & audivit deus vocem sermonum eorum. Nunc vero odio excæcati, cum talia audire quædia protulere indignissimum putant, seipsos reprehendere & condemnare identidem pergunt, persuadent enim sibi, adversarios suos a nullo unquam sacerdote, absque publica reclamatione absolvi posse. Cæterum quis eos a severi judicis absolvet ira? *Hypocrita*, ait Christus, *ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc prospicies ut educas festucam quæ est in oculo fratris tui.* Verum inquiunt cum tam acriter linguæ vitium detestaris, numquid Capnionis & Reuchlinistarum convicia tibi laude digna videntur? quinimo & tu quoque decus & præsidium nostrum, semijudæum appellasti, & de terra viventium, (cum tamen christianus sit,) delendum esse crudeliter judicasti. Quibus, ne meipsum condemnare videar, respondeo, nec mihi Sillos, neque aliquando placuisse Sillographos. Maxime quoi cognoverim non lacessitos, sed ultro incessentes, obscœna jaculari scommata, verum quisnam a campana tam absona & rancidula, unquam sonum expectasset suaviorem aut lepidiorem? ut obiter reliqua omittam nugalia, quæ tamen persancte ac decenter edita esse, admirandi illi Reuchlinomastiges, & scribunt, & certissime sibi persuadent, a nemine quam a semetipsis miserabiliter decepti. Sibi itaque imputent, sibi acceptum referant, si tam egregio tintinnabulo, sua quoque & tam digna echo respondere non definit. Cæterum ut & ea, quæ ad me pertinent, diluere videar, rem etiam altius repetere cogor, cum in celebri illo conventu, ab invictissimo Cæsare Maximiliano sub initium Treveris indicto, ac inde Coloniam Agrippinam translato, pariter & Nurenbergensis Reipublicæ, & cunctarum Sueviæ civitatum, quæ laudabili illa confœderatione censentur, legatum agerem, incidi Coloniæ in libellos quosdam, recens a Capnione nostro in publicum emissos, in quibus Reuchlinomastigarum delicias acrius impetere videbatur. Quibus lectis, illico virum tantum, perquam amice monui, ut animum moderaretur, ac potius ratione uteretur, quam suis affectibus indulgeret, nec quempiam dignum duceret cui malum pro malo, seu pro conviciis convicia redderet. Equidem Mopso tum certius, quonam res evasura esset conspiciebam. At ille contumeliarum insolens rescripsit, me plane Heroica docere, sed Hæreseos crimen atrocius esse, quam ut ullius quamvis mansuetum ingenium id ferre posset, sua cuique dolere in alienis facile quemquam temperatum esse. Verum quamvis pudentis & verecundi animi esset, vel falsa vituperatione gravari, me tamen monitore se post hac temperaturum promisit. Num igitur quod in amicissimo, optimo, ac doctissimo viro displicuit, id mihi in longe disparibus hominibus placebit? absit hoc, neminem enim unquam laude dignum putabo, quem in causa etiam iustissima, minus modeste rem suam videbo agere, minime vero omnium insolentissima illa poscinumia, quæ non nisi medicando victum & vestitum quæritant, publicaque sustentantur eleemosyna. Sane non ego quempiam crudeliter damnavi, sed ille, qui fratris sui detractorem homicidam esse, homicidam vero partem in regno dei non habere asserit. Ille inquam, qui molam asinariam in collo nugonum ac rabularum suspendendam, ac eos in maris profundum demergendos esse censet. Verum Theologiæ inquiunt, & christianæ fidei defensorem acerrimum, semijudæum appellasti. Sed utinam ille mansueta & christiana potius dogmata, quam impiorum Judæorum execrandas blasphemias, ac vitiosa verba amplexatus fuisset. Christi nomen audio, christi vero præcepta nequaquam adimpleri video. Nonne Apostolus maledicos fidelium consortio depellit? nonne Sathanæ ut discant non maledicere tradit? & quod plus est, tanquam indignis cœlorum regnum adimit. Qui igitur judæis nefandiora halucinatur, num christiano nomine dignus videri poterit? a fructibus eorum, veritas ait, cognoscetis eos. Quamvis epistolam illam non emiserim, nec ita scripserim, ut aliquando in publicum exituram putarem. Noldem enim quempiam christianum scriptis meis offende-

Neutri generis.

fendere, longe minus famosiorem reddere, eum, qui oris vitio, priusquam fidei merito claresceré voluit. Quem etiam si emendare vellem, haud possem, nec si possem magnopere curarem. Utinam potius sancte & innocenter vitam agere propriam, quam alienam etiam justissime carpere detur. Cæterum quidnam in causa esse dicemus, quod nonnulli haud vulgaris existimationis viri, & qui in reliquis negotiis non penitus ineptiant, ita tamen nonnunquam excandescant, ut plane Timonianam illam amarulentiam referant, ita plerumque pueri sensibus existant, ut tanquam infantuli, Succino seu Corallio, amuleti gratia, indigere videantur. Equidem nil aliud quam falso nominatam scientiam, & inanem deceptionem, ut Apostolus inquit, juxta traditionem hominum, juxta elementa mundi, & non juxta christum. Quam nonnulli professentes, circa fidem aberrarunt. Semper discentes, & nunquam ad veritatis cognitionem pervenire valentes. Non quod artem vituperem, quæ ut Cicero ait, sicut sobrie percepta ingenium acuere, ita & pervertere poterit, si multum temporis, ac de verbis magis, quam de rebus, deque victoria magis quam de veritate sollicitum teneat. Quod vitium, tam christianorum Theologi, quam gentilium sapientes, admodum prudentiæ contrarium esse putaverunt. Proinde dialectices cognitionem, & Theologis non indignam, & doctissimo ac optimo cuique ornamento esse existimo. Dummodo sincera, & non depravata tradatur, dummodo tempore & modo intra suos terminos coërceatur, & non cum litteris confundatur sacris, quoniam nullum consortium Christi & Belial, lucis & tenebrarum. Verum non parum multos invenies, qui absque depravata illa concertatione, ac argutiarum fuligine, sanctissimam Theologiam consistere minime posse existimant. Hinc est quod vetus testamentum a similibus negligitur novum quasi Idiotis scriptum vilipenditur, Apostolorum doctrina vix lectione digna putatur. Hinc quod divus Hieronymus tanquam grammaticus contemnitur, beatus Augustinus etiamnum ignorantiæ damnatur, quem dicaculi illi nec argumenta sua si in vitam reverteret, intellecturum somniant, non propter rudem illam & insignem barbariem, sed quia instantiarum, relationum, ampliationum, restrictionum, formalitatum, hæcceitatum, quidditatum, & reliqua id genus portentosa vocabula ignoraret. Quicquid enim syllogismorum spinositate non intorquetur, id penitus a Theologica eruditione alienum putant. Atqui Apostolo & divo Hieronymo teste, sanctissima Theologia, dialecticis non indiget involucris, quæ solum ambitionis sint commenta, & ideo sacris intermixta, ut scientia cognitu difficilior putaretur, quid igitur mirum si tam inepte plerique vivant, cum tam inepte philosophentur? quid mirum, si a litigandi consuetudine eam contrahant labem, ut inter omnes & in omnibus superiores esse contendant? Quid denique mirum? si cum in profanis gentilium studiis consenescant, minus christianam Theologiam, & rectæ vivendi normam, tenere videantur. Proinde Hebræos & Mahumetanos assidue legem suam manibus versare, & in illa meditando operam quotidianam insumere cernimus, apud christianos vero non desunt, qui Evangelicæ doctrinæ bene multa, tanquam præstantiora, subtiliora, & utiliora præferre soleant. Omnemque Theologiæ vim in sola speculatione positam esse arbitrantur, qua & superna recte considerare, inferna vero prudenter gubernare, potissimum vero Hæreticorum decipulis se obviam ire posse jactitant, tanquam Husitana labes quotidie haud latius serpat, & magnam Bohemiæ & Moraviæ partem, non sine Christiani nominis damno & ignominia late occupaverit. Hæreticos igitur potius ad veram religionem convertere decebat, quam christianorum famam tam sordidis & vitiosis verbis depeculari. Utinam minus quidam contemplarentur, plus vero bene agendo proficerent quandoquidem non verbis, sed operibus laus debetur, & is maxime, ut Plato ait, audiendus, cujus dictis facta conveniunt. Nunc vero quandoque adeo feliciter speculationi incumbunt, ut post multorum annorum contemplationem, post tertii cœli peragrationem, super Donatum, vel Alexandrum Gallum, commentaria scribere haud pudeat. Non o Amici si quis persuasione propria, doctrinæ opinionem induerit, aut Theologico nomine sibi ipsi dignus videbitur, ideo & confestim mihi doctus, seu Theologus erit, quemadmodum nec sanctus, si sanctitatis opera minus præstiterit. Equidem magnum quid, & multa laude prosequendum censeo, si quis ad tantæ eruditionis fastigium aspirare, ad tam exoptatam metam pervenire valeat, ut Theologica appellatione non indignus habeatur, quandoquidem non vulgi opinione, non æqualium adulatione frigida, sed vigiliis, sudoribus, algore, inedia, immensis denique ac infinitis laboribus, tam præclarum ac ingentis sapientiæ nomen acquiri poterit. Siquidem præter grammaticam litteras latinas, græcas, & hebræas callere necesse est. Latinas, ne ob linguæ ruditatem Barbarus potius quam Theologus esse videatur, Græcas, quoniam sine illis, nec cyclicæ disciplinæ, nec Aristoteles ipse intelligi queat. Ut interim quantum fidei nostræ prodesse valeant præteream. Hebræas quia in illis, & veteris & novi testamenti mysteria cuncta deliteant. Dein Dialectica quoque discatur, verum sincera, & suis terminis circumscripta. Proinde discenda. si Theologo Rhethorica defuerit, haud intelligo, quo pacto populo christiano verba veritatis annunciare valeat, si saltem ut vulgus intelligat docere, & ita affectus movere velit, ut obiter aculeus in hominum mentibus relinquatur. Quod si indoctæ plebeculæ conclusiones, corrolaria, porismata, & reliqua dialecticæ incognita vocabula, nimis jactanter ostentare velit, dormiatur, seu penitus actio frigescat, necesse est. Naturalis præterea ac transnaturalis, ad unguem noscenda est philosophia. Verum non solum ea, quam Aristoteles diligentissime prosequutus est, sed & divinior illa, in qua sine controversia optimus Plato palmam obtinuit, quem & Tullius philosophorum deum nominat, & divus Augustinus ideo elegisse fatetur, quoniam de ultimo hominis fine, & de natura divina, melius cæteris philosophis dixerit,

Falsæ Philosophiæ causa.

Dialectices cognitio digna.

Nulla gens magis legem suam negligit quam christiana.

Latinæ litteræ discendæ.

Græcæ.

Hebrææ.

Dialectica discenda.

Rhethorica.

Physica.

Platonis philosophia.

xerit. Ut interim de reliquis, tam noſtris, quam græcis ſileam Theologis, qui omnes uno ore fatentur, Chriſtianæ religioni, maxime Platonicam, convenire Theologiam. Verum illa absque quatuor mathematicis diſciplinis, Geometria ſcilicet Arithmetica, Muſica, & Aſtronomia haud perfecte intelligi poterit. Quapropter in Platonicæ ſcholæ veſtibulo inſcriptum fuiſſe, memoriæ proditum eſt, nemo huc geometriæ expers ingrediatur. (*d*) Igitur & illæ diſcantur. Quo enim pacto quis absque numeris Pythagoricis, ſeu Platonicis lineis, animi generationem cognoſcere poſſet? quemadmodum ex elementis, & linea recta, in circulum flexa conſtituatur, & per quem modum ex eodem circulo duo producti, quorum ex altero ſeptem annexi circuli, naturæ animæ tribuantur, ſed & quid Plato de primo omnium ente, & ejus ſumma ſimplicitate, ac unitate ſentiat, (*e*) quemadmodumque æquivoce, quomodo univoce, ens de entibus prædicetur, ſcire operæ pretium eſt. Quid de æternis & incorporalibus ſubſtantiis, utrum ex non ente omnino an ex ente aliquo modo, & aliquo modo non ente productæ ſint. Quid de eſſentiarum incorporearum, differentia, num aliqua diſtinctio ſit, in ſubſtantiis ſeparatis præter intellectum. Quid de formis, an formæ aliquæ ſint ſeparatæ, an prorſus inſeparatæ, quod ſi ſeparatæ, utrum per ſe ſubſtent, an in ſecundis animi conceptibus poſitæ ſint? num formæ abſtractæ ſint compoſitæ? Utrum mundus ingenitus atque æternus? vel genitus & fluxus? aut ſimul genitus, & ingenitus, & æternus. Quot motuum genera, quid de providentia philoſophetur, & an per ſe ſit, vel per accidens, de fato, de libero arbitrio & reliquis innumeris, ut ex multis admodum paucula delibem. Quin & hoc ſcire refert, in quibus Plato & Ariſtoteles diſſidere videntur, quid apud Ariſtotelem materia & forma. Quid apud Platonem magnum & parvum, & cur materiam, hoc aliquid appellarit. An prima vel ſecunda ſubſtantia potior ſit, utrum Ariſtoteles animam mortalem eſſe voluerit nec ne. Quibus rationibus Plato (*f*) immortalitatem probet? quo pacto Entelechia, motui quo per ſe anima movetur conveniat? quid vehiculum animæ Plato appellarit? & an virtus atque honeſtum, vel potius contemplandi ſcientia ultimus hominum finis cenſeri debeat. Hæc & cuncta reliqua, in quibus tanti viri, ſeu conveniant, ſeu diſcrepent, ſive in rebus naturalibus, ſive divinis, ſive iis quæ ad mores, ſive ad differendi rationem pertinent, virum doctum, & Theologico nomine dignum examuſſim ſcire decet. Proinde hiſtoria quoque, Theologo haud negligenda videtur, quoniam illa & libri ſacri ſunt referti, & res geſtæ ac temporum omnium ratio illius ſerie recte explicantur. Præcipueque is ſapiens habetur, qui ex præteritis futurorum eventum, prudenter colligere, & gnaviter prævidere novit. Porro, ſi Theologus nec jure noſtro tam divino quam humano peritus erit, non video quo pacto divina ſcite, ac ſancte gubernare, vel humana ſolerter, & legitime adminiſtrare valebit, nil igitur qui Theologica laurea ſe dignum arbitratur ignoret, ſed ita prudentia, eruditione, uſu, experientia excelleat, ut plane quempiam exquiſitæ ſapientiæ & doctrinæ virum referre videatur. Qualis olim fuit Joannes Camerarius, vangionum epiſcopus, Joannes Picus Mirandulanus, Bohuslaus de Haſſenſtein, Joannes Keyſerſpergius, Engelhardus Funck, Joannes Rays, Joannes Cuno, memoria quorum inter beatos perpetuo connumeraretur. Ex viventibus vero qualis eſt Reverendiſſimus Princeps Cardinalis Gurcenſis, Joannes Franciſcus Mirandulæ dominus, Hermanus comes de Nuenar, Joannes Heſſus Nurenbergenſis ac Epiſcopus Uratislavienſis Cancellarius, Bernardus Adelman, Jacobus de Banniſſis Decanus Tridentinus, Marquardus de Stein, Sebaſtianus Sperantius hic Babenbergenſis, ille vero Brixinenſis Præpoſitus, Bolfgangus de Tanberg Patavienſis, Erhardus Truchſes Eyſtavienſis, Andreas Fuchs cum fratre ſuo Jacobo Babenbergenſis Decanus, Joannes de Staupitz Auguſtinenſium vicarius, Auguſtinus Lupf, Theologiæ Doctor ac Auguſtinenſium Heydelbergæ Prior, Kilianus Leyb in Rebdorff Prior, doctrina trilinguis, Joannes Macheyſen minorum provincialis miniſter, Gregorius Muſſel Carmelitarum provincialis, Melchior Pfintzing divi Sebaldi, Georgius Beheym ſancti Laurentii Nurenbergæ Præpoſitus, Eraſmus Roterodamus, Joannes Speyſerius, Joannes Eckius, Paulus Phrygio, Joannes Oecolampadius, Eſticampianus, Joannes Cocleus, Thomas Murner minoritanus, Wenceslaus Linck, Martinus Lueder Auguſtiniani, omnes ſacræ Theologiæ doctores, Theodericus Zobel, Joannes Queſtenbergius, Jacobus Wimpfelingius, Martinus Reus Nurenbergæ, Georgius Reyſt Friburgæ Carthuſiani priores, Wolfgangus Volprecht Auguſtinenſium Nurenbergæ prior, Joannes Lang, Joannes Fug, & ii Auguſtiniani Joannes Cæſareus, Conradus Pelicanus minoritanus, Benedictus Chelydonius, Hieronymus Emſer, Mucianus Ruffus, Joannes Bernerus, Georgius Spalatinus, Thomas Venatorius, Joannes Hauerus. & qualis tu iii primis exiſtis doctiſſime mi Laurens, ut ex multis paucisſimos recenſeam, conſultoque præteream reliquos litterariæ rei proceres, qui ſacris initiati non ſunt, moribus tamen ac vitæ probitate admodum excelleant. Super omnia vero Theologus vitiis omnibus careat, ac virtutibus cunctis abundet, ne facta doctrinæ contraria eſſe deprehendantur, quoniam non in verbo neque lingua, ſed opere & veritate laus omnis conſiſtit. Atqui non ex omni ligno mercurius exſculpi poterit. Verum haud ita ſentio, quod ſine litteratura Ethnica chriſti doctrinam, mancam eſſe putem. Abſit hoc, nam ſapientia divina, humanis non indiget inventis. Ideo & absque Platone, ac Ariſtotele, etiam ad ſummum Theologiæ faſtigium viam patere certiſſime ſcio. Et plaſine gentilium litteratura theologi evadere poſſunt.

Hiſtoria.

niorem ſane, per quam ex noſtris Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, Hilarius, & reliqui innumeri, ex græcis Origenes, Baſilius, Nazianzenus, Athanaſius, Cyrillus, ingreſſi ſunt. Non reprehendo ſi quis beati Thomæ, vel ſubtilis Scoti, reliqua denique cunctorum ſpeculantium ſcripta, vel ad unguem calluerit, verum ſacras litteras cunctis gentilium nugis, longe anteponendas eſſe duco. In illis itaque ingenium exerceant ſcioli, & puerilibus Iſagogarum commentationibus invigilare non deſinant, dummodo perfectioribus, quos viderint excelſiora, digniora, ac melliora eligere,

Jus divinum & humanum.

(*d*) In Timæo. (*e*) In Parmenide. (*f*) In Phœdone.

non

non invideant, sed potius æqui bonique faciant, si illos christi dei nostri evangelicam doctrinam, Dialecticæ, vetus instrumentum Physicæ, magni Pauli & Apostolorum dogmata Metaphysicæ, priscorum denique Theologorum scripta logicæ præferre cognoverint, utpote quæ pro superbia humilitatem, pro contentione æquanimitatem, pro invidia Charitatem, pro cunctis demum vitiis virtutes cunctas amplecti doceant. Eristicam & spinosam Theologiam sibi retineant, iis qui speculando cœlum contingere nequeunt activam & evangelicam re-
Consola- linquant. Qua tu, ut ad te meus vertatio. tur sermo, optime ac venerande Capnion, potissimum instructus, omnes injurias ac contumelias, ut christianum decet masculo feras animo. Quemadmodum enim qui contra æquitatem proximum suum lædit, vir bonus haud appellari meretur, ita, & vir fortis minime erit, qui res adversas tolerare nequit. Maxime linguæ rabiem, ac imperitorum voces profanas, in primis itaque regium esse putato, male audire, præcipue a palliatis illis mendicabulis, & quæ innata sua invidia semet torquere solent. Siquidem nemo unquam tam absolutæ felicitatis fuit, qui malignantium dentes & calumnias evitare valuerit, nec ulla ratione fieri poterit, ut viris magnis maledici desint. Nam ut de prophetis & christo deo nostro, tanquam majori qui rebus comparetur humanis fileam, nonne omnes viri boni ac virtute præditi, semper & ubique persecutionem perpessi sunt. Et ut Ethnicos præteream, quid Alexander præsul Alexandrinus, qui in concilio Niceno contra Arrium subscripsit, ab æmulis perpessus sit legisti, quid Origenes, Cyrillus, Gregorius Nazianzenus, Athanasius ab Arrianis, Basilius a valente, Cyprianus ab invidis, Tertullianus a clericis, Chrysostomus a muliere etiam pulsus est, Boëtius a Theoderico interfectus, divus Hieronymus & Aurelius Augustinus, nunquam improborum caruere morsibus. Ergo igitur generosissime Reuchlyn tu ne cede malis sed contra audentior ito, deo enim dignus es visus, in quo experietur quid pati posses. Siquidem nil tibi prodesset laudari ab illis, quibus placere peccatum est. *Si hominibus placerem Apostolus inquit, christi servus non essem.* Nulla majori laude affici poteras, quam tam improbe culpari. Usque ad tempus scriptum est sustinebit patiens & postea redditio jucundita-
Laus Capnionis. tis. Nil deerat quod virtutum tuarum cumulo accedere posset, maximis honoribus functus eras, eam vitam exegeras quam optimus quisque etiam votis expetere deberet, in te natura omnes vires suas contulerat, eruditione ubertim excellueras, litteris latinis ornamento fueras, græcas ferme primus germaniæ intuleras, Hebræas non absque singulari industria, & ingenti admiratione didiceras, felicissimi ingenii tui quamplurima, sed non vulgaria monimenta reliqueras, tam numerosis igitur artibus, ac supra captum cogitationis arduis, cursum compleveras, ac solum hoc deerat, ut adversitate aliqua insigni, animi tui magnitudo probaretur, ac tanquam aurum igni examinaretur. En occasio tibi oblata est egregia, qua fortitudinis, constantiæ, ac probitatis tuæ, specimen singulare præbere posses. Illam igitur benigne amplectere, ac æquanimiter & patienter adversitates tuas sustine, maxime vero linguæ vio-

lentiam, ac verborum temeritatem, quæ nil aliud quam scelerati animi indicia & testimonia existunt. Siquidem insimulari quis innocens potest, revinci nisi nocens non potest. Magnumque exemplum nisi mala fortuna non invenit. Ac solum eum quem diligit deus corripit, & castigat omnem filium quem recipit, nisi certares minime coronam reportares, quis enim sanctorum sine tribulatione coronatus est? aut quis unquam tam absolutæ felicitatis extitit (si tamen felicitas aliqua rebus humanis inesse potest) ut vitam sine miseria, calamitatibus, ærumnis, aut saltem adversitatibus quibusdam exegerit? quodsi quam indigna & nefanda ego quoque ab æmulis pertulerim, recensere deberem, ante diem clauso componet vesper olimpo. Verum divina benignitas, me hucusque ab inimicorum insidiis tutum reddidit, ac ex ore leonis & draconis animam meam cum jam minimo minus interiret quam sæpissime eripuit, laudabilis vero tolerantia, qua ferme obcallui, & qua nil in hominibus præstantius aut commodius reperiri poterit, omnes adversitates æquanimiter ferre docuit. Pariter & tu exuperantissime Reuchlyn, super dominum curam tuam jacta, & ipse te enutriet, ac causam tuam discernet. Nemo enim qui domino credidit derelictus est, & nemo qui in eum speravit confusus est, qui nisi tecum fuisset tot adversitatibus resistere minime potuisses, sed patientiam Iob audivisti, & finem domini conspexisti, qui est benedictus in secula. Proinde quid Zoilis nostris, ob tam
Conclusio. impudentem & multifariam verbigerationem imprecemur, num superorum & inferorum gratiam malam? num ut species mortuorum, & quicquid manium ac larvarum ubique est, semper obvias habeant? omnia noctium occursacula, omnia bustorum formidamina, omnia sepulchrorum (ut ille ait) terriculamenta, num haud tolerandam fœminei sexus indignationem? num magni dei, num prophetarum maledictiones universas? num eorum instar, ut erubescant, & in æternum ingemiscant? minime gentium, absit enim ut & nos sub christiani nominis prætextu, judaizare, aut veteratorum quorundam perfectissimi discipuli esse videamur. Sed quid precemur? scilicet ut convertantur & vivant, saniorem mentem induant, iram comprimant, linguam & affectus refrenare discant, meliores lacessere haud pergant, malitiam, arrogantiam, invidiam, cum reliquis vitiis cunctis longe arceant, ignorantiam deponant, animum optimis disciplinis excolant, Evangelicæ veritati sedulo inhæreant, Paulinæ & priscorum Theologorum doctrinæ rectam operam impendant, a Sophistica garrulitate desinant, verbis & operibus legitime philosophari assuescant, maledicere & malefacere penitus dediscant, denique omnem malitiam abjiciant, virtutemque adeo amplectentur, ut eam sanctitatem & innocentiam, quam verbis, moribus, victu & vestitu, coram hominibus referre videntur, etiam in conspectu altissimi, plane operibus, & re ipsa præstare valeant. Cæterum ne jam epistola fabulam ipsam prolixitate sua exuperet, ad te mi Laurens noster redeat sermo. Ego cum animi laxandi gratia Luciani Piscatorem perlegissem, ac is perbelle nostri Capnionis negotio convenire videretur, pretium operi haud defuturum putavi, si eum in latinam linguam convertissem.

Cum vero conatus inter tot negotia, utcunque succeſſiſſet, potiſſimum tibi, naſutiſſimi hominis ſales dicavi. Cum quia vetus amicitia, olim Romæ contracta, cum magno tibi intercedit Reuchlyno. Cujus doluiſti ſæpe dolore. Tum quia officiis, & amori tuo, ſtudiorum meorum partem haud tenuem deberi exiſtimem. Equidem natura rerum parens, cum vires ſuas experiri, ac quid efficere poſſet, in te uno oſtendere vellet, præter ingenii felicitatem, & eruditionis copiam, ea te donavit humanitate, ea ornavit comitate, ut nil tibi eſſet jucundius, nil exoptabilius, quam ſi ea, quæ ſub mercede & multis didiceras ſudoribus, amicos tuos gratis docere poſſes. Hinc eſt, quod haud parum multa, quæ antea ignorabam tam in Aſtronomia & Mathematicis diſciplinis, quam ſecretiori philoſophia (non de ſuperſtitioſa ſed ſancta loquor) arte medendi, ac martialium tormentorum uſu a te perceperim. Siquidem, haud ſecus belli quam pacis artes egregie calles. Utpote qui VI. Alexandri machinarum quondam præfectus fueris. Sed utinam cum tam innumerata doctrina ſis præditus, ut nil te, ſive in divinis, ſive humanis litteris fugiat, longa rerum experientia admodum excelleas, Græca & latina facundia ita polleas, ut nemo tibi ætate noſtra præferri poſſit, plus communi ſtudioſorum utilitati conſulere, magis poſteritatis curam gerere velis, quandoquidem in literario deliteſcere otio, ac tibi ipſi potius vivere, quam inſtar Bilibaldi neſcio cujus Criticorum ſubire cenſuram, tutius arbitraris. Sed utrum id laudabilius, non præſentis eſt diſcuſſionis. Proinde optime Laurens, nugaciſſimi Luciani, non penitus nugaces, ſuſcipe nugas, ac eum cum genio indulgere, ac frontem exporrigere volueris, in manus ſumes, ſiquidem etſi, lepore, jocis, ac ſalibus, undique ſit refertus. *Vaſer tamen vitia tangit, & admiſſus circum præcordia ludit (g).* Vale felix mi ſuaviſſime ac ornatiſſime Laurens, ac Capnionem noſtrum, & me amare non deſinas. Salutat te Stabius noſter qui a Cæſare reverſus inchoato operi ferventer incumbit. Ex Ædibus noſtris tertio kalendas Septembris, Anno redemptionis noſtræ, M. D. XVII.

(g) Horatius.

Τῶν γὰρ ὑβριζόντων ἡ θρασύτης κόλασις.

Epiſtolæ trium Illuſtrium virorum, ad Hermannum Comitem Nuenarium,

Ejusdem reſponſoria una ad Joannem Reuchlinum, & altera ad lectorem.

Coloniæ apud Euchariũm Cervicornum, Anno M. D. XVIII. Menſe Majo.

Generoſo & vere nobili Viro, domino Hermanno Comiti de Nuenar,

Canonico Colonienſi, Joannes Reuchlin. LL. Doctor, S. D.

ITerum rabidus canis venenum ſuum evomuit, generoſe Comes, iterum draco ille formatus ad illudendum nobis, tartareas flammas efflavit, & Cerberus ſua guttura pandit. De quo multis annis in publica defenſione mea vaticinatus ſum, quod non ante ſilebit, & non ante datur requiem cum pace ſubire, Auricomos quam quum decerpſerit arbore fœtus. Aureus ille ramus offerendus Cerbero eſt, Aurum Judaicum, quod per injurias extorquere præſumpſerat, e manibus ſuis erepſit, evaſit, effugit. Nemo ſuis & ſuorum conſiliis obſequutus eſt. Quod ego conſului, amplexantur ſumma capita. Hoc eſt quod illi dolet, hoc in rabiem vertit hominem, ſi modo eſt homo, ac non magis monſtrum hominis, cui ſatis non fuit adverſum nos plus centies eſſe mentitum, etiam millies oportuit. Quin haud ſydera ſunt munda in conſpectu ejus, omnia fœdat, debacchatur in omnes bonos, quicunque ſua non laudant, aut qui non ejus ſequuntur vitia. Et ut omnia binis verbis complectar, levitatem & infamiam. Quid enim in re manifeſta, tot & tantis ſcriptionibus opus fuerat, niſi ut quo notatus eſt ſcelere, alios vehementius inſimulet. Nec potuit ſanctiſſimus Archiepiſcopus ille Nazarenus, omni virtute præditus, & doctrina præclarus, illius fœda ora effugere, cujus ſcripta, hic ſtellio tam aperte calumniatur, ut defenſore non egeat, fingens, immo mentiens, ſe contra imaginarium aliquem Georgium Benignum ſcribere, fingens item quinimo mentiens a quodam, neſcio quo, quem nec nominat, nec nominare audet, ex curia Romana, certiorem ſe factum eſſe, quod antiſtes ille obſervandus & colendus, ea neget ſcripſiſſe. Sed tanta conſcientia vir eſt Benignus ille, non pertimeſcet hæc edidiſſe, quæ palam, & in os, atque in faciem hujus calumniatoris non pertimuit proferre. Sed ſi ob modeſtiam nunc tacet, habebit nihilominus validos propugnatores, qui quæ in rem ſunt, facturi ſint. Quanquam deus bone, quas applicabimus vires, ad vincendum tam levem & mendacem calumniatorem, nec robuſtioribus egebit pugilibus, qui ſolus ſibimetipſi ſatis eſt, qui non opibus, non invidioſa gratia, non potentia vix ferenda regis Gallorum, qua me Jacob iſte ſupplantator ſupplantare dicit? Sed dimicabit oris ſui proprio gladio Venerabilis & reverendus archiepiſcopus, pugnabit contra notorie falſarium contra profugum ab urbe, contra turpem dilapidatorem rei familiaris fratrum ſuorum. Firmiores crede mihi Benigni erunt partes, quem omnes plenum officii, plenum religionis cognovimus, cujus & Cæſari perſpecta eſt virtus, induſtria, felicitas & vita laudata, cui librum hunc ſuum, ſub publica fide ſigilli ſui dicavit. Omnes autem novimus, quis iſte Nos frater, iſte inquam, qui ſeipſum Nos frater appellat atque inſcribit, quis a teneris annis fuerit, quis ſit aut qualis, & quis futurus ſit. Non veniet comparandus juſto judicio malignus cum Benigno, non calumniator leviſſimus, cum Chriſtianæ religionis epiſcopo, non mendax, immo non

non mendaciſſimus, cum veriſſimo. Nam quid non audet mendaciis ſuis polluere, iſte ordinis Prædicatorum hæreticorum inquiſitor, qui dedita opera, uno ore, & una hora, pugnantia & ſibi contraria, non ſibi verecundiæ ducit affirmare? Dicit enim me librum hæreticum defendere, deinde proteſtatur me non eſſe hæreticum. Si non ſum hæreticus, quod ille palam fatetur & proteſtatur publice, Colonienſesque Magiſtri Noſtri ſic determinarunt. Certe conflatum mendacium erit, me librum hæreticum defendere. Defendo autem librum Ocularis ſpeculi, ſicut a me compoſitus extat, quem ille convincere voluit totos ſex annos hæreticum eſſe, ſed gratia Deo nunquam potuit, & nunquam poterit. Quare ab urbe Roma profugit, conſcientiæ ſuæ metu deſtitutus, conſilio non tantum miſeri ingenii, ſed & improbi etiam animi, poſtquam mandatum de ſuperſedendo ſordibus impetravit, quod notiſſimi perjurii ſpeciem præferre videtur, cum ſit ex articulis juramenti calumniæ non minimus hic videlicet, ne litem differri procures. Quod ſi animo ceſſandi ab accuſatione fugitivus abierit, decocta tandem & dilapidata turpiter re familiari fratrum ſuorum. Tum jure optimo ſibi Turpiliani notam metuet, quæ perpetuo vitæ ſuæ inuſta, procul dubio nulla omnium hominum, omnium ætatum oblivione delebitur. Quamvis cum quotoquoque volutari exoptet, ut ſemper nova prælia incipiens, oblitterare vetera poſſit. Sed quid de hoc hominum monſtro, tot & tanta verba facio, quo nihil deterius, nihil efferacius, nihil immanius Idque omnibus palam eſt notis & vicinis, atque etiam ſuis, qui non ſolum inſolentiſſimus ſit, omni humanitate carens, verum & falliſſimus & mendaciorum pleniſſimus, quod Acta publica monſtrant, & collatione librorum Ocularis ſpeculi, liquido conſtabit, ſi modo integre declaratum, cum declaratione tam latina quam teutonica legatur, non autem, ut iſte Nos frater falſando decerpſit, membratim cæſimque. Legant obſecro civiliter, quæ de hac controverſia ſcripſi, ſigillatim ſingula. Et ſit judex quisquis bonitate ingenii & virorum probitate pollet. Porro neminem commoveat, quod hæc belua diebus ac noctibus perſtrepens, maledictis vetera convicia novo bello iterat, quæ didicit facit. Si carere convitio velis, lingua excidenda eſt. Tu vero fortis athleta, pugnabis contra Lernæam beſtiam, pro veritate contra mendacium. Ego veteranus triumphantes vos juvenes aſpicere debeo & laudare, non triumphare. Quare & te tibi, & me tibi, & Nazarenum illum Benignum tibi tuisque lacertis librandum committo. Vale, Stutgardiæ XII. calend. Apriles Anno M. D. XVIII.

Joannes Reuchlin Phorcenſis LL. doctor.

Brevis admonitio ad lectorem.

Non debes mirari lector, quod ad Capnionem ſcribens, græca quædam interpretatus fuerim. Nam poſtquam in vulgus exire voluimus, quæ familiariter ad amicum ſcripſeramus, ita viſum fuit, & nos potius indoctis iſta proponimus, ut aliquando intelligant illuſos ſe huc usque dolis & verſutia Capniozqili. Si quis doctiorum inciderit in hæc ſcripta, eum per communes literas obſecramus, ut judicium ſibi ſuum reſervet in illos criticos ſtudiorum noſtrorum, nos cauſam agimus doctorum virorum, quare ignoſcere facilius mihi debebunt, quicunque de bonis literis bene meriti ſunt. Reliquum pecus cum ſuo paſtore valeat, de quibus judicent omnes qui naſum habent ſeveriorem.

Doctiſſimo & optimo Viro Joanni Reuchlin Phorcenſi, LL. Doctori,

Hermannus Comes Nuenarius, S. D. P.

REcte ſentis mi Capnion de cane Cerbero, ſua guttura pandente, cujus infernales latratus, toto orbe perſonant, & vaſtis implent mugitibus auras. Verum imprimis miraculi loco, occurrit mihi hujus metamorphoſeos ratio, & profecto verum eſſe fatebor illud Procli philoſophi, qui neceſſarium putat eſſe, ut eadem inter ſe ſentiant, qui ejusdem ſunt ſcientiæ participes. Nam qua ratione fieri poterat, ut adeo in unum pene argumentum conveniremus, niſi latens, vel juxta Platonicos, divina quædam harmonia animis inſideret, eorum præſertim qui ſe mutuo amant. Hinc eſt quod de cane rabiente ſimile neſcio quid, utrique in animum venit, immo Hermannus Buſchius noſter, vir dexterrimi ingenii, mecum in eandem inciderit Θεωρίαν. Cui quidem fabellæ epigrammate tetraſticho, ex tempore alluſimus, quod ideo libet adſcribere, ut tibi Buſchii noſtri, & mea, in transformandis iſtis ſycophantis, induſtria pateſcat.

Ibis erat quondam, mox facta eſt ipſa cuculla,
Nunc pandit rabidus guttura rauca canis.
Monſtrum terra tulit, Sphynx, Cerberus, Hydra ſaceſſant,
Poſtcaquam ex Ibi nata cuculla latrat.

Ibida figemus, laceranda eſt atra cuculla,
Fuſte retundendus peſtifer iſte canis.

Ridiculum illud, vel (ſi placet) ineptum. Sed quid poteſt proferri ſatis ridicule, in caniculam oblatrantem? aut quid ſentias ingenio incumbendum, in re tali, quæ præter nugas & convicia reliqui habet nihil? Quocirca rectiſſime tu quidem Sibyllinum conſilium, aut ſi mavis vaticinium, ſubintuliſti, ut clarior hæc fabula fieret. Quod etſi nonnihil abſurditatis præ ſe ferre videatur, auctoritate tamen convincimur, appetiſſe illum canem infernalem auricomas frondes, neque mirum ſi Judæorum aurum iſte ſitiebat, qui etiamnum, famam invadere non ceſſat Chriſtianorum non quod hactenus per cuniculos (ut ajunt) & vineas tentare ſolitus eſt, verum nunc etiam arietem atque machinas violenter intorquet, a nugis ad convicia, more equitis Parthi diſcurrens. Sed ipſius conatus omnes adeo nihil habent firmamenti, ut nemini potius obſint, quam auctori. Nihil enim commune eſt viris bonis, cum tam execrabili & portentoſo fœtu, cum dicaciſſimo ſycophanta, cum incendiario vetuſtatis, cum oſore bonorum ſtudiorum, quem nihil pudet eorum facere, quæ in animum utcunque inducere collibuit, qui plura dicit mendacia, quam alius quisquam comminiſci queat,

queat, ut ex Hoſtrato, Aſtarothus natus videatur. De quo recte Samhuel, *Auferte* (inquit) *deos alienos de medio veſtri, & Aſtaroth qui mendax eſt & pater ejus*, de cujus ſimilibus Acri τῇ καταγραφῇ regius Pſaltes dicit. *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes, venenum aſpidum ſub labiis eorum.* Sed & magnus ille Gregorius Nazianzenus diſticho jambico, per oppoſitionem virtutis ad vitium, linguæ petulantis naturam, pulcherrime nobis depinxit, inquiens.

Ῥεῖθρα γλυκασμᾷ γλῶσσα βλύζει σωμύλη,
Ῥήσεις δὲ φαύλας ἄκριτον γενᾷ σόμα.

Hoc eſt:

Dulcoris amnes, eloquens lingua ſcaturit.
Effrene vero os, verba producit mala.

Ideo ex fructibus eorum, cognoſcendos eſſe Chriſtus dominus noſter admonuit. Valde ergo placet, quod putas excidendam eſſe linguam, ſi conviciis carere voluerimus. Probat & hoc vulgatum Ovidii illud, - - *immedicabile vulnus*

Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

Nam quid æque temerarium proferri poſſit, quam talem linguam, qualem nobis propheta, & ſanctus ille Theologus vates, adſabre deſcripſerunt, quæ tales fructus ediderit, tam amarulentos, tam acerbos, tam peſtilentes, quod ea tamen, ſacroſanctæ fidei noſtræ patrocinium agere debeat. Et impune jactitare queat, ſe ſolius Jeſu Chriſti & ſacræ ſcripturæ oracula tutari, cum beatiſſimus Paulus Apoſtolus, omnem contentionem, convicia, tumorem, amarulentiam, iram, vociferationem, & reliqua id genus monſtra, ex ſacro cœtu jubeat arceri. Cum pietas Chriſtiana has idolorum ſervitutes, tanquam veriſſima plantaria diabolicæ tyrannidis, & deteſletur & abhorreat. Eſt hoc ergo fidei patronum agere? Eſt theologi, eſt religioſi perſonam referre? Siccine eccleſia nunquam ruitura ſuſtentatur? Nunquid pro firmamento veritatis, mendaciorum agger inſtruendus eſt? Aut pro munitione Chriſtianæ religionis, Baalim, Belial, & Aſtaroth conſtituentur? O calamitoſam fidei ſortem! O deplorandum eccleſiæ ſtatum, ſi hæc illi eveniant, ſi non alios propugnatores, non alia præſidia conſequi poſſit, quam ejuſce conditionis, male ſanos quosdam & phreneticos ſycophantas, ſophiſtica non catholica imbutos doctrina. Quorum ἀρχηγέτης iſte in contumeliam, in vilipendium, in contemptum Romani Pontificis & Romani Imperatoris immo catholicæ eccleſiæ, audet ſuo more affirmare, ſe arcem molitum, quam mundus infringere non poſſit univerſus. Adeo multa ſibi arrogare præſumit immodicus ſui ipſius æſtimator. Quaſi nunc tantum habitura ſit vel auctoritatis, vel momenti, debacchantis cujuſpiam, vel potius inſanientis ſophiſtæ veſania, ut ſola plus obtinere debeat, quam tot fidei noſtræ columina. Quin etiam temerarium os in cœlum ponens, apertiſſimæ calumniæ reos facit, Romanum Pontificem Cæſarem Maximilianum, ipſosque judices ampliſſimos Cardinales, conſequendæ juſtitiæ ſpem ſibi hactenus ablatam, non minus falſe, quam pertinaciter conquerens. Precibus item pientiſſimis hoc impetrare non potuiſſe, quod ſuapte judex quisque ſincerus præſtare debeat. Præſertim in ea cauſa, ubi de communi ſalute, de fide, de Chriſto agatur. Multa denique id genus occulte ſubinfert. Et ne nihil non attentaſſe videatur, ipſis quoque Chriſtianæ reipublicæ capitibus, quandam præſcribit regulam, eosque ſui officii pariter & conditionis admonet, id quod in diatribis ad ſubſellia, ſuos pueros ludimagiſtri conſueverunt. Poſtremo non contentus, ſubinde ſedem apoſtolicam, reverendiſſimosque judices, variis cavillationibus ubique vellicaſſe. Novam inſuper doctrinam aſtruere contendit, abſurdam me Hercle, autumans non oportere obedire hominibus, ſummo videlicet Pontifici & Imperatori, quo minus, libere loqui liceat, pro fide ſeu & (quod ipſi videtur) pro veritate, ex ſacra ſcriptura quædam oblique contorquens, per quæ utcunque adſerere conatur, illud (meo quidem judicio) erroneum dogma. Quaſi nihil peccarent illi, qui contra inhibitiones, contra cenſuras & fulmina eccleſiaſtica, in re quam ipſi fidei adſcriberent, dictis factisque obniterentur. Taceo quod arbitrium earum rerum, quæ circa fidem verſantur, non penes quemlibet fraterculum, ſed capita eccleſiæ repoſitum eſſe debet. Taceo quod hoc negotium, decreto judicum interveniente, non fidei, ſed meri juris & facti, cenſendum ſit, alioqui non ſtrepitum forenſem, ſed aliud examen conſectaretur. Quæ omnia ſi tu o Capnion protuliſſes, proh hominum fidem, quos non impetus, quæ non tormenta ſenſiſſes? non viveres modo, non hunc ſpiritum ſpirares. Dicereris & eſſes revera ſchiſmaticus. Sed huic tuto omnia aguntur, ſic agit ut ſentit, ſic ſentit ut loquitur. Quid multa? Eſt gallinæ filius albæ. Verum quis non optimo jure ſuccenſere poſſit, eo ſupercilio, ea gravitate, tam ſeſquipedalia verba proferri, ut loquentem exiſtimes Zenocratem, quæ cum renudata cortice introſpexeris garrientem invenias Thraſonem. Ait ſe pro veritate, pro Deo, pro fide loqui, linguam ſuam ſolius JESU CHRISTI & ſacræ ſcripturæ oracula tutantem & perſonantem. O improbiſſimam vocem. Quæ ſola non adæquare ſolum, ſed etiam antecellere longe omnia illius cavilla poſſet, quibus Oculare ſpeculum diffamavit. Si enim pro veritate loquitur, quid opus erat tot conflare mendacia? quorum ſi ſingula capita εἰς ἐπιτόμην (ut ajunt) redigere vellem ingens excreſceret volumen. Si pro ſolius JESU CHRISTI honore, linguam illam tam modeſta & ſobria verba reſonantem exercet, quid conviciis, maledictis, & vere ſophiſticis contentionibus, adeo inſiſtendum judicavit? Cur non Chriſti maluit eſſe diſcipulus, quam patronus? & quare religionis potius adſertor, quam ſanctorum patrum imitator cenſeri voluit? An cauſidicum ſuum Chriſtus patietur, quem non novit diſcipulum? Verus Chriſti diſcipulus. *Modeſtia* (inquit) *veſtra, nota ſit omnibus hominibus.* Et alibi. *Deponentes* (inquit) *mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo ſuo.* Sed jam ex multis, quædam paucula adnotabo, ut liquido conſtare tibi poſſit, qua modeſtia Chriſtum tueatur, quam vera, quam theologo, idque fratri (ut appellant) accommoda literis publice mandaverit. Scribit me contra theologos Colonienſes, contra præceptores, & vicinos, graſſatum (utar enim illius verbis.) Quod ut confictum oſtendam, non magni negotii fuerit. Nam ad petitionem meam, indicto conventu, idipſum publico teſtimonio negavit facultas theologorum Colonienſi-

nienſium. Teſte Reverendo patre viro utique optimorum laude digniſſimo Theodorico Cyrenenſi epiſcopo. Teſtis erit ipſa epiſtola mea, in qua nullius quidem Univerſitatis nomen proditur, ſed tantummodo oppreſſis nominibus fit mentio quorundam maledicorum, qui ſe vocabulo theologiæ traduci poſſe ſperant, cum ſint ſponſi Penelopes, nebulones Alcinoique. Me item oſorem theologorum philoſophorumque appellat. Sed id quoque ducentis epiſtolis, quarum penes me exemplaria deliteſcunt, falſum coarguere poſſum, ubi blandiſſimis & jucundiſſimis invitationibus amicitiæ, & familiaritatis albo recipior. Eorum quos ego inter principes philoſophiæ ac theologiæ citra invidiam recenſendos putaverim. Niſi fortaſſis eos theologos dicere velit, qui tales ſint, qualis ipſe eſt. Hos ego non theologos, non philoſophos, non viros graves, ſed rabulas potius, homines mente captos, ac dicaciſſimos nebulones, vocandos palam adſero. Jam vero qua non præfatione nobis perſuadere conatur, te nunquam hæreticum a ſe fuiſſe appellatum. Verum adeo mente excidit, vel (ut Nazareni verbis utar) adeo eum malitia excæcavit, ut eorum non meminerit, quæ recens adhuc ab eo commiſſa fuerunt. Edito enim libro ſuo (quem Apologiam vocat) te paſſim hæreſis nomine lacerat, non fictitium Capnionem (uti nugatur) ſed teipſum deſignans, niſi huic phantaſma videaris, non homo, Bilibaldum illum civitatis ſuæ delitias, usque ad infamiam conviciis infectatur. Sed obmittam alios. Quæ non in me congerit ledoria? quibus non ſordibus conſpurcare famam meam conatur? falſarium, perjurum, ex obſcurorum grege (quod illi hæreſis nomen eſt) apertiſſime convincere nititur. Quod autem ad mores attinet, degenerem, præceptoribus ingratum, temerarium, dicacem, aliisque infinitis contumeliis proſecutus. Hæc tamen jure ſecum committere decreveram, niſi quidam ejusdem farinæ homo obſtitiſſet (ſubmiſſus arbitror). Is longa oratione uſus, parum conſultum mihi ajebat, cum fratre pugnam conferere. Qui habeat mare magnum, puto diploma aliquod papale, cui ego. Quid ſi præterea habeat claſſem piraticam? dignus qui vel ſubmergatur in mare magnum, vel in claſſem relegetur piraticam. Hæc & multa etiam ineptiora ex ſolo prologo adnotavimus. Quid ſi totam moveas cloacam? Num recte igitur Chriſti cauſam agit? An potius privatam ambitionem, livorem, dicacitatem, arrogantiam, cum ſanguine Chriſti, cum ſacroſancta religione conjungere præſumit? Annon illi tam impudens & rotundum os eſt, ut vix ſit reperire ſcurram, aut hiſtrionem, qui adeo licenter, adeo verniliter, adeo petulanter, ex ſcena vel theatro pronunciare auſit, ut iſte Theologiſta cucullatus ex confeſſu Romani pontificis & Cæſaris Auguſti, ante quorum oculos aliquando verſari iſta non ignoramus. Quando tantis principibus hanc ſuam rabiem, dedicandam voluit. Quam ſi pollinctori vel ſubulco nuncupandam cenſuiſſet, luculente honori ſuo conſultum crederem. Tales auſcultatores, tale ſpectaculum merebatur, ejuſcemodi ſpectatoribus digna erat ſpurca illa & famoſa tragœdia. Proinde conjicere facile poterat (ſi quid adhuc cerebri habet) aures tam delicate enutritas, cujuslibet ex hara producti literatoris næniis obſtari minime ſolere. Sciens (ut opinor) non licere apud omnes omnia. Nugari apud ſuos opportunum nonnunquam, apud principes vero indecorum ſemper haberi. Sed quid dico nugari? proſcindere paſſim ac conviciis perſtringere viros bonos, ne apud carnifices quidem, aut lictores licet. Quanto ergo ſeverius puniendum exiſtimes, ſi in eos committatur, quorum vel æſtimatio, vel ſtatus, aliquem apud principes venerationis locum obtineat. Quemadmodum ſenis illius Nazareni archiepiſcopi, cujus non tantum Pontifici Maximo ſed etiam Cæſari, virtus explorata eſt. Bilibaldi Pyrkeymeri Senatoris reipublicæ Noriburgenſis clariſſimi, qui etiam Cæſari a conſiliis eſt. Martini quoque Groningi Cantoris eccleſiæ Bremenſis, viri celeberrimi. De te quid opus eſt multa dicere? ſciunt omnes quem locum apud omnes Germaniæ ſuperioris principes aliquando occupaveris, licet nunc Muſis tranquillioribus operam impendere malis. Vos tamen ſigillatim omnes, proſtrato pudore, & proculcata modeſtia, ſcurriliter & ineptiſſime inſectatur iſte ordinis Prædicatorum (quem vocas) hæreticorum inquiſitor. Mei enim rationem faciendam non puto, qui illi viſus ſum aptus, in quem naſi ſui ſtilum ludat. Sed quam id imparibus copiis attentaverit, quam infelici Marte manum conſereruit, alii judicent. Solum admiror tantos viros ab eo neglectum iri, quibus cum contendere vel ipſi Herculi non ſatis tutum foret. Habebat ſuos commilitones contra quos agere poterat glorioſius, qui ſtupuiſſent illos quos tanti facit ſyllogiſmos. Quibus ſordes iſtæ non penitus diſplicuiſſent, quas paſſim venales nunc defert. Sed tentavit ſutor aliquid ultra crepidam. Et juxta illud Lucianicum *ὁ νεβρὸς τὸν λέοντα*, provocavit. Homo temerarius, tantum ſophiſta, omnis ſanæ doctrinæ expers, ſolum contentioſus, inepte mordax, in periculoſam tandem impegit Charybdim. Qui dum in tales viros ſyllogiſmorum ſuorum, obtuſas illas & ſtupidas lancinat cuſpides, dii boni, quam ridiculum nobis ſpectaculum naſcitur. Ut Horatianum illud crebro occurrat, *Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?* Quid multa dicam? tametſi dicenda ſint plurima. Sed ego *τὴν μετριότητα* præfero. Hoc tamen dicere cogor interim, nihil poſſe dici tam copioſe, ut hanc materiam rite ſermo coæquare queat. Adeo reverendus iſte audaciæ frena laxavit. Adeo totam perfricuit frontem, ut in omnes privatim ordines, ſtatusque hominum, malevolentiæ ſuæ certa quædam fixerit, ac poſt ſe reliquerit, veſtigia. Omnibus vicatim in ſymbolis, in tabernis, in compitis, conſperſit illam rabiem ſuam, ſevit illud peſtilentiſſimum virus, linguam venenatam exercuit, ut fere nulla alia confabulatione, vel convivia celebrentur, vel conventiones peragantur, quam unius Capnionis conviciis. Ibi hæreticus Capnion, homo ſceleſtus, cruce & laqueo dignus, circumfertur undique, ab illa infima & rudi plebecula, ab hominibus videlicet, nulla virtute, aut modeſtia præditis. Quorum pars in æternum ſit cum hypocritis. Ad hæc accedit (quod nemo vir bonus boni conſulere poteſt) ut jam parvam videatur injuriam accepiſſe, quisquis non coram toto cœtu Chriſtianorum publice ab iſtis concionatorculis quibusdam, usque ad infamiam traducatur. Hæccine eſt illa norma annunciandi

ciandi evangelium pacis, tam a Christo domino nostro apostolis tradita, quam a sanctis patribus præscripta? Quid movet tantopere? Quid urget illos, ut in odium & pernitiem proximi Christianum gregem sollicitent? Cur in vilipendium contemptumque sedis apostolicæ, virum se gremio sanctæ matris ecclesiæ submittentem, audent vocare hæreticum & impium? Cur litis controversia nondum jure discussa, inhibitionibus quoque atque gravissimis censuris interpositis, tanquam effrenes & indomiti reluctantur? En quo modo evangelium pacis, convertunt in scandalum proximi. Audiant loquentem Christum, si papam contemnunt (id quod non obscure faciunt.) *Qui dicit fratri suo fatue, vel racha, reus erit gehennæ.* Annon ergo zizania seminant isti? Nunquid mala metent, seminatores iniquitatis? Illi inquam, qui hominem non modo Christianum, verum etiam multis istis male Christianis cucullionibus, virtutibus & scientia præferendum, nihil verentur hæreticum, impium quoque & Judæorum amicum, proclamare. Idque ex eo loco ubi minime, opportunum decorumque habetur. Sed levia forsan illa nec tanti existimanda fuerint, si non in sacros monachorum ac virginum cœtus, lætiferum virus proserperet, in hæc invia loca, in hæc penetralia hominibus inaccessa, rabidi canis audacia penetravit. Ubi perpetua charitas regnare deberet, ubi ad instar cœlestis Hierusalem pax spiritualis diffunditur, quos ubique facet Chrysostomus a mundi contemptu prædicat, ibi tamen conviciis adhuc & invidiæ locus est. Explorata mihi sunt quæ loquor, ut ne quis in aërem me ista effutire putet. Resipiscant igitur omnes isti, & studeant Christi potius, quam Astarothi esse discipuli. Studeant parere scripturis, & obsequi evangelio. Hoc vere Christianorum est, non præbere aures nugacissimis nugis, mendaciis, & obtrectationibus. Cum scriptum sit: Detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar. At hæc in propatulo fieri quotidie conspicimus. Neque minus tamen auctoritatis sibi vendicat præsumptuosa temeritas. In tantum, ut mihi non parva ridendi materia succresceret, cum legerem illum Theologicum titulum. APOLOGIA REVERENDI PATRIS FRATRIS JACOBI DE HOSTRATEN HÆRETICÆ PRAVITATIS INQUISITORIS &c. quæ sequuntur, totam fere paginam occupantia. Aderat forte quidam, qui meo stomacho mederi cupiens, bene inquit habet, omnia ferenda sunt. Cœpitque illud ita exponere, ut (Apologiam) diceret esse absurdum sermonem, (reverentiam) non in virtute, sed supercilio constitutam. (Patrem) nomen esse non affectus, sed arrogantiæ. (Fratrem) non charitatis, sed cucullæ. (Jacobum) vero supplantatorem etiam Hebraicæ linguæ vis ipsam designat. (Hæreticorum inquisitorem) sed delatorem Christianorum, & depeculatorem honoris alieni. Demum adiecit omnia perbelle quadrare, nihilque deesse, nisi quod adjungatur etiam τὸ ἐπίγραμμα illud, perpetui eulogii loco consecrandum, IDEM BERNENSIUM HÆRETICORUM PATRONUS. hæc ille tum non abs re fortasse garriebat, & nos eadem sobrie, atque adeo sub nebula exhibemus, ut si acrius instet, dispulsa nube in Patentissimam lucem erumpant. Quid enim ad me attinet, si impudens os habet Astarothus? Quid si dormitantem excitaverit canem, contraque Pythagoricum symbolum, ignem gladio effoderit? ore fœdans omnia, apud quem nihil mundum est, nisi quod vel maxime immundum fuerit. Solam superbiæ comitem habens impudentiam, cujus necesse est ut aliquando fructus decerpat, qui projecit sementem. Quæ suo quidem loco adamussim (ut ajunt) pro virili præstabimus. Non enim præcipitato furore impetendus Thersites, non lancea gladiove confodiendus, sed Ulyssis sceptro, i. e. rationis imperio, quemadmodum poëtarum doctissimus finxit Homerus Iliados ii. ubi Cucullati hujus nostri personam lepide agit Thersites. De quo scribit:

Θερσίτης δ' ἔτι μοῦνος ἀμετροεπὴς ἐκολώα.
Ὃς ῥ' ἔπεα Φρεσὶν ἦσιν ἀκόσμαλα πολλάτε ἤδη.

Hoc est:

Solus Thersites sine pondere verba profudit,
Inconcinna sua quæ plurima mente tenebat.

Quapropter consulto mihi ipsi jam non obtemperabo, exceptasque injurias in commodius tempus aliquod rejiciam. Quas tamen non possum non existimare gravissimas, quandoquidem contra famam, contra honorem atque dignitatem meam structæ sunt, ab homine præsertim, qui id jure nullo fecit, neque facere potuit. Qui theologum sub cuculla mentitur, cum intus rabidum occulat canem. Qui intolerabile virus suum, superbiam dico, livorem, & arrogantiam, solitus est, in mores bonorum virorum despuere. Quod si huic maledicendo vices reddere decrevissem, jamjam (uti credo) experientia doctus esset, non parum, vel ad maledicendum, conferre poëticam & oratoriam. Idcirco poëseos nomen non recte mihi improperare videtur, quod tam ab eo abest, ut non possit longius, etiam ab infante bimo. Sed utinam verum diceret. Contumeliam certe nullam inflictam video, nisi quod mendacium plane agnoscam. Verum id ei libens condonabo, qui in omnes æque mentitur. Quam optarem ut de me semel verum protulisset. Sed sicut ego mihi nihil horum arrogare ausim, ita pro comperto habeo, maximam efficaciam, & incredibilem vim suppetere poëtis, quando ab improbis & malitiosis hominibus provocantur. *Est furor in nobis* (inquit Ovidius) *agitante calescimus illo.* Constat archilochi jambos Licambis exitio claros fuisse. Ciceronis eloquentiam potentissimus alioqui M. Antonius etiam fuga celebravit. Quamobrem cum adeo parvi pendit poëticas facultates, caveat ipse sibi ne repente nunc in poëtas devectus, ab illis frustratim & emembretur & dilanietur, non secus quam Acteona propriis canibus, & Pentheus ab insanis mulieribus. Pœnas luens temeritatis suæ, qui ea damnet quæ nunquam didicit, & quæ tanto intervallo sensus illius ingeniumque transcendant, ut assequi vel summis digitis nunquam possit. Si enim sacræ poëseos merita ignorat, si veros theologos ipsius præconia scriptis extollentes non legit, aut didicit, quod valde equidem crediderim, perlustret Vallum Buschii viri undequaque ornatissimi. Ut tandem senex factus discat, quæ puer scire debuerat. Tum fatebitur injuriam sibi factam quod huc usque theologus sit habitus, qui ea ignoret, quæ de hac re certatim a sanctissimis viris memoriæ commendata sunt. Et

de

de nugis hæc quidem paucula. Nos vero interim studiis nostris operam demus, & quum ludere aliquando libebit, habes jam argumentum quo te exercere possis, etiam usque ad risum. Vale communis patriæ ornamentum. Et me quem amas, fac impensius ut ames, Coloniæ calendas Majas.

Generoso Domino Hermanno Nuenario Comiti, Hermannus Buschius Pasiphilus, S.

LEgi nugas nugaciſſimas, libellum dico illum, libellum mediusfidius (si modo liber est, & non famosa charta) Deus bone hoccine debet reverendi patris Apologia vocari? hoccine tam ineptum opus, ipsis duobus Christiani nominis columinibus, summo pontifici Leoni, & Maximiliano Cæsari, inscribi decuit? Adeo nullius ingenii, nullius eloquentiæ (ah quid dico eloquentiæ?) adeo nullius grammaticæ, ut puerum septuennem pudere possit, si alicui pædagogo hæc inscripsisset. Apologiam vocat si sermo indoctus quaqua versum, conviciis & contumeliis scatens, meretur censeri Apologia, & præsertim Venerandi patris, mehercules fatebor (vel invitus) egregiam esse Apologiam. Ut taceam quod in teipsum tam ἀπεριστάτως impingit, modo crudelem grassatorem in theologos Colonienses, modo degenerem, imperitum, temerarium, perjurum, falsarium, amicis, magistrisque (quorum nescio quem etiam angelo similem prodit) ingratum te, atque immemorem clamitans. Nullus paragraphus, nulla argutatio, nullus fere versus, sine morsu, finitur. Invehitur in Bilibaldum illum humaniſſimum virum, & patriæ suæ civem chariſſimum, omnibusque eruditis hominibus perinde acceptiſſimum, appellando eum, coram Deo & hominibus, virum sibi injurioſiſſimum, qui os maledictione plenum, contra se & suos exercuerit, quique a moribus optimis spectatiſſimorum patriciorum Nurenbergensium degeneret, & usque adeo maledicendi sit avidus, ut mordaciſſimas (& eas quidem plurimas) contumelias in Theologos Colonienses effutierit, procœmialem maledictis plenam congesserit epistolam, cui præterea sit os tam impudens, ut causis se ingerat theologicis (immo legem præfigat theologis) cujus theologicam peritiam nemo institorum magno pretio mercaretur, & propterea nimis frivole gigantomachiam inermis pusillusque intrarit. O immortalem eximii hujus levitatem theologi! O spectatam, & velut igne tentationis jam probatam, venerandi hujus patris, modestiam, hæc decet exempla in vulgus edere theologum, sic itur ad astra, tum in eundem illum, & una quoque in teipsum alibi (sed oppido quam ridicule). Esto inquit Bilibaldus eum citra studium & doctrinam, ac proinde ex nihilo creaverit in Alamaniæ theologum præcipuum (quasi ipse præcipuus sit theologus Cappadociæ) adeo sane mihi hæc arrisit tam comica hujus patris festivitas, ut dicerem Persianum illud. Quicquid culcaverit hic, rosa fiat. Posthæc nescio quid de pullicino & leporino memorans timore. Dum pigmeus parvis currit bellator in armis, rursum te falsa vernilitate pigmeum dictitat, se vero gigantem credo vult intelligi, adeo modice de seipso ubique gloriatur. Ait nondum se territum, adhuc loqui audere. Mihi (si licet dicere quod sentio) obstrepere videtur, magis quam loqui. Ut autem illud jam non moveam, quomodo venerabilem illum senem Georgium Benignum, episcopum Nazarenum, passim illito (quod ajunt) melle gladio exagitet, vix illis quibus dedicavit Apologiam hanc, summo Pontifici & Imperatori etiam parcit. Aperte sibi denegatæ justitiæ reos illos insimulans, conquerens graviter de litis pendentia sibi (heu) nimis diuturna. Addens insuper quod ipsis sæpius instantiſſime totis præcordiis, ob sanguinem CHRISTI supplicaverit, & supplicet etiam nunc, sed frustra. Versiculi tui (lepidiſſimi sane) isti sunt visi esse cruenti, hæc cruenta, hæc sanguinaria videri injuria cui quam posset oratio, qua per sanguinem CHRISTI sæpius rogati, (idque in causa præsertim fidei) summus Pontifex & Imperator supplicanti justitiam denegasse, tam invidiose, tam palam perhibentur. Idque in tot impressis, & dispersis in omnes partes hujusmodi Apologiis. Merito hæc sibi tam palam impune dici summus Pontifex & sacratiſſimus Imperator, si meruere audiunt. Capnionem (inquit) præter blasphemiam in bibliam, etiam in Romanam sedem, calumniam instruxisse graviſſimam. Hoc autem non est calumniari sedem Apostolicam, & Romanum Imperium, mandare literis, hæc ipsa prima capita Christianorum, per CHRISTI sanguinem sæpius rogata, ulli negasse (aut distuliſſe saltem) justitiam, præsertim in rebus ad Christi fidem pertinentibus? His magnifice adjungit, se nunquam causæ suppressionem (id quod fecerint ipsi Reuchliniſtæ) sed justam & æquiſſimam, quæ pro veritatis & fidei, ac JESU CHRISTI esset honore, rigorosam ac exactiſſimam semper petiisse sententiam. Quod (salvo honore Venerandi hujus patris) figmentum opinor (non dico mendacium) si modo Acta hujus litis, quæ nunc palam circumferuntur impressa, non mentiuntur post edita in scriptis Romæ omnium assessorum (nisi trium forte Prædicatorum) pro Oculari speculo suffragia, impetratum esse a Jacobitis mandatum de supersedendo. Si modo (ut toties Actorum ignaris ingerit) semper rigorosam voluit, venerandus iste pater, pro veritate sententiam. Cur ergo extimuit, auditis tot secundis pro Capnione ostraciſmis? Cur supersederi, quam terminari tunc continuo hanc litem sententia maluit? Quis hic impedivit judices pro veritate dicturientes? Nonne qui impetravit mandatum de supersedendo? At quinam iste tandem? Capnion, seu Capnioniſta? An potius Jacobus, seu Jacobita? Ecquid vides plane deprehensum? Age nunc aliam ejusdem fabricam excute. Nititur lectoribus magno ambitu verborum persuadere, quum Joannem Reuchlin dicat hæreticum, se non illum ipsum hominem dicere hæreticum, sed imaginarium quendam (si Diis placet) hoc tantum nomine vestitum, quod nunc quum digladietur adversus dialogum illum, in quo Georgius Benignus, & ipse Capnion interloquuntur, utramque personam hanc suspicetur esse confictam ab aliquo Obscurorum. Se itaque nunc in fictum illum Capnionem, non in illum verum, quem non credit esse hunc, probra congestu-

rum

rum libere, ſignificat. Hujusmodi coloribus ne deçet pingere Theologum? Hiccine eſt ille germanus & verus Chriſtianæ candor innocentiæ? Hæccine illa theologicæ ſimplicitas columbæ? Crimina & hæreſes in fictam perſonam congerere, ut dolor & infamia, nihilominus in veram derivetur, fortaſſe fictio hujusmodi (quum per ſingula pene commata, fictitius iſte Joannes Reuchlin veteratorie ſic hæreticus ſuggillatur) non erit injurioſiſſima ipſi homini Joanni Reuchlin? Si quis ad eundem modum fictum quendam Hermannum Nuenarium Comitem ſic traducat, in eo fortaſſe tu nihil ipſe jam traduceris? Ut autem liquido nobilis hic color VENERANDI HUJUS PATRIS ſine tergiverſatione deprehendatur. Ecce tibi verba illius, optima fide adnumerabo. Proinde quando ex dictis (inquit) primi confabulatoris, qui ſub nomine Joannis Reuchlin interloquitur, novas hæreſes, erroresque inauditos, vel abſurditates inferimus, aut objicimus, non ea in perſonam Joannis Reuchlin Phorcenſis contorquemus, neque enim absque noſtro mendacio, & ſine (quam ſemper abhorruimus) calumnia viri, id fieri poſſet. Quippe quem nobis non conſtet verba, contra quæ diſceptamus, & ex quibus errores novos inferimus, ſcripſiſſe, aut eisdem abſurditatibus adhærere. Quinimo & fortaſſe errores tales non comprobaret. Porro quando frequenter meminimus hæreſis, nullo modo hominem ipſum (Joannem Reuchlin putamus) hæreticum appellaſſe, nobis unquam fuit animus. Verum arbitramur, prout arbitrati ſemper fuimus, plura præfati conſilii hæretica eſſe cenſenda, & alias intolerabilia, atque per hoc libellum illum vulgo editum (rem dico illam materialem) non immerito fore ſupprimendum. Quo clareſcit quam indocte ac frivole in nos debacchetur, quidam dialogi in quem agimus præfator, qui nobis impingit Capnionem a nobis dici hæreticum (quod nec cogitatu complexi ſumus, ut luce clarius in ſententia per quendam inquiſitorem, contra eum Coloniæ lata conſtat) neſciens utique quæ loquitur, aut de quibus affirmat. Revera conſultius aliquanto (ut mihi videtur) feciſſet pater iſte Reverendus, ſi ſententiæ hujus & totius proceſſus Coloniæ poſt inhibitionem apoſtolicam, præſenti ſibi (quod mihi conſtat) inſinuatam, & lite jam Spiræ coram Commiſſario & judice apoſtolico pendente, inſtituti nusquam omnino meminiſſet. Sed ut ad ipſius revertamur verba. Si non his dicit ſe quum ex dictis primi confabulatoris, ſub nomine Joannis Reuchlin, interloquentis, novas hæreſes, erroresque inauditos, vel abſurditates inferat, vel objiciat, non tamen per hoc velle videri, ea in Joannis Reuchlini Phorcenſis perſonam contorquere, non recuſo quin aperte me falſarium dictitet. Sed ſi nunquam eum in animo habuit dicere hæreticum. Quid ergo ſibi volunt hæc verba Venerandi patris, in hac Veneranda ejus Apologia, tam vulgo, tam temere obvia, atque inſerta. Manentes avidiſſime in ea fidei cauſa, adverſus impium Capnionis libellum, diffinitivam ſententiam, & in eadem facie paginæ inferius. Neque eis ſufficiebat Capnionem vetus teſtamentum, aut bibliam temeraſſe, nimirum quando ſcripſit Thalmudicos libros Chriſto perhibere teſtimonium ita bene ut biblia, deinde paulo poſt. Hæc Capnionis (inquit) eſt aſſertio, ubi ſane præter id quod nefariæ in ſacram bibliam blaſphemavit, etiam in Romanam ſedem calumniam ſtruxit graviſſimam. Hæc utique omnia non in poëticam perſonam illam, ſed in ipſum hominem Joannem Reuchlin dicuntur? Impium ſc. eſſe ejus libellum, item eundem vetus teſtamentum temeraſſe, ipſum ſacram bibliam blaſphemaſſe, ipſum in Romanam ſedem gravisſimam calumniam inſtruxiſſe. Si hoc nondum eſt dicere hæreticum, age dicat ergo planius aliquando, quid ſit dicere hæreticum. Dicit aperte, dicit palam, dicit nullo circuitu Joannem Reuchlinum teſtamenti veteris temeratorem, ſacræ bibliæ blaſphematorem, Romanæ ſedis calumniatorem, & adhuc tamen illum non vult dicere hæreticum. Taceo quod hæc eo tempore dicit, quo forte nullo jure, immo cum magna ipſius Reuchlin injuria hæc dicit, videlicet Romæ coram reverendiſſimis judicibus, adhuc cauſa & lite hujusmodi indeciſa pendente, quibus ſententiam ad ejus nutum non præcipitantibus, ipſe ſibi quodammodo judex & arbiter factus, libellum Oculare ſpeculum, a nemine hactenus apoſtolicorum judicum, condemnatum, audacter pronunciat impium. Auctorem verò, ipſum Joannem Reuchlinum veteris teſtamenti temeratorem, ſacræ bibliæ blaſphematorem, graviſſimæ in ſedem Romanam calumniæ inſtructorem declarat, eaque omnia in litis pendentis, & apoſtolicæ ſanctitatis (ut apparet) contemptum, nec non in contumelioſiſſimam ipſius rei læſionem, atque injuriam ſummam. Et audet nihilominus dicere Reverendus pater iſte, quod ne cogitatu quidem unquam voluerit eundem dicere hæreticum, quum tamen ſede apoſtolica nihil definiente adhuc, ipſe interim definiant illum hæreticum patentiſſime. Nam quem in vulgatis ubique libellis pendente lite, & vetantibus Apoſtolicis inhibitionibus ſacræ Bibliæ blaſphematorem, ſanctæ ſedis Apoſtolicæ calumniatorem (nec ſemel interim, ſed crebrius) affirmat, eum fortaſſe nondum ſatis per hoc hæreticum deſignat? An liber Capnionis ſit impius? an Capnion ipſe temerator veteris teſtamenti, blaſphemator ſacræ Bibliæ, calumniator ſedis Romanæ? Cujus tandem fuerat ejus rei arbitrium? An unius hujus REVERENDI PATRIS? An potius (coram qua agitabatur hoc negotium) ſedis Apoſtolicæ? Nemo credo ſecurus dicet, quam ſedis Apoſtolicæ. Cur igitur iſte REVERENDUS PATER, tantum ſibi arrogat, ut illi ſedi, quam juſtitiæ fatetur ipſe fontem, præjudicet? Quid non præjudicet, cui pene non reformidat iraſci? Dicens, quum triennio juſtitiam inſtantisſime præſtolatus, moræ longioris pertæſus tandem, Romanam urbem liquiſſet, libellum quendam offendiſſet, Coloniæ impreſſum, per cujus os diabolus intolerabiles ſincero cuivis Chriſtiano, ſibilaret blaſphemias (epiſcopi Nazareni libellum, ut eſt ſuſpicio, deſignans) ſubverſionem in eo catholicæ veritatis, loquacibus quibusdam viris molientibus, in libertatem ſe prorupiſſe filiorum Dei, quod compertum habeat, fidei noſtræ neminem non modo non dominari, immo eccleſiæ caput, quemadmodum reliqua membra, ſive reges, ſive principes ſuis, fidei jugo ſubjectos eſſe oportere, ſciatque quoniam oporteat plus obedire Deo, quam hominibus, neque juſtum eſſe in conſpectu Dei, homines potius audire, quam Deum. Cur autem

hæc

hæc satyra, ecclesiæ capiti, & reliquis regibus, sive principibus, nunc sic de improviso (nuptiis non cohærentibus) ingeritur? An fortasse caput ecclesiæ, & reliqui sive reges, sive principes Christiani, sine isto, non meminerunt officium suum, aut se fidei jugo esse subjectos? Quod si ridiculum est (vel forte etiam temerarium) putare. Temere sane, & impudenter facit, quisquis immerito illos per se satis memores admonere sustinet, & eo ipso, quadam negligentiæ quasi nota aspergere eosdem non veretur. Videat itaque quisquis est, ne quam vocat libertatem ipse filiorum Dei, a gravioribus judicibus, quam ipse est, quædam adversus majores suos garriendi pronuncietur protervitas. Certe nulli in Apologia ista plus (quantum animadvertere adhuc potui) tribuit, quam sibi ipsi. Nonne satis expressit his verbis, quantum suæ sapientiæ ipse deferat, quibus inquit, eam se molitum fuisse adversus Capnionis errores arcem quam non solum prætensus propugnator (quo iterum, ut reor, lusit in Georgium Benignum) nec plane glomerata ejus cohors tota, immo nec mundus universus infringere possint. Os durum pene dixeram. Ergo nihil sanctissimus dominus papa noster, nihil amplissimus tot prudentissimorum Cardinalium senatus, nihil Imperator & reges Christiani omnes. Præterea, nihil cuncti per orbem Christianum episcopi, cæterique omnium ecclesiarum præsides, atque doctores innumerabiles, contra unum illum REVERENDUM PATREM hiscere audebunt? Ut jam verum sit illud poëticum:

Cedunt grammatici, vincuntur rhetores, omnis
Turba tacet, nec causidicus, nec præco loquetur.

Quod si ipse hæc vere asserit, hoc est, si (ut dicit) tam firmis præsidiis suam causam sepsit, ut infringi ea, ne ab universo quidem mundo possint. Quid igitur obstat, quo minus secundum eum, litem ipsi dent Judices? Sed si (quod potius reor) alia res est, quam verba hæc, profecto quod timeo, non sine aliqua jam calumniatque injuria sedis Apostolicæ, per omnium ora populorum ista spargit, atque invulgat. Utputa per quæ haud dissimulanter innuat, licet causæ suæ veritatem ita idoneis argumentis, probationibusque munierit, ut (etiamsi velit) ipsa sedes Apostolica cum mundo universo, eas labefactare non possit, nihilominus ab eadem sede toties implorata, sibi nulla quodammodo ratione differri justitiam. Quid autem hoc aliud est, quam pene objectare, atque in faciem propemodum exprobrare sanctæ sedi Apostolicæ iniquitatem? Si quis istud scripsisset Capnion, Dii boni, in quantam invidiam mox vocaret illum, ob hoc solum verbum, iste Reverendus pater? Quantas inde tragœdias continuo excitaret, quæ tonitrua, quæ fulgura, quos nimbos cieret? cœlum terris misceret, & mare cœlo, quum præsertim tantas accusationum machinas paret adversus eundem, quod per zizania (de quibus in evangelio suo salvator) solummodo dixerit posse libros accipi Judæorum, omnium tamen quorum interesset, seu interesse posset, & imprimis judicio sedis Apostolicæ se subjiciens, cui (ut verba resignant paulo ante dicta) Reverendus iste pater, cum reliquo universo mundo, non cedit, tanta est fiducia linguæ. Sed jam me piget procedere ulterius. Satis ex his (quod arbitror) meum de Apologia ista judicium, tibi constare poterit. Proinde jam vale, & me Reuchlinistam ama. Pridie idus Aprilis.

Hulderichus de Hutten eques, illustri domino Hermanno de Nuenar Comiti, S.

Vix ab equo descenderam, e Saxonibus remittente principe, cum mihi redditur, una cum elegantissima tua epistola, illiteratissimus Hogostrati libellus, in quo præter alios Capnionis amicos, te quoque impuritatis suæ aspergit sordibus. Vide quo evaserit pessimorum hominum audacia. Libenter tamen legi spurcum nugamentum. Non quo gratum mihi accidat, si quid tibi molestum evenit, sed quia istiusmodi facinoribus, magnum istos sibi ultro malum accersere video, ut sicut tu omnium in Germania nobilium doctissimus es, omniumque ibidem doctorum nobilissimus, ita summum apud omnes odium ineant, quiqui invidentiæ suæ stimulos in te, talem ac tantum virum exerere non sunt veriti. Ferre enim has indignitates, hæc natio diutius non potest. Nec qui adhuc lippiunt, aliquando non aperient oculos. Quod cogitanti mihi subit admiratio, quo malo nostro fato, in hos dominos inciderimus. In Italia certe nostri me puduit, quoties de Capnionis afflictione orto cum Italis sermone, illi percontarentur, tantum licet in Germania fratribus? Adeo obliti omnium esse possumus, ut quos ad divinum obsequium patrimoniis nostris alimus, eos ad publicam usque maledicentiam nobis esse molestos patiamur. Quid superbius enim, quid indomitum magis hoc hominum genere? Aut cui parcunt, si quando conscenderint, illam petulantiæ suæ arcem publicum suggestum? Quo naso, quibus superciliis, qua fronte, quibus lateribus in uniuscujusque existimationem debacchantur? Quorum de numero quamquam diversa sorte est apud Francofurdium, Petrus Meyer, indoctissimus puto omnium qui Capnioni invident, audax tamen, & infigniter petulans. Hic vero, omnium qui usquam agunt malignitate perditissimus Bartholomæus, qui Decimator. Ita nullum apud rudem populum sermonem habet verbero, quem non aliquo perversitatis suæ veneno condiverit. Ita nihil citra invidiam loquitur. Ita in bonos omnes obliquus semper est. Et in Capnionem quæ dii boni maledicta, quam frequenter jaculatur? Qua in optimum virum spurcitia degrassatur. Quamquam hoc illi non feliciter admodum cedit. Qui dum aliis studet apud infimam plebem invidiam conciliare, ipse se apud optimates in periculosum jam pene odium conjecit. Hanc faciem si videres, ipsam te invidiam videre diceres. Adeo hominis mores in corporis quoque lineamentis natura expressit. Simile quiddam Scorpionibus habet aspectus. Nam ut illorum cauda ad ictum semper est parata, ita hujus concionatorculi oris species, omni momento, ad omnemque occursum ostendit jamjam aliquid hominem mali cogitare, aliquod meditari maledictum, aliquas struere insidias, aliquam fraudem nectere. In summa aliquam coquere invidiam.

diam. Ita me amet Christus, ut ominosum mihi hujus nebulonis fortuitum omnem occursum esse arbitror. Atque igitur, quoquo iturum præscivero, statim inde diverto. Proscidit me non semel in sermonibus, neque id obscure. Tales nunc habet Germania apostolos, tales evangelii præcones, ferendos illos quidem, vitia hominum quatenus benigne arguebant. Nunc cum omnia sibi licere putent, & ex libidine cuicui volunt maledicant, nullo religionis zelo, nulla pietatis recordatione evangelium prædicent, pro divino verbo convicia semineut, in publico sacro privatam injuriam ulciscantur, imo injuriam ipsi inferant, ac innocentibus discrimen objiciant, cum hæc omnia superbe, crudeliter, immodice, ac insolenter faciant, quid obstabit, quo minus aliquando baculis ac lapidibus talis modi hypocritis obturbemus? Quod si me audiat Germania, quamquam inferre Turcis bellum necesse est hoc tempore, prius tamen huic intestino malo, remedium apponere, quam de Asiatica expeditione cogitare jussero. Nam quid Othomannorum domum, imperandi studio inimicam nobis, excisam tantopere cupimus, si istos ferimus in medio nostri universæ pietatis inversores? Christianæ sinceritatis conspurcatores? Fidem apostolicam millefariam semper scindentes? novarum semper dissensionum ac novarum turbarum auctores? Nisi vero obscurum est, quis ab ecclesia strenuam gentem Bohemos abduxerit. Ut illud interim silentio transeam Bernense Prædicatorum scelus, fœdam Germaniæ notam, ac in memoriam non revocem publicam orbis pestem Sergium monachum, Mahumeti alumnum, & reliqua sileam, omnis generis mala, quæ dum nimium, nimium proh Christe pii esse volumus, non punimus; non expiamus. Tu vero, quid consilio ibi meo uti vis, cum tot ex epistolis meis, quid a nobis communiter fieri velim intellexeris. Quanquam interim dubitatio accessit. Obstinatissime hos a nobis contemni, quam infensissime aliquando impugnari præstet. Certe enim hoc contemnere, quod ego omnibus hactenus Apologiis prætuli, non satis esse videtur, ad illud, quod paramus, ut vigeant literæ. Barbaries exulet, docti in veneratione, scioli passim despectui sint. Id quod Christo adjuvante, ad aliquem jam progressum deduximus, sed non quo oportet. Utinam tecum essem, ut consilium hac in re meum disceres. Incipiunt isti mutuo se conficere. Qui cum apud Francofurdium annos haud multos, super divæ virginis Mariæ conceptione (nam de re tam nihili, omnia in contentionem protraxerunt, hinc Franciscani, inde Prædicatores) digladiarentur, parum abfuit, ut ingentis sibi mali auctores ipsi essent, concitatis in se passim principum ac episcoporum animis. Paulo post illa Bernæ quæ exarsit conflagratio, omnibus dominicalium monasteriis, haud obscurum minata est excidium. Jam vero quod tu ignoras forte, Wittenbergæ in Saxonibus altera adversus summi Pontificis auctoritatem insurrexit factio, altera indulgentias Papales adserit. Magnis utrinque conatibus res agitur. Magnis viribus certatur. Monachorum ductu partes congrediuntur. Ipsi duces strenui, vehementes, concitati, alacres, clamant, vociferantur, plorant nonnunquam, & fortunam incusant. Novissime ad scribendum quoque adjecerunt animos. Factum librariis negotium. Venduntur propositiones, corollaria, conclusiones, & illi multis sæpe exitiosi articuli. Sic spero fiet, ut mutui interitus causas sibi invicem præbeant. Ipse de hoc negotio nuper factus certior, a quodam ex fratribus, hoc illi respondi, consumite, ut consumamini invicem. Opto enim, ut quam maxime dissideant inimici nostri & pertinacissime se conterant. Ac faxit Deus Optimus Maximus ut intereant & emoriantur, qui surgentibus impedimento sunt literis. Quo aliquando enascantur, viva pulcherrimarum virtutum, quæ toties isti conterunt, plantaria. Tu tibi consiste Comes nobilissime, teque confirma. Me quidem in omnes eventus habebis & periculorum & laboris socium. Traducam interim ad partes quosquos in principum aulis aptos esse videro. Sed & jam nunc multi clari viri nobiscum faciunt. Quippe Capnionis causam potens in sua civitate tuetur apud Norimbergam Bilibaldus Pirckheymer, Augustæ Peutingerus, in Pannoniis & Viennæ Cuspianus, uterque opibus pollens ac eruditione splendidus. Faciunt idem, qui Maximiliano Cæsari a consiliis sunt, magnus vir Jacobus de Bannisiis, Jacobus Spiegel, & Joannes Stabius. In Galliis vero hoc in Capniomastigas odium strenue alit, vir nobilis ac egregie eruditus Guilielmus Budæus. Et ibidem constanter nos tuetur Copus Basilienfis regi a medicinis, ac Stapulensis Faber, qui philosophiæ nostro ævo studiosis maximum adjumentum attulit. Apud nostrum autem Albertum quid aliquando omittit, quo quidem Capnionis exaltationi, illorum vero detrimento prospectum esse possit, Henrichus Stromer physicus, candidissimus literarum ac literatorum amator, ac mihi ob id summe charus. Lipsiæ, quanquam pertinaciter adhuc reluctentur Sophistæ, erigunt se tamen literæ, & augentur recta studia. Et Wittenbergam a Friderico principe accersuntur qui Græce & Hebraice doceant. Jam ut ad illud redeam episcoporum columen Albertum nostrum, dici non potest, quam is consultum velit studiis. In admirationem te perducet, si quando videbis, hujus ad Erasmum epistolam. Sic benigne salutat. Sic cupide ad se vocat. Domi vero bibliothecam illius semper in manibus habet. Neque Erasmicum quicquam exit, quod non studiose legat. Cujus ut aliquid penes te memorabile sit, accipe rem facetam, sed quæ documento erit, quid de hoc principe sperandum sit. Cum illi obtulisset Stromer omni conviciorum genere, refertum libellum Pepericorni, adversum Capnionis amicos, legit quidem, sed lectum, ut ad ignem forte confederat, impurissima Judæi nebulonis maledicta detestatus, & hoc omnium sæculorum memoria dignum Apophthegma præfatus. Sic pereant, qui sic loquuntur, flammæ injecit. Quæ omnia spem faciunt nobis, eo quo tendimus evadendi. De aulica consuetudine quæ objicis mihi, quia non epistolam, sed sermonem potius, aut volumen desiderant, expecto aliquod meum otium, unde me tibi expurgem. Interim ne crede aliquid a nobis de pristina consuetudine remissum. Aliquando in gratiam cum Musis redire propono, si modo illæ mihi iratæ sunt, ob necessario admissum superbi Martis studium, ut quæ sæpe prius in castris inter armorum strepitus pernoctarunt. Valde probo, quod incen-

incendiarium Cucullionem ulciscēris, & cupide expecto ea quæ promittis. Perge ut cœpisti. Oderint, dum metuant. Quanquam illud tibi cum multis commune erit odium. Porro certum est bonos omnes, quicquid isti oderint, valde probaturos. Epistolam tuam quam ad meam defensionem rescripsisti, non accepi. Scribe cui dederis perferendam. Intra quatriduum in Saxonas redeo. Tu rectissime vale, ac valetudinem tuere. Moguntiæ III. nonas Apriles sinceriter. Citra pompam.

HERMANNUS NUENARIUS COMES, ad Lectorem.

EN opportune tibi lector candidissime, defensionem Capnionis nostri, nobis nuperrime ex urbe Roma transmissam, per amicum quendam fidelissimum. Quæ edita est a quodam celeberrimo & acutissimo Romanæ academiæ theologo, quem in sua Apologia non audet nominare Reverendus calumniator. Est autem defensio illa ipsa, de qua scribit. Si hic heros sit vir ille, qui facturam fecit, cui initium nascitur. Rogasti me mi Stephane. Hæc ille, Audistin, rhetoricantem istum logodædalum? sed audi quæ sequuntur. Sciant quoniam satis acceperunt responsi, quod in hanc usque horam Romæ apud reverendissimos dominos Cardinales citra replicam perdurat. Hæc iterum ille. O bellum ænigma si Oedipum sortiatur interpretem. Dii me perdant, si non prius in Sphyngem incidero, quam enodare hoc sophisma præsumpserim. Exposuit tamen mihi quidam amicorum dicens, videri sibi ad hoc tendere sententiam, ut Romæ jam huic defensioni abunde satisfactum credamus. Quomodo ergo verum est quod præmisit, quando de tertio Heroe inquit, quod ignis devoraverit omnia, quæ ille pro Capnione coëgerat. Si hoc est, quod verba hæc Heracliti scriptis obscuriora significare volunt, bene habet, si ignis nonduin visa absumpsit. Quomodo ipse vidit, & respondit? bona venia Reverendi hujus patris dictum velim, impudentissimum, & plane suum esse figmentum. Quomodo enim dicere audebit a se responsum fuisse coram Reverendissimis Cardinalibus, qui ipsum ne audire quidem voluerunt, quando multa rabie & malis furiis exagitatus, omnia miscere suis syllogismis, suis inquam, hoc est ineptissimis clamoribus cupiebat? quando ad valvas sacrarum ædium conclusiones suas affixerat. Mihi negare audebit? (negabit tamen, quid enim non neget, qui omnia negat, præter ea quæ solus affirmat.) Negare inquam audebit suas illas conclusiones, ne dicam confusiones, Romæ in lutum, in pulverem, publice conculcatas, & ab ipsis sacris possibus passim direptas fuisse, omnium prætereuntium maximo cum risu & joco? an negabit tum quum ad notitiam hujus Herois consequendam ferventissime anhelaret, pollicereturque se publica verbositate omnia capita Defensionis Reuchlynicæ demoliturum, responsum accepisse. Rem jam abunde disputatam, & a doctissimis viris optime perlustratam esse? quare importunus Declamator turpissime rejectus fuit, & repulsam suæ importunitati convenientem meruit. Hinc factum procul dubio, ut ad notitiam Herois illius, qui hanc excudit Defensionem pervenire non potuerit. Gratuletur ergo sibi de tam glorioſa responsione, quam (ut opinor) muti tantum audiverunt, quia nemo hactenus de ea quicquam prodidit. Sed quid hoc est quod dicit? Si adhuc (inquit) illa aut alia hujus Herois sint patrocinia, in lucem prodeant atque edantur. Videbitur nobis non deesse, quod pro Deo & veritate loquamur. O virum pro Deo & veritate loquentem. Quid dicam? Pudet ne nihil tam temeraria & profana verba proferre? quid cum conviciis & calumniis Deo? quid cum mendaciis veritati? quid Christo cum Astaroth? nugetur quoad libet, struat calumnias, convicia exerceat, modo Deum & Veritatem ne tam temere in jus trahat. Cedo facile, ut in homines debacchetur, Dei nomen abhorreo in tam frivola concertatione, tam licenter a quovis etiam levissimo homine profanari. Satisfaciam tamen petitionibus ipsius, quæ ex tanto desiderio proficiscuntur. In lucem prodibit, & sese duello objiciet Heros quem provocavit. Denudet jam pharetram tot egregiis syllogismis gravatam, si quid habet promat, exoneret nunc illa plaustra, pluribus elenchis conferta. quam poëmatiis Thespios illa fuisse narrantur. De quo tritum illud: Dicitur & plaustris vexisse poëmata Thespis, proferat tormenta illa magnifica, quibus (si Diis placet) vix culicem conficere possit. Prodeant gigantes isti terrigenæ, & moliantur adversus superos arcem. Imponant Pelio Ossam, ad ultimum, parturiant montes, nascatur ridiculus mus. Nos interim pigmæi subsistemus, & eventum non sine risu contemplabimur. Meminerit etiam interim, egregius iste & animosus Cyclops, cum suo (nescio quo) balbutiente διδασκάλῳ, quo dictante (ut mihi videtur) hæc sua heroica figmenta conscripsit, nos pigmæos optimo esse animo & perbelle sperare, quando nobis adversus ranas pugna ineunda est. Quas facer Hieronymus vocat eos, qui in Dialecticis spinetis & sophisticis strophis sua ingenia torquent affligūntque, nihil scientes, & omnibus rebus temere sese ingerentes. Hos comparat pesti qua inter alias Ægyptii fuerunt afflicti. Hoc est ignavum illud pecus fucorum, qui alienis opibus, non proprio labore feliciter vivere cupiunt. Meminerint ad nos nihil attinere, quod de Catone & Hercule non minus inepte quam arroganter intulerunt, quos viros in numero semideorum egregios fuisse constat, & strenuos. Quorum alterum integerrima vita, alterum maxima & incomparabili audacia viguisse historiis proditum est. Nos vero adversum Epicuri de grege porcos, aut si mavis canes quosdam Circæos scripsimus, omni passim in cæno se turpiter volutantes, quorum nobis incognitus numerus semper fuit, nisi quod nunc duos protraxerunt ex theatro virorum fortium, quos traducere secum vellent, in barathrum & sentinam suorum vitiorum, videlicet ut hic Cato (*a*) sit, homo frugi & integer. Ille (*b*) Hercules vir fortissimus, & maximo animo præditus. O Cato, quomodo nunc Turpiliani Senatusconsulti causam dicere cogeris? Quo nunc excidisti? ut in re frivola, & propemodum puerili, rem familiarem turpiter profunderes? Num cucullam etiamnum induisti bone Cato? & factus es

(*a*) Cato Hochstratus. (*b*) Hercules Ortwinus.

alienæ pecuniæ, prodigus, qui prius ne domesticas quidem sine parsimonia & frugalitate curabas? Quomodo perjurii, calumniæ, infamiæ, dicacitatis, levitatis, & falsi notam nomini tuo imponi passus es? Posthac non mihi Censorius, aut Uticensis vocaberis, sed vere Porcius, i. e. porcarius. Tu vero Hercules Antæum nactus es, quo cum luctari possis. Nam si ad umbras hominum terreris, quid jam pugna opus est? Pudeat igitur te o Hercules ficticie, tot egregiorum facinorum, pudeat te nominis tui, qui in grammatistam versus diceris, quem obscuri & nondum visi homines, usque ad orbis angulos fugere coegerunt. Adeo nunc tui ipsius immemor factus, ut inertiam tuam lamentando prodi malis, quam certando, & dum hoc agis, tam es ineptus & ridiculus, ut risu non homines modo, verum etiam Juppiter ipse alioqui tibi charissimus e-mori possint. Sed valeant isti cum suo Hannibale, quem sibi ducem constituerunt, cæci luscum, cujus vivam imaginem, cujus effœminatos & vere Campanos mores, cujus perfidiam plus quam punicam, pulcherrime Cucullatus Hannibal expressit. Hunc ad postremum, unus Scipio retundere potest. Lector bone, ne te commoveat, quod tamdiu ludimus. Nondum mihi cholera incanduit, prius levare splenem oportuit. Posthæc bili indulgendum est. Parum olei & operæ hactenus impendimus, quod reliquum est arridentibus astris, exactius curabimus. Jam jacta est alea, Defensionem hanc cum Nazareni dialogo conjunge. Deinde Acta causæ (siquidem curiosus es) diligenter adhibeto. Omnia ad metam usque continges. Vale, Coloniæ idibus Aprilis.

EJUSDEM HERMANNI NUENARII
ad Lectorem hendecasyllabi.

LEctor quisquis es, attamen pudicus
Sis, aut moribus optimis probatus.
Hunc tu perlege quæsumus libellum,
Æqua singula digerens bilance.
Nam nos ingenuos citare tantum
Lectores soliti, bonos piosque.
Arceri volumus gregem petulcum,
Hos inquam cynicos leves cucullos,
Quovis rhinocerote sæviores,
Quovis aspide virulentiores,
Ipsis passeribus salaciores,
Ipsis & canibus gulosiores.
Hi cum delitiis fluant soluti,
Mores attamen arrogare castos
Audent, & sibi regulam Catonis.
Cum sint nequitia, procacitate,
Dolis, fraudibus, artibusque pravis,
Pares Alcinois, Neronibusque.
Quorum scripta legens modeste lector,
Merdis omnibus obrui jubeto.
Nam cui Casia spirat, aut Amomum,
Hunc lædunt olidæ nimis cloacæ.
Quare naribus obstruens meatum,
Lector candide tu tibi caveto,
Ne te pagina tam cacata lædat,
Flammis & pice digna concremari,
Vel saltem putidis premenda merdis.
Quæ nihil nisi turpe barbarumque
Spurcum infame sophisticumque garrit.
Sed jam comprime ludicros Thalia,
Ludens hendecasyllabos proterva.
Non est lusibus hæc agenda scena.
Non est versibus explicanda paucis.
Sed cum res vocat, omnibus camœnis,
Quas vel Itala nutrit, aut Pelasga
Tellus, ipse meas feram querelas.
Et tum sanguine tincta viperino,
Mecum spicula deferam cruentus.
At vos interea valere sanos
Lectores cupio, petoque, Dixi.

Joannis Reuchlin viri clarissimi Encomion: Triumphanti illi ex Devictis Obscuris viris: id est, Theologistis Colonienssibus & Fratribus de ordine Prædicatorum: ab Eleutherio Bizeno decantatum.

ULRICI HUTTENI OPUS.

Eleutherii Byzeni in sequens Encomion triumphanti Capnioni decantatum, ad Principem ac populum Germanorum præfatio.

ECCE VOBIS TRIUMPHUM CAPNIonis, ô Germani, ejus Capnionis, quem vos è faucibus perditissimorum hominum Theologistarum, ut vobis supereesset hæc gloria, summa contentione eripuistis. Proinde exultate ac plaudite. Non parva enim res effecta est, datumque vestri erga summos viros studii documentum ingens. Perculsa infimorum hominum invidia. Effrenatæ profligatorum nebulonum libidini frænum inditum. Habitus honor studiis. Proposita virtutibus præmia. Revocatæ ab interitu literæ, Diis gratia. Ex longo ac pudendo errore oculos recepit Germania. Sic vos laturos Capnionis afflictionem, ut multa nostri majores, putabant. Quod quia secus cesserit, deum atque hominum fidem incusant. Quia enim tot tantaque prius scelera impune tulerunt, innocente erepto Capnione, indigna se pati clamitant, quod certius nihil existimaverint nuper, quam se potitos adversus Capnionem ac literas victoria, cum anno abhinc tertio Jeuntem Romam, pecunia servitiis ac equis instructum Hogostratum, modestius fortuna uteretur, frustra monerem, ut qui semel sublatis cornibus ferocire non desineret, securus sibi confectæ feliciter rei. Memini opprobratam nobis in Italia hominis insolentiam. Tantum, inquit, aliquis licet in Germania fratribus? Velabam ipse verbis quantum licuit nostram turpitudinem. Et cum passim Bernense scelus caneretur, dissimulabam, è quorum colluvione immensa prope ac pessimi exempli scelera profluxissent, eos apud nos augeri honoribus, dotari muneribus,

bus, ac reditibus locupletari. Porro illud metuebam ne erumperet, id hominum genus cenſendis moribus ac ſtudiis noſtris præfici. Affligebatur interea bonus Capnion ipſe noſtram vicem dolebam, & mecum inſontis caſum indignabar amici. Neque ſegnius parta jam victoria exulto, ut qui in exitium peſſimorum hominum latam jam pateſactam feneſtram videam. Quippe Turcas nego aut ardentiori dignos odio, aut majori oppugnandos opere. Hi ſunt, quibus, temporum infelicitate recta ſtudia interierunt, literæ proculcatæ ſunt, divina Theologia ad inutilem loquacitatem, meras nugas, aniles ineptias recidit. Latius jam evagor. Nec vos pigræ agnoſcitis Theologiſtæ, veſtræ vobis culpæ conſcii. Quibus profecto lætius nihil ominor, quam ut regnaſſe vos dicatis. Valent artes, vigent ſtudia, florent ingenia, barbaries exulat, doctiſſimum Pontificem veſtræ piget ſtoliditatis. An quicquam ultra audebitis, quibus tam infeliciter auri Judaici piſcatura ceſſit? Ne facite. Oculos habet Germania, vobis detractum velum. In aperto conſtituti, neminem cælabitis. Regnaſtis, aut malo Chriſtianæ Reipublicæ fato, aut eorum qui vos paſſi ſunt ſcelere. Quis enim per deos immortales tam iniquus Pontifex, qui nobis primus hoc jugum imponebat? Aut quis ita ignavus orbis terræ Imperator, qui ſic manifeſte noſtram nobis libertatem eripi ſinebat? Sed recte adverſus Capnionem inſurrexiſtis hoc tempore. Nam ejus viri magnitudine perſpectiſſima, ignorare ſe diutius Germania non potuit, ſervare ſuum decus, ſuam gloriam ſtuduit. Mecum igitur inſultate victis Germani. Nam quo majori difficultate hæc parata victoria eſt, utpote octavum jam annum oppugnato Capnione, eo vos tenacius meminiſſe inſterum oportebit, quatenus quid ferre debeatis. Sed jam triumphantem Capnionem ſpectate ac plaudite.

In Triumphum Joannis Reuchlin, alias Capnionis, ex Devictis Theologiſtis Colonienſibus & Prædicatorum ordinis fratribus Encomion Eleutherii Byzeni incipit.

Dicat Io, ſi ſe novit Germania, dicat
Virtutemque ſuam dignis concentibus æquet.
Ecce triumphantem excilos Capniona Sophiſtas
Et debellatos recipit ſua patria fratres.
Nec tamen una capit, quanta eſt Germania Phorcen
Plena viri defert, & ab hoc ſplendore niteſcit,
Integer ille tamen patriæ redit, abjice curas,
Si qua tibi belli eſt, ſive eſt tibi Phorca gerendæ
Ulla rei, ſtudiumque unus ſibi vendicet omne
Unus enim decori eſt. Quod ſi nunquam mœnia poſſet
Helvetius delere furor, populique bibentes
Exiguos Rheni fonteis, & ſortis iniquæ
Te premerent caſus, ruerent turresque domusque
Occideret populus, ſolo hoc tua ſtaret alumno
Fama ſuper, ſcirentque tuum venientia nomen
Secula. Quid cives fortunam aut arma timetis?
Jamdudum eſt aliquid muro vivacius iſto.
Turribus ac templis iſtis, tectisque domorum
Munera quæ veſter vobis largitur alumnus,
Invitis equidem fortunæ oſoribus amplæ
Et quibus in voto eſt famam allatrare bonorum,
Qualis erat, ſtat adhuc, ſtabitque cadentibus iſtis
Contemptum in cinerem. Namque hac compage ſoluta
Corporis, ille tamen vivet. Mors juris habebit
In Capniona nihil. Jam vertice ſydera tangit,
Jam divinus homo volat, & mortalia temnit.
Invidiaque ſua major, nec tangitur ulli,
Nec curat quenquam merito tu patria gaude
Læta tuo, quod enim genuiſti, hæc ille rependit
Præmia, ut in ſeros maneat tibi fama nepotes.
Vos etiam ante alios certate & vincite cives.
Veſter hic eſt, & ut eſt, paſſim jactare licebit.
Quod foret exitio populi, veſtroque parandum
Sanguine, deſidibus vobis, & pace ſolutis,
Ille dedit, peperitque ſuo diſcrimine famam
Nominis æterni, quæque omne ſuperſit in ævum.
Dicat Io, ſi ſe novit Germania, dicat.
Ingeminetque iterum, bis io Victoria clamat,
Et ſecum clamare jubet Capnione recepto.

Capnionis patria.

Capnionis immortalitas.

Huc juvenes, huc ite ſenes, celebrate triumphum,
Turba ruat matrumque virumque, & læta puellæ
Agmina, compti omnes, & feſtis cantibus omnes,
Serta gerant, floresque viis, & olentia ſpargant
Gramina, dent frondes & primos veris honores.
Dent manibus teneros frondenti ex arbore ramos.
Sit demiſſa viris toga veſtis, ſit vaga caſtis
Inſtita matronis, longæque volumina Pallæ.
Præterea lectæ peregrino ex æquore baccæ
Incluſæque auro gemmæ, cum torquibus aureis.
Sit ſtola, ſint limbi, vinctoque monilia collo.
Sericaque, & raræ veſtes precioque coloreque.
Et ſtrophium, & capitis velum, quod cum nive certet.
Quicquid & ornatus, quicquid cultusque nitorisque
Et quod quæque poteſt, & quod ſua quanque facultas
Ferre ſinit, quæ cuique domi ſtat copia rerum.
Candida ſuccinctas commendent Galbana nymphas
Et zona, virgineumque aſtringens faſcia pectus
Coraliumque teres rubicundi inſigne pudoris
Quæque alibi molles ſignant geſtamina mores
Hic etiam caſtas deceant. Sint vertice nudo
In terga effuſis, quos verberet aura capillis.
Pexaque contortis circundent tempora ſertis.
Una omnes hi voce canant, uno ore loquantur,
Quam ſibi ſervarunt Capnione ſuperſtite laudem:
Dicat Io, ſi ſe novit Germania, dicat.
Vix melior cur dicat Io ſe cauſa dediſſet,
Cæſare ab Euganeis nacto ſpolia ampla tyrannis.
Forte tamen melior, ſed non pugnavit in armis
Noſter hic, haud gladios præfixaque robora ferro
Pugnantis geſtamen erat, neque caſſide vertex
Splenduit, & nullus munivit pectora thorax.
Certatum ingenio eſt, vicit tot millia ſolus.
Victor ab oppreſſis Venetis, Galloque ſubacto
Citra Atheſis tumulos, & onuſtas nubibus alpeis
Terrarum dominus ſi quando ad vota redibit,
Quæ diis perſolvat patriis, auguſtior illo
Plauſus erit populi, & pro conditione triumphus.
Altera tum ſcænæ facies erit, altera pompæ,

Invitatio ad celebritatem.

Digreſſio ad Cæſarem Maximilianum.

Et perhibenda oculis alio ſpectacula ritu.
Fulgidus ipſe auro, & curru ſublimis eburno,
Poſt Venetas ſe oſtendet opes, quosque Adria longo
Tempore, tot ſpoliis populorum aggesſit in unum
Theſauros vehet, & raptas prædonis iniqui
Divitias portabit aqua terrisque petitas.
Et ſpoliatorum miſere patrimonia regum
Ibunt & ſcelerum autores in veſtibus atris,
Fune ligati omnes, vinclisque tenacibus omnes
Nec ſe jam Venetos dicent, aut eſſe putabunt
Terga prement equites, atque auxiliaria belli
Turba ducum ereptique armis, & ab hoſte recepti.
Captivi cives, nitidisque exercitus armis
Et quæ non locus eſt, ut nunc ex ordine dicam.
Omnibus argentum Germanis omnibus aurum
Ex prædâ dabitur gemmæque & purpura & oſtro
Diſtinctæ veſtes, & ſi precioſius iſtis
Eſſe poteſt aliquid, diverſis tunc quoque ſurgent
Fixa trophæa locis, victorum æterna ſubinde
Virtutis monumenta ſuæ, memorabile nomen
Sentiet hoc, miroque feret nova gaudia Rhenus
Et ſe lætitia ripa diffundet utraque
Exultabit agris, & campo ludet aperto.
Carolus Magnus. Qualis erat, cum te reducem victricibus armis
Orbe pererrato, victisque, quot orbis adiſſes
Marte æquo, populis, tumido lætiſſimus amne
Acciperet domitis regnantem Carole Gallis
Deque tuis genti tradentem nomina Francis
Aut certe quam lætus erat, patiente ſupremam
Italia cladem, rigida Friderichus ab alpe
Cum tranſportaret Suevisque exponeret arvis
Terribileis aquilas, mortemque ferentia caſtra
Sentiet hoc, ſecumque Iſter feret amne ſecundo
Perculſura feros triſtiſſima nuncia Turcas,
Ultimus arctoum tranſibit rumor ad Albim.
Iſque tibi gaudebit ovans, hilaremque perinde.
Oſtendet vultum, & pleno laſciviet amne,
Ac ſi forte ſuos iterum cognoſcat Ottones
Victores Latii, patriam componere pacem.
Scilicet exciſis Venetis Germania ducet
Longe alium in morem tibi Maximiliane triumphum.
Capnion ingenio triumphat. Nunc locus eſt merito Capnionem inducere plauſu.
Ingenioque viri dignas perſolvere grates.
Ingenii labor eſt, ſint præmia digna labori.
Par animo referatur honos, neve haud ſit honorum
Auſpiciis viciſſe tuis, ſine Cæſar ovanti
Pro lauro molles hederæ decerpere frondes.
Quanquam etiam lauri, quam tu, cum præmia magnis
Confers ingeniis, hac vatum tempora cingis.
Non petit ipſe quidem, ſed nos decerpimus illi.
Dicat Io, ſi ſe novit Germania, dicat.
Obviaque incedat parvæ prope mœnia Phorcæ
Quanta poteſt numero Capnioni læta reverſo
Ille redux curru vehitur, victisque triumphat
Hoſtibus, & ſecum ſceleratæ agit agmina turbæ.
Vicit enim, victosque jubet ſe ducier ante
Conſpicuam populo prædam. Ne quære quis hoſtis
Spectator, monſtra ipſa vides, monſtra, omnia monſtra.
Herculea mactanda manu. Sed ab Hercule certe
Res acta eſt, vicitque ſenex, victorque triumpho
Dommii ici fratres duci jubet, hoſtibus illis
Confecti im eſt bellum. Tum qui adjuvere trahuntur.
Ante triumphales Capnione ſequente paratus.
Ex Ubiis delecta manus, tu Tungare fruſtra
Nunc maerens, quique inſignes Ortuine furores.
Attuleras tecum vanam ſine viribus iram,
His comes; & belli ſcelerata ligatur origo
Ad Chriſti temere ſectam traductus Apella.
Quem ſequitur numero non inenarrabile vulgus
Triſte Sophiſtarum, vinctique a ſune Magiſtri
Auſi omnes immane nephas, auſoque repulſi
Quos quia nunc ſpectat manibus poſt terga ligatis
Nil ultra audere, & victorem agnoſcere victos,
Dicat Io, ſi ſe novit Germania, dicat.
Quomodo petitus Capnion. Jam vacuum curis, atque ambitione ſolutum,
Viventemque ſibi, reliquoque ſuavius uti
Tempore quærentem, ſtudia inter ſancta librosque
Lite relegata feſſum, effœtumque ſenecta
Invaſere ſenem innocuum, nil tale merentem.
Cauſſa viros movit, quia nil ſupereſſe videbant,
Poſt Bernenſe nephas, quo ſe inquinare liceret.
Vide lector. Reſpexere diu, placuit Capnione reperto
Exerere invidiæ ſtimulos, ſolitumque venenum.
Sollicitis quo principio ſe accingere poſſent,
Flagitio, curas recutitus apoſtata ſolvit.
Jo. Pfefferkorn judæus. Conſiliumque dedit, ſed verſu dicere durum eſt.
A piperis grano germanum nomen adepti.
Hunc olim pœnas fugientem, extrema ſecutum,
Opprobriis coopertum hominem, famaque ſiniſtra,
Flagitiique reum, ſimulantem, ac multa voventem
Ad Chriſti traxere fidem, præſtabat in illa
Religione mori, & pro factis ſolvere pœnas,
Quam bellum ac fœdas nobiſcum accendere lites.
Quomodo laceſſitus Capnion. Neſcio quæ ſtolidus commenta edenda pararat,
Certe aliquas nugas, patriæ ſecreta relictæ
Sacra recludebat iudæosque igne cremandos
Cenſuit eſſe libros, paſſimque hæc edita juſſit
Eſſe palam, populoque legi, jamque id fore magnum
Crediderat, nugasque ſuas laudabit ineptus.
Tum dare conſilium noſtris magnatibus auſus
Bellus homo, gravibus cauſſam de rebus agebat.
Contra aliquid noſter facto conſultus eodem
Scripſerat, ignarus, quid propoſuiſſet Apella.
Arripit hic anſam, ventum eſt ad jurgia, movit
Magnum animum Judæus homo, ſcelus omne refellit
Et pro ſe dicit Capnion, iterumque rebellem
Et quiddam ſceleris molitum, inſigniter acri
Impete congreſſus fundit, vidiſtis euntem
Fronte humili cives, audiſtis humillima verba
Ridiculi capitis, ut qui nil Marte valeret,
Fraude nova peteret, demiſſo ibi perfidus ore,
Pallidus, informis (quanque eſt hoc ſemper) & atra
Flebilis in tunica, monachos adit, haud ita facti
Ignaros, ut Apella dolo prætendit, ut ipſi
Hoc ſimulant. Tunc falſa movet miſeratio fratres Cauſa theologiſtarum.
Continuo, & bellum Capnioni triſte minantur,
Ni ſi qua ediderat, damnet, verbumque retractet,
Eſſe aliquid ſcriptum damnabile, ſeque peritos
Hinc inde arreptos varie diſtendere ſenſus,
Et monſtrare nefas, quenque ignoraverit ipſe
Eluere errorem, ſolos ſe cernere verum

Idque

Hochſtratus. accuſator & judex.

Idque ab ſe quæri. Negat ille erraſſe, paratur
Indicium, accuſat Capnionem, & judicat idem
Acer Hogoſtratus, ſcriptis quoque lædere quærunt
Allexere Ubios fratrum ad ſe cœpta Sophiſtas,
Una omnes ruere, & pugnam miſcere parati.

Tungarus.

Pallidus in primis, & olenti Tungarus ore,
Ultro ſcribit opus, cui putidiore Minerva

Ortuinus,

Ebrius Ortuinus ſcabris ſe verſibus addit.
Deinde alii certant. Hos tu Chryſippe Meneni
Non addes populo? vel non damnabis aperte
Oſtenſum nulla Anticyra purgabile virus?
Ridiculum bellum illud erat, ſed grande periclum
Ni fatuos auſus & dementiſſima cœpta,
Ingenium, notæque viri facundia laudis
Oſtendat cunctis, Capnioni inſtabat, & ignis
Cauſſa gerebatur, quam quo graviore periclo
Rem confecit, eo devicto lætior hoſte.
Dicat Io, ſi ſe novit Germania, dicat.

Stultitia theologiſtarum.

Fletum Heraclites riſum Democritus iret
Stultitiam immodicam, vel quod ſe audacia tantum
Extulerit, vel quod cui totum inſania pectus
Poſſideat, recte ſapere & ſe dicere credat.
Perſuaſum tamen eſt illis, ſeſe omnia ſolos
Cernere, quid verum, quid falſum, quid ſit iniquum
Idque ita non Phœbi tripodas, Deloque petitum
Reſpondiſſe deum, Dodoneasque volucreis.
Corniger & ſi quid libycis in ſyrtibus Hammon
Rettulerit vapido de ſole calentibus Afris.
Omnia vera minus. Sed neſcio, quid mihi tandem
Succurrit, reor hoc ipſos, ubi peſſima dicunt,

Theologiſtæ ultro erant.

Non neſcire, ſed ex animi contendere atroci
Nequitia, ut rectum vertant, iterumque revertant.
Certe his innatum eſt ſcelus hoc, naturaque primum
Inſævit, vires paulo poſt indidit uſus,
Roboraque incuſſit radici, acremque vigorem,
Nil timidis ſcelus in quodvis, genitisque nocere.
Tanquam hæc cum ſuperis habeant commercia divis
Obſtrictosque deos in vota nefaria poſſint
Cogere, cum placeat, vel cum ſua dira libido
Immanisque velit livor, menteſque ſuperbæ.
Per fas perque nefas gerere omnia, dicere, rurſumque
Inficias dicta ire, prius confeſſa negare.
Nunquam ſtare animi decreto. Non ita Protheus
Vertit ſe in varias ſpecies, & vincula ludit
Captantum, pluresque nodos haud novit eundi
In facies multorum hominum Vertumnus, & ora
Artibus his pugnam miſcentibus obvius aſtat

Capnion in Theologiſtas.

Noſter, & intrepido fatuos ſecat ore malignos.
Emittitque libros, mordet, laceratque, necatque.
Occidit, facit infames, ſubigitque tacere.
Enumerat ſcelera, & mores. Prò numina quantis
Viribus, ignotus prius, & nil tale putatus
Poſſe, dedit documenta ſui, quantusque petitus
In clypeum ſurgat, monumento apparuit uno
Tum fremere, atque intra irati ſe rumpere fratres.
Ille exultare, & palmam oſtentare retentam,
Judice non modico, cui non ſententia præceps
Excidit aſſenſu vires Germania latæ
Addidit, & miro Capnionem evexit honore.
Jamque triumphales jubet introducere currus.
Dicat Io, ſi ſe novit Germania, dicat.
Totaque in occurſum Capnioni effuſa, frequenti
Excipiat plauſu victorem, & læta ſalutet.
Tam bonus, & vita tam frugi, rectus ad unguem

Unus homo vicit tot millia, dicite fratres
Unde eſt tantarum vobis prudentia rerum,
Quæ quis vera ſciat, neſcire ut oporteat illum,
Irrita ſi vobis videantur? an impius omnis
Qui non eſt veſtri dicetur ſermo cuculli?
An quicquam eſt, quod vos rarum atque neceſſe ſciatis
Lauriger ignoret Capnion? niſi de ſcobe ſi quid
Scripturæ legitur, veſtræ artes, indita veſtris
Diſciplina animis, quam nec neſcire pudendum eſt,
Nec ſcire ingenuum, vel agendis utile rebus.
Quæ vos Eumenides igitur, vel qui furor egit
Summum hominem pugnam legiſſe potiſſimum ad illam?
Si certare libet, vel ſi ſuperare docendo,
Veſtri aliquem ſimilem de veſtra afferte farina
Væcordes, quid enim ſuperis conferre paratis?
Effractoque Jovem in terras detrudere olympo?
Nec cerebrum vobis, nec pectora ſanior eſſet
Quanquam tot furiis rationi ereptus Oreſtes,
Sanior, occiſum quæ Penthea portat Agave.
Nemo ita delirus, nemo a ſe alienus, & extra
Se poſitus, qui non errorem agnoſceret illum.
At ſapere hoc vobis, & (quæ dementia veſtra eſt)
Mentis opus viſum eſt ſanæ. Nam ſpiritus ajunt
Quod nunquam poteras ullo didiciſſe magiſtro,
De ſacra quoties eſt relligione loquendum,
Simpliciter doctis, tantum credentibus inflat
Spiritus hoc ſanctus? certe is, at cur potius non
Quicquid in hac dictum eſt a vobis lite, vel actum
Phantaſus hoc voluit ſomni prædicere frater?
Aut varius noctu Morpheus? fallaxque Phobetor?
Nanque quondam inter carpenteis penſa puellas
Sæpe aliquid ſimile, & veſtris æquabile nugis
Audivi tenuique puer. Didiciſtis aniles
In triviis arteis, & ſanctus dicitis illud
Spiritus infudit, qui ſi inſpirare volebat,
Cur non hoc potius Capnioni a labe remoto
Sancto homini? cujus vitam non polluit ullum
Dedecus, in cujus mores nil præter honeſtum
Venit, at eſt animus multa illuſtratus ab arte.
Aut ſi ſanctus is eſt dicendus, qui dedit iſtud,
Quique novi ſemper quiddam vel hiantibus inflat,
Dicite qui fuerit, qui ſacrum armare veneno
Edocuit Chriſti corpus, mortisque medelam
Exitii cauſam facere, & fomenta ſalutis
Credita perpetuæ, in crudelem vertere cædem
Num male nota cano? male nota. Sed occidit illo
Septimus Henrichus gladio, mixtamque perenni
Cum vita interitum menſis accepit eisdem,
E manibus Pauline tuis. Non hoc ſcelus ajunt
Noſtrum eſt, qui multis ſucceſſimus annis.
At veſter cocus ille fuit, qui miſcuit artis
Condimenta novæ. Semel inquis fecimus illud.
Berna negat, ſcelerisque affert monimenta ſecundi,
Tempore jam noſtro. Tum vos uſſiſſe ſopito
Vulnera Jeſſero, & ſanctum voluiſſe videri,
Franciſci fratres jactent ne ſcilicet ultra
Autori conceſſa ſuo hæc inſignia ſoli,
Fert eadem ſimulata deum reſponſa, jocosque
Mentitæ Mariæ, per vosque infecta veneno
Sacramenta palam monſtrat, ſcelerata Vigandi
Vox habita ad populum, diroque aſſerta libello,
Deinde remanſa labris, conceptam in crimine matrem,
Jam vetus hiſtoria eſt. Quod galla Lutetia narrat,
Unius

Apoſtrophe ad fratres.

Theologiſtarum ſtudia.

Theologiſtæ de Spiritu ſancto.

Attende.

F. Prædicatorum ſcelera.

Henricus Imp. ſacramento intoxicatus.

Bernenſe nefas.

F. Wigandi Wirt immenſum ſcelus.

Parrhisiense delictum.

Unius est anni, quoddam de plebe cadaver
Restituisse animas, vestrasque ut crederet arteis
Decepisse rudem populum, pœnasque dedisse.
Vestra hæc sunt, & adhuc alios deposcitis igni?
Num veniæ locus est? non est locus. Vrite flammæ,
Et si non æquum est, solo in Capnione furentis
Invehitur in Prædicatores. Tot saltem vitiis dignos necis, urite flammæ
Domminici fratres, morbosam exurite gentem.
Tot scelerum autores. Tu qui Capnione subacto
Arsurus fueras, dignam roge concipe flammam.
Ite omnes, conferte struem, componite fasces.
Dedecus immodicum flamma ulciscemur in illa.
Ferte picem, miscete faces, date sulphura cives.
Et reliquum vulgus pœnis abolete secundis
In Capnione nocens, & adhuc graviora relictum
Dedecora ausurum, lætos tamen ille triumphos,
Et plausus ferat ante suos, læteque ferenti,
Dicat Io, si se novit Germania, dicat.
Fr. Jacobus Astarothus inquisitor hæreticæ pravitatis habitus. Nec det Hogostratto in populo componere lites,
Aut damnare bonos, funesti e fauce latronis
Insonteis animas rapiat, sed jam ille ligatis
Post tergum manibus, frendensque & vincula mordens
Conspiciendus adest venienti Phorca triumpho
Da pompæque locum, foribus sint templa reclusis.
Sint ornatæ omnes quibus hostia concidat aræ
Paratus triumphal. Sparge viis flores, vernali gramen odore.
Disjice, privatas ostendant singula posti
Serta affixa domus. Vos quicquid nobile cives
Quicquid habetis opum, ruite e penetralibus imis.
Quicquid inest pulchri, quicquid mundique venustique
Utque ea spectentur, sublimibus edite tectis.
Pendulaque e pictis hinc inde aulæa fenestris
Ornatura latus demittite parietis ampli.
Vos quoque finitimi speciem hanc augete Suevi.
Vestrarumque aliquod date signum divitiarum
Et festum celebrate diem, celebratior ibit
Vix alius, qui vera magis det gaudia vobis.
Vos ornate urbem, proprioque extendite cultu
Mœnia. Vos portas vectoque aliunde paratu
Conspicuo muros, turreisque implete domusque
Vester honor, vestrum decus est, vobisque propinquo
A Capnione redit, quam nobis gloria major.
Prodiit a vobis. Omnes audete Suevi,
Vestrum ornamentum plausu jactare superbo.
Ad Suevos. Hunc præferte aliis, solitosque excellere solos
Ingeniis Italos, fama ferte esse minores.
De primisque alicui vestrum componite civem.
Nos etiam audemus. Germaniaque objicit omnis.
Id Latio decoris, fulgentemque omnibus horis
Tempore perpetuo, pro se & pro laude suorum
Ostendit lucem, & monachis finit ilia rumpi.
Inferior tamen hoc reliqua est Germania vobis,
A Suevis toti decus hoc quod prodiit unis.
Dicat Io, si se novit Germania, dicat.
Victoremque suum nullo fraudetur honore,
Fercula in triumpho Capnionis. Jam celebri pompa spoliis curruque propinquum.
Prima vehunt juvenes tabulasque, & signa, colossque.
Armaque devictorum imbellia, sumptaque furtim
Instrumenta viris, telum imbecille, librosque
Et spolia & fracto figenda ex hoste trophæa.
Arma theologistarum. Mille argumenta hic, & mille feruntur elenchi.
Et multis nocuum murmur, linguæque prophanæ.
Sacrilegæque manus, promptique invadere rictus.
Exertique labris dentes, nasique recurvi
Luminaque obliquum deflexa superciliisque
Contractæ frontes, oculique horrenda tuentes.
Lividulæque genæ, & rabiosa silentia pressis
Intercepta labris, plenique errore Cuculli.
Et sævi simulacra ignis, quo perdere sueti
Insonteis animas, atque utiliora docenteis.
Prandiaque, & luxus, ventresque, unctique catini
Et lances sapidæ & pandi nidore palati.
Tum scelera & labes & morum monstra suorum
Parrhisiumque nefas, & reproba verba Vigandi
Et quam Berna dedit novitas, sibique ipsa malorum
Conscia corda, dolique agiles, & jurgia, & iræ.
Venditaque in populo levis indulgentia Romæ.
Crimen Hogostratti & qua se fallarius arte
Muniit Arnoldus, de hinc qua veterator Apella
Proditione dedit caussam belloque triumphoque
Improbaque Ortuini Musa, & lutulentus Apollo.
Factioque exitialis, & ausa calumnia multum.
Et rapti precio tituli, nullisque negata
Nomina docticulis & opinio vilis honorum.
Sanguineique styli, & multis funesta papyrus.
Et Plutei infames, graphiumque & inutile tempus
Consumptum studio, & citra ullum industria fructum
Quæque capax scelerum in pingui mantica tergo
His armis soliti in magnis progressibus uti,
Fracta dolent, spectantque vehi, quæ deinde sequuntur
A se oratarum simulacra erecta dearum.
A quibus auxilia, & cœpti munimina belli
Speravere rudes, quibus ambitiosa quotannis
Thura precesque ferunt stolidi, quæ numina primo
Constituere loco quarum omnes resque minasque
Cœpere auspiciis quibus & si quando secundis
Casibus e bello reditum furiisque fuisset.
Grata relustratis posuerunt munera templis.
Superstitio. Prima superstitio est, contemptu ignavior omni
Tota pusillanimis, digna atque indigna ferendo
Anxia, tristis, iners, manibusque ad sydera passis,
Omnia credenti similis, similisque sequenti.
Sæpeque respiciens, timido abjectissima vultu,
Multa putans, puerile loquens, alta omnia sperans,
At nihil inquirens, versata in sorde lutoque.
Hanc primo posuere loco. Sedet arce secunda
Barbaries. Rustica Barbaries, tota aspera, tota rebellis,
Horrida, vilis, atrox, contempto sordida cultu.
Omnis inunditiæ fugiens, fugiensque nitoris
Lauta nihil, nihil urbanis se moribus aptans.
Neglectæ rationis egens, stat pectore crasso.
Fert sublime caput, perplexæ in vertice vepres.
Impexique rubi, totoque in corpore sentes.
In toto stimuli, manuum sunt arma pedumque
Extantes, solidique, & acutæ cuspidis ungues.
Et mucronatæ circum fera pectora spinæ.
Ora situ squallent, in olenti est squama palato.
Plumbea lingua jacens. Ea diva inamabilis ultro
Nec quenquam vocat, & nulli se adjungere certat.
Sacra deæ primi faciles fecere Sophistæ.
Ignorantia. Tertia in extructo sedet Ignorantia lecto
Languida deses, iners, & obesa in gloria ventre
Impetuosa, vorax, semper levis, ebria semper.
Digna odio, deformis, hebes, rudis, omnia jactans
Non aures, non illa oculos habet, utitur una
Plus nimio lingua, sunt ora explere ferinam

Ignis.
Crapula.
Vide.
Berna.
Conscientiæ.
Indulgentiæ.
Hochstratus.
Tungarus.
Pfefferkorn.
Ortuinus versifex.
Ambitio theologistarum.
Numina Theologistarum.

Utilia ingluviem, nullum eſt in fronte cerebrum
Nullus ineſt ſenſus, manibus pedibusque vagatur
Incertum, tenebris gaudet, nutritque profunda
Obſcuri viri. Obſcuros in nocte viros, gerit ordine nullo
Res, nulloque modo, ſæpe hæc ſibi diſplicet ipſi.
Miraturque viros, qui quod ſua numina adorent,
Accipiunt titulos, doctique in plebe putantur.
Invidia. Quarta loco miſera invidia eſt, turpiſſima rerum.
Non deſpecta tamen, ſed culta frequentibus aris.
Domminici primo dignantur honore ſodales.
Ipſa aſcendenti ſimilis, ſummumque petenti.
Torua, minax, truculenta, furens, niſi pelle tegatur,
Oſſea macra genas, neglecta pallida ſomno.
Triſtis, inops, ſine vi ſemper mœſtiſſima ſemper.
Prompta nocere bonis alieno læta dolore.
Læta malo, cunque haud poſſit, quos perdere vellet,
Quaſſatos acuit tacito ſub murmure dentes.
Sanguinis huic nihil eſt, nihil intra viſcera ſucci.
Felle viget ſolo piceique alimenta veneni
Eſuriem vincunt. Sed cum ſine tegmine tres ſint,
Hæc ferrugineo ſola eſt velamine cincta.
Fercula ſpectaſtis, fœta armis, fœta ruinis
Quodque hoſti ſpolium, quæque eſt ablata ſupellex
Hoſticaque ut veris concedant numina divis.
Idque fuit gratum. Nunc deinde ſequentia cives
Aſpicite, atque hilari Capnionem accerſite plauſu.
Dicat Io, ſi ſe novit Germania, dicat.
Quod cupiit, factum eſt, depreſſa minacia fratrum
Colla tulere jugum, tum quæ ſervire negabant.
Cervices, domitæ ſunt in ſpectacla coacti
Et rabidi fratres, & amantes vana Sophiſtæ.
Schola Theolog: Colonienſis. Lugeat, & planctus Agrippinenſis acerbos
Det ſchola, humoque oculos lugens defigat, & hujus
Pœnituiſſe mali, det ſigna, & aperta relinquat.
Erroris monimenta ſui, veniamque precetur.
Et pacem infœlix undeunde extorqueat, oret
Dedat captivos etiam, ſua crimina, fratres
Domminici, torvosque nefas crudele Sophiſtas.
Dedat opem ſi quis tulerat, ferat omnia ſupplex,
Fœdus adorato ſaltem ut Capnione reportet.
Quam mallet laqueo vitam finiſſe, vel enſi,
Quacunque impellente manu, latus obdere apertum
Fr. Jacobus de Hochſtraten. Teter Hogoſtrattus, quam pompa inducier iſta.
Sed neque perditior neque flagitioſior alter
In Capniona fuit, tunc, cum tu perdite judex
Lectus, & abſurdis in litibus arbiter eſſes
Idem accuſator. Die quo væſane pudorem
Fert omnem tibi livor edax? I perdite vinclis
Nexe feras poſt terga manus, da grata ruenti
Ante tuos tractus ſocios ſpectacula vulgo.
Ite deis inimica cohors, tamen ite, Sophiſtæ,
Obſcuri viri. Obſcuri prodite viri, turba indiga lucis.
In nullo verſata die, prodite Sophiſtæ.
Luſtrales animæ, ſcelerisque piacula tanti.
Ite graves Monachi, nam quæ mora? convolat omnis
Ut videat populus. Vos nunc miracula recte
Facti eſtis, parta eſt nunc primum gratia vobis.
Verum inter ſocios ſapientum octavus, & alto
Tertius e cœlo lapſus Cato, nomine gaudet
Vide. Dives Hogoſtrattus peregrina ab origine ſumpto.
Vel Cato vel Cacus dicetur, ſed puto Cacum
Ore exhalantem furiales dicere flammas
Præſtiterit, ſanctis inimica incendia Muſis.
Mandentem cruda, & libros, ipſosque vorantem
Librorum autores. Vome perdite, & egere ſumptos
Aſſueta plus parte cibos. Confundite ſuccos
Purgandus ab inſania Hochſtratus. O medici, miſcete herbas, abſorbeat æger
Bis duo veratri pondo. Niſi viſcera purget,
Vix equidem ſperes iſti ſupereſſe triumpho.
Ut fremit ut ferus eſt, ut ſe indignatur in iſtis
Spectari choreis, ferroque & fune ligari,
Sævitia Hochſtrati. Excorni jam fronte minax. Da cornua fronti,
Da digitis ungues, væcordem Juppiter arma,
Ut quantum eſt iræ, tantum ſit roboris, ibit
Sævior excitis Bemorum e montibus urſis,
Tigrideque hyrcana, ſi quando amiſerit abſens
Imbelles catulos, pœnos ſuperare leones
Qui poſſit furor eſt, Afroque ferocior angue,
Et morſu petere, & jaculari e fauce venenum.
Dic aliquid ſacra de relligione deoque
Hochſtra- Dic hoſpes magna de re, clamabit ad ignem,

Et ſubito damnare volet, ſi ſcripſeris, idem
Et te ſcribentem, & ſcriptos abolere libellos
Igne volet, poſcet flammas, clamabit ad ignem.
Si verum eſt, ignem, ſi falſum ſcribitur, ignem.
Si juſtum eſt, ignem, ſi injuſtum quod facis, ignem.
Igneus eſt totus, vorat ignem, veſcitur igni.
Igneus eſt pulmo, ſpiratque e gutture flammam.
Igne jecur, ſtomachus calet igne, ipſe omnia adurit.
Quod loquitur, flamma eſt, flamma eſt, quod ſcribit ad ignem
Semper in ore gerit, prima hæc atque ultima vox eſt.
Igneus eſt naſus, duræ ſunt lumina frontis
Ignea, candenti cor e carbone coactum eſt.
Ipſe etiam in vinclis ægre ſe continet, ignem
Quo minus exclamet, volet hunc ardere triumphum
Se medium quoties quicquam audit, clamat ad ignem
Et quoties legit, atque aliquos hoc perdidit igne.
Hanc biſſex juvenes ferratis cogere vinclis
Non potuere feram, ſolo a Capnione ligari
Suſtinuit, quanquam ſæpe ingeminaret ad ignem.
Evomeretque ignem. Non ſe pejore tuetur
Igne triceps lycio metuenda chimæra colono.
Non ita quod Cacus, non quod ſpuit Aetna timendum eſt,
Appeturque metu Typhoea flamma minori
Quo ſe, quo mundum Phaëton pene uſſerat igne,
Et quo Troja perit, minor eſt. Nec vincitur illo
Colchides Aemonium quem flant in Iaſona tauri.
Aut quo Eumenides, vel quo ſe Cerberus armat.
Scilicet hoc uno nihil eſt violentius igne,
Si ſucceſſus alat, ſi ſe fortuna furori
Miſceat, & quantum eſt iræ, vis tanta ſequatur.
Dii te agitent Ortuine nephas, ut tu in capite iſto
Virus habes, urisque oculis, ut tu omnia viſu
Conſceleras. Naſo vates quem carmine pingit
Invidiæ vultus, non multum abludit ab illo.
Ne mihi dic ſtudium, ne die mihi peſſime vitam,
Neve inconcinnos mores veriſſimus index
Omnibus eſt vultus, qui te docet eſſe malignum.
Eſſe levem, ſemperque malum, ſemperque paratum
Officere. Ut taceas, quin jam ſeptem egerit annis,
Forſitan haud dicam, dicam haud, at verius omni
Conjiciam vero, te cuncta audere, nihilque
Poſſe negas? at te produnt tua carmina, ſed cur
Crimina non potius? Neque enim videoque legoque
Putidius quicquam, totum inſla verſibus utrem,
Inſla ambas buccas, ut te uno carmine vincat
Buſchius, aut aliquis Muſarum mactus alumnus.
Isque tuis ſimiles, ſi quid certaveris, uno
Mille die verſus faciet. Tu te eſſe poëtam
In populo jactas? quia quo te inſania ducit,
Huc potes emuncto pituitam mittere naſo.
Carmen ais ſcribo, dicam indoctiſſime carmen,
Quod pecus Arcadiæ pecora inter inertia rudit?
Et quod cantat Epops, & quod feralis ab alto
Nunciat Aſcalaphus, tibi non rudiore Minerva
In Sicula Polyphemus aqua contendere poſſet
Quæ cum ita ſint, cur tu Capnionem invadere mavis
Quam furere iſta domi, & tecum inſanire ſeorſum?
An potis es furere hunc intra conclave furorem?
Non ſum ait, exerce miſeris latratibus ergo
Et linguam & dentes, & quæ tibi plumbea vena eſt,
Aude iterum, cernite nefas, fure, corripe, morde.
At ſi quem punire ſtatim pia numina vellent,
Cum tabula, capſisque tuis, pluteoque librisque
Ambuſtum facerent, collapſo deſuper igni.
Aſpice, ut intorquet vultum, oculosque minaceis
Improbus, & quærit furiali offendere circum
Intuitu. Quod ſi ſalvos nos eſſe volemus,
Lictor ades, frontemque liga, ne faſcinet omnes,
Invitus ſaltat concentum Ortuinus ad iſtum.
Sed gratum eſt unum hoc, ſocioque Tungarus illi
Agmine contigerit, contra Capnionis honorem
Prævia quod tulerat magno vexilla tumultu.
Et duce Hogoſtratto ſævibat in ordine primus,
Ortuino perflante tubam, doctoque ſonoro
Aere ciere viros martemque accendere cantu.
Auſus hic in Capniona libros conſcribere, paſſim
Edidit in famam, relegique a Cæſare juſſit.
Ocia Cæſar habet, vacet his ut inepte fabellis?
Ulterius tamen inſanis, flammamque minaris.
Errat enim exclamas Capnion, iterumque ais errat.
Hoc abs te dici capitale eſt Tungare, cum te

tus ad ignem.

Ignis Hochſtrati.

Ortuinus Gratius Daventrienſis.

Ortuini verſus peſſimi.

Furor Ortuini.

Faſcinantes Ortuini oculi.

Arnoldus de Tungaris.

Scripta Tungari in Capnionem.

Tungarus ad famam adſpirat.

Digreſſio ad Capnionem.

Somnium Tungari.

Inſultatio.

Tungari ſcripta.

Maceratio Tungari.

Conſcientia Tungari.

Diſſimulator Tungarus.

Joannes Pfefferkorn Judæus tinctus.

Tota errare via, cuncti videamus, at illud
Propoſitum eſt, ut fama operis te proferat hujus.
Atque iſti certaſſe viro te utcunque feratur,
Egregium ducis. Tanti facis improbe famam,
Artibus ut pravis, fœdo ut certamine quæras?
Forte parum fuit hoc, quod adhuc falſarius audes
Depravare libros, ſanosque invertere ſenſus,
Unde alicui poſſit Capnion erraſſe videri
Mallem ego perpetuæ cives oblivia famæ
Quam ſic eſſe ſuper, quam ſic mihi quærere nomen,
At quia ſigna tulit, quia primus atrocia ſumpſit
Arma, tulit pretium jam nunc certaminis ingens
Tungarus, & gaudet ſaltem a Capnione notari
Qui te peſtiferis jaculis petiere, tuamque
Non extinguibili famam livore ſecantes
Mortem affectarunt, his tu ſanctiſſime vitam
Ingenii largiris ope? his tu tanta refundes.
Præmia, ut his moveas æternos nomen in annos?
Poſcit enim quocunque modo immortalis haberi
Tungarus, & ſcelere hoc, quia non virtute meretur,
Accipit, inque tuis fert poni utcunque libellis.
At tacitus dolor eſt, quod ſanctis moribus illud
Non potius capiat quodque haud facit, haudque laborat,
Vellet habere tamen. Vis magnum Tungare nomen
Vis memores nos eſſe tui, vis ſanctus haberi.
Nanque ita velle ſcio, atque iſtis hoc moribus ambis?
Quin bibis helleborum, & quibus hic furor exeat herbas?
Cum quateres dextra tedam in Capniona peruncta
Nocte ferunt media patriam tibi voce minanti
Iratæ ſimilem, ſimilem ulciſcique volenti,
His viſam monitis. Quo tu in quem turbine præceps
Quo Catilina ruis? quo te furor impius urget?
Qua pice, ſulphure quo, cladem minitaris iniquam,
Arſuras ſuccincte faces? tu ne alta ſuperbæ
Teutoniæ ornamenta paras conſumere flammis,
Pernicies patriæ? neſcis heu perdite, neſcis
Quem tu hoc igne petas. Sed nec tibi cœpta vetantis
Conſilium matris, neque notus profuit error.
Inſanire tibi libuit, libuitque perire,
His furiis, iſtoque odio quod te ſecat intus
Nec ſi te affligas, aut ſi te ruperis intra
Viſcera, perfidies, quo te minus omnibus annis
Omnis poſteritas odio condemnet acerbo,
Execrentque tuum venientia ſecula nomen,
Summum ob flagitium, & Magni Capnionis amore,
Quem petis invidia, de quo ſpolia iſta reportas.
I nunc aude iterum divinum inceſſere vatem.
Aude acri certare viro, & virtute potentes
Inſectari odiis, aude inſulſiſſime ſcriptis
Munitam invicta virtutem excindere famæ.
Quo ſtudio, quave arte miſer, qua vi genioque
Scribis, ut iſtud opus venturo tempore quenquam
Qui legat eſſe putes, & olentes ſtercora libros?
Diis miſer iratis & parca nate ſiniſtra
Quos cadis in laqueos? ex quo tibi gloria cœpta
Sperata eſt, hinc pœna redit. Phlegethonte ſub imo
Nulla aperta legit crudelius ilia vultur,
Intolerabilior nulla eſt rota, nullaque pejus
Tantalium movet unda ſitim, leviusque feruntur
Horrida Syſiphias ſaxa exercentia vires,
Quam pœna eſt, quanque hæc quam te intus & in cute rodit
Conſcia mens ſcelerum, cruciatque, ac viſcera mandit.
Diſſimulare tamen vis, & nil tale videri.
Quæ tibi præcipua eſt verſutia, nataque tecum,
Contra quam facis, & quam tu es, componere vultum.
Obſtipo capite, & panda cervice, oculisque
In terram fixis, ſanctos præmittere mores.
At qui te norunt, morosum difficilemque
Impurumque vocant, ſimulatorem ique peritum.
Et mugatorem, tumidumque atque oris amari.
Idque palam ſenſit Capnion, ultusque repente
Has tibi compegit manicas, hæc vincula capto
Intudit, inque ſuo jubet apparere triumpho.
I miſer, ut ſpectere miſer. Verum eſſe laborat
Vinctus Apella miſer tecum, laterique propinquum
Se conferre tuo. Sinis hunc tecum ire? potesque
Huic par eſſe loco? poſſum inquit: Nam dedit illi
Quosdam olim monitus, quiddam hoc didiciſſe magiſtro
Tungarus ipſe refert, tuncque eſt armatus ab illo,
Cum pugnam adverſus Magnum Capniona pararet.
Dux fuit Arnoldus cœptorum, hic prodidit hoſtem.

Non equidem melior, non es tu Tungare purus
Hoc magis ingenio. Sed me prius omnia perdant
Numina, quam patiar nebulonem hunc ire ſuperno
Vertice, & evinctis ſublimem inſiſtere plantis.
Et cœlum ſpectare oculis, iſtoque triumpho
Eſſe homini ſimilem. Fure nunc canis improbe, torvo
Nunc fera dente ſeca, ſumpto nunc percute cornu.
Et Suevum, & juvenes pro Suevo tela ferentes.
Huc mihi (namque meum eſt hunc inſtaurare triumphum)
Carnifices clamate duos, vos omnibus armis,
Vos cruce, vos laqueis, & adacto funibus unco,
Hanc mihi carnifices operam date, ponite primum
Ut facie in terram verſa, genibusque ſupinis
Nec cœlum aſpiciat, nec nos contaminet iſtis
Attactos oculis, quoniamque impura locutus
Mordeat ore ſolum, & quiddam de pulvere mandat.
Quæ mora carnifices? qui vos huic ore retorto
Excipitis linguam, magnorum prima malorum
Semina, ne medio poſſit non fanda triumpho
Dicere? quin naſum atque ambas avellitis aures?
Inſeritisque uncum pedibus? trahitisque ſupino
Poplite, verrentem facieque & pectore terram?
Proderit excuſſos etiam diſperdere denteis,
Nec maneat labris quo quenquam lædat in iſtis.
Interea, quanquam trahitur poſt terga redactis
In ferrum manibus, digitos truncate ſupremis
Unguibus. Immane eſt (dicit mihi Tungarus) iſtud
Immane eſt. At vos tormento immanius omni
Auſi eſtis facinus, læto committe triumpho
Hunc ſaltem integrum, ne mœſtum hæc gaudia monſtrum
Turbet. At hic nemo eſt, cui ſit miſerabile, quicquid
Contigerit vobis. Veſtri miſeratio nullos
Hic movet affectus, rident puerique, virique,
Et facilè doluiſſe nurus, facilesque puellæ.
Una omnes rident, plauſuque favente ſequuntur
Hunc Judam appenſis pedibus, tractumque ſupino
Occipiti, & ſcabros revomentem in ſanguine denteis
Confoſſumque unco, lingua naſoque carentem.
Atque exarmatum digitis, auresque videntem
Ante ſuas nunquam viſas. Num perfide malles
Non fugiſſe necem meritam pro crimine pœnam,
Quam nunc eſſe miſer? Sed quæ tibi ferrea mens eſt
Lætaris vidiſſe prius te femina dante
Te cauſſamque malis Capniona quiete carentem.
Turbatumque ſenem, lachrymasque in plebe refuſas
Pro condemnato, punitosque igne libellos.
At tu, cui gratum eſt omnem turbare quietem,
Et miſcere viros pacique inducere bellum.
Ut Chriſti diſcorde pecus paſtore vagetur,
Nam neque tu Chriſtum (ſimules quanquam omnia) ſervas.
Quodque aliquid tulerit Capnion, nunc aſpice eodem
Lumine victorem, teque hoc in puluere tractum,
Pectinibus patulis, aptoque ad verbera tergo,
Conſcindi flagris, & iniquo fuſce domari.
Qua cum te invidia miſere cruciaveris, intra
Ilia tabeſcas, & lenta morte ſupremam
Exhales animam, multis exempla daturam.
Hue agit ingenti celebris Moguntia plauſu
Urbis monſtra ſuæ, bene de Capnione mereri
Non nunc incipiens, commotaque ejicit ira
Te Bertrame odio dignum capiat, omnia niſum,
Omnia conatum, ſi quid convellere poſſes
De Capnione bono. Sed die cur peſſime tandem
Jam cupis in ſtudiis quicquam elaboraſſe videri,
Cum vita fuerit ſtudiorum nulla priori
Cura, nec ullus amor? Quid vita fecit in omni?
Chriſti pavit oves. Immo hunc crapuloſa vorago
Pavit aqualiculum, quenque hanc vix portat in urbem
Cura ſaginandi ſemper fuit unica ventris
Cernite glutones, comedones, cernite ventres
Veſtrum hic opprobrium. Bene paſtum hunc, & bene potum
His ego conjunxi ſociis, palearia pendent
Pectus ad extremum, collum caput urget obeſum.
Vix aliquid loquitur, loquitur tamen, omnia noſtræ
Partis in exitium, quod Dii prius omen in ipſum
Convertant, recidantque ſuæ dira omnia linguæ.
Quo te venter agis? quin hunc odiique malorumque
Adjungis ſocium? Mitte huc te vipera, ferro
Inde manus, dignumque puta ſi fune ligeris
Sive cathenatus Magni Capnionis ad urbem

Pepercornus proditor Capnionis.

Pepercornus quomodo trahendus in triumpho.

Pepercornus unco trahendus.

Pepercornus Judas.

Pepercornus quomodo de Chriſto.

Moguntia.

Joannes Bertram de Naumburg plebanus Moguntinus.

Bartholomæus Zehendner qui & Decimator dicitur concionatorMogunt.

Tractus

Tractus eas, neque enim pejori canduit alter
Invidia, nulli rupit magis ista quietem
Cura atque iste dolor. Sta nunc Decimator in illa
Sublimis cathedra, diris clamoribus aureis
Nunc rudis infesta populi, atque in simplice turba
De Capnione refer, vigila, cruciare, diurnis
Arde suppliciis, nocturnum abrumpe soporem
Ilia duc, tacitos gemitu testare dolores.
Palle hac invidia, & quoniam clamare vetaris,
(Quæ fuit una tui livoris, & una nocendi
Insita vis animo) lento consumere tabo
Ad Capniona nihil clamor tuus, & tua præceps
Pertinet ira nihil, livor nihil, & nihil hujus
Palloris rabies. * Sed quo te Mayre ponam
Petre loco? quove ore tuos pro tempore reque
Exponam mores? Tu qua se Mogus in urbem
Fert mediam, partim de Francis nomen habentem,
Partim a Saxonico dicentem mœnia bello,
Ingens iracunde malum, summumque citasti
In populo furiose nefas tantum infima plebes
Et vulgus muliebre animi dedit, auxit avaræ
Impetus invidiæ. Qua nunc vanissime rumpes
Materiâ jecur hoc? quove exercebis amaram
Ex odio linguam? quo nunc sermone placebis
Huic populo? quem dente petes? quemve ore maligno?
Quandoquidem licet in Capniona nihil, nihil ista
Amplius in causa. Quantum est potuisse furentis
Judicio vulgi, stolidæque placere cohorti.
At si quando tibi ridet leviora loquuto,
Aut si quando oculos fanti lugubria tergit,
E populo quisquam, vel de mulieribus istis,
Tum sublime caput, tumefactaque nubibus effers
Labra tenus, plaudisque manu, mollique triumphas
Continuo gestu, tunc te hæc suggesta, tuumque
Vix capit hoc regnum, tunc tu omnia voce lacessis,
Omniaque exuperas, & inanem percutis auram.
Tunc tu victor ovas, & tanquam e cæde recenti
Poscis serta redux, laurique e fronde coronam.
Hosque inter plausus, & in hac nequissime pompa
Vix humilis dici Galilæi e plebe Magistri
Discipulus, solumque refers a nomine Christum
Solum a veste refers, cujus immiserit hosti,
Ut doceas, tunc terga dabis, placidamque quietem
Desidiose petes, atque hæc suggesta relinques
His titulis atque hoc prætextu in plebe notari
Non magni facies ultro Christumque negabis.
Utcumque hæc aliquis tamen æstimat, omnia vincit
Quæ tua præcipue est, pueræ simulatio mentis.
Præterea nemo est ex vulgo indoctior isto.
Audax nemo magis, sed enim qui pessimus omni
Creditus e numero est, tantum hoc sibi censet iniquum,
Quod tecum ingreditur, quodque hoc servile triumpho
Tecum ferre malum, vel eandem cogitur Iram.
Francia magnanimæ semper fœcunda juventæ,
Nobilitate virum nullis regionibus impar,
Et nulla inferior, die quid magis ante pudendum
Produxti hac sobole? te scilicet ista cicatrix
Dedecet, ista vomex, tu perdite nominis hujus
Atque hujus labes populi, tu stigma pudorque
Inventus fueris neque te prius omnia pessum
Numina, sic ineritum dederint, sed jam isto triumpho
Una mora est. I dira lues, i pessima mundi
Progenies, multis pudor & scelus, at decor uni,
Vivere quem nolint omnes, quem vivere solus
Hactenus haud nolit Capnion, & gaudeat unus
Isto fine trahi, atque istas mordere cathenas
Dicat Io, si se novit Germania, dicat.
Quoque videt propius festos accedere currus,
Hoc magis ingeminet, bis Io bis Ioque sonando.
At quisquis clamabit Io mecum, hoc aget unum.
Pullatumque gregem captorum, & inertia Fratrum
Agmina missa libens faciat, nec spectet euntes
Ultra ipsosque duces, & adhuc sine nomine vulgus.
Numinaque, & spolia, & cessantia deferat arma
Fercula nulla oculis obeat, nec cogitet ultra
Sint ea grata licet, quæcunque occumbere jussi
Amisere hostes, solo in Capnione moretur.
Hunc oculis hunc mente virum gerat, illius istum
Det celebretque diem fortunæ & casibus æquis.
Ventum est ad currus, ita nos fœdissima fustra
Detinuere diu turbæ spectacula inanis,

*Petrus Maier pletanus Francofordiensis.

Vanitas Petri.

Petrus Maier indoctissimus.

Francia orientalis Petri patria.

Plaudendum triumphanti Capnioni.

Dicat Io, si se novit Germania, dicat.
Hæc armenta, atque hos auratos cornua tauros,
Corpora lecta jubet sacras sibi victor ad aras
Voti compos agi. Superis ea victima salvo
Pro Capnione cadet, sequitur factura ruenti
Lætitiam populo Musis gratissima turba.
Omnibus unicolor tunica est, & candida vestis.
Serta gerunt capite, & nexas e fronde coronas
Populea, tenduntque manu frondentia palmæ
Victricis folia, sparsumque in termite fructum.
Pars cithara, pars voce, canunt, pars cornua rauco
Implent curva sono, perflant tibicine mixto
Ille tubas, alius triplici tortum ordine circum.
Sunt qui fila liræ, sunt qui testudinis amplæ
Transadigunt nervos digitis, chordasque pererrant.
Barbatos huic dulces, huic dat sua tibia ludos.
Huic pulsatur ebur, sonat huic cita pectine buxus.
Ferratos ferit hic crates, ille ordine junctos.
Folle premit calamos, tresque elicit impete voces
Diversas uno, sunt & Corybantia matris
Aera phrygis, dantque ingentem percussa boatum
Tergora tensa boum, feriuntur sydera cantu.
Accipiunt montes, acceptaque carmina reddunt.
Percussæ reboant valles, sylvæque vicissim
Exaudita canunt. Mirantur numina ruris,
Faunique Dryopesque, & quæ sua flumina servant,
Quæque deæ fontes, & florea prata nemusque,
Et virides curant saltus, Capniona canenteis
Observant numeros, repetuntque ea gaudia secum.
Interea lecti juvenes puerique suavi
Concentu mulcent aures, & grande coacta.
Harmonia modulantur epos, concinnaque mixtis
Addunt verba modis, Capnionis habentia laudes.
Hic vir hic est, cives, quem vos paulo ante petitum
Mille dolis, mille insidiis, atque arte maligna,
Promissa doluistis ope, hæc venerabilis illa est
Canicies sancti capitis, cui debet honorem
Et cui semper habet plenis Germania votis
Virtute illustrata viri. Hic est ille ferorum
Intrepidus domitor monstrorum, invictaque mastix
Qui temere fratres ausos, temereque Sophistas
Laudis opus plenum, & memorandum in secula factum
Contudit, & multa trepidos formidine sternens
Intactam asseruit ab iniquo judice famam.
Qui debellatis infanda parantibus omni
Exuit opprobria sese, mentitaque liquit
Post tergum scelera, atque e suspicione remersit
Quam facti tenuere rudes, hæc gloria cives
Hæc illa invidia est, multorum exercita nisu
Atque uno defensa animo, Diis gratia nunquam
Non scelera ulcisci, vetitosque volentibus ausus.
Dicat Io, si se novit Germánia, dicat.
Inque inculpatos reverat clarissima fastos
Facta viri, memorique omneis æternet in annos
Decreto, titulisque, & quos decernit honores
Victori populorum, & qui se in sanguine mersit
Hostili, quique armorum præcelluit usu.
In Magnum Capniona ferat, qui sanguine nullo
Nulla hominum strage, & nullo scelicia ferro
Prœlia confecit, quibus haud sua nomina tantum
Extulit, atque a se feralem propulit iram
Liventis populi, verum communia multis
Verbera sustinuit, clypeoque excepit acerbam
Invidiæ plagam & pro multis irruit unus
Millia tot fratrum, rapturamque omnia flammam
Præcipiti extinxit saltu, quæque impia non sunt
Scribendi proprio reparavit jura periclo.
Neve unis liceat Monachis, unisve Sophistis
Libera verba loqui illius virtute paractum est.
Vos quibus invidia est Lethæo occludite somno
Liventes oculos, sinite immortale triumphet
Qui decus immortale meret, vivitque volatque
Dotibus ingenii, quem nos conferre superbo
Possemus Latio, cui non mutabilis aufert
Annorum series, quicquid sua facta dederunt.
Hic vir hic est, cives, qui non torporis inerti
Segnicie secordis agens, quæsivit honores,
Verum acri studio atque opera, multoque labore.
Qui gravibus rebus quæsitus Cæsaris egit
Et patris & nati causas, qui plurima fecit
Plurima qui docuit, non ventri obnoxius unquam,

Hostia Capnionia.

Musici Capnioni canentes.

Lætitia in triumpho Capnionis.

Laudes Capnionis insertitiæ.

Fortitudo Capnionis.

Innocentia Capnionis.

Invidia Capnionis apud malos.

Capnionis res gestæ in fastos.

Victoria Capnionis.

Capnion communis libertatis assertor.

Capnionis immortalitas.

Capnionis industria.

Capnion de Cæsare benemeritus.

Et

Capnion pro vero. Capnion quatuor corda habet. Capnionis opera.

Et nunquam indulgens, quique ut nos vera doceret,
Quæ non dura tulit? cui non se inferre periclo
Est ausus? qui se temere non Ennius olim
Adscripsit tria corda sibi, nos quattuor isti
Jure bono dabimus, scribenti apteque loquenti
Quattuor in linguis, patria, græcaque latina
Et tandem hebræa. Quare infantissima fratrum
Plebs sileat, quis enim melius multa ardua scribet,
Rectius, & dicet, quam qui multa ardua novit?

Capnion Comicus.

Hic vir hic est, cives, qui quam quis legerit alter,
Plura dedit calamo, qui primus Comica scripsit.
Germanisque suis scænam patefecit, & amplam
Ostendit caveam, vetuitque silere theatrum.
Plurima qui numero, qui plurima lege soluta
Condidit, invenit qui multa incognita nobis

Capnion jure consultus.

Optimus interpres, qui certe pluribus annis
Ante duces summos in Cæsareoque senatu
Jus dixit, quam quis studuisse putabitur alter.
Qui quo non verum argueret, verumque doceret,
Nullius expavit vires iramque minasque.

Capnionis synceritas.

Simpliciter semper, sine pompa semper inani
Citra omnem invidiam, nisi quam sua lucida virtus
Ut sit, apud sciolos peperit sibi, docticulosque.

Germania Capnioni loquitur.

Hic vir hic est, cives, cui si Germania posset
Ipsa loqui, tota in vocem consurgeret una.
Macte gravi virtute senex, tu moribus istis
Atque isto ingenio paris immortalia laudi.
Ornamenta meæ, per te ne barbara dicar
Aut rudis effectum est. Te nunc ego grata saluto.
Te grata amplector, te grata remunero, pro tot
In patriam meritis. Quicquid debetur honoris
Qui servat bello, vel qui me liberat armis,
Accipe. Præterea jubeo meminisse nepotes,
Et nomen celebrare tuum. Salve inclyte vindex
Victor ave, dilecte deo, dilecte parenti
Fœlix prole tua, fœlix tu Phorca superbo
Semine, fœlices etiam materque paterque
Qui mihi, qui vobis talem genuistis alumnum.
Diceret hæc certe, caneret Germania certe
At nos interea, quando hoc ita tempora poscunt,
Grata triumphanti canimus. Ne dicite cives
Quenquam istas laudes merito majore tulisse.
Dicat Io, si se novit Germania, dicat.
At jam se novit, sensit se, sensit ad unguem.
Et succlamat Io miro lætissima plausu.
Dicite Io cives, & Io bis dicite cives.

Supplicatio.

Visite honore deos, onerate altaria donis
Et votas offerte preces, date munera grati
Pro conservato Capnione. Idque omnibus annis
Constet opus titulo. Neve obscurata vetustas,
Eximat hoc famæ, titulo superaddite carmen.
Pro debellatis Capnioni dona Sophistis.
Hos inter cantus, hæc inter carmina, & inter
Plaudentis populi strepitum, pulcherrimus alto
Invehitur curru Capnion, & lumina pascit

Currus triumphantis Capnionis.

Spectantis turbæ, pulchras agit ipse quadrigas,
Non tamen ex auro, solido non ex argento
Quo vehitur, quo victor ovat, qua mole triumphat,
Cedrinæ junxere trabes, & vivida buxi
Robora, juniperique leves, & vimina Daphnes.
At folium teretes hederæ complectitur axes
Vestit idem radios, at curuatura supernæ
Cincta rotæ violis, & rore innexa marino.
In totoque rosæ in toto sunt lilia curru.
Pulegiumque, virens, & odore gramina Minthes.
Et myrtus Veneri, & Phœbo nascens hyacinthus.
Salivaque & nullis obnoxia ruta venenis.
Et saliunca recens, & amaracus additur istis
Aureus abrothani flos, hyssopique virentis
Germen, & ex omni quicquid congessimus horto,
Frondentis, vel odoriferi. Stat florida sedes
Floridior sedet ipse super, cui prima venustas
Et primus decor est, albentia tempora canis,

Capnion triumphans.

Quæ mixtim nexæ lauroque hederaque coronæ
Circundant, capitique initat victoria duplex.
Dextra Oculare manus speculum tenet. Illius ergo
Nomen enim libri est, fratres in bella coacti,
Atque Ubiæ schola gentis erat, rapuit vafer ansam
Verpus ab hoc, monachisque dedit, quod turbine moto
Imbelles acuere iras, hinc illa repente
In Capnione viri conflata est factio livor
Hinc vagus emersit, præter qui Teutonas urbes
Et doctam Italiam & fuscos impleret Iberos.
Pannonas, & populos, quos Rhæticus alluit Ister
Quotque secat Rhodanus, quot inundat Sequana gentes
Quæque Calydonios penetravit turba Britannos.
Hic liber est, atque hoc congesti insigne duelli,
Notum laude sua, quod cum phanaticus igni
Ferret Hogostrattus, Capnion victrice Minerva
Eripuit, tutumque tenet, semperque tenebit,
Ingenii monumenta sui, monimenta pericli.

Speculum Oculare Capnionis liber.

Leva gerit teretem victrici ex arbore ramum.
Cæsareas aquilas thorax victricia signa
Pictis habet, virides circum est effusa quadrigas
Jureperita cohors, vatum exercitus omnis.
Ingenioque omnes clari, studioque frequente
Laudati, quosque effecit doctrina celebreis.
Quive aliquo meruere coli pacto. Omnibus istis
Mens erat in flammam, supremaque funera victo
Cum Capnione trahi, & medio in certamine si qua
Forte laborasset, prompti concurrere, prompti
Auxilio succedere erant, summisque periclis
Fœlices animas dulcemque exponere vitam.

Qui post currum Capnionis.

Centum Italos video, centum hac ex gente poëtas.
Et totidem juris doctos, sed nomina nondum
Omnia nota mihi, video a Capnione notari
Quenque suo titulo, video impertire salutem.
Omnibus his non vilis honos, omnesque virenti
Fronde coronat helyx Da nunc da Phorca triumpho
Da pompæque locum. Nunc tu, communiter omnis
Nunc læta, atque hilari percussa ad sydera voce.
Dicat Io, si se novit Germania, dicat.
Hoc omnes vincant, hoc omnes jure triumphant.
Moribus, atque animis istis, virtutibus istis.

Paraseeve.

Quique sequestratis vitiis, & fraude remota
Vixerunt, quique immunes scelerumque malorumque
Exegere dies, studiosaque pectora veri.
Innocuique omnes, & quorum libera corda
Pro Christo fuerant, & relligione parentum,
Et certare viris, & ferre extrema parati.
Quique odio fratres enervatosque Sophistas
Ob scelus, aut certe ob cuncta ignorantia corda
Sectati fuerant, iterumque iterumque triumphent.
Et titulo Capnionis ovent, sua gloria dignis
Eveniat, sed nunc Capnioni ex omnibus uni
Dicit Io, quia se novit Germania. Dicit.

AUTOR THEOLOGISTIS.

LAqueum sumite Theologistæ, Viginti amplius sumus in infamiam ac perniciem vestram conjurati. Debetur hoc Capnionis innocentiæ. Debetur vestro sceleri. Debetur Reipublicæ literariæ. Immo bono hoc quodam fit Christianæ religionis fato, cui vos obscurata luce, pudendas invexistis tenebras, quibus nos expulsis ac effugatis, Christianum Diis atque hominibus plaudentibus illustrabimus orbem. Renatus est Hieronymus. Novum testamentum lucem induit. Multa ex hebræo, multa ex græcis eruuntur. Ardet opus. Interea vos quid agitis, cur quis Theologos vos vocet? Nempe hoc, ut agentem hæc Capnionem, literis ac temporum nostrorum gloriæ adimatis. Proinde laqueum sumite. Multorum ore vobis canitur, quorum non idcirco sum ego optimus, quia primus, sed idcirco primus, quia minime patiens moræ. Vos igitur moneo Conjurati, adeste incumbite, ruptus carcer est, jacta alea, regredi non licet, obscuris viris laqueum præbui, nos vicissim herbam sumemus.

Maximiliano Austrio Romanorum ac Germanorum Imperatore Invictissimo Rerum habenas Moderante.

PARS TERTIA
LITERARIÆ REFORMATIONIS HISTORIÆ:

CONTINENS:

I. HERMANNI van der HARDT DISQVISITIONEM, DE PVBLICA CORRVPTIONE, NVM CAVSA FVERIT REFORMATIONIS?

II. ORATIONES PANEGYRICAS XXI.

CONSTANTIÆ ET BASILEÆ, IN UNIVERSALIBUS CONCILIIS, SECULO XV. A VIRIS SUMMIS CORAM TOTO CHRISTIANO ORBE DICTAS,

DE CORRUPTISSIMO ECCLESIÆ STATU,

CÆSARIS, REGUM ET PRINCIPUM OPERA EMENDANDO.

HACTENUS NONDUM EDITAS,

NUNC EX ANTIQVIS MSCTIS, WOLFFENBUTTELENSIBUS,

LIPSIENSIBUS ET ERFURTENSIBUS RECENSITAS.

INTRODUCTIO
In memoriam impensè quondam desideratæ emendationis publicæ.

ERasmus, Tomo I. quid instaurandum abundè submonuit, qui *Græcos Novi Testamenti Fontes* primus dedit.

Reuchlinus, Tomo II, quam difficile fuerit, sine fontibus sacris de rebus divinis judicare, nunciavit, qui *hebraicis codicibus illustrandis* primus operam navavit.

Duumviri illi emendationis Fontes non modo monstrarunt, sed & aperuerunt. Ne quis autem existimet, hos viros temere quid moviisse, prioris tranquillitatis impatientes, *secula proxima* imprimis XIV. & XV. *locupletissimi testes Ecclesiæ corruptissimæ.* Medio Seculo XIV. ad finem usque, conquesti viri probi in luce positi, de *Ecclesia tantopere vitiata*, ut ne nomen quidem Christianum ferret. Eædem *querelæ de fœda Ecclesiæ facie* continuatæ integro seculo XV. Ut Cæsares & reges, ipsique Cardinales & Episcopi, Conciliis universalibus, Constantiensi inprimis ac Basileensi, remedium quærerent. *Ecclesia* illis dicta *omnis sceleris sentina, vitiorum regnum, dedecus Christiani nominis.* Probitas tunc juxta illos extra Ecclesiam in popello, flagitium in Ecclesia, in regimine sacro. Hæc communi illorum ore. Perditæ hujus in Ecclesia conditionis, quæ sub Christiana umbra paganam veterem irreligiositatem referret, ægram frontem effigiarunt, non deni, sed centeni, sed milieni viri maximi, suis locis Ecclesiarum præsides ingenui, qui publico afficerentur malo, palantis populi miserti.

Dedimus antehac *in Opere Constantiensis Concilii documenta publica* magno numero, quæ ex illo ævo docerent, quam *probrosa* esset & *infanda in Sacrorum administratione corruptio.*

Dabimus aliquando *in operibus Concilii Basileensis* locupletiora & multo majora *illustrium virorum monumenta de perdito rerum in Ecclesia statu.* Quæ tabes eò perduxit Cæsares, Sigismundum, Albertum, Fridericum, ut cum imperii Statibus, illa ætate, annuentibus Collegiis & Academiis præcipuis, accedentibus spectabilibus responsis definirent, *neque Concilium neque Pontificem, esse ab illis sectandum.* Quam separationem appellabant *Neutralitatem.*

Meminimus probe, illam Ecclesiæ corruptionem, desideratamque emendationem, referri communiter ad externam administrationem, Papæ, Cardinalium, Episcoporum. De hâc utique in Conciliis illis generalibus, Pisano I. Constantiensi, Basileensi, Pisano II. Verum, externum illud fœdum & eluendum Ecclesiasticum regimen concernebat *totum corpus, à capite ad calcem:* Unde solennis ille character Conciliorum & decretorum, *Reformatio Ecclesiæ in capite & in membris. Squalor autem in capite & in membris*, in regimine totius corporis Ecclesiæ Christianæ, non profectò externum spectabat ordinem aut decorem, sed *internum regendi consilium, scopum & genium*, sanguinem & nervos in capite & in membris. Neque divelli queunt externa in his ab internis, cum illa proficiscantur ab his. *Regiminis anima, consiliorum & decretorum arcana ratio*, intelligebatur, hanc esse perditam & vitiatam. *Curiam, curiæque reformationem* dicebant alii. Summa certe hæc omnis corruptionis omnisque instaurationis. Si in capite & pectore nihil sanguinis puri, nihil sani, nec venter nec pedes valebant, nec viscera salva, nec sensus integri, neque actiones aptæ, neque vita incolumis. Omnia morbida & infecta. Quare ille *Conciliorum scopus, Reformatio Ecclesiæ in capite & in membris*, æstimandus ex regiminis natura & nativa indole. Quamobrem Cæsares & reges non exigua determinarunt corruptionis momenta, internum regendi habitum concernentia: *Pontifices & Curiam nil quærere toto regiminis habitu nisi nummos:* Non prospicere Ecclesiis, per omnia regna, de pastoribus & antistitibus peritis doctisve, bonis, probis & integris viris, qui populum ad Christianam integritatem virtutemque perducere possint & velint: sed constitui in populo *sacerdotes rudes prorsus & imperitos, impios & sceleratos quosque:* idque *quæstus aut lucri gratia*, prout curia venundaret officia, vel imperitiam & vitia. Quomodo omnis *Ecclesiæ cura*, præfectura etiam infima, non nisi *venundatio.* Non animorum cura in plebe informanda, & ad pietatem, honestatem, ac genuinam virtutem ducenda, sed loculorum, sed redituum, sed thesaurorum. Hi nervi officii sacri, à capite ad calcem, à curia per caput & membra, adimam plantam.

Sacerdotum illis ævis crassa *ignorantia* deplorata *malitia* simul detestanda, in omnium scelerum sordibus. Siquidem plebs non nisi umbra habita, quam docere & ad Christianæ virtutis sensum perducere non opus. Satis pro officio, ceremoniis quibusdam externis vacasse, in conspectu populi, velut in scena.

Doctrina & informatio populi, vel nulla, vel tam rudis & rustica, ut ferme non esset nisi de ceremoniis sacris. Unde *mera superstitio in Christiana plebe*, quæ toto die velut somniaret, nescia quid agendum boni, & recti. Essent, qui in *suggestu* orarent, non salubris illa doctrina, vitæ animæque congrua, sed *vel fabulæ & nugæ, vel subtiles quæstiones scholasticæ, vel ceremoniarum commendationes.* Ut Sermones publici nil essent nisi *superstitionis alimenta*, quæ populum in ignorantia & servili obsequio retinerent. Regiminis sane vitium in imis illis officiorum sacrorum partibus grande & horrendum; Pastores rudes & scelesti, non nisi pro superstitione populi alenda.

Quod fieri aliter non poterat, cum Academiæ & Collegia meliora nescirent, quæ auditoribus darent Studiosis, quando Scholasticis tricis innutriti totam Christianam doctrinam in dumeta verterant, quibus præjactato acumine, confoderent, non sanarent. Quomodo *acutissimi doctores ineptissimi & stultissimi pastores.* Clerus reliquus ab illis doctus ex talibus scholis nil nisi aculeos, nil nisi hastas, cætera fucum, cupiditatem, fraudes, & flagitia universa, pro cujusque natura & consuetudine.

Quapropter parvum hoc visum detrimentum, *perdita populi Christiani institutio*, immane certe damnum, in Conciliis istis consideratum, quando *de Sacerdotum ignorantia & malitia* questi reges & Principes, *quæsitis Sacerdotibus peritis & probis.* Regiminis Ecclesiastici vel planta vel vertex. Huc ultimo universa Ecclesiæ cura, *populus, populus bene rectèque formandus & imbuendus, ut fiant Christiani*, boni, probi, homines & cives. Hæc *pars reformationis in capite, quod prospiceret rectius de populi institutione*, adeoque *de sacerdotibus melioribus*, adeoque *de scholarum & Academiarum integriore ac utiliore doctrina ac disciplina Membrorum* quoque hæc *reformatio*, Episcoporum atque Superiorum in Ecclesia antistitum, ut nonsolum suprema curia, sed & mediæ idem agere pro suis partibus discerent, plebis aut civitatis curâ emendata.

Communis autem ille *supercilios*us *plebis contemptus, quæ haberetur pro scrobe, pro servis, pro supellectili quæstus & lucelli*, dedit Curiis istis, supremæ & mediis, hos in Conciliis characteres, *avaritiæ, simoniæ, luxus, arrogantiæ, & fastus:* Cum omnes Episcopi & Ecclesiarum præfecti, in suprema curia *officia illa, beneficiorum nomine, auri mole æstimata* redimerent! Dein damnati per Cæsares & reges innumeri reliqui modi, sacri aut sacrilegi, populum expilandi, ficta religione, dispensandi indulgendique gratia infinita, pallia Episcopis redimenda, primi fructus annatæque decimæ copiosæ, onera civitatum ac provinciarum intolerabilia, exactiones plusquam cruentæ.

Hæc in regimine Ecclesiæ, per caput & membra emendando, cum Ecclesia esset civitati non pro patre, pro pastore, pro benefactore, sed pro hoste, pro expilatore, pro tyranno, populo ubique sub religionis prætextu, instar canum sub fuste & minis devoto. Hæc à Sigismundo, Alberto, Friderico, in Conciliis quassata, in spem emendationis. Quo pacto reformatio, in capite & in membris quæsita, permeat omnem, internum æque ac externum Ecclesiæ habitum mutandum, imi etiam popelli institutione reformanda.

Quanquam vero *publicæ doctrinæ momenta* non viderentur excuti, reapse tamen sunt notata. Totum Ecclesiæ regimen cum tota populi informatione, emendari oportere agnitum & definitum. Quod illis annis plus satis. Agnita imperitia sacerdotum communis, flagitiorum in illis regnum animadversum. Quæ profecto illorum etiam formationem atque institutionem emendandam significant. Præterimus studio specialia quædam Bohemorum monita, de quibus in magnis illis Conciliis quæ initia secuturarum animadversionum majoris momenti. Nec enim publica emendatio unius est seculi, sed lenta & longi ævi. Quamobrem in *Conciliis laudatis sub Reformatione Ecclesiæ in capite & in membris comprehensa totius* doctrinæ Ecclesiasticæ reformatio. Siquidem jam pars erat doctrinæ, ceremoniis assuefactum populum, esse Christianum, aut hanc esse Christianam rem ceremoniis servire, sine sensu & judicio, obsequio tristi, jugo tyrannico, civibus brutis.

Nec destitere interim extra Concilia viri cordati specialia nonnulla subinde monere, aut attingere doctrinæ momenta. Qualis *Laurentius Valla*, qui ad *scripturæ studia* inciperet invitare, pro veritate cognoscenda. Qualis *Johannes Wesselus*, qui similiter superstitionem vellicaret, *Scripturamque commendaret.* Quales post nupera concilia, inprimis sub Maximiliano Cæsare, passim per Germaniam viri docti & sinceri, qui ad Fontes sacras pellicerent. *Flacii Catalogum testium veritatis* addat cui lubet.

Publica igitur *Ecclesiæ corruptio*, quæ *causa* fuit *reformationis*, complectitur *omnia illa à majoribus demonstrata Ecclesiæ damna*, de quibus jam ante in tam operosis Conciliis, tam vastis Consultationibus, per Cæsares & reges, tam longo temporis tractu actum: *Emendationem* puta *totius regiminis Ecclesiastici, à capite ad calcem, à supremis consiliis ad imam populi institutionem, per omne doctrinæ & morum genus*, in regnorum, urbium & familiarum fortunam, salutem, prosperitatem & tranquillitatem. Siquidem Christiana res beat omnes & omnia, juvat, ornat, servat & protegit, ut omnibus sit bene.

Quomodo divina effecit providentia, ut cum illa seculo XVI. ingrueret reformatio, *initium* fieret, per Erasmum & Reuchlinum, ab *institutione, à bonis literis, docendis & discendis à Fontium studio.* Ut fierent prius & ante omnia *alii Studiosi*, unde *Ecclesiarum pastores*, indeque *tota Ecclesia aut civitas alia.* A Scholis & liberalibus disciplinis initium factum, à mansuetis studiis, Deo prospiciente. Fontes veteris & Novi Testamenti suscitati & orbi traditi, vera omnis emendationis principia.

Nos in *literaria* hac *reformationis historia*, quæ fundum aut originem submonstret, *nervos prioris corruptionis, per Ecclesiam grassantis*, exhibemus, post alia in Constantiensis Concilii Tomis jam obvia, *Sermones panegyricos nonnullos integros, hactenus ineditos, & ex nonnullis excerpta, quibus Ecclesiæ status vivide depingitur, quæ ex præstantissimis MSCtis Wolffenbüttelensibus, Lipsiensibus & Erfurtensibus*, multo labore recensuimus. Hæ orationes solennes, Constantiæ & Basileæ, coram Cæsaribus, Principibus & Magnatibus publice sunt recitatæ, autoribus illustribus viris doctis

etis & cordatis salutis publicæ avidis. *Lucida sunt specula, in quibus illorum temporum effigies, in Ecclesiasticis viris, summis & imis per omnes ordinum sacrorum gradus, genuinis & nativis coloribus conspiciendæ*, quàm fœdæ in singulis maculæ, quas detergere cuperent Cæsares & Principes, quorum est consulere civitati, subditis & plebi.

Adderemus plura perquam spectata illorum seculorum monumenta, superioris argumenti, cum ex MSCtis, tum raris primæ illius ætatis opusculis, nisi operis præsentis moles esset contrahenda, & angusto editionis tempori parcendum.

S. in Academ. Julia
A. 1716. d. 9. Dec.

SERMO I.
De Corrupto Ecclesiæ statu Seculo XV.
Ex MSCto Lipsiensi.

SAcerdotes a) contemserunt legem meam, polluerunt sanctuaria mea, *Ezech. XXII.*

Reverendi Patres & Domini. Sicut Dominus omnipotens pro salute generis humani misit patres sanctos, Prophetas videlicet & Apostolos, ut fidei & veritatis opera sua populo propalarent: Sic mendax ille & pater mendacii, inimicus generis humani, Zizania miscens in triticum, per suos nonnullos *hæreticos, sacrilegos, hypocritas & falsos prædicatores* mendacium immiscuit, & nunc in fine sæculorum admiscet temere veritati: Sicut prophetavit Apostolus *1. Timoth. III.* dicens: *In novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus errorum & doctrinis demoniorum in hypocrisi loquentium mendacium.*

Ideo posuit Dominus messores, id est *veritatis prædicatores*, ad colligendum Zizania falsitatis ut *hæreticorum, Pharisæorum, hypocritarum*, & *pseudo apostolorum* fascem de agro Ecclesiæ removerent, projiciendum decernentes in ignem æternum, & triticum veritatis, id est populum fidelem, in horreum nunc ecclesiæ & tandem vitæ reponerent sempiternæ.

Ut igitur ego, locum messoris indignus occupans, vestris meritis *Zizania falsitatis & hypocrisin*, in quantum Deus concesserit, eradicare, & veritatis triticum valeam seminare, & metere, ut præfertur: Ideo veritatis autorem suppliciter ex oro ut principium verborum ejus, & finis, ex ore meo proferendus, sit veritas, quam corde apprehendatis, ore prædicetis & opere compleatis, ut cooperante sancto spiritu tandem ad æternam patriam, duce veritate, feliciter valeatis pervenire. Quod ut nobis præstetur, gloriosam virginem, matrem gratiæ omnes unanimiter salutemus, dicendes:

Ave Maria gratia plena, Dominus tecum.

Sacerdotes contemserunt legem meam &c. ubi supra.

Reverendi Patres ac Domini. Postquam genus humanum, suggestione iniqua serpentis antiqui, cecidit à potentia in fragibilitatem, à scientia in ignorantiam, à bonitate in malitiam, reparator ejus altissimus providit ei contra hunc triplicem casum de remedio triplici, dans ei *legem triformem.*

Et quia in fragibilitatem cecidit, dedit ei *legem naturæ* & arbitrium liberum, quo, præveniente se gratia roboratum, posset, quicquid boni eligeret, operari. Et quia cecidit in ignorantiam, ideo dedit *ei legem scriptam* in tabulis lapideis, ut per eam sciret à malo declinare & facere bonum. Insuper, quia in malitiam cecidit, dedit ei *legem gratiæ*, scriptam in corde digito Dei, seu spiritu sancto.

Primæ legis transgressio facta est in Cain in occisione Abel. Secundæ transgressio facta est in adoratione vituli conflatilis. Tertiæ transgressio nunc, id est in tempore evangelii, incipit, sed adveniente ultima persecutione sub Antichristo, tunc plene perficietur.

Quia ergo, dilectissimi, *legem Domini & nos transgressi sumus* tam naturalem quam scriptam, etiam evangelicam, ex eo, quia in nobis abundat iniquitas & refrigescit charitas, meritò Dominus nobis improperat, per Prophetam dicens verbum præmissum: *Sacerdotes contemserunt legem.* Et hoc ipsum facit per suum Apostolum *Rom. II.* Ubi cuilibet nostrum sic docens dicit: *Si tu, Judæus cognominaris, & bene videns*, id est confitens, quia professor legis *requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem ejus & probas utiliora, instructus per legem, confidis te esse Ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientiæ, magistrum infantium, habentem formam scientiæ & veritatis in lege. Quid ergo alium doces, te ipsum non doces, qui prædicas non furandum, furaris qui dicis non mœchandum, mœcharis, qui abominaris idola, Sacrilegium facis, qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras, nomen enim Dei per vos blasphematur intergentes.* Cui consonat *Chrysostomus*, super illud Matth. XXIV. *Dicunt enim & non faciunt. Sacerdotes fidem prædicant, infideliter agunt, pacem aliis dant, & eam non habent, veritatem laudant, mendacium diligunt, avaritiam castigant, avaritiam exercent.*

Quis ergo pro transgressoribus legis intercessor erit ad Dominum, cum ipsi, qui ad docendum sunt missi, inveniuntur legis evangelicæ transgressores? Ideo Dominus queritur Ezech. XXVII. Sic dicens: *Principes ejus quasi lupi rapientes prædam, ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, & mane sectando lucra; Prophetæ autem ejus linitebant eos absque temperamento, videntes vana, divinantes mendacium, populi terræ calumniabantur calumniam, etiam rapiebant violenter, egenum & pauperem affligebant, & advenam opprimebant, calumnia absque judicio,*

a) Gravis est sermo, & lectu dignus, quo immania cleri scelera deteguntur & imprimis, ejus in cultu sacro negligentia, in peccando licentia, otium, avaritiâque perstringuntur.

& quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inveni. Ecce, non solum transgressores legis nos esse ostendit, sed etiam, quia transgressores multos videmus, & eis non resistimus, & sic legem Domini contemnimus. Et hoc, ut in pace & carnis voluptate vivamus, & sic polluti maneamus. Ideo bene dixi: *Sacerdotes contemserunt legem meam, polluerunt sanctuaria mea*, quæ fuerunt verba vestræ proposita charitati.

In isto sermone, *tria* deducuntur, primo *sacerdotalis, dignitatis conditio*, ibi: *Sacerdotes.* Secundo *ejusdem conditionis abusio*, cum subditur: *contemserunt legem meam.* Tertio tangitur ejusdem *abusionis exaggeratio*, cum subinfertur: *polluerunt sanctuaria mea.*

Primo dico in verbis præmissis, quod tangitur *sacerdotalis dignitatis conditio.* Quid enim dignius Sacerdotibus, in quorum laudem Princeps Sacerdotum Petrus apostolus, ipsos alloquens in sua Canonica b) prima *C. II. Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Qui sunt illi? Certe, qui super cathedram Mosis constituti à Domino, præsident & judicant populos, potestatem habentes ligandi & solvendi, in cœlo pariter & in terra. Quibus præcipit Dominus per omnia obedire, dicens illud, quod scribitur Matth. XXIII. *Omnia quæcunque vobis dixerunt, servate & facite.* Sed horrendum est, quod subdit:

Secundum opera eorum nolite facere, dicunt enim, & non faciunt. Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, & digito suo nolunt ea movere. Quod licet verum sit in omnibus mandatis Ecclesiæ, tamen præcipue in *pœnitentia*, quam aliis gravem imponunt, & ipsi pœnitentiam non agunt. *Chrysostomus super Matth. Quis aliquando vidit clericum cito pœnitentem & si deprehensus humiliaverit se, non ideo dolet, quia peccavit, sed confunditur, quia perdidit gloriam suam. Erubescit enim aliquando reus videri, qui semper fuit aliorum judex. Super cathedram ergo sederunt scribæ & pharisæi;* dicit ibidem Chrysostomus: id est: *Multi sacerdotes & pauci sacerdotes id est multi nomine, pauci opere.*

Videte ergo, quomodo sedeatis super cathedram. Quia cathedra non facit sacerdotem, sed sacerdos facit cathedram, non locus sanctificat hominem, sed homo sanctificat locum. Non omnis sacerdos sanctus est, sed omnis sanctus sacerdos. Qui bene sederit super cathedram, honorem accipiet ab illo, qui male sederit, injuriam facit cathedræ. Ideo malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem in judicio sedens. Nam bene vivendo & bene docendo populum instruis, quomodo debeat vivere, bene autem docendo, & male vivendo Deum instruis, quomodo debeas condemnari. Hæc Chrysostomus.

Hinc B. Augustinus ad Valerianum, Sacerdotalem dignitatem attendens, scribit, sic dicens: *Ante omnia peto, ut recogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita & maxime in hoc tempore facilius, levius & hominibus acceptabilius episcopi, presbyteri ac diaconi officio, si perfunctorie & adulatorie res agatur. Sed nihil apud Deum miserabilius est, tristius & damnabilius. Item nihil est in hac vita & maxime in hoc tempore difficilius & laboriosius episcopi, presbyteri aut veri diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo jure militetur, quo noster Imperator jubet.*

O quanta sacerdotalis dignitas, si rationabiliter observetur. Pastores enim Dominici gregis multi sunt, sed proh dolor! oves pascere Dominicas nesciunt, scire nolunt. Ecce oves fame moriuntur, vitæ pascua non habentes. Et ideo, sicut dicit Gregorius, *Non debet fieri rusticus, qui nescit arare, non debet esse miles, qui nescit pugnare, non debet esse nauta, qui nescit pericula evitare, similiter non debet fieri pastor, qui nescit pascere.*

O quanta honoris sublimitas in sacerdotio, cum de iis Dominus dixit: *Ego dixi, dii estis*, quorum vita super omnes homines quasi divina debet refulgere. Sed horrendum, quod super eo dixit B. Gregorius: *Audite miseri, qui vobis dixit: Dii estis, audite quid subdit: Vos autem sicut homines moriemini, & sicut unus de principibus cadetis, ac si diceret: Feceram vos principes ecclesiæ meæ, feceram vos Deos, feceram vos filios meos. Noluistis imitari patrem, noluistis pascere oves meas. Feci similiter primum angelum quasi Deum unum de principibus meis, peccavit angelus, desiit esse Deus, desiit esse filius meus, cecidit de principali, quia non erat res mortalis. Vos autem sicut homines moriemini, quia homines estis, cadetis sicut ille unus de Principibus, quia peccastis.*

Mementote ergo, unde cecidistis, & prima opera sacerdotalis dignitatis facite, gregem Domini pascite, honorem vestrum servate, ut digni super cathedram sedeatis, & sic merito vocemini sacerdotes, in quo consistit vestræ dignitatis conditio. Et hoc, quantum ad primum.

Secundo dixi, quod in verbis præmissis tangitur *sacerdotalis dignitatis abusio*, cum dicit: *contemserunt legem meam*, quam utique portare debent in corde, eam medullitus diligendo, in ore eam aliis prædicando, in opere, eam omni vita servando.

Sed quis nostrum est, Patres & Domini, qui eam servet *in corde*, ut de eo dicitur illud Psalmi: *Lex Dei in corde ipsius*, qui eam in toto corde scrutetur & de ipsa medullitus meditetur? Quis nostrum est, ut eam servet *in ore*, ut de eo verificetur illud quod scribitur Malach. II *lex veritatis fuerit in ore ipsius, & iniquitas non est inventa in labiis ejus, & multos avertit ab iniquitate.* Quis, inquam, nostrum est, qui custodiat *in opere legem* Domini semper, cum potius sit *auditor legis, sive verbi* & non *factor*, ut dicitur Jacob. I.

Sed licet istorum quodlibet in se debeat habere sacerdos, ne abutatur lege Dei, tamen præcipue *legem* ipsam *in ore suo debeat* habere, ne sit canis mutus non valens latrare. Ideo Dominus per Prophetam *Ezechielem c. III.* ipsum monet sic dicens: *Fili hominis, Speculatorem dedite Domus Israël, & audies ex ore meo verbum, & annunciabis illis ex me.* Et mox subdit: *Si dicente me ad impium: Morte morieris, non annunciaveris ei, nec locutus fueris, ut revertatur à via sua impia, & vivat ipse impius, in iniquitate sua morie-*

b) Sub. epistola.

morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram in quibus verbis, ut dicit B. Gregorius: Pensandum nobis est, quantum sibi connexa sunt peccata subditorum & Prælatorum. Quia ubi subditus ex sua culpa moritur, ibi is, qui præest, quia tacuit, reus mortis tenetur. O quam liber à commissorum sibi sanguine fuit, prædicator ille egregius, qui dicebat: *Mundus sum à sanguine omnium vestrum, non enim subterfugi, quo minus annunciarem omne consilium Dei vobis.* Si enim non annunciasset, mundus à sanguine non fuisset, si qui omne consilium Dei annunciare possunt, ab eorum sanguine mundi sunt. In qua voce nos convenimus, nos constringimur, nos rei esse ostendimur, qui *sacerdotes* vocamur, qui super ea mala, quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus. Quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi & tacentes videmus. Sanguis ergo morientis de manu speculatoris requiritur. Quia peccatum subditi culpæ præpositi, si lacuerit, imputatur.

Est ergo, quod faciat, ut moriente subdito se liberum reddat. Surgat & vigilet, malis actibus contradicat, sicut scriptum est: *discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.* Unde & *Ezechielis eodem C.* mox subditur: *Si autem tu annunciaveris impio, & ille non fuerit conversus ab iniquitate sua & à via impia, ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.*

Ideo B. Gregorius invehitur contra nos, *Sentent. 17.* Sic dicens: *Ecce mundus sacerdotibus plenus est, sed tamen in messem Domini rarus valde invenitur operator, quia officium quidem sacerdotale suscepimus, sed opus officii non implemus; Fructus quidem sanctæ Ecclesiæ in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro eadem ecclesia in prædicatione minime laboramus.*

Pensemus, cujus damnationis sit, sine labore hic percipere mercedem laboris. Ecce, ex oblatione fidelium vivimus, sed quid pro animabus fidelium laboramus? illa in stipendium nostrum sumimus, quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt. Nec tamen contra peccata eadem vel orationis studio vel prædicationis, ut dictum est, insudamus. Vix pro culpa sua quempiam aperte reprehendimus. Et adhuc, quod gravius est, si persona aliquando in hoc mundo potens sit, ejus forsitan & errata laudantur, ne, si adversetur, per iracundiam munus subtrahat, quod impendebat.

Sed debemus sine cessatione meminisse, quod de quibusdam in *Hosea* scriptum est: *peccata populi mei comeduntur.* Cur autem *populi peccata comedere* dicuntur, nisi quia peccata delinquentium fovent, ne temporalia stipendia amittant. Sed ecce nos qui ex oblationibus fidelium vivimus, quas illi pro peccatis suis obtulerunt, si comedimus & tacemus, eorum procul dubio peccata manducamus.

Pensemus ergo; cujus sit apud Deum criminis peccatorum pretium manducare, & nil contra peccata prædicando agere. Sicut etiam Dominus per Psalmistam conqueritur, dicens: *Devorant plebem meam sicut cibum, escam panis.* Hæc ille.

Habete ergo, fratres & Domini reverendi zelum furentis & ardentis ac igniti alloquii Dei in ore vestro; Et verbum vestræ prædicationis, quasi facula ardeat, & contra vitia inflammetur. Magnum enim, & super omnem gratiam in hoc mundo, zelare pro domo Dei sicut docet *Richardus. Ignoro, an possit hac gratia majorem Deus homini conferre? Nescio si potest homo a Deo aliquid in hac vita majus accipere, quam si ejus ministerio perversi homines in melius commutentur, ut de filiis diaboli filii Dei efficiantur. An forte cuiquam majus videbitur esse mortuos suscitare iterum morituros, quam animam in æternum victuram? Ergo ne majus erit carni restituere bona transitoria iterum peritura, quam animæ restituere bona in æternum mansura?* Quasi diceret: Non. Quia finiti ad infinitum, nulla est comparatio.

Et iterum dicit *Richardus: sic absque dubio nihil sic placet Deo, & nihil sic placat Deum, sicut zelus animarum.*

O quàm multi multas cæterarum virtutum proles ex Dei gratia mente contemserunt, & de se genuerunt, qui hunc zelum habere non potuerunt! Quantos videmus homines Spiritu pauperes spe gaudentes, charitate ferventes, multum abstinentes, admodum patientes, ad zelum tamen animarum nimis tepidos & torpentes. Alii, quasi ad custodiam humilitatis delinquentes increpare non præsumunt. Alii ne fraternam charitatem perturbare videantur, peccantes arguere metuunt? Sic & alii aliis atque aliis adhuc modis. Quod zelare pro Domino nolunt, virtutis hoc esse fingunt, vel virtutem esse credunt. E contra multi quod absque Domino agunt, in Spiritu fervoris agere se arbitrantur zelo rectitudinis. Et quod veraciter exoquuntur odio hominum, se exercere putant odio vitiorum.

Ecce quis nostrum legem domini custodit? quis nostrum non est transgressor ipsius! Et ideo bene dicebat *Chrysostomus* super Matth. super isto verbo: *Colantes culicem, camelum autem glutientes,* sic inquiens: *Quæ sua sunt, quærunt, nemo quæ Jesu Christi.*

Si enim episcopus debitum honorem non ceperit à Presbytero, aut presbyter a diacono, aut diaconus a subdiacono, irascitur & turbatur. Si autem viderit episcopus presbyterum, aut presbyter diaconum circa obsequium ecclesiæ non permanentem, aut subditos peccantes in Deum, neque irascitur, neque curat. Quia *omnes quidem de suo honore solliciti sunt*, de honore autem Dei nullus. Et portiones quique suas secundum dignitates suas vigilanter adspiciunt & defendunt, & secundum dignitatem suam curam intendere circa obsequium ecclesiæ non attendunt. Si populus decimas non obtulerit, murmurant omnes: Et si peccantem populum viderint, nemo murmurat contra eos. Benè ergo conqueritur Dominus de nobis Esa. II. *Abjecerunt legem Domini exercituum, & eloquium sancti Israel blasphemarunt.* Et ut familiariter nobis loquar: Quid est, quod cæteri homines cujuscunque *status nobis sunt infesti?* Certe dicere non possumus, quod hæc sit causa, videlicet, quod filii hujus sæculi persequantur nos tanquam filios lucis, sicut Ismael persequebatur Jacob. Quia sic laici sunt nobis infesti, quia non sumus filii lucis, sed tenebrarum: Quia non

lucent opera noſtra coram hominibus, ut glorificent patrem noſtrum, qui in cœlis eſt, ſed male agentes lucem odimus. Nos ſumus filii Iſaac, quia pro repromiſſione fraudamus. Nec ſumus Jacob, quia diabolum non ſupplantamus: ſed coadjutores ſui ſumus.

Quam ergo cauſam allegamus, cur *ſeculares* ſunt *nobis infeſti?* Non occurrit mihi alia cauſa ad præſens, licet multæ poſſint aſſignari, niſi quia *transgreſſores legis* ſumus. Nam nec eam in *corde* diligimus, nec eam, ut dictum eſt, *ore* prædicamus, nec eam *opere* adimplemus. Et ſic abutimur ſacerdotii dignitate.

Quod hoc ſit verum, attendite, quod ſcribitur Malach. II. *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem Dei requirunt de ore ejus, quia angelus Domini exercituum eſt.* Ubi mox ſubdit: *Vos autem receſſiſtis de via & ſcandalizaſtis plurimos in lege, irritum feciſtis pactum Legis, dicit Dominus exercituum, propter quod & ego dedi vos contemtibiles, humiles omnibus populis.* Ecce Sacerdotalis dignitatis abuſio; & hoc quantum ad ſecundum. Ubi dicebatur: *contemſerunt legem meam &c.*

Tertio dixi, quod in verbis præmiſſis tangitur *ſacerdotalis abuſionis exaggeratio*, cum dicitur: *Polluerunt ſanctuaria mea.* Certè in ſe & in aliis tollentes templa Spiritus ſancti, fecerunt de ipſis ſpeluncam latronum ſeu dæmonum. Quæ eſt major exaggeratio peccatorum? Quis major cumulus delictor uno? Ubi major congeries ſcelerum, quam in ſacerdotibus? Qui nonſolum in ſe ſunt omni iniquitate repleti, ſed etiam in aliis ſunt occaſio peccati & cauſa damnationis æternæ. Quod bene Dominus ſignificavit, cum defleret deſtructionem Jeruſalem. Jam mox intravit in templum, & corripuit Sacerdotes, & eorum negotiatores expulit. Ac ſi diceret ejiciens vendentes & ementes: *Vos feciſtis errare populum, vos eſtis caſus illorum, non fuiſtis ſolliciti de honore meo & de ſalute ipſorum, ſed de oblationibus, & avaritiis veſtris. Ex quibus una cum populo in ſuperbia, laſcivia & voluptate vixiſtis.*

Sic & nunc Sacerdotes congregantur, nunc in adulteriis, fornicationibus, inceſtibus, carnalibus mulierum amoribus, oſculis, amplexibus, concubinarum cohabitationibus, meretricum commerciis. Et ut abominabiliter loquar, in peccatis mollitiei, vel contra naturam. Et quod ſupra malitiam hominum eſt, in peccatis ſtantes, divinis ſe ingerunt.

Alii autem habentes caſus Epiſcopales, ſolis ſimplicibus ſacerdotibus confitentes, nec adeuntes autoritatem epiſcopalem, pluribus diebus vel annis ad menſam domini accedunt. Num quid Judas in tantum peccavit? Certe non. Quia Judas ſemel tradidit Chriſtum, poſtea minus. Doluit & pœnitentiâ ductus, deſperans, laqueo ſe ſuſpendit. Iſti autem non ſemel, ſed toties Chriſtum tradunt, quoties in peccatis talibus celebrant, a quibus abſoluti non ſunt: Præcipue qui poſſunt ad autoritatem mox tranſire, & non vadunt. Ac utinam illi impœnitentes, qui multo tempore ſibi non providendo ſibi abſolutionem ſic concedant, vel aliàs non confeſſi. Utinam dico ſuſpenderent ſe laqueo ſicut Judas. Hoc dico, non omnino affectando, ſed dolendo. Nam tunc poſt unam celebrationem ſeu ſuſceptionem corporis, vel poſt traditionem, non ſic profunde intrarent infernum; ſicut communicantes multoties in ſui damnationem. Hoc dico de illis, qui ita diu exſpectant abſolutionem. Et quod ſi interim morerentur, forte impœnitentes decederent, ex quo dum tempus habuerint, pœnitentiam non egerunt. Et ſic intolerabilior eſſet eorum damnatio. Nec mirentur, quod hæc dico. Quia verum eſt. Quia, ſicut Judas accipiens buccellam, exiit ad tradendum Chriſtum, quod mox poſt buccellam, id eſt ſumtionem corporis Chriſti, introivit in eum Sathanas: Ecce quomodo iſti ſunt pejores, quia in illum ſemel intravit, in iſtos autem quoties ſumunt, intrat, & eos poſſidet. Quia judicium ſibi manducant & bibunt, nec dijudicantes nec diſcernentes corpus Domini à cibo profano, & immundo. Sicut conqueritur Dominus per Ezechielem Prophetam, Ezechiel XXIII. *Inter ſanctum & profanum non habuerunt diſtinctionem inter pollutum & mundum non intellexerunt.* Sicut enim bibunt calicem Babylonis, ſic bibunt calicem paſſionis Dominicæ.

Væ ebrietati Sacerdotum, frequentantibus tabernas & ebrietatem ſectantibus, qui potant à mane usque ad veſperam, & vino æſtuant, ubi reſonant cythara, lira & tympanum in conviviis eorum, & opus Domini non reſpiciunt. Væ, Væ! Quia non ſufficit talibus ſacerdotibus ebrietati deſervientibus, ut hic damnarentur, vel communicatione corporis & ſanguinis Dominici privarentur, ſicut dicitur in *Canonibus Apoſtolorum*, ſed ut etiam bibant, de vino iræ, & repleantur amaritudine fellis, & inebrientur abſinthio, fletu & ſtridore dentium ſine fine.

Propter hoc enim, quod præmiſſum eſt, ut dicitur Eſa. V. *Dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque ullo termino.* Quia non ſolum ipſi, ſed & eorum ſubditi damnantur, ſicut ibid. dicitur. *Captivus ductus eſt populus meus*, videlicet in infernum, ſicut populus Judaicus in Babylonem. *Quia non habent ſcientiam*, nempe à ſuis ſacerdotibus. Quia potius *ſtudent deliciis* mundi principis ſive diaboli, venatores paſcunt canes, ac paſcunt, quam prædicationem intendent, & qui poſiti ſunt hominum piſcatores, ipſi ſtudent eſſe diaboli, paſcunt canes, paſcunt urſos, paſcunt & accipitres, qui paſcere deberent pauperes, cùm ſcriptum ſit: *Nolite Sanctum*, id eſt patrimonium Chriſti, *dare canibus*, ſed potius ſanctis, in quibus eſurit Chriſtus.

Qualiter *Auguſtinus* deteſtatur venationem, audite: *Vident homines venationem, & delectantur. Væ miſeris, ſi non correxerint ſe: Si enim vident venationem aliam contriſtabantur.* Item *Hieronymus ſuper Pſalm. LXXXV. Eſau venator erat, quia peccator erat & punitus. Non inventimus in ſcripturis ſanctum aliquem, ſanctum venatorem.* Ecce exaggeratio peccatorum. Quidam ſic venantur feras in Sylvis. Quidam autem fœminas in choreis. *Tot ſaltent paſſibus ad infernum.* Non ducunt chorum angelicum, ſive oves Chriſti, ad dextram ipſius in judicio collocandas, ut cum eis audiant: *Venite benedicti, percipite regnum:* Sed ducunt chorum diabolicum, ſive hœdos ex luxuria fœtentes ad ſiniſtram, ubi cum eis audient: *Ite maledicti in ignem æternum.* Sicut Romani, & præcipue ſacerdotes idolorum, idololatrantes coram idolis, ſaltabant, & incurvabant ſe flectentes multi formiter membra ſua, ut

idola

idola sua ad misericordiam provocarent: Sic & nunc *sacerdotes & clerici saltant*, ut diabolum ad sui voluntatem, lasciviam implendam, incitarent, vel potius ut sibi propitias faciant meretrices.

Rogo, unde est hoc, quòd quidam verecundantur *vocari sacerdotes*, quidam tonsuram non deferunt, quidam coronam sui capitis abscondunt, quidam cincinnos ex suis capillis contorquent. Utinam de ipsis funes fierent, unde suspenderentur, vel alligata collo ipsorum mola asinaria submergerentur, ne cæteri de ipsis scandalum paterentur.

Quidam nitorem habent in facie, sicut fucatæ meretrices.

Quidam resplendent in veste, ut filiæ Babylonis, compositæ, circumornatæ, ut similitudo templi, ut sepulchra dealbata foris, intrinsecus autem plena ossibus mortuorum. Sic illi ab extra decorati sunt, pleni intus luxuria & fœtore. Quia jam incedunt nodulati, stricti, angustiati, in tantum quod tunica sit strictior cute sive ventre: Eorum breves tunicas deferentes. Non alia horum omnium causa est, nisi quia *luxuriosi* sunt.

Ita etiam quidam ornant equos suos in frenis, in sellis, calcaribus, & militaribus sive sæcularibus armis & vestibus. Ut ideo dubitari posset, an sint milites diaboli vel Christi.

Quidam cingulos aureos, & argenteos, sericos, deferunt, & ignorant, qualiter Judæis pro Zona sive cingulo datus fuit in captivitate funiculus, ut scribitur *Esa. III.* Quidam ocreas pedibus diligenter adaptant, ne rugæ appareant. Et sic calceos sive socculares strictos deferunt & restrictos, ut oculis hominum, & præcipuè *mulieribus placeant.* Et nesciunt miseri, quanta strages facta est Holoferni, de quo scribitur. *Judith Cap. ultimo*, quia *sandalia Judith rapuerunt oculos ejus, ut placeret ei, & cum ea peccare vellet.* Certe ex hoc ipso, amputavit pugione caput ejus. Inde cecidit exercitus.

Sed unde ista omnia? Nisi *ex otio quia non student, non orant, non prædicant.* Unda ista adhuc? Certe ex *avaritia.* Aliter enim vix malè expenderetur, nisi quod malè acquisitum est. Quicquid enim avaritia congregat, hoc luxuria in omni vanitate expendit.

Ecce enim sicut diversimodè patrimonium Christi *malè expendimus*, sic diversimode *male acquirimus.* Alius enim negotiatur, alius turpe lucrum facit, alius usuram exercet, alius in fraudem usurarum censum amputat.

Audite, quam detestabiliter de his loquatur *Hieronimus: Negotiatorem clericum de ignobili nobilem, de paupere divitem factum, quasi pestem fuge.*

Alius furatur, vel furtive intrat ad beneficia, non per ostium veritatis, sed aliunde per mendacia falsitatis, vel *falsas promotiones, sive falsas literas*, & falsos titulos: Et alius per servitia turpia: Alius per promotiones amicorum. Ubi non propter Deum, sed propter carnem & sanguinem tribuitur. Alius per cupiditatem, quia non recipit beneficium sive sacerdotium ut Deo serviat, sed ideo Deo servit, ut beneficium obtineat, vel per sacerdotium lucrum temporale lucretur. Alius autem sacrilegium facit: Alius ecclesiarum effractor esse non veretur.

Alius autem cum Gezi c) vendit Spiritus sancti gratiam, vendendo sepulturam, Sacramenta, sacras res, vel injungendo pœnitentias & quadragesimas sive pœnitentias peregrinationum, & pro eis recipiendo pecunias.

Alius autem emit cum Simone Spiritum sanctum, pro ordinibus sacris dando, sive pro beneficiis hæresin exercendo: Non quod tales proprie sint hæretici dicti, cùm nullam habent falsam opinionem directè, sed ex eo, quia hæretici dicuntur propter similitudinem actus. Quia sic operantur, ac si æstimarent donum Spiritus sancti pecunia possideri, sive etiam comparari. Quia alia existimatio esset hæretica. Unde *Gregorius* in *Registro* sic dicit: *Cum omnis avaritia sit idolorum cultus seu servitus, quisquis hanc in ecclesiasticis dignitatibus dandis non præcavet, infidelitatis perditioni subjicitur, etiam fidem, quam negligit, tenere videatur.*

O quantæ damnationis sint isti nesciunt. Quia cætera crimina in comparatione *Simoniæ* quasi pro nihilo reputantur. Et ut de cæteris eorum pœnis taceam, ipsi à S. *Ambrosio* anathematis opprobrio condemnantur, à participatione corporis & sanguinis Christi alienantur, à *Gelasio* Simonis damnatione involvuntur, secundum *Gregorium Nazianzenum* in ordine sano permanere non possunt, ab *Eliseo* lepra perfunduntur, à *Petro* in perditionem damnantur, à Christo verò de templo ejiciuntur.

Quid dicam ultra? Certe tolerabilior est impio hæresis Macedonii, & eorum, qui circa eum sunt, spiritus sancti impugnatores. *Illi* enim creaturam Dei Patris, & Filii Spiritum Sanctum delirando fatentur. *Isti* vero Spiritum sanctum efficiunt servum suum. Sicut enim dominus servum suum vendit vel rem suam, sic isti vendunt & emunt Spiritum sanctum, vel ejus gratiam vel sacramenta. Et sic Judæ traditori sunt similes, qui vendidit Christum, cui Spiritus sanctus, quem ipsi vendunt & emunt, consubstantialis existit. Et ideo cum Juda traditore suam æternam damnationis recipient portionem.

Et bene dixi: *Quicquid ex avaritiâ congregant hoc à luxuriâ expendant*, vel potius in *taxillis* vel *alea.* Quia quidam quicquid habent forte sacerdotii acquisitum, hoc in sortem crucifixorum mittunt Domini. Quanta sit illorum maledictio, non facile agnoscitur. Quia ibi mendacium, ibi perjurium, ibi blasphemia, ibi lites, ibi homicidium, ibi & cætera, quæ omitto, ne nobis audientibus fastidium generent.

Rogo, *tu lusor*, quid est lucrum tuum in taxillis? Si lucraris, restituere teneris, saltem pauperibus dando; Quia male acquisitum tenere non potes. Si perdis, tibi non restituitur, qui indignus es recipere, quod pessimè perdidisti. Postremo non es pars in hæreditate Domini, nec in Dominicis sacramentis: Sicut dicitur *Canonibus Apostolorum: Episcopus autem, presbyter, Diaconus, aleæ atque ebrietati se serviens, aut desinat, aut cerie damnetur. Subdiaconus autem, aut lector aut cantor id est Psalmista, similia faciens, aut desinat, aut communione privetur.*

Alii sua bona histrionibus largiuntur, ut laudentur ab ipsis. De quibus Psalmista loquens sic dicit: *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ & iniquus benedicitur.*

Sic

c) i. e. Gehasi, Elisæi servo.

Sic aliquando *Sacerdotes & clerici*, qui sacramentis imbuuntur, in suis vel mulierum incantationibus & sortilegiis sunt. Qui in missis suis, novis vel præmiis, honore mulierum, vel pretio vel pecunia conducti, cingunt se cingulis ad superstitiones faciendas. Sunt qui scribunt contra febres vel infirmitates hominum seu animalium characteres, vel super poma, vel hostias, super lauri baccam, super schedulam. Vel scribunt: *Jesus autem transiens lutum fecit &c.* quemadmodum in evangelio legitur. Quia hoc est superstitiosum, quod ipsi cædunt. *vel incidunt cruces* infra passionis lectionem *in die palmarum vel ligaturas faciunt, ut dicit Gregorius*, & sic de aliis. In quibus tempus & modum, & illa, quæ ad Dei reverentiam non pertinent, non observant.

Hi Sacerdotes, qui hæc superstitiosa faciunt vel fieri permittunt, & non prohibent, non sunt sacerdotes Domini, sed Baal, non Christi, sed Belial. Vertunt enim letanias sanctorum in invocationes Dæmonum. Nominiani sunt, non Christiani, harioli, non presbyteri.

Quid est quod feci? quid est, quòd tanta locutus sim? Certè aggerem comportavi, dum vobis exaggerationem peccatorum enucleavi. Dominus autem præcepit prædicatori per Ezechielem ejusdem C. IV. dicens: *ædificabis munitiones & comportabis aggerem*, quid est ædificare munitiones & comportare aggeres, nisi insinuare nobis, sicut insinuavit Ezechiel Jerusalem, qualiter munivimus nos, & roboravimus contra altissimum, levavimus contra eum calcaneum, contra ipsum comedentes de mensa ipsius panem & vinum, videlicet, corpus & sanguinem ipsius sumentes. Ut ipse bene dicat de quolibet nostrum illud, quod scribitur. Psalm. XL. *Homo pacis meæ in qua sperabam, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Et iterum Psalm. LIV. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, & si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsan ab eo.* Tu vero mecum unanimis, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, ipse elevasti calcaneum tuum contra me. O quanta maledictio sequitur: *Veniat mors super illos, & descendant viventes in infernum.* Quare adhuc? *Quia sacerdotes contemserunt legem meam, polluerunt sanctuaria mea.*

Non vos, venerandi Patres & Domini, sed mundamini, qui fertis vasa Domini. Etiam si fuistis tales, jam non sitis. Qui furabatur, jam non furetur. Qui Simoniacus fuit, jam desinat, agat pœnitentiam. Qui legem Domini transgressus est, tam ipsam apprehendat corde meditando, ore prædicando, opere adimplendo. Fugite vitia, virtutes sequimini, veritatem diligite. Ut, illa duce possitis pervenire de hoc ad patriam, de labore ad requiem, de morte ad vitam, de turbulenti hujus mundi periculo ad gaudia sempiterna. Ad quæ nos perducat, qui vivit & regnat Deus in secula seculorum. Amen.

SERMO II
De Corrupto Clericorum statu; circa tempora Constantiensis Concilii.
Ex MSCto Wolffenbyt.

CAto, a) egregius Poëta, morumque puerilium potens informator, in quodam libro nomine suo intitulato tale scribit documentum: *Ad consilium ne accesseris, antequam voceris. In quo* quidem documento cum quidem multipliciter *tangit statum clericalem*, ideò circa ipsum diligenter est notandum, quod *status clericalis* potest dici *quoddam concilium*, quoniam in illo statu sunt personæ, quæ per nomina vocantur ad consilia, scilicet ad Dei secreta cognoscenda. Sic quod quoad se ipsos *debent sancte vivere, & alios salubriter instruere & informare*: Sunt enim & *debent esse sicut sidera cœli.* Sunt enim sidera lucis vehicula. Lux enim primo apparet in Oriente, scilicet in clericis & laicis literatis. Et bene *dicuntur consiliarii*, quia inter Deum & homines tenent medium, & dispensant divinum mysterium. Secundo quia trabea Regis induuntur, *de bonis Regis sustentantur.* Trabea Regis, id est *Christi charactere insigniti & decorati. Unde isti consiliarii* pollent, vel saltem *pollere debent mentis sanctitate, cordis puritate, carnis castitate, oris veritate, operis strenuitate*, victus *sobrietate, gestus maturitate, vestis humilitate & totius* vitæ honestate. Hæc enim omnia clarè possunt colligi ex Canonibus *dist. 23. His igitur & dist. 38. Ecclesiæ & dist. 41. Episcopus, & dist. 42. clericus, & dist. 44.* per totum, *de consecratione dist. 5. In omnibus & Extra. De vita & honestate clericorum, c. clericorum &c. à crapula.*

Isti ergo consiliarii, qui per nomina vocantur & assumuntur ad attribuendum consilium.

Sed ex quibus assumuntur, certe Apostolus dicit, quod *assumuntur ex hominibus*, Unde *Hebr. V. Omnis Pontifex, id est sacerdos ex hominibus assumtus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* In quo verbo istorum consiliariorum implicatur officium, materia & forma, modus, finis eorum status. *Officium*, quia sunt *Pontifices*, id est, pontem facientes, qui cœlum attingat, per quem grex dominicus ex hoc mundo ad Patrem transeat. Unde *B. Gregorius in moralibus: In moribus debet esse conspicuus, qui aliis præponitur vel præponetur imitandus.* Sed timendum est *hodiè* valdè, quod *multi* ex Consiliariis istis *non faciunt pontem, qui ducat in cœlum, sed magis naufragium committant, & in charybdim abducant, quia operibus malis pontem ad infernum faciunt, quo, ut timendum est, se gregemque sibi commissum, quantum ex eis est, sæpe præcipitant, & abducunt. Quia error*, qui est in consiliariis, id est in de-

a) Fragmentum hoc est Sermonis, in quo Clericorum vita secundum qualitates animantium, Accidentia, & compositiones nominum, nec non casus, nova quadam ratione examinatur.

in *clericis faciliter* laicis tranſit in exemplum.

Secundò in eadem autoritate apoſtolus tangit materiam aſſumtionis ad illud conſilium, quia dicit *conſiliarios aſſumendos eſſe ex hominibus*, quia hæc eſt materia debita & rationabilis. Homo enim eſt animal naturaliter civile & ſociale, diſcretum & rationale, corruptibile & mortale, manſuetum & diſciplinabile. Sic ipſi conſiliarii *debent eſſe civiles & ſociales*, per divinæ charitatis dilectionem, *rationales per ſanctæ vitæ converſationis diſcretionem, mortales per carnis & vitiorum extinctionem, diſciplinales per Jeſu Chriſti imitationem.* Nam ejus locum in terra tenent, cujus patrimonium in terra poſſident, ut dicere poſſint illud pſalmiſtæ: Domini eſt aſſumtio noſtra, id eſt Domino nonſolum permittente ſed etiam providente. Ex hominibus ergò debent eſſe, non ex lapidibus, *ne* ad modum lapidum ſint *graves & frigidi*, graves per acediam, frigidi per immiſericordiam, ſed ex hominibus, & reſpectu ſubditorum *ſint promti, laborioſi & compaſſivi.* Item non ex reptilibus, quæ pectore & ventre ſuper terram reptant, *ne* ad modum reptilium *ſint cupidi & avari*, ſed ex hominibus, *ut ſint largi & liberales*, contemplativi & cœleſtia meditantes. Item *non* ex jumentis propter carnalitatem, & luxuriam, ſed hominibus, *propter caſtitatem & munditiam.* Item *non* ex canibus, *propter crudelitatem & iracundiam*, *ſed* ex hominibus *propter benignitatem & patientiam.* Item *non* ex piſcibus propter *voracitatem & caſtrimergiam*, b) qui ſemper cibum habent ad os, ſed ex hominibus ut *ſint ſobrii & modeſti.* Item *non* ex volatilibus, propter *timiditatem & ſuperbiam*, ſed ex hominibus, ut ſint *humiles & ſociales.* Item *non* ex dæmonibus, propter eorum *invidiam & impietatem*, ſed ex hominibus, ut ſint *benevoli & charitativi.* Item non ex angelis, ne ſicut angeli inexperti ſint miſeriarum, ſed ex hominibus, ut *ſciant compati ſubditorum infirmitatibus.* Homo enim particeps miſeriarum miſericors eſt & compatiens. Qui enim iſtis modis non poſſunt dicere: Domini eſt aſſumtio noſtra.

De quolibet talium dicitur illud *Matth. IV.* aſſumſit eum diabolus in ſanctam civitatem, ſcilicet Jeruſalem, *& ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi*, id eſt *ſuper apicem eccleſiaſtici gradus.* Et iſtorum aſſumtio eſt mala, quia eorum actio non *correſpondet profeſſioni*, quorum profeſſio eſt deifica, actio vero dæmoniaca, honor eſt ſublimis, & vita proclivis; Contra quos dicitur *diſt. 40. Non eſt facile*, ubi dicitur: *Non omnes ſunt ſanctorum filii, qui ſanctorum tenent loca, ſed qui eorum exemplificant opera. Tales non ſunt conſiliarii in conſilio eccleſiæ Chriſti, ſed magis mundi & diaboli, quia non ſunt viri ſpirituales, ſed magis animales, non regulares, ſed mundiales*, quoniam diverſis mundanis corporibus ſunt ſimiles & conformes in ſuis actibus. Nam ardent ut ignis *per avaritiam*, moventur ut aër, per *inconſtantiam*, fluunt ut aquæ per *luxuriam*, arent ut terra, per *invidiam*, aſſimulantur inſuper lapidibus per *impietatis duritiam*, arboribus per elationis *ſuperbiam*, floribus per vanitatis apparentiam, avibus, piſcibus, reptilibus & cæteris animalibus, ut dictum eſt. Unde propter hæc & ſimilia poteſt verificari de illis illud Pſalmi: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit &c.* Unde *Chryſoſtomus ſuper Matthæum homilia quarta. Neque enim ſi peccator, homo es, manifeſte dicere poſſum, cum calcitres ut aſinus, ſaltes ut rana, fremas ut equus, caſtrimergia impingues carnem tuam, ſicut mulus, rapias ut lupus, iraſcaris ut ſerpens, percutias ut ſcorpio, doloſus ſis, ut vulpes, venenum malitiæ obſerves, ut circe & vipera. Qualiter te poteris cum hominibus computare, non videns vitæ hominis characterem ſed beſtiæ.* Quaſi diceret, non poſſis. Unde tales immemores ſunt ſuæ ſalutis & ſtatus in memoria. *Immemores* dico *clericalis promiſſionis*, qua mirabiliter multi *ad magnum ſtatum* ſunt *promoti* clericalis dotationis, qua mirabiliter patrimonio Chriſti *ſunt ditati:* Immemores clericalis adoptionis, qua mirabiliter ſuper omnes homines, ſpecialiter in filios Dei ſpirituales ſunt adoptati: Et immemores clericalis educationis, qua mirabiliter ſuper omnes homines educantur: Quia licet *Deus* totum mundum foveat, ſpecialiter tamen illos conſiliarios nutrit, *& eis providet de labore & ſudore aliorum abſque eorum labore corporali*, & tales non ſunt de curia & conſilio Chriſti, ſed magis mundi, ubi conſiliarii ſunt avari & cupidi, & conſilio carnis, cujus conſiliarii ſunt *carnales & impudici*, item dæmonis, ejus conſiliarii ſunt omnes *elati & ſuperbi.*

Tertiò in authoritate tangit formam promotionis ac adſumtionis ad illud conſilium. Et hoc eſt ad propoſitum directe, quia conſiliarii debent ſumi ex hominibus per vocationem puram, electionem, inſtitutionem vel proviſionem. Nullus enim debet autoritate propria accedere, nec ſe ipſum ingerere nec motu proprio ipſam aſſumere, ſed magis ad hujusmodi ſe indignum reputare. Nemo hinc honorem iſtius conſilii aſſumat, ſicut faciunt *ambitioſi*, ſed qui invitatur a Deo, & ſic ad conſilium non accedat, antequam vocetur.

Et debet ad conſilium *vocari*, ſicut fuit a Deo vocatus Aaron, *Hebr. V.* Ubi nota ad propoſitum, quod Aaron fuit vocatus Dei verbo, Exod. XXVIII. Unde dixit Deus ad Moſen: *Applica te ad fratrem tuum Aaron, ut ſacerdotio mihi fungatur.* Secundo vocatus fuit virgæ judicio, quæ virga ſubitò germinavit, fronduit & floruit, & amygdala protulit, Num. XVII. Sic prædicti Conſiliarii ad conſilium, id eſt ad ſacerdotium, ad curam animarum & prælaturam vel dignitatem quamcunque eccleſiæ vocantur à Deo quando digne & canonice eliguntur vel conſtituuntur, ita *quod in talium adſumtione non habet locum manus prævalentis potentiæ*, ſicut fit per intruſos, qui per violentiam quaſi *intruduntur*, vel per *preces armatas promoventur:* Nec *faſtus* ambientis ſuperbiæ, ſicut fit in *ambitioſis.* Nec genus excellentis proſapiæ, ſicut fit in generoſis & nobilibus. Nec munus *corrumpentis pecuniæ*, ſicut eſt in ſimoniacis & Gezitis. c) Nec dolus occultantis *aſtutiæ* & affectionis ſiniſtræ, ſicut eſt in illis, *qui promoventur ex affectione inordinata*, ubi conſiliario apparet, quod promovendus ſit in duplo meliot, quam eſt. Ubi nota, quod expertum eſt, in perſpectiva ſcientia,

b) Sic in MSCto legitur. Scribendum tamen Gaſtrimargiam. Nam Græcum eſt Γαστριμαργία i. e. ingluvies.

c) i. e. Gehasitis, imitantibus Gehaſi ſervum Eliſæi avarum.

entia, quòd si aliquis in oculo supponit digitum, res visa apparet duplo: Sic in proposito *affectio inordinata indicat quandoque amicum vel familiarem in duplo meliorem* & inimicum in duplo pejorem, *quàm sit. Sic in dignitatibus ecclesiasticis quandoque uni conferuntur duo vel plura beneficia, qui non est dignus habere unum beneficium.* Et si aliquis de hujusmodi promotione fuerit redargutus, statim affectu inordinato excusabit exemplis, dicendo: quòd ille vel ille, tot vel tot possidet beneficia, quare ipse non?

Secundo ad hoc, quòd assumtio quoad consilium sit legitima, requiritur, quòd consiliarius sit assumtus per vocationis virgam. Primò virga rigida, & hoc quoad *delinquentium correctionem.* Secundò virga florida, quoad *sanctam conversationem.* Tertio virga frondosa, quoad verbi *Dei prædicationem.* Quarto virga fructibus plena vel fructifera, quoad meritorum cumulationem. Abscedit ergo omnis *ambitio*, & nemo ad consilium accedat, antequam sit vocatus. Qui ad consilium non vocati veniunt, & accedunt, illis in extremo judicio fiunt *tres quæstiones:* Prima: *quomodo huc intrasti?* Secunda: *quomodo rexisti?* Tertia: *quomodo vixisti?* Durum secularibus & laicis, durius clericis non vocatis, durissimum prælatis. Dura quæstio, quomodo à *pauperibus extorsiones* fecerunt? durior, quomodo *bona pauperum consumserunt?* durissima, quare *Christo & ecclesiæ de perceptis eleemosynis non serviunt?* Item dura quæstio, quare *oves Christi non pæverunt exemplo bonæ vitæ?* Durior: quare *malos non increpaverunt*, durissima, quare *ipsimet non bene vixerunt*, & ad consilium non vocati venerunt? Sed qui vocantur à Deo, tanquam Aaron, isti vocantur per nomina, & nomen per pronomen sive adverbia & hujusmodi. Si enim quæritur: Nomini quot accidunt? dicitur: Sex, scilicet qualitas, comparatio, genus, numerus, figura, casus. Tales enim sunt qualitatis appellativæ: *Appellantur* enim *ministri Christi*, juxta illud Corinth. IV. Sic nos existimet homo ut ministros Christi. Secundò *lux mundi*, juxta illud in Evangelio: Vos estis lux mundi, Matth. V. *Amici Christi*, Joh. XIV. Vos amici mei estis &c. sed non vocati sunt propriæ qualitatis, illi enim *quærunt quæ sua sunt*, non quæ Jesu Christo. Secundò tales sunt *comparationis superlativæ*, ut dicatur bonus, melior, optimus. Et sunt *comparationis regularis*, quia beati immaculati, incipiunt, & ad deficit perveniunt. Tertiò vocati sunt *generis dignioris*, quia vos estis genus electum, regale, sacerdotium, sed alii degenerant. Quarto sunt *numeri singularis*, ut supra dictum est, quia singulariter ex multis electi, sed alii pluralis numeri, quia ut supra, pluribus animalibus comparantur. Quintò sunt figuræ simplicis, quia *simplices*, sicut columbæ; sed alii figuræ compositæ & dialecticæ, quia in capite clerici, propter tonsuram, sed in corpore quoad vestimenta & alia, sicut milites & garriones. Et Sexto *casus multiplicioris.* Primò *nominativi*, quia per nomina vocati sunt, ut dictum. Secundo *genitivi*, quia à Deo geniti ut filii. Tertiò *dativi*, quia misericordes & liberales & benefici. Quartò *accusativi*, quia malos corripiendo accusant. Quinto *vocativi*, ut dictum est. Sexto *ablativi*, quia omne malum detestando auferunt. Istis ergo per nomina vocatis accidunt sex laudabiles conditiones prædictæ. Ergo nomina eorum scripta sunt in libro vitæ, quia eorum nomina sunt composita ex duobus integris. Quærit enim donatus: quot modis nomina componuntur? & respondet, quòd quatuor vel quinque modis. Primò ex duobus integris, ut suburbanus. Secundò ex duobus corruptis, ut efficax, municeps. Tertiò ex integro & corrupto, ut ineptus & insulsus. Quartò ex corrupto & integro, ut nugigerulus. Aliquando ex compluribus, ut inexpugnabilis, imperterritus. Ad propositum, nomine ad consilium prædicto modo vocatorum componuntur *ex duobus integris*, scilicet *amore Dei & proximi*, qui amores totam legem integrant: Vel ex duabus partibus *justitiæ*, quæ legem perficiunt, quæ sunt declinare à malo & facere bonum, vel ex *vita bona & fama honesta*, & à talibus integris componitur suburbanus clericus, scilicet *simplex & innocens*, ab urbe superbiæ & malorum societate, & vita mala remotus, qui ignorat carnis delicias, hominum malorum astutias, & vivendi nequitias, & qui totus est *integer in verbo & in facto.*

Sed secundo modo majorum nomina qui ad consilium non vocati accedunt, ut dictum est, componuntur diversimodè. Et primò *ex duobus corruptis* facilitatis scilicet tàm operis quam sermonis, id est, *qui verbis coloratis obnubilant nequitiam sui operis*, sicut efficax, tales namque sunt in loquendo magis efficaces, facta sua & aliorum, quantumcunque sunt injusta, efficaciter defendunt. Sunt etiam tales municipes *munera capientes*, causas injustas pro donis & muneribus defendentes & promoventes. Tales sic compositi ex duobus corruptis sunt *perversi judices*, falsi placitatores & advocati, efficaciter veritatem opprimentes, & *munera lubenter accipientes*, quæ excœcant prudentes, & subvertunt verba eorum, Exod. XXIII. Tertiò aliquorum nomina componuntur *ex integro & corrupto*, sicut illorum, qui *bene agunt, lucrum tamen temporale* & laudem humanam finem sibi constituunt, ut ineptus & insulsus. Talis enim ineptus est, ad consequendum æternum præmium, & insulsus, quia non delectatur divinum beneplacitum. Unde quæritur Jobi VI. Num quid potest comedi insulsum, quod non est sale conditum? Quarto aliorum nomina componuntur *ex integro & corrupto*, sicut illorum, qui ut eorum dictis major adhibeatur fides, quandoque vera cum falsis permiscent, & talis præcipuè est *omnis nugigerulus.* Quintò addit Donatus, quòd aliquando componuntur nomina ex *pluribus corruptis & integris*, talia sunt nomina quorundam *potentum & nobilium*, quorundam *sapientum & subtilium*, qui multa habent tanquam integra, scilicet & *bona naturæ & fortunæ.* Et multa corrupta *vitia*, & talis est inexpugnabilis & imperterritus, quia secundum Philosophum I. Polit. *sævissima injustitia habens arma* &c.

SERMO

SERMO III.

Habitus in Concilio Constantiensi Anno 1415. Dominica XVII. post Trinit.

Ex MSCto Erffurtensi.

MUNDAMINI, a) *qui fertis vasa Domini.* Verba hæc originaliter scribuntur Esa. LII. scribuntur etiam ad literam *1.q.1.c.93. Necesse.* Apteque proportionantur principio *epistolæ Dominicæ currentis,* Ephes.III. Ubi Apostolus ait: *Obsecro vos, fratres, ego vinctus in Domino, ut digni ambuletis vocatione, quâ vocati estis, cum omni humilitate, mansuetudine & patientia, supportantes invicem in charitate, sollicite servate unitatem Spiritus in vinculo pacis &c.*

Patriarcha siquidem *Jacob* convocata omni domo sua, ait: *Abjicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, ac mundamini, immutate vestimenta vestra. Genes. XXXV.*

Reverendissimi Patres, & Domini Prælati, cæterique clerici in communi. Quia convenistis & convocati estis *in hac sancta synodo*, cujus nomen ex Græco *communitas seu cœtus* interpretatur, *Isidorus L.VI. Ethic. c.VII. & XV. dist. Canones.* Et rectè *Synodus* personis ecclesiasticis convenit: Quod, ut idem *Isidorus* ait, Libr.VIII. ethic. c.1. In hoc etiam differt à *Synagoga,* quod *Ecclesia* est suos convocare, *Synagogæ* vero congregare. Congregari enim pecora solent, quorum & greges proprie dicimus, sicut sunt Judæi: Convocari autem magis est in utentibus ratione, sicut sunt homines.

Diligenter ergo & attentè ad ea, *propter quæ ipsa sancta synodus* à patribus est instituta, animadvertere, & ea sollicite servare debemus.

Alioquin modicus hujus sanctæ synodi erit profectus, dicente Philosopho II. *Ethic. c.II. Multi justa & bona non operantur, rationem autem fugientes æstimant philosophari, & sic fore studiosi, id est virtuosi. Simile aliquid patientes laborantibus, id est infirmis, qui Medicos quidem audiunt studiosè, faciunt autem nihil eorum, quæ præcepta sunt. Quemadmodum igitur neque illi bene habebunt corpus, ita curati, neque isti animam, ita philosophantes.* Hæc ille.

Sancta quippe synodus ad hoc videretur primum instituta & nunc, *ut defectus clericorum & negligentiæ Prælatorum per diœcesin & provinciam corrigantur, XVIII. dist. c. Provenit.* Et ut ipsis convocatis statuta seu præcepta sanctæ matris ecclesiæ rectè disposita *promulgentur.* Ne prætextu ignorantiæ transgressores excusentur. *L. nemo clericus* C. de summa *Trinitate & fide catholica.*

Mihi vero, cum sim juvenis, & in acie certaminis ecclesiastici revera minimus, nihil correptionis in seniores vos venerabiles Dominos meos proponere licet, apostolo teste 1. Tim. IV. *Seniorem ne increpaveris.* Et 2. q. 7. Paulus dicit, quod emendare Seniorum sit & corrigere, L. *unica C. de emend. propinquo.* Semper enim magis præsumitur de senili ætate, quam juvenili. *L. si chorus, §. 1. de legat. 3.* Athletas tamen juvenes *Vegetius de re militari* jubet fortioribus admisceri. Hinc est, quod lex ait in *Authentica, ad monachos, §. cogitandum, collat. 1. Juvenibus crescit Zelus ad virtutem, si cum senioribus constituantur. Fiet enim seniorum conversatio juventutis educatio perfecta.* Exercitium namque largitur promptitudinem, L. *legatis servis §. ornatricibus, de Legatis. 3.*

Possim igitur vobis Senioribus *seniorum munia* salutaria proponere, & tanquam minor ea, quæ juris sunt, recitare, *Nota* in L. *dedi, §. causam.*

Et propter hoc absque legum & canonum sententia de verbis propositis non differam. Ut sit eis potius credendi autoritas, mihique solùm recitandi facultas. *In Authentica de trin. §. consideramus, collat. 3.* Quamvis mare magnum & spatiosum divinæ scripturæ, ac in studia philosophica, non ut transfuga, sed ut explorator, aliquoties descendam. Dicente venerabili *Seneca ad Lucillum epistola 2.* Philosophia enim, ut *ait Macrobius L. III. saturnalium,* quæ de singulis rebus sollicite tractat, nulli ætati, sexui aut conditioni deesse debet.

Me igitur in hac multitudine permixta atque diversa, ubi ætas & institutio varia est, vestra charitate benignè sustinebitis & patienter audietis, L. *proximè* ff. *de his quæ in testamento delegantur.* Quamquam dicat *Aristoteles VII. politic.* cujus non modica in lege est autoritas, & in L. *si pater* ff. *de solutionibus,* juvenes a collocutionibus propter inexperientiam fore prohibendos.

Cùm ergò moris sit usitati & religionis sacratissimæ, in omnibus maximis seu minimis rebus aliquid acturum ad divinum auxilium decurrere, *L. 1. in principio C. de veteri jure enucleato,* invocandus est, & pater omnium rerum, quo prætermisso, nullum rite fundatur exordium, *Boetius de consol. philos. prosa IX.* Ut de supernis suæ majestatis sedibus cordibus nostris gratiæ suæ lumen infundere dignetur. Lumen enim ab inferioribus non est, L. *lumen* ff. *de servitutibus.* Dicendo cum eodem, ubi supra metro *IX.*

O qui perpetua mundum ratione gubernas.

Et post:

Da, Pater, augustam menti conscendere sedem.
Da fontem lustrare boni de luce reperta.
In te conspicuos animi defigere visus.

Sed quia omnes peccavimus in Adam *Rom.* V. Iniquitatem autem si aspexerim in corde meo, non exaudiet Dominus, *Psalm. LXV.* Ideò glorioſam virginem Mariam, quæ Dei Patris Filium sancti Spiritus obumbratione concepit, & virginitatis gloria permanente, æternum lumen mundo effudit,

a) Sermonem hunc integrum dedimus, tum quia Sacerdotum vitam flagitiosam & ignorantiam, blandius tamen quam alii, reprehendit: tum imprimis, quia horret citationibus philosophicis, & decretis pontificiis, loco S. Scripturæ allegatis. Quem ipsum pessimum sanè morem in eodem Concilio Sermone XIV. (uti videbimus) Theodoricus de monasterio valde improbavit. Et sic duplicem corruptæ Ecclesiæ imaginem hæc oratio exhibet: alias non sine fructu legenda.

dit, *LXX. dist. c. sanctorum:* quæ etiam verè & propriè Dei mater dicitur, non quia Deus verbum principium ex ea sumserit, sed quia in ultimis diebus de cœlis descendens ex ea incarnatus & homo factus sit, *L. victorum, versus omnes vero sacerdotes, C. de summa Trinitate & fide catholica.* Mente devotissima invocemus pro nobis interpellantem, ut quicquid minus est, per nos ultimos servos suos restituat in nomine suo Deus, & dignos nos faciat servitium ejus adimplere, C. *de officio Præfect. Prætor. Afric.* L. 1. *post principium.* In Deo igitur spem ponimus, scientes, quòd ipse nobis omnibus dat salutem, in *authentica de privilegiis Doctorum, principio, collat. VIII.* Qua, inquam, spe eam angelica salutatione salutantes, dicamus: *ave gratia plena.*

Nunc fortuna prosperante pergam iter institutæ orationis. Oratio quippe propolita loco thematis fuit hæc: *Mundamini, qui fertis vasa Domini,* posita, ubi supra.

Igitur primò *qualiter ab exordio instituti sunt ferentes vasa Domini,* dignitatis *excellentia,* succinctè narrabo. Deinceps de qualitatibus & oneribus eorum, similiter, *& in quibus fuerunt mundandi,* compendiosè juxta majoris sententias explicabo. Ut rite concludere valeam: *mundamini, qui fertis vasa Domini.*

Quoniam, præstantissimi Domini mei, cum in uno quoque genere æternum sit, dare unum, primum, optimum, & simplicissimum, quod sit metrum & mensura omnium aliorum illius generis, à quo cœlum dependet & tota natura, dicente *Aristotele, Mechanicæ, Bonum* quoque totius universi consistat *in ordine,* ut idem XII. *Mechanicæ* & in L. 1. c. *de execut. rei judic.* Deus gloriosus, omnium visibilium & invisibilium creator potentissimus, microcosmum, hominem videlicet, quem ad ejus imaginem formaverat, perfecto dono scientiæ, rationis & consilii eundem venustans, tanquam inferiorem mundum, ad similitudinem macrocosmi, mundi superioris, disponit gubernari. Microcosmus enim, rationabiliter se habet ad rationem Microcosmi VIII. *Polit.* Et quemadmodum in microcosmo entia nolunt male disponi, nec est ibidem Principum pluralitas, imò est ibidem princeps unus, XII. *mechanicæ.* Et in *L. victor post principium,* C. *de summa Trinitate & fide catholica.* Ita & in microcosmo, hoc mundo inferiori conformiter erit *unitas regiminis unitas principantis.* Erit ergo unus pastor & unum ovile, *Epistola, in claras* c. *Etsi.*

Et sicut in *homine* in se apparet *duplex principatus* quorum tamen alter alteri est subalternatus, & sic ordo principatuum universi, puta, potentiæ sensitivæ, ad vires suas inferiores, & ipsius potentiæ intellectivæ, ad potentiam sensitivam, & omnes vires corporales, juxta philosophum *2. Ethicorum:* Ita & in microcosmo, hoc mundo inferiori a parte naturæ legis & gratiæ *duplex* in humano genere *principatus* reperitur, *sacerdotum* videlicet & *secularium,* quorum alter tamen alteri merito subalternatur.

Hi siquidem duo *principatus* ex uno eodemque principio divina providentia humanam nedum exornant, sed manu tenent vitam, *ut in authentica, quomodo oportet episcopi & clerici, in principio, collat. prima.* Et licet duo videantur, unus tamen sunt, ratione finis quem intendunt. Ordinati enim sunt in quietem suis subditis. Ut in laudem & magnificentiam Dei cuncta gubernent & procurent. Rex enim vult esse custos justi, & qui possidet substantias, nihil injustum patiatur: populus autem nullam sustineat injuriam *L. 1. c. de injuriis.* Erit autem sicut populus, sic & sacerdos *L. digna vox C. de legibus.*

Quemadmodum igitur in statu secularium sunt *varii gradus* hominum, ut puta urbanorum prædiorum habitatores, mercatores, magistratus, milites, Comites, Barones & duces: Singuli enim suis vacant officiis, *L. consulta divalia C. de testamentis.*

Et *princeps* quidem noctes ducit insomnes, & voluntarios assumit labores, ut subditis suis præparet quietem, ut *in Authentica,* ut *judex, sine quo sufficienter, in principio,* coll. 2. Armis etiam vacat & legibus: Ut utrumque tempus, pacis & bellorum, recte possit gubernari, ut in *proœmio institutionum.* De cæteris transeo.

Ad *principatus sacerdotum* venio. In quo *gradus* sunt *multiplices: summus Pontifex, Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, Ecclesiarum seu populi rectores, presbyteri, diaconi, subdiaconi, & cæteri clerici.*

Hi sunt, ad quos est verbum: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.*

Vos ergo, venerandi Domini Prælati, rectores & clerici, estis, qui *fertis vasa Domini.* Non vasa aurea vel argentea, qualia dedit Eliezer Damascenus Rebeccæ *Genes. XXIV.* Nec vasa iniquitatis, ut Simeon & Levi, *Genes. XLIX.* Sed geritis vasa electionis, ut *apostolus Actor. IX.* Et fertis vasa Domini Sabaoth, *Numer. III. Applicabis tribum Levi, & fac stare in conspectu Aaron sacerdotis, ut ministrent ei & exturbent & observent, quicquid ad cultũ pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonii, & custodiant* vasa tabernaculi.

Hæc sunt *vasa sancta,* quæ exsolvuntur pro delicto, quæ aquam sanctam continent, quæ gloriam Domini insumunt, quæ dispensationem corporis & sanguinis Dominici exhibent. Plurima vasa altaris plurium ministerium & singulorum aliud & aliud officium insumunt. Nam in magna domo non solum sunt vasa aurea vel argentea, sed & lignea & fictilia, *1. Tim. II.*

Unusquisque ergo vestrum sciat hoc & cognoscat vas suum possidere, id est *officium suum adimplere,* ad sanctificationem *1. Thessal. IV.* Omnia enim vasa hæc sunt de lapide pretioso. Lapis hic est Christus Deus noster.

Christus namque unigenitus Dei filius, qui non à Deo patre distinguitur alia nota adjecta, nisi qua genitor ab eo, qui genitus est, *L. in suis, ff. de liberis & posthumis.* Imminente suæ passionis tempore, sumta cœna, electis suis, vobis, inquam, sacerdotibus testamentum disposuit. Volens ex suo testamento, ut dignum erat, pensatis dignitatum oneribus, vos ipsos aliqua habere præcipua, *L. §. nec cont. ff. de collatione bonorum.* Ipse namque dedit eis *triticum, vinum & oleum: Triticum* videlicet, quando sub panis & vini speciebus corpus suum in cibum & sanguinem ejus in poculum tribuebat. *Oleum* etiam dedit, quando commisit venerandos sacerdotes *oleo sancto* in eorum manibus, ut sacrificatis officiis, more Aaron, ritè fungerentur,

gerentur, *consecrandos.* Sicque vobis inposterum hoc sacramentum in sui commemorationem reliquit, *L. libenter in fine* ff. de Verb. sign.

Christi ergò, ô vos sacerdotes venerandi, a fructu frumenti, vini & olei, instituti estis & multiplicati, *Psalm. IV.* Vos enim præcipuè tunc instituti, quando se ipsum Deus & homo hostiam sacrificans etiam sacrificium se obtulit & donavit, vobisque claves tradidit ligandi atque solvendi. Sacerdotes namque regni cœlestis possessionem receperunt clavium traditione, *L. clavibus ff. de contrah. emtion. imò Dominum, L. traditionibus C. de pactis.* Et quamvis longè antequam venisset plenitudo temporis, misso desuper Dei filio in terram ante secula genito, Sacerdotium vigebat in sacrificiis; Incepit tamen sacramenta Christi frequentare per mortem Christi ex clavium potestatis traditione. Testamentum enim â morte testatorum capit vires, *L. si alieni, §. ff. de hæredibus instituendis.* Sicque translato sacerdotio, necesse est, ut legis translatio fiat, ut *Extra, de constit. c. translato.*

Mira siquidem ostenditur *sacerdotii dignitas.* Quia neque agricola, neque bunensis b) sacerdotes constituendi, *2. Pol. XIII. C.* sunt enim sacramentorum tractatores. Sacrisque vacare sacerdotes oportet, *L. non distinguemus, §. Sacerdotio, ff. de arbitris.* Vacant enim sacerdotes & curatores eorum, quæ sacra sunt, *L. 1. ff. de Justitia & jure.*

Vos ergo, ô venerandi Sacerdotes, divinis characteribus mirabiliter estis insigniti per ordines sacros rite susceptos, quibus Deo reverenter ministratur. *Perpendite,* quæso, *ne nomen suscepti ordinis mereamini amittere. Quia si priveris, nec nomen habere mereris, L. à nullo, C. de feriis.*

Vos estis *Presbyteri, præ aliis ituri.* Vel Græca etymologia: *Seniores,* id est digniores. *Presbyter* enim Græcè, Latinè *Senior* interpretatur, non pro ætate vel decrepita senectute, sed propter honorem & dignitatem, quam acceperunt. Ita nominantur *per Isidorum VII. Ethic. c. XII.* Et est ratio. Nam in politia optima *decet honorare sacerdotes,* qui propter eorum dignitatem à publicis muneribus sunt abdicati, *L. neminem & L. sacrosancta C. de SS. Eccles. & L. Presbyteri, C. de episc. & cleric.*

Et ideo lex *Sacerdotes* constituit *maturæ ætatis,* ut *in authentica, de sanctis episcopis, §. presbyterum, collat. 9. & in L. nulla. C. de Episc. & cleric.*

Maximo igitur honore digni sitis, ò venerandi sacerdotes. Licet enim ætas plerisque deficiat, non tamen dignitas, sine publici officii genere etiam magistratibus præfertur, *L. 1. §. publicum, ff. de justit. & jure.*

Vos estis, o sacerdotes eximii, divinorum mysteriorum soli dispensatores, occultissimorum operarii. Quia sacramenti à Seculo absconditi tractatores. Magnum vestrum est posse, mirabilis nimiamque stupenda conditio. Nam verbis, authoritate vobis à summo autore concessa, substantias rerum panis & vini immutatis. Pro vestra igitur dignitate à Deo vobis maxima bona dabuntur. Nam ea, quæ sunt, firma habebimus, & quæ nondum hactenus eveniunt, acquirimus, ut patet *in authentica. Quo oportet, de episcopis & clericis circa principium, coll. prima.* Perplurima ergò dignitas vestra est. Quoniam ex gradu honoris potentis, circa principem ambulare, L. jurisperitos, ff. de excusat. tutor.

Vos estis sanctuarium Dei, quibus etiam arcana, occulta videlicet & incerta sapientiæ suæ sunt commissa, dicente Catone:

Mitte arcana Dei cœlumque inquirere quid sit.

Hinc vobis videtur sedes prior, locus circumspectior, distribuendi, loquendique facultas antiquior, curiæ cœlestis splendor, adepti magistratus dignitas vetustior, *C. de Præpositis sacrasti, L. 5. L. XII.*

Vos etiam mediatores Dei & hominum, deferentes pro populo Deo orationes devotas, & acceptabiles hostias. Quia interest, ut sint sacerdotes, per quos peccatorum veniam impetremus, ut in *authentica, ut li. ma. §. quia, coll. VIII.*

Vobis thesaurus ecclesiæ, ecclesiasticorum sacramentorum dispensatio, commendatur, ut *C. de edilis* l. 2. L. XII.

Quapropter, 1. Petr. II. extollitur dignitas vestra: *Vos estis genus* electum, regale sacerdotiam, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes ejus annuncietis, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.

Vobis etiam, Domini mei, Sacerdotes venerandi, datæ sunt claves regni cœlorum claudendi & solvendi, juxta *B. Gregorium in homilia.* Quod modò ore Salvatoris soli Petro videbatur concessum, *Matth. XVI.* Linguæ siquidem vestræ factæ sunt claves, portasque regni cœlestis aperiunt, *L. officium §. fin. ff. de testamento militari.* Et sicut scientiarum altera hæc est dignior, quæ est de nobiliori objecto, *Primo de anima:* Ita & dignitas officiantis. Non enim quilibet quolibet honore est dignus. Sed est quædam proportio inter honorem & honoratum, *L. 2. C. ut dign. ord. L. XII. & in L. V. in nomine Domini, §. hoc autem C. de officio Præfecti Prætor, African.*

Unde Bernhardus super cantica in sermone quodam ait: O veneranda sacerdotum dignitas, inter quorum manus velut in utero virginis incurvatur Dei filius. Felices vos dixerim sacerdotes, si sacerdotaliter vixeritis. O cœleste mysterium, uno eodemque momento Deus, qui cœlis præsidet, in manibus vestris & in sacrificio. Stupet cœlum, horrescit infernus, contremiscit diabolus, revereturque plurimum angelica multitudo. O venerabilium manuum celsitudo, ubi Christus tractat Christum, & sacerdos Dei filium, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum. Hæc iste.

Et hinc est, quod *Chrysostomus* sacerdos ille præstantissimus, sacerdotii dignitatem in summa tangens, *Operis non completi homilia L. I ait: Omnium quidem bonorum magna est gratia, inter omnes autem maxima est sacerdotalis dignitas, si quis eam immaculatè custodiat. Nam si super omnia opera sit, qui Deo confert lucrum animarum, nec ipsum eum omnibus bonis suis meliorem judicabit hominem, sed sui ipsius passibilitate proposuit salutem humanam. Ideo magnus est, qui bene regit hæreditatem ejus, quam proprio sanguine acquisivit.* Hæc Chrysostomus.

Ad hoc reverâ tenentur Prælati, sacerdotes & clerici.

b) Rusticus.

clerici. Nam vos, qui estis presbyteri in populo Dei, ex vobis pendet anima illorum. Ad eloquium vestrum corda illorum erigitis, scribitur *Judith. VIII.* Non est autem honor sine onere, nec dignitas sine officio & labore. *Institut. Diligite in fine, & in L. secundum naturam ff. de Regulis juris.* Nam cujus plurimum dignitati committitur, ab eo etiam plurima exiguntur, *L. presbyteri C. de episcop. & clericis canonizata V. q. VI. Presbyteri.* Unde Alanus:

Anxietas & honor se sunt comitantia jure.
Si delectat honor, fer onus, fer acumina curæ.

Hinc est, Domini mei Prælati, sacerdotes & clerici, quòd nomina dignitatum vestrarum ab officiis denominantur, teste venerabili *Isidoro, VII. Ethic. C. XII.* Ubi prosequens nomina dignitatum vestrarum ecclesiasticarum *episcopum* quasi *superintendentem*, sacerdotem, quasi sacrificantem, diaconum, quasi ministrantem, & cætera alia ab oneribus ipsis incumbentibus describit. Ut in summa transeam, omnes ecclesiastici ordinis gradus in partem sollicitudinis ecclesiæ Dei sunt vocati, III. q. 6. *Multum.*

Nec dignitatibus ecclesiasticis officia sibi annexa seu onera præjudicant, nam officium suum nemini debet esse damnosum, L. sed & si quis, ff. *quemadmodum test. a principio.* Nec quisquam inde pœnam patiunde meritum debet reportare, *L. 1. circa principium ff. de donationibus.*

Et propter hoc vobis Dominis Prælatis, sacerdotibus & clericis, ob honorem vestrum, dignitates & officia à Divis Imperatoribus maxime sunt concessa, ut C. de ff. ecclesiis, per totum. Imò à jure divino, quod ab homine divino non est, sed à Deo *1. dist. humanum genus.* Unde *Chrysostomus. Quæris non completi homil. XXXVII. Non est justum, ut nos secundum summi Regis mandatum terrenis Regibus serviamus. Si enim indignum est, ut a duobus regiminibus homo alterius alteri obsequatur, & injuriam faciat suo, si subjiciat alienis: Quanto magis indignum est, ut cultores Dei humanarum potestatum gravamina cognoscamus.* Hæc ille.

Omnes autem *clerici*, à gradu ostiariatus, usque ad summum gradum dignitatis ecclesiasticæ, qui in sortem Domini ad deferendum ejus vasa sanctitatis vocati sunt, *mundi esse debent in omnibus, mente & corpore.* Eo, quod officio divino & sacrificio debent esse intenti, *1. q. 1. C. necesse.* Mundamini igitur, qui fertis vasa Domini, quæ fuerunt verba vestris reverentiis humiliter proposita. In quibus siquidem verbis taliter qualiter introductis, si rectè conspicio, clare utique reperio, quod Domini *Prælati, sacerdotes & clerici omnes*, qui fuerunt vasa Domini sunt *mundandi*, primò *à tenebris ignorantiæ.* Eruntque per rectam informationem luminosi. Secundò *mundandi* sunt ab *otio ignaviæ.* Eruntque per sanctam occupationem operosi. Tertio *mundandi sunt à seditione iracundiæ.* Eruntque per piam compassionem gratiosi. Et quartò *mundandi sunt ab ignominia ignaviæ.* Eruntque per justam correctionem animosi.

Dixi primò, quòd vos, Domini mei Prælati, sacerdotes & clerici omnes, qui fertis vasa Domini, eritis mundi a tenebris ignorantiæ, ut sitis per rectam informationem luminosi. Eritis enim beati informati lumine scientiæ & veritatis. Si enim vultis esse mundi a tenebris ignorantiæ, diligite *lumen sapientiæ* omnes, qui præestis populis, *Sapient. VI.* Neminem enim diligit Deus, nisi quem sapientia etiam habilitat. Est hæc enim speciosior sole, quæ super omnem dispositionem stellarum luce comparata invenitur, prior illi succedit nox, sapientiam vero non vincit malitia, Sap. VII. Nam *Prælatis sacerdotibus*, & *clericis* valde *turpis est ignorantia scripturarum.* Cùm teneantur esse *literati*, ut patet in *authentica: sanctissimi, de episcopis* §. *C. collat. IX.* Absurdumque est, Prælatum posteriorem esse populo. Cum enim *alios docere* debeat, ab aliis ordinationem doceri non debet, ut in §. *damus, eadem authentica & collat.*

Sicut enim cæteris animantibus naturâ inest ignorantia, soli autem homini vitiosum: Ita & *vitiosum Prælatis*, Sacerdotibus & clericis, *literas ignorare.* Ignorantia enim licet omnibus sit noxia, ut in *L. Constitutiones C. de juris & facti ignorantia* Sacerdotibus Cameræ & Clericis est periculosa, ut in *authentica, quo oportet episcopos & clericos, licet hac autem, collat. 1.*

Tenentur autem Prælati, sacerdotes & clerici *notitiam* habere *liberalium artium*, & præsertim *Grammaticæ, intelligentiamque sacræ scripturæ in V. & in N. T.* comprehensam. Primò *notitia artium liberalium*, & præsertim *Grammaticæ* est Prælatis sacerdotibus & clericis *necessaria*, *L. Plautus ff. de vi & arg. lega.* Ut intelligant, quæ legunt, aliisque possint explanare doctrinam salutarem, scientiamque pietatis. Scientia autem pietatis est secundum Hieronymum noscere legereque Prophetas, intelligereque, prophetias in evangelio credere, apostolos non ignorare.

Sed *hodie* sunt nonnulli, mihi similes, *psalterium manuale vix incorruptè legentes*, qui audiant ea, quæ sunt *Isidori IX. ethic. c. 1. Cùm omnium linguarum scientia seu notitia difficilis sit cuiquam, nemo tamen desidiosus sit, ut in suâ gente positus linguam nesciat. Nam quid aliud putandus est, nisi animalium brutorum deterior. Illa enim vocis clamorem exprimunt, iste deterior, qui propriæ linguæ caret notitia.* Hæc ille.

Secundò tenentur Prælati sacerdotes & clerici *sacræ scripturæ* habere saltem *notitiam* competentem. In tantum enim sacerdotis officium est interrogantibus de lege divina posse respondere. Hanc enim tenentur scire ad erudiendum populum eis commissum. In his igitur vitæ tenebris, in quibus peregrinamur à Domino, quamdiu per fidem ambulamus, non per spem desolata debet esse anima Christiana, se deputare Deo, nec dediscat orare, & scripturarum sanctarum sanctorumque sermonum, tanquam lucernæ in obscuro loco positæ, fidei oculum intendere, donec dies lucescat, & lucifer oriatur in cordibus nostris, qui enim cum Deo vult semper esse, frequenter orare debet & legere. Nam cùm oramus, ipsi cum Deo loquimur. Cum verò legimus, Deus nobiscum loquitur. Unde *Augustinus* de *admonitione lectionis* sic ait: *Lectionem divinam avido & scienti corde accipiamus, ut in nobis gaudium spirituale generetur. Et ut nobis scripturæ divinæ dulcescant, subtrahamus nos aliquibus horis ab otiis mundi divina eloquia relegentes.* Subdit: *Quid aliud sunt divinæ scripturæ, nisi literæ nobis in hoc exilio*

exilio de patria nostra, quæ paradisus est, missæ. Nam *post peccatum Adæ misericors Deus per Patriarchas & Prophetas tanquam per literas invitatorias nos ad patriam & vitam æternam invitavit.* Et post pauca: *Sicut igitur, qui sui domini temporalis nedum mandata non explent, sed literis transmissis legere non curarent, non præmiis & libertate sed supplicio & carcere dignus esset: Ita quisque divino cultui mancipatus divinas scripturas ab æterna patria transmissas legere dissimulans & recusans, perpetuam pœnam non evadet*, in tantum enim periculosum est nobis divina præcepta non legere, ut Propheta lugubriter clamet: ideò populus meus captivus est, quia non habuit scientiam legis & prophetarum, qui autem ignorat, ignorabitur, ut in *C. nisi cum pridem Extra de renunciatione.* Et sine dubio, qui Deum per divinam lectionem dissimulant inquirere, & Deus illos in æterna beatitudine dedignatur noscere. Hæc iste.

Sed proh dolor, quanti sunt modernis temporibus, qui nec literis sunt eruditi neque eruditi lectionibus divinis, ad pauciſſimum tempus matutinorum cum animadvertentia vacare nequeunt, occupationibus vanis pervagantes. Quid, putas, isti audient in districto judicis adventu: *Nescio, vos non novi, vos discedite à me, operarii iniquitatis*, nam qui Deum in hoc seculo legendo nolunt intelligere, in die judicii, illos Deus dedignabitur agnoscere, juxta dictum Salomonis: *qui obturat aurem suam, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. Augustinus* ubi supra.

Omnes ergo Prælati, sacerdotes & clerici, si ita, ut præmissum est, fueritis per rectam informationem *luce scientiæ & veritatis illustrati*, à tenebris seu cœcitate ignorantiæ eritis mundi omnes, qui fertis vasa Domini. Et tantum de primo membro principali.

Dixi secundo, quòd vos domini mei Prælati, sacerdotes & clerici omnes, qui fertis vasa Domini, *mundi* eritis *ab otio ignaviæ*, ac per sanctam occupationem operosi. Unde Apostolus *Rom. XII. Qui præest in sollicitudine.* Sic & post pauca in *sollicitudine non pigri.* Discreta enim sollicitudo totum otium ignaviæ dissolvit, *Seneca epistola 1. ad Lucillum.* Hoc autem fiet, si fueritis carne casti, si vita sancti, si moribus decori, si ritu ornati, si mente devoti, si pietatis operibus dediti, si circa gregem Dominicum vobis commissum fideliter solliciti, ac divino cultui sine negligentia mancipati.

Dixi primo, quod vos domini mei Prælati, sacerdotes & clerici omnes, qui fertis vasa Domini, eritis mundi ab otio ignaviæ, sitisque per sanctam occupationem operosi, si *carne casti.* Mentis enim castitas non aufertur propter violentiam corpori illatam. Nec corrumpitur corpus, nisi prius animus corrumpatur, *L. penult. ff. ad L. Julian. de adulteriis.* Ad hanc conservandam omnes clerici sunt obligati. Nihil enim sic in sacris ordinibus diligimus, quàm *in castitate viventes, ut in authentica; quoniam oportet episcopos & clericos*, §. *hæc autem. coll. 1.* Castitatem igitur diligite, quæ etiam sola Deo cum fiducia possibilis est, animas hominum præsentare, ut in *authent. de lenociniis*, §. *sanximus, coll. 3.*

Et licet domini Prælati, sacerdotes & clerici ad hanc semper conservandam sint obligati, ut patet in locis suprà allegatis; Maximè tamen tempore sacrificii & ministerii, & longè antè. Exemplo David Regis, cui non licuit etiam valde famelico edere panes propositionis, nisi continuerint per certos dies, sin enim suorum puerorum, id est contubernalium omnia vasa munda erant. *Nec debet admitti ministerio altaris, cujus castitas probata non est.* Siquidem per castitatem erimus pudici. Nemo enim pudicitiam servat in corpore, nisi spiritum prius in sua castitate. Animus namque pudicus non habet impudicum oculum. Quoniam impudicus oculus impudici cordis est nuncius, *L. 1. C. de præscription. triginta vel quadraginta annorum.* Per omnia autem decet nos *pudice vivere ut in dicta authentica, quomodo oportet episcopos & clericos in* §. *si vero 32 q. 5. nec solo.* Hæc inquam pudicitia est armamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo vilium, solatium mœrentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus civium, religionis melioratio, meritorum multiplicatio, creatoris omnium, Dei, amica.

Volentes igitur Prælati, sacerdotes & clerici Deum videre, erunt *carne integri & mente casti.* Soli namque mundi corde Deum videbunt, *Matth. V.*

Dixi secundo, quòd vos domini mei Prælati, sacerdotes & clerici, qui fertis vasa Domini, mundi eritis ab otio ignaviæ, sitisque per sanctam occupationem operosi, si fueritis *vitâ sancti & immaculati;* Hoc enim maximè decet vos clericos. *Non enim dignus est habitare in Dei tabernaculo, nisi quem vitæ sanctitas commendat*, testante Propheta: *Domine, quis habitabit &c. Qui ingreditur Ps. XIV. si rectè.* Quia ex sanctitate vitæ clericorum Deus reveretur, & nomen Dei non blasphematur.

Dixi tertiò, quòd domini &c. si *moribus decori*, id est virtutibus illustrati. Mores enim exornant scientiam. Nam *illaudabilis* est illius *scientia*, quem vita maculat turpis & impudica. Et idcirco summè cavendum est, qui quærit scientiam, *ut non negligat morum disciplinam.* Imò plus facit famosa rerum dignitas, quam generis nobilitas, *40. dist.* Mores enim dignitati præferuntur, *L. in testibus, ff. de test bus, & ibi glossa:* Mores etiam boni divitiis præferuntur, *L. scire oportet*, §. *fin ff. de tutor. & curatoribus dativis.* Ab his eritis ergo moribus decori. Quod fuit tertium.

Dixi quartò, si ritus ornatus. Hic consistit in *gravitate morum* per incessus, in vestitu decenti, in membrorum gestibus & capitis tonsura. Quorum declarationem gratiâ brevitatis omitto.

Ritus etiam *clericorum* aut est *interior* aut *exterior.*

Interior consistit *in virtutibus & moribus bonis*, quibus debent esse ornati clerici. Ne aliqui sedentes in cathedra injuriam faciant cathedræ, *40. dist. Multi.* Et secundum *Senecam* multos regens si se rexerit, ab illo disces, quid & quemadmodum aggredi debeas, *epistola XXXVII.*

Exterior in temperantia *cibi & potus.* Decet enim clericos esse *sobrios* & non *ebriosos*, ut *in c. à crapula. Extra de vita & honestate clericorum.* Eritis ergò moribus decori, quod fuit quartum.

Dixi

Dixi quinto, quod mundi eritis ab otio ignaviæ &c. *si pietatis operibus dediti & mente devoti.*

Hæc enim opera cum sint bona, vigilanter sunt facienda. Nam *misericordia* seu pietas est pulchritudo & perfecta forma virtutum. Et licet sit duplex, *corporalis & spiritualis:* Corporalis tamen, de qua sermo, consistit in septam operibus misericordiæ, quæ hoc versu continentur:

Poto, cibo, visito, redimo, tego, colligo, tondo.

Misericordia verò maxime reducitur ad *hospitalitatem & eleemosynæ largitionem.* Et licet nemo de facienda eleemosyna excusatur, clericis tamen non prodest lectio vel oratio, nisi adsit eleemosynæ largitio, *LXXXVI. dist. singulis.* Per hanc siquidem consequimur bona præsentis & futuræ vitæ. Per hanc ira Dei placatur. Nam plerumque ex diversa ira mundus fame & penuria comprimitur, quia pauperibus eleemosyna subtrahitur. Per hanc peccata nostra redimere possumus. Per hanc etiam angelorum consortio gaudemus, exemplo Cornelii centurionis, de quo Actor. X. qui propter opera misericordiæ, quæ potissimum in eleemosynarum largitione faciebat, merebatur angelorum colloquium habere. Date ergò eleemosynam, & omnia munda erunt vobis. *Luc. XI.* Sitis ergò mente devoti & pietatis operibus dediti.

Sed dixi sexto, quòd eritis circa *gregem Dominicum vobis commissum fideliter sollicити,* si vultis esse mundi ab otio ignaviæ, ut videlicet qualitercunque subditi à vitio ad virtutes verbo & exemplo trahantur. Eritis etiam præsertim *solliciti,* ut pauperes defendantur, oppressi redimantur, & ecclesiæ seu monasteria tueantur egenos à penuriis relevantes. Quoniam cum honoris vestri & dignitatis augmento cura quoque sollicitudinis crescere debet, *L. prabenda C. de episcopis & clericis.* sicque eritis circa gregem, quod fuit sextum.

Dixi septimò & ultimò, quòd mundi eritis ab otio ignaviæ, sive fueritis *divino cultui* sive negligentia *mancipati.* Nam officium cultus divini, ad quod omnes Prælati, sacerdotes & clerici sunt instituti, diligenter sine negligentia est exequendum. Ad hoc enim tenentur clerici in sacris existentes & beneficiati, ut horas canonicas & officium divini cultus diligenter exsolvant.

Et licet Deum semper & omni tempore teneamur colere, dicente Propheta: *benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo Psalm. XXXIII.* Ecclesia tamen catholica *septem horas,* quas canonicas & regulares vocat, Prælatos sacerdotes & clericos divini cultus officiis vacare instituit. Nam servitutis clericorum est, *septem horarum officia persolvere qualibet die.* Has tenentur in ecclesiis, quando possunt, devotè & studiosè persolvere & distinctè, sine syncopatione, c) in ecclesiis. Quia *laus ejus in ecclesia sanctorum.* Et *in ecclesiis benedicite Domino, Psalm. LXVII.*

Devotè & studiosè. Mens enim qualem se in oratione offert, talem post orationem se conservat. Longè autem à Deo est animus, qui in oratione occupationibus seculi fuerit occupatus.

Tunc ergò veraciter oramus, quando aliena non cogitamus. Hæc *Isidorus de summo bono c. VII.*

Distinctè etiam & intelligibiliter. Ut proficiat legentibus & audientibus, & *reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea Psalm. LXVI.*

Prælati ergò, sacerdotes & clerici, si fueritis carne casti, vita sancti, moribus decori, ritu ornati, mente devoti, pietatis operibus dediti, circa gregem vobis commissum fideliter solliciti, ac divino cultui sine negligentia mancipati, eritis mundi ab otio ignaviæ, & per sanctam occupationem operosi. Et tantum de secundo principali.

Dixi tertiò & principaliter, quòd vos, domini Prælati, sacerdotes & clerici omnes, qui fertis vasa Domini, *mundi* eritis *à seditione iracundia sitisque per piam compassionem gratiosi. Iracundia* namque facit illud committere, de quo quis postea solet multum dolere. Et Præsidens judicio ab iracundia vacare debet, quia talis Dei justitiam non operatur. Est ergò laudabile in Prælatis, ut nil agant in subditos, priusquam concitata mens per iracundiam ad tranquillitatem redeat. Imò rectores aliorum non debent ex levitate vel furore præcipitare sententiam vindictæ, sed matura præhabitata deliberatione, *L. hac edictali C. de sententiis experitur rectim. Unde Isidorus L. III. de S. B. c. 40.* Iracundi Prælati per rabiem furoris disciplinæ modum ad immanitatem crudelitatis convertunt, & unde emendare subditos poterant, inde potius vulnerant. *Ideò* autem *sine mensura ulciscitur culpas Prælatus iracundus, quia cor ejus dispersum in eorum curis, non colligitur in amore unius Deitatis.* Mens quidem, soluta in diversis, catena charitatis non astringitur, sed malè laxata malè ad omnem occasionem movetur. Hæc autem ex *superbia* nascitur, quæ subditos non benevolentia, sed cum asperitate corrigere nititur. *Bonus* enim *rector* est, qui & humilitate servat disciplinam, & per disciplinam non incurrit superbiam. *Elati pastores* plebem tyrannicè premunt, non regunt.

Eritis ergò erga subditos humiles. Nam boni Prælati potius per humiliorem *mansuetudinem* studebunt peccantes revocare, quàm per *austeritatem* in foveam perditionis repellere, *40. dist. recedite.* Hanc Christus verbis & factis dedit vobis in exemplum, quæ multùm commendabilis est in clericis, fulgens in eorum cervicibus omnium alio splendidius. Quia per eam Christus pro salute generis humani descendit de cœlis, de sinu Patris in uterum virginis *L. Victor, §. omnes C. de summa Trinitate & fide Catholica.*

Prælati enim sacerdotes & clerici erga subditos non solùm autoritate sed *humilitate* claresce debent.

Ita tamen *erit in eis humilitatis virtus, ne dissolvatur vita subditorum in vitiis.* Nimia enim familiaritas parit contemtum. *De servandis ff. de officiis Presbyterorum.* Atque ita aderit autoritas potestatis, ne per timorem cordis severitas existat immoderationis.

Agnoscant Prælati servos se esse plebis, non Dominos. Debent etiam *compatientes* esse tribulationibus, infirmitatibus & angustiis subditorum, ut inquit *Apostolus Ephes. III.* & *in epistola Dominicæ currentis.* Nam vacuum & inane est nomen Prælati seu Pastoris, qui necessitatem patientibus non compatitur. Debent enim nomina esse & consonantia rebus, §. *est & aliud, Instit. de donat.*

Hæc

c), i. e. abruptione.

Hæc autem *compassio*, quæ fuerit adegentes sive delinquentes, semper cum *discretione* est facienda, sic enim erunt subditis gratiosi. Quia gratia est per compassionem, nihil tollere, ubi tamen posset *1.q.1. gratiam.* Vos ergo Domini Prælati, Sacerdotes & Clerici hoc modo eritis à seditione iracundiæ mundi ac per piam compassionem gratiosi. Quod fuit tertium principale.

Dixi quartò & ultimo, quod vos Domini Prælati, Sacerdotes & clerici, qui fertis vasa Domini, *mundi* eritis ab *ignominia infamiæ*, sitisque *per justam correctionem animosi.* Nam confidens de sua *bona conscientia* & famam negligens, crudelis est. Tali namque portæ dignitatis non patebant, *L.2. C. de dignitat. L.XII.* Imò qui custodit famam suam etiam in aliis misericors est. Melius est nomen bonum, quàm unguentum pretiosum, *L. quisquis §. apud, & ibi notatur, C. de postumis, §. Instit. de suspect. tutoribus.* Incurrunt autem Sacerdotes, Prælati & Clerici *notam infamiæ* aliquando ex divina dispensatione, ut examinentur, purgentur vel probentur, exemplo Jobi *VI. q.1. Sunt plurimi.* Unde *Augustinus in quodam sermone: Quem diabolus seductum ad nequitiam devorare non potest, famam ipsius inquinare conatur, ut si fieri possit, opprobriis hominum & malarum detractatione linguarum deficiat, & sic in ejus fauces ruat.* Sed certè Prælatorum, Sacerdotum & clericorum conscientia, si recta fuerit, *infamia* hujusmodi est *vilipendenda*, teste Ovidio L. III. de Tristibus.

Conscia mens recti famæ mendacia ridet.
Vos tamen in vitium credula turba trahit.

Incurrunt etiam infamiam ex *negligentia justæ correctionis* in Prælatis, perdit disciplinam in subditis. Et negligentes rectores multum sæpius nutriunt pestilentiam, dum dissimulant adhibere remedium. Correctio enim Prælatorum in subditos fieri debet, quantum potest, pro uniuscujusque gradu & persona, salva pace, semper animo medendi non sæviendi, *L. item quæritur, §. item Julianus, ff. de location. & conduction.* Unde *Chrysostomus, operis non completi homil. XXII.* O quantum quamque gratuitum sit & utile bonum ecclesiasticæ pacis, quam flagranti & sollicito amore quærendum. Ideo Prælati & Sacerdotes & clerici discordantes subditos magis debent ad concordiam, quam ad judicium provocare. Facit *L. quidam existimaverunt, ff. si ter peta.*

Prælati ergo & sacerdotes & clerici pro populorum subditorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiunt, aut peccantes non arguunt, testante Domino ad Prophetam: *Speculatorem te dedi domui Israel, si non fueris locutus, ut custodiat se impius à via sua, ipse iniquitate morietur sua, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Sic enim Eli Sacerdos pro filiorum iniquitate damnatus est, licet eos delinquentes admonuerit, non tamen ut oportebat, redarguit, ut in *c. licet Eli, Extra. de simonia.*

Debent etiam Prælati cæterique clerici patienter suorum subditorum reprehensiones sustinere, zelo Dei ecclesiæ factas. Maximè, si Prælati in hoc negligentes vel criminosi fuerint, *arg L.3. §. Sed si dedi, ff. de condictione ob causam.* Primus enim Pontifex B. Petrus, in hoc, quòd non repulit reprehensiones subditorum, exemplum dedit nobis idem faciendi *2. q. 7. Petrus.* Multi enim inveniuntur Deo liberè servientes, sub Dominis constituti flagitiosis, qui, etsi illis subjecti sint corpore, Prælati tamen sunt mente, *Isidorus III. de S.B. c. XLVII.* Debet autem ecclesia Catholica correctis & pietate firmatis filiis libenter ignoscere. Quia gremium suum nunquam redeuntibus clausit ecclesia, ut *in epistola, inter claras, § æquum, C. de summa Trinitate & fide catholica.* Cùm ipsi B. Petro personam ejus gestanti, dum in mari tituballet, dum Dominum carnaliter à passione revocallet, dum auriculam servi præcidisset, dum Dominum ter negasset, dumque in peccata simulatione superstitiosa lapsus esset, veniam concessam esse, eumque correctum, postque mundatum atque firmatum, usque ad Dominicæ passionis gloriam pervenisse legamus. *Hæc Augustinus de agone Christiano* circa finem. Sicque Domini Prælati, Sacerdotes & Clerici omnes, qui fertis vasa Domini, mundi eritis ab ignominia infamiæ, sicque per justam correctionem animosi. Quod fuit quartum & ultimum.

Quia igitur spes precesque non frustra in Deo ponuntur, quæ cum justæ fuerint, inefficaces esse non poterunt. Adversemur vitia, virtutes colamus, ad rectas spes animos nostros sublevemus, humilesque preces in excelsa porrigamus ante oculos judicis cuncta cernentis juxta verba Boëtii, *V. de consolatione prosa ultima.* Verificetur, quod de ore Salvatoris nostri Joh. XIV. scribitur: *jam vos mundi estis propter sermonem meum, quem locutus sum vobis.* Quod vobis pariter & mihi concedat, qui in sempiternum vivit & regnat. Amen.

SERMO IV.

Habitus à Vitali, Episcopo Tholonensi Anno 1417. Domin. Judic.

Ex MSCt. Erfurt.

RECipiant, a) *qui vocati sunt.*

Præclarissimi Patres & reverendissimi Domini. Exili processu & serie subsequentium, omissa in præsentiarum consideratione subtili, de *Divinæ vocationis proprietate* trifaria, quoad *causæ efficientis* conditionem triplicem, quoad *causæ materialis* & tripartitæ modum, quoad *causæ formalis* materies & naturas: Quæ diligentius indagare pro collationis forma placitum mihi foret, si non se obicem poneret prolixitas tædiosa, juxta *causæ finalis* exigentiam, quæ prima est in intentione. Quare ut formem hujusmodi *vocationis termi-*

a) Sermo est longè gravissimus, quo immania Prælatorum scelera, imprimis amor pecuniæ, ambitio, luxus, ignorantia summa libertate deteguntur, & vehementer taxantur: ut mirum sit eum patienter audivisse concilium. Stylus nonnihil horret, quod seculo condonandum est.

num, & ipsi varii accipiant, qui varie vocati sunt, materias dirigo dicendorum.

Primus, inquam, terminus, concernens *promotionem spiritualium*, in speciali, est honor seu perfectio hierarchiæ, Prælatiæ.

Secundus concernens hanc sanctissimam *concionem, in synodo generali*, est sanctificatio vel perfectio ecclesiasticæ hierarchiæ.

Et tertius certe terminus, *electorum beationem* tangens, in universali, est cœna sive refectio olim piæ melodiæ.

Considerationem ista satis plenam, scripturæ sacræ textu fundatam, mihi offerunt.

Pro primo: *Nemo assumat sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron Hebr. V.*

Pro secundo: *Non enim vocavit nos Deus in immundiciam sed in sanctificationem 1. Thess. IV.*

Et pro tertio: *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos Luc. XIV.*

Ult sic specialiter, *in Constantiensi concilio* congregati: Quoad secundum universaliter, quia ad cœlestis gloriæ convivium invitati: quoad tertium varium vocationis terminum, ut verba thematis innuunt: *Accipiant, qui vocati sunt.*

Et loco poematum, quæ non reprobo, florumque spirantium rhetoricæ, quos commendo, de fœcundissimo agro *epistolæ & evangelii Dominicæ jam instantis*, pro fulcimento trium membrorum principalium pulchras rosas atque lilia colligere mihi volo. Hodierna enim epistola præcise se dividit in tres partes. Prima incipit: *Christus existens &c.* Secunda ibi: *Si enim sanguis hircorum aut vitulorum &c.* Et tertia ibi: *Et ideo Novi Testamenti &c.*

Divideturque evangelium. Correspondent enim tres partes pro materiis principalium, ordine retroverso. Continet enim primam partem illa pars evangelii ultima: *Attulerunt lapides Judæi &c.* usque ad: *exivit de templo.* Quia certe non abs mysterio ordinem innuit retroversum, quod Christus existens Pontifex jam exivit de templo.

Secunda pars evangelii in hoc ordine computabitur ab illo: *amen, dico vobis, si quis sermonem meum &c.* usque ad illud: *Antequam Abraham fieret, ego sum.*

Tertiaque & ultima sic retrogradiendo incipiet ibi; *Quis ex vobis arguet,* & finietur; *illuc est, qui quærat & judicet.*

Nec flores isti mysteriorum, manu mystica colligendi, à proposito sumti thematis, cùm res patuerit, deviabunt, imo vel exhortando vel comminando inferent, quod *accipiant, qui vocati sunt.* Dixeram ergò antecedenter, prædilectissimi Domini, & pro primo membro formandi sermonis, quod est *primus* quidem & peculiaris *terminus vocationis, virorum spiritualium promotionem* in speciali concernens, & perfectio hierarchiæ Prælatiæ.

Angustiæ tamen mihi sunt undique, & quid eligam, ignoro. Promisisse me recolo in die celebri, *episcopis contra nefarium scelus abominabilis Simoniæ impingere*, singulariter *Dominicâ aliquâ ante pascha.* Sed attentâ viscerosius circumstantia temporum, *B. Hieronymum* mihi video interpretari silentio, in *libro*, quem edidit *de duodecim Prophetis*, quando inquit: *Vir ecclesiastikus & prudens atque intelligens, multas impietates in ea, quæ vocatur domus Dei, esse cognoverit.*

Notate verba, signate mysteria, & non solum *multas*, sed etiam *fortes*, quæ opprimere possunt justitiam, & in tantum *Doctorum rabiem processisse, ut accipiant pretium in judicio, & omnia pro muneribus facient*, & pauperes devitent in portis, & audire contemnant veritatem. *Taceat*, inquit, *in illo tempore vir prudens, nec det sanctum canibus, & mittat margaritas ante porcos, qui conversi conculcent eas. Et imitetur Jeremiam dicentem: solus sedebam, quia amaritudine plenus eram.*

Et scio Domini mei, imò & luce clarius devotiones vestræ sciunt, quod hæc est hora illa & *potestas tenebrarum.* Et licet *in tempore hujus concilii* fructuosissime *contra hoc scelus* sermones dicti fuerant, dum auditorum linguæ, potissimeque magnorum quorundam derisorum, vertunt hæc omnia in choreas, proverbium ridiculum, & parabolas: Quid amplius locuturus sum? Revera, & si loqui prohibear, ex causa tamen tacere non possum, audiens illud in *c. XXIII. Facies, quod promisisti.* Et illud *Num. XXX. Non faciet vir irritum verbum suum, sed omne, quod promisit, implebit.*

Aggredior ergo juxta promissa compendium primi principalis. In quo *contra Simoniacos*, qui non vocati à Deo, sed intrusi ab adversario *ecclesiasticos honores* non accipiunt, sed *iniquè mercando furantur, & rapiunt.* Verba exclamant thematis: *Accipiant solum illi, qui vocati sunt.*

Fundabitur hoc compendium ex præassumto textu, super pertinentium veritatum speculatione trimembri. *Nemo sumat sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Qui textus circa hujus primam in peculiari divina vocatione materiam; *tria* nobis advertenda ministrat. Primò quale est illud, ad quod Præsidentes hujusmodi vocati sunt, nempe *honorem. Nemo*, inquit, *sumat sibi honorem.* Et qualiter justè *vocantur*, qui vocati sunt, textus exprimit, quod *qui vocatur à Deo.* Et tertiò, quales illi forent, qui vocatione ista digni sunt, & textus respondet: *tanquam Aaron.*

Convenit primo notabili particula prima primæ partis epistolæ: *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum.* Nam ille est honor Pontificum, ut sint Christi Domini. Quia nihil in terris sublimius honoribus Pontificis, *Ambrosius in suo pastorali.*

Secundò convenit & particula: *Tabernaculum non manu factum*, id est, non hujus creationis. Quia qui manu *muneris* aut *impressionis potentum* tabernacula fiunt, in celsitudine pastorali, *Prælati* sunt *hujus creationis, sed non vocantur à Deo.*

Et tertiò convenit tertia particula: *Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit in sancta.* Quia non sanguis hircorum aut vitulorum, id est *fœtida vita libidinis*, nec vitulorum, id est *cultus auri* seu *terrenæ cupidinis:* Quia in vitulis aureis idolatratus est populus: Sed per proprium sanguinem, id est *virtuosus, in propriis meritis ac scientia*, solum introire meretur in hæc sancta, nam & talis est *tanquam Aaron.*

Ad primum igitur revertamur. Quæsito, quale est illud, *ad quod Præsidentes ecclesiæ vocati sunt?*

Præ-

Prædictum eſt, quod eſt *honor*; Verum tamen Deus non irridetur: Ad honorem propter onera nos vocavit, *Petrus Bleſenſis primæ partis epiſtolarum epiſtola XXV.* alludente illo metrici:

Non honor eſt ſed onus aſſumere nomen honoris.

De honore iſto meminit Eccleſiaſticus loquens de corona Aaron: *Corona aurea ſuper caput ejus, expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria honoris, Eccl. XLV.* In quo textu *ſanctitas honorem præcedit.* Quia gloriam & honorem non debet ſequi virtus, ſed ipſe virtutem, *Auguſtinus.* Nam in templum dedicatum Deo honoris nulli liber ingreſſus fuerat, qui prius paſſus non fecerat per Dei templum Dei virtutis. *Titus Livius* in geſtis Romanorum: *Honor* enim *virtutis eſt præmium*, teſte philoſopho in Ethicis, & meritum omne præmium morali ordine antecurrit.

Hic ſane eſt *honor* magnus, *hierarchica* ſcilicet *prælatia*, quæ Regale atrium Principis Ahasveri, in quod vir intrans non vocatus, in dubia interfectione dignus eſt, *Eſth. c. IV.*

Eſt etiam illud inſigne talentorum donarium, quod peregrè proficiſcens Salvator noſter, vocatis ſuis ſervis, illis tradidit *Matth. XXV.* cùm *Gloſſa Gregorii in homilia.*

Et verè ſi *honores* aut *divitiæ cauſæ magnæ dolorum* ſunt, ſi moraliter non regantur, *Senec. epiſt. XVI.* Quia in illis honoribus conſtituti, propter illos *magni non ſunt*, ſed *magni videntur.* Idem *epiſtola LXXVI.* magnus enim honor præſidentia hæc, quam memini: ſed grave & nimis grave onus, pondus immenſum, conquaſſans. Sarcina autem benè portata, magnam comparat gloriam, infeliciter autem geſta ad immaniſſimam præcipitat pœnam. *Auguſtinus in quodam ſermone de die anniverſario conſecrationis ejusdem*, quem ſane diem præ diebus cæteris infixiſſe ſibi dixit *mæroris aculeum*, quia in illo *cum honore ſuſcepto* graviſſimum & impar ſibi *onus* recolebat injunctum. Hic eſt honor curæ paſtoralis, quod tantò nunc durius tolero, quantò imparem me ſentiens, mille fiduciæ conſolatione reſpiro. *Gregorius in prologo paſtoralium.*

Et quid de *modernis nobis* veridica diceret & infallens conſcientia, qui tantorum patrum calceamentorum corrigias ſolvere, ut reor, digni non ſumus? Et quidem eſt *nobis*, qui Chriſti ſumus Domini, honore illo *onus impoſitum* certè, juxta particulam primam, *ut ſummus Pontifex futurorum bonorum.*

Quid commodi nobis *magnæ* in gentibus *dominationis ambitio*, quid *familiarum faſtus*, *quid tranſeuntes delitiæ?* Cum hæc ſolummodo *præſentia bona* ſunt. Vocati in ſortem Domini, Juliani juſtitiam ſequimur, qui cum fieret. Imperator, fecit ſe Chriſtianæ profeſſionis exortem, *Petrus Bleſenſis prædictæ partis epiſtola XXVI.* qui ergò honore iſto in ſe & in exemplo miniſtrando, ſubditis ad æterna bona non utitur, profectò Pontifex futurorum bonorum non eſt. In die ſuæ calamitatis noviſſimæ, futuris illis bonis privandus, perpetuò lacrymoſiſſimus exclamabit, ut ſcribit idem venerabilis *Petrus, epiſtola VII. primæ partis*: Quo ivi? *Ad divitias & honores?* cur mihi magiſterium & cathedram ſuper alios ſuſurpavi? Nam per hujus *maledicti honoris* aſſumtionem, tanquam transfuga & deſertor, arma præſidentiæ ſalutaris abjeci, & futurorum me non exhibens bonorum Pontificem, in gehennæ ſuppliciis, ad quæ me aliis viam & pontem effeceram, heu cum animi mœrore in æternum involvi.

Nemo ergò ſumat ſibi honorem, id eſt *ex petitu* propriæ excellentiæ vel *commodi tranſitorii.* Nam magna ſecuritas eſt, ac *magni animi*, non appetere, *nec* nimis *ſibi* quærere, *ſed publici cauſa, dignitates & honores. Seneca epiſtola c. XVIII.* Et tantum de primo hujus primi.

Conſiderandum eſt ſecundò, qualiter & quomodo vocari non debeat promovendus. Et textus docet, quod *à Deo. Vocatur enim à Deo*, quem non populorum ſtrepitus, acclamatio, non conſanguinitatis ratio, non propinquitatis aut muneris contemplatio, in Prælatiæ culmine violenter intrudunt: Sed talis, in cujus *ſancta vita* honorificatur ipſe Deus, quem adoraturi conſurgent principes, qui tam eis idoneum præſulem elegit. *Origenes de electione Aaron ſuper XVI. c. Numerorum.*

Non enim vocatur à Deo, ſed à carne, quem carnalis revelatio, ſanguinis, gentis, ſive patriæ, *non à Deo, ſed à Simone*, quem falſiſſimè coloratu dolorum interventio *commerciumque pecuniæ incathedrant*, enormiter, & *prætitulant* in honore.

Quæ, quæſo, Domini mei, *origo ſchiſmatum, niſi pecunia?* Quæ per totum orbem eccleſiarum confuſio, niſi pecunia? Reſpondeat quilibet veſtrum, quod cauſa penitus non eſt alia.

Licet *ob hujusmodi deformitatis remedium tota pro præſenti congregetur eccleſia:* certiſſimè credo, quod *in diebus noſtris non videbitur tam deſenſati ſceleris correctio* præſtolata. Cum meritò nobis poterit illud applicari Propheticum: *heus, heus, pepigimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Et ergò qui non ſuſcipit morbi cauſa antidotum tormentorum culpas inquirens, finem nunquam eſt habiturus: *Petrus Bleſenſis in quadam epiſtola.*

Quod enim ad primum membrum hujus deteſtandi facinoris, *carnalem* ſcilicet *affectionem in eccleſiaſticis promovendis*: Quam ſummè deteſtabilis ipſorum *immanitas*, qui hoc *iniquo ſcelere* omnem lacerant patriam, & de ea delendi penitus ipſam occupant impudenter! *Tullius in primo de officiis.* Quomodo enim audent homines loqui, quod hominum primates effectualiter autorizant? Nam *ſedes tua ſancta, ô Petre*, cœlorum claviger, hac carnali revelatione nimium fœdatur & dividitur, quem tamen beatum vocavit Dominus, quia caro & ſanguis tibi minimè revelavit. *Providebat*, inquit Moſes, *Dominus Deus ſpiritum omnis carnis.* Et ſignanter dicit: ſpiritum hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc. Et Dominus ad eum: *Tolle Joſue filium Nimri*, b) *in quo eſt ſpiritus Domini.* Non petiit Moſes de filiis ſuis conſtitui ducem. Unde *Hieronymus* ſuper iſto: *Moſes amicus Dei, cui facie ad faciem locutus eſt Deus*, potuit utique ſucceſſores principatus filios ſuos facere, & poſteris propriam relinquere dignitatem, *ſed extraneus de alia tribu legitur, Joſue.* Ut ſciremus principatum in populis non ſanguini deferendum eſſe, ſed ritu merito. Nam & Dominus exprimit, quales elegendi ſunt, ubi dixit: *Tolle Joſue, in quo eſt ſpiritus Domini.* Et ideo notabiliter inquit textus, quod vocantur à Deo tanquam

b) I. Nun.

Aaron ſacerdotes, ſecundum ordinem Melchiſedech. cMelchiſedech, Rex Salem ſacerdos Dei ſummi, ſine patre, ſine matre, & ſine genealogia, Hebr. VII. gloſſa : *Non fit mentio de patre aut matre Melchiſedech, qui figurat propriè ſacerdotes novæ legis. Ut oſtendatur, carnalem matrem longè debere eſſe ab eccleſia noſtra.*

Hæc igitur *cauſa* illa *originalis totius ſchismatis, in Romana* ſcilicet *curia*, revelatio carnis & ſanguinis. Quia nunquam erat ei in obedientia orbis univerſus indifferens: donec ipſa indifferens eſſe didicerat, quoad univerſas ſubditorum provincias, in provectione habilium, ad faſtigia, in eadem ſcientiâ & meritis concupiſcenda. Quid mirum, ſi domus ruat, & patiatur ſciſſuram in fluido fundata ſanguine? væ ergo illis! Et propter illos væ jam evenit univerſo mundo, qui ædificabant illam civitatem in ſanguinibus & urbem in iniquitate. *Simoniaci* hujus ſceleris abacus.

Secundum ſiquidem membrum enormitatis ejusdem eſt, *rapina beneficiorum interventu pecuniæ.* Sed *quomodo negari poſſunt preces, quas tot regales imagines in florenis commendant.* Malè enim & peſſimè res ſe habet, cum, quod virtute effici debet, id tentatur *pecuniâ : Tullius ſecundo de offic.* Dolenter refero. Sed quare dolenter? cum ipſi non dolent, qui dolendi ſunt, iniquitates perpetrant, & gaudere non ceſſant. De quibus per Salomonem dicitur: *Lætantur, cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis. Affligi debuerunt, & in exultatione defluunt, flentur, & rident, quia tantò tales miſeri in magno gaudio ſe dilatant, quantò inſenſabiles qualium quod patiuntur, ignorant. Gregor. VI. moral. c X.*

Videmus enim, Domini mei, paſſim in *eccleſia, quos non merita, ſed pecuniæ ad epiſcopatus ordinem provexerunt.* Certè *propter pecunias* ſpiritualiter leproſi ordinantur; oculis quidem carnalium *magni*, divinisque obtutibus inſpiciuntur *leproſi magni. Per pecuniam* acquirunt indebitum ordinem, ut apud Deum perdant ſempiternam ſalutem. *Ambroſius in ſermone, qui dicitur paſtoralis.* Quia ſi quis dator vel acceptor Dei eccleſias vel eccleſiaſtica beneficia ſub pecuniæ interventu ſuſceperit, ſive dando emerit, ſive accipiendo vendiderit, à *Simoniaca* non excluditur perditione, ſed etſi perſeveraverit, perpetuâ mulctabitur damnatione. *1. q. 3. c. ſi quis dator.*

De hac ergò calamitate *biſaria Simonia*, ſcilicet *in carne & in munere* merito poterit conqueri, lugens mater eccleſia, *contritio ſuper contritionem vocata eſt, & vaſtata ſunt tabernacula mea, Jerem. IV. c.* Gehennæ enim ignis devorabit tabernacula eorum, quoniam libenter acceperunt munera, Job. XV. quia tabernacula talium ſuccidet, *ibi c. VIII.* Non ſunt *hæc tabernacula* ampliora & perfectiora in virtutum præconio, non manufacta, id eſt non hujus creationis. *Apoſtolus, ubi thema*, de quibus meritò dici poterit : *quàm pulchra ſunt tabernacula tua Jacob. Num. XXIV.* In his enim ſanctis & electis tabernaculis, quæ ad hierarchicam Prælatiam vocati ſunt à Domino, illa ſolent inſignia moraliter effulgere, quæ. *Exodus* & *Apoſtolus* recolunt. *Exod. XVI.* & *Hebr. IX.* Candelabra ſcilicet lucidæ converſationis, menſa & panes prædicatoriæ refectionis, thuribulum internæ & ſanctæ devotionis, urna aurea legitimæ diſcretionis, habens manna dulcedinis, quo demulcendos alliciat, & æquitatis virga, quâ feriat obſtinatos. *Gregorius in prima parte paſtoralium*, & tabulæ teſtamenti, cognitio ſcilicet legis Dei. Cum enim ſic diſpoſita erant tabernacula Prælatorum, erant Cherubin gloriâ obumbrantia propitiatorium, quæ imitantium modo mutuis inſpectibus ſe tribuebant. Mirabantur tunc angeli & homines, & mirando laudabant Eccleſiaſticorum ſolertiam. Non infecit tunc homines *peſtilentia Simoniæ.* Non poterant præ fulgore nimio videri à ſimplicibus facies Moſaicæ præſidentium.

Sed heu mihi, inquit, etiam tabernaculum meum vaſtatum eſt. Filii exierunt à me, ſtultè egerunt paſtores, *Jerem. V.* manufacta quaſi omnes ſunt, vel manu intruſoria *ſecularis potentiæ*, vel manu mediatoria *ſupplicationis aureæ.* Et tales non ſcriberent in eorum titulis, *Dei & apoſtolicæ ſedis gratia*, ſed potius *Dei furore*, *Hoſeæ XIII.* Et *nimia tam ſanctæ ſedis approbante malitiâ*, quæ, ut clamat multitudo fidelium, omnium hujusmodi radix eſt & origo malorum.

O ſanctiſſima ſedes, cur hoc nefando ſcelere te vertis in *opprobrium.* Scio, ubi habitas: ubi *ſedes* eſt *ſatanæ.*

Nam circa promovendum potius movetur in te quæſtio: *Quot in banco florenos poſſidet?* quàm, quales virtutes habet in animo. *Expeditius* enim promovendo fuiſſet à multis temporibus retro actis, in commercio didiciſſe falſam *Simoniæ verſutiam*, quam in ſtudio concepiſſe ſacram theologiæ ſcientiam. Et citius aliquis impetraſſet eccleſiam *deauratis millenariis ducatorum*, quàm provectiſſima omnium ſcientiarum induſtriâ, & centuplata forſan *millenaria meritorum.*

Hæc eſt *ruina* tua, ô Roma, mater urbium. In *ſedæ ſancta* es, ſed exterminata tua gloria. Nam *ſedentium in te ſancta ambitio* peſſimorum exemplis, in parietibus & deſtructis ædificiis. Quomodo per tui regimen, quoad virtutes & gratias, jam penè deſtruitur totus orbis. *Valè* ergò pro præſenti, & *invalida* jam urbs *Roma.*

Et pro fine iſtius primi, conſiderationem tertiam annexurus, *qualis* ſcilicet *eſſe debeat, qui ad Prælatiæ culmen vocandus ſit?* Reſpondeo cum textu, quod *tanquam Aaron*, qui ex triplici decoratur conditionis honore: In eloquentia, quoad leges altiſſimi proferendas, *Exod. IX.* in condecentia, quoad veſtes Pontificii exercendas, *Exod.* XXVIII. & in præſidentia, quoad plebes virgâ judicii dirigendas, *Num. XVII.* Ut de virga Aaron, quæ floruit atque fronduit, pulcherrimum inſerere potuiſſem myſterium: ſed brevitatis gratia iſtud tertium omittens, cum primo, pro ſecundo ſeu medio, calamo *Petri Bleſenſis* facundo detineor. *Sane*, inquit, *in Levitico legitur, quod cum Moſes de mandato Domini propoſuiſſet, Aaron in Pontificem conſecrare, eum prius diligenter ablutum veſtivit ſubuculam & balitheo cinxit. In quo oſtenditur, quod in epiſcopum conſecrandus prius abluitur, ut de antiqua converſatione in novam innocentiam reformatus ſuſcipiat incrementa virtutum. Et ſubuculâ quadam vice mundicia deſignatur, quæ baltheo conſtringitur, ut ſub arctiori tutela pudicitiæ nutriatur. Apponitur etiam tunica hyacinthina, ut ſit ejus converſatio cœleſtis, ut jam non loquatur, aut ſapiat niſi Chriſtum.* Super ratione autem

autem adjicitur: *In quo erat doctrina & veritas:* ut sit scriba doctus in regno Dei, & cum opportunum fuerit, producat de thesauro suo nova & vetera. *Talis non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem dicitur introire in sancta.* Hæc ipse *Petrus primæ partis epistolarum ep. XXV.* Nulli ergò hunc honorem hierarchicæ scilicet Prælatiæ accipiant, nisi qui à Deo tanquam Aaron vocati sunt. *Accipiant,* inquit thema, *qui vocati sunt.*

Sed Domini mei amantissimi, nunc vertitur in luctum cythara nostra. Ecce mœror & gemitus pro lætitiæ jubilo. Tulerunt enim Judæi quinque lapides, ut jacerent in Jesum. *Ambrosius super isto textu: O quam pauci sunt in tanta multitudine Christianorum, qui Jesum non persequuntur, lapidant & occidunt. Et illi in persecutione tua primatum gerere videntur. Hi enim te lapidant, ô pretiose lapis, in caput anguli, cum Judæis perfidis produnt cum Juda, cum præsidibus damnant, cum Herode illudunt, accusant cum testibus, flagellabunt cum Pilato, & cum militibus demum cruentissimæ morti tradunt, qui sponsam Christi opprimentes ecclesiam, non ad eam ex legitimo vocati conjugio, in populis innumeris, per eos perditis, passionis Christi frustrantes pretium, rursum in semetipsis, apostolo scribente, Heb. VI. Dei Filium crucifigunt.*

Venerabilis *Beda super Marci illud* evangelium commentans: *Abiit Judas ad principes sacerdotum.* quid ergo? Jesus autem abscondit se & exivit de templo. Doctor profundus, *de civitate Dei contra Pelagium,* sub autoritate cujusdam Babylonici, decem signa notabilia pertractat diffusius, quæ miraculosè quasi observabantur in templo & exspirantia portendebant ruinam in brevi venturam synagogæ Judæorum. Et ad nostræ ecclesiæ statum moralissimo quodam schemate pertinentius applicanda, notabilem certe huic operi ministrallent materiam. Sed inter decem *tria* recito, *quæ quondam in nostra* mysticè *viguerunt ecclesia,* quorum transitus jam ascendit, quod Jesus jam abscondit se, & exivit de templo. Primum erat, non abortivit mulier propter fœtorem carnium sanctuarii. Secundum: Non contingebat sacerdoti magno pollutio in die propitiationis. Et tertium, non potuit extingui ignis continue ardens in altari.

Et quid hæc *tria* nobis moraliter dant sentire, nisi quod, quoad primum, mulier, id est *simplex populus, in tot enormibus* non norat abortiri *erroribus,* quia *carnalis vita carnalisque intrusio Præsidentium in ecclesia,* Dei scilicet sanctuario, fœtorem illis *tam sceleroſi exempli,* in illo felici, quòd quondam, nunc evanivit per modicum, vel minimè, inferebant.

Quoad secundum, in die propitiationis, in primitivis scilicet temporibus legis gratiæ, sacerdoti magno, in superiori scilicet constitutis, *sacerdotum pollutio* non contigit *fœtentis infamiæ;* sed hoc signum jam transiit, flebilemque decoris & gloriæ nostræ minatur occasum. Et ut propinquius moralizem, propitiationis iste dies *tempus hujus* poterit denotari *concilii, per quod à toto orbe expectantur tot bona,* & diu offensi Dei propitiatio præstolatur. An in isto die *sacerdotibus magnis* abominabilis scandali merito, imprecetur calamitas, ob eorum *inverecundas pollutissimasque libidines,* interrogate, si placet, à vulgaribus in urbe. Imo absque interrogatione dicunt palam & prædicant, quæ piis auribus devoti ecclesiastici nimis & supra nimis *horribile* est *audire.* Ex qua re est, ut verear, quod gratia nostri Jesu Christi abscondit se à nobis, & exire compellitur de templo nostræ synodi. Recedite ergo, *polluti,* nolite tangere consortium hujus cœtus sacri, *Thren. II.*

O Domini mei, lacrymosus affero, quod, ex quo totus mundus Christianorum, virtualiter hic existens, jam experientia didicerit oculari *lubricissimam & fœtidam vitam in personis magnis magni status,* propter magna facinora: deinceps proh dolor, toto mundo, quoad tertium signum, ignis extinctus. Manebit, continue ardens, in altari nostro, quando devotissima conversatio ministrorum altaris, velut thus in igne penes Deum redoluit, &, velut quibusdam fasciculis amoris igniti, ad reverentias & amores ecclesiasticorum graduum & militiam & populum vehementissime inflammavit. Sed aqua nostræ indies invalescentis lasciviæ extinxit jam ignem, *Ecclesiast. III.* Et quæ causa alia, nisi quod thematis nostri verba in praxi deficiunt: *Accipiant, qui vocati sunt.* Ignis enim ille in altari ardens templi Judæorum, & in captivitate quadam absconsus in vallo, ubi erat puteus altus & siccus, & post multos annos inventâ ibi aqua crassâ mirabiliter reaccensus, continuato de post arsit, ut prius ardore, *usque ad tempus, quo Jason iniquus emit sacerdotium.* De qua materia tangitur *2 Maccab. &, in Josepho l. Antiquitatum.* Et dat signare moraliter, quod quia *jam tempus Jasonis advenit, quô nullus quasi factus est in prælatia sacerdos, nisi qui manum impleverit Jerobeam 2 Paral. XIII.* Non pergunt, nisi *habentes pretium in manibus Num. XXII.* Oportet, quod impleant manum patris, *Judic. XVII.* Loquitur hæc mundus. Et diu locutus est de *patre Michaitico* hic in terris, & de quibusdam patribus aliis. Quod cogitatu est deflendum. Hinc est, quod ignis primus in altari extinguitur. Feruntur contra ecclesiam Principes: Quia bona ecclesiæ nobis rapimus, & vita ecclesiastica non videtur, abscondit se Jesus & exivit de templo. Et in dubie nobis imminet subversio, nisi reaccendatur ignis. Et hæc falsissima Michaitica *Simoniaca pestis à matre prima ecclesiarum omnium,* & deinde *à cæteris, radicitus exstirpetur.*

Vocavit nos Dominus *ad planctum & fletum:* Ecce gaudium & lætitia! comedamus & bibamus: nam *vocati* sumus *ad hanc sanctam synodum pro deflendo* lacrymabiliter priorem perpescentis c) hunc *ecclesiæ* nostræ *lapsum.* Et ecce gaudium & exultatio extrema. Quæ gaudia occupabit luctus, *Proverb.* XIII. Contristabimur in desolatione nostra. Amputabitur exultatio à multitudine nostra. *Nec multi anni erunt, quod gaudimonium nostrum vertetur in luctum. Baruch. V.* Si saltem hanc falsissimæ *simoniæ destructionem* præcordiis non accipiant interioribus. Quia ad hoc vocati sunt.

Valedicit ergò huic materiæ principale nostrum primum cum epistolæ & evangelii particulis prælibatis, repetunturque consonè verba assumta thematis

c] i. e. patientis. A perpessô.

matis *contra hos peſtiferos prædones* ſic invehunt. *Honores eccleſiæ ſolum hi accipiant, qui vocati ſunt.* Et tantum de primo.

Secundo principaliter dixi, quod *ſecundus terminus vocationis Divinæ*, concernens *hanc concionem in ſynodo generali*, eſt *ſanctificatio vel perfectio eccleſiaſticæ hierarchiæ*, fundata, ut prædixeram, in illo textu apoſtoli: *Non vocavit nos Deus in immundiciam, ſed in ſanctificationem.*

In quo *tria* conſidero *circa ſanctificationem*, quam intendo, *eccleſiaſticæ hierarchiæ.*

Primum eſt miſerantis *altiſſimi benignitas* gratioſa, *quia vocavit nos Deus.* Secundum eſt *ſtatus eccleſiæ priſtini calamitas* doloroſa, quæ notatur in immundicia. Et tertium eſt *expectati remedii felicitas* gaudioſa, quia *vocavit in ſanctificationem.*

Pro primo ecce *Auguſtinum ſuper Pſalmum CII.* miſerator id eſt miſericors *Dominus*, longanimus, & multæ miſericordiæ, *vocat nos undique ad correctionem, vocat ad morum reformationem.* Et multifariè multisque modis. Vocat nos beneficiis creaturarum; vocat impertiendo cautis ritè induciis. Vocat per prædicatores, per quales inceſſanter *tempore hujus ſynodi* inexcuſabiles nos vocat. Vocat per intimas cogitationes, per flagella correptionis. Et nunquam flagellum durius eſſe poterat, quàm nos ferit, tàm inveterati ſchiſmatis. Vocat demum per manum conſolationis. Ecce nunc tempus illud ſperatæ conſolationis, longanimis & multæ miſericordiæ.

Et ſubjungit *Doctor:* An divitias bonitatis ejus & longanimitatis contemnimus? niſi longitudine miſericordiæ ſuæ malè utendo, ipſius nobis iram theſaurizare curemus. *Corvus* emiſſus ab arca, ad eam reverſus non eſt. *Columba* tamen cum oliva revertitur, ſerenitatis primitia. Quia, *cras convertar*, vox eſt pœnitere tardantium, & *cras, cras*, vox eſt corvina. Hæc Sanctus.

Quot flagellis affligimur, quantis minarum aſperitatibus deterremur? Et tamen vocantem ſequi contemnimus. *Gregorius in homilia.*

Ad ſanctificationem nempe ſeu reformationem eccleſiæ vocavit nos Dominus in Piſano concilio. Sed *voce corvina* utebamur, dicentes & promittentes: *cras, cras, & reformabimur.*

Durabat ergo *usque nunc* illius ſchiſmatis procelloſi diluvium. Et malis prioribus *pejora*, proh dolor! *ſecuta* ſunt.

Sicque conſimiliter prætendentes, nos velle *hic* facere unionem, *reformationem eccleſiæ*, ridiculoſius *differamus*, dicendo: *cras reformabimur.* De quo *cras* uno, *cras*, puto, nullæ fient. Pejoribus indubie *ſupervenient peſſima.* Quia *per vocem* hanc *corvinam*, qua reformationem *frivola procraſtinatione* perimimus, nunquam optatæ pacis renunciabitur aura placabilis & ſerena. Nam impoſſibiliſſimum eſt, ut in membris perſeveret aut floreat unio in veritate paſtoris. *Ecce*, inquit Dominus, *in ſceleribus veſtris dimittam matrem veſtram. Quia vocavi, & non erat, qui audiret,* 1.Sam.I. *Locutus ſum ad vos, & non obediſtis, miſi ad vos ſervos meos & Prophetas, & prædicatores verbi mei*, exponente ſic *Beda*; *nec inclinaſtis aurem, neque audiſtis me. Idcirco ego adducam ſuper omnes habitatores Jeruſalem*: univerſos ſcilicet ſtatus eccleſiæ, *univerſam afflictionem, quam locutus ſum, eò quod locutus ſum ad illos, & non audierunt, vocavi illos, & non reſponderunt mihi, Jerem. XXXV.* Verentes ergò, priusquam veniat, miſerabilem noſtri ſubverſionem honoris, videamus attentius hanc vocationem noſtram, *1. Corinth. II.* Nec patientia Dei abutamur ad vitium. Qui *vocavit nos* ad arcem & ad mœnia civitatis, Proverb. VIII. In Spiritu ſcilicet Sancto, *ad hoc ſacrum concilium.* In quo oſtenditur primùm, quomodo altiſſimus dulciter vocat, poſtmodum terribiliter increpat, ad extremum autem irretractabiliter damnat *Gregor. XVIII. moralium.* Et ideò à nobis amplexatur illa miſerantis altiſſimi benignitas gratioſa, quâ vocavit nos Deus.

Secundo exprimitur in promiſſo textu *ſtatus eccleſiæ priſtini calamitas doloroſa*, quæ notatur in *immundicia.* Templum enim olim profanari ſolebat hac immundicia triplici. Prima per adoratas ſtatuas idolorum. Contra quod dicitur *Ezech. XX. In idolis Ægypti nolite pollui, ego Dominus Deus veſter, & noluerunt audire me. Unusquisque abominationes non projecit, & idola Ægypti non reliquerunt. Et 2. Corinth. VI. Quis conſenſus templo Dei cum idolis?* Secunda immundicia erat *templi per ſepulta in eo oſſa hominum profanorum*, qui deſcenderunt in infernum cum animis ſuis, & fuerunt iniquitates eorum in oſſibus eorum, *Ezech XXXII.* Et immundicia tertia, ſeu pollutio *per effuſum in eo ſanguinem*, ſeu ſemen, aut fluxum immundorum. In fornicationibus & immundiciis polluta eſt eccleſia. Filii Babylonis polluerunt eam in ſtupris ſuis, & polluta eſt ab eis, *Ezech. XXIII.* Polluerunt templum ſanctum tuum, & poſuerunt morticinia ſervorum tuorum, *Pſalm.* LXXVIII.

Et hujusmodi *tres immundiciæ* moralitate myſticæ nobis ſignant *tres ſpirituales pollutiones*, quibus noſtra ſupra modum inquinatur eccleſia.

Nam primò denotat intolerabilem in ea cœtum *Præſidentium* proh dolor *peſſimorum.* Quæ transſumtiva *idola* ſunt, juxta *Zachariam* XI. *ô paſtor & idolum.*

Secunda ſignat deteſtabilem in ea numerum, in abuſionibus, enormitatibus, *& cultu rituum blaſphemorum.* De quibus oſſibus dici poterit illud *Jerem. VIII. Ejecit Dominus oſſa Regum Juda, oſſa ſacerdotum, & oſſa eorum, qui habitaverunt Jeruſalem, de ſepulchris ſuis, & in ſterquilinium ſuper faciem terræ erunt.*

Et tertia ſignat *abominabilem* in ea *luxum.* Injuſte egerunt contra legem, *Sopho* III. *Polluerunt ſanctuarium meum & ſabbatha mea profanaverunt*, *Ezech.* XXIII.

In iſta ergo radice triplici conſtat *ſtatus eccleſiæ priſtini calamitas* doloroſa, quæ notatur *in immundicia.* Non enim vocavit nos Deus in immundiciam, ſed, *accipiant, qui vocati ſunt, ſanctificationem.* Videlicet quia *hæc eſt voluntas Dei, veſtra ſanctificatio*, quæ ſanctificat vocatos ſuos, *Soph. I.*

Et hæc expectati *remedii* felicitas gaudioſa, *ſanctificatio* ſcilicet *eccleſiæ*, ad quam vocati ſumus. Quòd erat membrum tertium ex conſideratione triplici, ad ſtatum diffuſius perſtringendum.

Intueamur tamen primitus, qualiter ſecunda particula epiſtolarum officii, hæc tria præmiſſa in ſe continet, & ordine ipſo, quo recitata ſunt. *Si enim*

enim ſanguis hircorum vel vitulorum aut cinis vituli aſperſos inquinatos ſanctificat &c. Quanto magis ſanguis Chriſti, qui ſemetipſum obtulit immaculatum Deo. Ecce vocantis altiſſimi benignitas gratioſa.

Vocavi, inquit crucifixus noſter, & renuiſtis, extendi manus meas in cruce, & non erat, qui aſpiceret. *Proverb. II.* O indurati filii Adæ, quos non emollit tanta Domini vocantis benignitas! Benè *in ſermone quodam* in textu ſubditur: *Emundabit ab operibus mortuis.* Ecce *ſtatus eccleſiæ priſtini calamitas doloroſa.* Quia immundicia ex operibus mortuis, *mortiferis* ſcilicet *abuſionibus*, de quibus jam creditur emundanda.

Et demum annectitur, *ad ſerviendum Deo vivent.* En expectati *remedii* felicitas gaudioſa, ſanctificatio ſeu *reformatio eccleſiæ*, per quam liberati ſerviemus Domino in ſanctitate & juſtitia *Luc. I.* Chriſto ſcilicet, qui dilexit eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea in paſſione ſua, ſcilicet, quam hodie exordimur, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro, & exhiberet ſibi glorioſam, *Epheſ. V.*

Præterea, Reverendiſſimi Domini, ut planiori ſtylo potiar, reconciliatio iſta ſeu *reformatio eccleſiæ* in hunc fundari debet reſpectu trifario: ut *idola*, id eſt *paſtores iniqui* legitimis proceſſibus *conterantur.* Nam hoc eſt *expectatum remedium* contra primam immundiciam: ut enormitas & *abuſiones* contrariis ſanctionibus *evellantur* contra ſecundam: ut *luxuriæ & libidines*, nec non *humilium oppreſſiones*, noſtris Præſulibus retrahantur, contra tertiam, quæ ſtat in ſemine & ſanguine, velut ſupra.

Accipiant ergò *qui vocati ſunt, libenter eccleſiæ reformationem.* Quia non vocavit nos Deus in immundiciam, ſed in ſanctificationem. Audite me, Levitæ, & ſanctificamini, *mundate domum Domini mei.* Auferte omnem immundiciam de ſanctuario, *2. Paral. XXIX.*

Quoad primum enim iſtorum membrorum ſanctificanda in proœmio ſperatur eccleſia *per contritionem* illius *idoli*, Domini videlicet *Petri de Luna*, quod, ſalva ſemper reverentia obedientiæ ſuæ, dico, etſi veriſimè prius in Papatu ſtetiſſet, jam tamen *ſe idolum exhibet* obſtinationis animo. Sed heu quare non eſt *idolum luti* in templo Dei poſitum, 4. Reg. XXI. Seu *idolum* verius inflexibilis *ferri*, quod ad tantas inſtantias non inclinatur fidelium ut deſideratam pacem tribuat toti mundo. Nil aliud ergo reſtat, niſi quod *ejectionis opprobrio demoliatur hæc ſynodus excelſa hujus idoli, Amos I.* Num credis? Aliquando audebat patrum calamus *ſummos Pontifices appellare idola*, quos vel electio ſuſpecta, quia facinoroſos & infames præfecerat in ſublimi, vel honoris ſuſceptio jam reddidit obſtinatos, ut de ſalute fidelium non valeant reminiſci. Ubi, inquit *Petrus Bleſenſis, tunc erant Cardinales, quando fidelium ſuperbiæ idolum abominationis in apoſtolatus apicem eligebant. Reſpuerunt homines pacis, hominemque diſſenſionis & ſcandali evexerunt. Ecce antiqua malitia! Ecce problema Jotham de filiis Gideonis, de quibus filii Iſrael volentes ſibi ducem eligere, contemtis filiis legitimis, & Abimelech ſpurium & crudelem elegerunt in Ducem. Juxta cujus verbum ligna ſylvarum, non ficum, non vitem, ſed rammum ſibi elegerunt. Regem, etiam egreſſus eſt ignis de ramno, & devoravit cedros Libani, qui cedrorum euphemiam jam ferè conſumſit.* Hæc ipſe *Petrus P. I. epiſtolarum epiſtola XL.*

Non blandior alicui, qui de papatu contenderat. Cùm vix aliquis ſponte puro cedere voluit culmini, quamdiu ipſum liberè habere potuerat. Et ideo de membris ſuis merito novit conqueri lacerata ſic eccleſia. Quia in iſto turbine ſchismatis *deceperunt eos nimium idola ſua, Amos II.*

Pertranſiens ergò hanc materiam, ad *Prælatos* ſub eis *inferiores* jam venio. Qui, juxta idoli deſcriptionem ex Apoſtolo & Iſidoro, *apparent eſſe paſtores, & non ſunt, patres eccleſiæ, & ipſam deſtruunt.*

Repleta eſt terra *hujusmodi idolis.* Et ab ipſis jam idolis omnes populi confunduntur. *Eſ. I. & II.* Et quid fabricavit *moderna templa tot idolis*, niſi *dominandi libido* vel *ſeductio libidinis*, ut de Salomone legitur III. Reg. v. 1. oportet ergo, ut *pro reformanda eccleſia* ex verbo prophetiæ *fundimenta* talium *revelentur*, & ponantur idola in perditionem *Matth. I.* Et ut diſperdantur nomina idolorum de terra, & non memorentur ultra. Spiritusque immundi de terra videlicet eccleſiæ auferantur, *Zachar.* XIII.

Nec ſum in illa *ſiniſtra mala*, patres amantiſſimi, quod perſonas aut ſtatus exoptem interimi: Nec in illa *adulatoria dextra*, qua abuſiones in talibus non cuperem enarrari. Sed nunc inter iſtos *latrones, adulatores* ſcilicet & *invidos*, eligit ſuſpendium anima mea *Job.* VII.

Quia, in veritate fateor: donec *ab his idolis depurgetur eccleſia*, ut vel, qui prius idola erant, *reformandi diſcant, quales in meritis eſſe debeant*, & ſic, velut apparent in gradu, realiter ſe oſtendant operum in effectu, vel *incorrigibiles deponantur* à gradibus, ut idolorum loco vivi patres atque veri ſubſtituantur & habiles: Non vocabitur noſtra Jeruſalem mons ſanctificatus, *Zach.* VIII. Nec ſanctificata erit eccleſia ab immundis *2. Reg.* XI.

Aut enim optarim vitium à perſona, vel perſona à ſtatu eradicari & eximi, ſed honorem ſtatus dominii non expelli, aut ob ſuppoſita mala gradus celſitudinem authenticam vilipendi.

Sanctificanda eſt ergo *eccleſia*, per *idolorum contritionem.* Ut domus ipſa Dei in ſanctificatione permaneat. *Judith.* IX.

Et ſanctificanda ſecundo eſt eccleſia, per profanorum ſeu gentilium oſſium ejectionem. Hæc oſſa morticina in ſepulchris, *abuſiones* mihi ſignant *innumeras in eccleſia ſepultas mirabiliter coloribus exquiſitis.* Quas Dominis meis *reformatoribus* commendo de prioribus extirpandis defenſionum ſepulchris, & extra eccleſiæ limites longè penitus projiciendas. Et verè hæc ſunt *opera mortua abuſionis* ſcilicet *permiſſæ in eccleſia.* Cum ſpiritualis mortis inductiva ſint & ſempiternæ mortis finaliter promotiva. De qua morte cavetur in ſecunda particula evangelii hodierni: veniendo jam ad propoſitum: *Amen, dico vobis: Si quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non guſtabit in æternum.* De multiplici mortis diſtinctione, quæ pertinentiſſima pro nunc foret, brevitatis cauſa ſuperſedeo pro præſenti.

Hæc ſunt *opera noſtra mortua*, *enormitates* ſcilicet plurimæ, de quibus *Gregorius in quinto ſui Regiſtri, epiſtola XXX. Quis ferociſſimæ*

gentis

gentis gladius in necem fidelium tanta crudelitate graſſaretur, niſi noſtra vita, qui ſacerdotes nominamur, & non ſumus, depravatisſimis operibus? Sed dum nos competentia nobis linquimus, nobis incompetentia cogitamus. Peccata noſtra barbariter viribus jaciamus. Et culpa noſtra hoſtium gladios exacuit, quæ reipublicæ vires gravat. Quid autem dicturi ſumus, qui populum Dei, cui indigne præſumus peccatorum noſtrorum onere & operibus mortuis premimus? Hæc ſanctus. *Et idem primæ partis homiliarum ſuper evangelium homil.* XVI. *Nullum*, inquit, *puto majus præjudicium quàm à ſacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exempla pravitatis cernit, quando ipſi palam peccavimus, qui compeſcere peccata debuimus.*

In *ſacratisſimæ* igitur *reformationis negotio* contra peccata ipſa, quæ in univerſis ſtatibus flebiliter ſuperregnant, invehatur, cum amore perſonarum & graduum, cum deteſtatione tamen & odio vitiorum. Tunc enim ab arca, de qua præmemini, columba emittetur, & olivæ ramus pacem nobis redditam eccleſiæ nunciabit.

In reformatorum animis non ſit erga perſonas aut ſtatus livor, vel odium: quia columba fellecaret. Sed ſit eorum *pura intentio* & propoſitum. Quia columba gregatim volat. Sic *reformandi modus in lege Dei fundetur & ſana conſcientia:* Quia columba nidificat in petra deſerta.

Siquidem attentione conſideranda ſunt hæc *quatuor: natura, culpa, dignitas*, & *calamitas. Natura* eſt amanda in dæmone & in peſſimo homine. Nam nihil odit Dominus eorum, quæ fecit. Creavit enim naturam, ſed creatura ſuperaddidit culpam, quam & Deus odit. Quia & odiſti omnes, qui operantur iniquitatem, notante hæc *Auguſtino ſuper Johanne. Culpa* deteſtanda eſt in quolibet, Imo & magis in majori, id eſt culmine. Quia quantò gradus altior, tantò lapſus gravior. *Dignitas* veneranda eſt in ſuppoſito, licet malo. Num quid David, electus Dei, Saulem honoravit regem, licet à Deo abjectum. Et *calamitas* miſeranda eſt, imo & in homine impio. Quia Gregorio & Auguſtino conteſtantibus: *Si in neceſſitatis articulis miſeriæ impii non ſubvenias, quia per te forſan revelandus juſtus poſtea eſſe poterit, juſtum perdis cum impio.*

Servata ergò *charitate*, quoad perſonas, quoad primum, *reverentiâ*, quoad dignitates & ſtatus, quoad tertium: *Eradicentur illæ enormitates culpabiles*, quæ lamentabiliter nimis *deformant eccleſiam*, quoad ſecundum: *Edicanturque ſtatuta* ſanctiſſima *contra priſtinas abominationes*, in ſingulis faſtigiis & officiis. Quæ nec per Papam aliquem ſolum poterunt enervari, aut contra ipſa diſputativè & deteſtabiliter diſpenſari. Ut tam *Papa* quam *Cardinales, Prælati* ſinguli, & *regulares*, ac unusquisque ſtatus, habeat fratrem ſuum. Et in ſingulis hujusmodi ſtatibus miſeranda eſt *calamitas*, quoad quartum.

Papali enim victui largifluo proviserat Conſtantinus, & epiſcoporum neceſſitatibus præclari Principes, & alii, qui varias dotaverant eccleſias. Quas tamen dotationes, licet eis male abutantur Prælati, non licet ſecularibus ab eccleſia ſubtrahere, quia iſta non Prælatorum bona ſunt, ſed prædia ſunt columbæ, ut declarat *Auguſtinus ſuper Johannem homil.* VI *in fine.*

Provideat pariformiter hæc ſanctiſſima ſynodus calamitati & miſeriæ in ſtatu *Cardinalium.* Ut, ſublatis abuſionibus, tam in vita quàm victu, de eccleſiis Dei honorificè habeant, unde vivere poterunt. Qui in tanto regiminis pondere ſummo Pontifici aſſiſtentes non eccleſiarum particularium tantum, ſed ipſius univerſalis eccleſiæ curam gerunt.

Ttanscurrens tamen breviſſimè membrum illud ſecundum, *de operibus mortuis, ſcilicet corruptelis eccleſiæ*, quæ velut oſſa profana diu polluentia Chriſti ſponſam, de omnimodis excuſationum, defenſionumque ſepulchris, per hanc ſanctam ſynodum deberent procul ejici: Et valedicens tertio membro, eadem breviloquii cauſa, *de immundicia*, ſcilicet *pollutione veræ eccleſiæ per tyrannides & luxurias laſcivientium Prælatorum* cum de his in anteà aliqualiter præloquebar: Pro fine iſtius ſecundi principalis ſecundam evangelii particulam ad præmiſſa jam applico, &, ut mihi videtur, *myſterio* congruenti: *Abraham pater veſter exultavit, ut videret, diem meum, vidit & gaviſus eſt.* Quadruplicem enim diem Domini pater ille Abraham vidiſſe recolitur, ut ex *Auguſtino ſuper Johanne* elicitur, Doctorumque ſententiis variis poſtillantium: *Diem*, ſcilicet *æternæ emanationis*, quâ à Patre proceſſit verbum in illius *in effandæ Trinitatis* myſterio, in trium ſcilicet virorum apparentia, *Gen.* XVIII. *Diem* ſecundum, temporalis *incarnationis*, quando juraturo ſervo præcipiebat, ut manum ſuam poneret ſubterfœmur ſuum, cum adjuraret eum per Dominum cœli. Quia de ſemine ſuo Chriſtum prænoverat incarnandum, *Geneſ.* XXIV. *Diem* tertium vidit Dominicæ *paſſionis.* Cum proprio filio ſuo immolando non pepercit, & impoſuit ligna ſuper filium ſuum, Deitateque illæſa in Jeſu noſtro, Iſaac in humanitate noſtra, tanquam ovis vel aries ad occiſionem ductus erat, *Gen.* XXII. Et *diem* quartum vidit viaticæ *refectionis* ineffabile altaris ſacramentum. Dum revertenti ipſi à cæde quatuor Regum occurrit Melchiſedech, Rex Salem, proferens panem & vinum, altiſſimi ſacerdos & benedixit illi, *Gen.* XIV.

Sane, reverendiſſimi Domini, duos dies primos in unum connectens, Deitatis ſcilicet & humanitatis Chriſti, per ipſum intelligo, immaculatam & altiſſimam *theologiæ ſcientiam.* Ipſe Chriſtus ambas in ſe naturas amplectens, de quo veriſſimum eſt ſubjectum. Et interpretatur *Abraham, pater multarum gentium.* Dum enim Prælati noſtri, patres multarum gentium, dies iſtos Domini viderunt cum Abraham, hoc eſt, ad ſacrarum anhelarunt ſcientiam ſcripturarum, vidit eccleſia, & gaviſa eſt.

Non ſufficit promovendo ad Pontificium, ſcire horas canonicas, aut divina celebrare, pſalterium legere, & ſimilia. Sed in *ſacræ ſcripturæ doctrina epiſcopus debet autoritate præcedere*, & non ſecularium literatum peritiam oſtentare, LXXXVI. diſt. *Quando neceſſitas.*

Si Prælati Eccleſiæ ad fontem iſtum vivum Theologicæ facultatis deſideratiſſimæ ſervirent, non fierent *idola tot in templo Dei*, quot de præſenti ſe habere polluta plangit Eccleſia. Nam verè *idolum* dici poſſet *in cathedra, Prælatus absque ſcientia.*

Et, amantiſſimi Domini, licet theologiæ præcommendem

mendem scientiam, honorabiles alias facultates non reprobo, sed non possum conniventi oculo pertransire, quin mœrendo admirer & mœream admirando, quod *in hoc sacro generali* per antonomiam *concilio*, præter venerabiles religiosos, qui in illa scientia omnino nutriti sunt, *ultra duos Prælatos in sacra theologia Doctores non video.* Cum fletu tamen cordis pertranseo, & venio ad secundum diem.

Siquidem diem Dominicæ *passionis* viderunt olim patres nostri gentium: Dum memoriter recolentes, quàm cara passione Dominus suam fundavit ecclesiam: Tot in ea abusiones pullulare non permiserant. Non pepercit Abraham filio, ita nec ipsi carni principatibusve pepercerant. Quando grex redemptus Christi sanguine, eorum regimine ductus erat virtutum tramite incorrupto: vidit hæc ecclesia & gavisa est. Et hæc duo contra duas primas immundicias.

Diem alium scilicet viaticæ *refectionis* viderunt cùm Abraham patres nostri, quando libebat Prælatis magna devotione crebrò immolare filium virginis in altari. Sed reputatur jam indecens tanto statui, die uno in mense videre diem illum. O res nimis deflenda! Et si quæratur causa, credo, quod *quia carnis pollutionibus sordibusque invigilant*, in se tertiam ecclesiæ præferentes immundiciam.

Jamque veniret in medium exclamatio contra illam diabolicam *abusionem*, contra quam *invexeram in festo Epiphaniæ*, in Alemannia fœcescentem. Non dico de electis & confirmatis, sed de despectis & depravatis, falsissime bona episcopatuum prædantibus, nec curantibus conseerari, imò, quod nefandissimum est, non volentibus ordinari, tyrannis similius viventibus quàm clericis. Contra quam enormitatem ecclesiæ & infamiam provideat hæc sancta synodus sub pœnis gravissimis & censuris.

Quid ergo dicam lacrymosus, querulus ad præmissa? I. certe, *Abraham mortuus est, & prophetæ nostri mortui sunt.* Et transeo jam ad alia.

Fundabit hoc compendium hujus secundi principalis, quod jam est finitum, *de sanctificatione*, scilicet *reformatione veræ ecclesiæ*, illud ad propositum *Joel V. vocate cœtum, congregate populum, sanctificate ecclesiam.* In quibus verbis per ordinem *tria* pulcherrime ostenduntur, primò *concilii reformati auctoritas*, „*Vocate cœtum*: „secundò *reformandi modus*, quæ charitas, *con„gregate populum*: Et tertio *reformationis fi„nis*, quæ sanctitas: *sanctificate ecclesiam.*

„Contra tamen finem istum, satan ille adversa„rius cum satellitibus suis nititur per *opposita duo* „illis duobus prioribus: *Per medium* scilicet *ru„ptura concilii*, quod jam est cœtus vocatus in „unum, *per medium aliud schismatum dissensio„num & disturbii*, quæ non congregare vult sed „disgregare, scindere & dissipare jam populum.

„Hæ sunt machinæ suæ, ô patres præstantissi„mi. Quia *inter nationes* & regna carnale *odi„um seminat*, intendens, *quod non sinet ecclesi„am reformari.* Quando, precor, veniet bo„num ecclesiæ, nisi dum inclytissima *regna Fran„ciæ* atque *Angliæ*, & illa duo mundi luminaria, „*Parisii & Oxonia*, adunientur. Ipsius precor „intuitu, qui in passione sua, quam hodie exor-

„dimur, crucifigi pro nobis voluit corpus suum, „*crucifigamus* in nobis omnes carnale quodlibet „*odium*, & tendamus *unanimiter* ad bonum ec„clesiæ, ob quod vocati sumus. Sicque per pacifica gesta nostra pax inter regna poterit facilius procurari. Quam concedat altissimus Regum omnium Rex, pacis Auctor & Amator, Conditorque regnorum.

Vellem threnosus cum Jeremia *deflere sanctificationem ecclesiæ, eventuram dissidens.* Quia vocato cœtui nova dies imminet, ex novis coloribus & frivolè exquisitis, *dissipatio & ruptura*, quoad primum. *Quia non congregatur populus*, sed de die in diem per alumnos de nova piorum cordium practicatur *scissura*, quoad secundum. Igitur, quando ecclesiæ sanctificatio erit adventura? pro certo nescio. Quoad tertium.

In vanum ergò thema replico, *nisi specialissima Dei gratia manum apponat*, ubi sensus hominum viresque deficiunt, cum *de reformatione sperata* per hanc synodum *ecclesiastica hierarchiæ* verba prius sumseram. *Accipiant, qui vocati sunt.* Et tantum de secundo principali.

Tertio principaliter dixi, & est brevissime unum verbum, quod est tertius terminus vocationis divinæ, *salvandorum gloriam beatitudinemque* concernens, *cœna* sive *refectio* olympicæ melodiæ. Fundassem compendium hujus tertii super illo textu prædssumto: *Homo quidam fecit cœnam magnam & vocavit multos.* Qui textus *tria* mihi correspondentia ad tres particulas tertiæ partis epistolæ obtulisset, signando primo, *paterno vocantis clementiam inæstimabilem.* Quia homo & Novi Testamenti mediator effectus est Dei mediator & hominum, Deus creator omnium homo, in fine temporum. Secundo invocationis modo, *ferventiam incomparabilem*: Quia *vocavit multos*, sed quomodo? Certe morte intercedente in redemtionem.

Quæ te vicit clementia,
Ut ferres nostra crimina,
Crudelem mortem patiens,
Ut nos à morte tolleres.

Ascendisti in montem & in summitatem patibuli, ut facilius audireris. O mandata à seculo vocationis forma! *Bernhardus in sermone quodam de passione Domini.* Et tertio finis vocationis hujusmodi, *epulentiam admirabilem*, quia *fecit cœnam magnam.* Et hæc est illa repromissio æternæ hæreditatis, quam *accipiant, qui vocati sunt*, ubi thema.

Pertinuisset huic principali tertio illa *vocatio mortis ad incorruptionem*, quæ in resurrectione fiet corporis, de qua *Gregorius* meminit *in moralibus* super illud Jobi: *Vocabis me, & ego respondebo tibi.*

Illa etiam *vocatio ad tremendum judicium*, de qua in XXI. *c. Matthæi: Voca operarios, & redde illis mercedem.* Et de *Augustino in soliloquiis*: Vocabis me miserum ad judicium, ipsis etiam angelicis cœtibus formidandum.

Et quàm congruentissime venisset in medium illa tertia particula in hoc ordine *evangelii hodierni* in persona Domini damnaturi præscitos: *quis ex vobis arguet me de peccato? Qui est ex Deo, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Inflexibilis Judex, qui est infallibilis. Quia est, qui quærat, & summè terribilis, qui judicet, est qui quærat, & judicet. Mysteria

pulcherrima hujus tertiæ partis, cum fulcimento integro hujus tertii principalis, brevitatis occasione totaliter jam omitto.

Concede ergo nobis, ô misericordissime Jesu, sic vocationi tuæ in hac vita obtemperemus, ut inter illam non numeremur cohortem infelicissimam, de qua, ad cœnam hujus olympicæ refectionis universos invitans, dixisse te recolimus: *Nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam magnam.* Quibus in illo die tremendi examinis dicturus es illud propheticum *Esa.* XX. *Innumerabo vos in gladio, & omnes in cade corruetis*: Pro eo, quod vocavi, & non respondistis, locutus sum, & non audivistis. Propterea ecce, servi mei comedent, & vos esurietis. Ecce, servi mei bibent, & vos sitietis. Ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini. Ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore, & præ contritione spiritus ululabitis. Sed æterne Deus da nobis, animas cum sanctis ipsis servis tuis in gloria numerari, ut illius societatis, exultationis & applausus felicis nos efficias participes in futuro. O Deus omnis gratiæ, qui vocasti nos in æternam ipsam gloriam. *1. Petri V.* Amen.

SERMO V.

Nicolai de Jawir, pronunciatus in Concilio Constant. Anno 1417. Dominica XVII. post Trinit.

Ex MSCto Lipsiensi.

Obsecro a) *vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis, Ephes.* IV.

Reverendissimi Patres & Domini.

Prædicativus ego, tantillus ingenio, actione virtuosa pusillus atque imperfectus, & non disertus eloquio, *coram hâc præsenti synodo* orationem humilem & utinam devotam præmittere habeo, quâ *directorium* rectum, nedum ad digne ambulandum, verum etiam cogitandum & loquendum, impetrare queam, mihi summè necessarium: *Sapientiam* dico, *divinam*, præsertim, *Eccles.* III. *increatam*, quæ est Dominus Deus, de quo *Proverb.* III. *in omnibus viis tuis, cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.* Et non solum actuum exteriorum, sed & cogitationum & verborum. Similiter & *creatam*, custodientem & protegentem, de qua *Proverb.* II. *Si sapientiam invocaveris, & si intraverit cor tuum, consilium ejus custodiat te, ut eruaris de via mala &c.*

Unde recurro ad vos *Reverendissimi Patres &c.* defectum meum & imperfectum in prædictis recognoscens, ut Deus in sufficientiam meam suppleat, recurrens, oro humiliter, quatenus & vos illud dictum Apostoli attendere dignemini: *Orationi*, inquit, *instate vigilantes in ea gratiarum actione, orantes simul & pro me, ut Deus aperiat mihi ostium sermonis ad loquendum, scilicet digne & utiliter mysterium Christi, Coloss.* IV.

Recurro etiam ad te, pissima virgo Maria, quæ de te ipsa dicis illud *Ecclesiast.* XXIV. *Ego mater pulchræ dilectionis: in me gratia omnis viæ & veritatis.* Viæ, inquam, digne cogitandi, loquendi & agendi, *veritatis*, doctrinæ, vitæ & justitiæ. *Transite igitur ad me omnes, qui concupiscitis me, a-gitæ meis adimplemini.*

Ut igitur de ejus supereffluenti plenitudine aliquid gratiæ & suffragii, intercedentibus meritis ipsius & precibus, ad dignè loquendum & audiendum accipere mereamur, ipsam salutationem evangelicam sibi condignam moveamus, dicentes mente devotâ & piâ: *Ave gratia plena &c.*

Obsecro vos, *Reverendissimi in Christo Patres &c.*

Divinorum eloquiorum autoritate approbante, ac fide orthodoxa attestante, liquidò constat, Deum glorioſum, summe potentem, summe sapientem, summeque bonum, hominem protoplastum ad sui imaginem & similitudinem formatum, ut dignè ambularet, *in recto itineris tramite* posuisse, eique *præcepta*, quibus instrueretur, & dirigeretur, *ne deviaret*, dedisse: Ut sic *viâ regiâ ambulando*, nullâ intercedente morte, ad terminum viationis felicem perveniret, requiem beatam. Sed proh dolor! contrarium accidit. Ipse quidem plasmatorem suum ingratus & *iter rectum* ac securum *relinquens abusu potestatis propriæ* & suasione illius maledicti, invidi, sathanæ, qui in veritate non stetit. *Joh. VIII.* Et per consequens nec ambulavit, qui seducit universum orbem *Apoc. XII.* abductus fuit in invia, & in vias tenebrosas, difficiles & laboriosas & ad cumulum omnium miseriarum infeliciter ducentes.

Sed, quæso, animadvertere dignemini, quæ & quam magna fecit *divina* & inexhausta *bonitas.* Revera, si ipsam etiam atque etiam gratuite contemplamur, *hominem* sic lamentabiliter deviantem, in se & in suis quam plurimis posteris ad dignè ambulandum *in viam rectam* & semitam bonam *reduxit*, & legem, ne erraret, iterum, adjecit. De ipso siquidem patet in historiis approbatis, asserentibus, eum, scilicet *Adamum* pœnitentiam condignam egisse & per consequens dignè ambulasse. Porro de *successoribus* scriptura idem manifestat, quantum ad triplicem hominis statum, legis, gratiæ & naturæ ante & post diluvium.

Dicitur namque *Gen. V. Ambulavit Enoch cum Deo*, & non nisi dignè, quia alias scriptura non approbaret. Iterum *Genes. VI. Noë vir justus atque perfectus erat in generationibus suis, & cum Deo ambulavit.*

Post diluvium, de Abrahamo asseritur: *Dixit Dominus Abrahamo: Ambula coram me, & esto perfectus, Genes.* XVII.

Transcurrendo seriem V. T. de multis asseritur, quod

a) Ex hoc quidem sermone etiam *perversa Ecclesiasticorum vita* discitur, uti ex cæteris: veruntamen eum non totum approbamus. Quippe cum *externas* quasdam *cæremonias* ab hominibus inductis taxet, & in *schisma* illius temporis horrendam quiddam intonet, internam faciem non mundat. Præterea multus est in prærogativis falsis deri recensendis: quo nomine etiam judicavimus, illum corrupti status posse exemplum præbere.

quod *rectè & dignè ambulaverint* secundum viam, quam Deus, Dei filius, adinvenit, & tradidit eam Jacob puero suo & Israël dilecto suo, *Baruch III.* In qua multi tempore legis scriptæ veteris *dignè ambulaverunt*, ut sacra scriptura edocet manifeste.

Qui siquidem Deus, & filius Dei, post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus. Et ibidem hoc egit, ut de gratia sui, homines ambulantes in tenebris, & in regione umbræ mortis sedentes, ad *viam recti itineris justitiæ & veritatis* verbo & exemplo & miraculis reduceret. Et hoc tam per se, quam per suos, quos in sui *ministerium* elegit, & ut id ipsum facerent per universum orbem destinavit. De quorum numero non minimus erat, imò quasi maximus, *Apostolus Paulus*, prout ipse de se dicit *Gal. I. Cum enim placuit ei, qui me segregavit de utero matris meæ & vocavit per gratiam suam, ut revelaret filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus, continuo non acquievi carni & sanguini.* Quasi diceret: Mox executus fui mandatum Christi vocantis, & ad gentes veni, indignè scilicet ambulantes, & ad viam rectam induxi, & ut dignè ambularent, id est, dignos se facerent æterna beatitudine, nedum simplici verbo, & admonendo, verum etiam exorando & obsecrando. Ajebat enim, dicens; *Obsecro vos, ut dignè ambuletis.*

Quod inquam verbum & vestris reverendissimis paternitatibus dico. Non enim meum est mandanter; sed *obsecrando* dicere: *Obsecro vos*, &c. quæ fuerunt verba &c.

In quibus quidem verbis *tria* memoriæ commendanda considero, summam totius sermonis continentia. *Primum* profectò est *exhortatio salutaris, affectuosa propalata: Obsecro*, inquit, *vos, ego vinctus in Domino.*

Secundum est *exercitatio virtualis* sive moralis, *studiosè exoptata:* Quia, *ut dignè ambuletis.* In virtutibus namque se exercere, est digne ambulare, ut dicit hic una quæstio: Quid est se dignum Deo & beatitudine facere? Quod alibi dicitur, honeste ambulare, Rom. XIII. *sicut in die honeste ambulemus.*

Tertium est *designatio rationalis sive causalis, ingeniosè adaptata.* Quia, *vocatione, quâ vocati estis.* In hoc enim notatur ratio sive causa dignè ambulandi. Voluntas scilicet ipsa divina, & vocatio est tanquam causa efficacissima, quare ambulandum sit dignè. Et ideò ingeniosissimè adaptatur, ut plus moneat ad dignè ambulandum.

Primum ex compassione procedit viscerosa. *Secundum*, ex dilectione operosa: Et *tertium* ex cognitione luminosa.

Primum patet: Quia in hoc, quod Apostolus dixit: *Obsecro vos ego vinctus in Domino*, ostendit se habere compassionem ad eos. Quia eorum in vinculis immemor non fuit, rogavit *in vinculo charitatis*, quæ habet compassionem annexam. Charitas namque dicitur vinculum salutare. Ad quòd Apostolus hortatur *Coloss. III. Super omnia hæc charitatem habete quod est vinculum perfectionis.*

Secundum patet, quia nedum verbo, sed opere eos ad salutarem operationem induxit. Patet illud & præcedens ex illo *Thessal. II. Exhortatio enim nostra non de errore*, id est de mendacio, *sed de veritate*, scilicet doctrinæ, vitæ & justitiæ, quæ valde prodest saluti, *neque de immundicia*, id est de usu mulierum communi, *sed potius de sanctitate, neque in dolo &c.*

Tertium patet, quantum ad cognitionem luminosam: Illa namque inducit ad effectum, cujus est causa, uti patet pro omnibus istis. Et concordantia adducit illud *1. Thess. II. Memores*, inquit, *estote, qualiter unumquemque vestrum tanquam pater filios suos*, scilicet ex compassione & dilectione *deprecantes vos & consolantes testificati sumus, ut ambularetis dignè Deo, qui vocavit vos in suum regnum*, id est ecclesiam, in qua Deus regnat, vel in regnum perpetuum & gloriam. Ubi causa exprimitur, quantum ad ultimam particulam autoritatis allegatæ.

Dixi *primò*, quod *primum* sit notatum in verbis præmissis, *Exhortatio* &c. Ubi *tres* occurrunt *quæstiunculæ*. Et *Primò*, *Quis* hanc fecerit exhortationem. Et luce clarius patet, quod *Paulus* Apostolus. *Secunda* & *tertia*, *Ad quos* & *propter quid* eam fecerit? Et certum est, quod ad *Ephesios*, ad fidem Christi conversos.

Qui, inquam, *Ephesii*, quanquam generaliter significent cunctos fideles, quos nunc ecclesia alloquitur, specialiter tamen cœtum clericalem sive *synodum sanctam in Spiritu sancto, hic in Constantia congregatam* repræsentant mysticâ significatione. *Ephesii* namque interpretantur *conciliatores mei*, vel *in quibus est voluntas mea, ut dignè ambulent secundum vocationem meam.* Et merito. Tenentur namque præ aliis singulariter dignè sive *virtuosè ambulare*, tum propter Dominum dignissimum, cujus ministerio sunt mancipati, *tum* propter privilegium excellentissimum, quô sunt præ aliis dignificati, *tum* propter debitum certissimum, quô adhoc sunt obligati, *tum* propter exemplum efficacissimum, ad quod sunt evocati.

Primum patet. Quia omnes *clerici* ministri sunt Christi. Ejus enim sunt cultui deputati. Unde Apostolus: *Quid est Paulus? quid est Apollo? ministri Christi sunt, 1. Cor. III.* Item infra *c. IV. sic nos existimet homo, ut ministros Christi.* Ergò requiritur, quod sint digni ad dignè ambulandum, sive ministerium suum ad implendum. Patet hoc ex *quidnominis. Clericus* dicitur idem quod *sortitus*, eò, quod in *sortem*, hoc est *partem domini* sit electus; Non autem congruit aliud, nisi ut illud, quod tam dignissimo Domino & ministerio deputatur, *honestissimum* sit, *pulcherrimum & mundissimum.* Quia talia sunt Dominis exhibenda. Hinc est ergo, quod psalmus dicit: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabit.* Quis autem sit immaculatus in via, psalmus dicit. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Glossa hic: *Non alius mihi ministet, id est, alius ministrare non debet: Quia si faceret, indignè ministraret, & per consequens peccaret*, Deum Dominum dignissimum offenderet, & nomen ejus sanctum & terribile blasphemari faceret: Prout allegat apostolus ex *Esaia LII. Hæc dicit Dominus, jugiter tota die nomen meum blasphematur:* Et *Rom.* II. in persona Dei loquentis, querulosè: *Nomen meum blasphematur per vos inter gentes:* Ministerium vituperabile & contemtibile redderet, & proximis, quantum ex parte ejus esset, nihil prodesse posset.

Prima duo patent in *Eli sacerdote* & ejus filiis Hophni & Pinehas, de quibus *1. Reg. II.* quod ipsi

filii erant filii Belial, nescientes Dominum neque officium sacerdotum ad populum, graviter peccantes &c. Et nedum voluit occidere filios, verum etiam patrem propter iniquitatem, eò quod noverat indignè agere filios suos, & non corripuit eos, ut habetur 1. Reg. III. Ubi sequitur: *Idcirco juravi domui Eli, quod non expietur iniquitas domus ejus victimis & muneribus usque in æternum.*

Est ergo valdè *timendum clericis* vel aliis, *ut dignè ministrent* aut etiam ambulent. Pro quo ad vertendum, quod *tribus modis indigne ministratur in cultu divino. Primò* per ministerii indebiti usurpationem: *secundo* per ejusdem, & si fortè debiti, truncationem: *Tertio* per indignam ejusdem executionem. Quolibet namque horum *trium modorum* peccatum committitur. Ergo indignè ministratur.

Primum autem contingit, *quando laicus purus usurpat sibi ministerium altaris* etiam ad missam, non ad hoc ordinatus per ecclesiam. Quod proh dolor in diebus illis malis, in quibus nunc vivitur, minimè curatur. Passim namque *admittuntur ad Dei ministerium* nedum *laici* honesti, verum etiam *adulteri, lenones, fistulatores, mimi* etiam. Et hoc in vestitu & in apparatu nimis seculari, & indecenti. Ex quo cultus divinus vilipenditur & minus curatur.

Quantum autem peccatum sit hujusmodi usurpatio, patet in *Usia* Rege *2. Paral. XXVI.* qui in principio regni sui humilis erat, sed cum roboratus fuit à Domino in regno, elevatum est cor ejus in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum, ingressusque in templum, sacrificium, quod ad ministerium sacerdotis pertinuit, etiam prohibitus offerre voluit, quia thuribulum in manu tenuit, ut adoleret incensum. Sed audite plagam, in signum peccati, statimque, ut ibidem subjungitur, orta est lepra in fronte ejus coram sacerdotibus in domo Domini, qui expulerunt eum de templo. Sed & ipse perterritus acceleravit egredi, eò quod sensisset illico plagam Domini. Et mansit leprosus usque ad diem mortis suæ, & habitavit in domo separata, plenus lepra.

Hanc materiam tractat *Chrysostomus super Matthæo circa illud: Joram autem genuit Usiam, Matth. I. Hoc modo peccavit*, inquit. *Nunc laici usurpantes sibi officia & ministeria clericorum, Acoluthorum videlicet, & aliorum. Item Acoluthi Subdiaconorum, Diaconi Presbyterorum, & Presbyteri Episcoporum.*

Si enim liceret laicis puris ministrare ad altare, quæ ergò necessitas erat quatuor minores ordines in ecclesia disponere? Hinc est ergò, quòd Apostolus dicit *2 Corinth. ultimo: Omnia honestè & secundum ordinem fiant in vobis.*

De *secundo modo* patet otium, quo missa absque ministerio celebratur. Prout fit communiter in *ista diœcesi*, & quam plurimis aliis vicinis. Requiritur namque assistentia ministrorum, vel minimum ministri unius idonei, ordinati scilicet & mundi, qui presbytero attendat & respondeat. Hoc enim pertinet ad missæ integritatem, cum sit officium sacerdotis & populi. Sacerdos enim tenet vicem mediatoris inter populum & Deum, & ministri sive minister gerit vices populi, pro eis respondendo, Amen, vel alia ad ipsum pertinentia. Propter quod districtè olim præceptum fuit, quod minimum duo adessent, ut habetur *de consecrat. dist. 1.* ubi dicitur: *Hoc quoque statutum est, ut nullus presbyterorum missarum solennia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus, ipse tertius habeatur, quia, cùm prolatum ab eo: Dominus vobiscum, & illud insecutum: Orate pro me, apertissimè convenit, ut ipsi respondeant salutationi.* Et dicit ibi *glossa: Clerici vel laici.*

Sed modo modernis temporibus condescensum est in unum, *De verbo signi. c. Quæ sinit.* Nec videtur excusare *consuetudo.* Quia potius *corruptela* est, & *fraus*, imo & negligentia dicenda est, quia corrumpit & *truncat divinum officium*, sive partem inde subtrahit & negligenter agere facit contra rectam rationem, ecclesiæ Romanæ & metropolitanæ præcepta, quibus necessarium est obedire, si quis voluerit maledictionem evadere, quia maledictus, qui facit opus Domini *negligenter.* Alia translatio habetur *fraudulenter* Jeremiæ LIX.

Dixi etiam, quod *minister* debet esse *mundus*, & hoc corporaliter, & spiritualiter, maximè à *mulieribus.* Si namque sacerdotes & *ministri veteris legis* sive testamenti debebant esse mundi, etiam vasa & alia spectantia ad ministerium Domini portantes & tractantes, debebant esse mundi à mulieribus, juxtà illud *Esa.* XXII. *Mundamini, qui fertis vasa Domini:* Item *pro tempore* sui ministerii cogebantur esse mundi: Videtur, quod *ministri Dei*, qui *semper* debent esse ad ejus servitium parati, *semper* debent esse *mundi.* Unde Papa Innocentius III. quodam sermone tractans prædictum verbum, *itaque*, inquit, *nulla immunditia sit in vobis: Legimus, quia sacerdotes veteris legis, quibus licitum erat uxores habere, in templo anno vicis suæ habitare præcepti sunt & ab uxoribus abstinere, quia scriptum est:* sancti estote, quia ego sanctus sum: *Quanto magis sacerdotes & ministri novæ legis servare debent pudicitiam & fugare omnem immunditiam, qui ministerium suum sine successione & quotidiè habent exercere.* Et cum Apostolus dicat laicis: *Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi*, multò magis *sacerdotes*, quibus orandi & sacrificandi juge officium est, & aliis ministrare quotidiè, suo tempore debent à luxuria, & à cæteris immunditiis jugiter abstinere.

Hoc dico propter *clericos conjugatos*, qui de nocte uxores fortasse juvenes lascivas impudicè tractant, & de manè sic immundi ad altare ministrant, calicem portant, & sacras vestes exponunt &c.

Tertium patet, quia ministri altaris quantum ad missam, vel ecclesiæ indignè ministrantes, hoc est scienter in mortali peccato, novam contrahunt maculam peccati. Quia non solum in veteri lege maculam contraxit, qui immundum tetigit, sed etiam si immundus mundum tetigit.

Unde ergo *Doctores* multum solennes & authentici istam ponunt conclusionem probabilem: *Minister ecclesiæ, in sacris ordinibus constitutus, existens in mortali peccato, scienter celebrans aut ministrans in officio aliquo ecclesiastico in persona ecclesiæ peccat mortaliter, & toties quoties celebrat, vel etiam quoties in officio ecclesiastico in persona ecclesiæ ministrat &c.* Probatur quantum ad *primam partem*, contra quam non oportet

portet multùm operari, quia nota est ex scriptura 1 *Corinth. XI. Qui manducat indigné* scienter, videlicet in mortali peccato, *judicium sibi manducat & bibit*, & per consequens novo peccato mortali peccat. Consequentia patet, quia nullus damnatur, nisi propter peccatum mortale &c. sed *secunda pars*, quæ videtur multis dura & dubia probatur: Quia constitutus in sacris, existens in peccato mortali scienter, nec sine peccato mortali potest laudare Deum lingua, nec cantare in persona ecclesiæ, nec prædicare, igitur nec aliquod aliud officium ecclesiasticum exercere in persona ecclesiæ sine peccato mortali. Consequentia est clara. Assumtum probatur per illud *Psalmi XLIV. Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas?* Ubi *Magister sententiarum in glossa ordinaria* dicit: *Ne ergo securus sit, quod hoc solo salvetur, quod benè docet.* Item ibidem: *Quare tu enarras justitias meas?* id est quare communi sermone, scilicet ad populum, profers aliquid de mea majestate, cum tu opere non impleas, & *assumis testamentum meum sanctum per os tuum pollutum*, scilicet aliis prædicare. Quasi diceret: Non sancta verba os pollutum præsumat docere, publico scilicet sermone ad populum & clerum, etsi legere. Non enim lectio negatur corrigendis. Unde ergò potest argui sic: Quicunque facit contra prohibitionem divinam expressam, & sic temerariè, talis peccat mortaliter: Sed quilibet ministrans in officio ecclesiastico in peccato mortali, scienter, & in sacris constitutus, vel prædicans &c. est hujusmodi &c. item, omnis criminosus ministrans in officio ecclesiastico in persona ecclesiæ in sacris constitutus peccat mortaliter. Quilibet talis existens in peccato mortali scienter, est hujusmodi &c. *Major* & *minor* patent per illud Psalmi XLIX. *Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundabat malitia, & lingua tua concinnabat dolos, sedens adversus fratrem tuum loquebaris, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum. Hæc feci̇sti, & tacui.* In *furto* autem & *adulterio*, ut glossa dicit, Cassius notat omnia crimina apertè in totum. Item *Magister Nicolaus de Lira*, super isto: *Peccatori autem dixit Deus, Hoc dicit, ipsum repellendo: Quare enarras justitias meas, evangelium in missa recitando vel exponendo, & assumis testamentum per os tuum, quia epistola & cætera, quæ dicuntur in missa, pro majori parte accipiuntur de veteri vel novo testamento.*

Ex quo patet clarè, quod divina prohibitione prohibentur *Diaconus* & *Subdiaconus*, scienter existentes in peccato mortali, ministrare in officiis suis, & magis *sacerdotes.* Et per consequens peccant mortaliter exsequentes sic indigne officia sua.

Item, habens maculam *in V. T.* prohibebatur & repellebatur à sacerdotio & ministerio legali. Ergò multo fortius habens maculam mortalis culpæ, significatæ per maculam corporalem, indignus est ministrare in officio ecclesiastico. Major patet *Levit. XXI.* ubi dicitur: *Non accedet ad ministerium habens maculam.*

Ideò enim nunc *destruitur ecclesia, quia maculosi, infames, illiterati, illegitimi assumuntur ad ministerium Domini.*

Sicut ergò corporaliter immundus existens & munda tangens vel tractans, novam contraxit maculam, ita spiritualiter in proposito. Unde Psalmista quærendo & respondendo dixit: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo*, scilicet ecclesiæ, administrandum? *Qui*, inquit, *ingreditur sine macula & operatur justitiam.* Sine macula, in communi, corporis & mentis, sed existens in mortali peccato, etsi non habeat maculam corporis.

Hinc est ergo, quod Apostolus ad Timotheum dicit: *Oportet Episcopum*, id est sacerdotem, secundum glossam, *irreprehensibilem esse*, & *Diaconos* similiter esse *pudicos*, non *bilingues*, non *multo vino deditos*, non *turpe lucrum sectantes*, habentes ministerium fidei in conscientia pura. Et hi probentur primum & sic ministrent, nullum habentes.

Tertia pars probatur: Quia non est ratio, quare talis minister una vice peccaret mortaliter, quando eâdem ratione qualibet aliâ vice sic peccaret. Prædictam conclusionem sententialiter tenet *S. Thomas in scripto super quartum Sententiarum.* distinct. XXIV. q. 3. art. 5. Et probat eam sic: *Lex præcipit, ut homo justè ea, quæ sunt justa, exequatur, Deut. XVI.* Justè, inquit, quod justum est persequeris & vivas, & possideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. Et ideò quicunque hoc, quod sibi competit ex ordine, facit indignè, quod justum est injustè exequitur, & contra præceptum legis facit ac per hoc mortaliter peccat.

Item de *jure naturali* est, ut homo sancta sanctè pertractet, igitur nullus indignus sine peccato mortali sacramenta ecclesiæ pertractat vel ministrat.

Item si non peccaret novo peccato, quare ergò aliàs diceret Dominus *Es. 1. ne offeratis ultrà sacrificium, frustrà incensum, abominatio est mihi, iniqui sunt cœtus vestri, calendas vestras & festivitates vestras odiit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboravi sustinere. Et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam, & cum extenderitis manus, avertam oculos meos à vobis, manus enim vestræ plenæ sanguinis sunt.*

Correlarium: Nulla potentia, etiam summi Pontificis, vel cujuscunque alterius hominis super terram, potest dispensare, vel præcipere vel cogere, quod quis existens in peccato mortali scienter in suo officio in persona ecclesiæ valeat vel debeat ministrare vel celebrare. Et hoc licitè. Quia nulla talis potest præcipere vel cogere hominem ad peccandum. Igitur &c

Secundum correlarium: Sacerdos vel minister ecclesiæ potius deberet officia vel beneficia quæcunque resignare, & minas, metus, pœnas & omnia mala pati, quàm quod in peccato mortali existens scienter ministraret in aliquo officio ecclesiastico in persona ecclesiæ.

Tertio sequitur: Mortaliter peccat & graviter, si quis scienter consulit vel scienter consentit hujusmodi ministerio. Patet ex illo *Roman. I. Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Ex quo consequitur *quartò*, inducentes aut præcipientes illos exequi suum officium, quo sciunt vel judicant ad hoc compellere.

Et ita multa & similia *correlaria* possent inferri, quæ prætermitto. Et hoc de primo.

Secundum, propter quod dignè est ambulandum, est privilegium excellentissimum &c. De hoc *Bernhardus in sermone de corpore Christi* sic ait: *felices*

felices igitur vos sacerdotes Domini dixerim, si tamen sacerdotaliter vivitis, quoniam vestro ministerio omnis gratia sumitur. O sacrum, o cæleste ministerium vestrum, quod per vos Pater, Filius & Spiritus S. operatur. Credimus, quia non est potestas post Deum, sicut potestas vestra. Certè super potestate vestra, super tam insigni privilegio vestro stupet cælum, miratur terra, contremiscit homo, & plerumque veneratur angelica celsitudo.

Veruntamen privilegium istud apparet ex *quatuor*, utpote ex *eminentioris gradus sublimatione*, ex *singularis mensæ educatione*, ex *pretiosioris rei commendatione*, & ex *securioris status elongatione.*

Propter *primum* sunt summi Pontificis officiales, propter *secundum* supremi patrisfamilias commensales, propter *tertium* sunt ditissimi domini thesauratores, propter *quartum* sunt excellentissimi Regis Consiliarii speciales.

Primum patet ex illo, quia diversa *summi Pontificis* gerunt *officia.* Quia sunt ejus villici, vinitores sive agricolæ, uti patet per decursum evangelii. Habent etiam *officium angelorum*, quorum est, purgare, illuminare & perficere, uti patet ex *Sententia B. Dionysii.* Habent & *officia medicorum* & ita de multis aliis, quæ nimis longum esset enarrare, & ideo ea prætermitto.

Et ad *secundum* accedo, voluit enim Deus eos de *talibus sustentari*, quæ sua essent, non solum generali & communi conditione, sed speciali quadam oblatione *sanctificata*, & ad Dei gloriam deputata, tanquam de parte sua. Hinc ergo *Numer. XVIII.* dicitur: *Dominus dixit ad Aaron & filios suos: Non habebitis partes inter eos, ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Israel.* Quid enim aliud habet ecclesia, & de quo alio manducant & vivunt ministri ejus, nisi quod de inspiratione superna Deo obtulerunt, vel ad hoc offerunt. Ea propter *12. q. 2.* dicitur: *Nulli licet ignorare: Omne quod Domino consecratur, sive fuerit homo sive animal, sive ager, sanctum sanctorum erit Domino. Et ad jus pertinet sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis homo, qui à Domino aufert, vastat, invadit aut eripit.* Hæc ibi.

Hoc dignentur attendere diligenter *omnes*, qui sunt *in cœtu clericali*, & videant, ne aut sibi Domini partem tanquam *fures & latrones* usurpent *beneficia & præbendas* obtinendo *per indebitum ingressum*, aut *injustè* recipiant *per inexpletum officium* eis debitum, aut *avarè* retineant per *obdurationis affectum* aut *prodigaliter* exponant, sive dissipent, perturpent actu aut superfluè utantur secundum proprium & carnale desiderium, ad *gulam* videlicet, *ebrietatem*, & communiter ad *luxuriam*, sive etiam ad *mundi vanitatem.* Quia omnes tales per hujusmodi abuterentur parte Domini ejus in educationem datâ. Nec, tanquam gustum infectum sive amarum & corruptum habentes, perciperent sapores ejus, quos sanum habentes palatum sentiunt, diligenter dentibus intellectus masticando. De quibus saporibus pulchre *Wilhelmus* Doctor Parisiensis, *tractatu de virtutibus & vitiis*, ponens inter alios *sapores* istum primum, quo sapit Dei filiationem & familiaritatem tanquam filiifamilias.

Ideo velut à Patrefamilias nobis dicta pars Domini distribuitur.

Et propter hoc tanquam *fur* & *latro* se hujusmodi *mensa ingerit*, qui de filiis Dei Patris aut de familia ejus non est. Tales revera sunt *omnes*, qui aut per violentiam aut per labem *simoniacam* aut per alium *iniquum modum*, *scilicet appellando, donec alia pars cedat*, vel *victa tædio* vel *expensarum defectu*, aut per alium quemcunque modum iniqui possessionem obtinent & *fructus capiunt ad eos non pertinentes*, tanquam fures & latrones. Quos Salvator vocat *Johann. X. Qui non*, ait, *intrat per ostium in ovile ovium, ille fur est & latro.*

Secundo sapiunt *servitium* sive *officium* & opus debitum. Quia beneficium datur propter officium & opus implendum. Secundum enim nomen sive vocationem debet esse *opus* sive *actus* eorum, eò, quod nomina officialia sumuntur ab actibus, atque inductivè in officio sutorio, sartorio, & ita de cæteris, ut dicit *S. Augustinus in libello de vita christiana ad quandam viduam.*

Sapiant ergo vobis *clericis* officium sive servitium ad interpellandum in causa animarum, tam mortuorum quam viventium &c. spiritualis patrocinationis salarium, & dantur vobis tanquam Advocatis, ad allegandum & ad agendum causam earum coram Patre misericordiarum. Quapropter tanquam fur & latro & sine causa illud comedit, qui causam animarum allegare non satagit. *Qui enim non laboraverit, non manducet*, dicit Apostolus.

Heu quot habet ecclesia *avidos perceptores*, tanquam flammeos concupitores salarii hujusmodi, & quam paucos & fortasse imperitos atque negligentes oratores & advocatos in causa animarum.

Item tertio sapiunt *officium militiæ & defensionis* strenuæ, eò quod dicuntur *stipendium clericalis militiæ*, ob quod tenentur. Quia hujusmodi à subditis recipiunt militare & eis servire, sive jura reddendo, in judiciis, sive defendendo in filiis, seu aliud, quodlibet faciendo, quod utilitati serviat eārundem. Sicut fur & latro convincitur, qui hujusmodi stipendium percipit, & pro animabus militare negligit. Quia sine causa recipit.

Heu! Quot habet, & quantos, ne dicam perceptores, sed *fures* & *latrones*, hujusmodi stipendium qualitercunque consequentes, qui non solum pro animabus militare negligunt contra hostes earum, sed etiam totis studiis & viribus *militant* de prædicto stipendio etiam *contra Deum*, hujusmodi stipendii largitorem, & quod deterius est, magisque honorificum capitali hosti, pro Dei stipendiis, ab ipso diabolo, cui militant non aliud stipendium, quam mortem perpetuam & æterna supplicia percepturi, *Rom. VI. stipendia peccati mors.*

Propter defectum enim & infidelitatem eorum, qui huic spirituali, hoc est *militiæ clericali*, adscripti sunt, datus est Dei populus in direptionem & in prædam dæmonum. De quo *Ezech. XXXIV. Quia non est*, qui defendat: Aut *timore* depressus, vel *otio* & *proprio commodo*, vel alia *injusta causa* impeditus. Nunquam enim tanta esset malorum *dæmonum* & ipsorum membrorum *audacia*, si non viderent tantam *dissimulationem* & *timiditatem in clericis.* Tales enim faciunt quemadmodum miles Capitaneus fugiens & exercitum inter hostes dere-

derelinquens,& sicut pastor gregem deserens in medio luporum,& ita de similibus.

Quarto sapiunt officium redemtionis animarum,sicut legitur *Prov.XIII. Redemtio animæ viri propriæ divitiæ.* Omnia enim beneficia ecclesiastica data sunt ecclesiis in redemtionem animarum. Redemtionem,inquam,à captivitate peccatorum atque diabolorum.

Quotquot ergò clerici sumus, nostrum malum ! Qui hujusmodi beneficia percipimus, redemtionem utique animarum,& pretium redemtionis. Non solum igitur sine causa, sed etiam pernitiosè hujusmodi pretium recipimus,imò in proprium nostrum malum, qui pro liberatione animarum non satagimus,qui causam,prout hujusmodi redemtio requirit,non procuramus. Quis enim proditor adeò esse auderet,ut,cum in redemtionem amici sui recepisset, eô pacto,ut eum à carcere & vinculis liberaret,eum ibi diu torqueri & tandem patibulo affigi,absq; ulla commiseratione sustineret.

Audiant nunc *clerici*, qui servitium debitum pro vivis & defunctis vel *negligunt*, vel in toto dimittunt. Quanto judicio digni sunt pro eo, quod tam impiè & infideliter agunt in malum suum. Unde *B Bernhardus* loquens *de clericis*,qui malè deserviunt ea,quæ in ecclesiis habent: *Unde*, inquit, *tibi clerice, mors in olla? Sed ob hoc maximè, quia populi constat esse peccata, quæ comedis, sumtus ecclesiasticos gratis habere te reputas: Sed bonum erat tibi fodere pro eis, aut etiam mendicare. Peccata enim populi comedis, acsi propria tibi minus sufficere viderentur. Sollicitus esto,tanquam redditurus rationem pro eis,gemitus fundere,dignos agere pœnitentiæ fructus. Alioquin tibi non vis imputare,quæ modo inter delicias comedis & parvi pendis, & dissimulas tanquam nihil attinentia. Sic veniens ante tribunal Christi audietur populi querela gravis,accusatio dura,quorum vixere stipendiis, nec diluere peccata,quibus facti sunt Duces cæci,fraudulenti mediatores. Quid tibi insipiens deliciæ sapiunt? Quid divitiæ oblectant oculos, quibus merearis tam grave judicium, tam duræ temetipsum obligas rationi,universareddere usque ad quadrantem novissimum.*

Item sapiunt servitium *messoris* vel etiam *vinitoris*,sicut ex parabolis patet Salvatoris. Attendant igitur, in quanto sint periculo, qui *fructus recipiunt præbendarum*,& tamen non metunt neque congregant messem in horrea animarum.

Item sapiunt indigentiam tam nostrum quam pauperum. Eò, quod ad utrorumque sustentationem fructus præbendarum sunt dati cœtui clericali. Sed proh dolor! sunt multi *clerici*, qui tam *avarè retinent bona ecclesiæ*,ita,quod nec sibi ipsis nec suis audeant necessitatem victus & vestitus tribuere, neque pauperibus elargiri, quorum tamen sunt omnia, quæ ultra debitum & necessarium victum cernuntur habere. Quale autem peccatum hoc sit, designat *B.Bernhardus*: *Res* inquit, *pauperum non pauperibus dare,par sacrilegii crimen esse dignoscitur.*

Sane patrimonia pauperum sunt *facultates ecclesiarum* & sacrilega eis crudelitate subripitur,quicquid ministri & dispensatores, non utique Domini & vel possessores, ultra victum accipiunt & vestitum. Non enim ordinavit Deus his, qui Evangelio servi-unt, de Evangelio quærere divitias vel ornatum,sed vivere ex eo,ut videlicet sint contenti alimento corporis, non *gulæ irritamenta* aut *incentiva libidinis*, & quibus tegantur, non quibus ornentur accipere, duplici profectò iniquitate peccantes,quod & alimenta seu victum pauperum arripiunt & sacris in suis vanitatibus & turpitudinibus abutuntur.

Sexto & ultimo sapiunt suum *pretium*, hoc est Christi sanguinem sive mortem. Morte enim pretiosissima redemtoris ac sanguine vivifico illius acquisita & emta sunt quodammodo toti clero: Unde & *patrimonium crucifixi usualiter nominatur:* Sic & morte martyrum, laboribus sanctissimis confessorum & virginum. Propter quod crimina hujusmodi videntur vivere sanguine Christi, & martyrum distillare sudorum confessorumque & virginum.

Valet autem iste sapor ad duo. *Primo* ad *parsimoniam.* Dum enim tanto pretio emta cogitantur, parcissimè inde nobis sumendum esse, non tam suasoriè suggeritur, sed etiam violenter ingeritur.

Secundum est *ad premendam lasciviam* ac voluptatis dissolutionem. Quis enim non horreat lascivire in sanguine Christi & martyrum, ac voluptatis dissolutione dissolvi in tantis laboribus atque sudoribus doloribusque omnium sanctorum? Omnia enim hæc irrogationi fidelium & Christo reddita sunt & à fidelibus oblata.

O utinam hæc saperent & intelligerent ac novissima cogitarent *omnes præbendati*, curati vel non curati, qui de pretio sanguinis Christi multos vel quantoscunque habent fructus. Quibus nunc, heu, *non est aliud curæ, nisi quomodo tollant portiones vel reditus, ut eos in pulchris equis & vestibus splendidis, lautis conviviis & continuis solatiis, ebrietatibus & ludis cum Clientibus & mulieribus, mimis & joculatoribus, & ô utinam non cum scortis & meretricibus atque adulteris aut forsan adhuc pejus expendant.*

Possum siquidem à talibus quærere, per quid credant se frui sudore pauperum & dignos esse patrimonio Jesu Christi? Dicant quæso: Et si ipsi haberent maximas divitias & crederent, possessores præbendarum, quas fundarent, sic victuros, sicut & ipsi vivunt, an nisi contra mentem & velut insani, sentire vellent, ac dicere ullo modo, quod aliquam præbendam vellent instituere, aliorumque peccata ponere, & sibi damnationem emere?

Agitur ergò in hoc *contra jus naturæ: Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias.* Nec solum est contra jus naturæ, sed periculosissimum. Quia secundum Doctores sic *bona ecclesiæ dissipantes in usibus illicitis*, cum sint quodammodo *raptores*, ipsi *tenentur ad restitutionem omnium*, pauperibus vel in utilitatem ecclesiæ convertere.

Item quantum ad *tertium privilegium*, quod est, *de pretiosioris rei recommendatione*, imò & rerum pretiosissimarum. Sunt enim *quatuor* res tales: *Animæ fidelium*, quas Christus pretioso suo sanguine emit tanquam pretio magno. Quia sanguine agni immaculati & intaminati Jesu Christi, *1. Petr. 1.* Commendavit autem hanc rem pretiosissimam quasi tabulam, ejus imagine insignitam, ad semper mundè conservandum. Ad cujus pretiositatem secundum *Bernhardum* totus mundus iste æ-

ste æstimari non potest. Non enim pro toto mundo Deus animam suam daret, quam pro anima tua dedit. Profecto hunc thesaurum tam pretiosum tamque carum, *Prælatis & aliis curatis* commisit, tanquam ut dixi tabulam. Sicut ergò, culpabilis esset, cui commissa esset pulchra & pretiosa tabula aliqua, si permitteret turpem in ea pingi imaginem aut per se pingeret, vel pulchrè pictam deleret vel deformaret: Sic revera, cum sumus custodes animarum nostrarum, aut nobis commissarum, turpe est & imputandum nobis, si permittimus turpium impressiones in nobis fieri, aut in nobis commissis sustinemus eandem.

Secundò commendanda sunt *sacramenta ecclesiastica* eis tanquam unguenta pretiosissima, quæ debent reverenter tractari, sanctè sivè mundè, ut supra dictum est.

Tertio commendanda sunt *ecclesiastica ministeria* tanquam officia dignissima, quæ nisi fideliter & prudenter dispensaverint, magnum malum incurrent, quod innuit Apostolus *1. Corinth. IV. Sic nos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei. Sed jam quaritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur.* Quasi diceret: Hic est laudandus & dignus honore, secus autem, si infidelis. Et quia *talis est rarus, fidelis* scilicet, ideò *B. Hieronymus* dicit: *quis sæpè non pro nullo, sed pro difficili & raro ponitur.*

Quanta commendavit eis bona sua, scilicet gratias indulgentiarum, tanquam aurum pretiosum, & vitæ æternæ verbum, tanquam lapides sive margaritas, pretiosas, quas non debent projicere ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, *Matth. VII.* De hoc B. Petrus. *Unusquisque*, ait, *sicut accepit gratiam in alterutrum, illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, quasi sermones Dei, si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus. 1 Petr. IV.*

De *quarto privilegio*, quantum ad eorum *statum*. Unde status eorum elongat eos *ab omnibus, quæ ipsos à Deo averterent & imperfectos* redderent, si eis adhærerent, & proximant ad ea, quæ ipsos perficiunt & Deo jungunt. Unde elongant eos à se ipsis, quia prohibent eis voluntatem propriam adsequendum divinam. Secundo *à carnalibus desideriis*, quæ militant contra animam, *1. Petr. II.* Et hoc prohibitione matrimonii, & cohabitationis mulierum, aut inhonestæ & suspectæ conversationis earundem, ne quasi carnales & bestiales facti à spiritualibus distrahantur. Tertiò *à secularibus negotiis*, ne omninò implicentur, & per hoc inhabiles ad divina reddantur. *Quia nemo militans Deo implicet se secularibus negotiis, ut placeat ei, cui se probavit 2. Timoth. II.* quartò *ab omnibus officiis vilibus* & levitatibus retrahuntur, ne dissoluti effecti & viles reputati à laicis contemnantur, tam quantum ad se, quam etiam eorum ecclesiastica ministeria.

Hæc omnia patent ex his, quæ dicuntur & notantur *Extra. De vita & honestate cleri*, cap. XV. *clerici Libr. III.* Et tantum de isto, scilicet de privilegio.

De tertio, utpote *de obligatione*, patebit infrà in tertio membro principali.

De *quarto*, puta *de exemplo* patet, quia ex quo *clerici* præsertim *Prælati & curati* instituti sunt ad inducendum & erudiendum subditos, ut dignè vivant sive ambulent, ipsi ob hoc *benè vivere & dignè ambulare debent*, prout decet. In moralibus namque *plus monent facta quam dicta.* Propter quæ Jesus accepit *facere & docere.*

Sicut ergò *præcedunt ordinis dignitate*, ita *præcellant vitæ sanctitate*, ut plebs eis commissa eorumque disciplinis edocta gratanter eis obediat, & eorum mutatione de die in diem & de virtute in virtutem proficiat, à quibus divina sacramenta percipiunt & missarum solennia audiunt. Diligentissime ergo caveant habent omne, quod potest esse res mali exempli; Sicut decet fidelem Dei servum, qui debet Domini sui honorem promovere & inhonorationem evacuare & cavere, ubicunque poterit.

Et ita *bona fama* est sibi *necessaria*, ut exemplo *vitæ laudabilis* familia Dei, cui prælatus est, ad omne bonum atque disciplinæ statum possit instruere, Ea propter dictum est *Ecclesiast. XLI. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam thesauri magni & pretiosi.* Item *1. Thessal. II. Omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete* vos, ne scilicet aliquo scandalizetis, in malum ipsis & vobis, aut spiritualiter offendatis, juxta exhortationem Apostoli *Phil. I. Sitis*, inquit, *sinceri, & sine offensa in diem Christi, impleti fructu justitiæ ad laudem & gloriam Dei.* Inde ergò Apostolus hortatur, imò præcipit discipulis suis *1. Tim. IV. Exemplum*, inquit, *esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide & in castitate. Hæc meditare, in his esto, ut perfectus & manifestus sis omnibus. Hæc enim faciens, & te ipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt. 1. Tim. IV.* Exemplum, inquam, & glorioſum, ut *videntes tuam conversationem* exemplo tui proficiant in veritate sacræ doctrinæ, in conversatione honesta inter alios, ut neminem scandalizes, sed ædifices in fide, quæ est castitas mentis, & castitas corporis. Attende ergò tibi & doctrinæ, ut ante præmittitur. Primum quidem *qualiter vivas*, & deinde *qualiter doceas*, & insta in illis, quæ tibi & aliis valent.

De *quarto*, quod est *præmium sufficientissimum*, ad quod sunt evocati. Patet. Hoc enim supra modum inducit ad digné ambulandum. Sicut & præmium, sive pœna, quæ debetur indignè ambulantibus & ministrantibus in cœtu seu statu clericali. Præmium patet: Quia juxta apostolum *Roman. IV. Non sunt*, inquit, *condignæ passiones*, & sicut actiones, secundum Augustinum, *hujusmodi temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat.* Omnis ergò vita nostra in agendo & patiendo & si digna fuerit, indigna tamen sive non digna æstimatur ad futurum præmium sufficiens, imò & superabundans. Propter quod Apostolus ex Esaia hoc notabile & consolatorium trahens, dixit: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se, 1. Cor. II.*

Nec solum *hoc* præmium consequetur dignè ambulans, verum etiam *multiplex aliud*, spirituale, scilicet & temporale. Unde dicitur *1. Tim. V. qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur,*

beantur, maximè qui laborant in verbo & in doctrina. Et loquitur ibi etiam de *temporali*, quia sequitur: *Dignus est operarius mercede sua.* Item *bona spiritualia* sibi augentur, & præmium cumulatur, & ut in pluribus tempore longiori in statu dignitatis conservatur, & adeò usque ad finem felicem sive beatum dirigitur & perducitur. Quod etiam *evasio pœnarum* damnatorum, quam videbunt hi, qui dignè ambulaverunt, sit eis in titulum præmii, saltim actualis, patet ex illo *Psalm. XXXV. Expecta Dominum & custodi viam ejus, & exaltabit te, ut hæreditatem capias rectam. Cum perierint peccatores videbis.* Glossa: *Expecta Dominum, & si diu patieris, & custodi viam ejus, id est præcepta, de quo infra: Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meum latitudine charitatis, Psalm. CXVIII. Et quid inde mihi? Exaltabit te meritis. Quia non nisi exaltatus potest cœlestem habitare patriam. Unde subdit:* Ut hæreditatem: *Quasi diceret: Ita exaltabit, ut hæreditatem, id est finaliter capias in terra viventium. Etsi modo nescis, quod promitto, in experientia, postea disces: Unde sequitur:* Cum perierint peccatores videbis *in re, quod modo credis de præmiis bonorum, & pœnis malorum.* In hoc secundum *Cassium* notatur gaudium sive præmium bonorum. Quia tunc sentient, in quantis sint jucunditatibus, etiam quia videbunt pœnas impiorum. Unde gratior est beatitudo liberatorum ab hujusmodi malo. Vel secundum *B. Augustinum* in præsenti videbunt oculo fidei, quo qui caret, delectatur felicitate impiorum: Econtrario reprobi tristabuntur, & dolebunt justorum gloriam, & gaudia, quæ consequuntur ex ambulatione digna. Unde de utroque habetur. *Sapient. V. Tunc stabunt,* scilicet in finali judicio *justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt.*

Porrò è contrario fit cum *ambulantibus indignè.* Ut patuit suprà in Eli sacerdote, & ejus filiis, qui nedum quantum ad se sacerdotio & Dei ministerio sunt privati & abjecti, sed etiam quantum ad ejus totam domum in perpetuum: Et ut vereor damnati æternaliter, filii, quia indignè ambulaverunt, ut dictum est supra: *Pater* verò quia filios, quos novit indignè agere, non efficaciter corripuit, propter quod in eorum peccatis communicavit. Unde *Innocentius Papa: Error, cui non resistitur, approbatur, & veritas cum minime defensatur, opprimitur. Negligere quippe, cum posset perturbare perversos nihil aliud est quam fovere. Nec carent scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desunt obviare. Quia facientes & consentientes pari pœna puniendi sunt. Rom. I.*

Nec debet curare *Prælatus,* cujus interest, an turbentur mali, vel pejorentur. Quia hæc correctio superiorum non ordinatur principaliter ad emendationem, sed ad justitiæ conservationem & reipublicæ, & ad aliorum timorem, secundum illud Apostoli: *Peccantem coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant 1. Timoth. II.*

Nec solum ideò debet corripere, ne conniveat in peccato, sed etiam propter meritum suum & proximi lucrum. Unde *Proverb. XVIII. Qui corripit, omnem gratiam postea inveniet apud eum, quam ille, qui per blandimenta linguæ decipit.*

Quid autem mali contingat illi, qui corripientem non audit? ecce, adverte illud *Proverb. II. Vivo, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus, & cum sanitas non sequetur, quia non vult admittere & audire medicum.* De his duobus simul Apostolus *Rom. II.* ubi habetur, quod *Deus reddet unicuique secundum opera sua, his quidem, secundum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærentibus, vitam æternam: His autem, qui ex contentionis specie sunt, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum. Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum. Non est enim personarum acceptio apud Deum.*

Secundum principale, ut dixi, est *exercitatio virtualis seu moralis &c.* Quæ notatur in hoc verbo, quod dicitur: *Dignè ambuletis.* Nam virtuosè & moraliter benè vivere, vel sic se exercere est dignè ambulare, quia est se dignum facere ad consequendum terminum ambulationis, qui est unio ecclesiæ militantis in præsentiarum per gratiam, & triumphantis per gloriam, de quo infrà latius patebit.

Consistit autem *hæc digna ambulatio in quatuor,* ad similitudinem ambulationis rectæ corporalis, in qua minimus relinquitur *terminus à quo,* progressusque fit versus *terminum ad quem* cum labore. Quô, inquam, termino adepto, requiescitur, cum gaudio in eo. Sic & in proposito. *Spiritualiter digna ambulatio* consistit seu virtuosa & virtualis exercitatio *in malorum culpabilium prudenti abdicatione,* in *bonarum laudabilium ferventi operatione,* in *adversorum pœnalium patienti perpessione & adeptorum amabilium delectatione.*

Sic *Christus,* ut daret nobis *exemplum virtuosè vivendi* sive dignè ambulandi, ambulavit. In quo si manere & eum imitari voluerimus, & hoc probare, quid faciamus: *Debemus, sicut & ipse ambulavit, ambulare 1 Joh. II.* Sed quod secundum prædicta tria ambulaverit, testatur *B. Petrus,* qui de Christo loquens dicit: *Christo igitur passo in carne, & nos eadem cogitatione armamini, quia qui passus est in carne, desiit à peccatis, ut jam non hominum desideriis, sed voluntati Dei, quod reliquum est, in carne vivat, temporis. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam, his, qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, commensationibus, potationibus, in quibus non obstupescunt, in quo admirantur non concurrentibus nobis in eandem luxuriæ confusionem, blasphemantes, qui reddent rationem ei, qui paratus est judicare vivos & mortuos.* Hoc quantum ad declinationem mali.

Sed quantum *ad exercitationem boni laudabilis,* eam & ipse nobis in exemplo exhibuit, postquam allegando dictum Prophetæ David, inquit: *Qui enim vult diligere & videre dies bonos, coerceat linguam suam à malo, & labia ejus, ne loquantur dolum, declinet autem à malo & faciat bonum, inquirat pacem & sequatur eam.* Pacem, inquam, *ecclesiasticam unionem* inquirat, patienter & longanimiter adversa pœnalia sustinendo. Et nisi hæc *tria* ad dignè ambulandum servaverit, non videtur

detur quod quis *ad pacem & unionem* communi & regia via pervenire possit. Quæ sunt multum amabilia & per consequens delectabilia, quia bona adepta & desideria. Desiderium enim si impleatur, delectat animam. Unde psalmus: *Ecce, quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum, Psalm. CXXXII.* glossa: *Bonum, id est, utile, ideò delectabile.* Ea propter apostolus *Phil. IV.* postquam designavit peccatorum abdicationem, abnegationem prudentem addidit: *De cætero fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate; Quæ didicistis & accepistis, & vidistis in me, hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum,* quasi dicat: Etiamsi aliquod adversum pœnale occurreret, patienter & longanimiter sive perseveranter state &c. sicut autor, dator & amator ejus. Et notanter addidi: *Prudenti*, hoc est ex caritate, ita, quòd declinatio peccatorum sit Deo accepta, ex hoc, quod est meritoria, procedens ex charitate. Non fiat propter commodum temporale, aut in hypocrisi. Et ita de aliis suo modo scilicet ferventi operatione, & adversorum patienti perpessione.

Et possunt hæc per ordinem sic persuaderi. Et *primo*, quantum ad primum illorum trium: Quia non videtur esse dubium, *quando schisma* sive divisio *in ecclesia processerit ex peccato* & præsertim *clericorum.* Non ergò videtur, posse tolli, nisi sublata causa, prout videtur patere insimili. *Non* enim *curatur vulnus sive scissura corporis, nisi extractum sit telum aut alia causa vulneris. Nec curari potest homo infirmus, nisi purgato stomacho ab humore infestivo & noxio.*

Patet etiam in moralibus. Quia non potest homo fieri virtuosus, nisi prius recedat à vitiis. Propter quod apostolus exhortando dixit *Rom. XIII. Abjiciamus ergò primò opera tenebrarum*, scilicet peccata, & actus eorum, & *induamus arma lucis.* Post: *Et tunc sicut in die honestè ambulemus.* Ecce, advertè ordinem.

Item Christus hoc designare volens hominem paralyticum prius in anima, & postea in corpore curavit. Quia corporalis infirmitas processit ex spirituali. De quo *Johan. V.*

Item hoc videtur patere in simili de divisione & dispersione populi Israëlitici, qui *propter peccata*, quibus peccavit in Deum, & in Jerusalem matrem suam, & in ministerium suum, dispersus fuit & divisus. Patet hoc *Baruch. III.* ubi hoc expressè habetur, ubi & subditur sermo ad Israël: *Quid est Israël, quod in ira inimicorum es? Si in via*, inquit, *Dei ambulasses, utique in pace, super terram habitasses, Exacerbastis enim eum, qui fecit vos, Deum æternum. Obliti autem estis eum, qui nutrivit vos, & contristastis nutricem vestram, Baruch. IV.* Ubi subditur: *Nemo gaudeat super me viduam & desolatam.* Ita dicit Jerusalem: *A multis derelicta sum propter peccata filiorum meorum, quia declinaverunt à lege Dei; Justitias autem ejus nescierunt, neque ambulaverunt per viam mandatorum Dei, neque per semitas veritatis ejus.* Et sequitur post panca: *Ego autem quid possum adjuvare? Vos eripiet de manibus inimicorum vestrorum, ambulate filii, ego autem derelicta sum sola. Exui me stola pacis, indui me sacco obsecrationis, & clamabo ad Deum altissimum in diebus meis; Amici æquiores estote filiis, & clamate, ut eripiat vos de manu principum aliàs vestrorum inimicorum, ego enim speravi in æternum salutem vestram, & venit mihi in gaudium à sancto super misericordia, quæ veniet vobis ab æterno salvatore vestro. Emisit enim vos cum luctu & planctu, reducet autem vos mihi Deus cum gaudio & jucunditate in sempiternum, Baruch. VI. Propter peccata, quæ pascis ante Dominum, adducemini in Babylonem captivi plurimi, posthac autem educam vos inde cum pace.*

Sic & in proposito, applica ad ecclesiam & divisos per *antiquatum pestiferum schisma* ab ea.

Cæterum licet hoc modo Deus, consueverit facere gratiam & misericordiam reducendo, nihilominus tamen quandoque *miraculosè* ad suæ bonitatis, sapientiæ & potentiæ ostensionem, nominis sui glorificationem, consilii sui æterni executionem & malorum confutationem, vel ex similibus causis exhibet & *exhibuit multa beneficia ingratis* & malis. Unde *Ezechiel XXXVI. Non propter vos ego faciam, domus Israël, sed propter nomen, quod polluistis, cum sanctificatus fuero in vobis, tollam quippe vos de gentibus, & congregabo de universis terris, & ad terram vos vestram, & effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis cor novum & spiritum novum ponam in medio vestri & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo cor carneum, & spiritum meum ponam in vobis, & faciam ut in præceptis meis ambuletis & operemini & habitabitis in terra, quam dedi patribus vestris, & vocabo frumentum & multiplicabo illud, & non ponam in vobis famem, & multiplicabo fructum ligni, & gramen agri, ut non portetis ultrà opprobrium famis in gentibus, & recordabimini viarum vestrarum pessimarum, studiorumque non bonorum, & displicebunt vobis iniquitates vestræ & scelera vestra. Confundimini & erubescite super viis vestris dicit Deus Israël.*

Pro majori probatione adducitur illud *Deuteron. IX. Nec dicas in corde tuo: propter justitiam meam introduxit me Deus, ut terram hanc possiderem, sed ipse Dominus ut impleret verbum suum, quod sub juramento pollicitus est patribus tuis. Abraham, Isaac & Jacob. Scito igitur, quod non propter justitias tuas Dominus Deus tuus dedit tibi terram hanc optimam in possessionem, cum durissimæ cervicis sis populus.*

Sed advertite, quid illi fecerunt jam post captivitatem, in Judæa congregati ad hoc, quod se Deo perfectè reconciliarent, quem gravissimè peccatis suis offenderant, ne & alios adhuc ab eis divisos & dispersos divina voluntate suffragante convocarent, & sibi unirent, Esræ tempore, Et sicut scribæ, postquam legis librum à partè & distinctè coram omnibus pronunciaverunt & ad pœnitentiam exhortati fuerunt, quidam deturba compunctus, in medium surrexit & ita ajebat: *Nos prævaricati sumus in Deum nostrum, & duximus uxores alienigenas de populis terræ. Et nunc si est pœnitentia in Israël, percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro, & projiciamus universas*

sas uxores nostras, & eos qui de his nati sunt, juxta voluntatem Domini & eorum, qui timent præceptum Dei nostri, secundum legem fiat. Surge, tuum est decernere, nosque erimus tecum, confortare & fac. Surrexit ergò Esdras & adjuravit Principes sacerdotum & Levitarum & omnes in Israël, ut facerent secundum hoc, & juraverunt. Et surrexit Esdras panem non comedit & aquam non bibit, lugebat enim transgressionem eorum, qui de captivitate venerant; & missa est vox in Juda & Jerusalem omnibus filiis transgressionis ut congregentur in Jerusalem. Omnis qui non venerit in tribus diebus juxta consilium Principum, abigetur de cœtu transmigrationis. Quibus congregatis surrexit Esdras sacerdos & dixit ad eos: Vos transgressi estis & duxistis uxores alienigenas, ut adderetis super delictum Israël. Et nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, & facite placitum ejus, & separamini à populis & ab uxoribus alienigenis. Et respondebit universa multitudo, dixitque voce magna: juxta verbum tuum ad nos, sic fiat, quia populus multus est, & opus non est unius diei vel duorum, vehementer quippe peccavimus in sermone isto constituantur principes in universa multitudine, & omnes in civitatibus nostris, qui duxerunt uxores alienigenas veniant in temporibus, statutis, & cum his seniores per civitatem & civitatem, & judices ejus, donec avertatur ira Dei nostri à nobis super peccato hoc. Quemadmodum factum fuit, ut innuitur expresse *1. Esdræ X.* quia ibi exprimuntur rei, qui hoc fecerunt, & mulieres alienigenas cum natis de eis, à se expulerunt.

Ita & in proposito. Quia ut vehementer timetur & creditur, quod *multi sint in hac congregatione, jam in unum congregata, de duabus obedientiis* seu dominiis, qui sub duplici capite divisi & dispersi erant multo tempore, mulieres, uxores alienigenas tenentes contra præceptum Domini & ecclesiæ. Quæ, inquam, *mulieres* sunt præter dubium *omnia peccata mortalia*, quæ pater iniquus diabolus genuit de iniquitate, uxore sua, & *clericis in uxores tradidit* præcipuè *tres*, utpote *carnalem concupiscentiam*, inde nascuntur *gula & luxuria*, & alia peccata carnalia.

De hac *uxore* quidam dixit invitatus ad cœnam & vocatus: *Uxorem duxi, & ideò non possum venire.*

Alia uxor est *concupiscentia oculorum*, à qua descendit *avaritia*, & communiter *simonia*, pessima, & super modum nociva uxor, extranea, & aliena, rationem tanquam virum seducens, & indebita communione & commixtione stringens & conservans, imo & excœcans, quod vix sinat virum videre malitiam hujusmodi uxoris & nocumenta, quæ infert quamplurima, quæsivis, id est ratio, animadverteret, à se utique mox eam rejiceret, & de peccato pœniteret.

Tertia est hujusmodi *vitæ superbiæ*, quam primò pater mendacii diabolus adinvenit sive peperit, & eam *clericis* in uxorem tradidit, à qua procedunt *ambitio, vana gloria, jactantia, contentio* & *inobedientia*, & ita de aliis.

De hac uxore, sicut & de præcedenti intelligitur secundum sensum moralem istud *Prov. II. Si scientia vel sapientia intraverit cor tuum, & anima tuæ placuerit consilium, custodiet te, & prudentia servabit te, ut eruaris à muliere aliena & ab extranea, quæ mollit sermones*, quod glossa exponit de hæresi. Et ita potest etiam exponi de *simonia*, & de alio vitio mortali, nocivo animæ.

Vel per mulierem alienigenam & extraneam intelligitur quælibet *ecclesia, simoniace*, aut alio injusto titulo *possessa*, quam quilibet tenetur à se abjicere & pro peccato satisfacere secundum modum, ut est expressum in adducta similitudine.

Sed quid est, reverendissimi Patres ac cæteri Domini, quod de die in diem altissimè clamatur & vociferatur secundum præceptum Domini, dicentis per *Esa. LVIII. Clama*, inquit, *ne cesses, & quasi tuba exalta vocem tuam, annuncia populo meo scelera eorum, & domui Israel Jacob peccata eorum, me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas nolunt, quasi gens, quæ justitiam fecerit & judicium Dei sui non dereliquerit*, Quasi diceret: habet se quasi non peccaverit & ideò peccatum suum non cognoscendo ex mentis obstinatione pœnitentiam agere recusat, in malitia perseverando. Contra quos Dominus *Jerem. VIII. Hæc*, inquit, *dicit Dominus: numquid qui cadet, non resurgat, & qui aversus est, non revertetur? quare ergò aversus est populus iste aversione contentiosa, apprehenderunt mendacium & noluerunt reverti. Attendi & auscultavi, nemo, quod bonum est, loquitur. Nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo dicens: quid feci. Omnes reversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens in prælium.*

Unde autem eis sit ille contemtus & obstinatio, quid aliud judicari poterit nisi ex eorum *prava & inveterata consuetudine*, quæ est quasi altera natura quodammodo necessitans.

Item justo Dei judicio videtur hoc fieri, ut unum peccatum sit pœna alterius, juxta illud *Psalmi* LXVIII. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum*; ubi glossa: *Augustinus dicit, fieri, sicut justum est, permitti à Deo, ut non intrent in justitia tua, id est in via vitæ rectæ*, vel in justitiam tuam, ut habet alia litera. Et sequitur: *Deleantur de libro viventium*, id est de notitia Dei, secundum *Cassium*, approbativa, qua prædestinavit ad vitam, quos præscivit conformes fieri imagini filii sui. Non sic intelligendo, tanquam in hoc libro aliquem scribat Deus, quem postea deleat, sed ita accipiendum est *de libro vitæ delere*, secundum spem eorum, qui scriptos se putant. Et ideò sequitur: *Et cum justis non scribantur secundum æquitatem tuam.*

Item hoc contingit diabolica operatione, quam Deus justè permittit exerceri circa illos præsertim *clericos*, qui *contra Dominum* suum dignissimum & ejus ministerium sanctissimum *indignè agunt*, sive ambulant, *ecclesiastica bona ex avaritia male acquirunt*, aut *parcitate retinent*, aut ex aliqua alia injusta causa *penitus dilapidant, expendunt* & *dispensant* fortasse *suis spuriis & concubinis.*

Exemplum habetur de *Juda*, qui ingratus erga Dominum, qui ipsum ad Apostolatum vocavit & multa bona ei exhibuit, sed ipse malum pro bonis reddidit, & odium pro dilectione, ut innuitur *Psalm. CVIII.* ubi ad propositum sequitur: *Constitue super eum peccatorem*, id est diabolum super eum, qui Christo subesse noluit, & malum pro bono reddidit. Sed quem peccatorem? Subdit: *Et diabolus stet à dextris ejus.* Augustinus: *Hoc*

dextrum cuique est, quod aliis præponit. Et hic, id est Judas, opera diaboli præposuit operibus Dei, avaritiam suæ saluti. Et prædicit, non optat. Et sequuntur aliæ pœnæ condignæ. *Cum judicatur*, inquit, *exeat condemnatus, & oratio ejus fiat in peccatum.* Quasi diceret: quia noluit esse talis, cui dicatur: *Intra in gaudium Domini tui*, sit de quo dicatur: *projicite eum in tenebras exteriores, fiant dies ejus pauci, & episcopatum ejus accipiat alter. Fiant filii ejus orphani & uxor ejus vidua.*

Hæc non solum dicuntur de Juda, sed de toto genere inimicorum Christi ingratorum. Ut enim Petrus typum ecclesiæ *gerit*, ita *Judas personam inimicorum Christi portat*, quibus congruunt etiam ea quæ de Juda expressa sunt, secundum glossam Augustini, qui omnes, indignè ambulantes, recipient mercedem suam maximè pœnalem, juxta dictum Apostoli *Philipp. III. imitatores*, inquit, *mei estote fratres, & observate eos, qui ita ambulant, i. e. attendite diligenter eos, qui dignè ambulant.* Vos eis conformetis, sicut habetis formam vivendi vobis traditam, in exemplo, verbo & scripto. *Multi enim ambulant in via perversa, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens pro culpis eorum dico, semper esse inimicos crucis Christi, cui contrariantur* eorum carnalitate, *quorum finis interitus*, scilicet æternus, *quorum Deus venter est*, quia studeant ei sacrificare, id est satisfacere in omnibus, & *gloria* de tali carnalitate *in confusione eorum*, id est, erit eis confusibilis, qui terrena sapiunt tantummodo & non cœlestia.

De secundo, puta *de bonorum laudabilium faventi operatione*, quod illa requiratur ad dignè ambulandum, patet. Non sufficit malum declinare, quantum ad unam partem justitiæ, sed etiam bonum facere, ut notum est: Et nedum bonum facere, sed & benè. Prout elicitur ex illo *Deuter. XVI. Quod justum est juste persequeris, id est valdè sequeris.* Quia non solum *actus* virtutis præcipitur, sed & *modus.*

Hunc *modum* apostolus post verba thematis exponit dicens: *Cum omni humilitate & mansuetudine & cum patientia supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Omni, inquam, humilitate, i. e. interiori, quantum ad mentem, & exteriori quantum ad conversationem, in affatu, in actu & habitu. Et quoniam *humilitas* præsertim interior facit hominem resilire in propriam parvitatem & suorum defectuum considerationem, & aliorum respectu sui excessum & eminentiam, ita etiam, ut ex hoc non velit humilis sed vilis reputari, & non sufficiens aut dignus ad alta elevari, cujus contrarium facit superbus.

Unde Dominus & Salvator noster volens fundamentum pro spirituali ædificio in nobis ponere per similitudinem sive parabolam docuit. Item verbo: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, Matth. XI.* quæ humilitas fundamentum est omnium virtutum moralium ad hunc sensum, quia removet prohibens ipsam, videlicet *superbiam*, quæ est omnis peccati initium, *Eccles. X.* Et prohibet aliarum virtutum ingressum. *Deus namque superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et hoc *Luc 14.* per parabolam dictam ad invitatos, intendens, quomodo eligerent primos accubitus, dicens ad illos: *Cum invitatus fueris ad nuptias, ne discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit invitatus ab illo, & veniens is, qui te & illum invocavit, dicat tibi: Da huic locum, & tunc cum rubore incipias novissimum locum tenere. Sed cum vocatus fueris, vade recumbe in novissimo loco, ut cum venerit, qui te invitavit, dicat tibi: amice, ascende superius, tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.* In hac parabola intendebat Christus principaliter docere vocatos ad *nuptias ecclesiæ* per fidem ne *primarias sedes* seu *graduum dignitates* appetant & eligant aut petant pro se, per semetipsos, vel per alios, neque se ingerant, sed humiliter *expectent*, & minus dignos sive indignos reputent. Si enim dignus quis fuerit, Dominus vocabit eum & exaltabit. Si verò *indignus* fuerit vel *non idoneus*, erit sibi confusio major, quod se ingesserit. Inde etiam est, quod aliquando parvum fructum quis consequitur vel honorem. Quia non invitatus aut vocatus à Deo venit, & non missus currit, volens prius fructum ferre in aliis, antequam in se fixerit radicem virtutis, potissimè *humilitatis, patientiæ & charitatis.* Et ideò *fructus* ejus non est durabilis, quia *immaturus* prodiit. Nec etiam ad hunc fructum ferendum positus fuit. Non enim habuit hoc præceptum à Domino: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos & posui vos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat Joh. XV.*

In prædicta parabola plures *causæ* exprimuntur, *quare quis non debeat primatum appetere*, vel pro se petere. Quia hoc videtur esse *ambitiosum* & *temerarium* & multum periculosum. Unde *Augustinus: Quanto aliquis in loco superiori, tanto in periculo majori versatur, & ideò multum timendum est, ne peccet. Qui enim amat periculum peribit illo, Eccles. III.*

Prima causa est prohibitio Domini, quia dicit: *Non discumbas in primo.*

Secunda causa est comparatio sive consideratio dignioris, id est magis idonei & melioris, cui debet cedere minus dignus sive aptus. Alias non videtur esse fidelis Domino suo, qui eum invitavit, & ejus familiæ, cujus utilitatem & salutem communem propriæ debet anteferre. Hanc tangit, cum dicit: *Ne fortè honoratior te*, id est, qui dignior est, major honore & statu excellentiori, qualis est justitia & moribus.

Et ideò quilibet quantumcunque idoneitate polleat, habeat incitativum *fugiendi honoris primatum*, quod in congregatione esse potest aliquis eò honorantior. Non enim alicui debetur excellentia honoris & primatus, nisi attestatio sit in eo excellentiæ virtutis.

Tertia ratio, quia locus sublimis indigno non est stabilis. Quia inde citò ejicitur, quandoque in præsenti, etiam eo in vita corporali remanente, uti patet, vel per mortem, quæ quandoque acceleratur tali sic promoto, & etiamsi non cito, tamen procul dubio velit nolit per mortem deponitur; Uti patet in parabola de villico *Luc. XVI.* Dei enim ordinatione mors ipsius acceleratur, ut loco evacuato dignus substituatur. Hanc tangit, cum dicit: *Et veniens is &c.*

Quarta ratio est, quæ sumitur exsequenti confusione, quâ considerata, ut illa caveatur, prudens homo resilit in se ipsum, *restringens primatus appetitum*

petitum. Hanc tangit cum dicit: *Magna cum confusione.* Magna enim est confusio ruborem inducens, *dejectio propter propriam sublimationem.* Unde *Oseæ IV. Gloriam eorum in ignominiam commutabo.*

Quinta causa est magnitudo tormentorum. Primi enim in dignitatibus & potestatibus fient novissimi in tormentis, *Apocal. XVIII. Quantum glorificavit se, tantum date ei tormentum & luctum.* Item *Sapient. VI. Exiguo conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* Hæc ratio tangitur cum dicitur: *Novissimum locum tenere.* Supremus namque locus est cœlum, medius iste mundus in præsentiarum, novissimus sive infimus, est infernus, locus tormentorum.

Quare autem per contrarium *appetitus primatus* sit refrænandus,& novissimus locus appetendus & eligendus,in secunda parabolæ parte aliquot assignantur rationes. *Primò* ad ostendendum humilitatem, quæ tuta est: quia præceptum est: Et propter præceptum Domini ad evasionem periculi. Et per eam evaditur periculum Augustinus: *Humilitas in imo est, & ideò non habet quò cadat, sicut locus superior.* Quod utinam considerarent, & illud, quod dicit *B. Hieronymus: Lætamur ad ascensum, timeamus lapsum, non est enim tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti mœroris est de excelsis cecidisse.* Si quis *ad primum locum in ecclesia* eligitur, tolerabile est, licet periculosum. Sed si se ingerit, procurando se eligi, omninò damnabile est & pernicioſum. *Nemo enim debet procurare, quod alias eligatur,* nisi quem spiritus sanctus inspiravit. Alioquin spiritum sanctum injuriat.

Item propter pacem; *Perflant enim altissima venti.* Locus verò inferior non est ita ventis expositus. Unde *Esa. XXXII. Erit quasi vir, qui abscondit se à vento, & qui velat se à tempestate.*

Item, propter exaltationem sequentem, de qua sequitur: *Et dicat tibi: amice, ascende superius &c.*

In generali vero pro his omnibus concluditur in finem parabolæ: *Omnis, qui se exaltat &c.*

Ex præmissis concluditur, quod principaliter secundum arbitrium Dei, & ejus dispositionem, debet quis velle ad alta promoveri: Secundariò secundum arbitrium superiorum Prælatorum.

Primum patet ex illo *Ebr. V. Nemo assumat sibi hoc, sed qui vocatur tanquam Aaron.* De secundo dicitur in persona Prælatorum *1. Cor. IV. Sic nos existimet ut dispensatores mysteriorum Dei.*

Hic oriuntur *tria dubia, Primum* est, an aliquis licitè possit primatum appetere & pro se petere? *Secundum* est, an eligens aliquem, semper teneatur meliorem ad primatum deputare? *Tertium* est, an per superiorem electus & deputatus ad primatum possit contradicere. Discutere illa, videtur pro nunc minus dispendiosum,ideò dignum duxi istas quæstiones scholasticis relinquere. Hoc tamen adjecto: Quod satis arbitror *periculosum & saluti contrarium,* qualitercunque venerit in usum, *passim sic supplicationes formare pro se ad consequendum beneficium,cui animarum cura est annexa.* Hæc enim est vera humilitas: Judicare contemnendum tanquam temerarium sive præsumtuosum,ut supra tactum est.

Et quia vera humilitas, ut dixi facit hominem resilire in propriam parvitatem: ideo habet annexam *mansuetudinem,* quæ reprimit motus iræ. Ideò additur mansuetudo, quæ valdè necessaria est quærentibus digna ambulatione *terminum* optatum *unionis,* scilicet in præsenti & in futuro. De primo dicit *Seneca: generosus est animus humanus, qui plus vult induci, quam cogi.* De secundo patet *Psal. 36. Mansueti hæreditabunt terram* scilicet *viventium, & delectabuntur in multitudine pacis.*

Repressio autem iræ inducit ad patienter tolerare mala illata. Et nedum patienter, sed & longanimiter & perseveranter, ideo subditur: *Cum patientia supportantes invicem, mutuos defectus & labores in charitate Christi,* non intuitu temporalis commodi.

Hic reputo aliquod esse considerandum *de patientia & longanimitate,* quia hæc videntur esse necessaria in digna ambulatione ad *terminum* sanctæ *unionis* attingendum ecclesiæ militantis & triumphantis,ne contingat incurrere ea, quæ incurrerunt filii Israël egredientes de Ægypto, qui propter incommoda occurrentia obliti mirabilium,quæ Deus ostendit eis, voluerunt regredi in Ægyptum,adversus Mosen & Aaron murmurantes & lapidare eos volentes. Incommoda autem fuerunt timor adversantium, labor viarum, defectus ad eductionem pertinentium, ut manifestè patet *Exod. XIV. XV. XVI. & Num. XVII. & XX.* & in pluribus aliis, quorum memoriam facit psalmus in eorum redargutione *Psalm CV. & CVI.* Ubi exprimitur pro fundamento, quod in hoc nimis erraverunt, quia miracula Dei priora non consideraverunt,nec consilium Dei, quò decrevit pro tempore beneplaciti sui eis semper in omnibus necessariis providere. Hoc non sustinuerunt, sed quantum in eis fuit eum irritaverunt,in malum eorum. Et hoc ex causa irrationabili,ut ibidem deducitur satis latè.

Ne ergò mala,quæ illi incurrerunt, in nos veniant, sollicitè curare debemus, ut similia caveamus, sequendo exhortationem apostoli, hanc materiam tangentis *1. Cor. X.* Ait namque: *Hæc autem in figuram facta sunt nostri,ut non simus concupiscentes malorum, sicut illi concupiverunt, neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt una die viginti tria millia, neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, & à serpentibus perierunt, neque murmurantes, sicut quidam eorum murmuraverunt & perierunt ab exterminatore. Hæc autem omnia in figura contingebant illis. Scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt.*

Item hic considerandum est propter *præcipitantes,* & quasi *terminum Deo statuere volentes,* quod si non intra hoc factum fuerit, *recedemus,* aut *Papam eligemus.* Historia, quæ habetur Judith partim I. & partim c. VIII. ubi dicitur, quod Osias sacerdos populo Israëlitico fatigato, obsesso, & quasi desperato atque cum tumultu ad ipsum venienti ac dicenti: *Tradamus civitatem in manus Holofernis magistri militiæ regis, respondit: æquo animo estote, fratres, & hos quinque dies exspectemus:* ad minimum *forsitan indignationem suam abscin-*

abscindet, & dabit gloriam nomini suo. Si autem transactis quinque diebus non venerit adjutorium, faciemus hæc verba, quæ locuti estis, Judith I. in fine.

Sed audite, quam felix, fortis & sapiens mulier Judith respondendo intimavit, sensum Osiæ sacerdotis corrigendo, *Quid est*, inquit, *hoc verbum, in quo consensit Osias, ut traderet civitatem Assyriis, si intra quinque dies non venerit nobis adjutorium, & qui estis vos, qui tentastis Dominum, non est iste sermo, qui misericordiam provocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat, posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis, sed quia patiens est Dominus, in hoc ipso pœniteamus, & indulgentiam lacrymis postulemus. Non enim quasi homo, Deus comminabitur, neque sicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur. Et ideò humiliemus illi animas nostras, & in spiritu constituti humiliato, servientes illi dicamus, flentes, Domine, ut secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum misericordiam suam.* Judith. VIII.

Expectemus ergò humiles consolationem suam, non irritemus, quantum in nobis est consilium suum, sed potius sustineamus, donec implendo ipsum misereatur nostri.

Tertium, ut dixi, est *designatio* &c. Causa namque propter quam vocamur, à Deo est, ut dignè ambulemus ad consequendum sanctam veram & integræ *ecclesiæ unionem.* Hæc est enim voluntas Dei, quæ cuilibet præcepit de proximo suo, ut sapiens dicit Ecclesiastici.

Item ipse Christus Dominus *pro unione* facienda fidelium ad terras ascendit naturam nostram assumendo passibilem, & nobis conformem, tamen absque peccato secundum Apostolum *Hebr. II. & IV.* Et deinceps prædicando miracula faciendo, orando, & sacramentum communionis & unionis instituendo, & demum moriendo, ut filios, qui dispersi erant, in unum reduceret fidei, spei & charitatis, ut sit una domus conversationis, ut innuitur *Joh. II.* Hinc est quod & Apostolus, ubi thema, dicit quemlibet alloquendo: *Solliciti sæpe sitis*, id est studiosi cauti & attenti, secundum glossam, servare, ut sacrosanctam, *unitatem spiritus*, id est *unitatem ecclesiæ.* Quis facit? Spiritus Sanctus. Et per oppositum ejus *schisma* facit diabolus. Cura namque sibi est in Domino Deo conjuncta disjungere, juxta illud *Luc. XI.* & *Matth. XII. Qui non colligit mecum, dispergit.* Et hoc facit Spiritus sanctus, ut corpus spirituale Christi simus opere Spiritus sancti, qui esse debemus in vinculo pacis, pacem servantes, quæ rectè dicitur vinculum. Quia pax ista est incrementum spiritualis unitatis.

Item sicut ligamen corporale unit ligata ad invicem & intra se, sic *pax, tranquillitas*, servat unitatem credentium. Vel secundum glossam: *Unum corpus* &c. quasi diceret: debetis servare unitatem spiritus. Ita ut sitis unum corpus, subveniendo proximo, & unus spiritus cum Deo *1. Corinth. VI.* vel unus spiritus cum fratribus, cum quibus idem velle & nolle habere debetis & potestis. Quia unus spiritus habitat in nobis, quô unum corpus efficimur propter societatem, quam facit Spiritus, sed non sine Patre & Filio.

Ad ipsum ergo Spiritum sanctum pertinet *societas*, quâ efficimur *unum corpus*, unici filii Dei capitis nostri. Sicut enim unum corpus hominis ex multis constat membris, & vegetat omnia membra, una anima faciens in oculo, ut videat, & sic de cæteris, sic Spiritus sanctus multa corporis *Christi membra*, quod est *ecclesia*, continet & vegetat. Et sicut humani corporis membrum præcisum, formam quidem, quâ cognoscitur, retinet, sed nequaquam spiritus sequitur, quo præter unitatem vivat: Sic quicunque à prædictæ pacis unitate divisus est, sacramentum quidem tanquam formam retinet, sed spiritu præter unitatem non vivit. Frustrà ergò de forma foris gloriatur, nisi intus spiritu vegetetur. Et est quasi tota glossa *Augustini.*

Et ut amplius moveamur ad quærendam *unitatem*, ratio additur, cum subjungitur: *unus Dominus, cui servitis. Qui omnia regit & gubernat, est in omnibus credentibus, non tres*, pro quorum diversis voluntatibus nos oporteat discordare aut schisma facere & nutrire. Schisma namque provenit *ex pluralitate Dominorum contraria* volentium. Una *fides* omnium credentium quia licet sint articuli multi, innititur tamen uni veritati divinæ. Unus *baptismus*, Unus Deus & Pater omnium per creationem, qui *super omnes* creaturas per excellentiam & *super omnia* per generalem rerum gubernationem & *in omnibus*, scilicet fidelibus, in quibus est specialiter per gratiam, qui unitatem servamus, & erit in futuro per gloriam, quam nobis concedat in secula seculorum Amen.

SERMO VI.

Per fratrem Hinricum Kaltisen, ordinis prædicatorum, Sacr. Theol. Professorem, ac pravitatis Hæreticæ inquisitorem factus *in Concilio Basiliensi* Anno Domini 1434. in festo Simonis & Judæ.

Ex MSCto Wolfenb.

Ejus a) nomine, sine quo nihil poterimus facere, *Joh. III.* in rebus maximis, sed & in minimis, divinum auxilium convenit implorare, *Plato in Timæo.* Quo prætermisso nullum rite fundatur exordium, *Boëthius, de consolatione philos. libr. 3.* Per quem autem aptius id consequimur,

a) Sermonis hujus argumentum à cæteris non discrepat: sed *dispositio* est nova, & inexpectata: elaborata scilicet *in formam Epistolæ* è Jesu Christo Summo Ecclesiæ directore, *Concilio Basiliensi* missæ: qua Concilium vehementissime corripit, & sicuti sterili comparat. Porro *Romanæ curiæ* faciem turpissimam revelat, Clericorum vitia reprehendit, & infractiones antiquorum Canonum. Pauca si excipimus, lectu omninò dignus est sermo, quo uno miserabilis Ecclesiæ conditio abunde elucescit.

quimur, quam per beatam virginem? Ad quam, tanquam ad medium, sicut ad arcanum Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium seculorum, respiciunt cuncti, *Bernhardus in Ose. II.* Ei non deest *posse*, cum sit mater omnipotentiæ, nec *noscere*, cum sit mater sapientiæ, nec *velle*, cum sit mater misericordiæ, *Idem in Os.* Hanc, pro gratiæ impetratione, Reverendissimi ac Reverendi Patres, spe tantæ fiduciæ devote quæso imploremus, angelicum præcunctis ei gratissimum præsentantes oraculum eam salutemus, mente serena dicentes: *Ave Maria, gratia plena &c.*

Ex causa puto pervigili, Patres eucharissimi, Domini peculiarissimi, modo relicto rationi thematis, scilicet *prosopopœiando, personam alterius*, ut puta *Salvatoris nostri Jesu Christi*, ex nunc *induo:* Quia in medio tantorum magistrorum ex me loqui pertimesco: ut *verba Christi*, validiora omni gladio ancipiti, pertingentia usque ad divisionem animæ & spiritus, saltim *corda emolliant*, quæ humana huc usque prædicata nec commovere quidem poterant.

Idcirco quandam *epistolam*, imaginariè *per Salvatorem nostrum huic synodo transmissam* decrevi recitare, *duas* continentem *partes*. *Prima* salutem continet & narrationem. *Secunda* petitionem exprimit, & conclusionem, more solito epistolarum, sicque inchoat: EPISTOLA JESU CHRISTI, *transmissa* CONCILIO BASILIENSI, *imaginarie compilata, ut patrum emolliantur corda ad reformandam ecclesiam.* JESUS NAZARENUS, *Rex Judæorum, Alpha & ω.* Deus & homo, sanctus sanctorum, doctor doctorum, pater patrum, benedictus primus, vocatus pontifex futurorum bonorum, Imperator cœli & terræ, semper Augustus, princeps pacis, cujus regni non est finis, cui omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium & infernorum, universis & singulis, *sacrum Basilienſem synodum celebrantibus*, paranymphis meis carissimis.

Salutem & pacem meam do vobis. Gratia ergo vobis & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est.

Jam non in parabola loquar vobis sed omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis & facio, *de quibusdam conciliis generalissimis, variis modis & causis celebratis. In primo* omnium *conciliorum*, concilio novissimo, ab æterno in nunc æternitatis celebrato, non Chalcedonensi, sed cœlidonensi, non Parisiensi, sed paradisiensi, de *quo Psalm. 32. Concilium autem Domini in æternum manet*, dudum *decretum emanavit*, quod Divina naturalis bonitas, adeo sui ipsius communicativa existens, nequaquam eam sine germine esse sineret. Ideoque ad intra me germinando Filium & Spiritum Sanctum, quasi Deigenas Divinitatis, & germina & pullationes Divinæ naturæ, Pater cœlestis, quæ est fontana Deitas, produxerat, prout sanctus *Dionysius* asserit, in libr. *de Divinis nominibus cap. 2.* ὠν à se, ὠν ab altero, ὠν ab utroque. Omne enim ὄν in tribus, est æqualiter in singulis, *Isidorus, de summa philosophia cap. XXVIII.*

Ad extra quoque prorumpens in principio creavit cœlum, mox sanctis angelis repletum, secundum *Strabum super Genes.* Revera quia in angelis suis reperit pravitatem, *Jobi IV.* Draco excidit & partem tertiam stellarum secum traxit. *Apoc. XII.*

Quibus sic irremediabiliter damnatis, alterum *generalissimum* pater Divinus convocavit *concilium* super materia reparationis tantorum ruinæ angelorum. In quo concilio convenit multitudo patrum cœlestium, adeo quod millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei, *Dan. VI.* De quo concilio ait citharœdus: *Glorificatur Deus in concilio sanctorum*, i. e. angelorum, quibus prius secreta sua revelat, ut per eos ad alios deferantur, ait *Lyra Ps. VIII.* ibique decretato, quod *humanum genus* formaretur, de quibus suppositis ruina angelorum ita restitueretur. Ait *Magister, secundo sententiarum dist. prima:* Factus est homo ad similitudinem & imaginem meam, masculum & fœminam creavi eos, *Gen. II.* Qui præceptum meum pomum vetitum comedendo transgressi, morti per me sua cum posteritate, quam minatus eram eis, sunt addicti, de paradisi gaudiis exilio vallis miseriæ relegati, *Gen. III.*

Post annorum curricula plurima, videte opera Dei, quam terribilia in conciliis super filios hominum *Psalm LXII. convenit concilium*, de quo in *lib. confessionum.* Nec satiatur Aurelius dulcedine miraculi, consideratione altitudinum concilii divini super salute generis humani. In quo *concilio humanæ redemptionis*, proposita pia quadam cunctatione, *misericordia* & *veritas* obviaverunt sibi coram Patre cœlesti. *Misericordia* inquit: Numquid in æternum perimet Deus hominem, aut non apponet, ut complacentior sit adhuc? Numquid obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas? Econtra *veritas* exclamat: In æternum, Domine, veritas tua permanebit, quia dixisti, totus Adam morietur. Ingemiscit *misericordia* dicens: si non misereris Pater, ad quid sum ego misericordia vocata? peream ergo in æternum. *Veritas* replicat: si veritatem non servaveris, frustra ego vocor nomine veritatis. Huic astabant *angeli pacis* inter hæc amarè flentes. *Judex* partes quietare volens, ita sermocinavit, dicens; hæc dicit *veritas*: Perii nisi Adam moriatur. Et hæc *misericordia* dicit: Perii nisi misericordiam consequatur. Fiat mors bona, & habeat utraque quod petiit. Fidelis sermo. Et *uterque* contendentium, omni acceptatione dignus, *Quomodo* inquit, *fiet istud?* respondit *Judex:* Ex caritate morietur, qui morti nil tenetur, sicque morte mors moriatur. Tandem *justitia & pax* se osculatæ sunt in finem tantæ auctoritatis condescendentes. *Bernhardus in Dom. Adventus.*

At ego: Pœnitet me feciſſe hominem, vel pœna me tenet ad redimendum hominem. Non enim potest transire calix iste, nisi bibam illum. Hinc ad liberandum susceپturus hominem, non horrui virginis uterum, sed devicto mortis aculeo aperui credentibus regna cœlorum, juxta ecclesiæ canticum. Ascendensque super omnes cœlos, unico vicario ecclesiam durissima mea morte tam carè emptam commisi pascendam, dicens: *Pasce oves meas, Joh. ult.* Nonnullos Apostolos & discipulos in partem sollicitudinis assumendos deputaveram.

Quibus de medio sublatis, eorum *successores, multipliciter deviantes, impinguati, dilatati, recesserunt à Deo salutari suo.* Injuriam tantam vix ferens, in aere dudum ante ducentos annos visus

sum

sum, tribus lanceis extensis, delere velle mundum, propter trium peccatorum, *superbiæ, luxuriæ & avaritiæ excessum*: Nisi mater mea piissima, cui denegare nil potero, me oratione vicisset, ostendens duos athletas, *Dominicum & Franciscum*, qui à vitiis cum suis successoribus, prædicationibus validissimis converterent peccatorum cœtum. Ex legenda beati Dominici, fundatoris ordinis mei. Quorum nunc plantationes, semitis patrum relictis, *ut plurimum quæ sua sunt, quærunt.*

Idcirco undique in omni statu obscuratum est aurum, mutatus est color optimus; dispersi sunt lapides sanctuarii, in capite omnium platearum, *Thren. IV. 1.* Mosis juxta vaticinium: *vidi quam infirma sit manus fortium, sc. bona opera in clericis.* Clausi quoque defecerunt, scil. *religiosi in claustris*, residuique consumpti sunt, *periit honestas in Laicis.* Rursum crucifigentes in semetipsis me Filium Dei: Quem tunc crucifigunt, dum gratiam eis communicatam vilipendentes in peccatis jacent, *ad Hebr. VI.* in textu & glossa.

Hujus lapsus ad restaurationem jam *plurima generalia congregata concilia. Sed quia semper Spiritui Sancto restiterunt, optatum reformationis effectum frustrarunt.*

Unde ex abundantia, vos *patres, præsens Basiliense concilium celebrantes*, in unum ex omni natione quæ sub cœlo est, congregare decrevi. Et ob hoc non sine causa maxime *illud concilium contra Achilles robustissimos manu tenui*, dum etiam pauci effetis in numero brevi.

Avisamus, b) ne id de vobis verificetur, quod in fabula Æsopi fingitur: *Mons quidam parturiebat, dabatque mugitus terribiles; Et omnis natio quæ audivit, turbata est, & tandem, postquam multi confluxerunt, videre cupientes, quid magnus mons ille pariturus esset, mons peperit murem. Et indignati sunt contra montem, eo quod emiserat tantos clamores, propter tam vilem partum.* Synodus hæc sancta *mons* domus Domini est in vertice montium posita. Jam orbem clamoribus ut parturiens implevit: *Parturam se in omni statu reformationis gigantes.* Sed, ni præveniatur, *egredietur mus*, erodens mentium concordiam. Mus in pera, *lis* est *intestina.* Mus animal terrestre & pavidum, *ab imis* est *incipere reformationis negotium, cum potius à capite foret inchoandum.* Nam capite languente cætera membra dolent. Hic mus inter polluta reputabitur, *1. Reg. VI.* Sunt mures nati ex Divina plaga in Azoto, & facta est plaga mortalium magna, *1. Reg.* IX.

Hujus est indicium *statua*, prout Nabuchodonosori, ostenditur per somnium. Ejus *caput* erat *ex auro optimo*, eo quod *in hujus concilii initio adeo patres erant ferventes*, quod etiam ad nuditatem se reformationi exposuerunt. Hinc *pectus & brachium argenteum*, quia *temporis per successum fiebat reformatio sola per verba.* Paulisper descendendo, *venter statuæ erat ex ære*, quia *tepescentes novi nil volebant statuere*, sed vetera renovare, seu *abusus tollere.* Sed quædam *pars fictilis*, quædam *ferrea*, quia jam ad hoc deventum est, quod *quidam debiliter, quasi fictiles, pro reformatione instant*, alii *quasi ferrei obstinati publice recusant seu reclamant.*

Quia *ego* juxta Simeonis eulogium, positus sum insignum, cui contradicetur, *Luc.* II. Quid *sequor in figura statuæ?* certe *lapis*, qui sine manibus de monte præscissus est. *Ego* scil. Christus de virgine natus absque manibus virilis seminis: *Percussitque statuam, ut tota converteretur in favillam:* Quia *reddam vos abominabiles cunctis gentibus, si non reformationem utriusque status perficietis.* Dan. II.

Et clarius magis historia quam figura *arbor* nos docet *ficulnea*, de qua *Luc. XIII.* tam apertum prædixi ænigma. Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens in ea fructum, & non inveniens, dixit cultori vineæ: *Ecce anni tres sunt, ex quo quæro fructum in ficulnea hac & non invenio, succide illam, ut quid etiam terram occupat?* At ille respondens dixit: *Domine, dimitte illam & hoc anno, usque dum fodiam circa illam & mittam stercora. Et siquidem fecerit fructum, bene, sin autem in futurum præcides.* Hæc iste. Ab arbore fici discite parabolam, *Marci* XIII. Nam pene ad literam exponendo, *ficulnea* in vinea est *hæc synodus sancta*, in ecclesia Dei plantata. *Tres anni sunt quod incepit, sed nondum reformationis fructum protulit.* Clamat ad me justitia: succide illam, ut quid terram occupat? Suadet misericordia, quod *adhuc hoc anno duret*, quia ad rem gestam *prorogastis præsens concilium per annum sequentem.* Interim colonus vineæ, Spiritus Sanctus, ejus singularis rector, circa eam fodiet & stercora mittet, dum compunctionem cordis ingeret, & peccatorum cogitationem suggeret. Paracletus Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ipse vos docebit omnia, *Joh.* XVI. Alioquin *finito anno* descendam & succidam illam, & continget ei, quemadmodum ficui, de qua dicitur *Marci XIII. Ecce ficus, cui maledixisti, aruit à radicibus.* A radicibus, inquit, ut non solum ostendatur humano extrinsecus, sed Divino intrinsecus favore funditus destruenda. Nam & vitam perdidit in cœlis, & patriam in terris.

Et sic pars prima, estque *salutatio* & *narratio* &c.

Cum itaque ex narratis claret, tota languida clamat ad me sponsa mea electa: *Caput meum doleo, caput meum doleo, 2. Reg. IV. ventrem meum doleo, ventrem meum doleo, Jerem. XL.* Caput sanctum, *sacrum concilium* voco, quod *bis doleo*, eo quod *profectum reformationis in utroque statu, ecclesiastico & seculari non conspicio.* Ventrem doleo & redoleo, quia *spurcitias utriusque status ejicere cupio.*

Quibus lacessitus clamoribus, hanc petitionem porrigo: *Attendite vobis prius, & ex post universo gregi, in quo vos specialiter Spiritus Sanctus posuit episcopos regere ecclesiam, quam acquisivi sanguine meo Act. XX. Deponentes veterem hominem, secundum pristinam conversationem, qui corrumpit, secundum desideria erroris, & renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est ad Eph. IV.*

Quod ut aptius impleatis, *tria genera* attendatis. Reperitis enim in scripturis canonis: *Simonem & Judam*, scil. *Simoniacos, quos extirpabitis; Macca-*

b) i. e. consulimus. Gall. *abiser.*

Maccabæos, quos investigabitis; Apostolos, quos implorabitis.

Et primum genus, *Simonis & Judæ*, quos extirpabitis, sunt primi in Novo Testamento inventi *Simoniaci.* Quorum *Judas* me in propria persona vendens Judæis, ait: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam, Matth. XXVI. Simon Magus pecunia voluit emere Spiritum S. Act.* VIII. Nec peccatum isto gravius, cum sit idololatria & hæresis, punitum dutius: Quoniam *Simon subito mortuus, Judas suspensus crepuit medius.* Uterq; gehennæ filius.

Non minus usque adeo venenata hæc *pernities* inolevit *Simoniaca*, ut *vix reperiri valeat ecclesia, quæ hoc morbo non sit aliqua ex parte corrupta.* Ait propterea *Nicolaus*, *generali concilio Constantiensi præsidens*, ut *qualibet talis ecclesia* videatur *domus Simonis leprosi effectu.* In qua *Simon disponit omnia*, omnes habitantes recipit, nec recusat aliquem. Ex quo mala jam ecclesiæ evenire creduntur. Quia *in templo columbus vendere* præsumserunt, coram Deo judice *cathedræ ceciderunt*, 1.q.1. Quibusdam.

Primum ergo genus *Simonis & Judæ* extirpando, alterum *investigabitis* scil. *Maccabæorum*, confratrum, ubi *Simon*, vir consiliorum, *Judas*, princeps veræ reformationis, formam ostendunt & modum, *1. Maccab. IV.* dicendo: *Ascendamus nunc mundare sancta & renovare. Et congregatus est exercitus omnis & ascenderunt in montem Sion, videntes sanctificationem desertam & altare profanatum, portas exustas, & pastophoria diruta, & in atriis virgulta nata: Sciderunt vestimenta sua, & planxerunt planctu magno, & imposuerunt cinerem super caput suum, & ceciderunt in faciem suam, & exclamaverunt in cælum. Et elegit Judas sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei: & mundaverunt sancta;* l.c. ibi. Ideo maximum studium debent habere sancti doctores, ut, quibuscunque læsa fuit ecclesia, *ad pristinum statum sanctæ conversationis iterum reformetur*, ait glossa ibidem.

Sed quæres, ubi similia *hodie* in ecclesia, ubi primo *sancta deserta?* Respondeo, ubi *Romana curia*, caput omnium ecclesiarum, dignoscitur *deformata*, adeoque etiam *Roma* dudum *Babylonia*, *propter multiplicem idololatriæ culturam*, à principe Apostolorum est appellata, 1.Petr. ult. In qua *summus pontifex præsidens* plurimorum generalium conciliorum *statuta moralia exsufflat:* quasi excogitata non essent, quæ justitiæ hic ordo expostulat, ut papa antecessorum suorum statuta custodiat, qui sua à successoribus vult observari, 2. q. 1. justitiæ.

Nec dedignabitur Romana curia per concilium generale reformari, sicut non contemsit à generali concilio præeminentias sive principatus & honores recipere. Quæ licet primarie à Domino habeat principatum, secundario tamen à concilio generali, ut dicit *glossa super ea. Concilia. dist.* XVII.

Si quæres, ubi *altare profanatum?* Respondeo: certè *penè ubique*, sed specialissime *in Romana curia & urbe*, propter *pluralitatem commendaturarum & beneficiorum, & incorporationes ecclesiarum.* Ex quibus diminutio Divini cultus, desolatio ecclesiarum, defraudatio fundatorum, scandalum pusillorum, & *aperta avaritia*, quæ est idolorum fructus, claret *possidentium*. Ubi quæso illud Lateranensis concilii, quod nullus habeat plures ecclesias aut præbendas: Cum *unus prælatus* quinque vel quatuor, octo aut plures possideat, & *alius simplex, utinam mediocriter doctus*, quatuor, sex, vel decem beneficia deglutiat, quorum vix uno dignus existit. Cujus pericula dominus Parisiensis in speciali tractatu pertractat.

Si scire optatis, ubi *portæ exustæ* sint? ibi utique, ubi *prælati, clerici, confracti* sunt. Ubi id quæso hodie cernes Carthaginensis concilii: *Episcopus vilem supellectilem ac mensam ac victum pauperis habeat, suaque dignitatis auctoritatem fide & meritis vitæ quærat.* Et episcopi extra suam diœcesin non morentur. Ubi illud Chalcedonensis concilii? *Non liceat episcopo à sua ecclesia plus quam tribus mensibus abesse.*

Unde est illud, quod *cardinales & alii capitulares extra suum collegium papam vel episcopos* vix aut *nullatenus eligunt vel postulant? cum extra multò habiliores existant.* Num forte ex eo, quod in tantum apud me, scil. Christum, ecclesia vilipendium incidit, quod *per dignos regi indigna existit*, ut cuidam revelatum existit.

Ubi illud, quod *ecclesia cathedrales doctorem legentem habeant, cum ignari sint, nec addiscere velint.*

Unde, quod episcopus in armis corporalibus pugnat, ut principes, & *canonici in omnibus secularibus exercitiis extant secularibus seculariores?*

Ubi illud, quod clerici absque causa legitima non morentur extra locum suarum præbendarum? quod clerici concubinarii, venatores & aleatores, deponantur? quod clerici per adventum jejunent? quod à quinquagesima usque ad pascha à carnibus abstineant? quod clerici ad matutinum & vespertinum officia non venientes deponantur? nisi decano aut prælato suo satisfecerint? Et similia sanctorum statuta innumera.

Si petitis, ubi *pastophoria* sint *diruta?* Respondeo, quod *religionum insolentiâ.* Nam in pastophoriis erant thalami seu cubicula, in quibus cubabant Levitæ in templo. Hæc *religiosa cubicula* multiplici jactura sunt diruta. Adeo quod religionum antiquarum solæ superstint fabulæ, *sola verba lapidibus incisa*, Termegistus ad Asclepium, primo. *Religionis antiquæ non solum veritatem amisimus, sed nec speciem retinemus*, Bernhardus, in apologetico.

Sed nunc restat ostendere, quomodo *virgulta* in *atriis* sint *nata.* Certe *abusio multiplex in statu laicali* exorta. Nonne *omnia præcepta mea* passim cassant. Contra enim unius Dei cultum, *pyromantia, chiromantia, hydromantia, geomantia & necromantia*, permittuntur. Contra Nominis Dei reverentiam, *blasphemiæ, perjuria & execrationes quotidianæ* non corriguntur. Contra quietem sabbathi, in festis, *placita & mercimonia, choreæ & ebrietates* foventur. Contra honorem parentum, *filiorum contumaciam* non coërcetis. Contra *adulterium* pœnas per me indictas non infligitis. Contra *furtum, tyrannos, prædones, usurariosque* præsertim *lusores taxillorum*, etiam in nocte nativitatis meæ, non compescitis. Contra *falsos testes &*

mendates flagella opportuna non paratis.

Indubiè hoc notetis, quod error, cui non resistitur, approbatur, *23. di. sed error.*

Ideo ad hæc omnia opus est, ut per pœnitentiam peccatorum, & *emendationem morum*, ac pias preces ad Dominum, instantissimè purificentur.

Unde recte de exercitu Simonis & Judæ scriptum, quod, cum viderent sanctificationem desertam, *sciderunt vestimenta sua & planxerunt planctu magno.*

Hæc autem vestra lamenta, ut sint mihi gratiosiora, tertiam partem Simonis & Judæ, *meos sanctos Apostolos*, quorum hodie solennia colitis, ut dixi, implorabitis. Nam ipsi orabunt pro vobis, faciem eorum suscepi, quoniam hi sunt viri misericordiæ, quorum pietates non deficient. Hi sunt duæ olivæ & duo candelabra, lucentia ante dominum. Habent potestatem claudere cœlum & aperire portas ejus: Quia linguæ eorum claves cœli factæ sunt. Quorum intervenientibus meritis & precibus, vos mundi lux constituti, vos judices seculi, vos in quorum manibus consistit, ne pretium sanguinis mei pereat, sed ut multorum salventur animæ, pro quibus crudelissima obii morte in cruce: Vos, quos ex totius mundi prudentibus peculiariter congregavi. Si nunc viriliter egeritis, *deformata reformando*, assecuro vos, in verbo veritatis, quod, ubi ego sum, ibi & vos eritis mecum in regno Patris mei, & super mensam meam edetis & bibetis. Et ego transiens ministrabo vobis, & coronis aureis & desuper auro fulgebitis.

Scriptum, datum & actum in triclinio individuæ Trinitatis: Anno ex nunc æternitatis: Præsentibus totius cœlestis curiæ vernaculis, ad præfatorum robur specialiter testibus vocatis & deputatis! Vulnerum meorum cicatricibus, pro signeto secreto subscriptis. Sub sigillo infallibilis meæ prædestinationis.

Valete, & caute ambulate, ac vota mea implete, ut vivere possitis vita gratiæ, in re, & gloriæ in spe, quam tribuam vobis ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto. Quæ est æternitas benedicta, imperans in sæcula sæculorum. Amen.

De Corrupto Ecclesiæ statu
EXCERPTA SERMONIS VII. a)
Facti per M. Matthæum Roeder, S. paginæ Professorem, natione Gallum, in Concilio Constantiensi, in Ecclesiasticorum Simoniam, & Ambitionem, pro Reformatione serio prosequenda.

A. 1416. d. 30. Dec. Domin. I. post Fest. Nativ. Christi b) & coram Cæsare Sigismundo solenniter dicti.

Ex MSCto Erfurtensi.

Lectori S.

INchoato *Magno* inter Christianos *Constantiensi Concilio* A. 1414. die 1. Nov. mox à Cardinalibus aliisque præcipuis orbis Christiani & literati capitibus, *duobus primis mensibus*, absente adhuc Cæsare Sigismundo, frequentibus congressibus *de rebus in Concilio peragendis* actum atque consultatum erat. Inter alia, pro Ecclesiæ salute, de *universali Ecclesiastici statu reformatione, de dissidente* inter se, sub trium Pontificum regimine, *Christiano orbe reduniendo, deque litibus religiosorum* quoad doctrinæ Christianæ momenta *componendis*, omni studio agi oportere definitum. Quod *negotium* non verbis solùm, consiliis, monitisque, in magnatum eruditorumque virorum consessibus, illâ tempestate Constantiæ in Concilii exordio *tractari cæptum*, sed & editis statim ea de re scriptis, *à Cardinale Zabarella*, & *Papali Secretario Theoderico de Niem*, magnâ sollicitudine, nec sine vehementiori animi motu, *in publicam Concilii & orbis lucem protractum* erat. Quæ præclara monumenta *Tomo I.* pridem à nobis sunt recensita. Quandoquidem verò *potissima hæres* Pontifici, Johanni XXIII. Constantiæ agenti, exosæ & perquam molestæ, ad laudatas primas consultationes non admissus fuerat. Neque tamen Concilii molimina ignoraverat, qui ex Collegiorum & Colloquiorum partibus membrisque potioribus, viris sibi addictis, omnia privatim didicerat Concilii consilia, publica quoque hanc in rem à Curialibus suis, Zabarella & Niemio, edita scripta legerat. Præstolabantur igitur Principes & Magnates *adventum Cæsaris Sigismundi*, qui superiori mense Octobri Aquisgrani imperiali corona erat condecoratus. Qui cum Feriis Christi Natalitiis, *die 25. Dec.* A. 1414. Constantiam appuliſſet, *Cardinalis Petrus de Alliaco* absque mora, *die 28. Dec.* in publica panegyri *Cæsarem sui admonuit officii*, qui quassatæ consuleret Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum inprimis mores à capite ad calcem emendaret. Imperator, cum publicis his monitis animum sibi addi intellexisset, *rem* postridie, *die 29. Dec.* in publica congregatione *aggressus*, suam Ecclesiæ jactatæ operam lætus lubensque obtulit, *Reformationem* inprimis *Ecclesiastici ordinis* sedulo-

a) Quos præmisimus *Sermones Sex* integros exhibuimus: ex sequentibus verò tantum ea damus *excerpta*, quæ *Ecclesiæ statum, Reformationisque necessitatem* produnt, omissis illis, quæ tantum textus expositionem spectant, vel nihil in se memorandi continent, quorum lectione lectorem nec frustra fatigandum censuimus, nec operis pretium augendum.

b) Textum habuit Tit. I. *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit.*

sedulo se promoturum pollicitus. Quod igitur animadverterent publicæ Christianæ rei Antistites, tantæ molis hanc rem esse, ut, nisi & Cæsari, in rem magnam & difficilem propensissimo, continuo adessent, qui in laudabili cœpto Eum confirmarent, qui consiliis adjuvarent, qui urgerent, cum per insidias Eum facile abstrahi, & in aliam sententiam subdole pertrahi periculum esset, universus orbis literatus *ad opem Cæsari ferendam* ex templo se accinxit.

Quæ causa est, quare, quod pridie, *die Sabbathi* 29. Dec. se facturum in publico cœtu *spospondérat Cæsar*, ejus perficiendi sequenti statim *die Dominico* 30. Dec. publico Sermone *Eum commonefecit Theologus Gallus, Matthæus Kæder.* Quod & Gallorum nomine tanto præstitit sollicitius, quanto impensius Galli Ecclesiæ reformationem exposcerent & expectarent.

§. I.

Reformatio Ecclesiæ necessaria; de SCHISMATE nonnulla.

Juxta subjectam materiam ac *rerum* qualitatem *in hoc sacro concilio gerendarum*, præcipuè *de militantis ecclesiæ necessaria reformatione*, & de pertinentibus ad eandem, in quibus *hujus* sacratissimæ *synodi tota versatur intentio*, sermo nobis aptandus est. Quem duplici consideratione perstringam. „Prima suadebit universa„lis ecclesiæ generalem ac necessariam reformatio„nem. Secunda perorabit ipsius ecclesiæ capitis „ac membrorum mutuam invicem spectabilem & „ordinatam compaginationem. Ut absque mon„struosa deformitate suorum ecclesia gaudeat in„tegritate membrorum, ne fiat acephala, vel quo„modo libet imperfecta. Restat ergò primam aggredi considerationem; „in qua *de* pertinentibus „ad corporis ecclesiæ mystici generalem reformati„onem, puta de schismatis hujus tam execrabilis „exterminatione, hæresium & *errorum exstirpatione*, ac *virtutum superinductione*, promiscua deductione loquendum est. Cœlestis igitur altitudo concilii, cunctorum ineffabili certitudine præscia futurorum, cujus incomprehensibilia sunt judicia & investigabiles viæ ejus, sicut ait apostolus, occultæ suæ Deitatis arcano, culpis hominum exigentibus, *ecclesiam* Christi sponsam, *sub jugo* tàm horrendæ tamque miserandæ *servitutis* hujus schismaticæ divisionis oppressam, *ter denos & octo ferè per annos* ita languere, languidamque torqueri, tortam flagellari, flagellatamque denique lacerari permisit: patienter expectans, ut tàm vehementis *doloris acerbitas*, & tam gravis ac *diuturna vexatio* passionis, eidem *ecclesiæ* penitus ægrotanti *tribuat intellectum:* Quò tam *crebris* agitata *molestiis* ipsa *pæniteat* & resurgat, quo redeat & resiliat, quò denique recollectis viribus *resipiscat*, intelligens ac inquirens Deum: Ut cœlestem festinet ad medicum, & pudendi languoris præstet indicium *spe salutis*, quò rursum *recuperandæ sanitatis* beneficium assequatur, & mera gratia optatæ convalescentiæ sospitatem. In arduis enim languoribus dat crebrò consilium vis doloris: Et *in desperatis rebus est plerumque magistra necessitas.* Ut urgente vehementia passionis inveniat ipsa sibi passio medicinam, ut ait *Chrysostomus.* Quò postremo ecclesiam sponsam paterna castigatione flagellarum sponsus ipse sibi conciliet, & *à jugo tam crudelis ac tyrannicæ captivitatis* emancipet, ac piâ miseratione restituat, *reformet*, ad pristinum dignitatis honorem & ampliorem suæ gratiæ libertatem. Cum itaque *militantis ecclesiæ reformatio* nil aliud esse putandum sit, quàm *ipsius*, jam diu *morbida vitiorum labefactione deformis pariter & dissormis, in pristinam virtutum formam reductio:* Quàm decens & *opportuna*, quàm *expediens* & *necessaria* sit ipsius *militantis ecclesiæ reformatio*, palàm satis est mundo, palam clero, palam denique toti populo Christiano. Clamat hoc cœlum, clamant elementa, clamat quotidie percuntium animarum ad sidera sanguis effusus. Cum quibus etiam lapides ipsi clamare coguntur. Quemadmodum ergo, ut agriculturæ peritia tradit, juxta Georgica Virgiliana, colonus ipse, dumescentes agros ac purganda novalia curans, spinis ac vepribus evellendis insistit, priusquam frugifera semina terræ mandet: Ita profecto, parilitatis conformi exemplo, nunc in agro militantis ecclesiæ prius *extirpanda sunt vitia*, quàm inserendæ virtutes, juxta sententiam Philosophi, ne præposteró ordine, sub *tribulis ac sentibus vitiorum* suffocanda, virtutum semina jaciantur. Sane, reverendissimi Patres ac Domini præstantissimi, diebus nostris, *in ecclesia* Dei, *proscripto* primordialium *virtutum exercitu*, proh dolor! *omnium* penè *vitiorum turba successit.* Dum in omni statu, gradu & ordine, virorum ecclesiasticorum, *ecclesiastica periit disciplina.* Dum ecclesiasticus quisque, suæ vocationis metas impunè transgrediens, *ad altiora prorsus sibi indebita*, laxatis intemperantiæ frenis, *erigitur* importunè, & *ad sublimia dignitatum culmina*, quæ sibi non congruunt, arbitrio propriæ temeritatis aspirare contendit. Hinc proh dolor effrenata *cupiditas & ambitiosa dominandi libido* portentuosum hoc pertinax ac ferale *monstrum* schismaticæ divisionis in templum militantis ecclesiæ damnabiliter *introduxit.* Proinde *cessat virtus*, turbatur ecclesia, populus errat, dæmon regnat, *Simon dominatur*, quod metricè sic habetur:

Virtus, ecclesia, populus, dæmon, simonia,
Cessat, turbatur, errat, regnat, dominatur.

Jam proh dolor! in calumniis & ærumnis assiduis plurima laborum ac dolorum amaritudine respersa est ecclesia, variisque dissidiorum ac bellorum machinamentis impulsa colliditur, & collapsa crebris molestiarum insultibus ac jacturæ dispendiis agitatur; Turbatur acerbius, ac vehementius anxiatur, dum filiorum suorum, quos lactis sui poculo suaviter enutrivit & educavit alumnos, debitæ sibi fidelitatis experitur apocopam. Quod gemebunda lamentatione deplorans ait: *Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me, Es. I. Non est* enim, *qui eam sustentet ex omnibus filiis, quos genuit. Et non est, qui apprehendat manum ejus, ex omnibus filiis, quos enutrivit, Esa. LI.*

§. II.

Status Ecclesiæ pristinus cum præsenti confertur. Ille exoptatissimus, hic horrendus, & abominandus propter Simoniacos, & monstra vitiorum.

Rursum exclamans ait: *Quis mihi tribuat,*

ut ſim juxta menſes priſtinos, ſecundum dies, quibus cuſtodiebat me Deus, quando omnipotens erat mecum, ſicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ! Deplorat eccleſiæ Chriſti ſponſa, jam proveniens ad annos decrepitæ ſenectutis. Quæ dudum tempore primitivo ſuæ florentiſſimæ juventutis, & elegantiſſimæ venuſtatis, à Deo parata, velut ſponſa ornata viro ſuo, fœcundiſſimæ generationi ſpiritualium filiorum per fidem, cujusmodi fuerunt apoſtoli, martyres, & alii ſancti Doctores & Patres, jugiter intendebat. Quorum tùm pia tàmque felici ſanctitudine regebatur, quod in ea *nemo, niſi qui melior* & ſanctior, *potuit eſſe major*, dum fiebant *lignei calices* & *aurei ſacerdotes*. Sed res iſta, proh dolor! in contrarium verſa eſt. Nam cum olim mater eccleſia absque doloris anxietate, ſed cum delectatione peperiſſet egregios & ſpectabiles filios adoptivos, nunc verò quaſi ſterilis effecta, vipereos concipit filios, quos non ſine graviſſimo dolore utique ruptura parturit abortivos. Et *hæc generatio perverſa eſt, & infideles filii*, *Deut. XXXII. Venerunt enim filii ad partum, & virtus non erat parturiendi*, *Eſ.* XXXVII. Et ſicut, quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis *Eſ.* XXVI. Sic mulier iſta, dum parit hodiè, triſtitiam habet, quemadmodum enim virgo beata cœlitus impregnata concipiens in Spiritu Sancto dolorem in parturiendo non pertulit, ſed enixa cum ingentis gaudii delectatione filium peperit, aluit & nutrivit: Sic olim ſuo modo mater eccleſia, Chriſti ſponſa, Spiritus Sancti gratia fœcundata, ſpiritualium delectabatur in partu filiorum. Sed *moderno tempore formidandum eſt*, ne *ſancti Spiritus obumbratio procul ab eccleſiæ fœcunditate diſceſſerit*, dum *ejus nutu* vel *inſpiratione vix in eccleſia Prælatus quiſpiam aſſumitur*, vocatus à Deo tanquam Aaron. Sed *aliunde*, quodam carnalitatis affectu, concipiens, *prece, pretio* vel *obſequio*, non quidem legitimam prolem, ſed *adulterinos filios* abominabiles & monſtruoſos, *Simoniacos*, & *omni venalitate corruptos*, hodiè parit eccleſia, quærentes ab homine ducatum & à Rege cathedram honoris. *Tales* enim *filios in utero habens eccleſia, cruciatur, ut pariat*, *Apocal.* XII. Dum præſertim invicem in ejus utero colliduntur, *Geneſ. XXV.* Colliduntur enim in utero matris eccleſiæ ſchiſmatici, contendentes, ac *Simoniacæ pravitatis* actores, qui more viperino viſcera matris in partu lacerant & diſcerpunt. Laceratam quippe videmus eccleſiam, matrem noſtram, proh dolor, his diebus, quibus humiliati ſumus, & annis, quibus vidimus mala, dum *penè totius ordinis eccleſiaſtici hierarchia*, prorſus *à ſua primæva generoſitate degenerans*, omiſſa cœleſtium contemplatione virtutum, ad intelligendum Divinæ ſublimitatis arcana, jam *caduca temporalium commoda pro cœleſtibus amplexatur.* Jam incurvatum eſt nimis eccleſiæ dorſum ad temporalitates, & appodiatur a) innixa baculo arundineo potentiæ laicalis, labens terram ſurſum & cœlum deorſum. Dum poſtpoſitis cœleſtibus, *inſatiabili terrenorum aviditate* cuncta ſibi congerit in mercimonium & in *quæſtum*. Sic enim bobus aratrum antefertur, dum ſpiritualibus temporalia præponuntur. Hodie *vitiorum monſtra* venerantur homines in terris, & per immoderatos *ambitionis & avaritiæ quæſtus*, propriæ ſenſualitatis imperio ducti, *voluptates* in rectis virtutibus inſequuntur. Qui *vacantes otiis* quadam beſtiali ſenſualitate & ſenſuali beſtialitate *bruteſcunt*, ſimiles facti jumentis inſipientibus: Dum illicitè licitis abutentes, nihil ad licitum, ſed ad libitum omnia facientes, cuncta ſibi licere, ſuæque voluntatis arbitrariæ deteſtandæ temeritate præſumere non verentur. Nihilominus tamen ut plurimum *tales* ſublimantur honoribus, jucundantur divitiis, affluunt deliciis, ac poſtremo totius congratulationis humanæ gloriâ proſperantur. Et quibus *nec literarum ſcientia nec morum honeſtas aut virtutum merita* ſuffragantur, per *Simoniacæ pravitatis abuſum* ad illicitas dignitatum ac Prælaturarum promotiones aſpirant. Quilibet *præeſſe* magis quàm *prodeſſe* gloriatur. Qui utinam tàm vigiles eſſent ad curam, quàm alacres currunt ad cathedram, ait *Bernhardus*. O ergo radix omnium malorum *cupiditas*, quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. *1. Timoth. VI.* Hunc enim appetentes *eccleſiaſtici*, pluries erraverunt à fide per *Simoniam*, & inſeruerunt ſe doloribus multis per *ambitionem*, quæ tanquam virulenta peſtis & veluti cancer ubique ſerpit, & totum ferè corpus eccleſiæ toxicavit.

a) incumbit. Appodiare, *appuier.*

§. III.

Adhortatur Synodum, ad tollendum Schiſma, & eliminandam Simoniam.

Cur itaque plaga recens dolore non careat, mirari non ſufficiunt homines ſapientes. Qui ſi mirantur, non miror; miror, ſi non mirantur, qualiter hanc plagam mortiferam horrendi ſchiſmatis, totum corpus eccleſiæ lethali vulnere ſauciantem, pia Chriſtianorum religio tot annorum luſtris, neglecta quadam & improba diſſimulatione, durare & indurare permiſerit, niſi quod, ait *Bernhardus in quodam ſermone*, videtur in te, Bone Jeſu, Chriſtianorum univerſitas conjuraſſe. *Et illi in perſecutione tua primi ſunt, qui in eccleſia tua videntur gerere principatum.* Proceſſu namque temporum obduruit iſta plaga, cujus obducta calloſa durities cauteriantem candentis ferri laminam exigit miſerandam, quo ſimul exeat ſanies cum dolore. Veſtrum eſt itaque, reverendiſſimi Patres, hanc turgidam atque peſtiferam ſanare plagam, & quæ prius levioribus curari non potuit, acerbiorem opus eſt adhibere medelam, & adverſus futura ſchiſmata, ne contingant, circumſpectionis & induſtriæ ſagacitate debitam providere cautelam, & aliquo modo ne patiantur talem ſecula cladem. Exſurgat igitur *hujus ſacri concilii ſynodalis autoritas* adverſus hoc ſchiſma nefarium, adverſus hæreſes & errores, & præſertim adverſus *impudentiam* hanc *peſtiferam*, dico *ſimoniacæ pravitatis abuſum*, quatenus à templo militantis eccleſiæ tam execrabilem *num mulierorum jordidam & obſcænam prorſus* ſtudeat eliminare *ſpurcitiam.*

§. IV.

Encomium patrum concilii, & Sigismundi Imperatoris.

O felices vos reverendiſſimi Patres & Domini, ſi diebus veſtris aurea ſecula reviviſcant, ut per veſtras operas efficaces, auxiliante Domino, meruerit is in eccleſia

clesia Dei pacem super Israel. Tunc planè beati oculi, qui videbunt ea, quæ videbitis. Multi namque reges & sacerdotes voluerunt videre & non viderunt, notatur *Luc.* X. Vos itaque reverendissimi Patres, qui estis lux mundi, stellarum decor, ac præfulgida luminaria firmamenti super hemisphærium horizontis. Vos jubar cœli, vos cardines verbi & orbis, super quos Deus posuit orbem. Vos, & alii sacri Pontifices, Ecclesiarum principes, sæculi judices, Apostolorum hæredes & legitimi successores, militantis ecclesiæ milites glorioſi, jam adversus hostes ipsius ecclesiæ præpotentes, supernæ virtutis opitulativæ claros adepti triumphos, *ejulanti succurrize matri, non tam viribus quàm virtutibus*, insistentes adversus hæreses & errores & universalis ecclesiæ turbatores. Vobis enim hujus militiæ primus debetur aggressus; propterea confestim spiritualia convoletis ad arma, necesse est. Quia fortius bellorum duces quàm milites impetrantur. *Totum enim pondus prælii versum est in Saul.* 1. *Reg. ultimo.* Devicto namque belli duce, facile triumphatur exercitus. Denique vobis secura spei longanimitate certandum est. Nihil enim bello majorem præstare solet audaciam, quàm *peperare victoriam & salutem.* Ut discatis hoc spiritualem bello pacem quærere glorioſam. Habetis enim Dei gratia ducem & campiductorem, scilicet *Serenissimum Principem, Dominum* SIGISMUNDUM, ROMANORUM &c. REGEM SEMPER AUGUSTUM, invictissimum ecclesiæ pugilem, athletam fortissimum, & strenuissimum defensorem, *sine cujus Regali providentia velut impossibile foret ecclesiæ pacem dare*, cujus laus in fines terræ à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum, cujus præconia famæ totum prædicanda per orbem,

Gloria cujus erit nullum moritura per ævum.
Sed magis æternum extendet per sæcula nomen.

EXCERPTA SERMONIS VIII.

Dicti à THEODORICO DE MONASTERIO, a) Profess. Theol. in Academia Colonienſi, de neceſſaria Morum in Eccleſiaſticis Reformatione in Laudem CÆSARIS SIGISMUNDI, LUDOVICI, COMITIS PALATINI AD RHENUM, DUCIS BAVARIÆ, ELECTORIS, CAROLI DE MALATESTIS, legati Papæ Gregorii XII.

IN CONCILIO CONSTANTIENSI, Sessione XIV.

Anno 1415. die Jovis 4. Jul. b)

Ex MSCt. Erfurtensi.

§. I.

Tria tenebrarum genera, Schisma, errores morum corruptio à Concilio fuganda.

QVarta consideratio: *Hoc sacrum concilium, magno conatu tenebras fugat & expellit & lucem revocat.* Ergò qui ipsum sequitur, non ambulat in tenebris. Unde aspicio *tria genera tenebrarum* totam terram operientium, *quæ hoc sacrum concilium curavit*, curat, & curabit *expellere:* Quæ sunt, *schisma* inveteratum, multiplicatio *errorum*, & *intolerabilis corruptio morum.* Quod hæc *tria* sint *genera tenebrarum*, ex hoc liquet. Quia sunt *lucis privatio* & luminis exclusio. Quod autem hoc inveteratum *schisma* sit *lucis privatio*, ex hoc patet, quod Christus dicebat discipulis suis & eorum successoribus: *Vos estis lux mundi*, quod habetur *Matth. V.* & adjunxit, dicens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* Volens, quod ipsi debeant esse sicut lux quædam exemplaris, grata, & jucunda oculis inspicientium, quatenus alliciant inspicientes ad sui sequelam & imitationem. Quæ *lux exemplaris* in successoribus discipulorum Christi, *in omnibus Prælatis*, summis, mediis, infimis, in Doctoribus & ductoribus gregis dominici, *valde* est *eclipsata* propter hoc diuturnum schisma. Videns enim fidelis populus *inter Prælatos* ecclesiæ & sapientes & sacerdotes esse *contentionem* tam diuturnam, tam *pertinacem*, cum indiciis *avaritiæ* & *superbiæ*, non poterat in ipsis tanquam in luce delectari, sed magis oportuit ipsum velut in tenebris angustari, nesciens, per quam obedientiam ire posset ad beatitudinis terminum, una partium dicente: Hic est Christus, alia verò dicente: Non ibi, sed hic: Qualibet partium quamlibet diffamante, & quasi in statu damnationis collocante. Flebilis & semper deflenda docet experientia, quantum *per ista viluit autoritas apostolica sedis*: Et secundum inferiora, quantum *decrevit* harum *sedium libertas*, honor & timor filialis: Quinimo sacramenta & alia charismatum dona reputata sunt minus pretiosa.

§. II.

Laus IMPERATORIS, & ad reformandum serio statum adhortatio.

Et sic ostensum est, quod *tria* supra dicta, scilicet *schisma* pestiferum, *multiplicatio errorum*, & *corruptio morum*, sunt quædam genera tenebrarum. Sed quod *hoc sacrum concilium hæc tria* genera tenebrarum, divino suffultum auxilio, curet, intendat, & proponat fugare, expellere & illuminare, patet per ista, quæ *hoc sacrum concilium* ad hunc usque diem fecit, facit & facere proponit, divina gratia principaliter operante, & *christianissimo & invictissimo REGE*, *modo sic præsente*, cooperante. Qui velut *sanctissimum spiritus*

a) Hujus Viri est etiam Sermo XIII.

b) Textus erat Joh. VIII. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.*

ritus ſancti organum, & pretioſiſſimum corporis myſtici membrum, cooperatus eſt huic ſacro Concilio in omni bono fideliſſimè, infatigabiliter, & cum incredibili humilitate, & divina favente clementia cooperatur usque in finem. Et eſt *hujus ſacri concilii* nec non invictiſſimi *REGIS, intentio, non deſiſtere* abinceps, *donec eccleſia ſit & à dictis erroribus purgata, & à corruptis moribus depurata*, quantum poſſibile fuerit. Quia non tota Zizania eradicari poteſt, niſi ſimul eradicetur & triticum juxta parabolam de Zizania, *Matth. XIII.* Et reverendiſſimi Patres, ſi veſtræ circumſpectiones plenæ oculis antè & retrò velint *ſchiſma tollere, errores excludere*, & ne videantur viam præcludere, *neceſſe* erit, *quod mores eccleſiæ valde collapſi & multum corrupti reformentur.* Nam ſtantibus *in ſtatu eccleſiaſtico*, & permanentibus, *ſuperbia, avaritia* & *vita voluptuoſa*, vix impediri poteſt, quod non oriatur *novum ſchiſma*, & quod non ſurgant *contra ſtatum eccleſiaſticum* latrantes, calumniantes, & laicum populum contra clerum concitantes. Quoniam permanente cauſa, difficile poterit impediri effectus.

§. III.

Mirum Ludovici Electoris Encomium, cujus argumentum ex Principis illius inſignibus deſumitur.

Mihi tamen incumbit de præſenti *duos viros glorioſos, pro* jucundo *eorum ad hoc concilium adventu* pro poſſe collaudare, pro eo, quod in ſua obedientia pro redintegratione eccleſiæ Dei fideliſſimè & effectualiter & concluſivè laboraſſe dignoſcuntur. Quorum primus eſt illuſtriſſimus Princeps, *Ludovicus Comes Palatinus Rheni, S. R. I. Archi-Dapifer & Elector, Duxque Bavariæ* hic *præſens.* Secundus eſt magnificus, nobilis, potens, ſtrenuus & præclarus *Carolus de Malateſtis*, Eccleſiæ Vicarius, *penè in omni ſcientia peritiſſimus.* De primo iſtorum, ſcilicet Domino *Duce* poſſum dicere illud *Eccleſiaſt. XLV. Dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione eſt.* Et verè in benedictione. Quia non accuſat eum homo, *ibidem c. XLVI.* Cujus virtutes innatas, acquiſitas, infuſas, omnes narrare non ſufficerem, nec tempus admitteret. De paucis igitur earum pauca dicam, de illis, quas præſertim legi ex *inſigniis ſuorum armorum.* Unde idem *Princeps* illuſtriſſimus in quantum *Comes Palatinus Rheni* defert *pro inſigniis* armorum, *figuram leonis aurei, in campo nigro, cum corona rubea* & *cum ungulis rubeis.* In *leone* deſignatur animi ſui robur & vera fortitudo, non ficta & ſimilitudinaria, ſed fortitudo circa bonam mortem impavida & magis mori volens quam turpia committere, cum aliis nobilibus conditionibus veræ fortitudinis, quas commemorat *Ariſtoteles III. Ethicor.* In *auro* deſignatur hujus Principis clara *juſtitia.* Quoniam ſicut aurum omnia alia metalla nobilitate tranſcendit, ita juſtitia eſt præclariſſima virtutum, cum nec Lucifer, nec Heſperus ita admirabilis, ſecundum *Ariſtotelem V. Ethicor.* Quod potiſſimè verum eſt de *juſtitia legali*, quæ eſt ſicut omnis virtus, ut patet *ibidem.* In *corona rubea* deſignatur hujus *Principis charitas*, quæ charitas recta deſignatur per coronam. Quoniam ſicut corona ponitur in vertice capitis, ita charitas eſt omnium virtutum ſuprema, finis, & conſummatio. Quoniam omnis juſtæ legis ſive naturalis, ſive divinæ ſive poſitivæ, præcepta ad ipſam charitatem tanquam in finem ordinantur. Quicquid enim in iſtis legibus præcipitur, ad hunc finem præcipitur, quod homines habeant ordinatam charitatem ad Deum & proximum, juxta illud Apoſtoli *1. Timoth. I. Finis præcepti charitas de puro corde, conſcientia bona & fide non ficta.* Quæ charitas eſt etiam rectè per *rubedinem hujus coronæ* deſignata. Rubedo namque color igneus eſt, præſertim ignis flammæ. Charitas autem eſt ſicut flamma ſpiritualis animam ſpiritualiter inflammans. Et ſupremi cœleſtes Spiritus, ſancti *Seraphici, dum pinguntur, ſub colore rubeo vel flammeo depinguntur.* Et hoc propter ardorem charitatis, quo homines alios ſpiritus antecedunt, quibus etiam *B. Dionyſius*, eſſe ignitum, acutum attribuere dignoſcitur *cæleſtis hierarchiæ c. III.* Etiam de eadem materia loquitur *c. 15.* Per *ungulas rubeas* deſignatur, quod hujus præclari Principis *charitas* non ſolum in mente ſubſiſtit, ſed etiam à dextra ſe oſtendit in *opere.* Ut ſignum dilectionis exhibitio ſit operis. Unde *Leo* operatur ſuis ungulis id, quod operatur. Ergo *per ungulas operatio* & per rubedinem ungalarum charitas. Et ſic per ungulas rubeas opera charitatis deſignantur. Per *campum nigrum*, in quo ſtat iſte leo, deſignatur hujus *Principis humilitas.* Nigredo enim inter alios colores plus habet de obſcuro, & per conſequens de abſcondito. Et ſic deſignat humilitatem, qua Princeps iſte opera ſua virtutum, prout poſſibile fuerit, tenet in abſcondito, & humilitate, & ſi opus ſit in aperto, intentio tamen eſt in occulto, & quod magis Dei gloriam quam hominum quærere dignoſcitur. Idem *Princeps*, in quantum *Dux Bavariæ*, defert in armis ſuis *multas figuras angulares* aliquas *albas*, aliquas *laſureas.* In *albis* vitæ puritas, in *laſureis* figuris, quæ ſunt coloris cœleſtis, deſignantur virtutes ejus eminentes, quæ Heroicæ ſeu divinæ nuncupantur.

§. IV.

Sigismundi cum Davide, & Ludovici cum Jonathane comparativ inſtituitur.

Propter quas virtutes licenter dico, quod *anima hujus Principis conglutinata eſt cum anima Chriſtianiſſimi REGIS noſtri hic præſentis*, Simile namque applaudit ſuo ſimili. Sicut olim anima Jonathæ conglutinata fuerit cum anima David, ut habetur *1. Reg. XVIII.* Quoniam ſi rectè attendimus, *Chriſtianiſſimus Rex* noſter eſt ſecundus David, & iſte *illuſtriſſimus Princeps* ſecundus Jonathas. Primum patet. Quia *David* habuit in ſe multas nobiles conditiones, in quibus *iſte Rex noſter* ipſum clarè imitatur. David enim ſicut fuit magnanimus, bellicoſus, ſemper bella gerens contra idololatras & infideles, ſic & *Rex* noſter. Item *David* multum ampliavit divinum cultum. Ita & omnis labor *Regis noſtri* in hoc ſacro concilio ad divini cultus tendit augmentum. Item *David* fuit humillimus. Ita & *Rex noſter* cum incredibili humilitate, *quaſi ſervus ſervorum*, hujus ſacri concilii negotia ſollicitare non ceſſat. Item *David* erat vultu deſiderabilis, & David interpretatur manu fortis, vel vultu deſiderabilis, quod utique *Chriſtianiſſimo Regi* noſtro competere dignoſcitur. De quo verè dicere poſſum

ponum illud, quod de beato Stephano scribitur *Actor. VI.* de quo sic scribitur, quod intuentes in eum videbant faciem ejus tanquam faciem Angeli, quòniam propter magnum zelum ad salutem ecclesiæ quem hoc sacrum concilium in hoc Christianissimo Rege conspexit, vidit faciem ejus tanquam faciem angeli pacis, tanquam angeli sibi ad custodiam deputati. Et sic patet, quomodo *Rex noster* rectè *secundus David* appellatur. Sed quod illustrissimus *Dux* prædictus sit sicut *secundus Jonathas*, per hoc patet, quod Jonathas interpretatur *columba veniens*. c) Columba est avis multum amativa & simplex. Et *iste Princeps* venit ad hoc sacrum concilium ex amore magno, quem gessit ad *ecclesiæ integritatem*, unionem & pacem. Et venit non in duplicitate, aliud habens in corde, aliud in ore vel opere; sed illum amorem fervidum ad ecclesiam, quem in corde gessit, ore expressit & in opere exhibuit. Et tantum de primo.

§. V.

Panegyricus de Malatestis, cujus Charitas, sapientia & perseverantia ex nomine eruitur & prædicatur.

Venio ad secundum, videlicet magnificum, potentem, nobilem, strenuum virum & præclarum *Carolum de Malatestis*, ecclesiæ vicarium, in omni facultate peritissimum. De quo dicere possum illud *Ecclesiast. XV. In medio ecclesiæ aperuit os ejus & implebit eum Dominus Spiritu sapientiæ & intellectus, & stola gloriæ vestiet eum. Quoniam statim Dominus aperiet os ejus in medio hujus sacri concilii ecclesiam repræsentantis*, & loquetur verba sapientiæ, pacis & concordiæ sibi ad gloriam in præsenti & in futuro. Cujus viri præclari & virtutum inclyta fama & longè lateque diffusa. Et quia de omnibus ejus *virtutibus* disserere non sufficerem, de *tribus* tantum, quia tempus me deserit, pauca dicam, quarum *prima* est *magnus zelus charitatis*, quem ad ecclesiam Dei gestavit. *Secunda* est *sapientia*, qua pro salute ecclesiæ laboravit. *Tertia* est *perseverantia*, quâ labore inchoatum constanter continuavit. Quorum primum in suo *nomine proprio* & reliqua duo in duobus verbis sui cognominis recte implicantur. Ipse namque à primo istorum, videlicet à magno zelo charitatis, est rectè *Carolus* nuncupatus. Conditio charitatis est non quærere quæ sunt suæ singulariter, sed ambulare in latitudine, & quærere, quæ Dei sunt ad salutem plurimorum generaliter, ut elicitur ex dictis apostoli *1. Cor. XIII.* quæ conditio in hoc magnifico Viro clarè apparuit, dum propriam utilitatem, personale commodum relinquendo, viam longam & difficilem atque periculosam sibi cum magnis fatigiis in expensis atripuit, *ut in hoc loco cum Christianissimo Rege nostro & Prælatis hujus sacri concilii aliquam conclusionem* pro redintegratione ecclesiæ congruentem posset concludere cum effectu. Secundum præmissorum, scilicet magnifici viri magna *sapientia*, multiplicatur in *primo verbo sui cognominis*, scilicet *Mala*. Unde *mala* sunt *poma pulchra*, rotunda & odorifera. Per quæ *poma* rectè designatur *sapientia*, quæ est pulchra, & speciosior sole & luci comparata. Invenitur prior *Sapient. VII.* Est *rotunda*, quia sicut figura rotunda est omnium figurarum sibi isoperimetrorum capacissima, ita *sapientia* inter omnes habitus intellectuales est capacissima. Dicit enim *Aristoteles primo Methaurae*, quod sapientis est omnia scire, prout contingit, & *Sapient. VIII.* multa scribuntur de capacitate sapientiæ. Et inter cætera sic scribitur ibi: Scit versutias sermonum dissolutionem argumentorum: Signa & monstra scit, antequam fiant, & eventus temporum & seculorum. Est etiam *sapientia odorifera*, quia famam possidentis inclytam facit & benè redolentem. Est enim de numero bonorum honorabilium, quæ secundum cultum sua in nos trahunt & sua dignitate nos alliciunt. Unde, inquit Sapiens, ubi supra: *Habebo propter hanc claritatem ad turbas, honorem apud seniores.* Quæ sapientia videtur in facie hujus viri magnifici, & auditur ex ore ejus. Quoad primum scribitur *Proverb. VIII. Sapientia hominis lucet in vultu ejus.* Quoad secundum scribitur *ibidem XV. In labiis sapientis invenitur sapientia.* Ea propter, ô vir magnifice & præclare, Tibi & de te dicere possum illud *Cantic. VII. Odor oris tui sicut odor malorum Punicorum & guttur tuum sicut vinum optimum.* Verba namque, quæ profluunt de ore tuo, sunt velut bonus odor omnibus gratissimus, & guttur *tuum illa verba eructans sicut vinum optimam latificans corda & mentes hominum.* Pro concordantia accedat illud *Proverb. XXV. Mala aurea in lectis argenteis, sic qui profert verbum in tempore suo.* Lectus argenteus multum decoratur per mala seu poma aurea circumposita, sic verbum prolatum multum adornatur, si in opportuno tempore proferatur. Quemadmodum sermo opportunus est *Proverb. XV.* Ad propositum tu Vir magnifice & præclare, protulisti & efficacius *proferes* verbum bonum & suave, verbum pacis & concordiæ, verbum unionis & amicitiæ in hoc tempore maxime opportuno. Ergò verba tua sicut mala aurea in lectis argenteis. Adhuc scribitur *Cantic. VIII. Sub arbore mala suscitavi te.* Et sunt verba sponsi ad sponsam Christi: Sponsa sancta mater ecclesia jam per multa annorum curricula dormivit in pulvere schismaticæ divisionis, quam sponsus ejus pietate motus suscitare incepit sub arbore mali, dum te virum magnificum & præclarum, mala sapientiæ germinantem, ad hoc sacrum concilium destinavit, ad tollendam schismaticam divisionem inter obedientiam tuam atque nostram. Venio nunc ad tertium præmissorum, videlicet *hujus* magnifici *viri perseverantiam*, quâ laborem inchoatum fideliter continuavit. Constat enim de hoc viro magnifico, quod ipsum a sancto suo proposito retrahere non poterant, nec viarum pericula, nec salvi conductus deficientia, nec labia iniqua seu scriptâ fallacia, quando pacis negotium, quod assumserat, prædictis omnibus non obstantibus, Deum & commune bonum præ oculis habens, apud se concluderet consummandum. Quæ quidem *perseverantia* in ultimo verbo sui cognominis, videlicet *testa* implicatur. *Testa* namque de terra fit, quæ terra est inter omnia elementa magis firma, magis solida, minus mobilis, semper manens in medio, ut idem sit centrum suæ gravitatis & centrum mundi. Item *testa* fit *ex terra argillosa*, per calorem ignis decocta, quæ decoctio ipsam indurat. Sic firmissima

c) Appositè! nempe à יונה *Jona, Columba*, & אתא *Atha, Venit.* Cum debeat à יהוה *Jehovah*, & נתן *Nathan, dedit*; Jonathan, q. d. Jevovah dedit.

sima *perseverantia* viri boni in sancto proposito fit per longam decoctionem cordis sui in igne charitatis. Illa namque decoctio facit ipsum constantem & perseverantem in bono.

EXCERPTA SERMONIS IX. d]

Cujus in MSC. hæc est inscriptio:

Sermo utilis & profundus de Statu Ecclesiæ, ejusque alto dominio, nec non de depressione ac perditione ejusdem.

Anno 1415. Dom. XV. Trin.

Ex MSCto Erfurtensi.

§. I.

Avaritia Ecclesiasticorum, & ingens pecuniæ desiderium.

HOdiè proh dolor! pecunia vincit, pecunia pecunia imperat universis, hodiè pecunia dissonantia & incompatibilia consonat, inæqualia æquat, ima summis conjungit. Hodiè *pecunia* impios justificat, immeritos & indignos dignificat & exaltat, reprobos acceptat & commendat. Quid igitur prodest cum *Ptolomæo* stellarum prophetias & spontaneos planetarum investigare cursus, cum *Euclide* geometricorum ænigmatum secreta penetrare, cum *Meliso* Musicorum consonantes amicitias invenire, cum *Pythagora* pugnas numerorum virtute multiplicationis inspicere, cum *Tullio* orationem colorum stellare sideribus, cum *Donato* accidentium connectere determinationes, cum *Aristotele* ancipite Dialecticæ gladio à veris falsa divertere? Cùm sapientiæ ceteræque virtutes nullis remunerentur stipendiis, *pecunia* verò *honores, titulos & laudis reportet præconia.* Nonne scriptura docet avaritiam omnium malorum radicem? Quod & si taceret, experientia rerum magistra insinuat. Unde, quæso, hodiè *divisiones, discordiæ, dissensiones, contentiones, placita litigia super episcopatibus*, beneficiis & dignitatibus, nisi ex nimia cupiditate & *avaritia?* Nam *ambitiosus* cum gradum ad nutum non potest habere, per fas & nefas illum adipisci nititur. Nec ab hoc desistit. Imò tanto dominandi inflammatur ardore, ut, contemta ecclesia, Principibus secularibus adhæreat, schisma non horreat, scandalum non formidet, sed magis ac magis insistat, ut invadat violenter honorem & imprudenter assequatur dignitatem. Qua adepta, pascendi oves curâ dejectâ, circa reditus tantum suam ponit curam. Unde, quæso, est hodiè, quod *ecclesiastici non quærunt ecclesiam propter ecclesiam, sed propter reditus*, nec sponsam propter *sponsam*, sed potius *propter dotem*, nisi ex nimia cupiditate & *avaritia?* Clamat salvator, dicens, spiritualia præponenda temporalibus, dicens: *primum quærite regnum Dei & justitiam ejus, deinde omnia adjicientur vobis, Matth. V.* Deinde ex adverso clamat *domina avaritia* docens & affirmans, temporalia præponenda spiritualibus, assignans causam, quia *hodie honores exhibentur divitiis, non virtutibus.* Et ex isto capite concludit *reformationem ecclesiæ impossibilem* sine prævia *sufficienti provisione*, quæ est *impossibilis* saltem *avaro*, cujus appetitus est *insatiabilis*, & nunquam dicit, *sufficit.* Ex supra dictis liquidè apparet, quod cupiditas & *avaritia* est *causa potissima depressionis* & perditionis dominii & omnium malorum radix.

§. II.

Nemo fracturam Josephi curat. Hostes Ecclesiæ, ipsi Ecclesiastici. Oppositio inter antiquos & novos doctores.

Quis, quæso, hodiè de ecclesiasticis videns ecclesiasticam libertatem per Principes opprimi, ejus fidem ab hæreticis & infidelibus impugnari, dolet? quis clamat? quis gemit? quis plorat? quis ex adverso se opponit? Certè non est, qui consoletur eam ex omnibus charis ejus. Et amici spreverunt eam, & facti sunt ei inimici, *Threnor. 1.* O summa *cæcitas ecclesiasticorum*? O excæcatio mentium, obfuscatio oculorum? cæci sunt & duces cæcorum. Habentes in scriniis pectorum suorum leges divinas pariter & humanas, codicem apostolicum, sanctiones Patrum, statum jurium, quibus prædictis ecclesiæ persecutionibus obviare possent. Et non solùm non obviant, imò quod est pessimum, ipsam cum eisdem impugnant. Et *qui sunt hodiè magis impugnantes ecclesiam, quàm ecclesiastici?* Qui sunt hodiè dantes consilia in favorem Principum, nisi ecclesiastici? *Qui sunt*, quæso, hodiè reformationem ecclesiæ magis impedientes? Numquid Principes seculares? Certè non. Imò ipsam magno desiderio appetunt, pro eadem instanter supplicant, bonis suis temporalibus, suorumque servitorum laboribus & periculis non parcendo. Qui sunt hodiè qui incessu decentes, sed in actu nocentes, habitu simplices, sed malitia sæviores, aspectu mites, sed severitate crudeles, Christi tunicam inconsutilem scindere & dividere conantur, nisi *ecclesiastici?* De quibus Hieronymus, veteres scrutans historias: *Non possum dicere, aliquos studuisse ecclesiam, & de domo Dei populos seduxisse, præter qui sacerdotes à Deo facti fuerunt.* O generatio prava, ingratissima atque perversa, quæ sub pacis fœdere, sub religionis colore, matrem suam, quæ eos genuit, lacte nutrivit, & tam altè sublimavit, impugnare non cessant. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio, quia perversa? Quos non revocat pudor, ratio non coërcet, non ligat obedientia, non unit charitas, pietas non emollit, non terret authoritas, justitia non inflectit. Quorum mentes matris damna fatiant, fraterna pericula non tangunt, ovium Christi perditio non retrahit. Talibus enim Esaias imprecatur maledictionem, dicens: *væ genti peccatrici,*

d) Textus erat, *Ubi est Verbum Domini? veniat.* Jer. XVII.

tatrici, populo gravi &c. Et subdit causam immediatè, *quia dereliquerunt Dominum, blasphemarunt sanctum Israël, alienati sunt retrorsum* &c. Ut meritò conqueratur ecclesia cum Apostolo: *ubi est grex, qui datus est tibi?* ad Colossenses. Ubi, quæso, hodiè fides Patriarcharum, Spiritus Prophetarum, Zelus apostolorum, constantia martyrum, sobrietas confessorum, castitas virginum, continentia viduarum, asperitas monachorum, confessio sacerdotum? Ubi est? ut ille Doctor egregius, contemplator divinus, apostolus *Paulus*: Qui cupiens ampliare ecclesiam Dei factus est Judæis tanquam Judæus, infirmis infirmus, & breviter omnia omnibus, ut omnes lucrificaret. Ubi est ille martyr inclytus, Cancellarius primus & novissimus Levita, *Laurentius?* qui Zelo domus Dei, postergatis minis tyranni & ignis incendio, omnem ecclesiæ censum cunctaque sacra mysterii vasa, ne ea sacrilegus contaminaret aspectus, convocatis inopum turbis, eisdem pia erogatione distribuit. Ubi est ille Doctor Seraphicus, *B. Augustinus*, qui Zelo fidei succensus oves Christi à luporum morsibus præservabat, & hæreticorum cavillationibus silentium imponebat? Ubi est ille Doctor intrepidus, *B. Ambrosius*, qui Zelo libertatis ecclesiasticæ ausus est Imperatori in faciem resistere, ipsumque excommunicans, & fores ecclesiæ obfirmiare? Certe omnes isti abierunt in regionem longinquam. Acceperunt coronam de manu Domini, & diadema regni de manu Dei sui. Ex quo igitur pristinum ecclesiæ filiorum consortium sibi deest, meritò quæro ab eo: *ubi est?* quod fuit thema. Et hoc de secundo principali.

§. III.

Spiritus S. primarius Reformationis Autor.

Dimisso verò tertio, brevitatis causâ pro finali sermonis termino circa jam dicta talis movetur quæstio: *Ex quo*, ut dictum est, *altum Ecclesiæ Dominium hodiè est totaliter depressum, & ejus pristinum filiorum consortium* &c. ut supra: quæro, *qualiter ad suum gradum pristinum habebit regressum?* Huic quæstioni breviter respondet *Chrysostomus*, una cum Philosopho dicens: *Unumquodque per easdem causas dissolvitur, per quas nascitur.* Sed prædictorum malorum, quæ ecclesia de præsenti patitur, *peccata* sunt *causæ*, ut dictum est. Igitur hujusmodi *peccatorum expiatio* erit *ecclesiæ ad gradum pristinum reductio.* Studeamus igitur diligenter evellere causas amplectando humilitatem veram, depositâ superbiâ, voluntariam etiam paupertatem, ejectâ avaritiâ, fidem & charitatem, excluså idololatria. Et sic benè ibunt omnia. Sed hic suboritur *alia* brevis *quæstio*, scilicet: Cujus *virtute fieret hujusmodi peccatorum expiatio?* Nonne fiet *virtute gladii temporalis?* certe non. Quia ipsum jussit Dominus Petro mittere in vaginam *Matth. XVIII.* Nonne fiet virtute sapientiæ mundialis? certè non. Quia eorum congregatio est in malum Domini sui, id est congregatorum. Nonne fiet *virtute propria?* Non. *Quia non est currentis nec* &c. Item ad talem prædictorum expiationem requiritur *potentia infinita*, dicente *Augustino: Majus est justificare impium, quam creare* &c. Igitur si talis expiatio non fiet *virtute* propria, cujus fiet *virtute?* Certè *Spiritus sancti*, qui gratissimè & liberalissimè, nullis præcedentibus meritis attractus, suo suavissimo flatu peccatoris animam occultè penetrando, à vitiorum maculis purgat, purgando vivificat, vivificando actum contritionis & motum bonæ operationis præstat. Sed hic oritur non modicum *dubium* ex prædictis trahens originem: Ex quo, ut immediatè dictum est, voluntas peccatoris in justificatione prævenitur & movetur à Spiritu sancto, cui motioni non potest resistere, videtur sequi, quod talis voluntas non concurrit ad actum suæ justificationis, ut efficiens, sed solum ut mota. Et sic sequeretur ulterius, quòd non esset causa sui meriti. Quod est contra *Augustinum*. Hic dicitur, quod voluntas peccatoris concurrit non solùm ut mota, sed & effectivè, virtute propriâ ut libera. Et hoc videtur Augustinus dicere. qui creavit te &c. Quia *in justificatione impii requiritur consensus voluntatis*, quæ non cogitur per motionem Spiritus sancti. Hinc dicitur: *Convertimini filii revertentes, Jerem. III.* Et ibi de *pœnitentia* multa dici possent, & ejus commendatione. Hæc est enim misericordiæ mater, magistra virtutum. Per *hanc* David post flagitium iterum recepit Spiritum sanctum. Per hanc Manasses post cruenta facinora meruit fieri acceptabilis. Per *hanc* Petro, postquam ter negavit Dominum, data est indulgentiæ dextra. Per hanc mulier fornicaria lacrymarum fontes stillavit, quibus pedes Christi lavit, crine tersit, & sic omnium suorum peccaminum veniam obtinuit. Per *hanc* civitas illa magna, Ninive, subversionis sententiam meruit revocari. Per *hanc* Ezechias à mortis sententia liberatus, ultrà suam propriam periodum quindecim annorum meruit augmentum. Adam per peccatum à paradiso fuit expulsus, per *hanc* vero restitutus. Quid ulterius dicam? peccatum, quod per *hanc* expiatum non fuerit, generat mortem. Si igitur vultis Deum placare, matrem vestram *ecclesiam ad pristinum statum reducere, eamque veraciter reformare*, prædictorum exemplo convertimini ad Deum per pœnitentiam interiorem. Quià, licet Deus sit immobilis, idemque semper manens, novit sæpè tamen mutare sententiam, si peccator noverit emendare delictum per pœnitentiam.

EXCERPTA SERMONIS X. e)

Dicti Anno 1415. Dominica XVI. post Trinitat. die 15. Sept.

Ex MSCt. Erfurt.

§. I.

Prælatorum ignorantia in sacris literis.

Exigitur ergo, ut *Prælatus*, qui alicui præfertur ecclesiæ, *sciat sacram Scripturam cum cæteris aliis*,

e) Textus verba Ephes. IV. *Digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate supportantes invicem in charitate.*

liis, quæ ad mores spectant. Inde dum Prælatus consecratur, fit interrogatio: *Scis utrumque testamentum?* Quorum plures eorum quâ conscientiâ respondeant, nescio. Sint ipsi judices. Et super hoc *in præsenti concilio* esset maximè providendum.

§. II.

Deplorat Ecclesiæ miseriam, & clericorum luxum ex B. Bernhardo gravi oratione depingit.

Hæc autem est *forma*, secundum sanctorum documenta, ut, quantum pastor est præcellens in dignitate, respectu gregis, tantum *vita pontificis* sit *sanctior & sublimior vitâ plebis.* Tales namque pastores promisit nobis Dominus per Prophetam: *Dabo*, inquit, *vobis pastores juxta cor meum, qui pascent vos scientia & doctrina. Jerem. III.* Sed heu generatio prava atque perversa & infideles filii. Ipsi me provocaverunt, ait Dominus, *Deuter. XXXII. 5.* quia dimissis omnibus, quæ animam perficiunt, & ad suum spectant officium, *ad perditiones & deceptiones se convertunt.* De ipsis conqueritur Dominus per Prophetam: *Principes tui infideles, Es. I.* Numquid ille est judicandus *proditor* pessimus simul & infidelis servus, cui Rex peregrè proficiscens filiam suam unicam commisit, ut eam delicatè nutriret castèque custodiret: Ipse Regis filiam nudam ac familiam reliquit, & eam, quoniam quotidiè splendidè epulando impinguat, strangulandam exposuit, imò vanis & proditoriis persuasionibus spoliat & tandem eam occidit? Si quis autem suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior, dicente Apostolo *1. Timoth. V.* Hic autem, qui domui suæ præesse nescit, quomodo ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Quasi diceret Apostolus: nullo modo. Nunc *propter Prælatorum defectum ubique seminantur hæreses, dominatur simoniaca pravitas.* Ubique deceptio regnat & alia iniqua discrimina, tam spiritualia quam corporalia. Et munera vigent, quibus tota ferè christianitas videtur infecta. Propterea quam *necessaria*, jamdiu fuerit & modo amplius sit *reformatio* ecclesiæ, tam *in Prælatis* quam *in aliis ecclesiasticis* ostendunt verba lamentabilia *B. Bernhardi, sermon. XXXIII. super cantico*, per quæ evidenter ostenditur, quam *necessaria* sit *Prælatorum & ecclesiasticorum reformatio. Serpit*, inquit, *hodiè putrida tabes per omne corpus ecclesiæ, & quò latius eò desperatius; eòque periculosius, quo interius. Nam si surgeret apertus hæreticus, mitteretur foras & aresceret; si violentus inimicus, absconderet se quis forsitan ab eo. Nunc vero, quo eat aut à quo se abscondet? Omnes amici & omnes inimici, omnes necessarii & omnes adversarii, omnes domestici & nulli pacifici, omnes proximi, & omnia, quæ sua sunt, quærunt. Ministri Christi sunt & serviunt antichristo, honorati incedunt de bonis Domini. Inde is, quem quotidiè vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus. Inde aurum in frenis, in sella, in calcaribus, plus calcaria quàm altaria fulgent. In mensa splendida cibis & scyphis. Inde commessationes & ebrietates; inde cythara & lyra & tibia. Inde redundantia torcularia plena, eructantia ex hoc in illud. Inde dolia pigmentaria, inde referta marsupia. Pro hujusmodi volunt esse Clericorum Prælati &c.* & sequitur: *Olim prædictum est & nunc tempus adimpletionis advenit. Ecce, in pace amaritudo mea amarissima, amara prius in nece matris, pòst in conflictu hæreticorum amarior, sed nunc amarissima. Sed iniqua pace pax non est pax impiis, Esa. LVII. Pax tamen à paganis, pax ab hæreticis, si non profectò à filiis. Vox plangentis in tempore isto: filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt & maculaverunt me: à turpi & infideli vita, principes ejus infideles: à turpi quæstu, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones: à turpi commercio, quia socii furum: à negotio denique perambulante in tenebris.* Si hæc habeantur, benedicta sunt. Nunc multò magis dici possunt, quia ecclesia à malis ad pejora processit, & in omni tam spirituali quàm temporali statu, abjecto decore virtutum, in variam cecidit turpitudinem vitiorum. Quamobrem ex tunc per antè quidam spirituales subtilioris intelligentiæ oculo providentes, præsentis ecclesiæ persecutionem & hujus schismatis horrendam monstruosamque divisionem, ac plura alia scandala inde secuta prædixerunt, sicut *Abbas Joachim, S. Hildegardis*, & quidam alii, *quos non esse contemnendos, quorundam probat autoritas.* Ululate ergo pastores & clamate super *statu lamentabili ecclesiæ.* Olim ecclesia dominabatur gentibus, imperabat Regibus, jucunditate replebatur & lætitia, solennitates celebrabat in securitate pacifica, laudibus & præconiis famosa prædicabatur. Usque dum unica columba & alio schismate & aliis Prælatorum abusibus careret. Nunc autem quomodo sed & sola civitas plena populo, facta est quasi viduarum. Quia viduata virtutibus Domina gentium, Princeps provinciarum facta est sub tributo laicali.

§. III.

Pejora Ecclesiæ imminere, monet, nisi reformatio acceleretur.

Verum non solum opus est exhortatoriis *verbis*, sed necesse est bonis insudare *operibus*, quod nisi celeriter fiat, licet magna sint, quæ videmus, dubitandum non est, quin in brevi incomparabiliter majora audiemus. Et *post ista tonitrua tam horrenda alia horribiliora audiemus.* Nam, super illo, *Esa LVI.* juxta est salus mea, ut veniat, & justitia mea reveletur. Et super illo, *Apocal. XVI.* Et facta est civitas magna inter partes & civitates gentium ceciderunt, & Babylon magna venit in memoria ante Deum, dare ei calicem vini indignationis iræ ejus, & omnis insula fugit, & montes non sunt inventi, & grando magna sicut talentum descendit de cœlo in hominibus, & blasphemaverunt homines Deum propter plagam grandinis, quoniam magna facta est vehementer. Dicunt quidem majora, quàm vidimus, quamque audivimus. Sed illa non recito, quia mentes Prælatorum fortasse nimis commoverem, sed *avertat Deus, ut ad tantum rigorem procedere non oporteat*, Sed provideat ejus clementia, ut Romana ecclesia suum statum sic ratione temperare studeat, ut ei rationabiliter obtemperare & suo regimini subesse Christi fideles possint. Juxta verbum *Senecæ: Multos reges, si ratio te rexerit.* Ea propter *unusquisque studeat se ipsum reformare*, vitam suam commutando in melius.

§. IV.

§. IV.

Præter schisma, Ecclesiam confundens, innumera Prælatorum vitia recensentur.

Sed heu, proh dolor! ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, à summo usque ad infimum, ita, quod *in ecclesiastico corpore omne caput languidum* & omne cor mœrens. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas, *Esa. I. & LVI.* Propterea quam *necessaria* jam diu fuerit, & ad amplius modò sit *reformatio Prælatorum*, ostendunt verba *B. Bernhardi super Cantico: Pauci namque sunt*, inquit, *qui non quærunt quæ sua sunt ex omnibus caris ejus, omnes diligunt munera, nec possunt pariter diligere Christum, quia manus dederunt mammonæ.* Unde, inquit, hanc illis exuberare æstimas rerum affluentiam, vestimentorum abundantiam, splendorem mensarum, fervorem luxuriæ, congeriem vasorum aureorum & argenteorum, nisi de bonis sponsæ? Et paulo post sequitur: *Propter hoc non est hoc tempore ornare sponsam, sed spoliare, non est custodire, sed perdere, non est defendere sed exponere, non est instruere, sed prostituere, non est gregem pascere, sed mactare & devorare*, dicente propheta: Devorant plebem meam, sicut escam panis. Væ ergo pastoribus, qui pascunt semetipsos, ait Propheta *Ezechiel. XXXIV.* Ululate ergò pastores super statum ecclesiæ, quoniam obtexit caligine in furore suo filiam Sion. Projecit de cœlo in terram inclytam Israel. Et non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui, *Thren. II.* Meritò incurrit furorem, quia major refecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subversa est in momento. Meritò incurrit furorem, quæ dimissa *monade*, venit in *dyadem*, id est divisionem, & scandalum, & omnium opprobrium. O confusio Babel, quæ non nisi per spiritum sanctum miraculose descendentem reparatur. O scelus Dathan & Abiran, pro recessu à summo pastore per peccata multifaria, à tellure absorberi. O furor, ô rabies, ô fera, per quem damna, doli, fraudes, perjuria, furta, rapinæ, luxuries, fastus, livor, libido, senectus, tartareas ruit in domos.

§. V.

Potentia & infallibilitas Papalis, non ex scriptura, sed scholasticorum sententia adstruitur. Unde discimus, miseræ plebi non verbum Dei vivum, sed insanas traditiones, & absurbissimas opiniones sæpenumero fuisse propositas.

Sed dum festinarem hanc deducere viam, modò ut suprà, ecce a stat curiosus affirmans, prædicta sufficienter ostendere, quam *necessaria* est *Prælatorum reformatio.* Sed volo, inquit, te paululum circa aliam occupari materiam. Ego, inquit, quorum & tu locum recitantis tenebris, unum posco, ut breviter & succinctè unicam duntaxat responsionem recites *de officio Prælatorum* ut supra dictum est. Quæro, quid *supremus Prælatus* possit super gregem sibi commissam? Et descendens ad unum: Quid possit super *collationem beneficiorum?* O grandis materia & difficilis apud alios, levis & facilis apud alios. Quare super hac re non modica inter nonnullos versatur discordia. Tu non cures de magistrorum apicibus, sed duntaxat unicam recitare responsionem non omittas. Dicunt quidem, quod *summus Pontifex*, Christi Vicarius in terris, est Christi institutione universalis ecclesiæ militantis caput, episcopus & pastor. Te, scio hoc dictum probare deinde per plures textus sacræ scripturæ, designantes præeminentiam, capacitatem & curam Petri pastoralem super totum residuæ ecclesiæ, secundum expositionem sanctorum Doctorum & approbatorum usuum ecclesiæ, & conciliorum generalium, nec non summorum Pontificum determinationes. Item scio, hoc dictum posse probari per innumera jura. Sed nolo, te nunc dicta allegare. Sed hoc: Num *quid caput sit* Dominus noster *Papa* super totam ecclesiam, possit ex Doctoribus Theologicæ facultatis concludi? Et si sic recitare non omittas. Dicunt quidem, quod pro hoc dicto *quatuor* sunt *solennes Doctores.* Quorum primus est Doctor irrefragabilis, *Alexander de Halis*, qui in *secunda parte summæ* expresse ponit, quod Papa est caput ecclesiæ universalis. Quod deducit in eadem parte ex duabus autoritatibus *B. Dionysii, prima, de ecclesiastica hierarchia* alia est, *de angelica hierarchia.* Ubi habetur, quod summus Pontifex est totius ecclesiæ militantis hierarchia, à quo est dissensio & potestatum distributio & operationum in omnibus membris, quæ sunt in ecclesia sicut à capite in omne corpus est donorum perfusio, prout habetur *dist. 19. ita Dominus.* Secundus est *Doctor sanctus*, qui *libro quarto* probat hoc esse manifestum, eò, quo ad habendum unitatem & conservationem multitudinis ecclesiæ in unitatem corporis oportet, quod totius multitudinis sit unum caput summum, cui alia regimina particularia subsint: Et qui illi renuunt obedire, sint schismatici, quasi divisores ecclesiasticæ unitatis: Quia contemtus obediendi summo Pontifici, cum pertinacia, facit schismaticum, & negare cum pertinacia, quod sit obediendum summo Pontifici, facit hæreticum. Multum extensè hanc deducit materiam *libro IV. contra gentiles* per septem Doctores. Cujus Doctoris autoritas non modica est. Tertius Doctor est *Doctor Seraphicus* Dominus *Bonaventura*, qui *libro IV.* dicit, quod Papa est primus & supremus Prælatus, in quo est status omnis ecclesiasticæ Prælationis, qui solus habet plenitudinem potestatis. Alii autem messem particularem. Et inquirendo, *unde Papa habet istam præeminentiam super totum corpus ecclesiæ*, dicit, quod *habet eam à subditorum electione*, interveniente suo consensu, & principaliter Christi institutione, qui ordinavit, quod nullus habebit illam autoritatem, sicut Petrus, nisi *canonice electus.* Nec tamen consensus eligentium & electi in Papam sibi conferunt potestatem, sed prærequiruntur & disponunt personam, ut illa possit exercere officium, à Christo institutum & non revocavit. Non oportet amplius dare: Sed ut dicit prædictus Doctor, Christus Petrum ordinavit suprà plebem ecclesiasticam, volens, ut omnes canonicè electi & consentientes, eandem cum Petro habeant potestatem, ita in omnibus summis Pontificibus sit una & eadem autoritas. Quartus Doctor est *Armatenius*, qui *libro sexto* multis rationibus, fundatis in textu sacræ scripturæ & Doctorum sanctorum, deducit, Papam esse caput, pastorem, episcopum omnium Christianorum. Et solvit instantiam, quæ fieri solet, quia unius corporis

non ſunt plura capita, ſed Chriſtus eſt caput eccleſiæ, ergò non Papa. Dicit quod hoc eſt differenter. Quia *Chriſtus eſt caput primum & principale*, & ut actor & eccleſiæ inſtitutor, *Papa eſt ſecundarium* & ut gubernator, & Chriſto in gubernando ſubordinatus. *Aliæ diſſimilitudines poſſunt dari.* Ex hoc inferunt prædicti dicentes: Domini Papæ provincia & territorium & diœceſis eſt totus orbis. Quia ipſe eſt immediatus judex & curatus cujuslibet fidelis. Nam ex commiſſione ovium Chriſti facta Petro non plus ſubjecit ſibi epiſcopos quam archiepiſcopos, Abbates. Quia dicitur indefinitè: *paſce oves meas*, non plus has quam illas, ſed indifferenter omnes, immediatus paſtor eorum. Inferunt prædicti ſecundò, quod Dominus Papa ex Chriſti commiſſione in cujuscunque inferioris provincia omnes actus epiſcopales, & paſtoralis curæ poteſt exercere. Quia autoritas ejus eſt univerſalis eccleſiæ regitiva. Iſti ſunt actus, qui ſpectant ad epiſcopum. Et quos Dominus Papa poteſt in qualibet provincia & diœceſi exercere, quocunque contradicente: Videlicet, hæreſes exſtirpare, docere & prædicare, ex officio populum in fide & moribus inſtruere, ex officio apud Deum pro animabus intercedere, oblationes, orationes ac vota populi, donationes Deo offerre, viſitare, & plebem ſubditam in moribus reformare, ac diligenter depoſitum ſibi gregem ab adverſariis ſpiritualibus & carnalibus defendere, uti clavibus in foro conſcientiæ, abſolvendo vel ligando, ſubditos & uſum eorum aliis communicare, vel communicatum reſtringere, ſacramentum miniſtrare, in foro contentioſo judicare & punire malos, excommunicando, bonos reconciliando epiſcopos, virgines, loca, vaſa, &c. ſacrare, concilia pro neceſſitatibus occurrentibus celebrare, ſtatuta utilia pro ſalute ſubditorum ordinare, Chriſti meritum, & eccleſiæ theſaurum diſpenſare fidelibus, ac temporalia bona eccleſiæ fideliter diſtribuere autoritativè, videlicet definitivè ſententiare, privilegia contra leges communes dare, aliquos eximere, alios huic vel illi ſubjicere, perſonas legitimare, perſonas legitimas ad officiandum in eccleſiis ſubditis inſtituere. De illo ultimo *actu, quod ſit epiſcopalis*, patet per apoſtolum in *epiſtola ad Timotheum*, ubi ponit, quod ad epiſcopum pertinet ordinare miniſtros idoneos in diverſis officiis & gradibus eccleſiæ. Iſto *officio inſtituendi miniſtros* uſus eſt Chriſtus ut verus Paſtor & epiſcopus animarum, *Luc. X. Ite, ego mitto &c.* Et Paulus apoſtolus *Tit. I. Hujus rei gratia reliqui te, ut ea, quæ deſunt, corrigas & conſtituas per civitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui.* Simile ſcribitur de Paulo & Barnaba *Actor. XIV. In Antiochia conſtituerunt per ſingulas eccleſias presbyteros.* Ideò recitat B. Petrus in epiſtola ad Jacobum Hieroſolymitanum, Epiſcopos per ſingulas civitates, in quibus non erant, ſibi B. Petrus commiſit, & præcepit, quod jam facere inchoamus: Ut, inquit, & Domino cooperante, facturi ſumus, aliquos ut ad Gallios Hiſpaniosque nuncios & quosdam ad Germaniam & Italiam atque ad reliquas civitates dirigere cupimus. Ex quibus concludunt prædicti, quod omnem poteſtatem, jurisdictionem, quam habet epiſcopus in ſua diœceſi, habet Dominus Papa in eccleſia univerſali. Quod omnem actum hierarchicum in qualibet & cujuscunque diœceſi poteſt conferre. Te, ſcio hoc dictum probare poſſe per plures rationes Theologicas & Juris Canonici: Sed hoc nunc allegare eſſet longum tractatum componere. *Sed nunquid de jure communi diſpoſitio beneficiorum minorum ſpectat ad collegia, capitula, Prælatos &c. Et inſtitutio in dignitatibus majoribus debet fieri per electionem illorum, ad quos ſpectat.* Per quem electi acquirunt jus, & per confirmationem ſuperiorum & mediatorum. *Ergò Papa non debet ſe de præmiſſis intromittere.* Dicunt prædicti, quod Papæ competit collatio beneficiorum. Quia ipſe ſolus Chriſti ordinarius. Proinde ad nullum alium Chriſti ordinatione ſpectat collatio beneficiorum. Quia ipſe ſolus Chriſti eſt ordinarius omnium & ſingulorum, & nullus alius. Alii autem inferiores, & ſi ſint ordinarii, & quandoque uſi ſunt jure communi, conferendo ſua beneficia in ſuis diœceſibus, hoc fuit Papa permittente, jure & ordinatione facta per Papam, pro tunc habentem vim & curſum jura communia ſecundum variationem temporum variandi. An vero nunc debeat revocari *modus inſtituendi miniſtros in beneficiis*, obſervatus per ſummos Pontifices, ignorare nequit iſte. Stabo cum judice & autoritate, non cum magiſtrorum opinione. Benignitas enim Chriſti ſic ſuo Vicario in terris aſſiſtit, quod ſecundum varietatem temporum ſufficienter illuſtrat & diverſificat revelationes, ſecundum quas habet regere eccleſiam, tum incedendo, quàm etiam in agendo & moribus. Quia humanæ leges non ſufficiunt in omni caſu ad perfectam directionem humanorum actuum. Ideò Chriſtus tunc ex ſpeciali aſſiſtentia ad ſuum vicarium in neceſſitate revelat ſibi, quid agendum. Si enim ſummus ſacerdos ſynagogæ habuerit rationale judicium ſeu propitiatorium, in quo dabantur divina reſponſa, cum ſacerdos novæ legis ſit magis privilegiatus & Chriſto magis familiaris, quia ſuus vicarius, non videtur ſecurum aſſerere, quod ipſe ſtatuat aliquem modum intrandi beneficia eccleſiaſtica, qui ſit omninò injuſtus, maximè ſi fuerit per eccleſiam receptus & admiſſus. Ideo *diſt. 19.* ſcribitur: Omnes ſanctiones apoſtolicæ ſedis accipiendæ ſunt, tanquam ipſius divina voce Petri firmatæ. Et cauſam aſſignat devotus Rex Francorum & Imperator Romanorum, *Carolus M. in c. ſequenti*, Quia B. Petri autoritas debet eſſe eccleſiaſticæ rationis magiſtra. Nam, quicquid concludant per rationem in lege divina periti, in ſcientiis humanis excellentes, & rationis judicio eminentes, cujuscunque conditionis fuerint, eccleſiaſtici vel laici, ſeculares vel religioſi, ſi pauci vel multi, citra concilium generale, totum nihil eſt, ad imponendum novam regulam, ſecundum quam debet eſſe canonicus introitus, vel antiquam revocandam, niſi ſuperveniat magiſter eccleſiæ, qui autoritativè & magiſtraliter cum conſilio prudentum revocet regulas prius currentes & novas inſtituat & antiquas eſſe tenendas decernat. Nam ſi ultima reſolutio in regimine eccleſiæ Dei eſſet *ad rationem*, & *non ad autoritatem*, minus in eccleſia pacificè regeretur. Tum quia vox eſt nimis æquivoca, tum quia tot capita, tot rationes, tum quia in eodem, ſecundum variationem aſſenſus, diverſis rationibus variantur rationes & apparentiæ. Ideò meritò autoritas lata, limites ſuæ poteſtatis non excedens, in regimine eccleſiaſtico ſupra rationem

eadem tenet locum supremum. Et ibi est status. Nec licet illi contradicere nec de eo judicare, videlicet quicquid agit *causa existente legitima*. Secundò dicit iste, quod omnia jura humana, & sanctiones conciliorum generalium, vel decreta summorum Pontificum, quæque sonant per episcoporum confirmationem, spectant ad metropolitanam. Et collatio beneficiorum simplicium ad episcopos, servatur illibata quoad intentionem ponentium, si illa fiant per Papam, qui est metropolitanus & omnium episcopus. Et cum jura illa intelligantur, quod talia fiant per habentem autoritatem & legitimum superiorem & Papa sit talis, eum non excludunt, sed magis includunt.

EXCERPTA SERMONIS XI. f]

Contra exemptos & Simoniacos,

Dicti à M. HOTRICO ABENDON, Profess. Sacræ Theol. studii Oxoniensis,

Anno 1415. Domin. XXII. post Trinit. d. 27. Octobr.

Ex MSCt. Erfurtensi.

§. I.

Neminem potestati Episcopi sui eximendum contendit. Superstitionis illius temporis exemplum.

„Sed heu jam quidam surrexerunt, in ecclesia, „quos non coluerunt patres eorum, filii ingrati, fi„lii pessimi. Si tamen filii debeant dici, quoniam „ipsum fructum obedientiæ ab agro ecclesiæ co„nantur totis viribus exstirpare. Et sunt in duplici „genere, primi sunt, qui ordinem justitiæ deordi„nant, & secundi sunt, qui rectam fidem pervertunt ecclesiæ. Et hi ambo fructum tollunt obedientiæ, fructum honoris & honestatis ecclesiæ. Præterea lamentabiliter dolet ecclesia, dicens: *filios enutrivi & ipsi spernunt me.* Primi verò, qui ordinem deordinant justitiæ, sunt illi, qui primò subjugo obedientiæ degentes postea *facti superbi privilegia impetrant*, quibus dictum est: *jugum à se projiciunt* & suis superioribus amplius subesse nolunt. Quod cum de Christi familia nullos fecisse legimus in scripturis, à *fructibus eorum cognoscetis eos.* Nam tales tantò delinquunt audacius, quantò non est aliquis, qui reprehendat eos. Inter quos brigæ g) quandoque oriuntur detestabiles, fervor charitatis diminuitur, ac possessiones & prædia eis collata, ut Deo deserviant, in litibus consumuntur. Mihi non credis, audi *Bernhardum*, monachum non suspectum, qui pro talibus injuriis ecclesiæ factis acriter loquitur contra Papam Eugenium in hunc modum: *Nihil, Pater, tibi indignius, quàm sic ecclesias mutilare suis membris. Unde frequenter oriuntur lites inter ecclesias graves, inimicitiæ & discordiæ. Monstrum est, digitum pendere de capite. Hoc facis, Pater, si in Christi corpore mystico aliter disponas membra, quàm disposuit ipse. Sed si audis Abbatem dicere: Nolo esse sub episcopo, hoc certe de cælo non est. Nusquam enim angelorum quenquam audis inferiorem dicere: Nolo esse sub Michaële, nolo esse, nisi sub Deo. Noli ergò, Pater, confundere ordinem, noli perturbare terminos, quos posuerunt Patres tui. Si enim justitia est, servare unicuique, quod suum est, quomodo auferre cuiquam sua, justum esse potest? Si ergo sine vigente necessitate aut publica utilitate, non privata, hoc facias, planè, Pater, non est fidelis dispensatio, sed crudelis dis-*

f) Textus Phil. I. *Sitis repleti fructu justitiæ.*
g) jurgia.

sipatio. Hæc *Bernhardus* in summa: Unde quidam in epistola, & putatur etiam esse *Bernhardus*, illa scribit. *Certus sum ego monachus & monachorum Abbas, si à jugo mei Pontificis cervicem meam excutere tentavero, mox tyranno Sathanæ me ipsum subjicio.* Unde dominus *Lincolniensis* de his & aliis graviter conquestus est in quodam sermone coram summo Pontifice enuncians multa mala, quæ ex his & aliis veniunt contra officium pastorale specialiter in ecclesia Anglicana. Et ille fidelis *Cantor Parisiensis* multum instomachatur contra illas *exemtiones & eas impetrantes*, quos vocat schismaticos. Ex quibus tamen pertactis malis & aliis videtur aliquibus, expediens fore pro ecclesia, quòd talia *mala* essent *generaliter revocata*, nec obstaret scandalum aliquale. Cùm tolerabilius est, ut aliquale scandalum oriatur, quàm quòd veritas vitæ relinquatur. Nec impediret quorundam instantia, dicentium: Quod sic tollerentur *privilegia, quæ multis proficiunt, propter alia mala, quæ efficiunt.* Quod non videtur justum. Cùm non faciendum malum, ut eveniat bonum. Iste Paralogismus peccat in materia & forma. In materia: Nam malum, quod non est faciendum, ut eveniat bonum, est tantùm culpæ, aut peccati: Quod certum est non esse faciendum propter totum mundum, etiam propter cœlum. Sed malum, de quo pertinet ad propositum, est malum pœnæ, vel damni, cujusmodi est vel esset *revocatio* talis *privilegii boni cum aliis malis.* Et revera tale malum fieret in casu. Et etiam in privilegiatis sustinent gratissimè, dummodo caderet in bonum publicum ecclesiæ. Non sic ergo: Iste vel ille pejoratur, damnificatur ex talium revocatione, ergo hæc non debet fieri. Videmus enim ex lege civium, quod facta valida combustione in civitate aliqua, domus quandoque proxima dejicitur funditus, ut cesset incendium & salvetur civitas. Sic etiam pes læditur, ut totum corpus sanetur. Licet etiam malum fuit certis civitatibus, quòd eis Christus non prædicavit, quia, cum hoc toti ecclesiæ profuit, ideò simpliciter bonum fuit. Unde pro meliori intellectu hujus rei notabiliter scribit venerabilis *Hugo*, *de sacramentis Libr. I. P. IV.* Contingit inquit, *bonum alicujus bonum esse illius, & non bonum ad omnia, & quod malum est, alicujus bonum esse ad om-*

nia, & quod bonum est & alicui bonum minus esse bonum, quam quod malum est & alicui malum, quoniam ex ipso fortè est bonum omnium. Et concludit ad propositum. *Non debet ergò in compensatione minoris boni impediri, quod majus bonum est ab eo, qui est optimus.* Et eandem sententiam confirmat *Augustinus III. de libero arbitrio, c. 4.* Cum ergo est vel esse debeat optimus in ecclesia nostra, utinam attenderet ipse ad hanc regulam, tunc enim propter bonum alicujus non faceret malum omnium, nec propter malum alicujus dimitteret bonum omnium. Et sic propter bonum particulare non tàm largè dispensaret ad malum omnium: nec propter malum particulare parceret vel omitteret, quin, si opus esset, *bona cum malis tolleret, ad omnium bonum publicum.* Nec video, quod aliter *potentia revocativa esset in Papa necessaria.* Nec damnum videtur contingere per hoc universali ecclesiæ, nisi, ut ironicè loquar, quod adveniente tempore, ut nunc est, ipsa *ecclesia sine talibus militaret prosperius,* in ordine suo staret integrius, *minusque vexaretur pro reformandis moribus,* & ubique tales leges debitè practicatæ fructus producerent ampliores. Sed timeo, *solutus Satanas adeò maceravit ecclesiam talibus & aliis cæremoniis, quod ipsa languens in januis mortis redditur quasi incurabilis.*

§. II.

Prælati nesciunt legem Dei: & ideo gregem non instruunt.

Patet ergò, quod valdè indebite Prælatiam acquirunt, qui non prius, quàm alios doceant, addiscunt. Quod testatur venerabilis *Beda,* dicens: *Frustrà* igitur *Doctores sibi officium usurpant, qui discretionem catholicæ fidei ignorant. Non enim sanctuarium sed ruinam sibi ædificant, qui alios docere quærunt, nunquam ipsimet didicerunt.* Hæc Beda. Sed heu, hanc artem parum scire desiderant, qui in *litigiosis & lucrativis scientiis* totaliter se immergunt, & de *præbendarum fructibus & pecuniarum exactionibus* profundè se subtiliant. Sed de *scientia morum,* ac oppugnatione hæresis, nihil aut parum curant. Discant ergò Prælati singulique Curati legem Domini, & doceant populos diligenter. Caventes, ne in die districti examinis illos inveniant accusatores, quorum antea non extiterunt solliciti instructores. Sed timeant ipsi specialiter, qui super gregem suum non vigilant, sed ab eo procul fugiunt, ut ab hoc onere & aliis se excusent.

§. III.

Clerici à gregibus suis absunt, corradunt pecuniam, eamque Romæ dilapidant.

Tales denique possunt dici *Platonis ideæ, formæ abstractæ à materia.* Abstrahunt namque se ipsos à materia, quia à cura propria & propter carnis curas ad curias volant dominorum, ubi in compitis & coquinis suas faciunt residentias. Formæ essent gregis. Examina 1. Petr. II. sed, proh dolor! illum non formant neque informant, sed cum veniunt, difformant, spoliant & recedunt. Unde meritò ponitur in *Proverb. VII. Non est vir in domo sua, abiit via longissima, sacculum pecuniæ secum tulit, & in die plenæ lunæ reversurus est in domum suam.* Et revera verum est, quoniam veniunt & reveniunt in die *plenæ lunæ.* Quoniam dies veniunt autumnales, & *horrea sunt impleta.* Sed ecce post, *repletis loculis, abeunt longè ab ecclesiis, quandoque usque ad atrium summi Pontificis.* Sed *sacculos pecuniæ non omittunt,* quoniam ipsos secum afferunt: Quos posteà voluptuosè expendunt: Aut, quod malum est, in corbanum, aut, quod pejus est, in bancum mittunt, ubi suam *iniquitatis mammonam* in maledictione multiplicant per viscera. Ex qua procedit illud negotium, perambulans in tenebris, quo *mercantes in domo Simonis* perquirunt sibi ipsis in mala hora plura beneficia pinguiora. Et ex tunc surdi fiunt atque cœci, ut neque intelligant neque audiant illud sanctum proverbium, quô dicitur: *Qui non unus sed plures est in beneficiis, non unus sed plures sit in suppliciis.* Et talem *clericum mercatorem* tanquam pestem fuge. Ô miseri *mercenarii,* prævaricatores legis, redite ad cor. Mente recolite & sæpius cogitate, quomodo positi & conducti estis, ut fructibus vestræ justitiæ vestros mortuos spiritualiter suscitetis. Numquid stolidi creditis hoc facere absentes? Cum nusquam legitur, Christum viatorem mortuos suscitasse, nisi cùm præsens fuit. Hic enim præsens, non absens, per se ipsum, non Vicarium, suam ecclesiam continuè gubernavit. Fac & tu similiter. Numquid major tu es Christo? quem te ipsum facis? Elisæus misit Gehasi cum baculo ad filium mortuum suscitandum, sed non potuit. Venit ipse Elisæus cum baculo, & positis oculis ad oculos ipsum mortuum suscitavit. Et tu Elisæus, tantum nomine, tuum *mittis Geziacum, ignarum sacerdotem,* ad ecclesiam tuam, *qui baculo percutit filium tuum mortuum, sed non suscitat,* quin potius mortificat. Quoniam ipsum irritat, citat & excommunicat pro decimis & aliis, quæ tibi injustè vindicas pro labore: Non sic, impie. Non sic. Veni tu in persona propria, sine malitiæ baculo, & descende prius, quam filius tuus moriatur, & oculis tuæ considerationis ipsum vide, & doleas. Iterum oculis tuæ compassionis respice, & doceas. Demum tanquam verus & benignus Elizæus oculis charitatis ipsum respice, per amorem & opera pietatis, & sic respiciendo ipsum à morte suscitabis.

§. IV.

Admonitio ad Prælatos. Qualis debeat eligi Pontifex?

O Christi Pontifices, ô ecclesiæ Principes, ô Pastoris duces, ob amorem Jesu surgite, & reducite vestros sub pastu, suum ad ovile ecclesiasticum. Secundum leges civiles servi fugitivi sunt in doctrina & flagellis reducendi. Extendite virgam, si opus est vestræ disciplinæ, ut non parcatur dyscolis, nec etiam clericis, de computo vel coquina. Quinimò & ipsos residentes præbendatos, & studentes curas habentes, compellite, ut privilegiis non obstantibus temporibus saltem limitatis ad greges suos redeant, oves visitent, ibique resideant, pascant & doceant populum Dei. Eja, in Christo Patres & Domini, veraciter in manibus vestris stat effectus hujus rei, qui in dubio est honor Dei, salus ecclesiæ & totius populi Christiani. Et speramus per gratiam Dei, quòd *in his & aliis optimè providebit concilium sanctum, de remediis* præsertim, cum sit satis potens & sufficiens, *cujus omnis sufficientia à Domino Deo est,* ut hic nuper fuit doctum. Confortamini ergo in Domino. Quia ut

hodiè

hodiè loquar cum Apostolo, confidimus in Domino Jesu, quoniam qui ceperit in nobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi. Sed cujus Christi? certè vicarii Christi, qui est unctus, & sic Christus, *futurus summus Pontifex. Qui utinam veniat, ut Christus venit, conceptus de Spiritu sancto*, per sanctam inspirationem, *non de spiritu malo, per nequam conspirationem*, natus de virgine, ut ecclesia ipsum pariat, *nec corrumpatur prece nec pretio*, sed in parte ante & postea maneat illibata virgo, ut singuli nostrum dicere possumus in recessu: *Hic est ille, qui nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo natus est, plenus gratia & veritate.* De cujus plenitudine omnes vos accipitis, qui in partem sollicitudinis secum vocati estis.

Talis ergò *eligatur in summum Pontificem* & ecclesiæ Principem, qui juxta doctrinam Philosophi L. III. *Politic.* sit *dives*, sed in fide catholica, sit *generosus & liber* non carnali prosapia, sed ab omni carnis concupiscentia, sit *sciens & potens*, non scientia mundana aut carnis potentia, sed scientia divina canonica, & speculativa & practica, & potentia virtutis. Et tandem finaliter sit *electus*, formaliter, non à multitudine, per terrorem & impressionem convocata, sed à multitudine charitate adunata. Et talis per Dei gratiam ascendet in monte Domini & stabit in loco sancto ejus.

EXCERPTA SERMONIS XII. h)

Facti in Concilio Constantiensi per M. JOANNEM ZACHARIÆ, Ordinis Eremitarum S. Augustini, S. Theologiæ Professorem, in Festo S. Stephani, & in Ecclesia ejusdem, anno 1415. d. 26. Dec.

Ex MSCto Erfurtensi.

§. I.

Modi illiciti, quibus ad dignitates Clerici perveniant.

Considerante me ecclesiæ cursum, qui fuit, video, quod *ad statum Prælaturæ & eminentiæ*, ad gradum scripturæ & sapientiæ, *ad actum curæ & regimen animæ*, diversi *diversis* nominibus, id est *finibus*, pervenerunt: unus *nomine superbiæ & ambitionis*, alius nomine *avaritiæ & dilationis*, alter *nomine luxuriæ & delectationis.* Ille *nomine gulæ & commessationis*, iste nomine *iræ & contentionis*, hic *nomine invidiæ & offensionis*, is *nomine accidiæ & carnalis quietionis.* Ratio: Quis venit in nomine Christi & devotionis? Multò plures ad dignitates & beneficia intrarunt aliunde, quàm per ostium: Multisque *pluribus aperuit thesaurarius, quàm Spiritus sanctus ostiarius.* Idcircò *plures* sunt in *ecclesia fures, quàm fideles.* Quoniam qui non intrat per ostium sed aliunde, ille fur est & latro, Joh. X. Ex quo sequitur, quòd plures sunt *maledicti, quàm benedicti. Plures digni canonico suspendio, quàm ecclesiastico beneficio.* Et quanquam maledictus sit omnis, qui pendet in ligno, id est qui suspenditur canonico judicio, *Deuter. XXI. Gal. III.* tamen *benedictum* est *lignum*, id est judicium, *per quod fit justitia*, Sap. IX. Utinam, reverendissimi „Domini & Patres venerandi *in hoc sacro concilio „Constantiensi* non machinarentur *majores fures*, „id est *simoniaci, suspendere minores*: Ut facerent Socratem iterum ridere, qui fertur risisse, videns *majores fures* ducere *ad suspendium minores.* Qui ergò sic veniunt ad suas Prælaturas, dignitates seu beneficia, nominibus id est finibus indebitis & perversis, sunt, de quibus Dominus conqueritur: *Non mittebam*, inquit, *prophetas*, hoc est, taliter promotos, *& ipsi currebant, Jerem. XXIII.* Quasi diceret: Non vocavi eos ad statum Prælaturæ & eminentiæ, ad gradum Scripturæ & sapientiæ, ad actum curæ & regimen animæ. Et tamen ipsi se temerè & simoniacè ingesserunt. *Ipsi ergò*, inquit Dominus, *regnaverunt, & non ex me: Principes*, id est, Prælati, & curati, *extiterunt, & non cognovi eos, Oseæ VIII.* Non cognovi, inquit, id est, non approbavi eos, neque benedixi, quinimò verius maledicam benedictionibus eorum, Malach. II.

§. II.

Sigismundi Imperatoris labor & studium pro Concilio rite celebrando.

Dixi tertiò in tertia parte propositionis sumtæ, quòd *in nomine Domini rectè & debitè venit cum carne strenuus Cæsar appellatus*, cum carne, inquam, id est cum corporali omnipotentia & temporali. Noster *Serenissimus Cæsar venit*, id est *revertitur*, sicut fuit David reversus, ut benediceret domui suæ, *2. Reg. VI. ut huic sacro Concilio referat, quid pro* benedictione, id est *unione ecclesiæ, egerit in partibus remotis.* Considerans enim *piissimus noster Rex ac Imperator.* Dictum B. Augustini in epistola XXII. ubi ait: *Decet regalis apicis coronam generalitatis custodire concordiam. Quoniam ad laudem regnantis trahitur, si ab omnibus pax ametur. Quid est*, inquit, *quod Principem melius prædicet, quàm quietus populus, concors senatus & tota respublica morum honestate vestita.* Hæc ille. Sollicita etiam mente attendit, quòd *bonus Rex servus est publicus*, ut dicit laureatus Poëta, *Franciscus Petrarcha L. I. de remediis fortunæ c. 96.* Hinc se periculis & laboribus viarumque discriminibus exposuit, & in servitium ac advocationem Ecclesiæ se ipsum mancipavit, multo liberius & promtius, quam *primus Augustus.* De quo refert *Macrobius L. III. Saturnalium conviviorum.* Quem cùm quidam miles veteranus pro Advocato suo in causa sua postularet, Cæsar ei ex collegio advocatum dedit, cui causam veterani commendavit. Quod videns ille exclamavit rugiens voce, & dixit: Num quid ego, Cæsar, periclitante te Actiaco bello, Vicarium quæsivi? nonne pro te Ego pugnavi? Detexitque impressas cicatrices vulnerum, quæ in bello pertulit. Erubuit Cæsar, venitque, ne ingratus & superbus videretur, in advocatione veterani

h) Textus Luc. XIII. *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

rani per se ipsum. Sic noster *Serenissimus & invictissimus Romanorum, semperque plus quàm ille Augustus*, considerans cicatrices vulnerum Christi capitis ecclesiæ, ad advocandum in causa unionis ipsius, dum diceret hoc sacrum concilium Constantiense, quem mittam, & quis ibit? ipse noster *piissimus Cæsar* promtè se exhibens, respondit: *Ecce ego, mitte me, Esa. VI.* Sicque venit ex Ungaria ad Italiam, de Italia ad Germaniam, de Germania ad Galliæ provinciam, ubi in Perpiniano *luna lunæ est conjuncta:* Ad hunc intellectum: Luna enim potestatem signat Imperialem, ut in *c. Solito de major. & obedient.* habetur.

§. III.
Sigismundus lunæ claræ, Papa obscuræ comparatur.

Venit ergò reverendissimi Patres & Domini, in prædicta civitate Perpiniani luna, perfecta in æternum & testis in cœlo fidelis, pars David, ad lunam imperfectam, quæ non splendebit in lumine suo, *Es. XIII.* neque dabit lumen suum *Ezech. XXXII. & Matth. XXIV.* Venit noster *Serenissimus Imperator*, qui quasi luna plena in diebus suis lucet, ad *lunam obscuram*, quæ convertetur in sanguinem, *Joelis III. & Actor. II.* Imò *illa luna* jam facta est sicut sanguis, *Apocal. VI.* Per conventam, ut fertur, obstinationem venit claritas nostræ imperialis lunæ, de qua *1. Cor. VI. ad lunam eclipsatam & nube tectam Ezech. XXXII.* Venit profectò luna nostra Cæsarea, quæ nunquam tenebrescet, sed magis fama clarescet ad *lunam confusam*, quæ erubescit *Esa. XXIV.* Venit, inquam, reverendissimi Patres & Domini, noster *Majus florifer ad Novembrem invidum*, noster *Julius frugifer ad Decembrem rigidum*, noster *Augustus ignifer* ad *febricitantem Februarium frigidum.* Et quanquam non sit timendum, quòd lux nostræ Imperialis lunæ propter conjunctionem cum luna sanguinea & obscura in aliquo minuat, quinimò potius erit crescens & mirabiliter in consummatione *Eccles. XLIII.* sic, quòd finaliter lux nostræ lunæ erit sicut lux solis, *Esa. XXXVIII.* Tamen periculosum est diutinæ illi obscuratæ lunæ conjungi. Nam, ut dicit *Macrobius L. VI. saturnalium conviviorum, propè finem libri*, propter nonnullas malas influentias lunæ non est bonum sub luna dormire. Quia homo ægrè excitatur, proximus sic insano somno deprimitur, & pondere humorum generatur. Sic revera, patres reverendissimi, periculosum est quiescere diu & morari cum *luna sanguinea* prædicta. Quia posset somno errorum decipere & pondere verborum sensum nostri *Serenissimi Regis* multa cogitantem gravare. Et quia, ut dicitur, luna illa, quæ se prætendit Papalem in sanguine suorum criminum obstinata in oppositione est cum nostra Imperiali luna clarissima: Quid restat nisi ut auferatur *luna illa eclipsata per subtractionem obedientiæ*, & per totalem ejectionem sub pedibus ecclesiæ catholicæ prosternatur, revertaturque nostra luna Imperialis, *Imperator* videlicet *serenissimus*, qui in die pleno lunæ reversurus est in domum suam *Proverb. VII.* Ad domum, inquam, hujus *sacri concilii Constantiensis*, cum tanta agilitate ita ut ei dicat hæc sacra synodus ecclesiam Dei repræsentans: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles Cant. 2.* Quasi diceret: Egredimini, filiæ Sion, & videte Regem nobilem & laudandum ex gradibus singularem.

§. IV.
Zizania Ecclesiæ evellenda.

Eja, patres reverendissimi & Domini venerandi. Quam *necessaria esset jam in ecclesia Dei evulsio Zizaniorum*, hæresis & discredentiæ, *destructio loliorum*, hypocrisis & fraudulentiæ, *dispersio tribulorum*, tyrannidis & violentiæ, *dissipatio raphanorum*, gravaminis & injustitiæ, ut in ea quasi in horto frugifero & irriguo cresceret triticum fidei & botrus *morum ac sanctitatis.* Sed quia *evulsores, destructores, dispersores, dissipatores* prædictorum malorum, nec non *fidei judices* sunt, proh dolor! *tepidi* & *pigri* aut fortè *trepidantes timore*, ubi non est timor: Idcircò hortum ecclesiæ totum repleverunt *urticæ*, & operuerunt superficiem ejus *spinæ*, *Proverb. XXIV.* Utinam tam fortes essent & constantes, sicut fuit beatissimus Stephanus, de quo in prælegato sermone *B. Augustinus* loquitur, dicens: *Usque adeò*, inquit, *inter frementes Stephanus permansit intrepidus, & inter lapidantium fuit cruciamenta securus, ut incredulitatem Judæorum fidenter argueret, & benignè pro lapidantibus exoraret.* Non attendatis, obsecro, Judices fidei, quod quibusdam indiscretis dixit Dominus parabolicè: *Sinite utraque crescere usque ad messem*, Matth. XIII. quia hoc intelligitur, ubi Zizania infidelitatis discerni non possunt à tritico fidei & veritatis, & ubi unum sine altero absque magno scandalo & novo schismate evelli non potest, ut dicit *glossa* ibidem. Vel dico, quod jam est messis, & quod colligi debent Zizania, id est hæretici, in fide & in moribus erronei, in fasciculos, ad comburendum, ut in eadem subditur parabola. Quod attendentes *illustrissimus Princeps ac Dominus meus Marchio Missenensis* concurrente magnifico Domino *Gunthero de Schwarzburg*, *Patre* nunc Domini *Archiepiscopi Magdeburgensis*, patris reverendi, circa *ducentos hæreticos* i) *in suis territoriis Zelo fidei annô præteritô cremaverunt.* Unde arbitror, quod infinitum facerent melius Prælati ecclesiæ, auferendo mala fidei & morum de medio, quàm spoliando monasteria, ecclesias, imò Reges & Principes, privilegiis & exemtionibus, ex legitimis causis traditis & concessis.

i) Crucifixos, v. Tom. I. Part. I. f. 126.

EX-

EXCERPTA SERMONIS XIII. k]

Habiti in Concilio Constantiensi Anno 1416. Domin. IV. post Epiph. die 2. Febr.

Ex MSCt. Erfurt.

§. I.

Adhortatio ad concilium, ubi de schismate quædam, & dissensione à Græcis.

„Sic præsens sacrosancta *synodus Constantiensis stabit in magna constantia* adversus eos, qui „eam angustiaverunt, vel etiam ejus fructuosos la„bores auferre conantur, si dilectionem habueritis „ad invicem. Sic *à præsenti generali concilio*, & consequenter ab universitate fidelium, exterminabuntur & in exterminium perpetuum mittentur inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, furta, homicidia, detractiones, seditiones, & si qua sunt similia, quæ regnum Dei non consequuntur. Et loco prædictorum per dilectionem mutuam introducentur fructus spiritus, enumerati per apostolum, *Gal. V.* Qui sunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Quorum *declarationem elegantem nuper audistis.* Ideò pertranseo. Si semper unusquisque proximum suum & consequenter ejus honorem, sicut proprium, & se ipsum dilexisset, nunquam præsens horrendum *schisma*, nimis, proh dolor! diuturnum, pro cujus sedatione, Reverendissimi Patres & sapientes viri, qui in Spiritu Sancto convenistis, introductum fuisset, quanto minus continuatum. Sub quo pullularunt hæreses. Pestiferum *schisma* namque *ad hæresin viam parat*, & loco dilectionis sacrilegam divisionem innovat, inducit. Sed nunc, operante Christo per ministerium vestrum *dilectio redeat* & divisio recedat in confusionem. Non enim divisus est Christus, cujus res agitur, qui in omnibus pro sua reverentia exauditus est, & ipse pro suis rogabat Patrem, *Joh. XVII. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos.* Et quibusdam interpositis: *Ego in eis, & tu in me, & simus consummati in unum, & cognoscat mundus, quia tu me misisti & dilexisti eos, sicut me dilexisti.* Ipsi Domino Jesu Christo, qui ductor est præsentis operis, sine quo nihil potestis facere, cooperatores indefessi & pervigiles fuistis, & constanti longanimitate. Donec intentum finem attigeritis, ipso duce perseverabitis, mercedem salutis expectantes, „qui tantam dilectionem habetis ad invicem, ut „jam *duas*, ut sic loquamur, *obedientias in unum* „*junxistis*, tertiam verò per Ambassiatores vestros „solennes, quorum fructuosa diligentia perpetuæ memoriæ commendanda est, habetis in promissis. Ex quibus, disponente Deo, non ambigimus perfectam *unionem* sanctæ matris *ecclesiæ* provenire. Quia unione completa, remotum erit *obstaculum*, quo forsan nullum majus est, *quod Græcos in divisione diu tenuit.* Et faciliter vestræ dilectionis extensio, quæ ipsos etiam comprehendit, merebitur, reciprocamque dilectionem recipiet, per quam *nobiscum conjungi* potuerunt & uniri. Et ita tolletur de medio *vetus schisma*, per inimicum humani generis procuratum, quod infideles in quadam perplexitate detinet. Cùm dicere possint: *Si conversamur cum Græcis, anathematizabimur à Latinis*, & è contra; unione vero omnium Christianorum per mutuam cunctorum dilectionem consummatâ, agnoscent & ipsi gentiles, nos esse Christi discipulos.

§. II.

Vitia Prælatorum, quibus Schisma fovetur.

Pervertitur itaque institutus dilectionis ordo, si, quod absit, *singularis ambitio intelligentiæ* ita præsumat, & transeat in affectum cordis, ut, seriem dilectionis penitus constringendo, quemcunque fratrem, parvum vel magnum, Principem vel bubulcum prius publicâ contumelia, cogitatu quoque temerario, offendat, quàm dilectionis ordinem tenuerit. Et fit plerumque quod interturbatur pax regnorum atque prælia & seditiones suscitantur. Quo circa advertendum est, quod *quibusdam viris inest quædam radicalis industria jugiter malignandi & excogitandi sectas & divisiones.* Quemadmodum circa fautoriam schismatis ecclesiæ manifestissimè didicimus. Tales *in discordiis impinguantur*, sibique non dilectio sed divisio tota est gloria. *Caveat*, obsecro, *sancta synodus*, ne per ministros se inter nos spiritus divisionis commisceat, & mutuam dilectionem repellat, juxta secundam habitudinem, scilicet status ad statum. Exercere debet etiam invicem dilectio. Quantam enim dilectionem *status pastoralis* suo gregi & inferiori statui exhibere teneatur, si casus exigat, docente Christo, didicimus. *Bonus*, inquit, *pastor animam suam ponit pro ovibus suis.* Sed quando creditis animam ponerent pro ovibus, qui *nec substantiam indigentibus* & postulantibus præbent. Ut de *exactionibus, extorsionibus*, & *rapinis* aliorum taceatur. Injuste detinentes pauperibus debitum patrimonium crucifixi: Illud etiam interdum in *ambitioso apparatu equorum*, familiarium, & illecebrosis actibus, turpiter effundentes. Et quod periculosius videtur, *jurisdictionem suam*, quæ in ædificationem data erat, sæpe, proh dolor, *ad destructionem convertentes*, dum innocentes opprimunt, fovent peccatores in culpis, sperantes magis de vitiis quàm de virtutibus, *pecunias cumulantes.* Et hi, qui *jurisdictionem* suam *ampliare* cupiunt, suorum utinam, ne dicam propriæ saluti, sufficienti diligentia providerent. Non sic, Reverendissimi patres & domini mei, non sic. Sed potius *oves & subditos vestros* tanquam *pastores*, diligentes, ipsam dilectionem vestram opere compleatis, eosdem purgando & perficiendo, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.

k) Textus Rom. XIII. *Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.*

EXCERPTA SERMONIS XIV. l]

Pronunciati in Concilio Conſtantienſi à M. THEODORICO DE MONASTERIO, Sacræ paginæ Profeſſ. m)

Anno 1416. Dom. Sept.

Ex MSCto Erfurtenſi.

§. I.

Contra Prælatos otioſos: Num Papa ſolum ob hæreſin deponi poſſit?

Et primo cum *carnalibus*, qui per totam diem usque ad horam undecimam ſtant *otioſi*. Scitis enim, patres celeberrimi quod *otium* à majoribus noſtris *omnium vitiorum ſentina* reputatum eſt. Nam *otium* bonis omnibus denudat hominem, & tentationum cogitationumque illecebris nudum exponit. Porro *otium* ex carnis pondere venit, dum videlicet caro hominem talem deprimit, quod ad aliquid arduum & difficile aſſurgere nequit, & nequit ſæpe animus, *mole carnis* adeo preſſus ad ardua altaque exſurgere. Sed quaſi in profundo limi demerſus, ea, quæ carnis ſunt, duntaxat cogitat, illa concupiſcit, in his quoque ſolum congaudet. Et nunc in carne fœda ſcaturit *prurigo*, & ex prurigine ſpurciſſimum naſcitur *otium*. Quod homines taliter enormat, venasque ſubtrahit, ut *quaſi letargico morbo ſopiti obliviſcantur ſui, & ad beſtialitatem reducti*, tanquam *porci fœtidiſſimi* in omnium vitiorum cœno provolvantur. Quàm ergo abominandum & quàm deteſtabile ſit hoc *otium*, bene eſt perpendere. Sed quam *flagitioſum* ſit *in viris eccleſiaſticis* & maxime *Prælatis*, ad cultum vineæ Domini conductis, enarrare non eſt facile. Neque ego, quomodo illos deſcribam, aut cui *monſtro* comparem, ſcio. Homines miſeri, & ad extremum perditi de labore conveniunt, & ad laborem ſe obligant, ut impenſis ſuis voluptati & otio vacent. An patrem familias decipere putant, an ſe nunquam conventionis ſuæ rationem reddituros credunt? Nonne eis ſatis eſt ſe ipſos perdere, niſi etiam alios ad perditionem trahant. Nonne ſatis eſt, ſibi eſſe inutiles, niſi & operarii locum occupando aliis nocivi fiant? Nonne ſufficit eis propriæ conſcientiæ agrum ſentibus & ſpinis oppletum tenere, niſi vineam Domini, quantum in eis eſt, incultam & inconditam reddant. O cœca *voluptatis libido*, quæ nunquam proprio malo contenta eſt, niſi tandem aliis noceat. Qui *corrupti* ſunt *moribus* & *fœtidi*, *Prælaturas quærunt*, ut alios corrumpant. Tolerabiles quidam eſſent, ſi, dum operari nequeunt, vel nolunt ſaltem, *ut effigies hominum larvatæ in vineis affixæ, aves cæli*, depaſcentes vineam, *ſuâ umbrâ profugarent*. Sed quid? Neque laborant, ut vinicolæ, neque feras terrent, ut ſtatuæ: ſed *ut fœtida hominum morticinia in vineis projecta* ſuo fœtore, & inhoneſtis exemplis rapaciſſimas agri beſtias alliciunt, & ad demoliendum vineam provocant. Quamobrem non ſolum ut *otioſi*, ſed tanquam inutiles & nocivi repellendi ſunt, ac de vinea Domini turpiter ejiciendi, juxta Domini præceptum, *Matth. XXV. Tollite*, inquit, *ab eo talentum*, & ſequitur, *inutilem ſervum projicite in tenebras exteriores*. Nec tamen *propter ſimplex otium deponendus eſt Prælatus*, ſed propter illud, quod jam deſcriptum eſt, videlicet quod tam *carnalium cloaca vitiorum* corruptionis fœtorem quaqua verſum diffundit. *Falſa* igitur videtur *opinio* dicentium, *quod ſolum propter crimen hæreſeos ſummus Pontifex deponi poſſet*. Niſi hæreſes nomen largè extenderetur, puta *ad omne*, quod *hæreſis formalis eſt*, & *quod ſapit hæreſin*. Quod propter hoc dicitur, quia *omne peccatum publicum & ſcandaloſum*, & cum hoc inverecundè impudenterque continuatum, *ſapit hæreſin*. Atque talium actores de hæreſi ſunt arguendi, ubi nullam hæreſin vocaliter proferrent. Cum *tales actus*, quantum in ſe eſt, eam publicent. Et maxime actus prælatorum, quorum vita exemplaris & actus, *ſubditorum* ſunt *regulæ*. Meritò ergò & ſummoperè *Prælatis eccleſiæ fugiendum eſt* illud *otium*, quod à ſanctis Patribus *vitiorum ſentina* eſt judicatum.

§. II.

Scripturæ contemtus, præ decretis Pontificum & legibus ac ſtatutis humanis. Eſtque hæc concionis portio valde gravis & lecta dignisſima.

Sed *aliud* certè eſt *otium*, quod *Prælatos* eccleſiæ à debito promiſſoque vineæ Domini cultum nimium *diſtrahit*. Promiſerunt namque *Paſtores eccleſiæ*, vineam Domini, ſcilicet *ſacram ſcripturam colere*, exarare, reſecare, explicare, ſupputare, & ſic de aliis culturæ generibus. Dum ergo *ſpreto ſacræ ſcripturæ ſtudio*, gentilium libros duntaxat revolvunt, circa plantulas à Philoſophis dudum excultas ſuum laborem exercent, atque vineâ Domini penitus relictâ, *poſitiva hominum ſtatuta* n) toto amplexantur ſtudio: Profecto otioſi, negligentesque promiſſa, videntur. Sed, quorſum iſta? Apud ſe veſtrum plurimi, ut exiſtimo, dicunt. Quorſum hoc? Nam quorſum vis evadere? Vis ne tu dicere, circa *leges civiles* & ſanctiſſima *Pontificum decreta* eſſe *indebitum Prælatorum ſtudium?* Deliras, ſi dicis. Et contraria jam tuis dictis aſſeris. Nam, ut dixiſti, hæc vinea deſuper infuſa naturæque inſerta eſt. Modo ad colonum ſpectat *non modicè* vineæ cultus. Nam ſi truncus ſit aridus & ſterilis, non germinabit illud, quod deſuper inſeritur. Unde *articulus fidei, de unitatibus eccleſiæ*, in cordibus fidelium nunquam fructificaret, niſi *unitas hominum* naturalis *per leges civiles* compoſita foret. Præterea illa *jura*, quæ tu *poſitiva* vocas, à lege Divina derivata ſunt, ab hac vinea ſic naturæ trunco inſerto pullulant, imo verius ſunt ceſpites cum fructu.

l) Textus Matth. XX. *Ite & vos in vineam meam.*
m) Ejusdem Viri eſt *Sermo*, quem dedimus, VIII.
n) Vide hujus rei exemplum in *Sermone III.* quem ideo integrum exhibuimus.

ctu. Quomodo ergo viticolas, dicis *otiosos, qui talibus insistunt.* Erras omnino, si hac pergis via. Talia, ut credo, multi vestrum volutant, quibus ut respondeam, & superius dicta magis declarem, distinctione opus est. Quam *distinctionem* sumo à *sancto Doctore in prima secundæ & quæstione de legibus.* Dicuntur enim *leges justæ*, quæ à lege Divina vel naturali derivantur. Quædam enim derivantur ab ipsis, tanquam conclusiones deductæ vel deducibiles ex eis, consequentiâ formali & necessaria, ut materia modalis exigit. Et hujusmodi leges eundem saporem retinent, sicut illa, à quibus derivantur, juxta Apostoli dictum Rom. XI. *Si radix sancta, & rami.* Et isto modo in *corpore decreti* sunt leges multæ à lege Divina derivatæ, & à lege naturali, leges civiles plurimæ. Quædam autem derivantur ab ipsis non tanquam conclusiones deducibiles ex eis in formali consequentia. Eò, quod *nimis versantur circà exteriorem materiam*, scilicet per applicationem cujusdam intellectus superioris, scientis illas leges superiores & applicantis eas, quantum materia exterior patitur. Et istiusmodi sunt *leges positivæ.* Quæ dicuntur positivæ, quia plus obligant in quantum præceptæ, quoniam rectæ. Et sunt *mutabiles* secundum exigentiam exterioris materiæ. Et isto modo sunt multæ *leges editæ à summis Pontificibus*, multæ *ab Imperatoribus*: Nunc ad propositum dico, quod *istas leges* penitus *ignorare non possunt prælati* absque vitio. Cum subditum scire oporteat, quid Dominus mandat. Sed quod circà eas, spreto Divinæ legis studio, tempus suum & laborem in his exercendis consumant, procul dubio respectu vocationis suæ *otiosa* videtur hæc *occupatio.* Habeant quidam ministros & familiares, quorum sit hoc studium, & per se ipsos *legem Domini* tanquam vineam exerceant. Scriptum enim est *Malach. II. Labia sacerdotis custodiunt scientiam & legem de ore ejus requirunt.* Et in psalmo: *Beatus vir, qui in lege Domini meditatur die ac nocte.* Et sequitur: *Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Pulchrum quidem est videre in *decretorum libro* illos fructiferos sententiarum ramunculos. Sed pulchrius adhuc est *originem eorum* perquirere, fundum, à quo radices trahunt, perserutari. Sic enim laboriosus ille viticola *Hieronymus* in hujus vineæ fundo nocteque dieque laborans, dicit in *prologo Bibliæ: Non sum tam hebes aut petulans, quod me arbitrer nosse aut fructus omnes carpere in terra, quorum radices in cælo fixæ sunt. Arguenda est ex jam dictis* quorundam *Prælatorum desidia*, qui *à sacræ scripturæ textu sermones suos nunquam ordiuntur*, sed *ab humanis legibus.* Et si contingat, illos in suorum sermonum fulcimentum aliquod scripturæ verbum adducere, profectò non in fundo vineæ, ubi à Deo plantatum est; sed *in aliquo jurium capitulo*, ubi solum stat excerptum, allegabunt, ac si non essent vinicolæ, sed duntaxat peregrini, qui transeuntes viam, pendentem uvam à vinea decerpunt. Arguenda est insuper aliorum *ineptia*, qui *leges hominum pure positivas habere fixas radices putant*, fortiusque ipsis, quàm Divinis legibus in cœlo radicatis adhærent. Non advertentes, quod ex applicatione intellectus legislatoris ad fluidam materiam factæ sunt ac dependeant. Porro ex hac *inadvertentia* plurima veniunt *ecclesiæ incommoda.* Ac inde hoc nefandissimum *schisma* jam XXXVIII. *annis continuatum* est. Non videbatur certè *modus congregandi concilium*, neque ejiciendi contendentes de papatu, *propter aliquas leges positivas obsistentes*, quæ suo tempore cucurrerunt. Sic ergo mutatâ materia, *legem* variari aut *interpretari* necesse est. Omnibus tamen non conceditur hæc interpretatio. Quomodo autem *materiæ immutatio, legumque* ex consequenti *variatio* participetur, brevi exemplo declaro. Sicut enim ex aspectu aliquod fixum & stabile *cursus fluvii* perpendit, sic ex aspectu ad jus Divinum, vel naturale, permanens & immobile, *cujuscunque legis positivæ variatio* percipitur. Et hoc quidem modo. Nam certum est, quod obediendum est Deo plus quàm hominibus. Si nunc ergò videatur *repugnantia alicujus legis positivæ* ad *Divinam*, non est ei obediendum. Censendum est ergò, quod legislator bonus & justus, dum illam condidit legem, repugnantiam istam non vidit, quam tamen vidisset, si pro tunc fuisset. Quare est concludendum, quod *nunc* est *alia materia*, quam sub suâ lege non comprehendit, ad quam etiam, si viveret, legem suam non applicaret. Multa denique essent deducenda, quæ exercitium magis flagitant scholasticum. Hæc vero pro tanto introducta sunt. Quoniam hæ *leges positivæ in Divinarum legum profanationem hodiernis temporibus nimis extollantur.* Jam enim *Christi præcepta, apostolorum monita & sanctorum Patrum consilia*, illis *subjiciantur.* Jam etiam relictis Divinis legibus, *nostri Prælati* ad eas penitus convertuntur. Rem certe ipsam *in præsenti concilio* experimur. Nam plus curant & *magis* sunt *sollicita de Clementis literis*, ne suum perdant vigorem, quàm *de præceptis decalogi.* Jam verò citiùs diligentiusque quæritur, *an in cujusdam episcopi judicio forma styli fuerit servata*, quàm si fides læsa aut reparata. Imò quantumcunque fides per aliquam sententiam exaltetur, eleveturque, *styli formâ quodammodo prætermissa*, si centum millia animarum deberent in fide scandalizari, illa sententia prorsus annullatur, nulla reddita causa. Quasi fortius inviolabiliusque sit *præceptum, deservando stilum*, quàm *præceptum Christi, de non scandalizando in fide proximam.* De vobis inquit Christus, qui *irritum facitis mandatum Dei propter traditiones hominum, Matth. VII.* Et quod indignius est hoc *jus* & *justitiam* vocant. *Quasi*, contra apostoli dictum, in Christiano aliquid esset virtuosum, quod in obsequium fidei non esset captivatum. Porro omnes habitus intellectuales, omnes artes & scientiæ, à fide reformationem suscipiunt. Adeo, quod *B. Hieronymus* eas, dum à fidelibus amplectuntur, comparat mulieribus repertis in meretricio, quæ secundum legem Leviticam rasis unguibus & crinibus, omnibusque superfluis amputatis, filiis Israel connubio jungebantur. Ita, quicquid est in Christiano, si virtuosum dici debeat, subjici fidei necesse est. Nam in Christiano fides omnia domat, omnia regulat, omnia frenat, omnia illi substernuntur. *Nescio an causarum stylus solus in obsequium fidei non captivabitur.* Proh nefas! veniet inde contemtus, unde processit religio. Profecto, hæc *superbia*, hic *rigor*, majoris ruinæ est indicium, dispositio non modica.

Et si mihi non creditis, saltem *Esaiæ* credite. *Quia,* inquit, *non timuerunt me, mandato hominum & doctrinis inhærentes.* Ecce, Adam, admirationem grandem, & sequitur: *Peribit enim sapientia à sapientibus ejus, & intellectus prudentum ejus abscondetur.* Quippe si *præsente, vidente, scienteque generali concilio* nutriantur fidei scandala, certe necesse est, ut majora veniant. Quarè, patres celeberrimi, *timeo* multum, *ne ex nostro labore nascantur vepres & spinæ,* atque stultis colonis comparemur, qui quod in agro uno evellunt, in alio seminare videntur. Eja ergò, patres celeberrimi, si quem animum in æstimanda sorte vocationis vestræ unquam habuistis, illum nunc ostendite. Vos vineam Domini omni genere culturæ laborandam suscepistis. Et nunc à vobis, herbas nocivas evellendi, hæreses exstirpandi ac capiendi feras vineam depascentes, tollitur potestas. Attamen ad vos obnixè clamitat ecclesia: *capite vulpeculas, quæ demoliuntur vineas.* Et unde magis mirandum, quod hoc fit & dicitur *in favorem quorundam errorum,* qui nedum ut vulpeculæ, sed uti *vulpes magnæ* patenter & notorie vineam Domini depascunt. Si autem de vulpeculis latenter & in occulto vineam rodentibus ad vos nihil spectat, frustra ad vos clamat ecclesia: *capite vulpeculas.* Frustra vineam colitis, si fructus ejus à morsibus ferarum protegere nequitis. Quibus, quæso, dicit ecclesia, capite vulpeculas, nisi Prælatis, quibus vineam commisit. O tempora! ô mores! Deprimendus estne Prælatus, qui ecclesiæ serviens errores damnavit! Deterrendus estne bonus canis venaticus, dum feram persequitur! capite ergò, patres celeberrimi, vulpeculas, capite. Ad hoc enim instigat & sollicitat vos mater ecclesia. De hoc vobis paterfamilias dedit potestatem, dum vos conducit in vineam. Hoc procul dubio clauditur infra conventionis vestræ portionem sub verbis jam propositis, scilicet, *ite & vos in vineam meam.*

EXCERPTA SERMONIS XV. o]

Facti in Concilio Constantiensi

Anno 1416. die 1. Martii.

Ex MSCt. Erfurtensi.

§. I.

Arcæ Noachicæ comparatur concilium.

Arcam dum vidistis *militantis ecclesiæ,* ad violentiam quorundam *gigantum, virorum grandium,* tantorum atque pinguium in cervice crassa de patrimonio Christi, illorum quidem erectis cornubus infando *schismate* frustratim ac diuturnius ibi *conscissam* vidistis, *difformatamque* nunc ad *sui refabricationem* intenditis. Composuistis idcirco *synodum hanc,* arcam istam de lignis Sitthim, politis & imputrabilibus. Quam super *aquas istius laci,* aptissime collocastis. O constantissimam *Constantiæ* hujus, ac istius *synodalis arcæ,* solidissimam, perfectissimamque quadraturam! Quam ita componi voluisti, Deus bone, de lignis lævigatis, in ista quidem compagine & *consonantia illustrium personarum,* ut inter aquas istius laci & quaqua versim circumflantes ventorum procellas, nullo tædio, *nullo præstolandi de fatigatione,* quomodo libet *succubuerit,* putrueritque. *Hostis nequam tentavit sæpius,* sed nihil capere poterat, unde arcam politissimam in laci profundum potuerit evertere. Longum schisma longa cicatrix. Nimirum si *difficilior* nunc invenitur *medicina,* dictum atque lugubriter pioque zelo deplanctum memini per aliquos viros. *Quid hic stamus tamdiu otiosi?* Bene dictum verè, totisque præcordiis optabile, quod ita protulimus, ut de *terra longinqua* insignis & optimæ *legationis factæ* magnificentissimam ecclesiæ dispositionem affert. Dixi jugiter in corde meo *expectationem* hanc; Quod optimum, quod *fieret apud nos!* Simul tamen comite provigili ac exercitatissimo *devotæ orationis,* quæ tantum vigorem effectusque importat, quantum *insignis quidam Abbas dudum in isto loco perdocuit.*

§. II.

Reformatio in novum Papam differenda.

Et miretur quispiam, si, præter ista, quæ verè valde magna sunt, *in reformatione ecclesiæ, parum nunc ulterius fiet.* Præpeditur namque ad ipsum in arca, *ob carentiam unius architectoris,* sub cujus unitatis imperio atque directorio *ecclesiasticæ reformationis ordinem* multo facilius consequi æstimabitur. Etenim controversiam pluralitatis sensuum ac *divaricationis animorum,* unde multi sibi curiosa, & sese potius locupletantia, credite, quam expedientia animabus, quæritant, sub *unius Principis* liberius quidem ac immunius *judicium* imperiose recolligi, tractari atque versari conveniret. Arcam illam, Deus gloriose, de qua quotidie loquimur, *ad unum cubitum* terminari in summo, præcepisti. *In cubito,* inquit, *consummabis summitatem ejus.* In cubito, in uno Deo, per quem omnia, in Christo uno, fide una, baptismo uno, *Papa uno,* vicario Jesu Christi, uno capite quidem ministeriali, cui plenitudo jurisdictionis in illo vertice concessa est. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis,* & similia.

§. III.

Laus Virginis Mariæ immodica: Exemplum horrendæ superstitionis.

Unde mihi est conveniens meditatio & una verissima cæterisque patulior, te adeundi, te collaudandi, te invocandi, te consequendi, totius humanæ spei atque mortalis penuriæ confidentissimum perfugium, ô virgo, ô mater Dei pudicissima. Tu illius dignitatis & excellentis gratiæ fastigium attinuisti, ut symbolo quidem vocabulorum, proportione ac spirituali rerum allegoria, te virginem inter summos rerum apices, divinamque etenim verbi sapientiam, amplitudine magnificentissima efferri atque laudari conveniat. Nec deest ob hoc id quod dilucidandum præsentialiter suscepimus. *Fac tibi arcam de lignis lævigatis.* De lignis lævigatis atque politis & imputribilibus in omnium virtutum & charismatum honorificentissimam atque solidis-

o) Textus *Gen. VI. Fac tibi arcam ex lignis lævigatis.*

ſolidiſſimam quadraturam, tu dolata & bene polita habitatio puellaris, tu virginale tabernaculum, tu hoſpitium Dei, templum increati verbi, thalamus altiſſimi, arca ſanctificationis, operæ ſanctæ Trinitatis benedictæ mirabiliter ac prorſus inexorabiliter fabricata. Es *Noë*, cui dictum erat: *Fac tibi arcam de lignis lævigatis.* Requies Hebraicè interpretatur. Et typum illius geris, quem peperiſti, in quo ſane requiem invenimus, quem præ cunctis rebus ad tuam fruitionem efflagitaſti, ut prædiximus. *In omnibus requiem quæſivi, qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Quamobrem David in præcordio & deſiderio ſpiritus Dominum precabatur: *Surge, Domine, in requiem tuam,* Tu, & arca ſanctificationis tuæ. Et de te virgo ſancta ſecura eſt. Protinus æterni verbi pollicitatio: *Hæc requies mea in ſeculum ſeculi,* hic habitabo, quoniam elegi eam. Elegiſti, benedicte Deus, utique, dum in iſtius arcæ virginalis thalamo ſummam virtutum & omnis gratiæ plenitudinem & temetipſum hypoſtaſin ſecundam in divinis per carnis ſuſceptionem, per totius indiviſæ Trinitatis concomitantiam, miro prorſus atque ſtupendo effectu, repoſuiſti. Et tali pacto arcam iſtam pudicitiæ in templum tibi Deo conſecraſti. Si cum ſervo tuo loquar, Doctore quodam profundæ intelligentiæ ac piæ & recentis memoriæ, Petro, dudum *Antiſtite Silva nectenſi*: Quod ſi non peccaſſet Adam, nihilominus exegiſſet manifeſtanda infinito opere *poteſtas Altiſſimi* illucitanda, à fine in finem proveniens *ſapientia* ipſius increati *verbi*, clarificandaque in conſpectu creaturarum *benignitas Spiritus ſancti.* Simul juxta liquidam prædicti viri inveſtigationem conveniens erat, quod in ſempiternæ virginitatis utero hoc myſterium incarnationis Deus interminabili ſacerdotio Melchiſedech, quod non habet finem, quaſi immenſum holocauſtum, ac benedictæ ipſius Trinitatis offertorium & conſecraret & digne offerret. Ubi adeſt liquidò materia grandis & abyſſus inexhauſta de hujusmodi virginis clauſtro & arca pudicitiæ.

EXCERPTA SERMONIS XVI. p)

Dicti Anno 1416. Domin. Judica.

Ex MSCt. Erfurt.

§. I.

Modus reformationis.

Ex quibus clare comparet *unicus modus reformationis eccleſiæ deformatæ,* præter quem non eſt alius. Iſte ſcilicet: Quod ſicut *omnis ſtatus eccleſiæ,* vel pene omnis, *longè receſſit à ſuo fundamento:* ita quilibet hujusmodi *ſtatus reducatur ad idem fundamentum,* ſcilicet ad Chriſtum: Ad *imitationem* ſuæ ſanctiſſimæ *vitæ,* & ad *obſervantiam* ſuæ veriſſimæ *doctrinæ.* Ponat ergo *hæc ſancta ſynodus, cujus ſtudium eſt in eccleſiæ reformatione,* inprimis ante oculos ſuos illas *vivendi regulas,* quas ille magiſter magiſtrorum Chriſtus, ſponſus eccleſiæ, pro ſuæ ſponſæ gubernatione atq; decore fabricavit, & in ſacris evangeliis ad perpetuam rei memoriam ſcripſit. Mandavit regulam de *ſervanda manſuetudine & humilitate, dum dixit: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Matth. XI. De vitanda avaritia,* dum dixit: *Videte & cavete ab omni avaritia, Luc. XII.* De *vitanda hypocriſi,* dum dixit: *Attendite à fermento Phariſæorum,* quod eſt hypocriſis. Ibidem. De *vitanda crapula,* cum dixit: *Attendite vobis, ne forte graventur corda veſtra in crapula & ebrietate, Luc. XXI.* Regulam *juſtitiæ & æquitatis,* dum dixit: *nolite judicare ſecundum faciem, ſed ſecundum juſtum judicium, Joh. VII.* Regulam *clementiæ & pietatis,* dum dixit: *Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter miſericors eſt, Luc. VII.* Regulam *fortitudinis,* dum dixit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, Matth. X.* Regulam *patientiæ,* dum dixit: *in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Regulam vigilandi in *ſalutaribus laboribus,* dum dixit: *Beati ſervi illi, quos, cum venerit, Dominus invenerit vigilantes, Luc. XII.* Regulam *negotiandi fideliter* cum accepto talento, dum dixit: *Euge, ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, Matth. XXV.* Regulam ſervandi divina mandata *Matth. XIX.* Has benedictas, certas, infallibiles & immortales atque *ſaluberrimas regulas,* illi viri præclari, famoſi, & illuſtres, *priſcorum temporum Prælati,* paſtores, eremi inhabitatores, ſacrarum religionum plantatores, ac primævi cultores, & alii devoti Chriſticolæ, quorum memoria in benedictione eſt, ſuper aurum & Topaſium dilexerunt, ſequentes agnum ſine macula, & imitatores Dei, ſicut filii chariſſimi. Et venerunt eis omnia bona pariter cum illis. Quia tunc glorioſa dicta ſunt de te, ô civitas Dei, ô eccleſia catholica, ô ſponſa Chriſti, ô mater noſtra, corpore caſta, prole fœcunda. *Sub iſtis* namque *viris* præclaris & per eos regnum eccleſiæ militantis magnum & glorioſum ſuſcepit incrementum. Quoniam odore ſuæ *bonæ vitæ* ac *ſolidæ doctrinæ* innumerabilem populum ad eccleſiæ gremium collegerunt & ad ſanctimoniam perduxerunt. Qui etiam bona ſua temporalia pro talium & tantorum miniſtrorum eccleſiæ ſuſtentatione, etiam ipſis vendentibus, liberaliter contribuerunt. Ecce, quomodo *fundata* eſt & quomodo *crevit eccleſia.* Et quia teſte *Philoſopho II. de generatione,* ex eisdem ſumus & nutrimur, & eadem ſunt principia generationis & conſervationis: Ut etiam patet in ædificiis corporalibus: Multum proficeret ad *gloriam eccleſiæ conſervandam & ad deperditam famam atque libertatem recuperandam, ſi moderni Præſides* & alii *eccleſiaſtæ* illorum priſcorum *patrum exempla intuendo,* veſtigia inſequendo, prædictis *regulis ſe coaptarent,* ut ſic ex ſimilibus ſimilia procrearent, ex ſimilibus radicibus ſimiles fructus & ex ſimilibus cauſis ſimiles producerentur effectus. Quoniam, ex quo *infidi,* & malevoli *obtenebrati contemſerunt* credulitatem & *imitationem* harum regularum hujus triplicis fundamenti, in quo ſtare, creſcere & aſcendere poterant

p) Textus *Joh. VIII. Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi.*

terant de virtute in virtutem usque ad altissimæ veritatis felicissimam visionem: Nolentes intelligere, ut bene agerent. Ideo ipse præco fundamenti & fundamentum Christus eorum temeritatem arguendo inquit: *si veritatem dico, quare vos non creditis mihi?*

§. II.

Impedimentum reformationis.

Esset etiam magnum *fundamentum reductionis ecclesiæ ad debitum decorem*, si *quilibet status* in ecclesia vellet *suos defectus recognoscere veraciter*, sine fictione, sine palliatione, sine excusatione, ac etiam *ad suam reformationem se inclinare veraciter*, ne dum ore, sed corde atque opere. Magnum namque *impedimentum reformationis ecclesiæ* est, quod quasi *quilibet status suos defectus*, suas deordinationes, *ponit post tergum, ne consideret*, claudit oculos, ne videat, obturat aures, ne audiat, quantum potest, palliat, quantum potest excusat, quantum potest colorat. Et sic quasi fugit à facie misericordis Dei, qui alias esset ad miserandum promtissimus. Sed ô devotissimi patres, & vos ferventissimi *Zelatores decoris* domus Dei! Quæso, *non fiat sic!* quoniam qui abscondit scelera sua, non dirigetur. Qui autem confessus fuerit & reliquerit ea, misericordiam consequetur, *Proverb. XXVIII. Aperiat* igitur *Dominus vobis oculos cordis*, ut videatis illud, quod putatur dulce. Modo scitis esse in brevitate temporis, quasi amarum erit in igne æterno. Quam gravi & *perpetua pœna* punienda erit *brevitas delectationis*, *Augustinus in sermone de nativitate.* Et subdit, ad ostendendum fraudem terrenæ delectationis, dicens: *Delectatio occidit animam, & prateriit, vulneravit & transiit, miseram fecit & abiit, infelicem reddidit & reliquit.* Et sic de multis *sectantibus hujus mundi divitias* atque *delicias* impletur illud *Psalmi LXXV. Dormierunt somnum suum & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Pro quo advertendum, quod sæpe contingit, quod homo pauper non habens hujus mundi substantiam, dum dormit, quod per somnum apparet sibi, quod sit multum dives, multum abundans in rebus terrenis, & quod multum bene sit sibi: sed dum evigilat, videt se fore deceptum. Quoniam nihil invenit in manibus, nihil in lecto, nihil in cista. Sic suo modo contingit illis, *qui obdormierunt in istis rebus terrenis*, quorum appetitus est quasi consopitus in hujus mundi voluptatibus & deliciis. Illis enim quamdiu stant in isto sopore, quasi per somnum apparet, licet falsè, quod sint multum beati, multum felices, & quod multum bene sit eis. Sed postquam iste sopor excussus fuerit ab oculis eorum, dum per mortem anima separatur à corpore, tunc nihil inveniunt isti viri divitiarum in manibus suis, nullam tunc inveniunt delectationem in rebus terrenis. Quia illa delectatio, postquam eos decepit & miseros fecit, abiit & reliquit eos. Non etiam inveniunt delectationem in rebus cœlestibus & spiritualibus, quia de illis hæc anima, dum esset in corpore, modicum vel nihil curavit. Non invenit hæc anima solatium in hominibus. Quoniam ab eorum consortio sequestrata est, & forum eorum declinavit. Non invenit solatium in Deo & sanctis ejus. Quoniam dum esset in corpore, ipsos ad iracundiam contra se provocavit. Non invenit hæc anima in manibus, id est operibus suis aliquid boni, aliquid meriti, aliquid virtutis, aliquid salutis, sed invenit ibi verè nihil. Quia defectus & deformitates & innumera peccata æterno igne crucianda. Et sic proh dolor! in multis impletur illud Psalmi: *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Ea propter admonuit nos Propheta, *in Psalmo IV.* dicens: *Fili hominum, usque quo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* Quasi diceret: Vos estis filii hominum, non bestiarum. Ergo debetis uti ratione. Ad quid ergo sunt tamdiu gravata corda vestra tanto pondere peccatorum? Ad quid quæritis esse beati in rebus terrenis & voluptatibus earum, quæ vanæ sunt, mendaces sunt & injiciunt vobis laqueum mortis. Sola veritas, ex qua vera sunt omnia, beatos facit: Prout ista colliguntur ex glossa. Quapropter, ô homo Dei, cujuscunque status fueris, ascende tribunal mentis tuæ, constitue te ante te, judica te, & si pravum inveneris te, corrige te, secundum consilium *Augustini in III. De verbis apostoli.* Scito & vide, quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem Domini apud te, *Esa. II.* Dic cum beatissimo *Augustino* illud *Soliloquiorum: Dulcissime Domine, fac me amare te & desiderio tuo relinquere pondus omnium carnalium desideriorum, & terrenarum concupiscentiarum gravissimam sarcinam, quæ impugnant & aggravant miseram animam, ut post te expeditus in odore unguentorum tuorum currens, usque ad tuæ pulchritudinis visionem efficaciter satiatus, quanto citius merear pervenire.* Recognoscat igitur quæso *quilibet status in ecclesia suos defectus* veraciter, & *reformationi submittat* se humiliter, amore, intuitu & exemplo illius, qui, non pro sua, sed *pro nostra reformatione*, diræ passioni & amarissimæ morti se subjecit. Hoc enim nedum est utile, delectabile & honestum, sed & valde necessarium, ne Dei Ecclesia & præsertim *status ecclesiasticus* qui datus est aliis in exemplum, tanto pondere peccatorum opprimatur. Quoniam malum si in excessu fuerit, se ipsum destruit.

§. III.

Magna corruptio, imminentem prænuntiat iram Dei.

Recogitent vestræ disertissimæ providentiæ, plenæ oculis ante & retro, *an mundus possit deinceps patienter tolerare in hoc statu ecclesiastico tantas deordinationes?* Quæ heu non minuuntur, sed quotidie invalescunt. An ne timendum sit, quod *dies Domini* dies divinæ ultionis *statum istum* post tot annunciationes, post tot flagella non revertentem ad cor, aliquando, sicut fur comprehendet? Et dum dixerunt: pax & securitas, superveniat repentina *calamitas*, nunc hic nunc ibi. Scimus, quia dictum est *Apoc. III.* illi Episcopo Sardis ecclesiæ: *Non habes, quod vivas, & mortuus es.* Et infra: *Nisi vigilaveris, veniam ad te sicut fur, & nescis, quâ horâ veniam ad te. O mi frater*, inquit Augustinus, *nunquid ferreæ sunt carnes nostræ, ut non contremiscant aut adamantinus est sensus noster, & non molescat? in libro de salutaribus documentis.* Et ne alicui videantur ista, sicut deliramenta, scrutemini *præludia captivitatis Babylonicæ* & destructionis synagogæ, causam subversionis

potentiæ Romanorum, pluriumque aliorum regnorum transmutationis. Scrutemini, an inveniatis *consimiles causas in statu ecclesiastico moderno.* Et si inveneritis, paveatis à *ventura ira.* Ut vos ipsos dijudicetis, quoniam si nos ipsos dijudicaremus, non utique dijudicaremur, inquit *Apostolus 2. Cor. XI.*

EXCERPTA SERMONIS XVII. q)

Habiti Anno 1416. festo Pentecostes.

Ex MSCt. Erfurt.

§. I.

Avaritia Papæ.

In qua *Christi vicarius* edocetur, si velit animadvertere, quod *in distribuendis spiritualibus donis* liberalis debet esse, non avarus, præsertim erga illos, qui capaces sunt & idonei. Magisque *debent respicere morum bonitatem*, quam specialem utilitatem, quæ ex *avaritia* sumit originem. Cum enim Christus dixerit: *Gratis accepistis, gratis date*, quô spiritu audet ejus *vicarius* beneficia ecclesiastica, quæ spiritualia sunt, quasi publicæ *venditioni exponere?* Hæc est enim, ut arbitror, *una de causis præcipuis tribulationum*, quas Romana, & ex consequenti universalis patitur ecclesia, & amplius nisi provideatur, patietur. De qua accipi potest illud *Apocalypseos: Pervenerunt peccata ejus usque ad cælum, & recordatus est Dominus iniquitatum ejus.*

§. II.

Vitia communia.

Sed, proh dolor! timeo, ne hodiernis diebus *diabolus in pluribus clericorum suam fecerit pentecosten:* Horum donorum opposita mentibus eorundem infundendo. *In multis* enim *stultitia* sive *puerilitas* invenitur contra sapientiam, per quam puerorum more lac suavitatis carnalis insequuntur: Bona temporalia, quæ sunt velut pira vel poma, æternis præponentes. Quod Apostolus dehortatur *1. Corinth. XIV.* dicens: *Fratres nolite pueri effici sensibus.* Secundo multis infundit *hebetudinem* seu *inutilitatem*, contra intellectum. Perquam brutorum more sola exteriora quasi foris stantes, interiora rerum, in quibus Dei bonitas relucet, minime penetrantes. De quibus potest accipi illud apostoli: *Animalis homo non percipit ea, quæ spiritus Dei sunt.* Tertio multis infundit *præcipitationem*, contra consilium. Quæ magnum generat periculum in agendis, præsertim in arduis. Ideo *summè cavenda est, ubi de ecclesiæ unione & ejus reformatione tractatur.* Et pro tanto dicit sapiens: Erit salus ibi, ubi multa consilia sunt, *Proverb. XIV.* Quartò contra fortitudinem multis infundit *formidinem*, per quam spiritualia certamina, quæ multa sunt & varia, reformidant, quasi deficientes, cum tamen dicat Philosophus: *Usque ad mortem certa pro justitia.* Quinto contra scientiam infundit multis *errorem*, circa bona & mala, tam secundum qualitatem, quam etiam quantitatem, persuadendo bona, quæ mala sunt, aut è contra. *Esa. V. Væ qui dicitis bonum malum*, secundum quantitatem. Quia magna bona reputari facit pro parvis. Sexto multis immittit diabolus *duritiem*, contra pietatem, quæ ex vitæ exsecrabilitate procedit, cum de pejore in pejus procedendo abominabiliter inducantur etiam usque ad contemtum Dei & sanctorum. De quolibet tali dicit sapiens, *Proverb. XXVIII. Qui mentis est duræ, corruet in malum.* Et alibi: *peccator cum in profundum peccatorum venerit, contemnit.* Septimo, contra timorem Domini multis immittit stultam *securitatem*, quæ procedit ex radice superbiæ, qua nihil homini periculosius, qui tot & tantis obsidetur malis *Proverb. XXVIII. Qui confidit in corde suo, stultus est.* Qui hos septem *nequam Spiritus* in se habuerit, ejus novissima pejora erunt prioribus.

EXCERPTA SERMONIS XVIII. r]

Pronuntiati in festo Epiph. Anno 1417.

§. I.

Mala donorum Ecclesiæ dispensatio.

Sed subjungit apostolus unam quæstionem, dicens: *Hic quæritur inter dispensatores, ut quis fidelis inveniatur.* Et difficultatem istius quæstionis jungit *pluralitas malorum ministratorum seu dispensatorum.* Quidam enim mali male ministrant ecclesiæ stipendia, alii ecclesiæ beneficia, alii ecclesiæ sacramenta, alii ecclesiæ documenta, alii ecclesiæ judicia, alii ecclesiæ officia. *Male dispensantes ecclesiæ stipendia*, sunt illi, qui in superfluitatibus & vanitatibus hujus mundi bona, quæ sunt pauperum, expendunt. Et de talibus *Chrysostomus* loquitur, exponens ibi verbum Dominicum: *Filius hominis non venit ministrari*, sed ministrare, sic dicens: *Ecclesiarum Principes imitari debent Christum accessibilem & pueris manum imponentem, & discipulis pedes lavantem, ut ipsi faciant similiter fratribus suis. Nos* autem *tales sumus*, ut & *Principum hujus mundi superbiam excedere* videamur, non intelligentes vel potius contemnentes mandatum & exemplum Christi, nos gerimus, sicut Reges, acies præcedentes, & terribiles nos & accessu difficiles maxime pauperibus exhibemus, nullam affabilitatem habentes, nec misericordiam promittentes. Et tamen judicium sine misericordia ei, qui misericordiam non fecerit, *Jacob. II. Alii male dispensant ecclesiæ beneficia*, dando ea *personis non expertis* ad regimen animarum. Et istos multum reprehendit Dominus per Prophetam dicens: *Audite Principes domus Jacob, & Judices domus Israël,*

q) Textus *Act. II. Repleti sunt omnes spiritu sancto.*
r) Textus *Esai. LX. Reges eorum ministrabunt tibi.*

Iſraël, qui abominamini judicium, & omnia recta pervertitis, qui ædificatis Sion in ſanguinibus & Jeruſalem in iniquitate. Propter hoc Sion quaſi ager arabitur, & Jeruſalem quaſi acervus lapidum erit, & mons templi in excelſa ſylvarum. Tertii *male adminiſtrant eccleſiæ ſacramenta*, miniſtrando ea excommunicatis, notoriè fornicariis, & uſurariis &c. Contra quos loquitur Dominus *Matth. VII.* dicens: *Nolite dare ſanctum canibus, nec margaritas ponere ante porcos.* Alii *male diſpenſant eccleſiæ documenta*, videlicet, ut qui legem Dei nolunt intelligere, nec verbum Dei ſuis ſubditis prædicare. Et de talibus ſcribitur *Eſa. LVI. Speculatores ejus cæci omnes, neſcierunt, univerſi canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes ſomnia, ipſi paſtores ignorantes intelligentiam.* Et ideo non eſt mirum, ſi eccleſiæ documenta male diſpenſant. Alii *male diſpenſant eccleſiæ judicia.* Et iſti ſunt, qui *dimittentes juſtitiam volunt replere burſam.* Et contra tales *Eſa. I. Quomodo facta eſt meretrix fidelis civitas? Judicis juſtitia inhabitavit in ea. Nunc autem homicidæ Principes tui infideles ſocii, fures omnes, diligunt munera, ſequuntur retributiones, pupillos non judicant, cauſa viduæ non ingreditur ad eos.* Alii *male diſpenſant eccleſiæ officia.* Et iſti ſunt, qui indifferenter promovent homines, vel ad ordines, vel ad primam tonſuram, contra præceptum Moſi, ut *Deut. I. Date nobis viros ſapientes & gnaros, quorum converſatio ſit probata in tribubus veſtris, ut ponam eos Principes.* Et tales debent eſſe ad ſacros ordines promoti vel promovendi. Verum eſt, quod *aliqui ſe excuſant*, dicentes: *Quanto plures ſiunt, tanto magis multiplicatur eccleſia.* Quos pulchre deſcribit *B. Bernhardus*, dicens: *Quomodo dilatatur Eccleſia, & clericalis ſanctiſſimus ordo ſuper numerum multiplicatus eſt? Sed heu Dominus Deus, quia ſi multiplicaſti gentem, non magnificaſti lætitiam. Dum plus apparet diſceſſiſſe meriti, quam numeri accepiſſe.* Curritur paſſim ad ſacros ordines. Et reverenda ipſis quoque ſpiritibus angelicis myſteria homines apprehendunt ſine reverentia, ſine conſideratione. Neque enim ſignum cœleſtis Regis occupare, aut illud timent Imperii geſtare coronam, *in quibus regnat avaritia, ambitio imperat, dominatur ſuperbia, ſedet iniquitas, luxuria principatur.* In quibus peſſima etiam inter parietes apparet *abominatio.* Si juxta Ezechielem Prophetam parietem fodiamus, ut *in domo Domini* videmus *horrenda.* Siquidem poſt fornicationem, poſt adulteria, poſt inceſtus, nec ipſe apud aliquos ignominiæ, paſſiones, & turpitudinis opera deſunt. Ingrediuntur cum hac malitia, templum ſanctum Domini polluentes, judicium multiplex accepturi. Propter quod & tam graviſſimas conſcientias gerunt. Et nihilominus ſe ingerunt in ſanctuarium Dei. Heu genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis! Quis inter illa tua primordia tam divina, & ſpiritualibus affluentem chariſmatibus Chriſtianæ religionis ortum, credere poſſet poſſe quandoque talia reperiri? Sunt inſuper alii, qui *bona eccleſiæ peſſime adminiſtrant*, eorum jura auferendo, & ſuis uſibus applicando. Licet ſit magnum peccatum auferre à quoquam ſua & ſibi applicare: Longe tamen magis peccatum & auferre ab eccleſia & uſibus laicalibus applicare &c. Et utinam ſic facientes, ſi qui ſunt, adverterent, quod ſcribitur *Sap. VI. Audite Reges & intelligite.* Commendata eſt vobis potestas à Domino, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes veſtras ſcrutabitur. Quoniam, cum eſſetis miniſtri Regis illius, nec rectè cogitaſtis, nec cuſtodiviſtis legem juſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis: Horrende & cito apparebit vobis: Judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet. Potentes enim potenter patientur tormenta. Non enim ſubtrahat perſonam cujuscunque ille, qui eſt omnium dominator. Et certe ſic facientibus deberent viri eccleſiaſtici reſiſtere, poſt poſito timore.

EXCERPTA SERMONIS XIX. u)

Dicti in Concilio Constantiensi An. 1417. die 28. Febr.

§. I.

Membra ipſa Concilii ſe reformare nolunt.

Ergo ſic male agentibus magna pars vitæ elabitur, & tempora eripiuntur. Quia formam boni operis corrumpit, & vita à merito, & tempus à fructu inaniter evaneſcunt. Ita & *vana* fit *ſpes* illorum & labores eorum ſine fructu *Sapient. c. III.* Tales profectò ſunt, qui boni videri, non eſſe, volunt, *Bernhardus ſuper cantico*, ſub ſermone. Tales ſunt quamplurimi, *qui in hoc præſenti concilio* ſub fucato quodam zelo unionis eccleſiæ, ſub palliata quadam juſtitia *reformationis* ejusdem, bonum quoddam agere prætendentes, *quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Jeſu Chriſti*, ut prædixit apoſtolus, *Philipp. II.* Quis enim quæſo ex tanta hominum turba, quæ ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt, *hoc in loco* convenit, adhuc *viſus eſt, qui deformatos ſuos mores* nec in modico *reformaverit*, animi paſſiones non dico extinxerit, ſed ſedaverit, illatas injurias fratri ſuo ex corde remiſerit? Cum tamen, ut mundus inclamat, *huc advenerimus, pro reformationibus eccleſiæ promovendis* multipliciter deformatæ ex capite, pro paſſionibus animi removendis, damnabiliter tentis ex ſchiſmate, pro pacis fructibus procurandis, generaliter in populi Chriſtiani unione. Quid enim proficit hoc, ait Salvator, ſi lucretur univerſum mundum, ſe ipſum autem perdat & decrementum ſui faciat? *Luc. IX. Aut quid prodeſt reformatori chartas & membranas implere, & ſe nolle ullatenus reformare?* Quid, motus aliorum in aliis ſedare, & propriis paſſionibus deſervire? vel quid, pacis fœdera tanta fatigatione in eccleſia procurare, & diſſenſionibus & ſchiſmatibus inter ſe tontinuò laborare? verè, ni fallor, illa Salvatoris ſententiâ, *tales dicunt & non faciunt*, imponunt onera gravia, & importabilia in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere, *Matth. XXIII.* Cum tamen potius illum, qui caput eſt eccleſiæ,

u) Textus 2. Cor. VI. *Ecce nunc dies ſalutis.*

ſiæ, imitari tanquam principalia membra deberent, qui quam ſtatuit legem, primò implevit; Nam cepit facere & deinde docere *Actor. I.*

§. II.

Membrorum concilii corruptio.

Hanc autem *formam vitæ*, quia lux veſtra eſt, & ſi ubique generaliter coram hominibus fulgere oporteat, ut ſcilicet videant opera veſtra bona, & glorificent veſtrum patrem, qui in cœlis eſt, juxta Salvatoris ſententiam *Matth. V.* ſpecialiter tamen *in hoc loco concilii*, ubi oculi omnium in vos reſpiciunt populorum. Unde fama veſtrorum operum ubique etiam ad exteros diffundetur. Si enim ſal evanuerit, id eſt vos, per quos condiendi ſunt populi, *ſecundum gloſſam Auguſtini ſuper eodem*, in quo ſalietur? certè ad nihilum valebit ultra, niſi ut mittatur foràs, & conculcetur ab hominibus, *Matth. in ſupra ſcripto c.* Docent vos hæc *patrum* veſtrorum *antiquis in conciliis geſta*, qui *plus exemplo quam doctrina ædificaverunt eccleſiam.* Non enim verbo ſed vita prædicabant, tanta enim ſanctitatis & vitæ redolentis fama exinde ubique percrebuit, ut non ſolùm fideles in devotione famæ religionis usque etiam ad martyrii tolerantiam roboraret, ſed & gentiles & Philoſophos in ſuis dogmatibus pertinaciſſimos ad fidei lumen attraheret, ut patet *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ libr. X. & tripartitæ* II. III. IV. in plerisque locis. Ubi, quæſo, *noſtris in conciliis* invenire eſt tales? ubi diebus noſtris, ſub tanto rerum turbine, ſub quo fuimus, & adhuc ſumus, eorum triduana & quatriduana *jejunia* etiam cum cibi & potus parcitate, percipimus? Ubi crebras publicè & privatim cum ſumma devotione ad Deum preces? ubi gemitus pro peccatis? ubi lacrymæ pro populi ruina? ubi pauperibus eleemoſynarum erogationes? ubi cum moderatione pomparum, devotionis, aut humilitatis veſtigium? vere, niſi fallor, *pauci* facti ſunt. Quia cæteri evanuerunt in cogitationibus ſuis, & ſervierunt potius creaturæ quàm creatori, *Roman. I.*

§. III.

Cleri impietas, avaritia, Simonia, impœnitentia.

Sub hac vitioſorum hominum ſorte illi omnes generaliter comprehenduntur, qui, ſecundum Salomonis ſententiam, *delectantur, cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis*, *Proverb. XX.* qui ſcilicet ex longa peccandi conſuetudine in peccatis habituati, quaſi naturaliter, quia fit altera natura longior uſus, ut in ſuis *bucolicis* inquit *Petrarcha*, vitioſa delectabiliter operantur. Et quoniam tunc deſiit eſſe remedii locus, *quæ fuerunt vitia, mores fiunt*, ut dicit *Seneca ad Lucillum*, & ideo ex correptione non facile ſperandum. Et ut de ſeculi hominibus ſileam, verbis utar *Petri Damiani in ſermone de vitiis Curialium*: „*Nonne hinc*„*res ſunt Curialium? nonne hæc vitia clerico*„*rum exiſtunt? Non de omnibus dico.* Ut fi„nem non habeant, niſi fortè illum, de quo dicit „Apoſtolus, finem interitus. Nam *adulationibus* „& *detractionibus*, *fraudibus*, domeſticis & pri„vatis, *ſimoniarum mille generibus*, cum *auri* „*ſacra fame*, ventri *luxuriaque* indifferenter operam dantes peccata ipſa aut parva aut nulla exiſtimando, cum finali impœnitentia damnabiliter moriuntur. Quis enim, quæſo, ex talium hominum turba unquam percepit vel *Simoniacum*, aut *eccleſiaſticum dilapidatorem* ſive diſſipatorem bonorum, quæ pro reficiendis Chriſti pauperibus talibus ut diſpenſatoribus credita ſunt, cum ſatisfactione pœnituiſſe. Uſuras ſæpius virtuoſe reſtituunt *ſeculi homines*, furtorum damna & rapinarum compenſant, ut digni pœnitentia habeantur, *clerici* vero *nunquam.* Ita, quod cum Propheta fideliter dici poſſet: *Reſpexiſti ad amplius, & ecce, factum eſt minus*, *Haggæi c. II. Hæc vitia* ſi rectè ſapimus noſtri fuere *cauſa ſchiſmatis.* Quibus huc usque impunè & proſperè in eccleſia ſuccedentibus, niſi à paucis, qui mundas manus habent, niſi ab his, qui imaginem beſtiæ non adorarunt, nec characterem ejus gerunt in fronte, efficaciter provideatur ut decet; penè de cura deſperandum ſit. Nempe, ſicut ſub ſynagoga degentibus, dum *clericorum peccata incurabilia* facta ſunt, & maximè hæc *duo vitia*, *avaritia* atque *Simonia*, ſummum ſacerdotium ſchiſmate perpetuo diviſerunt, ut ex gloſſis ſanctorum ſuper Daniele & ſuper evangeliis evidenter apparet: Sic *eccleſia*, quæ ſynagogæ ſucceſſit, ſecundum Paulum ad Hebræos, dum *mores ſynagogæ* imitatur, quia de ſimilibus *idem judicium* ſimiliter contingere eſt veriſimiliter dubitandum, ut ſupra allegato ſermone idem *Petrus Damiani* proſequitur. Sic enim peccavit peccatum Jeruſalem incorrigibilitatis, ſcilicet peccati, inſtabilis facta eſt in bono ſcilicet pacis & unionis, ita ut qui glorificabant eam, ſpreverunt eam, *Threnor. c. I.*

§. IV.

Primatus Petri impugnatur.

Sequitur ergò primo: *Quod ſi in eccleſia plenitudo eſt gratiæ multiformis à Chriſto effectivè*, quod *in eadem eſt plenitudo collatæ ſibi poteſtatis ab eodem Chriſto diſpenſative.* Quæ quia poteſtas ordinis eſſe non poteſt, cùm illa in omnibus ſacerdotibus ſit æqualis, ut declarat *S. Thomas IV ſententiar. diſt. 24. artic. 3.* Sequitur, quod *poteſtas* ſit illa *juriſdictionis*: Quam *æqualem cum Petro* loco eccleſiæ ceteros apoſtolos à Chriſto recepiſſe, evangeliſtæ teſtantur, ut dicit *Petrus Damiani in ſermone de apoſtolis.* Hæc tamen *paritas poteſtatis* non quoad *actum*, ſed quoad *aptitudinem* accipienda eſt. Quando ſcilicet, *emergentibus caſibus* & periculis in eccleſia, per caput ipſius provideri & eis obviari non poteſt. Utpote quia Papa erit hæreticus aut ſcandalizator eccleſiæ; ſeu notoriè criminoſus & incorrigibilis, ut notatur *in c. ſi Papa*, *diſt. 40.* cum ſcribentibus ſuper eodem. Ex hoc eſt, quod Chriſtus interdum *alios apoſtolos Petro* viſus eſt *coæquare*: viſus eſt interdum ipſis eum præferre. Quatenus illis, qui ipſorum in eccleſia typum gerunt, convenienter daretur intelligi, ut quemadmodum ſuo ſponſo eccleſia legitime copulata, ab ipſo velut à capite ſingulariter regitur & gubernatur: Sic, eo in fide deficiente, aut rationabiliter illegitimato, eidem eccleſiæ illi ex debito providere, eamque curare tenentur, *quibus ex delegata poteſtate fuit ſimiliter à primo paſtore conceſſum. Remigius Florentinus tractatu de juribus Imperii.* Nam ſi *poteſtatem ligandi atque ſolvendi* & claves eccleſiæ regni cœlorum, ex hoc Chriſtus *Petro* dedit, quia ei ſingulariter dixit: *Quodcunque ligaveris* &c. Et, *tibi do claves regni cœlorum*, *Matth. XVI.* cùm per claves regni cœlorum, ſuper eodem gloſſan-

gloſſante Chryſoſtomo, non niſi poteſtas ligandi atque ſolvendi detur intelligi: *Non minus cæteris apoſtolis contuliſſe auctoritatem apparet, quibus etiam ſimiliter dixit: Quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis, Matth.* XVIII. Præterea, ſi Petro dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam*, fundamentum totius eccleſiæ, per hoc explicans, ipſum eſſe, ſi *Petrus per petram* accipitur, ut dicit *Hieronymus:* Similiter *pro aliis apoſtolis* eſſet *conformiter arguendum*, cum Johannes in ſua *apocalypſi, muros Jeruſalem*, quam non dubium *eccleſiam* vocat, *fundamenta* habere *duodecim*, & ea *duodecim* eſſe *nomina, apoſtolorum* videlicet, atteſtatur, *Apocalypſeos c. penult.* Demum ſi Petro ſoli dixit Salvator: *paſce oves meas, Johannis c. ult.* Cùm paſtus ille ſpiritualiter intelligi debeat, pro paſtu ſapientiæ & doctrinæ, ut ſuper eodem gloſſat Auguſtinus: *Pariformiter cæteris Apoſtolis hoc idem injunctum* non dubitamus. Quibus *Matthæi* ultimo pariter dixit: *Euntes docete omnes gentes, & prædicate evangelium omni creaturæ Marci ultimo.* Ex quibus, ni fallor, apparere jam poteſt, unde moti ſunt ſancti, unde ſacri canones *illas duas poteſtates ſimul cum Petro ceteris apoſtolis coæquarent?* videlicet non ſimpliciter, ſed in caſu neceſſitatis, eccleſiæ periculis emergentibus, ut circa eandem apoſtolici ſucceſſores ad providendum eidem pro executoribus auctoritatis apoſtolicæ habeantur. Sic B. *Cyprianus* IX. *q. 1.* loquitur, dicens; Sic *Anacletus* XXI. *diſt. ſcire debent. & Auguſtinus 2. q. 7. Paulus Petrum.* Unde & Propheta inquit: *fundamenta* ejus, ſcilicet *eccleſiæ*, in montibus ſanctis, hoc eſt in ſanctis Apoſtolis, ut gloſſat *Hieronymus.*

§. V.

Laus Sigismundi Imperatoris.

Verum quia aſpectu ducis vigor militum roboratur, & audacius hoſtem ferunt, ut dicit *Vegetius* II. *de re milit.* In illum inſuper oculos attollatis in quo omnium virtutum genera ſupereminere congeſta videmus, *Sereniſſimum* ſcilicet & *inclytiſſimum Regem* noſtrum *Sigismundum.* Qui *ſigillans mundum* merito interpretatur, *ſigillo* ſcilicet *pacis & concordiæ*, quam in unione populi Chriſtiani mirifice principiavit, laudabiliter & virtuoſe mediavit ac felici & glorioſo fine terminabit. Siquidem ſine ſuperbia nobilem, ſine invidia potentem, ſine ſuperſtitione religioſum, ſine jactantia operantem, ſine ſtudio facetum, ſine inertia gravem, ſine aſperitate conſtantem, ſine pluralitate communem. Ita, quod in ipſo velut in jubare ſingulorum virtutum illuſtriorum virorum reſplendeat. Fabricii abſtinentia, patientia Marci Marcelli, Alexandri magnanimitas, Xenocratis conſtantia, aſtutia Bruti, Scipionis autoritas, Manutii Torquati ſeveritas, amor patriæ M. Curtii, Anaximenis prudentia, clementia Quiriti, Flaminiæ verecundia, Spurcinæ ſpecioſitas, Georgii Lenocini ſufficientia, Biæ divitiarum contemtus, audacia Pompilii, fama Metelli, fidelitas Bleſii, fortitudo Scævolæ, Polycratis proſperitas, dilectio Tiberii, gratitudo Mitridatis, Valerii Publicolæ humilitas, Cambyſis judicium, Saleti juſtitia, Gyllæ Agrigentini liberalitas, Catonis ſtudium, Marci Curi abjectio munerum, Diogenis paupertatis dilectio, Pompeji pietas, miſericordia Fabii Maximi, Attilii Reguli veracitas, moralitas Socratis, Demoſthenis eloquentia, & Cæſaris injuriarum oblivio. „Ut tandem dicere „habeat præſens concilium ſuæ inclytæ Majeſtati „ſuper excellentiſſimis ſuis laudibus: *Viciſti famam virtutibus, 2. Paral.* III. Et quoniam creſcentibus donis, & rationes, hoc eſt obligationes creſcunt donorum, ut dicit *Gregorius:* Idcirco ob gratiam ac *beneficia* immenſa toti *eccleſiæ*, ac præſenti ſanctæ *ſynodo collata*, tempore tanti Principis creſcere in nobis debet regnum virtutis, ne ſcilicet ob temporis utilitatem propter mercedis dignitatem præmiatio poſtponatur.

EXCERPTA SERMONIS XX. t)

Ab Hugenetto de Metis. Anno 1417. die 4. Aug.

Ex MSCt. Erfurt.

§. I.

Propter miſerabilem Eccleſiæ aſpectum, Concilium admonetur tandem aliquando reformationi manus adhibere.

Quemadmodum, proh pudor! *inter præſidentes eccleſiaſticos multus eſt numerus, qui devorant plebem* meam, ſicut eſcam panis, inquit *Pſalmiſta.* Reputant enim, quod omnia mala plebs humilis digne patiatur, compaſſionem ullam non habentes, ſed dedignationem. Et hæc eſt *falſa juſtitia*, de qua *XLV. diſt. Vera.* O claræ celebritatis famoſiſſimi Patres & Domini, quos titulus miſericordiæ fœcundiores attollit. Si oculo miſericordi reverentiæ veſtræ provida meditatione diſcuterent, quatenus *Eccleſia primitiva*, mater noſtra, quæ nihil aliud eſt, quàm fidelium turba ſive multitudo, *de conſecrat. diſt. 1. c. Eccleſia*, Chriſti, apoſtolorum & martyrum pretioſo ſanguine fundata, virtuoſis & luminoſis coruſcaverit ſplendoribus: Quanta inſuper, ceſſante perſecutione tyrannorum, in confeſſoribus, virginibus continentibus & religioſis radiaverit prærogativa ſanctitatis: Cum tunc inter eccleſiaſticos charitas odiis, pax litibus, ſuperbiæ humilitas continentia, gaſtrimargiæ, cæteræque virtutes, ad conſervationem turbæ in omnibus prævalerent: Nunc autem quàm flebiliter, in toto pectore, maximè eccleſiaſtico *vitiorum horribilium* crebris flagellationibus atteratur ipſa eccleſia, more parturientis, uterinos cruciatus experta, & ad quantum etiam, per filios ſceleratos, qui omnia mala noverunt, redacta ſit gemebundæ confuſionis opprobrium. Verè amaritudo veſtra, ex compaſſione vehementi & amicitia ad eam, ab omnibus amariſſima videretur, & uberrimæ lacrymæ vim doloris prædicarent interitu. Eccleſia enim Dei, ſponſa Chriſti ſine macula, ſine ruga, hortus concluſus, fons ſignatus, puteus aquæ vivæ &c. *c. omnibus XXIV. q. 1.* Obſecro, indica

t) Textus Marc. VIII. *Miſereor ſuper Turbam.*

dica mihi, ubi pascit hæc sponsa tam speciosa formosaque, ubi cubat in meridie? verè quæsivi eam & non inveni. Scio tamen, ad speciem non descendens, quod non solùm *in Curia Romana*, sed verè *per universum orbem*, omnium in ea *vitiorum* ebulliente *diluvio*, in contemtu manifestissimo singulorum, ni verius universorum mandatorum altissimi, sic speciositas ejus denigrata cognoscitur, ut revera in ea non appareat ulla virtutum species neque decor. Sic à summo usque deorsum tanta inolevit *horribilis fœdatio vitiorum*, & *in litibus* præsertim, utinam abbreviandis, *tyrannicis actibus & exactionibus*, ut plurimùm per majores nostros, ecclesiasticos ferè, absque compassione, mille modis, *turbæ humilis ac pauperum oppressio*, ut ipsorum rugitu verè natura terreatur. Stupent orbis cardines, divinæ majestatis intrepidè procuratur offensa, animarum causatur excidium, & penè ipsa clementa rationis inexpertia conturbantur. Æstimo enim de ipsa ecclesia hodiè verificatum esse illud *Ezechielis XVI. Soror tua Samaria & synagoga dimidium peccatorum tuorum non peccavit, sed vicisti eam sceleribus* tuis. Propter quæ nisi ipsius & *ecclesiasticorum celeriter reformentur abusus* per vos patres miserantes super turbam, priusquam confusione repleantur, dubito veresimiliter ne breviter impleatur illud *Ezech. VII. Adducam pessimos de gentibus*, glossa ordinaria, *in locum sacerdotum, & possidebunt domos eorum, & possidebunt sanctuaria eorum, conturbatio super conturbationem veniet & lex peribit à sacerdote, & consilium à senioribus.* O viri misericordiæ & ductores fidissimi gregis Dominici, qui eidem præstitistis tutum usque adhuc in hac sacratissima synodo in cujuslibet diseriminis adversitate ducatum, jam triduo vos sustinet tota turba ecclesiæ militantis, patienter expectans, & reexpectans, ut per vos sanetur à languoribus suis. Et *nulla* curatione, id est *reformatione facta, præsertim in moribus depravatissimis*, verè etiam non habet, quid manducet. Triduo, inquam, id est triplici tempore, naturæ legis & gratiæ; vel triduo, de quo in figura, *Gen. XL. Tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerii tui:* Vel triduo, id est *tribus conciliis generalibus Pisano, Romano, & præsenti Constantiensi:* Vel triduo, id est *triennio à tempore convocationis hujus concilii generalis.* Et profectò, si remittatis eos jejunos, id est, *sine reformatione salutari* in domos suas: Sine qua etiam impossibile reputo unionem habitam conservari posse: Deficient in via, id est res forsan pariter cum eis. Miseramini igitur, reverendissimi & reverendi patres & Domini, turbæ pauperis, & eidem compatiamini, humiliter precor, in visceribus Christi Jesu. *Quia verè nunc venit tempus miserendi ejus.* Nunc venit tempus. Et si, Reverendissimi Patres & Domini prælibati, revera miserantes super turbam, *in hoc sacro concilio*, cui multa laborationis & fatigationis importunitate vacastis, opprobria, injurias & expensas verè intolerabiles sustinueritis: Propter quæ profectò turbæ electissimæ vestrarum paternitatum quadam communicatione reciproca est meritò ingerendum: *Non debet* tamen gravitas, *constantia* & compassio tantorum *patrum* electissimorum, ex universis ferè gentibus, tribubus & linguis, quorum laudibus accreverit, quòd currus Israel existunt, & auriga ejus, *in tam virtuosi certaminis hujus sacri concilii agone tepescere*, nec *noverca constantia, ante totalem reformationem, diffidentia, conservari.* sed liberaliter omnes fructus ecclesiarum vestrarum, quin potius tanquam boni pastores etiam animam, si expediat, pro ovibus istis, quæ in multis partibus, prout nostis, tractantur & angariantur, velut oves occisionis, exponere exemplo illustris Maccabæi dicentis *1. Maccab. III. Melius est nos mori in bello, quam videre mala gentis nostræ.* Ne per *inconstantiam* & incompassionem ad turbam ecclesiæ militantis, *sedatio schismatis & reformatio*, indesperati casus vergant exitium. Quæ per perseverantiam vestram & compassionem ad ipsam turbam, salubri poterant moderamine cohiberi. *Constantes* igitur estote & miserantes super turbam. Et verè videbitis auxilium Domini super vos *2. Paralip. XX. alias*, proh dolor! *augebitur* plus solito contemtus fidei, fiet *hæresium multiplicatio*, prorogatio schismatum, seditio Principum, & secularium, profanatio sacrorum, monopolium lombardorum, colophizatio sathanæ, & exilium charitatis, in detrimentum omnium & scandalum singulorum.

§. II.

Prælati immisericordes laicorum pauperum nulla ratio habita.

Pauper ubique jacet, dives ubique placet.

An autem ad turbam humilem charitas tua sic se extendat, indica mihi precor. Quis *hodie* in præsenti, aut *Romana Curia* pro turba vehementer pressa efficaciter defensionis advocationis seu procurationis gerit officium? Quis operibus misericordiæ insistit? Quis Prælatorum cum tantis proventibus, ad salubrius ecclesiæ suæ seu universali consulendum, notabiles Magistros, Doctores aut alios excellentes clericos, pauperes, secum misericorditer recipit? Quis hodiè nudos vestit? Quis hospitalitatem servat, ad quam tenentur episcopi & ceteri sacerdotes *XLII. dist. per totam?* Quis infirmos & hospitalia visitat? quod verè cederet ad maximam gloriam apud Deum & homines reverendissimis ac reverendis Patribus, quin etiam summo Pontifici, si frequenter illos visitarent, & saltem per tactum manuum aut alias consolarentur, procurantes eos liberari à languoribus suis &c. Præsertim cùm *bonorum ecclesiasticorum dispensatores* sint à Deo constituti super familiam Christi, ut dent illi in tempore tritici mensuram. Quis captivos redimit? Et sic de aliis charitatis & misericordiæ operibus. Nonnullos revera in præmissis pios & misericordes inveni, de quibus forsan lex tenda non est, tanquam de raro contingentibus. Clamat enim *pauper Doctor, Licentiatus*, aut aliquis *graduatus*, vel *pauper & virtuosus non graduatus*, quibus de vigore justitiæ distribuendum est patrimonium crucinixi ad te reverendissimum patrem, vel alium Prælatum, pro justissima supplicatione signanda per Papam, aut aliàs exigui proventus beneficio consequendo. Tu autem qualiter, contra omne vinculum charitatis, in hoc & aliis casibus *obturas aures ad clamorem pauperis* docet experientia manifesta. Et ut de aliis impietatis & ab omni charitate seclusis operibus taceamus, causa brevitatis. Estne hæc charitas patrum nostrorum ad humilem ecclesiasticam turbam? Nequaquam profectò. Clamat *dives plenus loculis* & forsan *moribus vacuus*, vel aliàs in judicum auditoriis de causarum strepitibus,

pitibus, laqueis *omnifariæ doloſitatis* accinctus, pro quinto, decimo, duodecimo, aut ulteriori beneficio obtinendo, aut etiam prælatura conſequenda. Et non diſcuſſa probitate, ſcientia aut morum maturitate petentis, ſed ſolùm *de iniquitatis mammona ſecretum & judaicum geritur*, hoc eſt geri ſolitum fuit, *colloquium*: *Quid vultis mihi dare, & ego eum*, id eſt hoc beneficium, *vobis tradam.* Et tunc ſi *farcire marſupia* noverit, trium, quatuor aut plurium dignitatum & parochialium eccleſiarum, præbendarum, & ſimplicium beneficiorum, etiam forſan *usque ad vomitum*, *honore potitus eſt.* Et ad illas & plures dignitates aut parochiales eccleſias ſeu incompatibilia, etiam ſimplici & forſan vitioſo viro, non inſpecta neceſſitate urgente & publica utilitate, *diſpenſatio*, & verius *diſſipatio*, quam frequenter conceſſa eſt? Et ſi importunè pulſaverit, *appoſita ſunt cornua peccatori.* Eſtne hæc charitas & miſericordia ſuper turbam? Profecto non. Audite, obſecro, quid inquit monarcha noſter *Juſtinianus III. L. Sed quanquam C. de epiſcopis & clericis.* *Quis tutus locus, & quæ cauſa poterit eſſe excuſata, ſi veneranda Dei templa pro pecuniis expugnentur? Quare murum integritatis aut vallum fidei providebimus, ſi auri ſacra fames in penetralia veneranda proſerpit? Quid denique tutum eſſe poterit aut ſecurum, ſi ſanctitas incorrupta corrumpatur.* Ne igitur hæc generalis & impudens *peſtis ſacerdotum* cœtum eccleſiaſticum interimat & conculcet, juxta conſilium dictæ *L. Si quicquam*, ceſſet à modo altaribus imminere prophanus *ardor avaritiæ.* Quantum quisque mereatur, non quantum dare ſufficiat, æſtimetur, ut ibi. Bona præterea eccleſiaſtica, quorum diſpenſatores, non Dominus, ut prædictum eſt, in operibus charitatis abundè diſtribue.

§. III.

Incredibilis Clericorum faſtus.

Hæc namque *perniciosiſſima pompa*, quam ferè indiſſolubiliter concomitatur excœcatio mentis & ambitio, & ex conſequenti execrabilis ſuperbia, faſtus, invidia, cupiditas, voluptas, ingratitudo, rapina, otium, negligentia, adulatio & contemtus, & poſtremo extinctio charitatis, proh dolor! *nimium* damnabiliter *eccleſiaſticam turbam invaſit.* Præſertim in ſuperfluitate ſeu inhoneſta varietate colorum ac fiſſura & frappatura veſtium, & abominabili extenſione manicarum eccleſiaſticorum virorum, etiam plurimorum, *qui hic in facie ſacri concilii reſident*, ubi debet ratio, ut aliàs, ſtatui, forma benè vivendi & exemplum totius eccleſiaſticæ honeſtatis. Plurimi namque etiam in ſacris dignitatibus, officiis aut aliis beneficiis conſtituti, dicta varietate & verius veſtium ac morum deformitate mirabiliter ac damnabiliter ſe deformare jugiter ſatagunt, contra canonicas indubie ſanctiones. Ex his enim *nonnulli clerici* in ſuis *veſtibus frappatis* cum floribus & palmis incedunt. Hi cum luporum & aliorum brutorum animalium ſignis. Hi monilibus decorati; Cæteri veſtiti mollibus ultra congruum. Reliqui verò *circumornati, ut ſimilitudò templi.* Talium enim Domini, ſic *clericos ſcutiferos* circumornantes, & fere pro ſola dignitate & pompa tuenda certantes, honori mundiali quaſi totum tribuunt, ſanctitati autem nihil aut parùm. Octo, decem, vel plures ſcutiferos tales, ſecum benè comparentes, retinent, ſolò autem fortè *presbytero* celebrante contenti, plus ceteris etiam laicis forſan in domo & extra *vilipenſo.* Eſtne hæc forma *militiæ clericalis.* Eſtne ad hoc Dominis talium prælatura conceſſa, ac talibus eccleſiaſticis. Sunt ne ad hoc proventus eccleſiæ diſtributi? judicet eccleſia. Eſtne hic ſtatus Petri, dicentis. *Argentum & aurum non eſt mihi*, & ſuorum diſcipulorum, M. Conſtantini & ſuorum armigerorum, aut diaboli & ſuorum ſatellitum? Judicent in his talium conſcientiæ. Quæ verè in extremo Dei judicio reddent rationem villicationis ſuæ. Et advertant tales, cui miniſtrent, ex præmiſſis. Quia ſcriptum eſt *Joh. XII. ſi quis mihi miniſtrat, me ſequatur, & ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* Tales profectò non eſſent boni prædicatores veritatis. Cùm in talibus exterius *deficiat vita lucens, in prædicante requiſita*, ut pulchrè notatur *XLIII. diſt. in princ.* Ob hoc *Bernhardus ad Eugenium Papam L. III. Quid ſibi vult*, inquit, *quod clerici aliud eſſe aliud videri volunt, habitu milites quæſtu clericos, actu neutrum exhibent. Nam neque pugnant ut milites, neque ut clerici evangelizant. Cujus ordinis ſunt, unusquisque*, inquit, *in ordine ſuo reſurget.* Et ſequitur: *Vereor, non alibi ordinandos, quàm ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Et cum propter tales & alias pompas & alios abuſus multiplices patrimonium crucifixi & theſaurus pauperum damnabiliter diſſipetur, eccleſiæ Cathedrales, Abbatiæ, Prioratus, dignitates & alia beneficia in reditibus plurimum decrementum patiantur, pluraque prædictorum exinde fere ad totale exterminium redigantur, atque mille modis: Pauper eccleſiaſtica turba propterea angariis & perangariis ferè importabilibus cruciatur. Et quoad propoſitum *talium prædicatio*, etiam veritatis luciſluæ, quam plurimum *vertitur in deriſum*, ex eo, quia *cujus vita deſpicitur, reſtat, ut ejus prædicatio contemnatur*, *III. q. 7. Idem David. Debet ne* igitur hujus *peſtiferæ pompæ reformatio in eccleſia* ſub diſſimulatione amplius pertranſiri? Profectò non. Cum inſuper, per hos *pompaticos* & alios varios *eccleſiaſticorum abuſus* multos, monachorum & aliorum Dei miniſtrorum numerus, *propter pompam unius* manutenendam, ad modicum vel forſan non minimum reducitur, qui forſan tanta ſuperbia detinetur, non obſtantibus prædicationibus quibuscunque, ut vix creatorem ſuum in ſacramento altaris per remotionem caputii aut curvationem poplitum revereri dignetur, aut etiam orationes pro populo, de cujus eleemoſynis vivit, ad dominum fundere. Sed potius in officio divino & proceſſionibus riſibus & collocutionibus vanis inſiſtit, turbamque humilem orantem geſtibus ſuis ab omni devotione abſterret. Vixque alium, virtutibus, ſcientia & diſcretione eo potiorem, licet forſan ſine dignitate, hominem reputat, vel duobus interdum aut paulò pluribus verbis continuis talem alloqui vix in patientia tolerat. Prout docet lacrymabilis experientia manifeſta. Per quæ præmiſſa, divinæ majeſtatis offenſa ferè intrepidè augetur, in ſe tota ſcandalizatur eccleſia univerſalis, animæ autem miniſtrorum eccleſiæ & interceſſorum pluralitate defraudantur, injurioſis affultibus indignantur principes, popularis multitudo etiam ſcandalizata delirat, omittitur fervens

vens veritatis prædicatio atque contemnitur, quando etiam ecclesiasticorum proborum turba propter & per tales in derisum geritur, improperium & contemtum. Debent ne igitur hæc, ecclesiam in se tam horribiliter scandalizantia, per viros probos Deum timentes silentio negligi? Revera nequaquam. Sed potius *pro* charitativa *reformatione obtinenda*, ferventissimâ prædicatione veritatis detestatio præmissorum prædicari super tecta. Et hæc est vera misericordia super turbam.

§. IV.

Ad seriam reformationem valida adhortatio.

Debentne hæc insuper *per sacrum concilium, sine reformatione celeri*, in patientia *tolerari?* Absit, me hujus præsumtionis existere. Præsertim, quia cùm species misericordiæ sit delinquentes corrigere, ut prædixi, crudelis, aut saltem non bona esset misericordia, uni vel paucis parcere, in discrimen plurimorum, *dist. XLV. Sed illud. & XXXIV. q. 4. c. est injusta.* Clama ergò, ne cesses, *Esa. LVIII.* Et ad quos, nisi ad sceleratos & peccatores. Et nunc verè per prædicationem talem misereberis super turbam. Vocate igitur & congregate senes in domo Domini Dei, hoc est, *in hoc celeberrimo & sacratissimo concilio*, & clamate ad Dominum, *Joel. I.* pro talium scilicet *abusuum ecclesiæ & ecclesiasticorum* salubri & charitativa *reformatione* fienda, *præsertim plurimorum excessuum Romanæ Curiæ.* Et quidem ante *electionem summi Pontificis futuri.* Ne forsan, cum media nocte clamor fiet: *Ecce sponsus*, id est summus Pontifex *venit, exite obviam ei: Ferè omnibus aut plurimis tendentibus ad avaritiam, reformationis per necessariæ vobis possibilitas subtrahatur.* Sicut *omissa* fuisse non ignoratur *in concilio Pisano aut Romano*, culpâ forsan aliquorum, aut studio, præsertim non sine mysterio loquente solidissimo statuto, *de conciliis generalibus imposterum quàm frequenter celebrandis.* Aliàs verò, cum nulla correctionis neque pœnitentiæ signa, propter quantumque prædicationem, in ecclesiasticis videam, sed potius novissima multorum pejora prioribus, *nisi celeriter* maximè *per hoc sacrum concilium reformentur*, dubito verisimiliter, ne sanctuario, id est ecclesiasticis viris contingat illud lacrymabile, quod scribitur *Ezechiel. IX.* Quod ex causa non exprimo. Et utinam, *si aliqua per sacrum concilium omittantur reformatione digna*, veniat ille desideratus gentibus miserans super turbam & ea adimpleat. De quibus intelligi potest illud *Malachiæ III. statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis*, id est, desideratis, *& angelus testamenti, quem vos vultis.* Sequitur: *Et purgabit filios Levi, id est turbam sacerdotalem*, glossa interlinearis, *& colabit eos tanquam aurum & tanquam argentum, & sedebit conflans, & emundans argentum.* Quod concedat altissimus, & breviter. *Et tunc*, glossa, *cum colati fuerint, erunt Domino offerentes sacrificia in justitia.* Ferventer igitur, viri fortes, pabulo veritatis & doctrinæ turbam ipsam, opere, exemplo, atque verbo, exemplo Salvatoris, utpote de quo scriptura. *Cœpit Jesus facere & docere*, instruere non postponatis. Et tunc per prædicationem vestram agnoscemini spiritualiter suscitatores mortuorum VIII. q. 1.

EXCERPTA SERMONIS XXI. u)

Dicti Anno 1418. in festo Purific. Mariæ.

§. I.

Humilitas à Clero exulat.

VEra autem *humilitas* facit de se æstimari pauca, & de aliis magna. Si quis est hic, & laudabimus eum. Numquid *clerici* & *religiosi?* Numquid hodiè *omnes gestus, omnes actus* tam in spectabilibus quàm in agibilibus fiunt *magis ad apparentiam* quàm ad existentiam? „Patet discurrendo in omnibus. Sicut *in superbo ornatu*, in „*superfluo apparatu*, in *excessivo comitatu*, in „*contumelioso affatu*, in *aliorum contemtu.* Et sic de aliis. Attamen, dicit *Augustinus, Tolle hoc vitium à clero, ut nolit apparere, & cetera vitia faciliter evellentur.*

§. II.

Propter opes, non propter curam sacra officia appetuntur.

Istam enim paupertatem & exemplo firmavit, & verbo docuit, *Matth. VIII.* Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Sed num quid *hodiè* in hoc ipsum volumus imitari? Audeo dicere, quod licet aliqui *nomine*, pauci tamen *re.* Imò, sicut dicit *Bernhardus*: Curritur in clero passim ab omni gradu, doctis pariter & indoctis ad ecclesiasticas curas, tanquam sine cura victuri, cum ad curas pervenerunt. Imò *hodiè*, „proh dolor! *beneficia ecclesiastica* nonsolum non „recusantur, imò *cum tanta aviditate*, cum tanta „*precum importunitate*, & utinam non quando„que *cum munerum largitate* procurantur: ut „quasi verificatum videatur illud *3. Reg. XIII. Qui„cunque poterat, implebat manum suam, & fie„bat sacerdos.* Unde *hodiè* ad literam vix est ali„quis, qui quærat *beneficium* propter spirituale „commodum, sed *propter temporale lucrum*, di„cente *Bernhardo in sermone XXXIII. Omnes a„mici & inimici, omnes necessarii, omnes dome„stici & nulli pacifici, omnes proximi, & omnes, „quæ sua sunt, quærunt, ministri Christi sunt, & „serviunt Antichristo, honorati incedunt de bo„nis Domini, & tamen honorem Deo non impen„dunt.* Unde de talibus cum summa demonstratione dicitur *Eccl. IV. Reperi & aliam vanitatem, quæ sub cælo est. Unus est & filium non habet, & tamen laborare non cessat, nec saturantur oculi ejus divitiis, nec recogitat, dicens: Cui laboro & fraudo animam meam bonis. In hoc quoque est vanitas & afflictio pessima.*

u) Textus *Luc. II. Complti sunt dies purgationis ejus.*

FINIS.

PARS QVARTA.

HISTORIÆ LITERARIÆ REFORMATIONIS:

I. De Indulgentiis, num fuerint origo Reformationis?

II. Diploma Indulgentiarum Leonis X. per Albertum Electorem Moguntinum, & Minoritarum Moguntiæ Gardianum, Commissarios; cum Sigillo, A. 1517.

III. Ex Tezelii Summaria Instructione Sacerdotum, pro indulgentiis prædicandis, A. 1517.

IIII. Lutheri prima disputatio, pro declaranda virtute indulgentiarum; contra Tezelii articulos, A. 1517 Ex Autographo.

V. Joannis, Episcopi Chiemensis, Suffraganei Archi-Episcopi Salisburgensis sobrium judicium de tota illa indulgentiarum re, A. 1519.

VI. Philippi Melanchthonis Hypotyposes Theologicæ Anno 1521. opus rarissimum.

HISTORIAE
LITERARIAE
SPECIMEN:

Emendationi rei communis.

Nihil vulgatius, *Indulgentias Tezelii*, Dominicani, Doctoris Theologi, *originem fuisse reformationis Lutheri*, quam orsus sit prima disputatione, A. 1517. vigilia omnium sanctorum, d. 31. Octob. Quis nescit illo tempore tempestatem esse ortam? Sed *verae circumstantiae perpaucis hodie sunt cognitae & perspectae.* Non profecto subitanea fuit commotio, unius horae aut diei, nisi quoad publicae disputationis apparatum, de indulgentiarum virtute. *Reformationis communis exordium lentum*, quod per annos prævios per secula præcuntia, sensim sensimque apparatum. Quando ecclesiastica administratio cœpit insolescere, eodem etiam tempore bonorum indignatio, ut & Cæsarum & principum audita querela & emendationis postulatio. Crevit Ecclesiæ corruptio, crevit & reformationis desiderium. Quæ fata per longa iverunt secula. Donec seculo XV. labente mala viderentur immedicabilia, longa ætate nimis radicata: Sed & *reformationis remedium* poscceretur *per caput & membra;* idque, cum alia non inveniretur via, rebus ultro citroque per omnia regna expensis, *per Concilium*, aut communem Christianorum conventum, Cum per longiores adhuc moras mala invalescerent magis, postulata enixius atque ardentius *reformatio Ecclesiæ in capite & in membris.* Tentata tandem hæc magno molimine multis Conciliis universalibus seculo XV. Pisano præsertim, Constantiensi & Basileensi. Frustra semper. Neq; consequi sustinuit *Sigismundus Imperator* reformationem illam, quæ immensis laboribus tentabatur, obstantibus artibus quorundam, vel & fatis. Optima negotia manent diu immatura, circumstantiis & fatis renitentibus, donec emergant horæ aptiores, quæ capiant. Neque enim res morum, animorum, affectuum, cedunt consiliis semper, sed tempori sæpius. Diu multumque tentatur, quod vel sero succedit, & præter opinionem. Quæritur res vel occulta vel perdita, labore magno, diu, frustra: ubi animus etiam inveniendi videatur abjectus, subito, præter spem, aut facie aliqua se prodit. Quod inprimis in magnis rebus locum invenit. Sic abiit seculum etiam XV. inter mera pericula, tentamina, minas & terrores, sine fructu. Interea *sub natæ* præter humanam scientiam *instrumenta futuræ emendationis.* Quod *communi orbis manu*, in congressibus Synodicis effici non potuerat, *unius alteriusque viri digito*, aut calamo, vel *parva lingua* promovendum erat. Nec enim vi afficiuntur, quæ robur habent fortius vel & vim validiorem *lingua mollis* omnem etiam potentiæ asperitatem mitigat & vincit. Hoc fatis contigit, & continget dum orbis erit. *Valla* apud Italos circa medium Seculi XV. dixerat, aut dicere inceperat, quæ corruptionis fundamentum moverent. Doctrinæ genus priscum, *Novi Testamenti græci usum*, præ Scholæ ambagibus & vulgatæ disciplinæ inertibus tricis, monstrare annisus. Prælto fuere mox, sub finem Seculi XV. *Reuchlinus & Erasmus, meliora atque mansuetiora studia promentes.* In his *Erasmo datum, perhumaniter* corruptos in Ecclesia mores vel detegere, vel ad emendationem animos *pellicere.* Qui & *Novum Testamentum græcum, cum nova versione* dedit A. 1516. omnis reformationis fundum & normam. Qua erat mansuetudine, reformationi aptâ, innumera emendationis momenta versavit feliciter, postquam circa annum 1515. Caroli Austriaci factus erat Consiliarius, Emendavit genium orbis mille modis & articulis, molliter, sine sensu fere. Pro priori barbarie oris & sermonis, conciliavit nitorem in dicendo & scribendo. Neque illa puritas verborum, sed in primis animorum, consiliorum, judiciorum, sententiarum, quæ in oratione pellucent pura. Mentium adeo, studiorum, & geniorum prima quædam emendatio. Quæ institutio aut redintegratio alios sensim fecit homines, aliter animatos, meliori judicio præditos. Quæ nitidior ac cultior oratio, sentiendi ac judicandi facultas, veteres optimos autores, græcos & latinos, eorumque nobilem doctrinam, publicis usibus commendavit. *Momentum reformationis grande*, quod aliud docendi doctrinarumque genus adveheret & commendaret. Quæ prima integritas non potuit non detegere barbariem vulgi aut communis literati orbis per omnes status omniaque officiorum genera, in civitate & ecclesia. Sic horrere cœpit *Academiarum* doctrina communis *hospita*, theologorum schola obscura apparuit, verbis & sententiis. Par ratio *monasteriorum*, quorum dictio tam fœde visa, & doctrina barbara, ut melioribus literis collata nauseam crearet. Atqui *Scholasticæ Theologiæ inanes tricæ detectæ*, & inutilis docendi sentiendique ratio manifestata, *reformationis argumentum peramagnum.* Summatim demonstrasse, subtilitates scholæ jactatas, hebes judicium arguere & Ecclesiæ atque reipublicæ nullum ferre fructum, erat per partes quassasse & pessundedisse. Dum accessit ipsa in sacris genuina docendi, credendi & agendi norma, *Novum Testamentum græcum*, quod

quod in lucem produxit Eraſmus machina fuit, ad diruendam ſcholam & ſuſcitandum integriorem Eccleſiæ habitum. Quam ſui rerumque ſuarum mutationem non præviderunt ſed ſenſerunt abunde Monaſteria & Academiæ, Annis 1514. 1515. 1516. 1517. Reges & Principes, magnates, & viri prudentes, aliter his annis ſenſere de rebus Eccleſiæ, ac longis antea ſeculis factum. Hæc mutatio, hæc reformatio manifeſta, publica molli calamo & blando conſilio effecta, ſine ſtrepitu, certe his jam fulta fundamentis, ut moles vetus eſſet aliquando ſponte ruitura. Satis pro illo tempore, barbari ei priores odium publicum, doctrinæ Scholaſticæ Spinoſæ tædium commune; morum inprimis perditorum fugæ, ut ſcholaſticum nominaſſe eſſet non ſolum dumetum dixiſſe, ſed & ſtudia inepta ad publicam rem, inter omnis generis vitia. Hæc detecta per Eraſmum ut nomen Monarchorum aut Scholaſticorum vel riſui eſſet vel contemtui, ex quibus rei communi exiguus aut nullus fructus. In quibus vel doctrinis vel moribus vulgatis, redditis jam ſuſpectis vel & odioſis & communi ſaluti adverſis, magnus erat ceremoniarum apparatus, quæ vel ſupervacaneæ haberentur vel ſuperſtitioſæ. Inprimis cœpit pellucere, ſub monſtrante Eraſmo, pleraque vel multa, ſi non prima & præcipua pendere à luxu, voluptate, avaritia. Quæ in ſacris notæ valde moleſtæ abunde animadverſæ. *Introduxit* adeo *Eraſmus, molli greſſu, cum bonis literis, meliorem ſentiendi habitum, integrius judicium, mores puriores, virtutem variam, manſuetudinem, vel homine vel Chriſtiano dignam.* Hæc ſane aliqua Eccleſiæ & reipublicæ reformatio, nec parva fructus certe maximi, & effectus ſaluberrimi. Hæc ſenſim aliquot annis comparata. Juvit non nihil & *Reuchlini negotium*, qui & hebraica ſtudia proferret, & judæorum emendationem aut converſionem non vi & flammis, ſed humanitate & manſuetudine promovendam diceret. Cujus impatientes iterum Academiæ & monaſteria, ſui odium immane quantum auxerunt. Quod ad *onera civitatum ac provinciarum* ex annatis, fructibus primis, nec non indulgentiis, ac ſimilibus *exactionibus, religioſorum opera manuque*, de quibus jam olim queſti Cæſares & Reges, communisque populus per omnia regna, per Germaniam inprimis; *Cæſar Maximilianus* ipſe, imperii miſertus *novis ſuis* Germaniæve *Gravaminibus A. 1510. editis* declaravit, quam *hæc enormia negotia*, publicæ rei intolerabilia, *funditus reformanda.*

Quibus modis reformatio cœpta, progreſſa, pedetentim ſeculi XVI. exordio. Neque Concilium Piſanum & Lateranenſe, in reformationis quæſitæ jactantia aut promiſſione, ab A. 1511. ad annum 1517. animadvertit, dum illi Eccleſiæ præſides neceſſitatem reformationis urgerent, à Leone Pontifice expeterent aut expectarent, *Eraſmum interea conari, facere & præſtare apud Germanos, quo fatis deſtinatum.* Eo usque per Eraſmum, tot monumentis hanc in rem editis, res jam producta, ut, *ſi etiam nihil aliud incidiſſet, ſponte fuiſſet collapſura tota ſcholæ vaſtæ machina.*

Quod autem Eraſmus non convellere ſed ſub ruere ſtuderet imperitiæ & inanis doctrinæ portentoſas ſtrues, indulſit, per tempora, per fata, pluscula, prudentum oculis & judiciis relinquendo. Hi ſucceſſus humaniorum literarum, artium & diſciplinarum puriorum, odium quidem in Eraſmum concitarunt ex illis, qui vetera barbara ſtudia linquere non poſſent. Sed pluma molli & affectu mitiſſimo tela, ſive occulta ſive aperta, declinare ſtuduit, *ſuadendo, rogando, tolerando, precando.* Ut ſpes eſſet fructus ampliſſimi.

Inter hæc mitiora ſtudia in valeſcentia, *Maximiliano Cæſari* ſatis eſſe debuit, de oneribus externis, inque his de exorbitantibus indulgentiis, palam conqueri, & emendationem illius adminiſtrationis ſacræ poſcere, quod & A. 1515. per Wimphelingium Theologum repetiit. Manſit proinde nondum correcta nec facile corrigenda indulgentiarum moleſtia, quæ Eccleſiam premeret graviſſime. *Arcimboldus* illis annis in Saxonia & ſeptentrionalibus oris in exigendo aut divendendo fortunatus, *Tezelii* etiam, *ſubdelegati* ſui, opera adjutus, *in numeras querelas cum nummis corraſerat ac conſarcinaverat.* Nec humeri Germanorum adhuc dum fracti ferendo, etſi loculi perforati vellicando, ut in vocibus querulis acquieviſſent, fata benigniora optando.

Incidit autem, ut in dictionibus Moguntinis & Brandenburgenſibus, *Electori Moguntino, Marchioni Brandenburgenſi, Alberto, & Minoritarum Gardiano Moguntino*, ſpeciatim committeretur, in uſus, quosdam Alberti, quosdam Romæ, *munus indulgentias diſtribuendi*, & æris ſummam ex illis colligendi, A. 1517. Neque ſane ſcopus illorum Leonis Commiſſariorum Alberti & Gardiani illius, in illis terris Brandenburgenſium diœceſium, ultra morem receptum agere, in primis cum Gardianus invitus admodum ad hoc negotii accederet, quin omnibus modis detrectaret, coloribus etiam & prætextibus non omnino nullis. Cumque Gardianus non poſſet aut vellet ipſe, velut Commiſſarius Pontificis, ob errare per terras, mercesque exponere, *adhibiti ab illis, ſine Pontificis præſcitu Subcommiſſarii*, qui Commiſſariorum nomine, diplomata divenderent in illis dictionibus, Brandenburgenſibus puta. Inter hos allectus, *Dominicanus, Tezelius, Theologiæ doctor*, qui his negotiis jam inclaruerat ſub Arcimboldo, cujus extiterat Sub-Commiſſarius in terris Saxonicis, aliisque inferioribus. *Hic homo, nec à Pontifice miſſus eſt, nec ei à Pontifice quicquam commiſſum hac in re Moguntina, nec adeo Commiſſarius à Pontifice vel nominatus vel conſtitutus; ſed ſolum Sub Commiſſarius, & quidem pro privato arbitrio à Commiſſariis illis Moguntinis inſcio Pontifice elatus:* Amplius, *non Sub-Commiſſarius per Germaniam, ſed ſolum per provincias Brandenburgicas, Commiſſariis illis tributas.* Nulla igitur illi peculiaris aut ſpecialis auctoritas aut poteſtas à Pontifice.

Hic

Hic *per Brandenburgicas diœceses Alberti & Gardiani Commissariorum subdelegatus*, si servasset veteres indulgentiarum consuetudines, intactus mansisset, suo commercio relictus. Verum homo audax & protervus merces illas adeo corrupit & interpolavit, vt meræ fierent fraudes & apertæ impostura, magnæ religiositatis fuco. Non illi satis inter commendandum viva voce enormiter usum illorum diplomatum laudasse, pro plebe circumvenienda; quod iterum fortasse fuisset dissimulatum: Sed minime tolerandum, quod *adigeret concionatores*, in denunciando, illas ita extollere ac celebrare, ut cœlo pares vel superiores essent æstimandæ. Injunxit illis, e suggestu illos usus illis tribuere, qui homines scelestos non facerent securos sed deteriores, flagitiosiores, qui hoc velo muniti tuto scelera perpetrarent. Salvus ille conductus appellatus, quo morituri quique recta ad cœlum ferantur. Omnem pœnam, cujuscunque nominis, sive in hac vita sive postillam, hac charta, hac membrana, tolli, remitti, ac irritam reddi: Hoc certissimum clamatum salutis remedium. Quod auditu horrendum. Forte an & hæ prædicatorum voces fanaticæ & plus quam profanæ fuissent dissimulatæ aliquo modo, nisi eo pervicaciæ progressus esset homo perfrictæ frontis, ut *publicis scriptis*, *editis libellis*, hanc intemperantiam & & prodigiosas indulgentiarum commendationes, concionatoribus imperasset. Quod obsequium fecit ex suggestibus *fori portenta & ludibria, religionis propudia* ex ecclesiis, ex locis sacris *profanas tabernas*. Scelera jam laudem & veniam aut licentiam nacta nomine Pontificis prætexto. Ex Christianorum ædibus jam factæ latronum speluncæ & meretricum honestæ professiones. Audacissimæ veniæ, quibus omne scelus liberum & impunitum, sive hic in terris, sive olim. Hæc impunitas universalis, immanis Ecclesiasticæ corruptionis labes.

Hi *Tezeliani libelli*, hominis prorsus temerarii, infandum & immane dedere scandalum omnibus bonis & rectis viris. Vocati hi libelli, *summaria instructio sacerdotum, instructio Commissariorum*. Norma effuse in suggestibus & prodigiose illas venias & remissiones commendandi, pro mercibus istis feliciùs distrahendis. Admonenti potius fuerant sacerdotes & concionatores ad modestiam, ad temperantiam in promulgendo: ille contra illis imperavit sordidissima elogia.

Hi *tam portentosi Tezeliani libelli*, sine pudore in publicum protrusi, Christianæ rei pernicies manifesta publica scelerum pallia, exterruerunt viros integros & honestos, qui horrerent & expavescerent, temeritatem talem abominati. Nefas omnino erat hic tacere, connivere, & illam in Ecclesia luem præsentem relinquere intactam.

Hoc proinde indulgentiarum Tezelianarum statu, hoc fœdo conspectu, turpe fuisset, quiescere, non salubriora indicare, & incredibiles illos abusus reprehendere, qui Christianam rem omnem pessundarent. Cumque adeo Tezelius has peregrinas merces prope Wittebergam exposuisset, quæ Ecclesiæ cum Wittebergensi diœceseos tunc Brandenburgensis, declamatione in suggestibus *pro Tezelii instructione terrificæ & giganteæ*, non potuerunt non religioso cuicunque viro animum addere adversus illas dicendi quidpiam vel scribendi, religionemque puriorem vindicandi.

Atque ita non tam Moguntinæ indulgentiæ, quæ pro illis temporibus sat cautæ; quam *Tezeliani libelli ad Concionatores, pro istis indulgentiis ultra cœlum manifesto mendacio evehendis, ansa tragœdiæ.* Audacia impia Tezelii origo tempestatis. Monere justum, pro Christiana integritate æquum, veritate dignum: Hic silere turpe.

Lutherus igitur, pro sua professione, animique probitate, nec non justo veritatis studio, libellos Tezelii non sine dolore legere sustinuit, calamitatem publicam & corruptionem infandam deploravit, vasta illa fingendi, mentiendi & populum simplicem circumveniendi audacia valde commotus. Ergone existeret, qui populi misereretur, imo christianæ sinceritatis protritæ & proditæ.

Neque adeo calamum prehendit Lutherus in indulgentias Moguntinas, sed in *Tezelii libellum*, sacerdotum institutionem, irreligiosa in suggestibus præconia juxta illos libellos Tezelianos. *Lutheri disputatio adversus Tezelii librum*, adversos enormes libri illius errores publicos, Christianæ pietati & veritati prorsus inimicos.

Neque verò adhuc dum prima illa disputatione libellus ille totus ordine suo examinatus, sed momenta quædam insignia inde deprompta. Parcendum aliquo modo Electoris Moguntini nomini atque dignitati, quoniam Alberti, Electoris nomine & autoritate ediderat Tezelius.

Quæ ratio est, quare Lutherus, cum Electori mitteret die 31. Octobr. disputationem illam suam, illo die tabulæ publicæ Wittebergensi affixam, quibus quædam Tezeliani libri momenta perstricta, diserte *obsecravit Electorem, libellum Tezelii, institutionem Commissariorum*, autoritate & nomine Electoris editum, *supprimeret*. Quæ submissæ preces pro supprimendo illo propudioso Tezelii libello, stipatæ *præsagio libelli illius Tezeliani ordine & plene refutandi.* Parcendum adhuc esse Electoris nomini, quod suo libello prætexuisset Tezelius impudens. Ni supprimatur mature liber, *justum libri examen secuturum.*

In temeritatem concionatorum, instinctu Tezelii, in epistola illa & Electorem ita Lutherus: Circumferuntur indulgentiæ papales sub tuo præclarissimo titulo ad fabricam S. Petri. In quibus non,, adeo accuso Prædicatorum exclamationes, quas non audivi, sed doleo falsissimas intelligentias populi,, ex illis conceptas, quas vulgo undique jactant, videlicet quod credunt infelices animæ, si literas indul-,, gentiarum redemerint se securas esse de salute sua. Item quod animæ de purgatorio statim evolent, ubi,, contributionem in cistam conjecerint. Deinde, tantas esse has gratias, ut nullum sit adeo magnum pec-,, catum, etiam (ut ajunt) si per impossibile quis matrem Dei violasset, quin possit solvi. Item, quod ho-,,

„mo per istas indulgentias liber sit ab omni pœna & culpa. Opera pietatis & charitatis sunt in infinitum me„liora indulgentiis, & tamen hæc non tanta pompa nec tanto studio prædicant, imo propter Venias prædi„candas illa tacent; Cum tamen omnium Episcoporum hoc sit officium primum & solum, ut populus Ev„angelium discat & charitatem Christi: Nusquam enim præcipit Christus indulgentias prædicari. Quan„tus ergo horror est, quantum periculum Episcopi, si tacito Evangelio non nisi strepitus indulgentiarum „permittat in populum suum spargi, & hos plus curet quam Evangelium. Non ne dicet illis Christus: „Colantes culicem & glutientes camelum. Ita in præcones indulgentiarum per Tezelium instructos, libro „publicato.

Mox diserte nominat Lutherus *illum Tezelii librum*, ejusque argumentum nefandum attingit: „Accedit ad hoc, Reverendissime Pater in Domino, quod in instructione illa Commissariorum sub T. re„verendissimæ P. nomine edita, dicitur (utique sine T. P. reverendissimæ & scientia & consensu) unam prin„cipalium gratiarum esse donum illud Dei inæstimabile, quo reconcilietur homo Deo, & omnes pœ„næ deleantur Purgatorii. Idem quod non sit necessaria contritio his, qui animas vel confessionalia „redimant.

Dein submisse rogat & obsecrat, *illum Tezelianum fastuosum librum supprimi & mature aboleri*, aliamque integriorem prædicandi formulam præscribi. Alioquin verendum esse, ne libellus ille confutetur directe & plene. „Sed quid faciam, inquit, optime Præsul & Illustrissime Princeps, nisi quod per Domi„num Jesum Christum T. reverendissimam P. orem, quatenus oculum paternæ curæ, dignetur admittere, „& eundem libellum penitus tollere, & Prædicatoribus veniarum imponere aliam prædicandi formam; Ne „forte aliquis tandem exsurgat, qui editis libellis & illos & libellum illum confutet, ad vituperium summum „illustrissimæ tuæ sublimitatis: Quod ego vehementer quidem fieri abhorreo, & tamen futurum timeo, nisi „cito succurratur.

Cum ederet Lutherus A. 1518. *Resolutiones disputationum de indulgentiarum virtute*, præire jussit epistolam ad Pontificem Leonem X. in qua non solum concionatorum portentosa verba tangit, sed inprimis *Libellum Tezelii* deformem describit. Primum de vivis sermonibus prædicatorum, juxta instructionem Tezelii: „Cœpit apud nos diebus proximis prædicari Jubilæus ille indulgentiarum apostolica„rum; profecitque adeo, ut præcones illius, sub tui nominis terrore, omnia sibi licere putantes, impiis„sima hæredicaque palam auderet docere, in gravissimum scandalum & ludibrium Ecclesiasticæ potestatis, ac „si Decretales de abusionibus quæstorum nihil ad eos pertinerent.

De libellis porro ipsis Tezelianis conquestus palam & ægrius atque acerbius: „Nec contenti, inquit, „quod liberrimis verbis hæc sua venena diffunderent; Insuper Libellos ediderunt, & in vulgum sparserunt, „in quibus, ut taceam insatiabilem & inauditam avaritiam, quam singuli pene apices olent crassissime, ea„dem illa impia & hæretica statuerunt, & ita statuerunt, ut confessores juramento adigerent, quo hæc „ipsa fidelissime instantissimeque, populo inculcarent. Vera dico, nec est quo se abscondant à calore hoc. „Extant Libelli, nec possunt negare. Agebantur tum illa prospere, & exugebantur populi falsis spebus, „& ut propheta ait, carnem desuper ossibus eorum tollebant, ipsi verò pinguissime & suavissime interim „pascebantur.

Similiter *in explicatione Conclusionis LXX.* cum de ipsis indulgentiis nihil aliud monuisset, quam illas non aliter esse intelligendas, quam indulgentiarum est natura, de Præconibus illarum audacibus & temerariis primum, deinde libellis istis conqueritur: „Nostri præcones ultra procedunt, & non solum „sese jactitant per pulpita, quod sint Papæ, quos rectius Pappos alii putant, verum & nomini conjungunt „officium, tam Papæ quam Ecclesiæ, ac nobis velut é cœlo statuunt & pronunciant cum fiducia quid sint, „imo longissime ultra quam sint & esse unquam possint indulgentiæ: ut vel ex libro suo potest proba„ri novissimo.

Idem, non tam indulgentiarum, quam Tezelianarum declamationum & libellorum, Sacerdotum instructionis, triste fatum attigit Lutherus, libro in Ducem Brunsv. quod primum tragœdiæ exordium. *Ut veram*, inquit, *ostendam originem motuum*, *Tezelius pro concilione horrendos declamaverat articulos.* Quorum seriem quandam pertexit. Pergit: *Tunc edebatur magna specie libellus, sub ArchiEpiscopi Magdeburgensis insignibus, in quo tales articuli quæstoribus ad prædicandum ac celebrandum injuncti.* Addit tandem aperte: *Atque ita prodibant meæ Propositiones contra Tezelii articulos.* Non adeo contra ipsum indulgentiarum diploma, quod à stilo priorum diplomatum non multum discreparet, sed *contra Tezelii articulos*, in negotio commendatitio, aut in modo ostentandi, pro misella plebe circumducenda, qui articuli Tezeliani partim viva voce pro concione propositi & jactati per tot concionatores, à Tezelio instructos, partim libro publico, instructione sacerdotum, sine pudore propalati ac promulgati.

Hi proinde *cyclopici articuli Tezeliani*, inaudita temeritate in publicum protrusi, sine nota non visi fuerunt dimittendi. Amare *de his, per conciones & per libros Tezelianos jactitatis articulis*, apud Episcopum Brandenburgensem, loci ordinarium, pro illis juribus, conquestus Lutherus per literas, A. 1518. sabbato Exaudi. *Cum nuper, ait, circa nostras regiones* (in Juderbock & Servesta &c.) *optime Præsul, audiri cœpissent* (ex concionibus & libellis Tezelianis) *nova & inaudita de apostolicis indulgentiis dogmata, ita ut tam docti quam indocti plurimi passim admirarentur & moverentur, fui ego à multis, tum familiaribus, tum ignotis facie rogatus multis literis & colloquiis, quid mihi de istorum verborum* (in concionibus pro Tezelii instructione & libellis Tezelii) *novitate* (ne dicam licentia) *videretur: dissimulabam aliquamdiu. Tandem urgebant disputa-*

tionibus

Lit. A.* II. ALBERTI, Electoris quondam Moguntini, Diploma Indulgentiarum Leonis X. Anni 1517.

Ex Bibliotheca Rudolphea Helmſtadienſi.

ALBERTUS Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia ſanctæ Moguntinenſis ſedis ac Magdeburgenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Primas & Sacri Romani Imperii in Germania Archi-Cancellarius, Princeps Elector, ac Adminiſtrator Halberſtattenſis, Marchio Brandenburgenſis, Stettinenſium, Pomeraniæ, Caſſuborum, Sclavorumque Dux, Burggravius Nurenbergenſis, Rugiæque princeps, Et Guardianus fratrum ordinis Minorum de obſervantia Conventus Moguntini, per Sanctiſſimum Dominum noſtrum Leonem Papam decimum, per provincias Moguntinenſes ac Magdeburgenſes, ac illarum & Halberſtattenſis civitates & diœceſes, nec non terras & loca, illuſtriſſimi & illuſtrium Principum dominorum Marchionum Brandenburgenſium temporali dominio mediate vel immediate ſubjecta, Nuncii & Commiſſarii, ad infra ſcripta ſpecialiter deputati, Univerſis & ſingulis præſentes literas inſpecturis Salutem in Domino. Notum facimus, quod Sanctiſſimus Dominus noſter Leo, divina providentia Papa decimus modernus, omnibus & ſingulis utriusque ſexus Chriſti fidelibus, ad reparationem Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum ſancti Petri de Urbe juxtà ordinationem noſtram manus porrigentibus adjutrices, ultra pleniſſimas indulgentias ac alias gratias & facultates, quas Chriſti fideles ipſi obtinere poſſunt, juxta literarum Apoſtolicarum deſuper confectarum continentiam miſericorditer etiam in Domino indulſit atque conceſſit, ut idoneum poſſint eligere confeſſorem presbyterum ſecularem, vel cujusvis etiam mendicantium ordinis regularem, qui eorum confeſſione diligenter audita, pro commiſſis per eligentem delictis & exceſſibus, ac peccatis quibuslibet, quantumcunque gravibus & enormibus, etiam in dictæ ſedi reſervatis caſibus, ac cenſuris Eccleſiaſticis, etiam ab homine ad alicujus inſtantiam latis, de conſenſu partium, etiam ratione interdicti incurſis, & quorum abſolutio eſſet eidem ſedi ſpecialiter reſervata, Præterquam machinationis in perſonam ſanctiſſimi Pontificis, occiſionis Epiſcoporum aut aliorum ſuperiorum prælatorum, & injectionis manuum violentarum in illos aut alios prælatos, falſificationis literarum apoſtolicarum, delationis armorum & aliorum prohibitorum ad partes infidelium, ac ſententiarum & cenſurarum, occaſione aluminum tulſæ apoſtolicæ de partibus infidelium, ac fideles contra prohibitionem Apoſtolicam delatorum, incurſarum, ſemel in vita & in mortis articulo quotiens ille imminebit, licet mors tunc non ſubſequatur, Et in non reſervatis caſibus totiens quotiens id petierit, plenarie abſolvere, & eis pœnitentiam ſalutarem injungere, Nec non ſemel in vita & in dicto mortis articulo plenariam omnium peccatorum indulgentiam ac remiſſionem impendere, & euchariſtiæ ſacramentum (excepto die Paſchatis & mortis articulo) quibusvis anni temporibus miniſtrare, Nec non per eos emiſſa pro tempore vota quæcunque (ultramarino, viſitationis luminum apoſtolorum & ſancti Jacobi in Compoſtella, religionis & caſtitatis votis, duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare, autoritate apoſtolica poſſit & valeat. Indulſit quoque idem ſanctiſſimus Dominus noſter, præfatos benefactores, eorumque parentes defunctos, qui cum charitate deceſſerunt, in precibus, ſuffragiis, eleemoſynis, jejuniis, orationibus, miſſis, horis canonicis, diſciplinis, peregrinationibus, & ceteris omnibus ſpiritualibus bonis, quæ fiunt & fieri poterunt in tota univerſali ſacroſancta Eccleſia militante, & in omnibus membris ejusdem, in perpetuum participes fieri. Et quia devoti, *Meckel relicta Rodts*, *Peders & Adam Rodt*, ad ipſam fabricam & neceſſariam inſtaurationem ſupradictæ Baſilicæ principis Apoſtolorum, juxta ſanctiſſimi domini noſtri Papæ intentionem & noſtram ordinationem de bonis ſuis contribuendo ſe gra*tos* exhibue*runt* & libera*runt*, in cujus rei ſignum præſentes literas à nobis accepe*runt*, ideo eadem autoritate apoſtolica nobis commiſſa & qua fungimur in hac parte, ipſis, quod dictis gratiis & indulgentiis uti & iisdem gaudere poſſint & valeant, per præſentes concedimus & largimur. Datum *in Göttingen* ſub ſigillo per nos ad hæc ordinato, die *prima* menſis *Julii*, Anno Domini M. CCCCC. XVII.

Forma abſolutionis totiens quotiens in vita.

Miſereatur tui &c. Dominus noſter JEſus Chriſtus per meritum ſuæ paſſionis te abſolvat, autoritate cujus & Apoſtolica mihi in hac parte commiſſa & tibi conceſſa, ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris & Filii & Spiritus S. Amen.

Forma abſolutionis & pleniſſimæ remiſſionis, ſemel in vita & mortis articulo.

Miſereatur tui &c. Dominus noſter JEſus Chriſtus per meritum ſuæ paſſionis te abſolvat, & ego autoritate ipſius & apoſtolica mihi in hac parte commiſſa & tibi conceſſa te abſolvo primo ab omni ſententia excommunicationis majoris vel minoris, ſi quam incurriſti, deinde ab omnibus peccatis tuis, conferendo tibi pleniſſimam omnium peccatorum tuorum remiſſionem, remittendo etiam tibi pœnas purgatorii, in quantum ſe claves ſanctæ matris Eccleſiæ extendunt. In nomine Patris & Filii & SS. Amen.

S·FABRICE·S· P
CET RI·DE VRBE

tionibus acribus usque ad periculum pontificalis reverentiæ. Ego verò quid facerem? Non erat mecum, in hac re quidquam statuere, & verebar illis (Tezelianis libris & prædicationibus) *contradicere, quos non nisi vera prædicasse cupiebam videri quam maxime. Isti vero sic instabant evidentibus argumentis, falsa & inania probare, ut me* (vera fateor) *omnino capti varent atque concluderent.*

His idcirco Tezelianis enormibus libris & concionibus disputatio opposita, nec tam definitio, quam quæstio & disquisitio. *Ut ergo utrisque* (Tezelianis libris sermonibusque prodigiosis, & bonorum monitis atque adhortationibus) *satis facerem, visum est id optimum consilium, utrisque* (Tezelianis articulis & illos reprobantibus) „neque consentire neque dissentire, sed interim de tanta re disputare, donec Ecclesia sancta statueret, quid sentiendum foret. Itaque emisi disputationem, invitans„ & rogans publice omnes, privatim vero, ut novi, quosque doctissimos, ut vel per literas suam senten-„ tiam aperirent: Quandoquidem in iis rebus, neque scripturas neque doctores ecclesiasticos, neque ipsos„ Canones, præter paucos Canonistas, & hos sine textu loquentes, & aliquot Scholasticos doctores simi-„ liter opinantes nihil etiam probantes, suffragari mihi viderem. Mihi sane id longe omnium absurdissi-„ mum videtur, aliquid scil. in Ecclesia Dei prædicari & audiri, quod cum hæretici expostulaverint, unde„ rationem reddamus, & nos non possimus, Christum & Ecclesiam relinquamus illis ridiculum & ludibrium.„ Porro Scholasticis Doctoribus & Canonistis constat, nullam deberi a nobis fidem, dum suas opinantur„ opiniones. Et ut vulgo dicitur, turpe est Juris tam loqui sine textu, non Aristotelis dico, nam hunc„ plus valde nimis satis loquuntur, sed nostro, id est, scripturæ sacræ, canonum, Ecclesiasticorum„ Patrum.„

Sleidanus in Commentariis de statu religionis & reipublicæ Carolo V. Cæsare, pro historici boni fide, orsurus ab anno 1517. & à diplomatibus indulgentiarum distributis, clare, aperte & recte monet, *quæstores, illius beneficii præcones, ærarii per omnes provincias constituisse, sed & editis libellis dogmata sua defendere contendisse, præsertim in Germania.* Per tales *præcones* & *libellos Tezelianos* excitatum ait Lutherum ad disputationem. *Erat tum*, ait, *Witteberga, quod est ad Albim oppidum Saxoniæ, Martinus Lutherus, Theologus, Augustinianus. Is concionibus illis* (prædicatorum enormium, à Tezelio instructorum) *& quæstorum libellis* (instructione sacerdotum Tezelii,) *excitatus, cum videret vulgo credi, quod illi* (concionatores & Tezelius in libellis) *jactabant cœpit monere homines, agerent prudenter, neque merces illas tanti compararent, quod enim his rebus impenderent, multo posse collocari melius.*

Aeque curate observat porro Sleidanus, Lutherum in literis ad ArchiEpiscopum Moguntinum, non diploma perstrinxisse, sed *doctrinam, præconum* in suggestibus ex ore & mandato Tezelii, & *librorum Tezelianorum. Ut majori cum fructu rem ageret, pridie Calendas Novembris ad Archi-Episcopum Moguntinum, Albertum Brandenburgicum datis literis, quid illi* (quæstores & Tezelius, concionibus & libellis) *doceant, exponit, & populo sic esse* persuasum queritur, quasi pecunia comparatis illis diplomatis, de salute nihil amplius dubitare habeant, quasi nul-„ lum possit admitti tantum scelus, quod ejus rei beneficio non sit condonatum; quasi eorum animæ, qui„ crucientur igni purgatorio, si mulac nummus in arculam sit injectus, in cœlum è vestigio sub volent, so-„ lutæ pœnis. Ostendit mandatum esse Christi, ut doceatur evangelium & Episcoporum esse proprium mu-„ nus, ut recte populum erudiant. *Commonefacit igitur officii, & orat, ut pro sua autoritate libellos* (Tezelianos, pro instructione Sacerdotum) *editos aboleri jubeat, & declamatoribus illis* (ex Tezeliano præscripto) meliorem docendi rationem præcipiat, ne gravius aliquod ex eo dissidium oriatur, quod omnino futurum sit, nisi coerceantur.

Argumentum quoque disputationis Lutheri, de immoderatarum concionum thesibus vel articulis esse factum, non de diplomate, sed de jactato in effabili diplomatum usu, submonet. *Cum iis literis*, ait, *una mittebat themata, quæ nuper disputandi causa Wittembergæ promulgarat, numero ad nonaginta quinque. Iis & de purgatorio* (de quibus Tezelius in suis libellis & præcones multa dixerant) *& vera pœnitentia, & charitatis officio, de indulgentiis* (per concionatores & Tezelianos libros tanto cum excessu celebratis) *copiose disputat, & quæstorum conciones immoderatos* (juxta Tezelii instructionem compositas) *impugnat, sed indagandæ solum veritatis causa.*

Epistolæ Lutheri ad Leonem X. eundem scopum, *de concionibus & libris Tezelianis*, de eorum doctrina, non diplomate, recenset pari sollicitudine Sleidanus. *Junio mense datis* A. 1518. *ad Leonem literis*, exponit, quam temerarie *quæstores illi* Tezelius, & concionatores ex Tezelii instructione) *doceant* (concionibus & libris Tezelianis) *& quam agant avare freti ipsius vel abusi potius autoritate, non se dubitare, quin sit graviter delatus, verum injuriam sibi fieri: Concionibus enim quæstorum* (juxta Tezelii instructionem) *& libris* (Tezelii instructione sacerdotum) *nimium ineptis coactum edidisse quædam, disputandi solum gratia, quæ nunc apertus declaret.*

Genuinam hanc motuum occasionem, ex præconum indulgentiariorum impudentia, & *libelli Tezeliani* infanda arrogantia pudendaque temeritate, pro historiæ veritate, tetigit *Chemnitius, Exam. Concilii Tridentini, Parte IV. f. 143. edit. Francof. 1599. Tezelius non tantum* pro concione impudentissimis præconiis, *verum etiam* sparso libello quodam, quem summariâ instructione

nominabat, *indulgentiarum merces per Germaniam venales ubique* (per ditiones Brandenburgicas) *exponebat*. *Capita autem &* concionum & scripti ejus, *sicut ex Lutheri scriptis colligo, hæc fuerunt.*
„Pro concione despumabant quæstores isti tales exhortationes: En cœlum undique apertum jam est, si nunc „non intres, quando unquam intrabis? O insensatos & crassi cordis homines, bestiis prope similes, qui „non percipitis tantam effusionem gratiarum. En tot potestis redimere animas. O duri, duri, & „negligentes: Duodecim denariis patrem extrahere potes, & tam ingratus parenti in tantis pœnis non suc„curris. Ego sane in extremo judicio excusatus sum: Vos videritis. Dico tibi, si unam solam tunicam „haberes, hanc quoque exuendam & distrahendam judico, ut tantas gratias obtineres &c. In oblocato„res vero istius gratiæ ita detonabant, ut tremens vulgus & cœlum mox ruiturum & terram hiaturam formi„daret. Addebant amplificationes: Si quis literas indulgentiarum redimeret, ejus animam securam esse de „salute sua. Et animas in purgatorio existentes, pro quibus indulgentiæ redimantur, statim ubi conjectus „in cistam nummus tinnierit, ex purgatorio in cœlum evolare. Item, tantas esse illas gratias ut nullum sit „adeo magnum peccatum, etiamsi quis per impossibile matrem Dei violasset, quin per indulgentias solvi „posset, & hominem per istas indulgentias liberum fieri ab omni pœna & culpa. Esse enim istas gratias do„num illud Dei inæstimabile, quo homo reconcilietur Deo, & omnes pœnæ purgatorii deleantur. Nec „necessariam esse contritionem his; qui vel animas vel confessionalia redimerent. Verba enim instructio„nis hæc fuerunt: Prima gratia principalis indulgentiarum est plenaria remissio omnium peccatorum, per „quam peccator perfectam remissionem & Dei gratiam denuo consequitur. Per quam etiam remissionem „peccatorum sibi pœnæ in purgatorio, propter offensam divinæ majestatis luendæ, pleniſſime remittun„tur & omnino delentur. Item pontificem habere potestatem in purgatorium ad liberandas per viam indul„gentiarum animas. Et tam certam esse fiduciam salutis per literas Veniarum affirmabant, ut suam animam „pro illis impignorarent. Crucem, quam cum insignibus Papæ in Ecclesia erigebat, æque efficacem esse „ac ipsam Christi crucem. Addebant fabulas: In certo quodam loco quinque animarum millia per venias „istas redemptas, inter quas solum tres fuissent damnatæ, ideo quod detraxissent indulgentiis. Finis & „conclusio concionum fuit: Impone, impone, impone. Utque non verbis tantum sed exemplo & facto „homines excitarent, primi ad cistam in omnium conspectu procedebant, splendido gestu & sonoro tinni„tu aliquid in cistam conjicientes; & astentes imponentibus arridebunt, omittentibus indignabantur. Per„mittebant etiam pauperibus indulgentias illas gratis dari, sed ita, ut primum undecunque pecunias corra„dere tentarent à bonis fautoribus. Et uxores docebant etiam invitis maritis, quomodocunque corradere „pecuniam ad redimendas indulgentias. Hæc ex scriptis istorum temporum collecta, ipsis verbis, quibus „annotata fuerunt, adscripsi. Interea vero, dum impostura istæ magna impudentia Germaniam pervaga„rentur, audiebantur non murmura tantum, sed manifestæ indignationes omnium bonorum. Defessi „enim erant jam omnes in Germania ferendis istis expilationibus, nundinationibus, & infinitis impostoris „Romanensium. Vocarunt indulgentias animarum nundinas, & monopolia. Fremebant à nundinato„ribus istis indulgentiariis vendi licentiam & impunitatem peccatorum, non de præteritis tantum, verum „etiam de futuris, nec in hac tantum vita, verum etiam post obitum, sicut loquuntur querelæ Germanico„rum Gravaminum. Fingebant ridiculas fabellas, venisse scil. quendam mortuum cum literis veniarum ad „infernum, ac per eas petiisse libertatem: Occurrisse vero dæmonem quendam, qui cum Bullam legeret, „inter manus ipsius præ furore ignis papyrum, membranum, ceram & plumbum consumta, atque ita ani„mam vacuam in profundum præcipitatam, sicut hæc narrantur in scriptis illorum temporum. Spargeba„tur & illa narratio: Nobilem quendam indicasse Tezelio, in animo se habere, quod vellet magnum ali„quod facinus designare, & in futurum ejus peccati petiisse indulgentiam. Tezelium magna quidem pecuniæ „summæ indulgentiam illam licitatum, nobilem tamen numerata illa pecunia Bullam accepisse. Postea „nobilem illum, captata occasione, Tezelium in sylva quadam effractis indulgentiariis cistis spoliasse. Cum„que Tezelius omnes illi diras minitaretur, nobilem ipsi ostendisse Bullam indulgentiarum tam magno re„demptam, & cum risu addidisse: Hoc erat peccatum illud, quod in animo habebam, à quo jam in optima for„ma absolutus sum. Omnes igitur optabant & instigabant, ut ex doctis aliquis impudentissimis istis nun„dinationibus se opponeret, sed metu tyrannidis Pontificiæ nemo audebat progredi.

Hæc de Tezelio libello, *summaria sacerdotum instructione*, historia lucem fatis illorum temporum affundit, *verum exordium tumultus*, *pudendis illis Tezelianis concionibus & libris excitati*, demonstrat: Quibus jure omnes boni iviſſent obviam. Pro præsenti recensionis compendio vel unius *Episcopi Misnensis Joannis de Salhusia*, de Tezelii impudentiore inter cauponandum, effatum memorare libet; In cujus vicinia erat Lutherus. Hic *Joannes* VI. ex nobili Salhusianorum familia, *Decretorum Doctor*, ex Decano Misnensi illius Ecclesiæ Episcopus electus erat A. 1487. Hic integritatis & publici emolumenti studium palam testatum fecit casu quocunque. Statuta Ecclesiæ Misnensis, nec non libros, quibus orando, legendo, cantando, sacerdotes uterentur, opera Wilhelmi Betschicii Canonici, & Andreæ Prolis Monachi emendandos imprimendosque curavit, ut vel hac diligentia ad munus suum exequendum invitarentur, teste *Georgio Fabritio Chemnicensi*, *Annalium urbis Misniæ lib. II. f. 71.* Animi sinceritas & provida officii administratio statim in principio effecit, ut adversarentur illi, velut conspiratione facta sacerdotes Budisinenses & Misnenses. Romam de lata ab adversariis causa justitiam viri asseruit magis, ut vinceret, quia magis dignitati diœceseos & officii sui studebat, indice Fabritio, l. 3. f. 77. quam aliorum serviebat cupiditatibus. Hic *in re indulgentiaria* A. 1508. *acer & severus quæstorum censor*, quando indulgentiarii Livonienses, Romæ literis ab Alexandro & Julio Pontificibus impetratis, suas merces in Episcopatu Misnensi, per urbes, nomine & autoritate antistitis Magdeburgici exponere conati. Hos Johannes hic plane rejecit, suæ Ecclesiæ libertate objectâ; & ab omnibus locis suæ diœceseos severe arcuit

causa

sua apud ipsum etiam Pontificem Julium defensa. Negotium tunc huic Episcopo facessivit *Christianus Baumgartnerus*, *Norimbergensis*, (quem Fabritius in Annalibus Misniæ, l. c. f. 77. appellat *Baumbauer*, *quasi arborum cæsorem & eversorem*, sed in originibus Saxonicis, l. 7. f. 846. curatius vocat Baumgartnerum) adhibitis in subsidium Philippo Scirpio, & Hermanno quodam sacerdote Hildeshemio. Litem ex indulgentiis Fabritius designavit: „Venditabat tum per Misniam Christianus Baumgartnerus patria Norimbergensis indulgentias Pontificias contra Russorum gentem, armis Livoniam infestantium. Is per„ Ducis (Georgii) provinciam jam multum pecuniæ collegerat. Ad suam vero accedentem diœcesin Præsul„ Misnensis Johannes VI. de Salhusianorum familia noluit admittere. In quem cum sententia ex communi-„ cationis, ab illo circulatore mercenario lata esset, factum suum ad Pontificem, non tamen sine magnis„ sumtibus defendit. Quam probe perspexerit suæ illius ætatis ex superstitione corruptionem, ex eo elucet, quod graviter aliquando pronunciarit: *Si sacra Biblia lego, aliam invenio religionem, quam quæ nostra hodie est, & illam nostris moribus & institutis valde dissimilem*, referente Fabritio, f. 78. Postquam igitur Tezelius, eandem fabulam actiones in viciniam venit, populi decepti ac fascinati miseram conditionem acerbe deploravit. *Cum videret multitudinem*, inquit Fabritius, *Johanni Tezelio, Dominicano, Theologiæ initiato & impostori astuto, numerantem pro indulgentiis pecuniam, o cœcam plebem, ait, quæ mittit pecuniam in eam cistam, ad quam reserandam clavem non habet.* Hunc *Tezelium* ultimum fore dixit *institorem indulgentiarum, quod nimia esset impudentia & temeritate præditus* (in concionibus puta & libellis.) *Cum subjiceret*, addit Fabritius) *Episcopo Canonicus eruditus, Tezel lingua Turcica significare diabolum, effuse risit, sed verbum nullum addidit.* Georgium Frichenhusium, Dominicanum Lipsiensem, contra bullam de esu butyri concionantem, defen-„ dit, & pro eo contra Canonicos Fribergios liberam tulit sententiam. Nam quod Romæ palam & impune„ per totum anni tempus venditur, id Germanis sine ære permittere aut sine pœna edere non licebat. Cum„ monachum videret, dicebat, nullum animal audacius esse eo, quod è cucullo prospiceret. In ejus mensa„ nullum monachum esse visum, non leves homines mihi affirmarunt. Sacerdotum mores egere correctio-„ ne, & licentiam vitæ eorum nimis longe progressam, constanter profitebatur. Dedicationes quorundam„ templorum aut disuasit, aut quoad potuit distulit, cum videret ultra modum superstitiones venales cre-„ scere. De fundatione sacri perpetui, quod Missam nominat, adhibitus in consilium respondit, pulcher-„ rimum quidem in equo oculos esse membrum & id ad decorem spectare præcipue, sed si totum equi cor-„ pus nihil esset præter oculos ad ipsum quod ornamentum fecerat, jam futurum prodigio: indicare volens„ minuenda potius quam augenda sacra nummaria.„ Chytræus ex Fabritio brevibus summam est complexus. His Tezelii libris lectis & viso Lutheri animo illis opposito, obiit A. 1518. 4. id. Aprilis Wurcinæ sepultus.

Tezelius, probe memor, quam Johannes ille Episcopus nuper Baumgartnerum, indulgentiarum nundinatorum, ê suis urbibus & Ecclesiis ejecisset, ne quid & contra se quisquam moliretur, *ex communicationum parem minatus in libello illo suo, sub finem sermonis primi*, qualem Baumgarterus contra Johannem promulgaverat, causamque Romæ contra Episcopum egerat. Apparet, Tezelium illis in sermone isto minis Johannem præcipue pupugisse, cui similes similiter excipiendi.

Nec vero absimile, Lutherum cum *Johanne* Episcopo ad modum vicino, cujus res animumque abunde noverat, vel coram vel per literas contulisse de rebus illis nefandis Tezelii. Animum sane sibi additum ad disputandum contra has Tezelii molitiones à multis & magnis viris diserte pronunciat Lutherus. Quomodo Lutherus, tum exemplo, tum affectu Johannis excitatus & confirmatus, forte & consiliis adjutus, tanto hoc Saxum aggressus animosus, quando moverat plenius res istas institorum bonis omnibus esse molestissimas. Vidit episcopus Johannes cum Luthero impudentes Tezelii libellos, doluit uterque, indignatus uterque. Legit Episcopus Lutheri de virtute indulgentiarum adversus Tecelii enormia dogmata disputationem, gavisus impense.

Neque Lutherus sine præscitu, *Electoris* ministrorumve sanctiorum disputationem aggressus fuerit, qui inter illos primum habuerint locum, de quibus pronunciat, quod tam vehementer ad disputandum fuerit impulsus, pro indigno Tecelii facinore. Quid si & legerint prius, ut apparet. Unde & in somnium Electoris de præ longo calamo, Romam pertingente, qui in valvis templi Wittebergensis quædam scriberet.

Sane disputationis *inscriptio vera. De virtute indulgentiarum*, concionum & librorum Tezelianorum summam sub indicat, quibus indulgentiarum diplomati *virtus tributa* per illas *immensa & inaudita*. Mirum, collectores operum Lutheri non liquisse genuinam frontem, quæ pro commentario in totam disputationem. Sed *historia* lumen omnium scriptorum vel minimorum. Citra curatam historiam innumera obscura manent. Pro ut *tota illa prima in Tezelium disputatio lucem suam nanciscitur ex Tezelino libello, summariæ instructionis*, ita citra illam historiæ partem, disputatio multis in locis intelligi plane non potest. Dogmata namque Tezelii, partem in *concionibus quæstorum*, propalata, partim & præcipue *in libello illo Tezelii* promulgata, aperte vel oblique perstringuntur. Salsæ plusculæ & ænigmatibus similes nonnullæ theses, pro more disputantium illis seculis. E. g. tertia à fine: *Bene agant omnes illi prophetæ, qui dicunt populo Christi, Crux, crux, & non est crux.* Quæ est dira imprecatio & acerba reprehensio Tezelii, & per illum præconum, quorum ille *in suo isto libello* diserte pronunciabat *sermone secundo; Crucem Christi in templo erectam & pro emturis esse elevatam, quæ continuo clamet & vocet illos. Verecundiam habes visitare*

crucem

crucem cum una candela & non verecundaris visitare tabernam. Qualis crux cum pompa eo fine erigi solita, & celebrari, eam ejusdem jam esse valoris ac illam crucem in qua sit passus Christus, ut redemptis bullis ab omni pœna, ab omni cruce fierent immanes. Salse proinde in Tezelii *crucem novam, in templis peculiariter elevatam*, pro plena remissione omnium peccatorum, sive *omni cruce tollenda. Bene*, inquit, *agant omnes illi prophetæ*, h. e. Infelices & execrandi, Tezelius & illius præcones, ab illo instructi, *prophetæ* illi, qui futuram beatitudinem omnem pro diplomate redempto pollicerentur, uti quondam pseudo prophetæ populo tranquillitatem polliciti, cum immineret exitium ab hostibus, quique adeo plebem falsa spe circumvenirent. *Qui dicunt populo Christi*, scribendo, in Tezelii libello, & juxta illum declamando in suggestu, *crux, crux*, ostentando ligneam crucem cum ceremoniis in templis per Tezelium erectam, virtutemque illi parem tribuendo, ac Christi cruci & passioni, pro salute temporali & æterna impetranda, solutis saltem nummis: *Et non est crux:* Spondendo miserlæ plebeculæ, præsenti illa cruce tolli ac aboleri omnem crucem, omnem pœnam, quæ sustinenda videatur, hic vel olim, pro quibuscunque peccatis. Quæ est significatio immanis jactantiæ, redempto sub illa in templo Tezeliana lignea cruce diplomate, omne extingui pœnæ periculum & metum, hic & olim. In simul *negata crux* sub indicet falsissimam persuasionem & publicam fraudem, quæ *securitate plebi ingenita omnem Christianismi sensum, veræ crucis & passionis Christi usum tollat & evertat.* Quales sub obscuræ &quodammodo ænigmaticæ theses, uti Lutherus ipse illas appellat, pro seculi illius in disputando consuetudine, *citra historiam tenebræ sunt*, ex historia vero, rebus à Tezelio gestis, libello in primis Tezeliano, suam impetrant lucem, pro scopo, genio, affectu Lutheri.

Atque hoc negotium Tezelianum principium omnino tempestatis A. 1517. ortæ: Qui si non tam impudenter scripsisset & dixisset pro indulgentiarum virtute immensa, in apertam rei christianæ perniciem, nihil de his fuisset querelarum. Imo si vel maxime Lutherus se non fuisset passus eo adduci, ut contra illam proterviam scriberet, vel & alii præ metu fulminum quievissent, Cæsar tamen Maximilianus, vel Saxonum Elector, vel alii Principes, resistendi animum sumsissent. Neque ignotum erat orbi, inprimis Germaniæ, qua animi præsentia Maximilianus Imperator nuper in Gravaminibus Germaniæ de indulgentiarum temeritate erat questus. Imo illa ætate vel maxime in animo. Cæsaris Maximiliani, Summi Pontificis autoritatem cum Cæsarea Majestate pro antiquissimis moribus combinare, pro infinitis in corrigibilibus abusibus tollendis.

Tezelii ori impudenti imputandum, quod fato maxilla illius patula & os nimium hians percuteretur. Illud adeo publicæ litis exordium, aliquod reformationis initium, quando per secula jam optaverant indulgentiis aliquando metam poni. Cum A. 1400. & sequentibus *Balthasar Cossa*, post Cardinalis & Pontifex Johannes 23. *indulgentias distribuisset*, impudentia incredibili, à quo exemplum sumserit Tezelius Cæsar Sigismundus & Principes de ista audacia solenniter in Concilio Constantiæ conquesti, ita ut inter alia momenta, quæ Pontifici exitium & carcerem apud Germanos pararent, qui Heidelbergæ & Manhemiæ aliquot annis detineretur captivus, esset, *truculenta exactio indulgentiaria quam exercuisset, populum circumveniendo & depilando.*

De reliquo *ante Tezelii libellum apertum*, Lutherus jam aliquod annis cœperat *fundamenta* ponere *emendationis multo præstantioris.* Quemadmodum *Erasmus* universalis reformationis fundum, bonis literis, & Novi Testamenti studio, posuerat, Scholasticis tricis sensim sensimque eliminandis. in visis certe jam & exosis: Ita & *Lutherus* jam ab anno 1512. Scripturæ sacræ studium ursit, quæ Scholasticorum in extricabilibus nugis. Loco vani prætextus, in doctrina Scholastica, usum Christianæ rei monstrare allaboravit, tum in suggestu, tum in cathedra Academica. *Antequam Tezelius tumultuaretur*, indulgentiis prodigaliter laudatis, & popello circum ducto, ad omnis doctrinæ Christianæ fontes invitavit auditores. Quantum igitur in ipso erat, pro illius ætatis captu, fucum à Christianismi professione detegere contendit, ut ex animo bene agere discerent omnes. Qua occasione, Augustini studio adjutus, cujus ordinem profiteretur, à fundo excussurus Christianæ virtutis integritatem, quam optaret singulis, in *imbecillitatem aut perditam humanæ naturæ conditionem* incidit, quæ verbo divino elevanda & corrigenda, ut ad genuinæ virtutis exercitium ponderetur via. Quando igitur animadvertit, hanc *doctrinam, de voluntatis humanæ ad bonum ineptitudine, adversari Scholasticæ Theologiæ, indeque animam Christianismi ab illo communi scholæ studio exulare*, cœpit auditores suos avocare à Scholasticis spinis, ad Christianam rem nihil conferentibus, quin huic repugnantibus. *Invitavit* vice versa *ad studium Scripturæ, unum & genuinum, purum ac limpidum salutis fontem.* Quodque Scholasticæ res sophismatibus fere constaret, Ecclesiæ inutilibus, quorsum ex philosophorum placitis obtorto etiam collo pleraque pertraherent, in *Aristotelem* nomine ceterorum invectus, inprimis, *quod scholastici illius viderentur uti argumentis, in moralibus, pro naturæ humanæ voluntatisque aptitudine credita ad bene agendum*, quam suo stylo *liberum* dicerent *arbitrium.* De his igitur omnibus jam anno 1515. 1516. publice privatimque agere apud Academicos & amicos absentes magnopere studuit. In his celebrata per illum contra Scholasticos doctrina *gratiæ*, quæ *naturæ vires* in morali foro longe superet, indeque *justitiæ* propriæ fuga, justitiæque Christi sanctior commendatio. De his ante Tezelium, magna conrentione animi, publice privatimque,

In his longior nunc non ero; præterire tamen nefas, *pro ordine fatorum*, in isto mutationis ortu, & progressu, cognoscendo, nonnulla, extremo digito ad minimum tangenda.

In

In Scholaſticos, & Philoſophiæ in Scholaſticorum Theologia abuſum, dicteria, tantum non præ-affectus vehementia ſanguine tincta, in epiſtola ad Johannem Langum, *A. 1516. d. 8. Febr.* præ copia, non ſcripta ſed fuſa, nondum ſane Tezelio bilem movente, ſed perdita chriſtianæ rei cauſa urgente. „Hæ literæ ad eximium D. Iodocum Hennacenſem, plenæ quæſtionum adverſus Logicam, & Philoſophiam & Theo-„logiam, i. e. blaſphemiarum & maledictionum contra Ariſtotelem, Porphyrium, Sententiarios, perdi-„ta ſcil. ſtudia noſtri ſeculi. Sic enim interpretabuntur, quibus decretum eſt, non quinquennio cum Py-„thagoricis, ſed perpetuo & in æternum cum mortuis ſilentium tenere, omnia credere, ſemper auſcultare,„ neque unquam ſaltem levi præludio, contra Ariſtotelem & Sententias velitari. Quid enim non credant„ qui Ariſtoteli crediderunt, vera eſſe, quæ ipſe calumnioſiſſimus calumniator aliis affingit & imponit tam„ abſurda, ut aſinus & lapis non poſſint tacere ad illa. Nihil ita ardet animus, quam hiſtrionem illum, qui„ tam vere græca larva Eccleſiam luſit, multis revelare, ignominiamque ejus cunctis oſtendere, ſi opus eſſet.„ Illuſor vaferrimus ingeniorum, ita ut niſi caro fuiſſet Ariſtoteles, vere diabolum eum fuiſſe non puderet„ aſſerere. Pars crucis meæ vel maxima eſt, quod videre cogor, fratrum optima ingenia, bonis ſtu-„diis nata, in iſtis cœnis vitam agere & operam perdere. Nec ceſſant Univerſitates bonos libros„ cremare & damnare (ut Reuchlini nuper, Coloniæ & Pariiſis) rurſum malos dictare imo„ ſomniare.

Hæc via Lutheri, quam iniit ſequentibus annis, *ante Tezelium* apparata, imo quæ ad Tezelii clamores inconditos, Chriſtianæ rei inimicos retundendos duceret, ſcholaſticorum dogmatibus, & in autoritatis pontificiæ augmentum compoſitis, repudiatis.

Propriæ juſtitiæ fiduciam, illius ſeculi fucum, Eccleſiæ perniciem, *jam A. 1516. feria 3. poſt Miſer. Dom.* ſubindicavit *epiſtola ad Georgium Spenlein. Quid agat anima tua ſcire cupio:* „utrum ne tandem ſuam pertæſam propriam juſtitiam diſcat in juſtitia Chriſti reſpirare atque confidere.„ Fervet enim noſtra ætate tentatio præſumtionis in multis, & iis præcipue, qui juſti & boni eſſe omnibus„ viribus ſtudent, ignorantes juſtitiam Dei, quæ in Chriſto eſt nobis effuſiſſime & gratis donata; quærunt„ in ſe ipſis tam diu operari bene, donec habeant fiduciam ſtandi coram Deo, veluti virtutibus & meritis or-„nati, quod eſt impoſſibile fieri. Fuiſti tu apud nos in hac opinione, imo errore, fui & ego. Sed & nunc„ quoquepugno contra iſtum errorem, ſed nondum expugnavi.„

Uti veræ gratiæ, juſtitiæ, indolem, à communi Scholaſticorum opinione diverſam, jam tum A. 1516. tradidit, ita & pœnitentiæ uſum ſinceriorem urſit, quam Scholaſtici tradiderant. Epiſtola ad Langum: „Ego gravius offendi omnes, quod negavi, librum de vera & falſa pœnitentia, eſſe B. Auguſtini. Eſt enim inſulſiſſimus & ineptiſſimus, & nihil ab Auguſtini eruditione & ſenſu remotius. Quod„ enim Gratianus & Magiſter Sententiarum plurima ex illo ceperint & conſcientiarum non medicinam ſed„ carnificinam conflaverint, ſciebam.

In Gabrielem Biel, ſcholaſticum illius temporis clariſſimum, in præcipuis doctrinæ Chriſtianæ momentis aberrantem. „Dicito iſtis mirabundis aut potius mirabilibus theologis, mecum non eſſe diſputandum, an Gabriel hæc, an Raphaël iſta, aut Michael iſta dicat. Scio quid Gabriel dicat, ſcilicet„ omnia bene, præterquam ubi de gratia, charitate, ſpe, fide, virtutibus, dicit; ubi cum ſuo Scoto, quantum„ Pelagiſſet, non eſt ut per literas jam proferam.

De bonis operibus receptam Scholæ doctrinam repudiavit A. 1516. epiſtola ad Spalatinum. Nequaquam juſtitia legis ſeu factorum tantum eſt in ceremoniis, ſed rectius etiam in univerſi decalogi fa-„ctis. Quæ quando fiunt extra fidem Chriſti, etiamſi faciant Fabritios, Regulos, & plane integerrimos„ viros apud hominem, non tamen plus ſapiunt juſtitiam, quam ſorba ficum. Non enim, ut Ariſtote-„les putat, juſta agendo juſti efficimur, niſi ſimulatorie. Sed juſti, ut ſic dixerim fiendo & eſſendo, ope-„ramur juſta. Prius neceſſe eſt perſonam eſſe mutatam, deinde opera. Prior placet Abel, quam mu-„nera ejus.

Luculenti teſtes ſunt *publicæ* hanc in rem diſputationes, contra Scholaſticorum has, illas, vel omnes, vel potiores, doctrinas, inprimis *de libero arbitrio.* Quam *Scholaſticorum baſin* utraque manu quatere illis jam annis anniſus. Quam in rem diſputatio, *De viribus & voluntate hominis ſine gratia* (contra doctrinam Papæ & Sophiſtarum, uti Collectores pronunciaſſe vel addidiſſe videri queant) Tomo 1. Jenenſ. lat. f. 1. habita à Luthero A. 1516. Similis *& altera diſputatio A. 1517. concluſiones pro Biblia*, contra Scholaſticos, de viribus voluntatis humanæ per naturam, ſpeciatim contra Scotum & Gabrielem Biel, contra Philoſophos: In quibus theſibus publicis, his ſunt ſimiles multæ: *Tota fere Ariſtotelis Ethica, peſſima eſt gratiæ inimica; contra Scholaſticos.* „Error eſt Ariſtotelis ſententiam de felicitate non repugnare doctrinæ catholicæ, contra Morales: Error eſt dicere, ſine„ Ariſtotele non ſit Theologus, contra dictum commune. Imo Theologus non ſit, niſi id fiat ſine Ariſto-„tele. Breviter, totus Ariſtoteles ad theologiam, eſt tenebræ ad lucem; contra Scholaſticos. Dubium„ eſt vehemens, an ſententia Ariſtotelis ſit apud Latinos. Bonum erat Eccleſiæ, ſi theologis natus non fuis-„ſet Porphyrius cum ſuis univerſalibus. Uſitatiores definitiones Ariſtotelis videntur petere principium.„ vid. Tom. I. op. Jen. f. 9. ſeqq.„

Quod doctrinæ argumentum, de imbecillitate virium humanarum in actionibus moralibus ſine gratia, his annis ante Tezelii motum, contra Scholaſticos magna contentione verſatum, effecit, ut *his etiam annis ſuum in hoc momento ab Eraſmo diſſenſum* palam declararet. Cujus nuncius epiſtola ad Johannem Langum, A. 1517. Dominica Invocavit, *Tomo I. Epiſtolarum, p. 34.*

Tantum abeſt illa privatim in Academia ſint ante Tezelium tractata, ut potius *publicæ lectiones theologicæ omnes* eſſent *Scholaſticis oppoſitæ* ab illis alienæ, diverſæ & ſe motæ, in *Scripturæ ſtudium inſtitutæ.* Quomodo hoc *renovatum* priſcum, Patribus cognitum, *theologiæ genus*, à Scholaſticis tricis liberatum. Lutherus ceterique theologi Wittebergenſes *ſuam* appellarunt *theologiam.* Quæ *repurgata theologia*, à Scholaſticis ambagibus immunis, eo ſucceſſu in Academia introducta, *jam ante Tezelii controverſiam*, ut ſtudioſi nollent audire ſcholaſticam theologiam, non frequentare collegia in Sententiarios ſeu Scholaſticos, qui poſcerent præ lectionibus ſententiariis lectiones Scripturæ. Nunciavit hæc omnia Lutherus Johanni Lango, Anno 1516. (ex Aurifabri editione; p. 35.) „Theolo-„gia noſtra, & S. Auguſtinus proſpere procedunt & regnant in noſtra Univerſitate, Deo operante. Ari-„ſtoteles deſcendit paulatim, inclinatus ad minam, prope futuram ſempiternam. Mire faſtidiuntur le-„ctiones Sententiariæ. Nec eſt, ut quis ſibi auditores ſperari poſſit, niſi theologiam hanc, id eſt, Bibliam, „aut S. Auguſtinum, aliumve Eccleſiaſticæ autoritatis, velit profiteri.

Quod in cathedris, in lectionibus diſputationibus, collegiis inter docentes & diſcentes fuit verſatum, publicum fuit negotium, Eoque jam provecta hæc doctrinæ mutatio, & lectionum collegiorumque reformatio, ut autoritatem ac approbationem à ſupremo magiſtratu, ipſove Electore expectaret, Spalatino adjuvante, ad quem ea de re Lutherus A. 1518. Tom. Ep. f. 52. *Fuimus nuper apud Dom. Doct. Carolſtadium, optime Spalatine, & cœpimus tractare, id quod dudum obtuliſti, videlicet, de lectionibus ſtudii noſtri mutandis vel inſtituendis.* Quæ profeſſionum reformatio non ſolum attigit theologiam, ejusque meliorem docendi rationem, ſed omnes diſciplinas, philoſophicas æque ac reliquas. Aliter ſtudia impoſterum omnia inſtituenda eſſe in Academia, alia & aliter docenda omnia. Quorſum inprimis pertinebant profeſſiones linguarum, latinæ, græcæ & hebraicæ, ut humaniora ſtudia eloquentiæ præſidia, boni autores græci & latini tractarentur, fontes quoque ſacri, græci & hebræi: omnia à ſcholaſticis ſpinis & vepretis ſe mota. Qualis ſtudiorum Academicorum reformatio multis jam annis per Eraſmum erat ſuggeſta & apparata. Quæ nova ſtudiorum ac profeſſionum conſtitutio per novos Profeſſores adſciſcendos, viſa aliquid ſumptuum expoſcere. Quorſum *Lutherus ad Spalatinum:* „Quod non jam diu tibi „ſuper iis (lectionibus mutandis) ſcripſi, fuit in cauſa, quod res deſperationis fere omnibus videretur: „Præſertim, quod timemus, illuſtriſſimum Principem noſtrum gravari tanta expenſa. Tamen, ut ſatis „fiat tibi, mitto hic ſchedulam, in qua quid nobis tunc videretur poteris legere. Quanquam ſi ita poſſet „inſtitui ſtudium, Deum immortalem, quanta hæc eſſet gloria, noſtri & principis & ſtudii, ac vera oc-„caſio omnium univerſitatum reformandarum, quin & citius univerſæ barbariæ eliminandæ, omnique erudi-„tioni cumulatiſſime augmentandæ.

Quæ conſilia, à Luthero & ceteris theologis, *diu ante Tezelii impetum & ſcenam*, agitata, in effectum aliquem ducta adeoque jam exercita, aſſenſum Curiæ invenerunt tandem, publicamque autoritatem; quam celebravit iterum Lutherus apud Langum, *A. 1518. menſe Martio*, *Tom. Ep. i. p. 55.* „ſtudium noſtrum ea proficit ſpe, ut futurum eſſe propediem expectemus, nos habere lectiones utriusque, „imo triplicis linguæ, Plinii, mathematicarum, Quintiliani, & nonnullas alias optimas, rejectis ineptis „illis Petri Hiſpani, Tartareti, Ariſtotelis lectionibus. Atque ea res & placet Principi, & jam in conci-„lium recepta tractatur.

Quo reformationis fine, eodem anno per Electorem allatus *Philippus Melanchthon*, *græcæ linguæ Profeſſor.* Quod in Academiis antea auditum nunquam. Hæc nova rerum facies ex novis ſtudiis, melioribus literis, Scholaſtica barbarie pulſa. Eamque ſtudioſorum in Academia in hæc manſuetiora atque utiliora ſtudia propenſionem, in laudata ad Langum epiſtola denuo celebrat Lutherus: *ſtudentes mire ſunt pertæſi Sophiſtici hujus antiqui ſtudii, cupidiſſimi vero ſacræ Bibliæ:*

Atque hæc rerum meliorum exordia *ſat diu ante Tezelianam irruptionem* barbarici priori ſcholaſticæ conformem. Cumque jam aliquot annis, in cathedris & collegiis, docendo & diſputando, Scholaſticorum res eſſet à Luthero & collegis impugnata & tantum non eliminata, *vetus larva à Tezelio monſtrata & terribilior effecta*, tanto promptiorem Lutheri invenit calamum, quanto melius jam in Academia ſentirent omnes, Profeſſores & Studioſi, quibus ſcholaſticæ næniæ omnes jam tum inciſæ & exoſæ.

Quod illa, annis jam 1514. 1515. 1516. *quæſita ſtudiorum ſacrorum emendatio*, non ſolum *theoriam* attineret, ſed ad *praxin* verique chriſtiani ſenſus *uſum* tenderet, quorum nihil apud Scholaſticos, nec exiſterent illis temporibus, qui *praxin vitæ Chriſtianæ* purius docuiſſent, *Tauleri devotio*, tum Luthero grata, tum per illum aliis commendata. *A. 1516. in Epiſtola ad Spalatinum*, p. 32. „Si te delectat, puram, ſolidam, antiquæ ſimillimam theologiam legere, in Germanica lingua effuſam, „ſermones Johannis Tauleri, prædicatoriæ profeſſionis, tibi comparare potes: Cujus totius velut epito-„men ecce tibi hic mitto. Neque enim ego vel in latina vel in noſtra lingua theologiam vidi ſalubriorem & „cum Evangelio conſonantiorem.

Quam Tauleri integritatem theologicam ſequentibus annis frequenter Scholaſticorum inanibus diſputationibus opponere ſuevit; velut mox A. 1518. in Reſolutionibus ad Concluſionem XV. „Hunc „doctorem Johannem Taulerum, ſcio quidem ignotum eſſe ſcholis theologorum, ideoque forte con-„temptibilem. Sed ego plus in eo (licet totus Germanorum vernacula ſit conſcriptus) reperi theologiæ „ſolidæ & ſinceræ, quam in univerſis omnium Univerſitatum Scholaſticis doctoribus repertum eſt, aut re-„periri poſſit in ſuis Sententiis. Cum Pariſienſes in ſua determinatione, etſi verbo ſaltem, Taulerum à

Luthero

Luthero Scholasticis præpositum arroderent, fuse mox est responsum, Taulero & Luthero defenso, in *confutatione determinationis Doctorum Parisiensium, ex Ecclesiasticis doctoribus desumpta, Basil. 1523. p. 248. seq.*

Idem scopus Lutheri, eodem anno 1516. editis, & præfatione commendatis, *duobus libellis germanicis, De theologia germanica, & de veteri & novo homine*, autoribus priorum seculorum incertis; in quibus se plus reperisse ait veræ theologiæ, quam in omnium Scholasticorum voluminibus. Es ist mir nechst der Biblien und S. Augustin nicht fürkommen ein Buch, daraus ich mehr erlernet hab und will, was GOtt, Christus, Mensch und alle Dinge seyn. Und befinde nun allererst, das wahr sey, das etliche Hochgelahrten von uns Wittenbergischen Theologen schimpflich reden, als wolten wir neue Ding fürnehmen, gleich als wæren nicht vorhin und anders wo auch Leuthe gewesen. Ja freylich seyn sie gewesen, aber GOttes Zorn, durch unsere Sünde verwirckt, hat uns nicht lassen würdig seyn dieselbe zu sehen oder hœren. Denn am Tage ist, das in den Universitæten lange Zeit solches nicht gehandelt, dahin bracht ist, das das heilige Wort GOttes nicht allein unter der Banck gelegen, sondern von Staub und Motten nahend verweset, lese dis Büchlein, wer da will, und sage denn, ob die Theologie bey uns neu oder alt sey, denn dieses Buch ist ie nicht neu. Werden aber vielleicht wie vormahls sagen, wir seyn Teutsche Theologen. Das lassen wir so seyn, Ich dancke GOtt, das ich in Teutscher Zungen meinen GOtt also hœre und finde, als ich und sie mit mir anher nicht funden haben, weder in Lateinischer, Griechischer noch Hebræischer Zungen. GOtt gebe, das dieser Büchlein mehr an Tag kommen, so werden wir befinden, das die Teutschen Theologen ohn Zweiffel die besten Theologen seyn. Quod siquis *integrum systema* quærat doctrinæ quam Lutherus professus *ante Tezelium*, adeoque corpus aliquod plenum rerum, quas mutatas cuperet, & in quarum emendatione occupatus fuerit A. 1516. Totum nec parvum habeto librum *Decem præceptorum*; in quo opere totum viri pectus, in emendatione illis annis occupatum. Pro concione dixit A. 1516. & 1517. *cum lites istæ Tezelianæ nondum ingruissent.* Nos contenti hic erimus vel uno loco, quo, velut compendio, ad *præceptum octavum*, res Academicas corruptas effigiavit, pro studiorum ordine.

De sacris: „Cum scriptura sancta velit in timore & humilitate tractari, & magis studio piæ orationis penetrari, quam acumine ingenii, impossibile est, quod sine damno sint, vel suo proprio vel aliorum,„ quos docent, qui nudo ingenio, freti in ea irruunt illotis pedibus sicut porci, tanquam sit humana quæ-„ dam scientia. Adeo nullo reverentiæ discrimine versantur in illa. Inde veniunt tot promptuli ad do-„ cendum, qui statim cognita grammatica, theologiam sine omni studio profitentur, dicentes: Hem Bi-„ blia res facilis est. Maxime autem id faciunt, qui distenderunt ventrem suum siliquis illis porcorum phi-„ losophorum, unde de eis conqueritur B. Hieronymus, quod arbitrio suo trahant Scripturam. Et jam„ proverbium factum est, scripturam habere cereum nasum. Hoc effecerunt insulsi illi, & inepti somnia-„ tores, ludentes in sensu literali, allegorico, morali, anagogico, & vocantur Doctores scholastici: Et„ hoc propriissimo veroque nomine. Scholastici enim sunt, i, ludicri & lusores, imo & illusores tam sui„ quam aliorum, qui neque quid sit litera, neque quid spiritus cognoverunt. Et ferendum erat tale stu-„ dium in quadruplici illa explicatione scripturæ, si modo tanquam rudimenta haberentur pro incipienti-„ bus. Nunc vero totius fastigium eruditionis in isto ludo statuunt, nec unquam ad verum intellectum„ pertingunt, qui sine puritate cordis nunquam potest attingi. Illam autem quadrigem versant etiam„ impiissimi.„

De jure: „*De Juristis secundo.* Ii etiam ad literam contra hoc præceptum agunt, quando in„ labyrintho suo, i. foro contentioso, nihil aliud quærunt quam victoriam, omnia allegant, quærunt,„ accipiunt, quæ pro se faciant, contra partem adversariam. Ubi novo miraculo unus & idem textus ser-„ vit contrariis causis, & factum est hoc studium periculis pleniissimum. Sed dicunt, nemo tenetur seipsum„ confiteri & accusare. Quid autem dicit Dominus: Non loqueris falsum testimonium adversus proxi-„ mum tuum, cum hoc pro te alleges quod contra illum est, quem scis justam causam habere. Sed ha-„ bent Juristæ privilegium magnum, ut nulli contra eos aut eos judicare liceat, id autem est, quod nemo„ recte arguit, quod non intelligit. At juris intellectus est infinitus & inexhaustus, neque est repertus„ Jurista, qui omnia norit. Idcirco, si non ante de eis licet judicare, quam omnia eorum intellecta fue-„ rint, nunquam licebit judicare, semper enim dicent, non esse intellectum, quod arguitur, &c.

De philosophia scholastica: „Huc forte pertinere potest, & illud miserum genus hominum, quod„ sese per philosophiæ Aristotelis falsissimum nomen decipit, & fatigat, cum Aristotelem neque intelligant„ ipsi, neque doceantur, falsis interim & fictis commentariis. Pias in Christo animas occupant & onerant„ imo illudunt potius, dum credunt hoc esse philosophiam, quod non est, merasque sectantur nugas.„ Si meo consilio Aristoteles legeretur, certe vel in medio anno disci posset, ab ingenio mediocri. Lege-„ retur autem, non sicut hucusque lectus est, ea fide & religione, qua sacræ literæ, imo amplius, sed sicut„ alia quæcunque levis & extranea materia, tantum ut sciretur, non ut defenderetur. Vere enim sumus„ seducti per Aristotelem & commenta ejus, atque si aliud non esset, hoc unum satis erat argumentum, quod„ tot sectæ & capita sint in ista bestia gentili, simili hydræ in Lerna. Nam ibi sunt Thomistæ, Scotistæ, Al-„ bertistæ, Moderni, & factus est quadriceps Aristoteles, & regnum in se ipsum divisum, & mirum quod„ non desoletur, sed prope est ut desoletur.„

In sacra plebis fascina ex jactatis miraculis: „Si isti doctores & magistri peccant, ubi manebunt illi„ somniatores, & perditum genus hominum, qui prædicant falsa miracula, mendaces legendas, ostentant„ fictas reliquias, frivolas suas visiones: Hic aliquis impudenti fronte jactat, se cum Christo matre ejus„ locutum & risisse, puto etiam saltasse. Hic habuit fœnum, in quo Christus jacuit, quod tamen hoc anno„

»natum est, & raptum in horreo. Ista fabulamenta indocti passim sacerdotes, sed plus monachi statio»narii multiplicant, & pastores non parum delectantur fabulis legendarum & indulgentiarum, & omnium »quæ dici possunt, præter Evangelium. Quia illa lucrosa sunt, dum populus à veritate auditum avertit, »ad fabulas conversus. Sed væ, væ, atque iterum væ talibus fabulatoribus. Opus hic esset maxima re»formatione: ut prorsus nihil quantumcunque pium & bonum, prædicari permitteretur, nisi quod av»thenticum & canonisatum esset. Nam sub tali pietatis specie pariter illa monstra fabularum intraverunt, »ut prædicatores Ecclesiastici prope superent poëtas gentiles fabulis & mendaciis. Imo ausim dicere, nec »tutum satis esse, quod probatæ legendæ & miracula sic prædicentur, vt inde veniat usus omittendi »Evangelium.

Satis abundeque pellucet ex superioribus, à Tezelii quidem tumultu atque strepitu ortam esse de indulgentiarum virtute, immodeste & immodice aucta, disputationem, adeoque velitationem publicam; ante Tezelium tamen doctrinam Ecclesiæ communem per Lutherum & Wittebergenses theologos fuisse reprehensam, emendatam, repurgatam ac reformatam. Tumultuosi certaminis initium à Tezelii libellis, mansuetæ reformationis exordium ante Tezelium à scripturæ S. studio, ex professione per Lutherum commendato pro unica & certa fidei norma, scholastica vulgata doctrina spinosa, ut pote partim vana & falsa, partim infructûosa & damnosa, rejecta & repudiata. Hoc *reformationis fundamentum*, præ vagis Tezeli fluctibus attendendum. Quæ ante Tezelium jam dicere & docere inceperant cum Luthero ceterique professores & collegæ, illa post Tezelium continuata, propagata atque illustrata. *Illi jam ante posito fundamento*, Scholasticæ theologiæ Scripturæ sacræ studium esse præferendum, illa eliminata hoc versandum, ibi nugas esse hic veritatem, *totum postea impositum ædificium.*

Nobis satis est superque, *historiæ literariæ partem nobilem ex tantatæ reformationis initiis* submonstrasse. Alius est loci, de singulis doctrinæ & factorum momentis dicere. Nobis nunc *ordo rei gestæ* in oculis, quod absque historia & consiliorum atque institutorum vinculis incongrue judicetur de doctrinæ momentis. Prima itaque & potior cura historiæ.

Quod autem vulgo immodesta Tezelii doctoris theologi jactantia ostentetur pro rerum illarum principio, æquum judicavimus *pro historiæ literariæ*, quam attendimus, *scopo*, genuinum hoc primo Tomo exhibere *Diploma indulgentiarum*, ab ipsis Commissariis veris, Alberto Electore & Gardiano Moguntino profectum. Idque integrum & plenum, *cum suo* hactenus vix cognito *sigillo*, quod hujus nundinationis aut artificiosæ exactionis originem vel scopum, aut prætextum monstret, *Fabricam Ecclesiæ S. Petri de Urbe*, præsente ipso *Petro cum clavibus armisque Pontificis maximi.* Quod rarum his annis historiæ documentum, ante multos annos ex Curia Gottingensi per Pastorem Colerum senem ad me pervenit: Cujus monumenti spectata dignitas & ex raritate pretium me movit ut publicæ nostræ sacrarem bibliothecæ, ærique incidi curarem, cui nihil prius atque posterius, quam publicæ rei literariæ ornamentum atq; emolumentum promovere, historiæ inprimis veteris pignora posterorum usui commendare. Ita jam comparet *Sigillum Fabricæ S. Petri de Urbe*, quo tam enormiter abusus Tezelius ut claves prope suas præindignatione abjecisset Petrus, ut Moses tabulas.

Ut porro *Tezelii* vitulus, *liber indecorus*, etsi millies inauratus, *summaria sacerdotum instructio*, in oculis seræ ætatis esse possit, cum scinderetur idolum, *frustum illius insigne* hic exhibemus, reliquiarum numero, quas mirentur posteri. Hoc scandalum illud publicum, sine jussu & autoritate Pontificis & Electoris, aut Commissariorum primariorum, editum. Hoc illius ætatis monstrum, quod armavit Levitas, ut inveherentur in illius infaustos & infestivos cultores. Levitarum ferrum, calamus Lutheri. Præclarissima hæc historiæ pars, quæ nostram ætatem jam fugerat. Valdopere mirandum, Collectores operum Lutheri prorsus neglexisse hunc fomitem incendii tam magni, quo non cognito atque probe perspecto, Lutheri decantata disputatio de virtute indulgentiarum, obscura, vix intelligenda, vt parum juvet. Si primi collectores Wittebergenses neglexissent, Amsdorfius in Jenensi collectione jure conservasset, pro ingenti Commentario in totam Lutheri rem. Fit autem plerumque, ut vel memoriæ fuga præcipua celet momenta, vel laboris tædium industriam quærendi ac recensendi frangat. Quotus quisque est, qui fontes & origines fatorum, statutorum, doctrinarum, motuum, tempestatum, vel consideret vel indaget? Unde judicia de rebus & factis inepta, iniqua, & præposteta, in autores sæpe injuria.

Pro justo historiæ contextu, Tezelii libello subnectimus *Lutheri disputationem De virtute indulgentiarum*, quippe quæ Tezelii instructioni est opposita destructio. Habetur quidem hæc Lutheri disputatio in Tomis Lutheri, ut videri queat hic supervacanea. Veruntamen tantum abest redundet, ut potius sine illius facie genuina, mutila futura historia. Non juvat dissimulare fatum collectionis operum Lutheri. Contigit vel negligentia, vel infortunio collectorum, ut vel non quærerent vel non haberent ad manum, genuina operum singulorum exemplaria. Suffecit illis, undecunque obtinuisse, ex quacunque editione, libellos, quos convasarent, immemores, posteros agnituros vel tarditatem & soporem editorum aut collectorum, vel laboris fugam. Unde evenit, ut nec legitimus observaretur ordo, pro historiæ tenore, nec exemplaria prima aut genuina exprimerentur. Hinc maxime necessariæ præfationes, quæ luminum instar in totum librum, omissæ, partes etiam librorum vel data opera, ut constat, vel quacunque temeritate, resectæ. Quæ confusio & mutilatio non parva in prima collectione Wittebergensi. Constituerat quidem Elector Saxoniæ, ab obitu Lutheri, in ditiones suas avitas Ducales reversus Johannes Fridericus, damna illa animadversa resarcire, nova, meliore atque aptiore editione Jenensi. Ex *autographis*, ut diserte in præfatione appellat Amsdorfius redintegranda omnia, id est *exprimis*, *legitimis aut genui-*

genuinis editionibus. Verum, aliud institutum, alius effectus aut eventus. Redintegratis aut restitutis quibusdam locis, reliqua ex editione Wittebergensi deprompta ac fideliter repetita: vel quod prima exempla, seu *autographa*, primæve editiones, non statim essent ad manus, vel quod quærendi labor difficilior. Ita ergo vitia priora pleraque repetita.

Hoc fatum obvenit primæ statim illi disputationi Lutheri in Tezelium. Præterquam quod libelli Tezeliani prævii, ne facta quidem sit mentio, disputatio aliam passim induit faciem. Dixerint, Tezelii librum non ad Lutherum pertinuisse, res Lutheri fuisse collectas. Sciverint, Lutherum non posse intelligi sine illo: Dein aliorum multorum scripta collectioni esse inserta, ipsiusmet etiam Tezelii, vel Wimpinæ, contra primam illam disputationem: Nec unam Tezelii, sed & alteram, utramque satis prolixam. Majori jure præivisset fons mali, & origo turbæ, ac principium motuum, ansa disputationis proxima. Dein succedunt Sylvestri Prieratis Dialogi, magnis libris.

Ipsa similiter disputatio Lutheri *sua fronte est privata.* Quod profecto historiæ damnum non exiguum. *Inscriptio* libri præsertim insignis & præclari, pars libri prima & momentosa quidam & præcipuus est commentarius in totum librum, pro demonstrando non solum argumento præcipuo sed & consilio & affectu autoris. Est quidem in Tomis foliorum inscriptio, *Disputatio D. Martini Lutheri de pœnitentia & indulgentiis;* Sed illa non est inscriptio disputationis, nec ab autore Luthero; Neque verum argumentum, scopum & affectum Lutheri exprimit. Tenemus genuinum editæ disputationis exemplar in forma ut appellant quarta, quatuor foliis. Cujus spectabilis frons hæc est, quæ primam faciem absolvit:

DISPVTATIO D. MAR
TINI LVTHER THE
OLOGI, PRO DE
CLARATIONE
VIRTVTIS IN
DVLGEN
TIARVM.

De virtute indulgentiarum declaranda vere agit disputatio, Tezelii libello & clamori opposita, sive *contra articulos Tezelii:* Atqui articuli Tezelii, in libellis illis & concionibus, *virtutem* indulgentiis tribuebant & effectum inauditum, incomprehensibilem, plus quammiraculosum. Hic fons certaminis, litium summa, & disputationis verum ac totum pondus: Quod non exhausit generalis illa supposititia inscriptio. Quomodo & in notis marginalibus Tomi I. collectionis Lutheri, insciteallegatur passim *Disputatio de Pœnitentia & indulgentiis*, cum vere diceretur *De virtute indulgentiarum declaranda*, quod exhaurit vim, & respondet genio & scopo autoris. Comparet integer ille titulus primus in Defensione Lutheri, quæ dicitur *Resolutiones disputationum de indulgentiarum virtute F. Martini Luther Augustiniani Vittenbergensis.* Cujus vestigia Tom. I. Jen. f. 70. b. supersunt.

Et *præfatio* illius disputationis *alia in autographo*, quam in Tomis multis modis. Vox *thematum*, in Collectione inserta, ab autographo abest, & ut apparet majori significatione, cum nihil in hac disputatione velit *statuere*, sed solum inquirere veritatem. Etsi vero excusari hoc supplementum queat, in emendatissimo tamen autographo non habetur. Satis abundeque & commode pro disquisitionis scopo, *Hæc subscripta*, non æque significanter, *hæc subscripta themata.* In talibus monumentis servanda curate prima & sincera facies. Cetera quæ differunt, collatio docebit.

Quod ad *propositiones* ipsas attinet, in *Tomis* textus multis in locis valde corruptus, vocibus omissis, mutatis, injectis. Quamobrem *ex autographo* genuina pura omnium propositionum facies à nobis exhibita. In propositione secunda, omissa integra vox *Pœnitentia* ambiguum reddit sensum, cum hæc verba prima, *Quod verbum* possit intelligi de integro scripturæ loco, in prima propositione allegato. *In authographo*, *parenthesis*, in secunda illa propositione, sua gaudet luce, & in Tomis injuste omissa, ut in multis sequentibus.

In propositione sexta, vox *certo*, in *Tomis*, pro *certe*, in autographo, sensum valde mutat.

In propositione 12. in Tomis vox *potest*, pro *post*, in autographo, manifeste vitiata.

In propositione 15. in vocibus *satis est se solo*, omissa distinctio in Tomis, pro *satis est*, *se solo*, in autographo, sensum reddit ad minimum obscurum, qui per *comma* sua luce gaudet.

Omnia conferre non opus est, cum totam faciem ex autographo stiterimus, quam quisque cum Tomis conferre potis est,

Orthographia reliqua & hic laborat passim. In Tomis, in præfatione & propositione prima, *Ihesus*, per h. vitiose, in autographo probe *Jesus.*

In propositione 28. in Tomis *questus*, male, in autographo *quæstus* bene.

In fine annus M. D. XVII. in autographo, qui in Tomis rejectus ad præfationem, incommode.

In primis peregrinum, in Tomis subjungi *Protestationem*, quæ ab autographo plane abest, & juste; cum totum argumentum doceat alius esse ætatis, post lites dudum jam versatus, ex quibus jam adversa erat expertus. Assumentum itaque hoc injustum, alterius temporis & loci.

Postremo, illis Tezelii & Lutheri de indulgentiarum virtute certaminibus junxi, loco magni numeri variorum autorum illius temporis, unius saltem spectati viri, *religiosi Episcopi*, *de toto isto motu*

judicium. Depromsi ex *libro*, cujus formam vocant in *folio*, cui inscriptio *Onus Ecclesiæ* Cujus editi character finalis est: *Opus compilatum est Anno 1519. sed in lucem editum typisque D. Joannis Weissenburger Landshutæ excusum, Anno domini 1524.* Autor tectus ab eruditis detectus, *Johannes, Episcopus Chiemensis, Salisburgensis Archi-Episcopi Suffraganeus.* Selegimus hujus venerabilis autoris, præ ceteris omnibus, sententiam, quod affectum viri referat integerrimum, absque præjudicii fascino. In Lutherum in opere frequenter invectus acriter; quod abunde testatur, illum Romanæ Ecclesiæ mansisse addictum, nec in Lutheri partes concessisse. Nihilominus, ubi ubi illam Tezelii & Lutheri de indulgentiarum virtute controversiam fuse pertractat, Tezelii rem omnem funditus prosternit & pessundat, Lutheri vero propositiones & scopum extollit. Ut æquissimum videatur sententia referre virum, dignum quod attente legatur. Est sane exemplar ceterorum infinitorum virorum magnorum illis diebus, qui in Tezelii libros æque aspere inveherentur, propudia illa execrati, Lutheri verò institutum magnopere laudarent. Quæ Tezelii impudentia adeo ab omnibus cordatis viris damnata, ut Pontifex ipse per illustrem Legatum Miltitium damnaret gravissime reprehensum Tezelium, donec mœrore extingueretur miser jactator. Unum hoc *Episcopi laudati incorruptum de primis illis Tezelii tumultibus judicium*, esto instar multorum vel omnium, pro illius temporis facie cognoscenda.

Scr. in Acad. Julia
d. 27. Dec.
A. 1716.

II. Diploma Indulgentiarum Leonis X.

Vide sub lit. A.*

III. Ex Tezelii summaria instructione Sacerdotum, ad prædicandas indulgentias, A. 1517.

Ex sermone primo.

Possunt *absolvi & dispensari* à quacunque *irregularitate* contracta, exceptis provenientibus ex homicidio voluntario & bigamia.

Item, qui aliqua conjunctione, spirituali vel carnali, videlicet *in tertio vel quarto gradu consanguinitatis vel affinitatis* impediti *matrimonium contraxerunt*, *absolvi & dispensari* possunt, & in contracto matrimonio remanere, & denuo si opus fuit *contrahere valebunt*, prolem susceptam & suscipiendam legitimam fore declarando. Item, de omnibus *male oblatis*, in certis & etiam certis *per usurariam* pravitatem quæsitis.

Item, de omnibus *legatis ad pios usus relictis*, compositio & dispensatio fieri potest.

Item, multæ aliæ facultates habentur, quæ causa brevitatis omittuntur.

Idcirco perpendat populus, quod *hic est Roma. Ista nunc est Ecclesia sancti Petri, & Ecclesiæ nunc visitandæ erunt loco Ecclesiarum Romæ visitandarum.* Hi confessores pœnitentiarii sunt & *possunt sicut summi pœnitentiarii in Ecclesia sancti Petri.* Deus & sanctus Petrus vocant vos. Disponite ergo ad tantam gratiam consequendam, & *pro salute animarum vestrarum, & defunctorum vestrorum.* Nolite ergo tardare. Quia qua hora non putatis filius hominis veniet.

Item, murmuratores, detractores, & qualitercunque & quomodocunque, directe vel indirecte, publice vel occulte, *hujusmodi negotium impedientes*, ipso facto sunt à sanctissimo domino nostro Papa Leone prædicto *excommunicati*, suntque in indignatione omni potentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum, à qua excommunicatione absolvi non poterunt, nisi à solo Papa vel ejus commissario, ideo cavete, ne ponatis os in cœlum.

Sermo secundus.

Venerabilis Domine, Rogo ut velitis populo vobis subjecto intimare, ne *tantam gratiam, ad salvandas animas concessam*, negligere velit. Sciat, quod *sanctus Laurentius omnes thesauros Ecclesiæ* & corpus suum tradidit ad assandum, *Sanctus Bartholomæus* propriam pellem, crudeliter moriendo: *Stephanus* lapidatus, omnesque martyres cæsi & mortui sunt, *pro salute animæ.* Et tu non vis cognoscere, quod *habes Romam in civitate sive oppido. Ecclesia tua effecta est Ecclesia Sancti Petri de Roma, & sacerdotes tui facti sunt pœnitentiarii apostolici.* Scilicet Ecclesiæ sunt uti *illæ septem Romæ, deputatæ pro peccatorum omnium remissione. Altaria* illa septem sunt *veluti illa, quæ sunt in sancto Petro, ubi habetur plenaria remissio.* Quid ergo cogitas, quid tardas converti? Cur jam in hoc tempore si lacrymas non effundis pro peccatis tuis? Cur jam coram *vicariis sanctissimi domini nostri Papæ* non confiteris? Nunc habes *exemplum à Laurentio* qui *traditos thesauros, quos habebat, amore Dei distribuit*, & corpus adassandum præbuit? Non capis *exemplum à Bartholo-*

mæo,

meo, Stephano & aliis sanctis, qui mortem crudelissimam animo libenti *pro animæ salute* voluerunt. Et tu non solum thesauros *infinitos.* Verum etiam *medicam eleemosynam* non proponis. Ipsi præbuerunt corpora ad tormenta, tu vero delicias & oblectamenta non dedignaris: Tu sacerdos, tu nobilis, tu mercator, tu mulier, tu virgo, tu nupta, tu juvenis, tu senex, intrare *Ecclesiam* tuam, *quæ* ut dixi *est sancti Petri, & visitare crucem sanctissimam, quæ pro te elevata est,* quæ continuo clamat & vocat te: Verecundiam habes *visitare crucem cum una candela:* Et non verecundaris visitare tabernam, verecundaris ire ad *confessores apostolicos* & non ad choreas. Considera, quod tu es in mari furibundo hujus mundi, in tantis tempestatibus & periculis positus & ignoras, an ad portum per venire vallas salutis. Scisne quod omnia sint hominum tenui pendentia filo, & omnis vita militia super terram. Militemus ergo sicut Laurentius & alii omnes sancti, *pro salute animæ,* & non pro corpore, quod hodie est & cras non, quod hodie sanum cras infirmum, hodie vivum, cras mortuum. Scito, quod *quicunque confessus & contritus eleemosynam ad capsam posuerit,* juxta consilium confessoris, *plenariam omnium peccatorum suorum remissionem habebit,* & post confessionem & jubileum habitum, omni die *visitando crucem & altaria,* consequetur *indulgentias, sicut visitaret in Ecclesia sancti Petri altaria illa septem, ubi datur plenaria indulgentia.* Quid ergo statis otiosi? omnes currite ad *salutem animæ vestræ.* Sis promptus & sollicitus *ad salutem animæ,* sicut ad bona temporalia, à quibus non cessatis die noctuque. Quæ rite dominum dum prope est & dum inveniri potest, ut Joannes admonet, operamini dum dies est, venit enim nox, in qua nemo operari poterit. Non auditis *parentum vestrorum & aliorum defunctorum, clamantium & dicentium: Miseremini, miseremini mei saltim &c. Quia manus Domini tetigit me. Quia sumus in durissimis pœnis & tormentis, à quibus possetis nos parva eleemosyna redimere:* Et non vultis. Aperiatis aures, quia *pater ad filium & mater ad filiam* &c. dicentes; *Quare sicut dens persequi minime, & carnibus meis saturamini; Quasi dicendo: Nos genuimus, aluimus, gubernavimus, bona nostra temporalia relinquendo & estis tam crudeles & duri, quod nunc tanta facilitate nos liberare possetis, non vultis, permittitisque in flammis jacere, gloriam nobis promissam tardantes.* Potestis jam habere confessionalia, quorum virtute, in vita & in articulo mortis, & in non reservatis, totiens quotiens *habere plenariam remissionem pœnarum, pro peccatis debitarum.* O vos votivi, o vos usurarii, o raptores, o homicidæ, o criminosi. Jam tempus est audiendi Dei vocem, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Convertimini ergo Jerusalem, Jerusalem, ad Dominum Deum tum. O vos *oblocutores, contradictores, & impedientes hujusmodi negotium, directe vel indirecte, quomodo statis pessime,* estis extra communionem Ecclesiæ: Non missæ, non sermones, non preces, non sacramenta, non suffragia, vos adjuvant. Non agri, non vineæ, non arbores, non animalia reddunt fructum suum, vina & spiritualia arida & sicca fiunt, ut exempla adduci possunt. *Nolite tardare.* Convertimini ad me in toto corde vestro, & capiatis medicinam, de qua loquitur sapientia: Altissimus creavit medicinam de terra, & vir prudens non abhorrebit eam.

Sermo tertius.

Venerabilis Domine, oro, ut ovibus vestris meo nomine talia facere verba velitis, ut oculos mentis aperire velint, considerare, *quantam gratiam & donum in foribus habuerunt & nunc habent.* Vere beati oculi, qui vident, quod ipsi vident, advertunt, quod *jam habent literas salvi conductus, per quem animam earum poterunt* per istam vallem lacrymarum, per istud mare furibundi hujus mundi, ubi tot procellæ & tempestates periculaque insunt, ad *felicem patriam paradisi perducere.* Sciant, quod homines vita militia super terram. Habemus militare contra carnem, mundum & diabolum, qui semper animam perdere conantur. In peccatis mater nostra nos concepit, heu, qui funes peccatorum complexi sunt nos, & est difficile, & quodammodo impossibile, ad portum pervenire salutis, sine divino adjutorio. Quia non ex operibus justitia, quæ fecimus nos, sed per suam sanctam misericordiam salvos nos fecit. Oportet ergo indui armatura Dei. *Capiatis literas salvi conductus* à vicario Domini nostri JEsu Christi, *quibus mediantibus poteritis animam à manibus inimicorum liberare, & ad felicia regna,* mediante contritione confessioneque, *tutam & securam, sine aliqua pœna purgatorii perducere.* Sciant, quod in his literis impressa & sculpta sunt, omnia ministeria Christi passionis ibi extendi. Animadvertant, quod pro quolibet peccato mortali oportet per septem annos post confessionem & contritionem pœnitere, vel in hac vita vel purgatorio, eo quod peccata mortalia comittuntur in die, quod in hebdomada, quod in mense, quod in anno, quod toto tempore vitæ fere infinita sunt, & *infinitam pœnam habent subire in ardentibus pœnis purgatorii. Et cum his literis confessionalibus poteritis semel in vita, in omnibus casibus,* quatuor exceptis sedi apostolicæ reservatis, *habere plenariam omnium pœnarum usq; tunc debitarũ;* Deinde toto tempore vitæ poteritis, quandocunque vultis confiteri, in casibus Papæ non reservatis, *etiam habere similem remissionem,* & postea *in articulo mortis plenariam omnium pœnarum & peccatorum indulgentiam,* & habere participationem omnium bonorum spiritualium, quæ fiunt in militante Ecclesia & in membris ejus. Nonne cognoscitis, quod si contingat aliquem ire Romam, vel ad alias periculosas partes, mittant pecunias suas in banco, & ille pro quolibet centum dat quinque aut sex aut decem, ut Romæ vel alibi cum literis dicti banci securas rehabeat: Et vos non vultis *pro quarta parte floreni recipere has literas, quarum virtute non pecunias sed animam divinam & immortalem tutam & securam ducere*

potestis

poteſtis ad patriam paradiſi. Ideo conſulo, committo, & in quantum ut paſtor mando, ut una mecum acaliis ſacerdotibus *habent pretioſum theſaurum recipere*, & quam maxime illi, qui in iſto ſacro Jubileo confeſſi non fuerunt, quem *in futurum acquirere poterunt*. Quia poſſet vobis contingere caſus, quod velitis, & minime habere poſſetis.

Item, ex parte ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ ſanctiſſimæque ſedis Apoſtolicæ, ac *reverendiſſimi* domini mei *legati*, omnibus & ſingulis, qui ſacrum jubileum & confeſſionalia receperunt, ac pro iſto parvo tempore recipient, ac *præfatæ fabricæ Apoſtolorum principis manus adjutrices apposuerint*, in omnibus precibus, ſuffragiis, eleemoſynis, jejuniis, orationibus, miſſis, horis canonicis, diſciplinis, peregrinationibus, ſtationibus papalibus, benedictionibus, & ceteris aliis ſpiritualibus bonis, quæ ſunt & fieri poterunt in perpetuum in militari Eccleſiæ, & in omnibus membris ejus, *tam ipſi quam ſui parentes, conſanguinei & benefactores defuncti, participes & conſortes fient in perpetuum*, & ut ipſi caritate moti, ita Deus & ſancti Petrus & Paulus, & omnes ſancti, quorum corpora Romæ requieſcunt, in hac valle in pace eus cuſtodiant, & ad ſuperna regna perducant. Agnes prædictis nominibus & meo gratias immortales reverendis, tam ſecularibus ſacerdotibus & prælatis &c.

III.

DISPVTATIO D. MARTINI LVTHERI THEOLOGI, PRO DECLARATIONE VIRTVTIS INDVLGENTIARVM.

AMore & ſtudio eluci dandæ veritatis hæc ſubſcripta diſputabuntur Wittenbergæ, Præſidente R. P. Martino Luther, Artium & S. Theologiæ Magiſtro, ejusdemque ibidem lectore ordinario. Quare petit, ut qui non poſſunt verbis præſentes nobis cum diſceptare, agant id literis abſentes. In nomide domini noſtri JEſu Chriſti, Amen.

I. Dominus & Magiſter noſter JEſus Chriſtus, dicendo, Pœnitentiam agite &c. omnem vitam fidelium, pœnitentiam eſſe voluit.

II. Quod verbum pœnitentiæ de pœnitentia ſacramentali (i. confeſſionis & ſatis factionis, quæ ſacerdotum miniſterio celebratur) non poteſt intelligi.

III. Non tamen ſolam intendit interiorem: Imo interior nulla eſt, niſi foris operetur varias carnis mortificationes.

IV. Manet itaque pœna donec manet odium ſui (i. pœnitentia vera intus) ſcilicet usque ad introitum regni cœlorum.

V. Papa nec vult nec poteſt ullas pœnas remittere, præter eas, quas arbitrio vel ſuo vel canonum impoſuit.

VI. Papa non poteſt remittere ullam culpam, niſi declarando aut approbando remiſſam à Deo. Aut certe remittendo caſus reſervatos ſibi, quibus contemptis culpa prorſus remaneret.

VII. Nulli prorſus remittit Deus culpã quin ſimul eam ſubjiciat humiliatũ in omnibus ſacerdoti ſuo vicario.

VIII. Canones pœnitentiales ſolum viventibus ſunt impoſiti: nihilque morituris, ſecundum eosdem debet imponi.

IX. Inde bene nobis facit Spiritus ſanctus in Papa, excipiendo in ſuis decretis ſemper articulum mortis & neceſſitatis.

X. In docte & male faciunt ſacerdotes ii, qui morituris pœnitentias canonicas in purgatorium reſervant.

XI. Zizania illa de mutanda pœna canonica in pœnam purgatorii, videntur certe dormientis Epiſcopis ſeminata.

XII. Olim pœnæ canonicæ non poſt, ſed ante abſolutionem imponebantur, tanquam tenta menta veræ contritionis.

XIII. Morituri, per mortem omnia ſolvunt, & legibus canonum mortui jam ſunt, habentes jure earum relaxationem.

XIV. Imperfecta ſanitas ſeu charitas morturi, neceſſario ſecum fert magnum timorem, tantoque majorem, quanto minor fuerit ipſa.

XV. Hic timor & horror, ſatis eſt, ſe ſolo (ut alia taceam) facere pœnam purgatorii, cum ſit proximus deſperationis horrori.

XVI. Videntur, infernus, purgatoriũ, cœlũ differre, ſicut deſperatio, prope deſperatio, ſecuritas differunt.

XVII. Neceſſarium videtur animabus in purgatorio ſicut minui horrorem, ita augeri charitatem.

XVIII. Nec probatum videtur ullis, aut rationibus aut ſcripturis, quod ſint extra ſtatum meriti ſeu augendæ charitatis.

XIX. Nec hoc probatum eſſe videtur, quod ſint de ſua beatitudine certæ & ſecuræ, ſaltem omnes, licet nos certiſſimi ſumus.

XX. Igitur Papa per remiſſionem plenariam omnium pœnarum, non ſimpliciter omnium intelligit, ſed à ſe ipſo tantum modo impoſitarum.

XXI. Errant itaque indulgentiarum prædicatores ii, qui dicunt, per Papæ indulgentias hominem ab omni pœna ſolvi & ſalvari.

XXII. Quin nullam remittit animabus in purgatorio, quã in hac vita debuiſſent ſecundũ Canones ſolvere

XXIII. Si remiſſio ulla omnium omnino pœnarum poteſt alicui dari: certum eſt eam non niſi perfectiſſimis, i. pauciſſimis dari.

XXIV. Falli ob id neceſſe eſt majorem partem populi, per indifferentem illam & magnificam pœnæ ſolutæ promiſſionem.

XXV. Qualem poteſtatem habet Papa in purgatorium generaliter, talem habet quilibet Epiſcopus & curatus in ſua diœceſi & parochia ſpecialiter.

I. Optime facit Papa, quod non poteſtate clavis (quam nullam habet) ſed per modum ſuffragii, dat animabus remiſſionem.

II. Hominem prædicant, qui ſtatim, ut jactus nummus in ciſtam tinnierit, evolare dicunt animam.

III. Certum eſt nummo inciſtam tinniente, augeri quæſtum & avaritiam poſſe: Suffragium autem Eccleſiæ eſt in arbitrio Dei ſolius.

IV. Quis ſcit ſi omnes animæ in purgatorio velint redimi, ſicut de ſancto Severino & Paſchali factum narratur.

V. Nullus ſecurus eſt de veritate ſuæ contritionis: multo minus de conſecutione plenariæ remiſſionis.

VI. Quam rarus eſt vere pœnitens, tam rarus eſt vere indulgentias redimens, i. rariſſimus.

VII. Damnabuntur in æternum cum ſuis magiſtris, qui per literas veniarũ ſecuros ſeſe credunt de ſua ſalute.

VIII. Cavendi ſunt nimis, qui dicunt, venias illas Papæ donum eſſe illud Dei in æſtimabile, quo reconciliatur homo Deo.

IX. Gratiæ enim illæ veniales tantum reſpiciunt pœnas ſatisfactionis ſacramentalis, ab homine conſtitutas.

X. Non Chriſtiana prædicant, qui docent, quod redempturis animas, vel confeſſionalia non ſit neceſſaria contritio.

XI. Quilibet Chriſtianus vere compunctus, habet remiſ-

remissionem plenariam a pœna & culpa, etiam sine literis veniarum, sibi debitam.

XII. Quilibet verus Christianus, sive vivus sive mortuus, habet participationem omnium bonorum, Christi & Ecclesiæ, etiam sine literis veniarum, a Deo sibi datam.

XIII. Remissio tamen & participatio Papæ, nullo modo est contemnenda, quia (ut dixi) est declaratio remissionis divinæ.

XIV. Difficillimum est etiam acutissimis Theologis, simul extollere veniarum largitatem, & contritionis veritatem coram populo.

XV. Contritionis veritas pœnas quærit & amat. Veniarum autem largitas relaxat & odisse facit, saltem occasione.

XVI. Cautæ sunt veniæ apostolicæ prædicandæ, ne populus falsè intelligat, eas præferri ceteris bonis operibus charitatis.

XVII. Docendi sunt Christiani, quod Papæ mens non est, redemptionem veniarum ulla ex parte comparandam esse operibus misericordiæ.

XVIII. Docendi sunt Christiani, quòd dans pauperi, aut mutuans egenti, melius facit, quam si venias redimeret.

XIX. Quia per opus charitatis crescit charitas, & fit homo melior: Sed per venias non fit melior, sed tantummodo a pœna liberior.

XX. Docendi sunt Christiani, quod qui videt egenum, & neglecto eo dat proveniis, non indulgentias Papæ, sed indignationem Dei sibi vendicat.

XXI. Docendi sunt Christiani, quod nisi superfluis abundent, necessaria tenentur domi suæ retinere, & nequaquam propter venias effundere.

XXII. Docendi sunt Christiani, quod redemtio veniarum est libera non præcepta.

XXIII. Docendi sunt Christiani, quod Papa sicut magis eget, ita magis optat in veniis dandis pro se devotam orationem, quam promptam pecuniam.

XXIV. Docendi sunt Christiani, quod veniæ Papæ sunt utiles, si non ineas confidant, sed nocentissimæ, si timorem Dei per eas amittant.

XXV. Docendi sunt Christiani, quod si Papa nosset exactiones venialium prædicatorum, mallet Basilicam sancti Petri in cineres ire, quam ædificari cute, carne & ossibus ovium suarum.

I. Docendi sunt Christiani, quod Papa sicut debet ita vellet; etiam vendita si opus sit Basilica S. Petri, de suis pecuniis dare illis, a quorum plurimis quidam concionatores veniarum pecuniam eliciunt.

II. Vana est fiducia salutis per literas veniarum, etiamsi Commissarius, imo Papa ipse suam animam pro illis impignoraret.

III. Hostes Christi & Papæ sunt ii, qui propter venias prædicandas verbum Dei in aliis Ecclesiis penitus silere jubent.

IV. Injuria fit verbo Dei, dum in eodem sermone, æquale vel longius tempus impenditur veniis quam verbis evangelicis.

V. Mens Papæ necessario est, quod si veniæ (quod minimum est) una campana, unis pompis & cærimoniis celebrantur; Evangelium (quod maximum est) centum campanis, centum pompis, centum cærimoniis prædicetur.

VI. Thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, neque satis nominati sunt, neque cogniti apud populum Christi.

VII. Temporales certe non esse patet, quod non tam facile eos profundunt: sed tantummodo colligunt multi concionatorum.

VIII. Nec sunt merita Christi & sanctorum: Quia hæc semper sine Papa operantur gratiam hominis interioris, & crucem mortem infernumque exterioris.

IX. Thesauros Ecclesiæ S. Laurentius dixit esse, pauperes Ecclesiæ, sed locutus est usu vocabuli suo tempore.

X. Sine temeritate dicimus claves Ecclesiæ (merito Christi donatas) esse thesaurum istum.

XI. Clarum est enim, quod ad remissionem pœnarum & casuum sola sufficit potestas Papæ.

XII. Verus thesaurus Ecclesiæ est sacrosanctum Evangelium gloriæ & gratiæ Dei.

XIII. Hic autem est merito odiosissimus, quia exprimis facit novissimos.

XIV. Thesaurus autem indulgentiarum merito est gratissimus, quia ex nouissimis facit primos.

XV. Igitur thesauri Evangelici retia sunt, quibus olim piscabantur viros divitiarum.

XVI. Thesauri indulgentiarum retia sunt, quibus nunc piscantur diuitias virorum.

XVII. Indulgentiæ, quas concionatores vociferantur maximas gratias, intelliguntur vere tales quoad quæstum promovendum.

XVIII. Sunt tamen revera minimæ ad gratiam Dei & crucis pietatem comparatæ.

XIX. Tenentur Episcopi & Curati veniarum Apostolicarum Commissarios cum omni reverentia admittere.

XX. Sed magis tenentur omnibus oculis intendere, omnibus auribus advertere, ne pro commissione Papæ sua illi somnia prædicent.

XXI. Contra veniarum apostolicarum veritatem, qui loquitur, sit ille anathema & maledictus.

XXII. Qui vero contra libidinem ac licentiam verborum Concionatoris veniarum, curam agit, sit ille benedictus.

XXIII. Sicut Papa juste fulminat eos, qui in fraudem negotii veniarum quacunque arte machinantur.

XXIV. Multo magis fulminare intendit eos, qui per veniarum prætextum in fraudem sanctæ charitatis & veritatis machinantur.

XXV. Opinari, venias papales tantas esse ut solvere possint hominem, etiamsi quis per impossibile Dei genitricem violasset, est insanire.

I. Dicimus contra, quod veniæ papales nec minimum venialium peccatorum tollere possint quo ad culpam.

II. Quod dicitur, nec si S. Petrus modo Papa esset, majores gratias donare posset, est blasphemia in S. Petrum & Papam.

III. Dicimus contra, quod etiam iste & quilibet Papa majores habet, scilicet Evangelium, virtutes, gratias curationum &c. ut 1. Cor. XII.

IV. Dicere crucem armis papalibus insigniter erectam cruci Christi æquivalere, blasphemia est.

V. Rationem reddent Episcopi, Curati & Theologi, qui tales sermones in populum spargi sinunt.

VI. Facit hæc licentiosa veniarum prædicatio, ut

nec reverentiam Papæ facile sit etiam doctis viris redimere a calumniis, aut certe argutis quæstionibus laicorum.

VII. Scilicet, cur Papa non evacuat purgatorium, propter sanctissimam charitatem, & summam animarum necessitatem, ut causam omnium justissimam, cum tamen infinitas animas redimit propter funestissimam pecuniam ad structuram Basilicæ, quæ est causa levissima.

VIII. Item, cur permanent exequiæ & anniversaria defunctorum & non reddit aut recipi permittit beneficia pro illis instituta, cum jam sit injuria pro redemptis orare.

IX. Item, Quæ illa nova pietas Dei & Papæ, quod impio & inimico propter pecuniam concedunt, animam piam & amicam Dei redimere: Et tamen propter necessitatem ipsiusmet piæ & dilectæ animæ, non redimunt eam gratuita charitate.

X. Item, cur canones poenitentiales, re ipsa & non usu, jam diu in semet abrogati & mortui: Adhuc tamen pecuniis redimuntur, per concessionem indulgentiarum tanquam vivacissimi.

XI. Item, cur Papa, cujus opes hodie sunt opulentissimis crassis crassiores, non de suis pecuniis magis quam pauperum fidelium struit unam tantummodo Basilicam S. Petri.

XII. Item, quid remittit aut participat Papa iis, qui per contritionem perfectam jus habent plenariæ remissionis & participationis.

XIII. Item, quid adderetur Ecclesiæ boni majoris, si Papa sicut semel facit, ita centies in die cuilibet fidelium has remissiones & participationes tribueret.

XIV. Ex quo Papa salutem quærit animarum per venias, magis quam pecunias, cur suspendit literas & venias jam olim concessas, cum sint æque efficaces.

XV. Hæc scrupulosissima laicorum argumenta, sola potestate compescere, nec reddita ratione diluere, est Ecclesiam & Papam hostibus ridendos exponere, & infelices Christianos facere.

XVI. Si ergo veniæ secundum spiritum & mentem Papæ prædicarentur, facile illa omnia solverentur, imo non essent.

XVII. Valeant itaque omnes illi prophetæ, qui dicunt populo Christi, pax, pax, & non est pax.

XVIII. Bene agant omnes illi prophetæ, qui dicunt populo Christi, crux, crux, & non est crux.

XIX. Exhortandi sunt Christiani, ut caput suum Christum per poenas, mortes, infernosque sequi studeant.

XX. Ac sic magis per multas tribulationes intrare coelum, quam per securitatem pacis confidant.

M. D. XVII.

IV.

JOhannes, Episcopus Chiemensis, Salisburgensis Archi-Episcopi suffraganeus, in volumine, quod dixit *onus Ecclesiæ* A. 1519. decimo quinto capitulo, *De indulgentiis & remissionibus.*

OPeræ pretium duxi, aliquid in medium afferri *de modo indulgentiarum, quæ passim è Roma advolant, & in Germania hostiatim veneunt, ac venales in nundinis Simoniacis ubique exponunt. Papales* enim *indulgentiæ publicantur hodie indiscrete & adeo perverse*, ut claves Ecclesiæ quodammodo contemnantur, & poenitentialis satisfactio enervetur: Quia *quæstores indulgentiarum eas frivole extendunt*, contra canonis prohibitionem, atque *sacris indulgentiis ad avaritiam, ceteramque malitiam penitus abutuntur. Unde prope infelicia redduntur tempora nostra. In quibus fugit a nobis veritas, & abundat falsitas.*

1. Ut autem indulgentiarum aliqua habeatur noticia, referam, qualiter *Martinus Luther*, etsi alias multa temerarie ac contumelioſe scribere prætendit, tamen *pœnarum materiam, per venias remittendarum* in quinque membra *acutissime distinxit*: *Prima* pœna est æterna, *secunda* purgatorii, *tertia* castigatoria, *quarta* voluntaria seu Evangelica, *quinta* canonica. Similis *distinctio pœnarum* elicitur ex decretis Canonum, ubi *pœna æterna dividitur a temporalibus pœnis.* Quarum una est post hanc vitam, utpote in purgatorio, altera in hac vita infligitur, aut *adeo* nos castigante, & est castigatoria, aut *a nobis* ipsis sponte assumitur, & est Evangelica, aut imponitur *ab homine*, qui plectit peccatorem, vel in foro contentioso, vel in *foro pœnitentiæ.* Et *hac ultima pœna sola spectat ad indulgentiarum concessionem.*

2. Nunc videamus, an extra poenam canonicam fori poenitentialis *cateras pœnas* indulgentiæ tollant? *Æternam* quidem *pœnam, quam homo peccando incurrit post suum reatum solus Deus remittit per abolitionem culpæ, quam delere potest nemo præter Deum*, qui inquit: *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Christus enim est agnus, qui tollit peccata mundi. *In inferno* autem a *poena æterna nulla est redemptio.* Nam qui descendit ad inferos, non ascendit ultra: *& qui impenitens moritur, omnino moritur, & æternaliter cruciatur.* Siquidem qui impenitens finitur, si semper viveret, semper peccaret, ob hoc etiam sine fine torquebitur, neque igne consumabitur.

3. Secunda poena est in purgatorio. De qua Augustinus inquit: *Qui in aliud seculum distulit fructum conversionis, prius purgabitur igne purgationis.* Hic ignis, etsi non sit æternus, miro tamen modo gravis est, excedens omnem poenam præsentis vitæ. Hanc poenam homo sustinet ob suam culpam, quam in hac vita non sufficienter luit, secundum canonum sanctiones, vel Dei justitiam. Eadem enim neglecta poena, ipsi animæ, morte præoccupatæ, pro modo culpæ suæ, in poenam purgatorii, *non ab Ecclesia, sed Deo judice commutatur.* Ad quem sapiens: Tu es, inquit, Dominus, qui vitæ & mortis habes potestatem, & deducis usque ad portas mortis, & reducis. Dum exierit spiritus, scilicet a corpore, non re-

revertetur, nec revocabitur anima, quæ separata est, sed tuam manum effugere impossibile est. Ante obitum igitur tuum operare justitiam, quoniam non est, apud inferos invenire cibum, utpote indulgentiarum. Ecce *in potestate pontificis non stat e purgatorio liberare animam*, quæ Dei potestatem effugere, vel indulgentiarum cibum apud inferos invenire nequit.

4. Hinc *canones ecclesiastici viventibus, non mortuis sunt editi.* Et in pontificum decretis articulus mortis & necessitatis semper excipitur: Quoniam *mors omnia solvit*, ac *mortui sunt legibus canonibusque soluti.* Nam *lex*, secundum Apostolum, *in homine dominatur quanto tempore vivit*, ut si mortuus fuerit maritus ejus uxor soluta est a lege viri; Ergo multo magis solutus est maritus præmortuus a lege uxoris superviventis. Per consequens *anima, quæ decessit soluta est lege viventium, & a canone juris scripti.* Quocirca animarum in purgatorio poena, a Deo jam taxata, non spectat ad Ecclesiam militantem, sed ad judicium divinum, quoniam animæ in manu Dei sunt: dicit enim Dominus Deus. Ecce omnes animæ meæ sunt. Dominus quidem Deus noster ipse est Deus in coelo sursum, i. in ecclesia triumphante, & in terra deorsum, i. in purgatorio, & non est, qui de manu sua possit eruere.

5. Unde *Petro & clero sola Ecclesia militans est commissa. Christus* namque *super terram, non deorsum sub terra, dedit Petro & reliquis discipulis potestatem ligandi & solvendi.* Gelasius Papa ait. Christus in ligatione *defunctum nunquam dixit esse absolvendum.* Nam Lazarus non mortuus, sed jam resuscitatus discipulis oblatus est solvendus. Sicut igitur *defunctus, jam examini divino relictus, humano judicio accusari non potest*, ita de eo, *qui in divino judicio est constitutus, nobis fas non est aliud decernere* præter id, in quo eum dies supremus invenit. Siquidem qui mortuus est, jam a peccato justificatus est; dum enim aliquis sine sufficienti poenitentia decesserit, remissionem, quam in hac vita plenarie non est assecutus, in alia sic consequetur, ut ejus lepra in purgatorio jure purgetur & rite mundetur, quia anima non ingredietur sanctuarium donec impleantur dies purgationis ejus. Quando enim fortissimus virorum Gedeon voluit fugere iniquum Madian, excutiebat, purgabatque frumenta, i. vires animarum, in torculari, utpote in purgatorio, tunc demum apparuit ei angelus domini, ipsum scilicet saluando.

6. Ita *Christus portans omnia verbo virtutis suæ purgationem peccatorum facit.* Ad quem Job ait: Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei? quasi dicat, præter Deum, nullus. Ideo subjungit: Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam. Ecce hæc omnia operabitur Deus, ut revocet animas eorum a corruptione, & illuminet luce viventium. Ad hoc Psalmista: Dicant qui redempti sunt a domino, quos redemit de manu inimici, nec fuit qui adjuvaret, utpote *non quivis Papa, cui deficit potestas in purgatorio*. Sed clamaverunt ad Dominum, & de necessitatibus eorum liberavit eos, & eduxit eos de tenebris & umbra mortis, & vincula eorum dirupit. Rursus Salomon ad dominum: Liberasti me de portis tribulationum, quæ circumdederunt me, a pressura flammæ, quæ circumdedit me.

7. *Christus* itaque *est judex vivorum pariter & mortuorum*, qui purgabit aream suam, cujus ventilabrum in manu ejus, & angelus Domini purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum & argentum. Nec Deus confunditur. Vocari Deus mortuorum. *Papa* autem non mortuorum, sed viventium terrestris est Deus. Ideo *non debet se intromittere de his, quæ spectant ad curiam coelestem*, uti Brigittæ revelatum est.

8. Porro *solus Deus potestatem habet a mortuis resuscitare*, & per consequens *poenam mortuorum remittere, quam potestatem nulli alii concessit:* Tametsi aliquando in nomine suo sancti ejus nonnullos a morte corporali suscitaverint. In canonibus Christus legitur, aliquos a morte suscitasse, sed petitionem propriæ vocis vel amicorum semper præcessisse. Siquidem tres mortuos aliorum orationibus reddidit vitæ, quartum vero, quia defuerunt viri, qui pro eo precarentur, non resuscitavit.

9. Ergo per preces proprias, vel suffragia aliena, procul dubio in purgatorio animarum poenæ sunt alleviandæ. Cum enim Evangelium proferat, peccatum in Spiritum sanctum non dimitti, neque in hoc seculo, neque in futuro, ostendit alia peccata in futuro seculo esse remissibilia. Sancta igitur & salubris est cogitatio *pro defunctis exorare, ut a peccatis salvantur.* In Ecclesiastico denique scriptum est: Mortuo non prohibeas gratiam. Et benedicta erat Ruth, quoniam eandem gratiam, quam præbuerat vivis, servavit & mortuis. Quocirca sancta tenet Ecclesia, ut quisque pro mortuis vere Christianus offerat oblationes, atque presbyter eorum faciat memoriam.

10. *Gregorius* insuper affirmat, *animas defunctorum quatuor modis solvi*, aut oblationibus sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut charorum elemosynis, aut jejunio cognatorum. *Indulgentiarum* vero *non meminit.* Augustinus quoque refert, esse negandum, defunctorum animas pietate viventium relevari, cum pro illis mediatori sacrificium offertur, vel elemosynæ in Ecclesia fiunt, sed prosunt eis, qui *cum viverent* hæc sibi ut possint prodesse meruerunt. Quamobrem hic omne meritum comparatur quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel gravari. Quibus vero prosunt hujusmodi suffragia, *prosunt ut plena sit remissio*, aut certe ut tolerabilior, fiat damnatio. Hæc *Augustinus*; identidem omnipotens apud Catharinam Jenensem revelat, dicens: Animæ in purgatorio juvantur maxime divino officio, ac etiam vivorum elemosynis, jejuniis, orationibus, & aliis piis operibus, in statu gratiæ factis. *Ecce nihil de indulgentiis.*

11. Ex præmissis evidentissime datur intelligi, *claves Ecclesiæ militantis ad purgatorium non extendi.* Nam si illuc extenderentur, tunc se-

cundum Hostiensem *possent evacuare totum purgatorium*, atque *Papa esset crudelis, qui non omnes animas e purgatorio liberaret.* Unde summus pontifex *in literis indulgentiarum* caute solet animabus dare *purgatorii remissionem per modum suffragii, & non ex potestate clavis, quæ se ad purgatorium non extendit.* Alioqui in Apostolicis indulgentiis scriberetur *per modum potestatis, vel autoritate clavium, seu jurisdictionis, quam in purgatorio Papa nullum habet.* Suffragium vero Papæ & Ecclesiæ penetrat in purgatorium. Ita in veteri Testamento rogabat sacerdos pro omni multitudine filiorum Israel, & dimittebatur eis: Deprecabatur quoque sacerdos pro anima quæ insciа peccaverat coram Domino & impetrabat ei veniam. Et sic Deus cito exaudit *suffragium Ecclesiæ, sed nonstatim operatur*: Quinimo pro modo meriti censetur aliquando tardare petita.

12. *Papa* autem sicut *neminem habet autoritate clavium ligare*, ita *nec solvere in purgatorio*, ubi solus Deus judex est. Qui si quos ibi ligat, papa non solvit. Dominus enim deducit ad inferos, & reducit. Ad quem Sapiens dicit. Tu virga, in poena purgatorii, percuties eum & animam ejus de inferno, i. de purgatorio, liberabis. *Papa* equidem *non habet poenas a Deo impositas remittere, ut id relaxet, quod divina justitia inflixit.* Siquidem Christus notanter expressit. Quodcunque tu ligaveris & solveris *super terram*, erit ligatum & solutum in cœlis. *Non dixit: Quod ego ligo, tu solves.* Et censet *Luther*, quod Christus dedita opera restrinxit clavem *ad terram*, præsciens futurum, quod *alioquin Pontifices essent perforaturi cœlos pariter & inferna.*

13. *Negotium* præterea de *animabus in purgatorio a nobis est absconditum, ac nescitur, quid Deus faciat cum animabus a corpore separatis, & in quibus sint poenis ob suas commissas culpas, quas similiter ignoramus*; Et sicut vivis non datur remissio poenarum, nisi culpa & reatus detegatur Ecclesiæ, i. confessori, sic consequenter *animæ hominis de mortui non datur papalis absolutio super illius culpa, quam una cum animæ reatu ecclesia militans ignorat. Papales* ergo *indulgentiæ non possunt extendi ad animas in purgatorio existentes, quarum culpas & poenas hic ignoramus.* Atqui Deus scit mensuram suppliciorum, ut, si quis in præsenti vita non est sufficienter punitus, poena ei debita, in purgatorio compleatur. *Neque apud Deum quæritur sententia sacerdotum, sed vita mortuorum puniendorum.*

14. Insuper *frustra asseritur, animabus in purgatorio remitti quadragenas, annos, dies*, aut aliud poenitentiæ tempus, dum non constat, in animabus tanquam spiritibus aliquod *tempus* cadere. Quippe canones super remissione temporis poenitendi *ad præsentem duntaxat vitam* sunt statuti, & *super terram, non extra terram*, ligant, vel solvunt. Sed *indulgentiarum quæstores* dubio *multa dicunt, quæ ignorant.* Animarum quidem in purgatorio poenas imaginantur, *quasi ab extra in corpore inferantur; Quæ tamen fiunt ab intra in spiritu.* Animalis homo non percipit ea, quæ sint spiritus.

15. Porro animæ in purgatorio habent charitatem Dei, sed imperfectam, quæ non expellit *timorem*, quo anima cruciatur, donec pervenerit ad perfectam charitatem quæ foras mittit *timorem*, i. *purgatorii pœnam*, quam animæ interim pacienter tolerant, licet cum pavore & labore, ut inquit scriptura: Dabit tibi Dominus cor pavidum & pendebit vita tua ante te. Item, labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei. Hujusmodi autem *timoris & laboris poenam indulgentiæ non tollunt*, licet ex eis, ceu per suffragia Ecclesiæ, illa poena minui speretur. Quare *præcones indulgentiarum ad purgatorium falso extendunt literas papales.* In quibus continetur *de injunctis poenitentiis fieri relaxationem*, ubi papa *poenas* intelligit *a se, vel a suis præ decessoribus, & a subditis, vel etiam a canone injunctas; non quas Deus imponit, relaxare intendit.* Quinimo ipsius *Pontificis indulgentiæ* in talibus casibus concessæ semper intelligendæ sunt, *secundum jus sibi competens, & sine præjudicio divini judicii. Quid* enim *Papa cum mortuis agere potest, qui nunc suum forum egressi, ad tribunal justi Dei devenerunt.* Sed nihilominus *indulgentiarum concionatores inter alia figmenta proclamant absurdum scandalum ut comedant sacrificia mortuorum, dicentes: statim, ut jactus nummus in cistam tinnierit, evolare animam, pro qua nummus imponitur.* Certum profecto est, *nummo in cista tinniente augeri quæstum posse*, suffragium vero Papæ seu Ecclesiæ in solius Dei arbitrio consistere. Tales in concilio reprehenduntur *quæstores, qui suis prædicationibus decipiunt simplices, & aurum subtili vel fallaci potius ingenio ab eis extorquent, de purgatorio mendaciter extrahunt animas, quæ sunt Dei judicio reservatæ.*

16. Nunc venio ad tertium membrum *poenæ*, quæ dicitur *castigatoriâ*, & est flagellatio Dei, dicentis. Ego quos amo castigo. Hæc poena non est mala, quia *via poenitentiæ*. Hinc Ambrosius ait: Paupertatem & ignobilitatem, ægritudinem, bellum, famem, & cæteros defectus, ac etiam ipsam mortem, nemo sapiens male dixerit, nec in malorum sortem numeravit, quia necessaria ista in bonis habentur maximis. Procedunt enim illæ adversitates a justitia Dei, qui est summum bonum. Istam castigatoriam poenam Deus nobis mittit aliquando propter peccata nostra & detestationem criminum, ne peccatores in æternum flagellentur. Nam dum judicamur a Domino, corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Quinimo Deus sæpe paucos punit, ut multitudo ad poenitentiam provocetur, uno enim peccante, ira Dei super multos venit. Aliquando etiam usque ad quartam generationem peccata Deus visitat. Unde innocentes interdum plectuntur, quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas. Pluribus denique aliis de causis Deus flagellat homines temporaliter;

Quibus

Quibus flagellis aliqui ad poenitendum inducuntur, sicut Nabuchdonosor post innumeras impietates flagellatus poenituit, & regnum, quod amiserat, rursus recuperavit. Aliqui ut Pharao induratus deteriorantur, qui præsentibus flagellis æterna connectunt, ut temporale supplicium sit eis æternæ damnationis initium, & sic viventes, descendunt in infernum.

17. *Sed hanc flagellationis poenam omnino extra manum esse Pontificum, quis dubitat, quoniam & ipsi eandem sæpius patiuntur: nec eam quavis potestate clavium tollere possunt.* Hoc evidentissime apparet in poena mortis corporalis, quam Deus homini propter peccatum originale inflixit: Eam tamen nulla redemptio *nulla indulgentia nobis adimit*; Cæteræ autem plagæ, non necessariæ, sicut mors, sed ex causa accidentali, potius per impositionem aliarum poenarum quam per remissionem seu indulgentiam avertuntur. Quarum relaxationem, vel saltem sublevamen preces vivorum, & suffragia sanctorum interdum a Deo impetrant. Hinc Jacobus docet, ut infirma inducat Presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. At non solum oratione & intercessione sed & *potissimum emendatione, poena castigatoria tollitur*, ut patet in Ninivitis, qui meruerunt evadere plagam eversionis, quia se emendaverunt, & sponte subierunt poenam voluntariam. De qua modo sequitur.

18. Rarissimum quartum membrum *pœna*, quæ dicitur *Evangelica*, & solet esse *voluntaria*; est enim *tremor seu reatus conscientiæ & mortificatio passionum* item *infirmitas fidei, pusillanimitas spiritus, sui ipsius abjectio. Hæc poena* est necessaria ad salutem. *Nec est fugienda*, sed humiliter subeunda & sequenda, ne evacuetur Crux Christi, cui Apostolus affixus fuit. *Verbum* quidem *crucis* debet nobis esse *Dei virtus*, Salvatore dicente: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Item, si quis vult post me venire, deneget semetipsum, tollat crucem suam quotidie & sequatur me. Qui autem non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus. Non enim veni pacem s. mundanam mittere, sed gladium. Ecce *Evangelium docet poenas quærere & amare, non fugere nec relaxare. Docet enim Spiritum libertatis & timoris Dei usque ad contemptum omnium pœnarum. Evangelicam* præterea *pœnam operatur pœnitentia spiritualis*, juxta illud Apostoli: Si nosmet ipsos judicaremus, non utique judicaremur a Domino. Qui enim in Christo baptisatur & renovatur, ad poenas & ad cruces usque ad mortem ordinatur, ut ad flagella paratus sit, & dolor ejus in conspectu suo semper. Et ut mortificetur tota die, & æstimetur sicut ovis occisionis, ac humiliata sit in pulvere anima sua. Et licet Deus sine poenis posset omnes homines in gratia perficere, non tamen id statuit, sed potius ad imaginem & crucem filii sui. Omnes conformare voluit, dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, tollite jugum meum super vos. *Cavendum* tamen est, *ne hujusmodi poenitentia sumatur pro fundamento, sed pro instrumento virtutum*, quemadmodum docemur in dialogo Catharinæ.

19. Apparet itaque hujuscemodi *voluntariam crucem & poenam ex gratia & spiritu pendere, non ex arbitrio humano.* Unde *eam remittere vel tollere non est in potestate papæ, qui pœnas & doctrinas Evangelicas rectius promovere, quam impedire debet*: Alioquin tolleret crucem Christi, & hostes Dei. i. peccata, non occideret ad internecionem. De quibus in Prophetа dicitur. Non parcat oculus vester, neque misereamini, sed interficite usque ad internecionem. Nam *si per plenariam indulgentiam omne debitum, etiam quo ad hanc poenam Evangelicam dimitteretur, evanesceret in dominica oratione hæc clausula: Et dimitte nobis debita nostra* &c. quod esset absurdissimum: Cum cuilibet Christiano dominica oratio quotidie dicenda sit: Et *sic peccator frustra peteret a Deo sibi dimitti, quod Papa relaxasset.* Cæterum *hæc voluntaria poenitentia consistit circa mutationem veteris, & induitionem novæ vitæ* ac circa mortificationem membrorum, nec non circa observationem legitimorum præceptorum, teste Propheta: Si conversus fuerit impius ab impietate sua, & fecerit, judicium & justitiam, vita vivet, & non morietur. Audite quæso sermones prophetæ, *& agite poenitentiam potius quam ut gaudeatis indulgentiis.*

20. De *Evangelica poenitentia* sunt Gregorii hæ sententiæ: Spiritus deficit, ubi caro requiescit: ut enim caro mollibus ita anima asperis nutritur illam blanda refovent, hanc aspera exercent: illa delectationibus pascitur, hæc amaritudinibus vegetatur & sicut carnem dura sanciant, sic mollia spiritum necant. Et infra: Quo plus caro premitur, eo de cœlesti spe animus securius lætatur. Tanto enim melius mens, ad superna appetens componitur, quanto ab illicitis corpus arctius edomatur. Dominus denique damnat servum pigrum, qui cognovit voluntatem domini sui, cui se non conformat, neque præparat ut eam, quam dominus imperat, dignam ageret poenitentiam, ideo plagis vapulit multis. *Apostolus* quoque hortatur nos, ne in vacuum gratiam Dei recipiamus, hoc est, ut *veram peccatorum faciamus poenitentiam.* Ait enim. Tempore accepto exaudivi te. Et Petrus inquit: Sperate in eam quæ affertur vobis gratiam, siquidem hæc est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias. Aliud est in tristitia hujus seculi, ut infra. Hinc illi, qui compuncti sunt corde, dixerunt ad Petrum & reliquos Apostolos: Quid faciemus viri frates? Petrus autem ad illos. Agite, inquit, *poenitentiam, & baptisetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum & accipietis donum Spiritus Sancti.* Nam scriptum est: poenitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Hinc *Augustinus* describit, *poeni-*

tentiam esse *quandam dolentis vindicatam, puniendo in se quod dolet commisisse.* Poenitere enim est poenam tenere, ut semper puniat in se ulsciscendo, quod commisit peccando. Est quidem *arcta via quæ ducit ad vitam.*

21. *Hac Evangelica & spontanea poenitentia poenitens mox a Deo impetrat veniam.* Nam divinæ poenæ infligendæ vel remittendæ, nec mensuram possumus ponere, nec tempora definire. Siquidem apud Deum nullas patitur moras veniæ peccatoris conversio, scriptum est enim. *Spiritus Sancti gratia tarda nescit habere molimina.* Et refert Cælestinus Papa, quod Christus in momento quosdam salvavit peccatores. Perdidisset utique latro in cruce præmium, si illum unius horæ poenitentia non juvisset. Cum esset in pœna, pœnituit, & pro unius sermonis confessione promisit ei paradysi habitaculum. *Vera* ergo *ad Deum conversio peccatorum mente potius quam tempore æstimanda est,* Propheta inquiente: Cum conversus gemueris, tunc salvus eris. Et alibi: Invocaverunt Dominum misericordem, & sanctus Deus audivit cito vocem ipsorum. Sed *indulgentiarum papalium quæstores divinum judicium prætereuntes, ad istam sanctam Evangelicam poenitentiam & remissionem retorquent Apostolicas literas,* quæ duntaxat, se extendunt *ad remissiones poenarum a canone, vel ab homine impositarum,* de quibus nunc sequitur.

22. Restat modo *poena* quinta, quæ dicitur *canonica, & non est sacramentalis satisfactio sed legalis poena, a jure humano constituta. Quæ plenarie est in manu papæ.* Ad cujus plenitudinem potestatis spectat omnium canonicarum poenarum remissio omnemque casuum dispensatio. Ideo *in literis indulgentiarum* exprimitur, *de plenitudine potestatis, ex certa scientia & motu proprio &c.* Papa namque ceu Christi in his terris verus vicarius, in *omnibus & singulis juris casibus* libere habet disponere, absolvere, decernere, atque tollere pro suo arbitrio. Et licet homo poenitens post suum reatum reconcilietur Deo, tn. nulli prorsus Deus remittit culpam, quin simul eum subjiciat sacerdoti suo vicario. Sic Christus leproso, quem confestim mundavit, præcepit ut ostenderet se Sacerdoti cum oblatione debita. Quendam autem leprosum mundatum Christus ad principem sacerdotum remisit, ad significandum quod *ardui casus* summo pontifici attineant. Et nisi peccator, etiamsi eum poenitet peccati, habeat voluntatem obediendi Ecclesiæ, Deus ei peccatum non dimittit, deficiente canonica via poenitendi. Nam decem leprosi non statim, sed dum irent ostensum se sacerdoti, mundati sunt. Quamvis enim solus Deus dimittat peccata sacerdos tamen est minister, cui tradita est potestas ligandi & solvendi. Et nemo potest bene agere poenitentiam quo ad Deum, nisi qui speraverit indulgentiam a sacerdote.

23. Ex Catholica præterea Ecclesia sunt omnia sacramenta dominica, i. omnium sacramentorum veritas & forma. Sola Ecclesia est, per quam Dominus sacrificium accipit, & quæ pro errantibus intercedit. Et qui se ab ea segregat, nec a vinculis peccatorum absolvi, nec januam coelestis regni ingredi potest: Siquidem peccata non remittuntur extra Ecclesiam, quam si quis spernit. Deum spernit. Papalium igitur indulgentiarum concessio & poenarum remisio minime est contemnenda, imo devote appetenda, quoniam est declaratio divinæ remissionis. Deus nempe in coelesti examine judicat quos terrenæ leges condemnant. *Hujusmodi* quoque *indulgentiæ sunt utiles, si in eas non nimium confidant Christi fideles.* Sunt autem *nocivæ si per eas Dei timorem amittant: Prout moderni veniarum quæstores a legitimo aplicarum literarum tenore enormiter exorbitavit, in suis concionibus easdem literas frequenter adulterantes, & indulgentiarum normam atque valorem perverse extendentes.*

24. Insuper *canonica pœna* subdividitur; una est *in foro poenitentiæ*, altera *in foro contentioso*, quæ aut est *civilis* aut *criminalis.* Ista poena incepit ex tempore legis, quæ crimen inhibuit, ut humana coerceatur audacia, tutaque sit innocentia. Hac poena fit *privatio dignitatum, reclusio in monasteria, deportatio in exilium, incarceratio, excommunicatio, multa pecuniaria,* & reliqua. Hujusce *poenas fori contentiosi Papa per suos generales indulgentias remittere non intendit. Alioquin omnia patibula, cateraque tormenta in Ecclesiæ terris tolleret.* Poenæ vero *poenitentialis fori* sunt temporales poenitentiæ, quas in *jejuniis, orationibus, elemosynis*, aliisve piis operibus, & sanis disciplinis, aliquas ad septennium, aliquas plus vel minus prisci patres statuerunt, vel quas confessores pro suo arbitrio imponunt. De rigore juris pro peccato mortali agenda est poenitentia septennii. Pro quibusdam culpis certi modi poenitentiæ sunt impositi. Aliquando tempora poenitudinis a sacerdotibus ex causa possunt moderari. Earundem denique *poenarum Ecclesiasticarum vigor, ut plurimum est relaxatus ex dispensatione misericordiæ,* quoniam multorum crimina sunt damnabilia, quæ tamen Ecclesia tolerat pro tempore, pro conditione personarum, intuitu pietatis, vel utilitatis, vel necessitatis, item pro eventu rerum. Et quamvis *canones poenitentiales* sint *modo abrogati & mortui* tamen absque operibus condignis tanquam vivaces *redimuntur perfectam indulgentiarum concessionem*, vel magis *per pecuniarum exactionem e sanguine & sudore pauperum ovium extortarum.*

25. Olim *canones* nil aliud imposuerunt, quam *pœnas temporales.* Harum *temporalium pœnarum relaxationes* (inquit *Martinus in suis conclusionibus*) *sunt indulgentiæ* i. *licentiæ, & molles permissiones, delicatorum, frigidorum & inflexibilium Christianorum, & maxime publicorum criminosorum*, quibus canones injungunt arduas pœnas. *Illis indulgentiæ conducunt, quo minus pœnarum quantum deceat*, luant. Inquit autem Chrysostomus: Perfecta poenitentia cogit peccatorem omnia libenter sufferre in corde ejus contritio, in ore ejus confessio, in corpore i. satisfactione, tota humilitas. Hæc est *fructifera pœnitentia. Falsas* vero *pœnitentias* Gregorius appellat, quæ non

non secundum autoritatem sanctorum patrum pro qualitate criminum imponunt. Quocirca Innocentius secundus admonet Episcopos & presbyteros, *ne falsis pœnitentiis laicorum animas decipientes, in infernum protrahi patiantur.* Nam altissimus non ad indulgentias leves, utpote ad fugiendas poenas, sed ad poenitentias arduas nos vocat multiplici modo. Primo, propria voce dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Item, contendite intrare per angustam portam. Secundo, per inspirationem ad poenitendum: Siquidem Deus stat ad ostium & pulsat. Hinc apostolus: Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus. Tertio, vocat per nuncios, i. prædicatores; Fecit namque coenam magnam, & misit servos suos hora coenæ, dicere invitatis, ut venirent, quia parata sunt omnia. Quarto, percussione; sicut pastor gregem errantem baculo minat, sic quando multiplicatæ fuerint infirmitates eorum, postea accelerant.

26. Porro *pœnitentia* est *secunda post naufragium tabula* utpote Ecclesiæ, tanquam naviculæ fluctuantis in hujus vasti mundi pelago, ubi nos ceu reptilia ob actualia facinora nostra naufragium patimur. Siquidem baptismus contra naufragium peccati originalis est prima ejusdem naviculæ tabula. Atqui divinitatis natura est pia & clemens, magisque ad indulgentiam, quam ad vindictam prona. *Non* enim *vult aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti. Hæc quidem est voluntas Dei, sanctificatio nostra.*

27. Insuper *Augustinus* docet, *pœnitentiam non solum Deum timere judicem, sed etiam justum diligere, ut non tantum pœnam timeat, sed & anxietur pro gloria.* Ex quibus verbis elicitur, licet homo timeat poenam, *timori* tamen *debet præponere charitatem Dei*, non ex timore inferni, sed amore paradisi, ac ex dolore divinæ offensionis. At, *nostrates studeant consequi indulgentias, non delicti poenitentia, sed urgentis poenæ afflictione.* Deus vero non est munerator nominum, sed adverbiorum. *Non* enim *remunerat opus bonum, nisi sit bene & charitative factum, ad bonum scilicet finem*; utpote *erga Deum debet deponi timor servilis, & adhiberi filialis*, sed *in tali timore filiali* nihilominus justitia Dei est potius timenda, quam misericordia sine poenitentia speranda. Rursus *per bonam poenitentiam impetramus poenitentiæ fructum*, & illud jucundissimum Christi verbum, quo peccatricem poenitentem suaviter est allocutus, dicens: *Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace*; Et alibi: Ecce sanus factus es, jam amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Ad talem *fructuosam poenitentiam* exhortatur nos Ecclesia, canens: *Emendemus in melius, quæ ignoranter peccavimus, ne subito præoccupati die mortis, quæramus spacium poenitentiæ, & invenire non possumus. Abjiciamus igitur opera tenebrarum, & induamus arma lucis.*

28. Sed *modernæ indulgentiæ tollunt* hujuscemodi *frugalium pœnitentiarum operationem, & duntaxat pigris & rebellibus hominibus sunt frugi*, sicut cæteræ faciles promissiones. Nec ipsi pigri & rebelles gravius peccent, si careant tali licentia, quæ est quoddam solatium infirmorum, incolumibus autem inutilis ad profectum salutis. Quoniam tales indulgentiæ non perfectionem, sed omissionem & tristitiam poenitendi inducunt. Aliud est in tristitia spirituali: *Licentia* quippe *non habet laudem, nec exhortationem, sed deteriorationem. Licentia* enim *omnes deteriores sumus*, quia præstat occasionem quo minores in bonis operibus fiamus, quam si non haberemus licentiam, seu remissionem cessandi ab operibus poenitentiæ. De quibus prophetæ: In labore, inquit, hominum non sunt, & cum hominibus, non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua: Item, in his, quæ paciuntur, moleste ferunt & indignantur.

29. Quidam asserunt *indulgentias esse pias fraudes quibus insipiens populus inducatur atque provocetur ad visitandum Ecclesias*, ad aliaque bona opera spe placendi Deo, alioquin ea non facturus. Age *ob cultum Dei ampliandum nullo pacto, nullave ratione est mentiendum, nec ad sempiternam salutem aliquis est ducendus opitulante mendacio.* Præsertim in eo casu, ubi populus irritatur ad quærendum quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Nam seipsum, non Deum, in tali bono opere finem facit. Finaliter enim *intendit, ut pœnitentia per indulgentiam sublata sibi segni quies sit potius quam ut Deo gloria detur.* Similiter *qui indulgentias proclamant, nummorum quærunt contributionem non hominum salutem.* Nam *etsi pecunia indulgentiarum exigatur fuco pietatis*, utpote ad expeditionem contra infideles, aut ad sacra ædificia, aut in aliam piam causam, *tamen potior pars hujusmodi pecuniæ, ex indulgentiis & Jubilæis hactenus collecta, appensa est fisco quam Christo, plus redacta in vanitatem quam in pietatem. Christus quidem eum Mammona iniquitatis amicos nobis facere præcepit, non vero inimicos expugnare, vel ædificia exstruere docuit, imo nummos colligere inbibuit*, inquiens: *Videte & cavete ab omni avaritia*, quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his quæ possidet.

30. Etsi *opera ædificiorum, per quæ indulgentiæ redimuntur*, de se sint bona, in quantum Dei justitiam custodiunt, tamen *frequentius fiunt vanam gloriam, & ob laudem hominum, quam ob decorem divinum.* Hinc est illud Evangelicum. *Væ vobis, qui ædificatis monumenta prophetarum.* Ubi Chrysostomus ait. *Non gaudent martyres, quando honorantur cum pecuniis, quas quidem fraude vel violentia a pauperibus plorantibus exactionantur. Qualis est illa justitia munerare mortuos & expoliare vivos. Quomodo sunt justi, qui homines spoliant, & ædificia sanctorum faciunt, habitationes hominum componunt, & habitationes Dei destruunt? Vis domum Dei ædificare, da fidelibus pauperibus unde vivant, & ædificasti rationalem domum Dei: In ædificiis enim homines habitant, Deus autem in hominibus*

nibus sanctis. Hæc Chrysostomus. Item, *Hieronymus: Cum pauperi manum tribuis, cum viro in suis necessitatibus subvenis, cum errantem in viam rectam reducis, Deo gratum templum ædificasti:* Nempe *templum Dei sanctorum corda* dicuntur, quod qui violaverit, disperdet illum Deus. *Indulgentiæ* itaque *intuitu ædificiorum concessæ*, parum sunt meritoriæ. Sanctius est enim *gratis* retribuere, quam intuitu veniarum: siquidem bonum opus absque mercede et propter Deum finaliter homo facere, *Pontifex* quoque *venias gratis dare debet, quia gratis accepit.* Utrobique autem *quæritur peculiare commodum, non honor Dei vel utile proximi. Adhibetur* interea *contractus turpissimus manifeste Simoniacus, quando quæstores pro certo pretio in capsam ponendo præbent indulgentias, quas singuli homines, unusquisque pro sua facultate, emunt.* Quo pacto *homo plusquam Deum observat Papam*, seu *ejus quæstorem tanquam idolum, qui sibi pro mercibus porrigit indulgentiarum literas*, ac remittit poenas divinæ justitiæ debitas. Itidem & gentiles olim factitarunt, servientes Febri, Plutoni, aliisve noxiis numinibus, ne lederent. Ita *hodie insipidi nituntur consequi venias, quo minus post Christum crucem portent.*

21. Atqui Evangelium jubet *dignos* fieri *poenitentiæ fructus*, addidit *dignos*, ut pro qualitate peccatorum qualitas offeratur bonorum operum. Digni vero fructus sunt, quando pro mensura delicti erit, & plagarum modus, ut quem major sequitur culpa, majori plectatur poena. Unde *iniquum censetur, inveteratum peccatorem ac omnibus poenis indulgentia absolvi æquali qua is qui fragili carne semel in peccatum lapsus est.* Siquidem grave peccatum curatur melius per arduam poenitentiam, quam per levem. Prout Chrysostomus triplici ostendit exemplo, dicens: Medicina aspera melius quam levis curat malos humores, rostrum ferreum melius quam ligneum eradicat frutices, malleus ferreus melius, quam plumbeus, resecat nodos lapidis poliendi. Oportet itaque peccatorem curari per contraria & diversa. Scriptum est enim; Omnis anima, scilicet peccatrix, quæ afflicta non fuerit, peribit de populis suis. Notandum est, *etsi culpa commissa propter reatum a Deo remittatur, tamen poena iuris per indulgentias non remittitur, nisi adsit dolor contritionis.* Siquidem *indulgentiæ* dantur tantummodo *confessis & vere contritis*, ut patet *in literis indulgentiarum.* Vera autem contritio poenas quærit & amat, studetque sequi suum caput Jesum Christum per crucem, mortem, cæterasque pœnas: Passiones enim Christi in nobis abundare debent. Nam vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati: quoniam ad regnum coelorum intrare oportet per multas tribulationes quas vere contritus non fugit, sed dignus poenitentias pro suo posse sponte subit. Quippe bonum est, correptum manifestare poenitentiam, ut effugiat voluntarium peccatum. Sed *indulgentiarum quæstores asserunt esse remissam omnem pœnam pro nummo in cistam impositio.* De quibus Apostolus. Qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt sed e contra. Et sic *ipsi tollunt omnem poenam, implicantque contrarietatem in literis papalibus*, quæ confessionem sacramentalem & veram, i. poenalem contritionem requirunt ad consequendam plenariam indulgentiam & remissionem poenarum, a jure scilicet vel ab homine peccatoribus impositarum.

22. Præterea nisi opus satisfactionis sit æquivalens culpæ, *remanet obligatio pœna condigne & legitimæ:* Quemadmodum si cui remittis injuriam tibi illatam, damnum quidem injuria factum non remittis, quin injurians nihilominus tenebitur tibi damnum resartire, vel ablatum restituere, usque ad gratantem satisfactionem. Hinc *Augustinus: Non potest gratiam Dei cœlestis accipere nisi prius purgatus fuerit ab omni sorde.* Item; Nullus debitæ poenæ accipit veniam, nisi aliqualem poenam solverit. Ita enim impartitur a Deo largitas misericordiæ, ut non relinquatur justitia disciplinæ. Ideo *neminem putes a peccato ad correctionem sine poenitentia posse transire*, quia præceptum Evangelii est; Poenitentiam agite. Frustramus Evangelium Dei & verbum Christi. *Si promittimus vobis, quod ille negat, nonne vos decipimus?* Non enim sufficit mores in melius commutare, & a præteritis malis recedere, nisi satis, faciat domino per poenitentiæ dolorem. Hæc *Augustinus.*

33. Christus profecto non legitur, absque poenitentia quemquam saluasse. Quinimo pluribus exemplis evidenter ostenditur, quod nullus a Deo consequatur veniam, nisi prius satisfecerit per poenitentiam *frugem, non mortuam, quæ scilicet stabilita sit in vera fide, & bona patientia,* Patientia namque, ceu poenitentiæ fundamentum, fert *opera viva. Et impossibile videtur cum operibus mortuis Christianos rursus renovari ad poenitentiam*, utpote ad plenariam remissionem pervenire. Quare in Apocalypsi dicit Dominus: Patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, age poenitentiam, & prima opera fac. *Contra nituntur indulgentiarum promulgatores, dignas poenitentiæ fructus penitus tollentes, & Dei judicium corrumpentes, erronee asserunt, tum vivos, tum mortuos, per plenarias indulgentias passim absque omni delectu ab universis poenis pariter & culpis solvi, stasimque salvari.* Allegant *absolutam autoritatem summi pontificis.* De cujus potentia illud sapientiæ induci potest: *Nec timens aliquem, veniam datas peccatis illorum: quis enim dicet tibi, quid feciſti, aut quis stabit contra judicium tuum, aut quis tibi imputabit, sit perierint nationes: non enim est alius Deus scil. terrestris quam tu.* Mox, *postquam aliquis veritatis Zelator verbum, superioritatem Ecclesiasticam mordens, profert, hæreticus accusatur, igni deputatur, & morte dignus condemnatur penitusque opprimitur, quia inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris.* Aliter nos instruit, exemplo patientiæ & doctrinæ *primus Papa, cui discipulus in faciem restiterat.*

34. Summi quoque Pontifices illud *pestiferum* con-

considerant *dictum*. *Non præsumi tantæ celsitudinis apicem errare &c.* Verum *pontifex tot monstris dæmonum, & impiorum aulicorum obsessus magis quam stipatus, non potest errare, nisi cum totius Ecclesiæ maximo damno.* Assensatur insuper eidem pontifici *adulatione* illa, in *pectoris sui scrinio esse omnia jura:* Unde in veteri Testamento pontifex rationale ferebat in pectore. Sed *papæ pectus non semper justum: Exinde nonnullæ injuriæ sæpe emanant, quia carneum est, atque Papa homo unus ex ipsis, quorum curam habet.* Omnis namque Pontifex *ex hominibus* assumitur, *quibus aliquando non solum errores, sed & portenta placent. Et licet Papa cum Cardinalium cetu censeatur esse Ecclesia virtualis & repræsentativa, tamen errare potest;* tametsi universalis Ecclesia, quam repræsentat legitimum concilium generale, errare nequeat, uti doctissime probat quidam Cardinalis Cameracensis. *Advertendus est itaque papa, quando ut papa, i. secundum Canonicam scripturam loquitur, non quando pro arbitrio sui capitis præfatur.* Alioquin *multorum crudelium Pontificum cædes, hæreses, factiones, aliaque facinora præsumerentur fuisse beneficia piorum pastorum cum tamen fuerint immania tyrannorum latrocinia.*

35. *Plerique*, contra Ecclesiastica statuta, *in Pontifices simoniace electi ambitiose intrusi, & aliquando in tantum vitiati fuerunt, quod rursus ab Ecclesia rejecti, e sede expulsi, damnatique sunt*, ac interdum propter suos defectus manifeste a Deo percussi. Quocirca in canonibus cavetur, *quod sententiam Romanæ sedis commutare, & eâ, quæ non bene sunt diffinita, retractare liceat.* Quinimo *unus papa alterius indulgentias, etiam licite prius concessas plerumque revocat.* Verum etiam *Sixtus quartus indulgentias a se ipso concessas revocavit.* Unde occasionem & *audaciam sumunt quæstores indulgentiarum ut absque facultate seu commissione tollant aut a minus suspendant veteres indulgentias*, æqua olim efficacia concessas atque *extractas (ut ajunt) de Ecclesiæ thesauro, hodie penes populum incognito*, quem Laurentius indicabat esse pauperes Christi: *Ille verus thesaurus est domini, qui operatur, quod sanguis ejus operatus est, utpote nostri redemptionem.* Quem quidem *infinitum thesaurum* Christus suo sanguine militanti Ecclesiæ acquisivit.

36. Item quamvis Petri clavis & Ecclesiæ privilegium semper maneat firmum, tamen *quando is, qui exercet clavem, exorbitat, tunc nimia ejus severitas vel remissio non inducit ligationem vel solutionem in Cælo, quoniam injusta vincula disrumpit justitia.* Inde argumentum sumitur, quod *Deus non censetur facile ratificare, immoderatam indulgentiarum dispensationem. Aliud est* enim *sella terrena, aliud est tribunal cæleste.* Ratus est Eleazarus, dicens: Nam etsi in præsenti tempore supplicis hominum eripiar, manum tamen omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam. In canonibus reperitur, quod *Ecclesia quandoque in suo judicio decipitur, ut ille, qui intra ipsam est, per eam excludatur, & qui foras missus est, intromittatur.* Porro *hostiarius Ecclesiæ interdum dormit* in purgando triticum *ideo latrones ingrediuntur domum Isboseth, qui similiter dormit super stratum suum*, & percutiunt eum in imagine, ac interficiunt.

37. Deus præterea non parcit alicui *verbis potentibus & ad deprecandum compositis*, prout *indulgentiarum proclamatores buccinant per dulces sermones corda innocentium se ducendo.* Non autem in sermone, sed in virtute est Dei regnum, Ad quod nos primus Papa *Petrus, non per enormes indulgentias, sed per virtutes, bonaque opera* allicit, inquiens. *Vos curam omnem subinferentes ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia abstinentiam, in abstinentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate amorem fraternitatis & charitatem. Hæc enim si vobiscum assint, non vacuos, nec sine fructu vos constituent. Cui vero hæc non sunt præsto, cæcus est, & manu temptans, oblivionem accipiens veterum suorum delictorum: Quapropter magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini.* Reliquus aut *summus Pontifex debet esse ejusdem doctrinæ, cujus & Petrus, siquidem ipsius successor & par in potestate esse velit.*

38. Ergo *post indulgentiam a Papa diffinitam non statim quisque a peccato plene mundatur*, neque ad regnum cœlorum attingere potest, nisi prius per dignam poenitentiam Deo curaverit satisfacere. Hinc *Hieronymus* docet, quod peccator præteritas delicias per quas Deum offendit, vitæ austeritate compescat. Et *Chrysostomus*: Qui culpam exaggeraverit, exageret poenitentiam, majora enim crimina, majoribus abluuntur fletibus. Nam Deus post culpam Adam separavit a delitiis, ut ageret poenitentiam tunica vestivit eum pellicea, non serica. Nunc ergo dicit Dominus: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio & fletu, & in planctu, scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Hoc contra eos dicitur, qui non interiori satisfactione præcedente, sed sola exteriori opere se Deum placare, & *qui non ex corde, sed ex marsupio, pro peccatis satisfacere posse confidunt.*

39. Demum *indulgentiarum mercatores, cum magnis pompis singularibusque ceremoniis faciunt publicari indulgentias, ac interim omittit, vel cum modica advertentia prædicari verbum Dei*, contra dignitatem & necessitatem *ipsius verbi, quod est gladius Spiritus.* Unde Christus illud semper & ubique populo prædicari præcipit, ad discipulos dicens: *Quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Et, *Prædicabitur hoc Evangelium in universo mundo.* Et infra: Prædicate Evangelium omni creaturæ &c. Item, in Hieremia: sta in porta domus domini, prædica ibi verbum, hæc dicit dominus: *Bonas facite vias vestras, & studia vestra. Nihil etenim in Ecclesia est majori reverentia & cura tractandum, quam sanctum Evangelium*, in quod Apostolus

ſtolus laboravit usque ad vincula, quaſi male operans: Sed verbum Dei non eſt alligatum, quod Chriſti corpori æqui paratur, & qui illud audit, habet vitam æternam. Nam *vivit homo de omni verbo* quod *præcedit ab ore Dei*, quod Apoſtoli Dei loquebantur cum fiducia, dicentes: Non eſt æquum, *nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis, prout faciunt quæſtores, qui impediunt Evangelicum ſermonem, dum indulgentias excoquunt, & de pane lucrando certant, quaſi elemoſynam, ſcilicet ſictam, quæritando.* Oportet igitur primum loqui verbum Dei, quod ſi qui repellunt, indignos ſe judicant æternæ vitæ.

40. Rurſus *indulgentiarum præcones promulgare ſolent intricatum errorem, promittentes per aſſecutionem papalium indulgentiarum cæleſtem beatitudinem*, usque adeo, *ſi contingeret peccatorem plenas venias aſſecutum, mori, mox in Coelum evolaret*, absque alia ſatisfactione temporali ſeu purgatoria. *Id Chriſtus non præſumpſit*, quando petenti promiſit, fieri petita ea tamen *differenda & debito tempore danda* dixit, utpote in verbo *futuri*, ſcilicet, *pater dabit vobis: Petite, & accipietis.* Atqui ne, nimium os meum in cœlum ponam, timide induco ſignificationem *figuræ.* Quando Abſolon fratricida patri ſuo David fuit reconciliatus, nihilominus ſtetit per duos annos antequam faciem patris videre potuerat. Eodem modo peccator, quamvis Deo reconciliatus, tempus tamen & modum poenæ hic vel in purgatorio adimplebit, antequam ad videndum faciem Dei in Cœlum transferatur. Idcirco omne tempus noſtrum, etſi breviſſimum eſt, expendere debemus, ad delendam culpæ maculam & ad conſequendam gloriam. Pœna quidem eſt productior quam culpa, ne parva putetur culpa, ſi cum ea fineretur & poena. Ergo ſi quis in præſenti non potuerit explere pœnam, & ſatis faciendi ordinem, quantamcunque tamen parvam pœnitentiam, & quantocunque parvo tempore factam, Deus non reſpuit: Et quod minus poenæ peccator hic ſolvit, in futurum luet, quoniam ſine legitima poenitentia nullus peccator januam cœleſtis patriæ intrare poteſt. *Nec valet poenitentia ſine ſatisfactione ſaltem mentali.*

41. Illi autem *indulgentiarum buccinatores omnimodam promittunt ſecuritatem, quæ parit negligentiam, & negligentia offenſam Dei.* Hinc *Auguſtinus:* Pœnitentiam, inquit, dare poſſumus, ſecuritatem vero dare non poſſumus. Num quid dico damnabitur? Sed nec dico ſalvabitur: *De qua inani ſecuritate* ait Job Deo, etiamſi habuero quippiam juſtum, non reſpondebo, ſed meum judicem deprecabor, & cum invocantem me exaudierit, non credo, quod audierit vocem meam, in turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea, etiam ſine cauſa, non concedit quieſcere ſpiritum meum, & implet me amaritudinibus ſi juſtificare ne voluero, condemnabit me. Si innocentem oſtendero, pravum me comprobabit. Ad idem ſapiens: Etſi altiſſimus eſt patiens redditor, tamen de propitiato peccato noli eſſe ſine metu: Ne dicas: Miſeratio domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur: De tali namque nimia ſpe aliquis facile ruit in præſumptionem temerariam, quaſi absque fidelicet humili poenitentia conſequatur æternam beatitudinem.

42. Ex præmiſſis apparet poenitentibus prodeſſe *ſuffragia Eccleſiæ*, quoad poenam a Deo inflictam, & *valere indulgentias, quo ad poenam a jure vel ab homine impoſitam.* Unde *quæſtores easdem indulgentias caute promulgare debent, ne eas populus præferat operibus fidei & charitatis, quæ foras mittit timorem poenæ.* Siquidem *per charitatem homo ſit melior, per indulgentias vero non melior, ſed in conſcientia ſterilior & in vitæ ſit diſſolutior. Deus* profecto magnus & potens ac terribilis *non accipit* perſonam, nec *munera adciſtam Jubilei impoſita.* Scriptum enim eſt: Zelus & furor Domini non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cujusquam precibus, nec recipiet pro redemptione dona plurima. Item, *non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti.* Præterea Salvator noſter, volens nos ad ſtudium ſimplicitatis invitare, & ſuperflua terrenaque contemnere, inquit: *Væ vobis Phariſæis, qui decimatis mentam & rutam omne olus, quaſi minima, & prateritis judicium, ſcilicet juſtitiam evertendo, & charitatem Dei, ſcilicet vera miſericordia opera omittendo: oportuit hæc*, videlicet juſtitiam & charitatem, *facere & illa*, ſcilicet charitatis opera non *omittere.*

43. Ad præmiſſa conducunt verba Dei, apud Catharinam Senenſem, dicentis, *Poenitentia vera non in operibus extrinſecis ceu in virtutum exercitio, ſed in ipſis virtutibus ceu fundamento conſiſtit.* Nempe ſacrificium & mentale ſimul & actuale Deo eſt offerendum: ſicuti domino a ſubdito offerri ſolet *vas*, i. bonum opus, *cum vino*, ſcilicet fidei vel charitatis, aliarumve virtutum. Siquidem vinum absque vaſe non poteſt offerri, *& vas absque vino non eſſet acceptum. Opera* itaque non elidunt culpam niſi *referta* ſint *fide & charitate*, reatu cordis ac ſui ipſius diſplicentia & cognitione qua omnibus poenis dignum quis ſe judicat, *cum omni* denique *patientia ſuffert poenas, quas indulgentiæ tollunt, & conſequenter adimunt poenitentiæ fructum, qui potius augeri debet.* Ipſa denique Catharina in ſuis orationibus rata eſt, ſe non majorem gratiam conſequi poſſe, quam ut ſemper in poenis vitam ſuam ducat, terminetque cum martyrio propter Chriſtum: Cujus paſſio doctrinam nobis indicat ſequendi. Unde fallitur, qui mavult ſequi delectamina quam poenas, cum nemo ad patrem perveniat, niſi per verbum; quod guſtandum eſt in affectu poenarum; Et, ſi homo non vult ſponte ſuſtinere poenas; has ſuſtinebit invitus. Unde dicitur omnis qui negat filium, nec patrem habet. Nam qui filium quærit, crucem, qui patrem, conſolationem conſequitur.

44. *Falſe* igitur *prædicatur, per veniarum conceſſionem peccatorem ab omni poena & culpa ſolvi, ſtatimque ſalvari.* Remanet enim poenæ, caſtigatoria ſcilicet & Evangelica, de quibus ſupra, quarum

quarum poenarum nulla ad canonicam poenam comparatio, quia illarum solus Deus judex est: judicium vero canonicæ duntaxat poenæ ad pontificem spectat. Quocirca *quæstores indulgentiarum populum singulariter exhortari deberent ad ordinatam a Deo remissionem, & ad securam bonorum Christi & Ecclesiæ participationem, quam homo consequi valet etiam absque omni exorbitante indulgentia.* Nam *culpæ remissio, quæ a solo Deo est, longe excedit pœnæ remissionem*, quæ vocatur *indulgentia* quoniam sine remissione poenæ, non culpæ, quivis salvari potest. E contra *buccinant ipsi quæstores, & suis plenarum indulgentiarum promissionibus, perditissime seducunt insipidos & infelices mortales*, qui, nec in suis meritis de salute confisi, *ab illis docentur, confidere in indulgentias sibi perperam expositas, per quas ipsis non fides, non contritio, non gratia, sed vana spes, & remissio solius Canonicæ pœnæ confertur. Rem* etenim (inquit canon.) temerariam faciunt, qui audacter peccantibus veniam pollicentur.

45. *Illi avari propheta pro quæstu dicunt populo Christi, Pax, Pax, ubi non est pax, & sic decipiunt, Christi fideles, qui sermonibus & literis plenarum indulgentiarum creduli, sinistra securitate, & fallaci spe suæ salutis seducuntur una cum suis magistris: Qui regnum cœlorum potius claudunt, quam aperiunt, Evangelium negligentes, aurum quærentes, prædam de subjecta plebe facientes, & tandem spolia dividentes.* Ad quos in Ezechiele hæc dicit Dominus Deus: *Væ* scilicet *veniarum quæstoribus, qui consuunt pulvillos, i.° leves peccatorum remissiones, sub omni cubitu manus, & requiem scilicet pollicentes, faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis, ad capiendas, i. decipiendas animas, hoc est, hominibus cujuslibet ætatis dicentes: in talibus cervicalibus, utpote in indulgentiis potestis quiescere secure, judicium Dei non timendo.* Sequitur in Ezechiele. *Propter pugillum ordei & fragmentum panis, i. propter vilem quæstum, talia promittebant, ut interficerent animas, quæ non moriuntur & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis. Namjustis, nihil sibi dantibus, prophetant damnationem, quasi non studeant indulgentias consequi. Injustis autem, qui per peccatum sunt mortui, propter eorum dona promittunt vitam æternam.* Ulterius *ad eosdem quæstores* dominus. *Ecce*, inquit, *dirumpam cervicalia vestra & liberabo populum meum de manu vestra, neque erunt ultra in manibus vestris ad perdendum, id est, ad prædam, pro eo, quod confortastis manus impii, ut non reverteretur a via sua mala.*

46. Salvator præterea noster *ad illos temerarios concionatores* ait: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi,* per quos denotantur *indulgentiarum quæstores, qui comeditis domos viduarum, cum indulgentiis, circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum i. raro bene poenitentem, cui pro lucro temporali promittitis sui receptionem in cœlum, sed facitis eum filium Gehennæ.* Ecce quod pro salute hominum est institutum, jam ad mercedem temporalem retorquetur. Ideo subjungit. *Quid autem majus est, aurum aut templum, quod sanctificat aurum? Et quid majus est, donum an altare, quod sanctificat donum. Væ vobis, qui mundatis illud quod est foris, intus autem pleni estis rapina & immunditia.* Vide quam *perverse* nunc in præsenti statu quinto *agitur cum salubribus indulgentiis & remissionibus* nobis a Deo misericorditer & ab Ecclesia largissime concessis. Quæ quidem largitas *modo perversa est in hanc sive larvam indulgentiarum immoderatarum.* De qua Salomon loquitur, quando per cancellos prospexit: *Juvenem vecordem, cui occurrit mulier in ornatu meretriceo præparata, ad decipiendas animas, garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians, apprehensumque juvenem, diosculatur, dicens: Victimas pro salute devovi, hodie reddidi vota mea veni, fruamur capitis amplexibus &c: Et sic irretivit stultum populum multis sermonibus & blanditiis, qui nescit, quod ad vincula trahatur, & quod de periculo animæ ejus agatur.* Hanc *figuram modernæ ac importunæ veniarum acclamationi coaptandam industri & solerti lectori relinquo.*

47. Ex præmissis demum apparet nostram *matrem Ecclesiam*, una, cum suis filiis Christianis, *circa normam & modum panitentiarum & veniarum, non mediocriter esse perplexam atque dilaceratam, & absque divina ope semetipsam ex illis ærumnis resolvere impotentem, vehementerque lamentantem de indulgentiarum quæstoribus*, ac dicentem. *Percusserunt me, & vulneraverunt me custodes murorum*, eosdem denotando *quæstores.* Quam quidem *miseram Ecclesiam* suus sponsus Christus ad *fructuosam pœnitentiam* pacienter expectat, dulcissime invitat, clementissime suscipit, & ait: Surge, propera amica mea, sponsa mea, & veni, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis revertere, in via scilicet veræ poenitentiæ, donec adspiret dies, & inclinentur umbræ, aperi mihi soror mea: Revertere Sunamitis, in *erroribus jam captiva*, revertere, ut intueamur te. Necessarium itaque fuit *ad reducendam Ecclesiam & ad reformandum populum christianum*, alium erigi statum, *ne ipsa Ecclesia* in suis membris *per remissiones, ubusive permissas, penitus pereat.*

VI.

LOCI COMMVNES RERVM THEOLOGICARVM SEV HYPOTYPOSES THEOLOGICÆ.

WITTEMBERGÆ AN. M. D. XXI.

HERMANNI van der HARDT.

INTRODVCTIO IN PHILIPPI MELANCHTHONIS PRIMOS RERVM THEOLOGICARUM LOCOS A. 1521. OPVS RARISSIMUM.

ABunde liquet ex superioribus, *Erasmum* bonis literis barbarien pepulisse, quæ dominium in Scholis totaque Ecclesia exercuerat tot seculis: Adeoque fundamenta prioris superstitionis convulsisse. In primis cum primus Novum Testamentum Græcum orbi exhiberet, fundum sanioris doctrinæ & publicæ salutis. Sed nec obscurum, *Reuchlinum*, cum hebraica studia traderet, ansam fuisse, ut, cum affligeretur a barbaris, per Academias & monasteria, hi a prudentibus quibuscunque exploderentur. Idque justa ex causa, quando *præcedentibus seculis de Ecclesiæ corruptione conquesti Cæsares & Principes*, non invento emendationis remedio. Donec *Tezelius*, *Dominicanus*, imprudens, prodigiosis suis libris, pro indulgentiarum pretio immenso, irritant Lutherum, scholasticæ illius & Ecclesiasticæ tyrannidis pertæsum. Supereſt, aliquod breve detur ex illa Reformationis historia *compendium universæ doctrinæ*, quam Reformatio primis annis advenit, veteris novique Testamenti beneficio. Quod ut promatur, fidus Lutheri Comes, qui A. 1518. Wittebergam venit, *græcæ linguæ Professor*, *Philippus Melanchthon*, *Brectanus*, illud mox in principio mutationis, secundo fato orbi literato suppeditavit. Hic A. 1521. totius *doctrinæ renovatæ summam* brevibus est complexus, *id eam universæ illius primæ reformationis*, stylo usus puro & dilucido. Pro vastis, post Lombardi sententias, Thomæ, Scoti, & Scholasticorum doctorum, portentosis de articulis fidei doctrinave christiana voluminibus, indice digito, *brevi via & compendio nervoso*, *aliam rei christianæ faciem exhibuit*, qualem Reformatio illa veheret. *Hypotyposes* appellavit *Theologicas*, cui satis visum indicasse, quid Scriptura vellet, quæ Christianismi esset indoles. Perierat ante Christiana res immensis illis disputationum litibus, ut nil nisi nomen aut umbra Christianismi supereſſet: Quibus montibus parvas opposuit hypotyposes. Hæc *reformationis primæ effigies luculenta*, *historiæ literariæ momentum tantum non præcipuum*, nervus *rerum illis annis gestarum*. Tantopere placuit illi ætati, ut Justus Jonas, Theologus Wittebergensis, in vernaculam mox transferret linguam. Cum cupidissime ubique apprehenderetur opusculum, ut excuderetur passim, Philippus, annis proximis 1522. 1523. 1524. & 1525. quædam in opusculo expolivit, ut clarius nonnulla videretur explicare. Cum dein alia inciderent agenda, Erasmus præsertim cum Wittebergensibus de præcipuo doctrinæ momento, arbitrii libertate, contendisset, Philippus etiam ad varia colloquia publica de religionis negotio adscisceretur, sufficere existimavit, vim & nervum Christianæ rei isto exhibuisse compendio, nec de illo amplius illustrando cogitavit. Donec A. 1535. plane aliud novumque contexeret compendium, & methodo & quantitate diversum, quod dein subinde auxit, ut libri tandem molem æquaret. Quod *novum opus prioris induxit oblivionem*. Neque Philippi cognati, in his Peucerus, in colligendis Philippi operibus ab obitu illius curam habuerunt librorum Philippi primæ illius ætatis, tametsi pretio postremos longe superassent. Sic *evanuerat hoc Philippi opusculum*, *prima renovatæ doctrinæ facies*. Interea Philippo defuncto subortæ quæstiones de Locis Philippi postremis, quos Peucerus in Tomis conservarat, ansam dederant, de primis illis circumspiciendi, in quibus vestigia reformationis prima, pro historiæ luce.

Cum A. 1521. forma parva, (in 8to quam vocant) & forma majori (in 4to vt dicunt) prodiisset libellus Wittebergæ, Luthero tantopere placuit, ut omnibus suis præferret scriptis, ex doctrinæ perspicuitate. Commendavit omnibus, quavis occasione.

A. 1523. in Epistola ad Waldenses Tom. III. Jenens. Germ. f. 220. b, Was unser Glaub sey, möget ihr aus dem Büchlein Philippi Melanchthon erkennen, darinnen alle Grund-und Haupt-Stück unsers Glaubens in eine Summa gefasset sind, mit Grund der Schrifft beweiset.

A. 1524. ad Georgii Sambiensis Episcopi epistolam, qua de reformatione suæ Ecclesiæ egerat, & Lutheri scripta suis Ecclesiis commendaverat, addit, Tom. III. Jenens. Latin. f. 62. *a. Forte Locos Philippi non vidit, quos futuro theologo maxime omnium profuturos recte asserunt.*

A. 1525. Libro de servo arbitrio, ad Erasmum, Tom. III. Jenens. Latin. f. 160. b. *Supervacaneum videtur respondere istis argumentis tuis, antea a me quoque toties confutatis, conculcatis vero & prorsus protritis per Philippi Melanchthonis de Locis theologicis invictum libellum, meo judicio non solum immortalitate, sed canone quoque Ecclesiastico dignum.*

Geor-

Georgius Spalatinus A. 1525. in præfatione germanicæ versionis Hypotypoſium illarum Philippi: Hie habt ihr die Christliche Anzeigung in die wahrhafftige heilige Schrifft GOttes, unsers lieben Brudern Philips Melanchthon, wie er sie uns allen zu heilsamer Unterrichtung zum andernmahl mit etlicher Aenderung in Druck hat lassen ausgehen, durch mich verdeutscht. Derhalben ist an euch alle mein fleissig Bitte, ihr wollet diss heilwärtiges Büchlein, treulich, mit Fleiss und offt lesen, angesehen, dass es uns den richtigen geraden Weg zu dem gebenedeyeten reinen Wort GOttes zeiget.

Johannes Mattheſius, in vita Lutheri f. 144. Doctor Georgius Major, damahls Rector, besuchte den Herrn Lutherum nach Essens, und lass die Zeit privatim, auf Rath des Doctors, S. Augustini Bücher durchaus. Domine Rector, seyd ihr schon naus, sprichter, mit eurem Augustino? Nun leset immer fort. Alle Prediger, so mit den Papisten zu handeln haben, müssen die alten Lehrer und Patres auch lesen und wissen. Drauff wandt er sich zu uns, leset ihr, sagt er, Locos communes Philippi neben der Biblia. Das ist das schönste Buch, darinnen die reine Theologie richtig und ordentlich zusammen bracht ist. Unser M. Philippus kan die Schrifft erklären und den Sachen nachdencken, und fein kurtz fassen, so hat er in Creutz und Anfechtung beten gelernet, und sich mit den grössesten und gelehrtesten Wiedersachern besprochen, und es ihm Ernst mit seiner Theologia. Darum ihr Jungen-Gesellen, leset seine Locos und ad Romanos mit Fleiss. Will jemand mein Deuteronomium und ad Galatas dazu brauchen, der wird seine Predigten besser und richtiger ausstreichen können.

Aurifaber, in Colloquiis, nomine Lutheri f. 275. Wer itzt ein Theologus wil werden, der hat grosse Vortheil, denn erstlich hat er die Bibel, die ist nun so klar, dass er sie kan lesen ohne alle Hinderung. Darnach lese er dazu Locos Communes Philippi, die lese er fleissig und wohl, also, dass er sie gar im Kopff habe, wenn er die zwey Stück hat, so ist er ein Theologus, dem weder die Teuffel noch kein Ketzer etwas abbrechen kan, und ihm stehet die gantze Theologie offen, dass er alles, was er will, darnach lesen kan ad ædificationem. Und wenn er will, mag er auch darzu lesen Philippi Melanchthonis Commentarium in Epistolam Pauli ad Romanos. Lieset er alsdann dazu meinen Commentarium in Epistolam ad Galatos, und in Deuteronomium, so gebe ich ihm eloquentiam & copiam verborum. Ihr findet kein Buch unter allen seinen Büchern, da die Summa religionis oder gantze Theologia fein beyeinander ist, als in den Locis communibus. Leset alle Patres und Sectetiarios, so ist es doch alles nichts dagegen. Non est melior liber post scripturam sanctam, quam ipsius Loci Communes.

Hæc similiaque elogia ad primas illas Hypotypoſes pertinere, circa exordium reformationis scriptas, non reliquos ejus Locos Communes, serius proditos, magno studio submonuerant Saxonici. Neque de illis prolatum Lutheri judicium istis invisum, quin gratum, quod suo approbarent, calculo, quibus in posteriori novo opere aliqua displicerent. Ita Theologi Saxonici A. 1583. in Apologia Formulæ Concordiæ, c. 9. f. 271. Dass D. Lutherus Locos Communes Philippi A. 1525. in præf. de servo arbitrio ad Erasmum so hoch commendiret, wissen wir wohl, und lassen uns dasselbige gefallen.

Leonhardus Hutterus, in Concordia Concorde, f. 95. pari affectu primos illos Philippi Locos, ore Lutheri, celebravit: *De Locis Communibus, Philippi quid statuerit B. Lutherus noster, & quam egregio encomio illud ornaverit, nos ipsi non modo non ignoramus, sed & elogium illud nostro calculo & suffragio ultro confirmamus.*

Omnium curatissime historiam libelli prosecutus est idem Hutterus in suis Locis Communibus theologicis, fol. 9. *Variæ prostant editiones Locorum communium Philippicorum, non impressione saltem, sed ipsa quoque compositione & quæstionum explicatarum varietate, plurimum a se invicem discrepantes. Prima editio vidit lucem A. 1521. hic Witteberga impressa hoc titulo:* Loci Communes rerum Theologicarum, seu *Hypotypoſes* theologicæ; *Cum præfatione ad Tilemannum Pletenerum. Optandum autem esset, ut prima hujus editionis exemplaria hodieque extarent, vel saltem Peucerus, scriptorum Philippicorum compilator, scriptum istud Tomis Philippicis inseruisset. Ut partim profectus atque incrementa Ecclesiæ recens reformatæ rectius conspici, partim de doctrina Philippi certius iudicium informari posset. In prima hac editione vix quicquam occurrit, quod cum analogia fidei dissentiat, si unum illud excipias, quod tum temporis Philippus censuit, omnia simpliciter necessario evenire. Nam I. B. III. b. in articulo de libero arbitrio sic scribit:* Si ad prædestinationem referas humanam voluntatem, nec in externis nec in internis operibus ulla est libertas, sed eveniunt omnia juxta destinationem divinam. *Anno subsequenti proximo, 22. ut & a. 23. denuo in lucem prodierunt eædem Hypotypoſes, sed cum aliqua ἐπιδόσει & recognitione ipsius autoris,* ubi *tamen σφάλμα illud iam modo notatum, nonmodo non sublatum sed magis confirmatum fuit. Sic enim in Articulo de libero arbitrio p. 9. editionis Argentinensis:* Postremo libertatem homini adimit divina prædestinatio. Eveniunt enim omnia juxta divinam prædestinationem, cum externa opera tum internæ cogitationes in omnibus creaturis. *Et p. 10.* Cum de libero arbitrio omnino primo loco agendum esset, qui potui dissimulare sententiam Scripturæ de prædestinatione quando voluntati nostræ libertatem per prædestinationis necessitatem adimit Scriptura. *Et versa facie ejusdem paginæ:* Tollit itaque omnem libertatem voluntatis nostræ prædestinatio divina. *Tertio prodierant a. 15. eædem denuo Hypotypoſes theologicæ, sive Loci Communes recogniti ab autore; Quibus adiecta sunt themata eiusdem Philippi de duplici iustitia regimineque corporali & spirituali. Ubi tamen pristinus idem error in articulo de libero arbitrio reperitur. Ceterum probe observandum est, de his potissimum editionibus, quas jam notavimus, accipiendum esse egregium illud sive judicium sive elogium, quod B. Lutherus noster Locis Communibus Philippi perhibuit, sic scribens in præfatione libelli de Servo arbitrio*

contra Erasmum Roterodamum: Supervacaneum videtur, respondere argumentis istis tuis, antea a me quoque toties confutatis, conculcatis vero & prorsus protritis per Phil. Melanchthonis de Locis theologicis invictum libellum, meo judicio, non solum immortalitate, sed canone quoque ecclesiastico dignum. *Quod sane Lutheri iudicium a. 25 proditum.*

Idem Hutterus l. c. f. 264. *Initio quidem a. 21. 22. 23. 24. & 25. prodierunt Hypotyposes theologicæ Philippi Melanchthonis, Witteberge, Argentorati, Basileæ impressæ, eam nobis loci huius tractationem exhibentes, quæ ὀρθοδοξίαν omni ex parte respipit; si annum illud excipias, quod tum statuit, divinam prædestinationem homini adimere omnem prorsus agendi libertatem, usque adeo, ut omnia necessario nihil contingenter eveniat.*

Hutterus quidem l. c. f. 266. Peuceri dolo tribuit, quod hoc Philippi opusculum non sit in Tomos illius relatum. Verum, quod affectus scrutari sit difficile, vero forte non dissimile, cum ejusdem essent argumenti Loci Communes Anni 1521. & 1535. Iique omnes iterum quotannis fere aucti & mutati, sufficere visum esse finum loco omnium, idque postremum exhiberet, qui multa etiam alia præclara Philippi opuscula prioris ætatis præteriit.

Non prætereundum libelli fatum in Italia, quando italice loqui cœpit, memorante *Josepho Scaligero*, ceu est in Excerptis ejus f. 297. repetente, *Wagenseilio*, in Telis igneis Satanæ, præf. p. 18. *Narrare solebat Scaliger Puteanis fratribus, Venetiis impressos fuisse Locos Communes Philippi Melanchthonis, cum hoc titulo: Per Messer Filippo di Terra Nera, h. e. per Dominum Philippum a Terra Nigra: Atque cum librum Romam missum, per annum integrum emtum lectumque esse cum magno applausu: ita ut iam nulla amplius exemplaria prostarent, sed alia Venetiis peterentur. Tandem cum Franciscanus quidam agnovisset librum, & dixisset, se tenere eosdem Locos, qui sint Lutherani, & autorem habeant Philippum Melanchthonem, tam vero parum abfuisse, quin gravi censura vetaretur typographus, exemplaria autem esse suppressa & combusta.*

Rarissimum hoc Philippi monumentum, publica primæ doctrinæ Evangelicæ tessera, ab ipso Luthero tam insigni elogio plus simplici vice ornata, cujus memoria injuria temporum pene abolita, *historiae literariae reformationis momentum spectatissimum*, in nostro hoc corpore historico selecto locum meruit, Luthero proximum. Videre jam suis oculis nostra potest ætas, quod optavit Hutterus tam impense, quæ fuerit conditio doctrinæ Evangelicæ in reformationis exordio, quoad omnia fidei capita. Damus hic genuinam & vivam frontem novi illius ævi, resuscitatæ doctrinæ vetustæ, ut reformatorum pectus apertum inspicere intimamque mentis sententiam penetrare liceat. Nunc fas, summam doctrinæ contemplari, quam orbis tum stuperet, quam scholæ tunc reformidarent; Nunc fas, brevi complexu fundamenta tantarum rerum intueri cominus. Hæc nostri ævi beatitudo, primos magnorum illorum negotiorum arbitros habere præsentes, coram cum illis differere, origines veras institutorum & successuum ex illorum & audire ore. Cum perierint hactenus hæc præclara monumenta, vaga in multis valuit conjectura, dubium passim judicium, fundamento destitutum. Nunc, sero etiam, tertii abinde seculi exordio, redire ex longis tenebris vivos illos autores, rerum istarum conditores, admirabile est historiæ præsidium, jucundum veritatis adjumentum.

Ser. in Acad. Julia
A. MDCCXVII.
d. 12. Jan.

PHILIPPI MELANCHTHONIS PRÆFATIO,

JVXTA PIO ATQVE ERVDITO VIRO D. TILOMANNO PLETTENERO PH. MEL. S.

ANNO superiore, Paulinam Epistolam, quæ Romanis inscripta est, enarraturi, *communissimos rerum theologicarum locos*, adeoque illius Epistolæ farraginem ceu methodica ratione digessimus. Quæ lucubratiuncula, cum in hoc tantum esset parata, ut Paulinæ disputationis argumentum *καὶ ἔλεγχον* quam pinguissime iis indicaret, quos privatim docebamus: tamen nescio a quibus evulgari cepit, quorum mihi, quicunque tandem publicaverunt, studium magis, quam judicium probatur, nempe quodita scripsissem, ut sine Pauli Epistola non satis intelligi posset, quid in toto opere secutus essem. Nunc quia mihi non est in manu, libellum, propemodum publici juris factum, premere: visum est recognoscere ac sub incudem revocare. Desiderabunt enim pleraque accuratiorem disputationem, pleraque etiam limam. Porro quod ad argumenti summam attinet, indicantur hic *christianæ disciplinæ præcipui loci:* ut intelligat Juventus, & *quæ sint in scripturis potissimum requirenda*, & *quam fœde hallucinati sint ubique in re theologica, qui nobis pro Christi doctrina Aristotelicas argutias prodire.* Parce vero ac breviter omnia tractamus, quod *indicis magis, quam commentarii vice fungimur*, dum nomenclaturam tantum facimus locorum, ad quos veluti divertendum est erranti per divina volumina: dum *paucis tantum verbis monemus, e quibus summa christianæ doctrinæ pendeat. Non hoc ago, ut ad obscuras aliquas & impeditas disputationes a scripturis avocem studiosos: sed ut, si quos queam, ad scripturas invitem.* Nam *in universum non admodum æquus sum commentariis, ne veterum quidem:* tantum abest, ut ullo meo longiore scripto velim quenquam a canonicæ scripturæ studio retrahere. Imo *nihil perinde optarim, atque si fieri possit Christianos omnes in solis divinis literis liberrime versari, & in illarum indolem plane transformari.* Nam cum in illis absolutissimam sui imaginem expresserit divinitas: non poterit aliunde, neque certius, neque propius cognosci. *Fallitur, quisquis aliunde Christianismi formam petit, quam e scriptura Canonica. Quantum enim ab hujus puritate absunt commentarii?* In hac nihil reperias non augustum: *In illis quam multa quæ a Philosophia, ab humanæ rationis æstimatione pendent, quæ cum judicio spiritus prorsus ex diametro pugnant?* Non sic detriverant τὸ ψυχικὸν scriptores,

ut

ut nihil niſi πνευματικὰ ſpirarent. *Ex Origene ſi tollas inconcinnas allegorias, & philoſophicarum ſententiarum ſylvam, quantulum erit reliquum?* Et tamen hunc auctorem magno conſenſu ſequuntur Græci, & ex latinis qui videntur eſſe columnæ, Ambroſius & Hieronymus. Poſt hos fere *quoquisque recentior eſt, eo eſt inſincerior, degeneravitque tandem diſciplina Chriſtiana in ſcholaſticas nugas, de quibus dubites, impiæ magis ſint an ſtultæ.* Breviter, *fieri nequit, quin cauto etiam lectori ſæpe imponant humana ſcripta.* Quod ſi omnino prophetia & adflatus quidam eſt, cognitio ſacrarum rerum: cur non hoc literarum genus amplectimur, per quod illabitur ſpiritus? An non omnia ſui ſermonis opera Deus efficit? Multa enim docebit ſcripturarum uſu ſpiritus, ſeu, vt Johannes ait, unctio, quæ quantavis humani ingenii induſtria, non queat adſequi. Nos certe non aliud agimus, quam ut eorum, qui in ſcripturis verſari volent, ſtudia utcunque juvemus. Id ſi non videbitur præſtare libellus: pereat ſane. Nihil enim mea referre cenſeo, quid de publico opere publice judicetur.

LOCI COMMVNES SEV HYPOTYPOSES THEOLOGICÆ.

REquiri ſolent in ſingulis artibus loci quidam, quibus *artis cujusque ſumma* comprehenditur, qui ſcopi vice, ad quem omnia ſtudia dirigimus, habentur. Quod in Theologia veteres quoque ſecutos videmus, *parce quidem ac ſobrie.* Ex recentioribus vero *Damaſcenum* ac *Longobardum*, *inepte utrumque. Nimium* enim *philoſophatur Damaſcenus, Longobardus congerere hominum opiniones quam Scripturæ ſententiam referre maluit.* Et quanquam nolim immorari ſtudioſos, ut antea dixi, hoc genus ſummis: tamen prope neceſſarium duco, *indicare ſaltim, e quibus locis rerum ſummæ pendeat*; ut quorſum dirigenda ſunt ſtudia, intelligatur.

Sunt autem rerum Theologicarum hæc fere capita:

Deus
Unus
Trinus
Creatio
Homo, Hominis vires.
Peccatum
Fructus peccati, vitia.
Poenæ
Lex
Promiſſiones
Inſtauratio per Chriſtum
Gratia
Gratiæ fructus
Fides,
Spes
Caritas
Prædeſtinatio
Signa ſacramentalia
Hominum ſtatus
Magiſtratus
Epiſcopi
Condemnatio
Beatitudo.

In his ut *quidam prorſus incomprehenſibiles* ſunt: ita rurſus ſunt quidam, quos univerſo vulgo Chriſtianorum compertiſſimos eſſe Chriſtus voluit. *Myſteria divinitatis rectius adoraverimus, quam veſtigaverimus.* Imo, *ſine magno periculo tentari non poſſunt*: id quod non raro ſancti viri etiam ſunt experti. Et carne filium Deus Opt. M. induit, ut nos a contemplatione majeſtatis ſuæ, ad carnis, adeoque fragilitatis noſtræ contemplationem invitaret. Sic & Paulus ad Corinthios ſcribit: Deum per ſtultitiam prædicationis, nimirum nova ratione velle cognoſci, cum non potuerit cognoſci in ſapientia per ſapientiam. Proinde *non eſt, cur multum operæ ponamus in locis illis ſupremis, de Deo, de unitate, de trinitate Dei, de myſterio creationis, de modo incarnationis.* Quæſo te, *quid adſecuti ſunt jam tot ſeculis ſcholaſtici Theologiſtæ, cum in his locis ſolis verſarentur? Nonne in diſceptationibus ſuis*, ut ille ait, *vani facti ſunt, dum tota vita nugantur de univerſalibus, formalitatibus, connotatis, & neſcio quibus aliis inanibus vocabulis? Et diſſimulari eorum ſtultitia poſſet, niſi Evangelium interim & beneficia Chriſti obſcuraſſent nobis illæ ſtultæ diſputationes.* Jam, ſi libeat ingenioſo mihi eſſe in re non neceſſaria, *facile queam evertere, quæcunque pro fidei dogmatis argumenta produxerunt*, & in his quam multa rectius pro hæreſibus quibusdam facere videntur, quam pro catholicis dogmatis?

Quorum cognitio Chriſtiano neceſſaria

Reliquos vero locos, *peccati vim, legem, gratiam, qui ignorarit: non video quomodo Chriſtianum vocem. Nam ex his proprie Chriſtus cognoſcitur.* Siquidem *hoc eſt Chriſtum cognoſcere, beneficia ejus cognoſcere: non, quod iſti docent, ejus naturas, modos incarnationis contueri.* Ni ſcias, in quem uſum carnem induerit, & cruci adfixus ſit Chriſtus: quid proderit ejus hiſtoriam noviſſe? An vero medico ſatis eſt, noviſſe herbarum figuras, colores, liniamenta? Vim ſcire natiuam nihil refert? Ita *Chriſtum*, qui nobis remedii, & ut ſcripturæ verbo utar, ſalutaris vice donatus eſt, *oportet alio quodam modo cognoſcamus, quam exhibent ſcholaſtici. Hæc demum Chriſtiana cognitio eſt, ſcire quid lex poſcat, unde facienda legis vim, unde peccati gratiam petas, quomodo labaſcentem animum adverſus dæmonem, carnem, & mundum erigas, quomodo adflictam conſcientiam conſoleris. Scilicet iſta docent ſcholaſtici? Paulus* in Epiſtola, quam Romanis dicavit, cum doctrinæ Chriſtianæ compendium conſcriberet, *num de myſteriis trinitatis, de modo incarnationis, de creatione activa, & creatione paſſiva, philoſophabatur?* At quid agit? certe *de lege, peccato, gratia, e quibus locis ſolis Chriſti cognitio pendet.* Quoties Paulus optare ſe teſtatur fidelibus locupletem Chriſti cognitionem? *Prævidebat enim fore, ut relictis ſalutaribus locis, animos converteremus ad frigidas & alienas a Chriſto diſputationes.* Itaque nos aliquam delineabimus eorum locorum rationem, qui Chriſtum tibi commendent, qui conſcientiam confirment, qui animum adverſus Satanam erigant. Plerique locos virtutum & vitiorum tantum in ſcripturis requirunt; ſed ea obſervatio Philoſophica magis eſt, quam Chriſtiana. Quod cur ita dicam, paulo poſt intelliges.

DE

DE HOMINIS VIRIBVS ADEOQVE DE LIBERO ARBITRIO.

SCripſere de libero arbitrio *Auguſtinus* & *Bernhardus*: & ille quidem ſua poſterioribus libris, quos adverſus Pelagianos edidit, multipliciter retractavit. Bernhardus non eſt ſimilis ſui. Sunt hac de re etiam apud græcos quædam, ſed ſparſim. Ego, quandoquidem *non ſequar hominum opiniones*: Et ſimpliciſſime & planiſſime rem exponam, quam fere *obſcurarunt autores, tum veteres, tum novi*: quia *ſic interpretabantur ſcripturas, ut ſimul vellent tamen rationis humanæ judicio ſatisfieri.* Parum civile videbatur docere, neceſſario peccare hominem: crudele videbatur, reprehendi voluntatem, ſi non poſſet ſe a vitio ad virtutem convertere. Ideo & *plura viribus humanis, quam par erat, tribuere,* & mire variarunt, cum rationis judicio viderent ubique refragari ſcripturas. Et in hoc quidem loco, cum *prorſus Chriſtiana doctrina a philoſophia & humana ratione diſſentiat*; tamen *ſenſim irrepſit philoſophia in Chriſtianiſmum*, & receptum eſt impium *de libero arbitrio* dogma, & obſcurata Chriſti beneficentia per profanam illam & animalem rationis noſtræ ſapientiam. Vſurpata eſt vox *liberi arbitrii*, a divinis literis, a ſenſu & judicio ſpiritus alieniſſima, qua videmus ſanctos viros non raro offenſos eſſe. Additum eſt e Platonis philoſophia vocabulum *rationis*, æque pernicioſum. Nam perinde atque *his poſterioribus eccleſiæ temporibus Ariſtotelem pro Chriſto ſumus amplexi:* Ita ſtatim poſt eccleſiæ auſpicia, *per Platonicam philoſophiam Chriſtiana doctrina labefactata eſt.* Ita factum eſt, ut *præter canonicas ſcripturas nullæ ſint in eccleſia ſinceræ literæ. Redolet philoſophiam, quidquid omnino commentariis proditum eſt.*

Vox liberi arbitrii.

Duæ hominis partes intellectus & voluntas.

Ac primum quidem in deſcribenda hominis natura *non habemus opus multiplicibus philoſophorum partitionibus*: Sed paucis in duo partimur hominem. Eſt enim in eo *vis cognoſcendi*, eſt & *vis quæ vel perſequitur, vel refugit, quæ cognovit.* Vis cognoſcendi eſt, qua ſentimus, aut intelligimus, ratiocinamur, alia cum aliis comparamus, aliud ex alio colligimus. Vis, e qua adfectus oriuntur, eſt, qua aut averſamur, aut perſequimur cognita. Hanc vim alias *voluntatem*, alias *adfectum*, alias *appetitum* nominant. Non puto magnopere referre, hoc loco ſeparare ſenſus ab intellectu, quem vocant, & ad petitum ſenſuum, ab adpetitu ſuperiore. Nos enim de ſuperiore loquimur, hoc eſt, non modo de eo in quo fames, ſitis, & ſimiles brutorum adfectus ſunt: ſed de eo, in quo amor, odium, ſpes, metus, triſtitia, ira, & qui ex his naſcuntur affectus, inſunt, ipſi *voluntatem* vocant. Cognitio ſervit voluntati. Ita *liberum arbitrium* novo vocabulo vocant *conjunctam voluntatem cum cognitione ſeu conſilio intellectus.* Nam perinde, *ut in republica tyrannus, ita in homine voluntas eſt*, & ut *ſenatus tyranno obnoxius eſt, ita voluntati cognitio*; ita ut, quanquam bona moneat cognitio, reſpuat tamen eam voluntas, feraturque adfectu ſuo, ut poſthac clarius explicabimus. Rurſum *intellectum cum voluntate conjunctum*, vocant *rationem.* Nos neque rationis, neque *liberi arbitrii* voce utemur: Sed hominis partes nominabimus *vim cognoſcendi*, & *vim obnoxiam adfectibus*, hoc eſt amori, odio, ſpei, metui, & ſimilibus. Hæc oportuit monere, quo facilius poſtea indicari poſſet legis ac gratiæ diſcrimen: Imo quo certius etiam cognoſci poſſet, *num quæ ſit penes hominem libertas.* Et in hac re mirum eſt, quam operoſe verſati ſint tum veteres, tum novi. Nos, ſi quis hæc calumniabitur, libenter & fortiter tuebimur noſtra. Volui enim modo pinguiſſime declinare hominem, & videor mihi, quantum omnino retulit, de hominis partibus diviſſe.

Num voluntas ſit libera.

Pertinet autem ad vim cognoſcendi *lex*, id eſt *cognitio faciendorum*: Ad vim affectuum, *virtus*, *peccatum. Libertas* non dicitur proprie cadere in partem cognoſcentem: verum ea voluntati obtemperans, huc aut illuc rapitur. Eſt autem *libertas*, poſſe agere, aut non agere, poſſe ſic aut aliter agere. Itaque in quæſtionem vocatur, *ſit ne libere voluntas*, & *quatenus libera ſit?*

RESPON. Quandoquidem *omnia quæ eveniunt, neceſſario* juxta divinam prædeſtinationem *eveniunt*, *nulla eſt voluntatis noſtræ libertas* Paul. ad Rom. XI. Quoniam ex ipſo, & in ipſo &c. Ad Epheſ. I. Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ. Matth. X. Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro. Obſecro quid hac ſententia clarius dici potuit? Proverb. XVI. Vniverſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum. Et rurſus XX. A domino diriguntur greſſus viri, quis autem hominum poteſt intelligere viam ſuam rurſum XVI. Cor hominis diſponit viam ſuam. Dominus autem dirigit greſſus eius. Hiere. X. Scio domine, quod non eſt hominis via eius, nec viri eſt, ut dirigat greſſus ſuos. Præterea idem docent divinæ hiſtoriæ. Gen. XV. Necdum completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum. In ſecundo capite primi libri Regum: Et non audierunt vocem patris ſui, quia voluit dominus occidere eos. Quid ſimilius caſui fortuito, quam quod Saul abit, quæſiturus aſinas, & ungitur a Samuele, inauguraturque regno? Rurſum in primo regnorum, cap. X. Abiit cum Saule pars exercitus, quorum tetigerat corda Deus. In tertio regnorum, cap. XII. Non acquievit Rex populo, quoniam averſatus fuerat eum dominus, ut ſuſcitaret verbum ſuum, quod locutus fuerat in manu Ahiæ Silonitæ ad Hieroboam filium Nabath. Et quid aliud in nono capite, & XI. ad Romanos Paulus agit, quam ut *omnia quæ fiunt*, *in deſtinationem divinam* referat? Abhorret ab hac ſententia judicium carnis, ſeu rationis humanæ: contra, amplectitur eam judicium ſpiritus. Neque enim vel timorem Dei, vel fiduciam in Deum certius aliunde diſces, quam, ubi imbueris animum hac de prædeſtinatione ſententia. An non eam ubique in proverbiis inculcat Salomon? ut alias timorem, alias fidem doceat. An non inculcat eam in eo libello, cui Eccleſiaſtæ titulus eſt? Multum enim omnino refert

refert ad premendam, damnandamque humanæ rationis tum ſapientiam tum prudentiam, conſtanter credere, *quod a Deo fiant omnia.* An non hoc uno loco efficaciſſime conſolatur diſcipulos Chriſtus, cum inquit: Omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt. Quid igitur, inquies, nulla ne eſt *in rebus*, ut iſtorum vocabulo utar, *contingentia*, nihil *caſus*, nihil *fortuna? Omnia neceſſario evenire* ſcripturæ docent. Eſto, videatur tibi eſſe in rebus humanis *contingentia*, judicio rationis hic imperandum eſt. Sic Salomon, cum in prædeſtinationis cogitatione verſatus eſſet, inquit: Et intellexi, quod omnium operum Dei nullam poſſit homo invenire rationem eorum quæ ſub ſole fiunt. Sed ineptus videar, qui ſtatim initio operis de aſperrimo loco, *de prædeſtinatione* diſſeram. Quanquam quid attinet in Compendio, primo an poſtremo loco id agam, quod in omnes diſputationis noſtræ partes incidet? Et cum *de libero arbitrio* omnino primo loco agendum eſſet: qui potui diſſimulare *ſententiam ſcripturæ de prædeſtinatione, quando voluntati noſtræ libertatem, per prædeſtinationis neceſſitatem adimit ſcriptura?* Quanquam non omnino nihil puto referre; ſtatim pueriles mentes hac ſententia imbui, *quod omnia eveniant, non juxta hominum conſilia & conatus, ſed juxta Dei voluntatem.* An non hoc Salomon in illis gnomis ſuis, quas pueritiæ ſcripſit, ſtatim a principio monet? Et *quod aſperior paulo ſententia de prædeſtinatione* vulgo *videtur: debemus illi impiæ Sophiſtarum Theologiæ, quæ ſic inculcavit nobis contingentiam & libertatem, voluntatis noſtræ, ut a veritate ſcripturæ molliculæ aures abhorreant.* Proinde ut iis etiam conſulamus, quibus hæc duriora videntur, quæ de prædeſtinatione diximus: ipſam *voluntatis humanæ naturam* propius contemplabimur, ut intelligant ſtudioſi, *non modo in re theologica falſos Sophiſtas, ſed & in naturæ judicio.* Dicemus autem de prædeſtinatione paulo poſt ſuo loco, revelemusque quam licebit breviſſime, quæ *hac de re impie commenti ſunt Sophiſtæ.* Vallam ait *Eccius*, quod ſcholarum ſententiam de libero arbitrio confutarit, plura voluiſſe ſcire quam didiciſſet, ſcilicet *egregie feſtivus nugator.* Quod ſi idem nobis objecerint iſtæ lamiæ, *verſari hominem grammatiſtam in re theologica:* Quid reſponderimus, niſi, ut ne ab auctore rem æſtiment? Nunc enim non referre, quid profiteamur, ſed utrum vera ſint quæ docemus, an contra. Neque vero a nobis aliena cenſeri debet rerum ſacrarum poſſeſſio, niſi non ſumus Chriſtiani: quandoquidem *communis omnium eſſe debet Chriſtiana diſciplina.*

Ridiculum ſcommu Eccii de Valla.

I. Quod ſi voluntatis humanæ vim, pro naturæ captu æſtimes: negari non poteſt juxta rationem humanam, quin ſit in ea *libertas* quædam *externorum operum*, ut ipſe experiris in poteſtate tua eſſe, ſalutare hominem aut non ſalutare, indui hac veſte vel non indui, veſci carnibus aut non veſci. Et in hanc *externorum operum contingentiam* defixerunt oculos *philoſophaſtri*, qui libertatem voluntati tribuere. Verum quia *Deus non reſpicit opera externa, ſed internos cordis motus*: ideo ſcriptura nihil prodidit de iſta libertate. *Qui externa & perſonata quadam civilitate mores fingunt, hujusmodi libertatem docent*, nempe *philoſophi ac recentiores theologiſtæ.*

II. Contra *interni adfectus, non ſunt in poteſtate noſtra.* Experientia enim uſuque comperimus, *non poſſe voluntatem ſua ſponte ponere amorem, odium, aut ſimiles adfectus:* ſed *adfectus adfectu vincitur*, ut, quia lætus ab eo quem amabas, amare deſinis. Nam te ardentius, quam quemvis alium, amas. *Nec audiam Sophiſtas, ſi negent pertinere ad voluntatem adfectus humanos*, amorem, odium, gaudium, moerorem, invidentiam, arbitionem, & ſimiles, nihil enim nunc de fame, aut ſiti dicitur. *Quid* enim *eſt voluntas, ſi non adfectum fons eſt?* Et cur non pro *voluntatis* vocabulo *cordis* nomen uſurpamus? ſiquidem ſcriptura potiſſimam hominis partem *cor* vocat, adeoque eam, in qua naſcuntur adfectus. *Fallunt* autem *ſcholæ, cum fingunt, voluntatem per naturam ſuam adverſari adfectibus*, aut *poſſe ponere adfectum*, quoties hoc monet conſulitve intellectus.

Cordis vocabulo prò voluntate utendum.

III. Quid fitigitur cur ſæpe diverſum ab adfectu homines eligamus? Principio, quod nonnunquam *aliud in opere externo eligimus, quam quod cupit cor ſeu voluntas: fieri poteſt, ut adfectu vincatur adfectus.* Ut negari non poteſt, quin voluptatum amans ſit Alexander Macedo: tamen quia gloria magis ardet, deligit laborem, voluptates adſpernatur, non quod eas non amet, ſed quod vehementius amet gloriam. *Videmus* enim in *aliis ingeniis alios regnare adfectus, ſua quemque cupidine trahi.* In ſordidis ingeniis dominatur habendi cupiditas: in liberalioribus, juxta hominum judicium, famæ ac popularis gratiæ ſtudium.

IIII. Deinde fieri fortaſſe poteſt, *ut prorſus contra omnes adfectus deligatur aliquid.* Quod cum fit *per ſimulationem* fit. Ut cum quiſpiam eum quem ex animo odit, cui ex animo male vult, benigne, comiter, blande tractat, nulla fortaſſe certa cauſa: Is etiamſi non ſentiat, aliquo alio ſe adfectu vinci; Sunt enim ingenia quædam adeò blanda, ut etiam eos, quos oderunt, palpent: Is, inquam, *ſimulat comitatem in externo opere*, in quo ſecundum naturam videtur eſſe quædam libertas. Atque *hæc eſt illa voluntas, quam nobis ſtulti ſcholaſtici finxerunt?* Scilicet vim talem, quæ, ut cunque ſis adfectus, poſſit tamen adfectum moderari temperareque. Ut cum *fictitias ſuas pœnitentias docent. Utut ſis adfectus, cenſent voluntati vim eſſe elicendi*, ſic ipſi loquuntur, *actus bonos.* Si quem odio habeas, poſſe voluntatem ſtatuere, quod hunc porro nolit odiſſe. Sic cum natura ſimus impii, Deique non dico non amantes, ſed prorſus contemptores: docent iſti, poſſe voluntatem elicere, quod Deum porro ſit amatura. Quæſo te, mi lector, *an non putas inſanire, qui talem nobis voluntatem finxerint?* Atque utinam contingat mihi Sophiſta, qui hæc calumnietur, ut poſſim illam *impiam, ſtultam, male philoſophicam de voluntate ſententiam* juſte volumine, & integra diſputatione confutare. Nam cum is qui odit, ſtatuit ponere odium, niſi revera fuerit vehementiore adfectu victus, plane eſt

Fictitii voluntas Scholaſtico-rum.

fictitia

fictitia quædam intellectus cogitatio, non voluntatis opus. Si ſtatuat Paris, ponere Oenones amorem, niſi fuerit victus revera vehementiore adfectu, fucata fallaxque cogitatio intellectus eſt. Fieri poteſt, ut diverſum imperet cum intellectu cor tuum membris exterioribus, linguæ, manibus, oculis, atque eſt adfectus animus: quia *natura mendaces ſumus*: Veluti linguæ oculisque impetrabat Joab, ut quam blandiſſime videretur compellare Amaſan: cordi vero imperare non poteſt, ut ponat adfectum quem concepit. Ponit autem, cum vehementiori cupiditate victus fuerit hic adfectus quo occupatur.

V. *Non negant adfectus ſchola: ſed vocant infirmitatem naturæ*, ſatis eſſe, ſi actus elicitos diverſos habeat voluntas. At ego *nego vim eſſe ullam in homine, quæ ſerio adfectibus adverſari poſſit.* Cenſeoque *actus illos elicitos, non niſi fictitiam cogitationem intellectus eſſe.* Nam cum corda Deus judicet, neceſſe eſt *cor cum ſuis adfectibus* ſummam ac potiſſimam hominis partem eſſe. Alioqui, cur hominem ab imbecilliore parte Deus æſtimaret, & non potius a meliore, ſi quæ voluntas eſt alia a corde, & adfectuum parte melior ac fortior? Quid hic ſophiſtæ reſpondebunt? Quod *ſi vocabulo cordis, quod uſurpat ſcriptura, uti maluiſſemus, quam Ariſtotelico voluntatis: facile caviſſemus hoſtam pingues tam craſſos errores.* Vocabat quidem Ariſtoteles voluntatem, delectum illum rerum in externis operibus, qui fere mendax eſt: Sed *quid ad Chriſtianam diſciplinam externa opera, ſi cor ſit in ſincerum?* Præterea ipſe etiam Ariſtoteles non prodidit *actus illos dicitos*, quos *Scotus confinxit.* Sed nunc non tam ago, ut illos confutem, quam ut doceam te, Chriſtiane lector, quid ſequi tu debeas, *Fateor, in externo rerum delectu eſſe quandam libertatem: internos vero adfectus prorſus nego in poteſtate noſtra eſſe. Nec permitto aliquam eſſe voluntatem, quæ adfectibus adverſari ſerio poſſit.* Atque hæc quidem de hominis natura dico. Nam qui ſpiritu juſtificati ſunt, in iis *adfectus boni cum malis pugnant*, ſicut infra docebimus.

VI. Præterea, *quid attinet iactare externorum operum libertatem, cum cordis puritatem Deus requirat? Phariſaica prorſus traditio eſt, quidquid de libero arbitrio, de iuſtitia operum, ſtulti homines & impii conſcripſerunt.* Jam ubi adfectus paulo vehementior fuerit, fieri non poteſt, quin erumpat, id quod dici ſolet: *Naturam licet expellas furca, tamen usque recurret.* Jam & quam multa fiunt a nobis & in ſpeciem optima, & quæ nos ipſi pro bonis judicamus, quod turpem adfectum non videmus unde proficiſcitur opus? Eſt enim via quæ videtur, inquit Salomon, homini bona, cujus extrema ducunt ad mortem. Et cor hominis pravum & inſcrutabile eſſe, dicit Hieremias Propheta. Et David: Delicta quis intelligit? Et, ignorantias meas ne memineris. Adeo *ad multa adfectus rapit cæcos homines, quæ iudicare plane non poſſumus.* Proinde Chriſtianam mentem *oportet ſpectare, non quale ſit opus in ſpeciem, ſed qualis apud animum adfectus ſit. Non qualis eſt operum libertas, ſed num qua ſit affectuum libertas, Prædicent liberi arbitrii vim Phariſæi ſcholaſtici: Chriſtianus agnoſcet, nihil minus in poteſtate ſua eſſe, quam cor ſuum.* Atque *utinam viderent ſtulti ſcholaſtici, quot animarum millia enecarint phariſaica ſua deuteroſi de libero arbitrio!* Dicemus autem *de affectibus* plura mox, ubi de *peccato originali* agemus.

SUMMA.

SI ad prædeſtinationem referas humanam voluntatem: nec in externis, nec in internis operibus ulla eſt libertas, ſed *eveniunt omnia iuxta deſtinationem divinam.*

Si ad *opera externa* referas voluntatem: quædam videtur eſſe, judicio naturæ, libertas.

Si ad *affectus* referas voluntatem: nulla plane libertas eſt, etiam naturæ judicio.

Jam ubi adfectus cœperit furere & æſtuare: cohiberi non poteſt, quin erumpat.

Vides lector, quanto certius de libero arbitrio ſcripſerimus, quam vel Bernhardus vel ulli ſcholaſtici. Porro hæc, quæ hactenus diſputavimus, ſubinde clareſcent in reliquis Compendii noſtri locis,

DE PECCATO.

Mire obſcurarunt & hunc locum Sophiſtæ, cum de relationibus rationis in peccato diſputarent, cum diſtinguerent de actuali peccato & originali, & alia multa, quæ ſupervacaneum eſt recenſere. Quid enim attinet, in Compendio *omnia omnium ſomnia* referre? Nos rem paucis agemus, uſurpabimusque vocem *peccati* ſcripturæ more.

QVID PECCATVM.

Peccatum originale eſt nativa propenſio & quidam genialis impetus & energia, qua ad peccandum trahimur, propagata ab Adam in omnem poſteritatem. Sicut in igni eſt genuina vis, qua ſurſum fertur, ſicut in Magnete eſt genuina vis, qua ad ſe ferrum trahit: ita eſt *in homine nativa vis ad peccandum. Scriptura non vocat hoc originale, illud actuale peccatum: Eſt enim & originale peccatum plane actualis quædam prava cupiditas:* Sed tam actuale quam originale vitium, *peccatum* ſimpliciter vocat: quanquam nonnunquam ea quæ nos actualia peccata, vocet fructus peccati, ut ad Romanos Paulus ſolet. Et David, quod originale nos, alias curvitatem, alias iniquitatem adpellat. Nec eſt, quod hic *de illis ſtultis relationibus in peccato*, diſputemus. Pravus adfectus, pravusque cordis motus, eſt contra legem Dei, peccatum.

VNDE Peccatum orig.

II. DEus Opt. Maxim. cum condidiſſet hominem ſine peccato: aderat ei per ſpiritum ſuum, qui hominem ad recta inflammaret. Idem ſpiritus gubernaturus erat omnem Adæ poſteritatem, niſi lapſus fuiſſet Adam. Jam, poſteaquam deliquit Adam, auerſatus eſt Deus hominem, ut non adſit ei gubernator Dei ſpiritus. Ita fit, ut anima, luce, vitaque coeleſti carens, excoecetur, & ſeſe ardentiſſime amet, ſua quærat, non cupiat, non velit, niſi carnalia, contemnent Dei: & qui poſſum ego verbis conſequi, humani cordis pravi-

pravitatem? Fieri enim nequit, quin ſeſe maxime amet creatura, quam non abſorpſit amor Dei. Fieri nequit, ut ſpiritalia amet caro. Sic enim in Geneſi legitur: Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt. Et apud Paulum ad Rom. cap. VIII. Qui ſecundum carnem ſunt, id eſt, qui ſine ſpiritu Dei ſunt, (Nam vel ex illo geneſis loco liquet, carnem eſſe vires humanas, ſine Dei ſpiritu) quæ carnis ſunt adfectant. Et rurſus, Adfectus carnis inimicitia eſt adverſus Deum. Itaque cum tradunt Sophiſtæ, Peccatum originale eſſe juſticiæ originalis carentiam, ſic loquuntur ipſi, recte dicunt. Sed cur non addunt, ubi non eſt originalis juſtitia, ſeu ſpiritus, ibi eſſe revera carnem, revera impietatem, revera contemptum rerum ſpiritualium. *Primus itaque adfectus & ſummus naturæ hominis, eſt amor ſui, a quo rapitur, ut velit, deſideretque ea tantum quæ ſuæ naturæ bona, jucunda, dulcia, glorioſa videntur, odio habeat, & formidet eam, quæ naturæ adverſa videntur, averſeturque eum, qui arcet ab iis quæ cupit, aut qui præcipit ea ſectari, ea quæri, quæ diſplicent.* Proh quam hominum incomprehenſibilis miſeria eſt. Hinc in homine Dei & Legis divinæ odium oritur. Hinc homini, ut mox latius explicabimus, ignis conſumens Deus eſt.

Ubi non eſt ſpiritus Dei, ibi omnia vitia.

III. *Eſſe* vero *peccatum originale*, Pelagiani negaſſe feruntur; quorum dogma revellit *Auguſtinus* aliquot voluminibus erudite. Nam *in hac diſputatione, potiſſimum regnat: ita, ut cætera fere quæ præter Pelagianam cauſam ſcripſit, frigidiora videantur.* Nos ſubjiciemus locos aliquot, teſtantes, *eſſe peccatum originale.* Et quid potuit clarius dici eo, quod eſt ſcriptum ad Epheſios ſecundo capite: *Eramus naturæ filii iræ, ſicut & cæteri.* Quod ſi natura ſumus filii iræ, certe naſcimur filii iræ. Quid enim ibi aliud agit Paulus, quam omnes vires noſtras peccato obnoxias naſci, nihil ullo tempore in ullis hominum viribus boni eſſe. Capite quinto ad Romanos inſtituit diſputationem de peccato, gratia, & lege, ubi peccatum docet propagatum in omnes homines. Quomodo vero propagatum eſt unius peccatum, ſi non ab uno omnes naſcuntur peccatores? Neque vero negari poteſt, quin de originali peccato eo loco Paulus diſſerat. Nam, ſi de ſuo cujusque peccato loqueretur, non poſſet dicere, *unius delicto multos mortuos eſſe*: quod de actuali, quod vocant, peccato non poſſe dici, quis non videt? niſi calumniari quis textum velit. Jam, ſi non eſt auctor peccati Adam, non erit ſolus Chriſtus auctor juſtitiæ, ſed etiam Adam. Item, ſi de ſuo cujusque peccato loquitur, cur pueri moriuntur, qui nondum admiſerunt peccatum, quod vocant, actuale? Et cum non niſi per peccatum mors irrumpat: neceſſe eſt pueros peccati reos eſſe, peccatumque habere: at, quod? certe originale. Loquitur autem Paulus *de eo peccato, per quod omnes morti adjudicati ſunt.* Quin conſideramus Paulini ſermonis figuram. Perinde enim atque hic ad Romanos, alias etiam Corinthiis ſcribit: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificabuntur.* Huc pertinet Prophetæ exclamatio: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Significat enim David, ſe natum eſſe peccatorem. Præterea, ſi *omne deſiderium cogitationum humani cordis vanum eſt & pravum omni tempore*, ut Geneſis VI. ſcribitur: neceſſe eſt cum peccato naſcamur. Jam ſi in *Chriſto* omnes benedicimur; neceſſe eſt *in Adam* maledicti ſimus. At, quid eſt maledici, niſi peccati nos damnari? Huc pertinent immundiciæ in typis legis, huc pertinent cædes primogenitorum Ægypti. Et quid attinet multis rem agere, cum Chriſtus apud Johannem ſatis clare dicat: *Quod ex carne natum eſt, caro eſt*: ſi caro eſt, ut ſupra monuimus, ergo ſua quærit, ſeſe amat. Quod ſi non eſt obnoxia peccato prima nativitas, quid attinet *renaſci*? Imo ſi carnis nativitas bona eſt, quid attinet *renaſci ex Spiritu?*

IV. VIS PECCATI ET FRVCTVS.

MInore negotio Pelagiani veteres revelli poſſunt, quam noſtrorum temporum novi Pelagiani, qui etſi non negent eſſe peccatum originale, negant tamen, *eam eſſe vim peccati originalis, ut omnia hominum opera, omnes hominum conatus, ſint peccata.* Proinde de vi energiaque peccati originalis paulo copioſius dicemus. Vivax quædam energia eſt peccatum originale, nulla non parte noſtri, nullo non tempore fructum ferens, vitia. Quando enim hominis animus non æſtuat malis cupiditatibus? in quibus quæ teterrimæ ac foediſſimæ ſunt, ne deprehenduntur quidem. Avaritiam, ambitionem, odium, invidentiam, æmulationem, libidinum flammas, iram, quis eſt, qui non aliquando ſentiat? arrogantiam, faſtum, tumorem phariſaicum, contemptum Dei, diffidere Deo, blaſphemiam, principes adfectus, rari ſentiunt. Sunt qui in ſpeciem vivunt honeſtiſſime, & Paulus ſe ita vixiſſe ante cognitum Chriſtum teſtatur, ut reprehendi non poſſet. Hi non habent quod glorientur; ſiquidem animi ſunt obnoxii turpiſſimis illis atque miſerrimis adfectibus, quos non ſentiſcunt. Quid enim, ſi aliquando, ut in morte, aperiat illis oculos Deus, ut ſua vitia, ſuos morbos ſanctuli cognoſcant. Nonne intelligent id, quod eſt apud Eſaiam? *Omnem gloriam carnis eſſe ceu gloriam fœni.* Vides, quam profunda ſit, immo quam inperſcrutabilis malitia humani cordis. Et Sophiſtas noſtros nondum pudet, docere *operum juſticiam*, docere ſatisfactiones ac *philoſophicas virtutes.* Eſto, fuerit quædam in Socrate conſtantia, in Xenocrate caſtitas, in Zenone temperantia: tamen, quia *in animis impuris* fuerunt, immo, quod *amore ſui* ex philautia oriebantur *iſtæ virtutum umbræ*, non debent pro veris virtutibus, ſed pro vitiis haberi. Tolerans fuit Socrates, ſed amans gloriæ, aut certe placens ſibi de virtute. Fortis fuit Cato, ſed amore laudis. Effundit autem hujusmodi virtutum umbras Deus in gentes, in impios in quosvis, non aliter atque formam, opes, & ſimilia dona largitur. Et cum hanc externam virtutis perſonam ac larvam miretur tota humana ratio: pſeudo-Theologi noſtri

Virtutum umbræ in gentibus, non virtutes.

falſi cæco naturæ judicio commendarunt nobis philoſophica ſtudia, *philoſophicasque virtutes & operum externorum merita.* At, quid in univerſum docent Philoſophi, ſi qui optime docent, niſi *fiduciam & amorem noſtri*? M. Cicero in finibus bonorum & malorum, omnem rationem virtutis, ab amore noſtri, & philautia æſtimat. Quantum in Platone tumoris eſt & faſtus? Neque facile fieri mihi poſſe videtur, quin ab illa Platonica ambitione contrahat aliquid vitii, ſi in illius lectionem inciderit, ingenium per ſeſe altum & vehemens. *Ariſtotelis doctrina eſt in univerſum quædam libido rixandi, ut eum in paræneticæ philoſophiæ ſcriptoribus ne poſtremo quidem loco numerare conveniat.* Sed de philoſophia poſthac in legum ratione dicemus.

V. Et ut rem omnem velut in compendium cogam, *omnes homines per vires naturæ vere, ſemperque peccatores ſunt, & peccant.* Geneſis VI. Omne deſiderium cogitationum cordis humani vanum & pravum omni tempore. Et repetita eſt eadem ſententia in capite octavo: *Senſus & cogitatio humani cordis prava a pueritia.* Ubi nos legimus, prona eſt ad malum, quod quanquam non multum a ſententia abſit, tamen uti malebam germana lectione, quod clarior ſit, ſimpliciter adfirmans, hominem pravum eſſe. Ne quis mihi Thomiſta eludat Moſen, quod cum pronitas ſeu inclinatio non ſit actus, non poſſit eſſe peccatum: ſic enim philoſophantur ſtolidi Sophiſtæ. Eſaiæ IX. Omnes hypocritæ ſunt & nequam, & univerſum os locutum eſt ſtultitiam. Rurſum Eſaiæ XLI. Ecce omnes vani, & vana opera eorum, ventus & inane conſilia eorum. Iterum, Eſaiæ LIII. Omnes nos quaſi oves erravimus, unusquisque in viam ſuam declinavit: Et, poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum. Quo loco Propheta luculento vaticinio & hiſtoriam paſſionis Chriſti, & fructum expoſuit, cum prædixit, talia paſſurum Chriſtum, ut omnium hominum videri poſſit abjectiſſimus, at ideo paſſurum, ut juſtificet multos, ſiquidem omnes plane peccatores ſimus, nec aliunde juſtificemur niſi per fidem in Chriſtum. Et de iis qui ſuis viribus ac operibus juſtificari volunt non per fidem in Chriſtum, inquit: dabit impios pro ſepultura, & divites pro morte ſua. Item, fortium dividet ſpolia. Nam impii, divites, fortes, plane ſunt iſti humanæ juſtitiæ, liberi arbitrii, philoſophicarum virtutum, breviter humanarum virium adſertores, ignari Chriſti. Vides, quam brevi concione totam Evangelii vim deſcripſerit Eſaias. Tu vero Chriſte, ſpiritum imperti tuum, qui hæc nobis aperiat & explicet myſteria. Jam & Davidem audiamus, qui, cum idem plerisque locis ſentiat, ut, cum ait: *omnem hominem mendacem eſſe*, tamen toto pſalmo XIII. hoc intonat, cum inquit: Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus, corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis. Non eſt, qui faciat bonum. Dominus de coelo proſpexit ſuper filios Adam, ut videat, num ſit intelligens aut requirens Deum. Omnes defecerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt ne unus quidem &c. Ecce non accuſat hominem ſimplicium vitiorum, ſed atrociſſimorum ſcelerum, impietatis, incredulitatis, inſipientiæ, odii & contemptus Dei, quæ vitia, deprehendere nemo poteſt præter Spiritum. Quid hic, hypocritæ theologiſtæ? quæ nobis opera liberi arbitrii, quas humanas vires prædicabitis? peccatum originale fingitis non negari a vobis, & tamen docetis poſſe hominem ſuis viribus aliquid boni facere. Num arbor mala bonum fructum ferre poteſt? An non videtis, ut hic propheta arborem cum fructibus deſcripſerit, cum non modo de corde inſipientis, ſed & de omnibus hominis ſtudiis, conſiliis, deſideriis, operibus, conatibus loquitur? Vides autem, *quanto diſcrimine de homine judicent Philoſophia, ſeu humana ratio, & ſacræ literæ. Philoſophia non reſpicit niſi externas hominum larvas. Sacræ literæ penitiſſimos & incomprehenſibiles adfectus obſervant*, quibus cum regatur homo, *de operibus pro adfectuum ratione judicant.* Et cum in omnibus operibus noſtra quæramus: neceſſe eſt ea revera peccata eſſe: Et ut non dicam interim de craſſiſſimis cupiditatibus, nonne eorum, qui in ſpeciem bene vivunt, alius ad hujusmodi mores trahitur faſtidio rerum humanarum, alius metu fortunæ, alius ambitione, alius amore tranquillitatis? nam hæ cauſæ melioris in ſpeciem vitæ & quondam fuere philoſophis, & nunc ſunt plerisque hominibus. Alius ſimulato quodam poenarum divinarum metu, alii aliis cauſis: quis enim labyrinthum humani cordis poſſit explicare? maxime, cum *tanta* ſit *adfectuum, quanta ingeniorum diverſitas.* Quis eſt autem omnium hominum ſecundum naturam, qui non malit licere indulgere genio, qui non ægre ferat coherceri lege? Quod ſi nunc non ſentis, nihil refert; Erit enim cum certiſſime ſenties, quam indignetur animus cupiditates ſuas lege coherceri. Præterea Johannis. 1. Quotquot receperunt, dedit eis poteſtatem, filios Dei fieri, iis, qui credunt in nomine ejus, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Vides damnari ſanguinem, voluntatem viri, voluntatem carnis, hoc eſt, omnino quidquid eſt virium naturæ: ex Deo vero filios renaſci. Et ut multos locos præteream, quos ſtudioſus lector per ſeſe obſervabit: Joh. XV. Sicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis.

Obiter incidit confutandum, quod impii iſti Sophiſtæ hic ogganniunt: cum diluunt has tam claras ſententias, verum eſſe, *hominem ſecundum naturam non poſſe bene agere*, meritorie: Sic enim loquuntur. Itaque duplex bonum fingunt, meritorium, & non meritorium: & in hoc tantum, ne *philoſophicas liberi arbitrii virtutes*, externas iſtas virtutum umbras, oporteat eos vitii arguere. O impietatem! An non eſt hæc illa κυβεία verborum, fingere bonum, alias meritorium vitæ æternæ, alias non meritorium? Tu vero certo ſic ſentias, *nihil neque boni neque meritorii fieri poſſe ab homine, per vires naturæ.* Quando quidem dicit ſcriptura: Omne deſiderium cogitationum cordis humani vanum eſſe & pravum. Certe, quod vanum eſt & pravum, id non modo non eſt meritorium vitæ æternæ: oportet enim uti me illorum verbis: ſed nec bonum. Sic David: Omnis homo mendax. Eſaias: omnes ſunt hypocritæ, & pravi & univerſum os locutum eſt ſtultitiam.

titiam. Ecce, non modo non meritorium dicit, ſed plane malum. Porro ex his, quæ & hactenus tractavimus, & paulo poſt adnotabimus, hoc genus illorum nugas facile quisque per ſeſe confutabit. Impii Sophiſtæ *non æſtimabant ab adfectibus cordis opera, ſed philoſophico more de iis judicabant*, quod in cauſa fuit, cur hallucinarentur.

Jam Paulus in omnibus fere Epiſtolis, maxime vero in iis, quæ ad Romanos & Galatas ſcriptæ ſunt, quid in univerſum aliud agit, quam ut doceat, peccata ſeu vitia eſſe, omnia opera & omnes conatus virium humanarum? Habes caput ad Romanos tertium, ubi ait: omnes homines ſub peccato eſſe, idque magnifice & ſplendide e prophetarum teſtimoniis docet. In capite octavo, poſtquam diſputaverat, non poſſe legem a nobis fieri, confert carnem & ſpiritum: Docens, carnem eſſe prorſus obnoxiam peccato, ſpiritum autem eſſe vitam & pacem. Hic Sophiſtæ vocant carnem adpetitum ſenſitivum, obliti phraſeos ac tropi ſcripturæ. Non enim corpus, partem hominis, ſed totum hominem, tam animam quam corpus, Scriptura voce carnis ſignat: & quoties cum Spiritu confertur, ſignificat optimas naturæ humanæ ac præſtantiſſimas vires citra ſpiritum ſanctum. Rurſus ſpiritus ſignificat ipſum ſpiritum ſanctum, & ejus motiones atque opera in nobis. Sic Johan. III. Quod natum eſt ex carne, caro eſt: quod natum eſt ex Spiritu, ſpiritus eſt. Et Johan. octavo: Vos ſecundum carnem judicatis. Et Geneſis VI. Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt. Oportet ergo intelligamus carnis vocabulum de omnibus humanæ naturæ viribus. Alioqui non conſiſtent Pauli argumenta in tota Epiſtola ad Romanos. Sic enim ſolet argumentari: Caro non potuit legem implere, ergo ſpiritu eſt opus, qui impleat. Ibi ſi carnem pro parte hominis tantum uſurpemus, quomodo conſiſtet Pauli Enthymema? Poſſet enim eludi ad hunc modum: Etſi caro legem facere non potuerit, potuiſſe tamen meliorem aliquam hominis partem, atque ita ſpiritu non fuiſſe opus ad implendam legem.

Caro ſignificat corpus & animam, adque omnes vires naturales.

Verum, dedidicimus non modo Scripturæ ſententiam ſed & ſermonem, doctoribus philoſophaſtris: &, ut in Esdra legitur, alienigenas uxores duximus, & earum linguam pro noſtra uſurpavimus. Itaque carnis vocabulo utere & pro optimis humanæ naturæ viribus, & pro pulcherrimis illius conatibus. Carnis fructus eſt, tam ſpecioſa illa Socratis aut Catonis virtus, quam Cæſaris parricidia. Tam carnis fructus ſunt ſpecioſiſſimæ Pauli virtutes, quibus præditus erat, priusquam Chriſtum agnoſſet, quam Clodiana adulteria. Jam quod hic vocamus *carnem*, ſolemus alias nuncupare *veterem hominem*, qui itidem ſignificat, *quidquid eſt virium humanæ naturæ*. Id quod ipſum vocabulum palam arguit. Nam communi ſenſu carere videatur, qui hominis partem modo, adpellatione *veteris hominis* notari velit. Quis enim, audito hominis vocabulo, corpus tantum intellexerit? Uſurpat autem promiſcue Paulus *veteris hominis*, *carnis*, & *corporis peccati*, voces. Jam & *exterior homo* ſignificat prorſus id, quod *vetus homo*, ſeu caro, hoc eſt, non modo partes hominis exteriores, ſed *omnes hominis naturales vires*. Et de partitionibus quidem hominis infra, ubi de gratia egero, plura dicam. Nunc ſatis ſit admonuiſſe, quid *caro* ſignificet. Falluntur enim, qui in homine, quem non inſtauravit purgavitque Spiritus ſanctus, eſſe cenſent quidpiam, quod non poſſit caro, adeoque vitioſum dici. Proinde ut Paulinam ſententiam de naturalibus hominis viribus excutiamus, verba illius ſubjicio: *Impoſſibilitatem legis (quia infirma erat per carnem) Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut juſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum.* Hactenus propoſuit Paulus ſummam cauſæ, nempe, quod cum impoſſibile ſit legem fieri a nobis, quia carnales ſumus, miſerit Deus filium, ut legi ſatisfaceret per nos, dum carne mortui, ſpiritu vivimus. Quæſo hic quid vocat carnem? Nam cum palam ſit ſpiritum vocari ſpiritum ſanctum & ejus motiones ac impulſus, conſequitur neceſſario, ut carnem voces quidquid in nobis eſt a ſpiritu ſancto alienum. Porro propoſitæ ſententiæ rationem reddit Apoſtolus: Qui ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt adfectant, qui vero ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus adfectant. Nam *adfectus carnis mors eſt, Adfectus autem ſpiritus vita & pax.* Ecce, quare legi non poſſit per carnem ſatisfieri: Quia qui ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt adfectant: quaſi diceret: Vos phariſæi & hypocritæ legem viribus veſtris fieri poſſe cenſetis. Bene in ſpeciem operari videmini, videmini præditi pulcherrimis virtutibus. Sed ea omnia fucus ſunt. Nam *cum caro ſitis, veſtra quæritis, vel metu poenarum, vel amore commodi, vel alio quopiam carnali adfectu beneſacitis in ſpeciem.* Neque fieri poteſt, ut ſit in vobis Dei ſenſus aliquis, cum caro ſitis. Adeo nec quæ Dei ſunt cupere & adfectare poteſtis, quis eſt enim, quantumvis bonus videatur in ſpeciem, qui ſic amet Deum, ut ſi ille velit, libenter mortem & inferos perferat? Dici non poteſt, quam multa, quam grandia, Apoſtolus tam brevi verſiculo comprehenderit: *Qui ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt adfectant*: Contra *qui ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſpiritus ſunt, adfectant*, id eſt, in quos ſpiritus ſanctus effuſus eſt, in iis eſt ſenſus Dei, fiducia in Deum, amor Dei, ſicut econtra in carne, non niſi contemptus & odium Dei. Id quod vult Apoſtolus cum ait: *Adfectus carnis mors eſt, adfectus autem ſpiritus vita & pax.* Et ſequitur: *Adfectus carnis inimicitia eſt adverſus Deum*, legi *enim Dei non eſt ſubditus, neque vero poteſt ſubdi.* Vide quæſo Paulinum Epilogum, cum ita finit: Vim omnem carnis noſtræ eſſe inimicam Deo, nec poſſe legi Dei ſubjici. Quod ſi non poteſt legi Dei ſubjici, quid dubitamus, quos fructus ferat? Jam non modo, inquit, non ſubjicitur legi Dei, ſed & ne poſſe quidem legi ſubjici. Conſequitur itaque, *omnia hominum quantumvis laudabilia in ſpeciem opera, plane vitioſa eſſe, & morte digna peccata.* Huc adferant, ſi libet, Sophiſtæ frivolas ſuas diſtinctiunculas de carne & ſpiritu, de bono & meritorio,

& quidquid eſt ſimilium nugarum, ut hanc nobis Pauli ſententiam extorqueant. Quid enim clarius eſt, quam quod ait Paulus: non impleri juſtificationem legis, niſi in iis, qui ſecundum ſpiritum ſunt. Ergo qui non ſunt perfuſi ſpiritu ſancto, non ſatisfaciunt legi. At *legem non facere, quid aliud eſt, quam peccare?* Siquidem peccatum eſt omnis motus & impulſus animi, adverſus legem.

Proinde cum Sophiſtæ docent, peccatum originale eſſe, excidiſſe favore Dei & carere originali juſtitia, debebant addere, quod, cum abſit a nobis Dei ſpiritus & benedictio, maledicti ſimus, cum lux abſit, eſſe in nobis nihil niſi tenebras, coecitatem & errorem: Cum abſit veritas, nihil in nobis eſſe niſi mendacium: Cum abſit vita, nihil eſſe in nobis, niſi peccatum & mortem. Sic Paulus exponit, quid vocet *filios iræ*, in ſecundo capite ad Epheſios: *Et nos omnes aliquando converſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus natura filii iræ.* Infra, ubi de legis viribus diſſeremus, pleraque ad hunc quoque locum accommodari poterunt, ideo non libet diutius hic immorari. Quæ enim vis peccati ſit, tum demum cernitur, cum lex revelatur, quæ omnes homines peccati arguit. Concluſit enim omnia ſcriptura ſub peccato, ut ad Galatas ſcribit Apoſtolus ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus. Et ex his, quæ hoc loco diſputavimus, colligere potes, quid ſit de humanis ſentiendum, Num qua ſit libertas, quam jactant Theologi, vere liberi arbitrii, quia pro ſuo arbitrio ſine ſcriptura, quidvis decernunt. Quæ enim poteſt eſſe ſine ſpiritu libertas, cum ille tyrannus noſter, peccatum in carne noſtra, etiam negotium faciat viris exundantibus ſpiritu? Quis enim ſanctorum fuit unquam, qui non deploraverit hanc ſervitutem, immo captivitatem? Et Paulus cap. VII. ad Romanos: Videre ſe ait legem in membris ſuis, repugnantem ſibi, & captivantem ſe. Ea lex membrorum, ſeu tyrannis peccati, ardor & impetus eſt peccati, quod nobis congenitum eſt. Et de his quidem infra, qui partim ſpiritu juſti, partim carne peccatores ſunt.

Hinc item conſequitur, impoſſibilia, ut infra diſputabimus copioſius, præcepta eſſe. Id quod ex eo loco, quem ſupra produximus ex octavo capite ad Romanos: Non poſſe carnem legi Dei ſubjici, ſatis adparet. Item ex eo quod ibidem dicitur: Impoſſibile erat legi juſtificare; id eſt, non ſatis erat lex, quæ oſtenderet, quid faceremus. Sed oportuit etiam ſpiritum conferri per Chriſtum, qui nos ad legem amandam inflammaret. Et *hic ruit illa philoſophiæ moralis, & liberi arbitrii Theologorum ſententia, impia et ſtulta, quam plenis buccis nunquam non intonant Scotiſtæ.* Voluntatem poſſe ſe conformare omni dictamini rectæ rationis, id eſt, voluntatem poſſe velle, quidquid recta ratio, rectum conſilium intellectus præſcribit. Contra Paulus inquit: Legi impoſſibile fuiſſe juſtificare, id eſt, non fuit ſatis præſcribere legem, quid ageremus, quod caro infirma eſſet, & averſaretur legem. Sed hic impegerunt, quod *novam quandam voluntatem finxerunt, quæ haberet actus elicitos, quorſumcunque traheret adfectus.* Quodſi ſcripturæ ſermonem ac phraſin obſervaſſent, facile vidiſſent *mendacia & vanas cogitationes intellectus eſſe, quæ confinxerunt de actibus elicitis.* Poſſunt enim impelli exteriora membra alio nonnunquam, quam quo trahebat adfectus: Sed hoc cum fit, per ſimulationem ac mendatium fit.

Voluntas ſcholaſtica eſt figmentum.

Non poſſum hic mihi temperare, quamquam de vi legis poſtea ſim dicturus abunde, quin obiter indicem Chriſtiano lectori *fœtus, inſulſus & impias Sophiſtarum argutias,* quibus probant poſſe nos per vires naturæ diligere Deum. Sic enim argutantur: *Diligi poteſt minus bonum,* nempe creatura quæpiam, *poſſe igitur & maius bonum diligi.* Scilicet hic eſt ſermo Chriſtianorum, quem Paulus vult eſſe ſale conditum. Adeo *hoc eſt & feſtivum & mere Ariſtotelicum,* & *Ariſtotelicis dignum Theologis commentum.* Primum ea eſt amoris natura, ut non amemus, niſi quæ nobis bona, tum jucunda, tum commoda videntur, adeoque quidquid amamus, noſtri commodi, reſpectu amamus. Amas opes, amas pecuniam, non quod ipſa per ſe ſe bona res ſit, ſed quod uſibus vitæ tuæ ſervitura videtur. Sic Deum non amas, quantumvis bonum, niſi tuis rationibus tibique utilem eſſe ſentias tam etiam ſi hac ratione reſpectu tui commodi amares, ſerviliter amares, & pravo perverſoque adfectu naturæ, planeque peccares. At ne ſic quidem unquam amas: neque enim ex Deo ulla commodæ ſentiuntur, niſi per ſpiritum ſanctum jam cor ſit purificatum, & inſculpta ſit puro pioque cordi Dei beneficentia. Quid autem, cum conſcientia tibi Deum oſtendit iratum, interminantem perpetuam mortem & illud horrendum tempus vultus ſui? ſic David ait: Hic cum, non bonorum ſed malorum tantum ſenſu, nempe poenarum, quæ a Deo infliguntur, tangatur, quæ ſo eo poteſt advertere animum natura humana, ut amet, ut benigne ferat etiam inferorum poenam? Atqui ubi conſcientia perculit animum, jam ita averſatur, & exhorret Deum ut carnificem crudelem, & vindicem, &, quod eſt atrociſſimum, iniquum. Hic Sophiſtæ quid illi veſtri *actus eliciti,* quid illa egregia veſtra voluntas, quam finxiſtis, efficiet? Annon ille iræ dies, ille ignis declarabit, *nihil niſi mendacium & ceruſſam eſſe humanas illas liberi arbitrii juſtitias?* & omnem gloriam carnis, eſſe veluti fœni gloriam. Nonne ignem ac caliginem, imo ipſam etiam Moſi faciem reformidabat Iſrael, cum lex promulgaretur? Nonne commota eſt, & contremuit terra, & fundamenta montium conturbata ſunt & commota, quoniam iratus eſt eis Deus? Sed hac de re infra, ut ſpero, multa ſatis dicemus, ubi de legis vi diſſeretur. Habes lector hic primum, non amari, niſi quæ commoda ſunt. At *Deus nullius commodi reſpectu amari vult, ſed liberaliter. Neque enim Deum amat, ſed ſeſe, qui commodum amat.* Et contra pravum hunc amorem quam multa paſſim Scripturæ monent? Subiicienda eſt & *alia quædam argutia* non admodum huic abſimilis: Non abſurdum

Non ferens ignem ſeu gloriam vultus Dei humanæ juſtitia.

Voluntas falſo dicitur ſe poſſe conformare omni dictamini rationis.

dum videri debere, quod docent, citra ſpiritus ſancti operam, poſſe nos ardentius amare Deum, quam nos ipſos quandoquidem ſæpe etiam pro caducis rebus, pro hominibus, pro amoribus, pro liberis, pro coniugibus mortem obimus. Hic quid reſponderi debeat ex ratione affectuum colligendum eſt. Primum enim nemo gaudet mori per naturam, & quorum vita pro Repub. pro re familiari periclitatur, illi ipſi plane mallent vivere. Mallet enim vivere Curtius mallet vivere Lucretia. Sed quia adeo refugit aduerſa natura humana, malumus non eſſe, quam male eſſe, quam algere. Mallet vivere Pyramus, ſed quia infelicem ſibi vitam arbitratur futuram, ſine Thisbe vult abrumpere id mali, & velut una cum anima ponere. Mallet vivere Saul, ſed metu dedecoris, & ira & deſperatione, velut ſemel finiturus cum vita omnia adverſa, abrumpit vitam. Sed quid ego exactum adeo affectuum rationem reddere contendo, cum raræ iſtæ neces, qualis eſt Lucretiæ, Saulis, & ſimilium ſint mirabilia divinæ majeſtatis exempla.

De merito congrui. Jam quæ prodidere Sophiſtæ, *de merito congrui*, ſcilicet, quod ex operibus moralibus, id eſt, quæ viribus naturæ noſtræ faciemus, *de congruo*, ſic loquuntur, mercamur gratiam: Ipſe lector, intelligis *Blaſphemias eſſe, in injuriam gratiæ Dei ementitas*, Etiam cum naturæ humanæ vires citra Spiritus Sancti adflatum, non poſſint, niſi peccare, quid merebimur noſtris conatibus niſi iram? *Simulationes, & mendacia ſunt illi actus eliciti*, illa fictitia propoſitæ, illæ, quas falſo vocant bonas, intentiones, quas præſcribunt Sophiſtæ. Quare tantum abeſt, ut gratiam per eas impetremus, ut nihil ſit quod perinde gratiæ adverſetur, atque illæ Phariſaicæ præparationes. Porro hanc impietatem pertinaciſſime inſectatur Paulus, cum alias, tum in tota ad Romanos Epiſtola, non aliud agens, niſi gratiam non eſſe gratiam, ſi pro operibus detur. Qui eſt enim miſericordiæ locus, ſi reſpectus eſt noſtrorum operum? Quæ eſt gratiæ gloria, ut Paulinis verbis utar, ſi debetur noſtris operibus? Palam capite tertio Paulus ad Romanos docet: Et omnes homines ſub peccato eſſe, & gratis juſtificari eosque credunt. Quid, quod in capite nono ait? *Iſrael ſectando legem, ad legem juſtitiæ non perveniſſe*, id eſt, eos, qui ſui liberi arbitrii viribus aggrederentur legem facere, nunqam facere legem, ſed ſimulare tantum in ſpeciem. Eſaias Propheta cap. LV. ad Chriſtum invitat gratis empturos quosvis. Venite, emite absque argento & absque ulla commutatione vinum & lac. Quare adpenditis argentum, non in panibus, & laborem veſtrum in ſaturitate? id eſt, quare fiditis veſtris operibus? quæ fruſtrabuntur vos. Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra. Inclinate aurem veſtram id eſt, CREDITE, & vivet anima veſtra, & feriam vobiſcum pactum ſempiternum, MISERICORDIAS DAVID FIDELES, id eſt, promittam miſericordiam Davidi fidelem, id eſt, ratam. Hierem. XVII. *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & a Domino reddit cor eius*: Erit enim quaſi myricæ in deſerto, & non videbit cum venerit bonum, ſed habitabit in ſiccitate in deſerto, in terra ſal ſuginis & inhabitabili. Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit dominus fiducia ejus, & erit quaſi lignum quod transplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas, &, cum venerit æſtus, non timebit &c. Vide reliqua. Nam vel unum illud ejus Prophetæ caput ſatis clare coarguerit, *nihil eſſe opera moralia niſi ſimulationes & mendacia carnis noſtræ*: Huc pertinet *quod Scholaſtica theologia de pœnitentiæ initio, deque attritionibus conſinxit*. Neque enim de commiſſo dolet naturæ niſi amore ſui, metuque pœnæ: qui amor ſui & metus pœnarum ſunt plane peccata, & impoſſibile eſt quin adferant ſecum odium ejus, qui pœnas infligit, nempe Dei. Peculiare vero Dei opus eſt, peccati in nobis cognitio & odium. Deducit enim Dominus ad inferos ad reducit, Dominus mortificat & vivificat, Dominus humiliat & ſublevat, ait Hanna in cantico, I. Reg. II. Et Propheta Hierem. Poſtquam convertiſti me, egi pœnitentiam &c. Porro, quid attinet hic immorari, cum planiſſime dictum ſit a Chriſto Joh. VI. Nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit eum. Quod vero obiiciunt ſententiam Domini apud Zachariam, *ignaris troporum & figurarum ſacri ſermonis ſophiſtæ*: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos: non efficit, pœnitentiæ initium in nobis eſſe poſitum. Excuſſit autem hanc ſententiam Auguſtinus non uno loco: *neque* vero *obſcura eſt, niſi Sophiſtis, qui præter parva logicalia aliud non dedicerunt*. Duplex eſt converſio Dei ad nos, altera præit reſipiſcentiæ noſtræ, altera ſequitur. Quæ præit, ea ſit cum Deus nos reſipiſcere facit afflatu Spiritus ſui, cum oſtenſo peccato nos terret, conturbatque. At, quæ ſequitur converſio, fit, cum modum finemque pœnarum facit, conſolatur nos, declaratque palam, ſeſe favere nobis. De poſteriore loquitur Zacharias cum inquit; *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, id eſt, reſipiſcite, & ego pœnarum finem faciam. Hortatur enim Propheta eos, qui jam ab exilio Aſſyrio redierant in Judæam, ut patrum exemplo moniti reſipiſcant ni rurſus velint iram divinam, pœnasque prioribus ſimiles experiri. Hinc colligi non poteſt, in noſtra manu eſſe initium pœnitentiæ. Ipſe nos invitat, trahitque ad ſeſe, & ubi traxerit, condonans pœnas, declarat ſeſe nobis placatum eſſe reconciliatumque. Et quod præcipit, convertimini ad me, non conſequitur, in noſtris viribus eſſe reſipiſcere ſeu converti. Sicut, quia ſeſe diligi præcipit ſuper omnia, non conſequitur, id in noſtris viribus eſſe, quia præcipit. Imo ob hoc ipſum, quod præcipit, non eſt in noſtris viribus. Præcipit enim in hoc impoſſibilia, ut miſericordiam ſuam nobis commendet, ſicut infra de lege dicemus. Et cur non Sophiſtæ in Zachariæ Prophetia hanc etiam ſententiam obſervarunt, quæ in Cap. X. continetur: *Et converam eos, quia miſerebor eorum & erunt ſicut fuerunt, quando non projeceram eos*. Ecce ipſe ait, ſe converſurum Judam, neque vero propter illorum benefacta, ſed propter ſuam ipſius miſericordiam. Similes locos commendo tuæ, Chriſtiane lector, induſtriæ. *Futurum enim eſt, ut ubi familiarior*

Sententia Zachariæ. convertimini ad me.

tibi

tibi ſcripturæ uſus fuerit, nullo negotio, quacunque Sophiſtarum argutias diluas.

Habes lector de vi ingenitæ peſtis, quantum mihi videbatur dici debere. *Neque plura requirent hi, qui potius divinarum literarum lectione, meditationeque formari volent, quam humanis commentariis. Nam ſatisfieri nulla commentatione poteſt iis, quorum animi incertis diſputationibus, variis hominum ſententiis atque opinionibus confuſi, nihil niſi carnalia ſapiunt.* Unus eſt idemque ut ſimpliciſſimus, ita certiſſimus Doctor, *divinus ſpiritus*, qui *ſeſe & proxime & ſimpliciſſime in ſacris literis expreſſit, in quas ubi animus tuus veluti transformatus fuerit, tum demum abſolute, ſimpliciter, exacte, ut aliarum rerum theologicarum, ita hujus loci rationem comprehendes.* Qui pendent non a ſpiritus ſed hominum judicio æſtimationeque, non res ipſas ſed vix tenues quasdam rerum umbras cernunt, non aliter atque illi in Platonico ſpecu. *Quis* enim *tum philoſophorum, tum ſcholaſticorum theologiſtarum propriam virtutis aut vitii formam vidit? Metiebantur theologaſtri peccatum originale, non niſi externis operibus, interim animi malitiam, & velut intercutem morbum non videbant.* Et ut maxime deprehenderint quorundam affectuum improbitatem, tamen nec omnes, nec eos animadvertit ratio, quibus cum in primis ſpiritui divino bellum eſt, nempe blaſphemiam, odium Dei, amorem ſui, diffidere Deo, & hoc genus inumerabiles, qui homini ſic inſiti ſunt, ut non in una aliqua parte tantum, nempe in appetitu ſenſitivo hæreant, ut iſti docent, ſed univerſam naturam occuparint, captivamque habeant. *Affectus, iſti infirmitatem vocant, ſed talem quæ humanis viribus vinci poſſit.* Scriptura contra negat, niſi ſpiritu Dei poſſe vinci carnis affectus: Quia, quos filius liberaverit, ii demum vere liberi ſunt, Joh. VIII. Proinde *nihil te moveant iſtorum figmenta de externis operibus, de actibus elicitis voluntatis, & ſimilia. De corde judicat Deus, non de externo opere.* Non enim quomodo videt homo, videt Deus, ut in hiſtoria Regum legitur. Et *vel hinc licebit æſtimare, quantum damni dederit rebus Chriſtianis philoſophia, cum Theologaſtri noſtri philoſophiam ſecuti finxerint bona opera, illam externorum operum perſonam?* quæ quam nihil mereantur, vel ſola illa in Evangelio de fatuis virginibus parabola docet. Nihil enim virgines præter phariſaicam juſtitiam, hoc eſt, externorum operum umbras deſignant. At, *quid aliud docent Philoſophi, niſi opera externa? cum de virtutibus diſputant, an non omnia referunt ad externa opera & illos fictitios actus elicitos? Sed cæci ſunt & duces cæcorum.* Proinde *optandum eſt, ut animos noſtros Deus a rationis humanæ judicio philoſophiaque ad ſpirituale judicium transferat.* Nam, quæi eſt cæcitas humanæ rationis, fieri nequit, ut citra lucem ſpiritus, abſolutam peccati juſtitiæve formam cognoſcamus. Omnis humanæ rationis captus tenebræ ſunt. Lux eſt Chriſti ſpiritus, is ſolus docet omnem veritatem. Non poteſt in relucentem Moſi faciem deſigere oculos caro ſeu humana ratio; quare velum legi obducit, & *de externis tantum operibus*

Parabola de fatuis virginibus.

ſeu fictitiis propoſitis, vel intentionibus, quas vocant, vel de litera, ut Pauli verbo utar, judicat. Spiritus vero profunde ſcrutatur & penetrat. Et ut eorum quæ de peccato originali ſcripſimus, ſummam paucis verbis indicem, ſubjiciam theſes aliquot, velut ἔλεγχον ſuperiorum.

I. Peccatum eſt affectus contra legem Dei.

II. Quia filii iræ naſcimur: fit, ut ſine ſpiritu Dei naſcamur.

III. Quandoquidem in homine non eſt ſpiritus Dei: nihil niſi carnalia ſapit, amat, & quærit.

IV. Hinc eſt in homine contemptus & ignorantia Dei, & quidquid vitiorum pſalmus XIII. deſcribit: Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.

V. *Ita fit, ut homo per vires naturales nihil poſſit niſi peccare.*

VI. Non enim tantum pars hominis, quam vocant appetitum ſenſitivum, eſt obnoxia affectibus peccati.

VII. Quando quidem cor immundum eſſe ſcriptura teſtatur: conſequitur, *omnes vires humanas eſſe impuras.*

VIII. Significat enim *cor*, non modo ſenſitivum appetitum, quem ſic iſti vocant, ſed *ſedem omnium affectuum, amorum, odiorum, blaſphemiæ, incredulitatis.*

IX. Sicut *cor* ſignificat omnium humanorum affectuum ſedem: ita *& caro* omnes naturales hominis vires.

X. *Carnale, quidquid per naturæ vires fit*, Socratis conſtantia, Zenonis moderatio, nihil niſi carnales affectus ſunt.

XI. Semel in Epiſtola priore ad Corinthios vocavit Paulus ψυχικὸν, *animale, rationis opus, ut philoſophicas virtutes.*

XII. Atque ibidem palam eſt damnari peccati τὸ ψυχικὸν

XIII. Alias nunquam non vocat carnem, quidquid in nobis, quantumvis in ſpeciem bonum videatur, citra ſpiritus ſancti operam fit: ut adparet in cap. octavo ad Romanos, cum inquit: *non potuiſſe juſtificationem legis impleri per carnem.* Quis non videt, hic ſignari *carnis* vocabulo, *potiſſimas hominis vires*, quæ videntur hominum judicio poſſe legi obtemperare. Idem docet & caput tertium poſterioris Epiſtolæ ad Corinth.

XIV. Id quod monere volui, *ne cui imponerent ſcholaſtici, cum diſtinguunt appetitum intellectivum & ſenſitivum, tribuuntque ſenſui pravos affectus, intellectivum appetitum liberant vitio.*

XV. Quam ſententiam Scholaſticorum illi ſcripturæ loci, quos ſupra citavimus, ſatis redarguunt. Neque juvari poſſunt origene, ut videri volunt, ubi ille de anima carne & ſpiritu diſſeruit. Quanquam *quid ad nos, quid origenes ſentiat, cum nos de ſcripturæ, non de origenis ſententia diſputemus?*

XVI. *Quod ſcholaſtici negant omnia hominum opera peccata eſſe, cauſa fuit, quod oculos tantum defixerant in externa opera* adeoque in velatam Moſi faciem, *de affectibus non judicabant. At Deus corda & affectus judicat.*

XVII. Eadem cauſa fuit cur finxerint liberum arbitrium. Videbant enim alicubi in operibus externis

ternis, quandam eſſe libertatem. Sic enim judicat caro de externis operibus. Contra Spiritus omnia neceſſario evenire docet juxta prædeſtinationem.

XVIII. In affectibus nullam eſſe libertatem experientia docet.

XIX. *Poſteaquam omnia in Scripturis ad externa opera referri cœperunt: ſemel univerſa ſcriptura obſcurata eſt*, nec intellectum, quid peccatum, quid gratia, quid lex, quid Evangelium, quid Moſes, quid Chriſtus. Et *has tenebras plusquam Ægyptias debemus impiæ iſti & execrabili ſcholaſticorum Theologaſtrorum philoſophiæ.*

XX. Quæ ſit illa cognata cordi impuritas, pravitas, nequitia, quam peccatum originale vocamus, deplorantque omnes Sancti, ut non ſentiat ratio; palam fiet, cum lex revelabitur, hoc eſt, cum aperuerit oculos conſcientiæ tuæ Deus, ut infra de lege dicemus.

Debebamus hoc loco etiam de peccati fructibus, hoc eſt, de vitiorum generibus diſputare. Perinde atque in Epiſtola ad Galatas recenſuit fructus carnis Apoſtolus: ſed illa per ſe quisque deprehendet. Chriſtiano ſatis eſt ſcire, *omnia naturæ opera, omnes virium humanarum affectus & conatus, eſſe peccata.* Jam quis affectus omnes queat recenſere? ſi *genera vitiorum ab affectibus, id quod fieri debet, æſtimemus.* Alioqui *qui virtutum & vitiorum formas ab externa ſpecie operum æſtimarunt, quoties pro virtutibus vitia, pro vitiis virtutes prodiderè?* Proinde relinquemus horum judicium ſuo cujusque ſpiritui.

DE LEGE.

LOcus de legibus non paulo clarius aperiet vim, rationemque peccati; ſiquidem *peccati cognitio lex* eſſe dicitur. Quare ſi quid ſuperiori loco deeſſe videbitur, ſarciet hic, ni fallor, qui ſequitur. Quanquam non hoc agimus, ut omnia, quæ de ſingulis fortaſſe capitibus dici queant, coaceroemus: Sed *nomenclaturam tantum communiſſimorum locorum facimus, ut videas, unde ſumma Chriſtianæ doctrinæ pendeat, & quorſum ſcripturæ potiſſimum referenda ſit.* Atque hos locos volo non uti me magiſtro, ſed monitore, *e ſcripturæ, non e meo commentario diſcas.* Nam crede mihi *multum refert, e fontibus petas, an ex lacunis, tantarum rerum materiem.*

Hic non modo dulciores aquæ e fonte, ut Poeta dixit, *ſed & puriores hauriuntur. Quanto certius enim eſt, quod ſcripturæ præſcribunt, quam quod e commentariis decerpitur.*

Lex Eſt autem lex ſententia, qua bona tum præcipiuntur, tum mala prohibentur. *Jus* eſt autoritas agendi ſecundum legem. Pro legibus, & contra leges multa ſunt a veteribus dicta, quæ ex quo fonte manarint, paulo poſt indicabimus.

Legum aliæ *naturales* ſunt, aliæ *divinæ*, aliæ *humanæ*. *De naturalibus legibus nondum vidi neque a Theologis, neque a Juriſconſultis aliquid digne ſcriptum.* Nam cum naturales dicantur, oportebat a rationis humanæ methodo earum formulas colligi per naturalem ſyllogismum. Id quod nondum video a quoquam factum, & haud ſcio an omnino poſſit fieri, nempe usque adeo capta, occæcataque ratione humanæ. Porro eſſe in nobis legem naturæ Paulus mire eleganti & arguto enthymemate, in ſecundo capite ad Romanos docet, cum ſic colligit: *Eſt in gentibus conſcientia factum defendens vel accuſans*, eſt igitur lex. Quid enim aliud eſt *conſcientia*, quam *facti noſtri judicium*, quod a lege aliqua aut communi formula petitur? Eſt itaque *lex naturæ* ſententia communis, cui omnes homines pariter adſentimur, atque adeo quam Deus inſculpſit cujusque animo, ad formandos mores accommodata. Nam ut ſunt in diſciplinis theoricis, ut mathematis, quædam communia principia ſive κοιναὶ ἔννοιαι ἢ προλήψεις, quale illud eſt, totum eſſe majus partibus: Ita ſunt quædam in moralibus, tum principia communia, tum concluſiones primæ, utendum eſt enim docendi gratia iſtorum vocabulis, regulæ omnium humanarum functionum. Has recte vocaveris *leges naturæ*. M. Cicero in libris de legibus Platonem imitatus ex natura hominis formulas legum derivat, quod ut non damno, ita urbane magis quam exacte fieri video. Incidunt autem in eam Ciceronis diſputationem etiam pleraque impia, id quod fere ſolet accidere cum methodos potius & compendia rationis noſtræ ſectamur, quam divinarum literarum præſcriptum. *Eſt enim in univerſum fallax humani captus judicium, propter cognatam cæcitatem, ita ut, etiamſi ſint in animos noſtros inſculptæ quædam formæ morum, tamen ea deprehendi vix poſſint.* Quod vero dico, leges naturæ a Deo impreſſas mentibus humanis, volo earum cognitionem eſſe quosdam, ut iſti loquuntur, habitus concreatos, non inventam a noſtris ingeniis, ſed inſitam nobis a Deo regulam judicandi de moribus. *Id ut conveniat cum Ariſtotelis Philoſophia, non laboro. Quid enim ad me, quid ſenſerit ille rixator?* Omitto autem ea, quæ cum brutis communia habemus, vitam tueri, gignereque & aliud ex ſeſe procreare, quæ in jus naturæ referunt Juriſconſulti: ego naturales quosdam affectus animantibus communiter inſitos voco. Legum autem, quæ proprie ad hominem pertinent, hæc videntur eſſe capita, quæ ſubjecimus.

Fſſe legem naturæ.

facti noſtri

Quid lex naturæ.

periculoſum ſequi rationem.

I. Deus colendus eſt.

II. Quia naſcimur in quandam vitæ ſocietatem, nemo lædendus eſt.

III. Poſcit humana ſocietas, ut omnibus rebus communiter utamur.

Primam legem *de colendo Deo*, accepimus ex primo capite ad Romanos, ubi non dubium eſt, quin inter naturales leges, eam recenſeat Apoſtolus, cum inquit: Deum declaraſſe omnibus hominibus majeſtatem ſuam conditione & adminiſtratione univerſitatis mundi. Sed *ut poſſit ſyllogismo humano colligi eſſe Deum, curioſi magis eſt quam pii diſputare, maxime cum rationi humanæ non ſit tutum, de tantis rebus argutari*, ut hujus compendii principio monui.

Secundam legem, qua cavetur, *ne quis lædatur*, non dubium eſt, colligi ex neceſſitudine communi, qua omnes omnibus devincti copulatique naſcimur, ut ſcriptura indicat, cum inquit: Non convenire ut homo ſolitarius degat, ſed addendum

dendum ei eſſe auxilium vitæ. Jubet itaque lex nequis lædatur, hoc eſt, ut certatim inter nos amemus omnes, ut benevolentiam noſtram ſtudio & officio omnes experiantur. Itaque hæc lex complectitur divinas, ne quem occidamus, ne rapiamus aliena, & ſimiles.

Si dicas: cur igitur Magiſtratus fontes occidunt? Reſpondeo. Quandoquidem ea eſt rerum humanarum conditio, ex quo prolapſus Adam inuſſit nobis omnibus notam peccati, ut ſæpe a malis boni lædantur, adnitendum eſſe humano generi, ut lex de non lædendo in plurimis conſervetus, ideoque *coercendos, refrenandos, tollendosque eſſe e medio, qui publicam pacem interturbant, qui innocentes lædunt, quo plures ſervari poſſint, ſublatis iisque laſerant.* Manet lex, neminem læde. At ſi læſus quispiam fuerit, jam hoc agendum eſt, *ne plures lædantur, tollendusque is qui læſit.* Pluris eſt univerſam multitudinem ſervare, quam unum, aut alterum, ideo tollitur is, qui malum univerſæ multitudini uno aut altero facinore minatur. Hinc in republica *magiſtratus* ſunt, hinc fontium poenæ, hinc bella, quæ omnia Jurisconſulti referunt *in jus gentium.*

Jus gentium.

Tertia lex *de rerum communione*, plane ex ratione ſocietatis humani generis oritur. Nam ſi inter pauculos amicos valere debet quod vulgo dicitur: τὰ τῶν φίλων κοινὰ, id eſt, *ut ſint inter amicos omnia communia*: cur non idem valeat inter homines, ſiquidem debebant ita inter ſe omnes cohærere, ut cohærent fratres cum fratribus, liberi cum parentibus, parentes cum literis? Nam hoc jubebat lex de non lædendo. Sed quia humana cupiditas non patitur ut communiter omnibus utamus: corrigenda eſt hæc lex, ſuperiore, ſcilicet, ne quis lædatur. Et *catenus communicandæ ſunt res, quatenus permittit pax publica, & ſalus multitudinis.* Nam fere ſuperioribus legibus corriguntur inferiores, & vocanda eſt vulgaris communio ad modum quendam. Proinde pro tertia lege alia ſupponenda eſt, ſcilicet, *res dividendas eſſe*, quandoquidem ita poſtulet *communis multorum ſalus.* Porro, quia rerum humanarum ea eſt conditio, ut aliqua ſaltem communicatione rerum opus ſit, cum deberent eſſe res natura communes: Inſtitutum eſt, ut *uſu communicentur, nempe per contractus, emptionem, venditionem, locationem, conductionem* & cæteros. Et hic cernis, quæ ſit contractuum origo. Vidit hæc Plato, cum in libro quinto de legibus inquit: *eam civitatem optime adminiſtrari, in qua quam proxime accedatur ad vulgare illud dictum: Amicorum omnia eſſe communia*: adeoque ubi non modo res inter ſe civium communes ſint, ſed etiam ſua cujusque membra, oculi, manus, pedes, os, *omnium publicæ utilitati ſerviant: nec aliud quærendum eſſe exemplar bene conſtitutæ reipublicæ, niſi eam civitatem, in qua poſſit illud* τὰ φίλων κοινὰ *obſervari.* Sunt itaque reperti contractus, per quos ſuæ cujusque res communicarentur multis, ne nulla prorſus eſſet rerum communio. Et hæc de generalibus formulis legum naturæ, quas hoc modo potes dirigere.

I. Deum cole.

II. Quia naſcimur in quandam communem vitæ ſocietatem, neminem læde, ſed officiis quosvis juvato.

III. Si fieri nequit, ut prorſus nemo lædatur: hoc agatur, ut paucisſimi lædantur, ſublatis iis, qui publicam quietem interturbant: & in hoc magiſtratus, poenæque fontibus conſtituantur.

IV. Res dividunto, propter publicam pacem. Cæterum per contractus alii aliorum inopiam ſublevent.

Jam qui volet, e Poetis, Oratoribus, Hiſtoricis, adjungat peculiares ſententias, quæ *ad jus gentium* referri ſolent, qualia ſunt quæ *de connubiis, de adulteriis, de reddenda gratia, de ingratitudine, de hoſpitalitate, de permutatione rerum*, & hoc genus aliis paſſim leguntur. Nam mihi ſatis videbatur communisſimas formas adnotare. Neque vero temere quasvis gentilium ſcriptorum ſententias pro legibus habebo. *Imitantur* enim *pleraque vulgares ſententiæ pravos affectus naturæ noſtræ, non leges.* Qualis eſt hæc apud Heſiodum.

Τὸν φιλέοντα φιλεῖν, καὶ τῷ, ὅτις ἐπιόντι πρόσσειναι.
Καὶ δόμεν ὅς κεν δῷ, καὶ μὴ δόμεν ὅς κεν μὴ δῷ.

Nam his verſibus amicitiam prorſus utilitate metitur. Tale eſt & vulgatum illud δὸς τίχῃ, λάβε τι. Hæc pertinet, quod *vim vi repellendam* dicunt: quale illud eſt apud Euripidem in Jone:

Τὴν δ' εὐτυχοῦσι μὲν καλὸν
Τιμᾶν. ὅταν δὲ πολεμίᾳ δράσαι κακῶς
Δέλπτὶς, οὐδεὶς ἐμποδὼν κεῖται ἰόν.

Sunt & *in iure civili*, quod ita vocant, *pleraque affectus magis humanos, quam naturales leges præ ſe ferentia. Quid enim eſt a lege naturæ alienus ſervorum captivitate?* Et *inciviliter nullis non contractibus prætexitur id quod intereſt.* Sed de his alias. *Bonus vir attemperabit civiles conſtitutiones æquo ac bono*, hoc eſt, tum divinis, tum naturalibus legibus, contra quas, quidquid conſtituitur, non poteſt non iniquum eſſe. Et de legibus naturæ hactenus, quas, ſi potes, exactiore ſubtilioreque ratione digerito.

DE DIVINIS LEGIBVS.

Divina leges ſunt quæ per ſcripturas canonicas a Deo ſancitæ ſunt. Ordines earum tres fecerunt: ſunt enim aliæ *morales*, aliæ *judiciales*, aliæ *ceremoniales*. Morales ſunt, quæ decalogo præſcriptæ ſunt, in quas referat ſtudioſus omnes leges, qua de moribus in tota ſcriptura proditæ ſunt. Quoties enim eadem lex in ſcripturis repetita eſt? Eſt autem obſervandum hic, *ne decalogum exponamus de ſolis externis operibus, partiamurque in conſilia & præcepta, more Scholaſtico*: quare paucis percurram legem formulas.

Morales Leges.

Tria priora præcepta, non habebis Deos alienos: Non adſumes nomen Dei tui in vanum; Memento ut diem Sabbathi ſanctifices: Non dubium eſt, quin Chriſtus expoſuerit per hanc legem: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Videtur autem hoc eſſe trium illarum legum diſcrimen, tametſi ad idem omnes pertineant, nempe ad verum cultum Dei

ut

ut primum, non habebis Deos alienos, proprie ad affectus referatur, ne quid amemus, ne quid formidemus, præter Deum, ne noſtris opibus, virtute, prudentia, juſtitia, aut ulla plane creatura fidamus, ſed ſola Dei bonitate. Qui *affectus adeo non ſunt in poteſtate noſtra, ut neque quid fiducia, neque quid metus, neque quid amor Dei ſit, intelligatur, niſi a ſpiritualiſſimis.* Ad hanc legem pertinent pleraque in propheticis literis, de formidando Deo, de fidendo in Deum, & ſimilia. Mirabiliter autem hujus legis verba commendant nobis tum fiduciam, tum metum. Nam, quod ait: Ego ſum Dominus Deus tuus fortis Zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios &c. in terminando terret, declaratque, metuendam eſſe vim iræ ſuæ. Rurſus cum addit: ſe facere miſericordiam in millia his, qui ſe diligunt: An non hic, commendans bonitatem ſuam, exigit, ut ſe amemus, ſua bonitate fidamus &c. Omnino autem majora exiguntur, quam quæ verbis humanis queam conſequi. *Scholaſtici docuerunt, diligere Deum, idem eſſe, quod velle Deum eſſe, quod audit, non invidere ei regnum & hoc genus multa verbis obſcurioribus quam quæ ipſi in ſuis ſcholis intelligere potuerint.* Neque enim ſciri poteſt, quid ſit diligere Deum, niſi ſpiritu docente, hoc eſt, niſi re ipſa ſpiritu inflammatus experiare. Habes primi præcepti opus: *fidere Deo, diligere ac timere Deum.* Hæc *adoratio* eſt, de qua Chriſtus ait: Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. *Hunc talem affectum ſua ſponte ſequetur cultus externus probabilis.*

Secundum præceptum cavet, ne nomen Dei temere uſurpetur, planeque, ut illam ipſam fidem, item metum & amorem Dei teſtemur uſu nominis divini. Et ſicut prius præceptum affirmativum eſt, exigens fidem & amorem: Ita & hoc affirmativum eſt, exigitque ut celebremus nomen & gloriam Dei, invocemus nomen Dei, profugiamus ad nomen Dei, velut ad quendam munitiſſimum portum, juremus per nomen Dei. Deut. VI. pſallamus ſecundum Davidem nomini eius agnoſcamusque illud Salomonis: Turris munitiſſima nomen Domini, laudemus, celebremus, beneficentiam erga nos Dei, agamus gratias, planeque omnia a nobis fiant, ut ait Apoſtolus, in laudem Domini. Vides, e priore mandato, ſecundum promanare.

Tertium præceptum jubet, ut Sabbathum ſanctificetur, ut vacemus a noſtris operibus, hoc eſt, ut patiamur ac toleremus opus Dei, mortificationem noſtri. Primum exigit fidem: ſecundum laudem nominis Dei: Tertium, tolerantiam operum Dei in nobis. Hoc præceptum inprimis violant, qui prædicant opera moralia, & liberi arbitrii vim. Exigit enim liberi arbitrii mortificationem. *Et populus novi teſtamenti, cum habeat perpetuum Sabbathum, is eſt, cuius caro aſſiduo mortificatur, ſpiritus vivificatur.* Ignorantque tum Sabbathum tum Chriſtianiſmum, iſti liberi arbitrii aſſertores, & inimici crucis Chriſti, ſuis ſe operibus, ſuis conatibus, juſtificantes Exemplum eius ſequuntur, qui in Sabbatho ligna collegerat. Numeri. XV.

Vides itaque, tria præcepta, Deo fidendum eſſe, laudandum eſſe Deum, & tolerandum ejus opus in nobis comprehendi hac ſententia: *Dilige Deum ex toto corde*, &c. Nam qui ſic diligit, is haud dubie fidit, timet, laudat, toleratque ardentiſſimo ſpiritu. Non inſtitui exponere legem: id enim quomodo poſſet per compendium fieri? Sed hæc volui monere, quo ſcires, *errare eos, qui non putant exigi a nobis majus aliquid viribus humanis.* Qui latiorem expoſitionem præceptorum deſiderat, requirat vel a *Lutheri libello germanico, de Bonis Operibus.* Hic Sophiſtæ bis errant; Primum, quod cenſent, non requiri ſeu exigi in hac vita ſummum amorem Dei. Sic judicant & de reliquis affectibus. Porro, hanc ſententiam ſatis clare refutat hic textus: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, tota anima tua, tota mente tua. Nam ſi totum cor ſibi depoſcit Deus, non permittit aliquando creaturæ partem. His utinam contingat Helias aliquis, qui doceat, quam infeliciter claudicent, qui cordis partem creaturæ, partem Deo tribuendam exiſtimant. Impleri non poteſt, dum in carne vivimus, hoc præceptum, at non ideo, non exigitur, ſed omnes rei ſumus, dum non perſolvimus quod debemus. Atque hoc eſt quod ſupra diximus, omnes homines ſemper eſſe revera peccatores, ſemperque peccare. Et infra, ubi de gratia diſputabitur, rurſus excutiendum eſt, quatenus juſtificati, quatenus peccatores ſimus.

Deinde hallucinantur *Sophiſtæ*, quod noſtris viribus cenſent impleri poſſe tum hæc tum reliqua præcepta. Nam *de externis tantum operibus præcipi arbitrantur*; ut ne colamus ceremoniis officiisque externis plures Deos aut idola &c. Nos ut *de affectibus exponamus legem*, faciunt ipſa legis verba: Diligas Dominum Deum tuum *ex toto corde.* Jam caro ſeſe maxime amat, ſuis bonis, ſua prudentia, ſua juſtitia fidit. Id eſt enim, quod ad Rom. VIII. ait Apoſtolus: *Caro quærit, quæ ſua ſunt, & non poteſt legi Dei ſubiici.* Non poteſt igitur amare Deum, fidere Dei bonitate, &c. Magna & incomprehenſibilis res eſt, amare Deum, nempe hilari pectore & grato complecti per omnia voluntatem divinam, etiam tum cum damnat & mortificat. Quæſo itaque te, Sophiſta, ut rem inferos velle & perpetuum ſupplicium natura poſſit? Quod ſi neges poſſe, nega etiam poſſe a carne DEVM liberaliter amari.

Reliqua præcepta, quæ ſecundæ tabulæ dicuntur, exponit Chriſtus: *Diliges proximum ſicut te ipſum*, & pleraque longa oratione in capite V. Matthæi. Et charitatis leges prope innumerabiles recenſet Apoſtolus cap. XII. ad Romanos. *Has* vero etiam *leges Sophiſtæ expoſuerunt de externis tantum operibus*: nempe ſatisfactum eſſe legi, ſi cædem non facias, ſi palam non ſcorteris, &c. Contra *Chriſtus exponit legem de affectibus*, idque affirmative. Lege non occides, præcipit, ut ſimus corde erga quosvis dextro, candido, liberali, expoſito ad quævis officia: Ne malo malum retaliemus, ne litigemus de rebus noſtris. Breviter, ne reſiſtamus malo: Denique ut amemus etiam inimicos idque liberaliter & candide. Ita legi non mechaberis, ſatisfactum putant, ſi non

deſignemus flagitium externo opere. Chriſtus vero ſic exponit, ut doceat, exigi caſtitatem & puritatem cordis, ita ut neque cupiamus turpia. Reliqua in Evangelio per ſeſe diligens lector obſervabit.

DE CONSILIIS.

ESt & hic *foede ac impie erratum a Sophiſtis, cum ex lege divina fecerunt conſilia*, hoc eſt, docuerunt, quædam non exigi a Deo neceſſario, ſed ſuaderi tantum, ut ſi cui libeat, obtemperet, liberantque periculo eum, qui non obtemperet. Recenſent autem inter *conſilia* ea fere, quæ ſunt in capite V. apud Matthæum: Diligere inimicos, non reſiſtere malo, neſcire lites & contentiones fori, de male merentibus bene mereri, donare, mutuo dare cuivis egenti, deſperata etiam ſorte. Hæc omnia exigi dicimus, & inter *præcepta* numeramus. Chriſtus enim palam damnat eos, qui non diligunt niſi amicos, cum gentibus & publicanis æquat. Item eum qui iraſcitur proximo, aut qui faſtidit proximum, racha dicens, judicii reum facit. Quod ſi conſulebat tantum, ne irasceremur: Quid interminabatur judicium? Si liberum eſt iraſci offendenti, aut non iraſci: cur poenas intentabat? Exigit, qui poenas intentat, non conſulit. Præterea, cum præceptum ſit diligi proximos: An non illa omnia, quæ iſti inter conſilia numerant, amor complectitur? Et Paulus in Cap. XIII. ad Romanos, hæc omnia refert in legem: *Diligas proximum ſicut teipſum.* Et 1. Joh. III. *Filioli, non diligamus verbo neque lingua, ſed opere & veritate*, id eſt, & ab animo candideque diligamus, & illum amorem noſtrum teſtemur ſtudiis ac officiis. Jam, ſi inter leges numerant, quod ſcriptum eſt: Non concupiſces &c. cur non habent pro legibus ea, quæ complectitur? An non concupiſcentia opus eſt, iraſci inimico, rem vindicare, nolle pecuniam periclitari apud inopem? Fateantur igitur, & hæc præcipi: ſiquidem præcipi videtur, ne quid concupiſcamus. Denique, cur non totam legem, conſilium interpretantur, ſiquidem partem legis refigunt? Sed inquies: Actum eſt de mea re familiari, ſi cuivis largiendum eſt. Reſpondeo: hoc a carnis prudentia prætexi cupiditati tuæ. Nam Spiritus judicabit facile, quatenus largiendum ſit, & libenter ſuo carebit, modo ſubventum ſit inopiæ fratris. An ignoras, deberi proximo, quod velles tibi fieri? At omnium injuriæ obnoxii erimus, ſi vindicare non licet? Recte. Nam hæc vita crucis eſt, ut injuriæ ſis obnoxius. Rapient noſtra mali, ſi repetere judicio non licet? Hoc magiſtratus intererit cavere, ne damnum det civis civi: tuum eſt boni conſulere hoc genus caſus. Sed quid ego argumenta carnalis prudentiæ diluere conor? cum fieri nequeat unquam, ut probet legem divinam, niſi qui ſpiritualis eſt. Quid, cur, præceperit Chriſtus, non intelliges, ni libeat facere. Impoſuerunt etiam hujusmodi carnales argutiæ Sophiſtis, cum parum civile videretur, omnium opes ita vulgari, ut non liceret vindicare ſuum cuique. In humanum etiam habebatur, ignavis fructui eſſe otium, ſi alienis opibus frui tuto poſſent. Hinc *e præceptis conſilia facta ſunt, & recepta eſt peſtilentiſſima opinio: non poſſe res publicas adminiſtrari inxta Evangelium. Quaſi tale aliquid tradiderit Chriſtus, quod ad pauculos tantum monachos, & non potius ad univerſum genus humanum pertineat.* Quid enim oportet eſſe communius Evangelio, quod Chriſtus univerſæ naturæ prædicari juſſit? Diluit autem & Auguſtinus, in Epiſtola ad Marcellinum, quæ in ordine Auguſtinianarum Epiſtolarum quinta eſt, hoc genus carnales calumnias, adverſus legem, qua vindicta prohibetur. Porro non vetat ſcelera puniri a Magiſtratibus: Imo hi gerunt gladium ad terrendos malos, ut Apoſtolus Rom. XIII. dicit: ſed vetat, ne nos privatim, cupiditate vindictæ, mutuo conficiamus. Magiſtratus intereſt cavere, ne damnum accipiat respublica. Tuum eſt, privatam injuriam ferre ac diſſimulare. Fortaſſis autem hac de re infra copioſius diſputabitur.

Vide 2. *Cor. VIII.*

Eſt autem *in Evangelicis liberis conſilium*, idque quod ſciam, *uni cum*, de *cælibatu*, de quo Chriſtus ait: Qui poteſt capere, capiat. Matth. XXI. cap. Et in priore Epiſtola ad Corinth. cap. VII. Paulus: De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus a Domino, ut ſim fidelis; Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt, homini ſic eſſe: Alligatus ex uxore, noli quærere uxorem &c. Non eſt autem quod hic diſputes, *utrum conſilia ſint ſuperiora præceptis? Scholaſticorum ſunt iſtæ ineptiæ, qui neque quid præceptum, neque quid conſilium eſſet, intelligebant.* Non enim implet præceptum de non moechando, quantumvis coelebs: Quando non poteſt fieri, ut non irritet concupiſcentia, quantumvis caſtum. At præcepto concupiſcentia prohibita eſt, cui fieri poteſt, ut propius reſpondeat aliquis coniugum, quam alicubi virgines.

DE MONACHORVM VOTIS.

QVid autem de Monachorum votis? Primum, quod ad ipſam voti rationem attinet, *neque præcipit, neque conſulit ſcriptura, ut quidpiam devoveatur.* Non probat autem Deus, niſi quæ vel præcipit, vel conſulit. Quare *non video, quid accedat pietati per votum. Non exigebat* Moſaica lex voveri quidpiam, *ſed permittebat. Evangelium* cum in totum ſit libertas quædam ſpiritus, *prorſum ignorat votorum ſervitutem.* Et quantum mihi videtur, *ſola fidei & Evangelicæ libertatis ignoratione factum eſt, cur recepta ſit vovendi conſuetudo.* Nec nihil pugnat cum fide, cum libertate Spiritus, vovendi ritus. *Docent* etiam *Scholaſtici, opus e voto factum præſtare operi, quod citra votum ſit. Impii homines, pietatem ab operibus æſtimantes, & non potius a ſpiritu & fide.* Et cur propter votum præferunt opus, cum tamen nec exigatur, nec conſulatur votum? Deinde quaeſo conſidera quid devoveatur. Promittuntur coelibatus, paupertas, & obedientia. Cælibatum non nego conſuli. Sed cum ea ſit imbecillitas carnis noſtræ, ut Chriſtus etiam neget, omnes capere ſermonem de coelibatu, quid attinet, vulgare in tot hominum milliarem adeo ancipitem & periculo-

Vnde vota.

culoſam? Ex veteribus eremitis, quantum ex hiſtoriis colligi poteſt, pauci adeo fuere, qui feliciter cum carne dimicarint, cum tamen ſedulo emacerarent corpora fame ac ſiti, eſſentque adverſus inſidias doemonis divinarum literarum cognitione munitiſimi. Nos quomodo vincemus in tanto luxu, in altiſſimo otio, adeo inermes, adeo ignari ſacrarum literarum, & Evangelii, quo niſi ſis inſtructiſſimus infeliciter cum Satana congrediere? Et ſucceſſus docet, quam prudenter voveamus. Porro paupertas ab omnibus Chriſtianis exigitur iure divino: adeo non tantum ad monachos pertinet. Eſt autem *paupertas Evangelica, non mendicitas illa vulgaris: ſed ſua cum omnibus habere communia, largiri, donare omnibus egentibus, & rem facere in hoc, ut alienam inopiam ſublevet.* Non eſt Evangelica paupertas, nihil poſſidere: Sed ita poſſidere, ut alienæ rei procuratorem te agere ſentias, non tuæ. Id quod docet Paulus *ad Epheſ. IIII; Magis autem laboret operando manibus* ſuis, *quod bonum eſt, ut habeat, unde tribuat neceſſitatem patienti.* Huc etiam referri poteſt, quod eſt in Evangelio: Vade & vende omnia quae habes, & da pauperibus. Nam ſic illum volebat Chriſtus *pauperem eſſe, ut daret. Nunc nos paupertatem nihil vocamus, niſi ab aliis accipere.* Vides, *quantum abſit ab Evangelio mendicandi inſtitutum?* ut exigitur paupertas, ita & labor parandae rei, non noſtra, ſed fratrum cauſa. Tantum abeſt, ut mendicitas probetur. Poſtremo obedientiam promittunt. Sed hanc ſinguli parentibus, praeceptoribus, magiſtratibus, jure divino debemus. Quare *nulla eſt perfectio peculiaris, in inſtituto monaſtico.* Sed nunc de monachis non libet diſputare. Viderint iſti, quam Chriſtiane ſenſerint, qui *monachorum conditionem, usque adeo nulli non generi hominum prætulerunt, æſtimantes non a ſpiritu Chriſtianiſmum, ſed ab externorum operum ſpecie. Quondam monaſteria nihil niſi ſchole erant*, degebant coelibes ſua ſponte ſcholaſtici, & quamdiu libebat, utebantur cum condiſcipulis communiter omnibus rebus, obſequebantur, parebant liberaliter praeceptoribus, una pſallebatur, orabatur, diſſerebatur, habebaturque totum vitae genus, non pro peculiari quodam Chriſtianiſmo, pro ſtatu perfectionis, ut nunc loquuntur, ſed potius pro imperfectorum tyrocinio ac rudimento. Atque utinam eadem hodie *monaſteriorum conditio eſſet.* Nam ita & *ſcholas haberemus ſanctiores & minus ſuperſtitionis & impietatis. In qua* enim *Chriſtianarum rerum parte potentius regnat Anti-Chriſtus, quam in ſervitute monaſtica?*

DE JVDICIALIBVS ET CEREMONIALIBVS.

SVperſunt judiciales & ceremoniales leges, de quibus non attinet in compendio lura dicere. *Judiciales* de judiciis, poenis, adeoque de forenſibus cauſis, in literis divinis populo Judaico proditæ ſunt. *Hoc genus leges ignorant Evangelicæ literæ: quod vindiciæ Chriſtiano populo prohibitæ ſint*, & mandata paupertas, rerumque communio, & interdictum ſit forum, ut docet Paulus in priore ad Corinth. VI. cap. Jam quidem omnino delictum eſt, quod lites habetis inter vos invicem.

Ceremoniales de ritibus ſacrificiorum, de dierum diſcrimine, de veſtibus, de victimis, deque hoc genus aliis, proditæ ſunt. In quibus non dubium eſt, quin ſint adumbrata myſteria Evangelii, ut docet Epiſtola ad Hebræos, Item loci aliquot ad Corinthios, & teſtantur idem Prophetarum literæ alicubi, qui fere typos legis ἀλληγορικῶς ad evangelica myſteria accommodarunt. Qualia ſunt in Pſalmis pleraque. Proinde in hoc genere requirendæ ſunt allegoriæ, ſed *prudenter.* Nam *hic plusquam pueriliter ineptiunt etiam magni ſæpe auctores.* Neç allegoricam interpretationem admittunt, niſi ritus & facta, in hoc prodita, ut eſſent ſigna aliarum rerum: ut ſacrificia pontificatus levitici in hoc prodita ſunt, ut eſſent ſigna Sacerdotii Chriſti. Jam infeliciter tractabit allegorias, niſi qui univerſæ Scripturæ peritiſſimus eſt. Facile autem judicabit Spiritus, imo ſenſus communis, quatenus, & in quam partem liceat allegoriis uti. Nec illæ parum conducunt ad intelligendam vim, tum legis, tum Evangelii, modo appoſite tractentur. Id quod oſtendit Epiſtola Hebræis inſcripta, quæ Aharonem cum Chriſto comparans, mirum eſt, quam clare ob oculos ponat Chriſtum, quam proprie doceat, quid beneficiorum per Chriſtum orbis terrarum acceperit, quid conferat Chriſti pontificatus humano generi, ut non aliunde juſtificemur, niſi per Chriſti Sacerdotium.

Supereſt ut de legis vi, deinde & abrogatione dicatur: qui loci in primis hic requirendi ſunt. Sed, quando ea diſputatio non poteſt intelligi, niſi conferatur lex ad Evangelium: infra, ubi de Evangelio dixero, ſimul de vi legis & abrogatione diſſeremus. Nunc adjiciemus ad hunc locum, quid de humanis legibus ſentiri debeat.

DE HVMANIS LEGIBVS.

LEges humanæ, ſunt quæcunque tandem ab hominibus conſtituuntur. Et *ut nunc habent hominum res, Legum humanarum aliæ* ſunt *civiles*, aliæ *pontificiæ.* Civiles, quas in republica ſanciunt Magiſtratus, Principes, Reges, civitates. Hujusmodi legum authoritas quæ cenſeri debeat, docet Paulus ad Rom. XIII. cum inquit: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas, niſi a Deo; Quæ vero ſunt poteſtates, a Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Nam Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Nam *magiſtratuum & legum civilium non eſt aliud officium, niſi punire & arcere injurias.* In hoc ſanciuntur leges de rerum diviſione, de contrahendi formis, de poenis maleficiorum. Dei enim miniſter eſt magiſtratus, ultor ad iram ei, qui deliquerit. Porro *non licet Magiſtratui ſtatuere adverſus jus divinum, nec obtemperari adverſus jus divinum debet*, juxta illud in Actis Apoſtolicis. *Oportet Deo magis obedire quam hominibus.* Et ex hac ſententia facile æſtimabit prudens lector, quatenus humanis

nis legibus obnoxii ſimus. Dicemus autem infra, ubi de hominum conditione agetur, fortaſſe de magiſtratibus plura.

Quid autem de Pontificiis legibus? Quatenus pontifices ſtatuunt de litibus & judiciis, plane mundi principes agunt. Alioqui, quod ad lites & judicia pertinebat, & *ipſos ſacerdotes ſubjecit jus divinum magiſtratibus civilibus, Regibus, ac Principibus.* Nunc *conniventibus Principibus, ipſi ſibi jura condiderunt, & impia & egregie tyrannica de immunitatibus eccleſiarum, de reditibus ſuis,* &c. Hic poſtulabat charitatis officium, ut, qui ſunt opulentiſſimi, publicam inopiam, communi pecunia & ſumptu juvarent, cum *proſcribunt & diris devovent, quisquis poſtulet a ſacerdote tributum, vectigal, aut hoc genus alia quæ in commune propublica neceſſitate conferuntur.* Sed de his alias: ſatis ſit monuiſſe *ſacerdotum leges de civilibus rebus contra charitatem & per meram tyrannidem conditas eſſe.*

De fide non habent jus, neque pontifices, neque concilia, neque univerſa eccleſia, quidquam mutandi aut ſtatuendi: Sed *ſimpliciter ad præſcriptum ſacrarum literarum exigendi ſunt articuli fidei. Nec habendum eſt pro Articulo fidei, quod citra ſcripturam proditum eſt.* Primum, ne quid mutetur Paulus jubet ad Galatas cum ait: *Si quis vobis prædicaverit aliud quam quod accepiſtis, anathema ſit.* Item: qui poteſt ſpiritus eſſe propheticus, qui diſſidet a ſcriptura? Quin potius ſpiritus mendax eſt, qui pronunciat adverſus veritatem. Et ad Timotheum: ſi quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Jeſu Chriſti, ſuperbus eſt. Porro *contra ſcripturam impie multa decreta ſunt*, de quibus paulo poſt.

Deinde *non eſſe habendum pro fidei articulo, quod homines, ſeu eccleſia, ſeu pontifex ſtatuit, præter ſcripturam*, teſtatur Paulus ad Timotheum: Tu permane in his quæ didiciſti, ſciens a quo didiceris. Referre cenſet, ſcire, unde didicerimus. Jam quod homines decernunt, qui ſciemus unde ſit profectum ſi ad ſcripturam exigi non poteſt? nam hoc demum conſtat a Spiritu ſancto profectum eſſe, quod Scripturæ confirmant.

Quod præter ſcripturas proditur, ambiguum eſt, utrum a Spiritu Dei, an a ſpiritu mendacii proficiſcatur. Theſſalonicenſibus præcipit Paulus, ut omnia probent, quod bonum eſt, teneant. Et alias jubet probari ſpiritus, utrum ex Deo ſint. Quæſo te, quomodo probabimus ſpiritus, niſi ad certam aliquam regulam, adeoque ad ſcripturam exigantur? quam ſolam certo conſtat ſpiritu Dei conditam eſſe. *Temere tribuitur Conciliis autoritas condendi articulos fidei*, vel hoc nomine, quod fieri poteſt, ut in toto Senatu concilii nemo ſit, qui ſpiritum Dei habeat. In Samaria prophetabant Sacerdotes Baal, & ex eorum oraculis omnia gerebantur a Regibus Iſrael. Quid mirum, ſi nunc quoque prophetent impii & expertes ſpiritus Dei. Adrogabant idem ſibi ſacerdotes in Juda, qui adverſabantur Hieremiæ & ſpiritui Dei, cum dicerent: Venite & cogitemus contra Hieremiam cogitationes: Non enim peribit lex a ſacerdote, neque conſilium a ſapiente, nec ſermo a propheta. Quod quid aliud eſt, quam quod hodie dicit Eccleſia Papiſtica: Penes nos eſt autoritas ſtatuendi, Concilium regitur immediate aſpiritu ſancto, nec poteſt errare, ſacræ literæ ſunt, obſcuræ & ambiguæ, penes nos eſt earum interpretandarum jus & facultas, & hoc genus multa. Jam & palam prædictum eſt fore ut errent Principes Eccleſiæ, Ezech. VII. Lex peribit a ſacerdote, & Conſilium a ſenioribus. Et Matth. XXIV. Surgent pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna &c. Deinde, ut maxime ſpiritum Dei habeat, ſenatus conciliorum, errare tamen poſſe indicat ſcriptura Ezech. XIV. Propheta cum erraverit & locutus fuerit verbum, ego dominus qui decepi prophetam illum. Et in III. Regum capite ultimo: Egrediar & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum. Et quid attinet multis rem agere? Paulus ait, ſe non acquieviſſe carni & ſanguini: nos carni & ſanguini credamus? Quæſo te, cur Nicenæ Synodo potius quam Ariminenſi credis? Num quia eam Romani Pontificis comprobavit authoritas? At hac ratione *pontificis autoritatem & concilio & ſcripturæ præfers, quod non modo impium, ſed & ſtultum eſt.* Cur enim Antiochenam Synodum probas, quæ Paulum Samoſatenum negantem Chriſti divinitatem damnavit, cum *res omnis citra Romani Pontificis authoritatem geſta* ſit? In Alexandrino concilio ubi de tribus hypoſtaſibus divinis decretum eſt adverſus Sabellium, nulla fuit mentio Romani Pontificis. In concilio Nicæno Romani Pontificis nusquam fuiſſe leguntur. Conſtantinopolitanæ Synodi ſcriptores græci, item Epheſinæ, nullam fecerunt Romani Pontificis mentionem. Ut veriſimile ſit, aut non interfuiſſe Synodis illis, aut certe non præfuiſſe. *Neque vero raro erratum eſt, & in iis Synodis, quibus præfuere Romani Pontifices.* Stephanus VI. Formoſi Pontificis acta reſcidit authoritate concilii. Hujus ſententiam Johannes X. rurſus damnavit Ravennæ comitiis. Hic *cum pugnent inter ſe Synodi, neceſſe eſt alteram erraſſe.* Lugdunenſe concilium, quia libros decretalium comprobavit, pro impio haberi debet, nempe quod in illis tam multa crudelia & impia conſtituta ſunt. Porro *papiſticis comitiis pene nihil videmus actum præter cauſas tyrannidis Romanæ, de ſubigendis Imperatoribus, de tuendo Patrimonio Petri, de augendis ſacerdotum opibus, de opprimenda græca Eccleſia.* Palam hæretica eſt conſtitutio, ad abolendum, de hæreticis, quæ execratur omnes, qui de Sacramentis aliter ſentiunt, aut docent quam vel docet, vel obſervat Eccleſia Romana. Nec enim ſunt hæretici græci, qui in plerisque variant a Romanæ Eccleſiæ ritibus, & traditionibus. *Impia ſunt, quæ de indulgentiis decreta ſunt in plerisque conciliis.* Damnavit Conſtantienſis Synodus cum alia, tum *ſententiam Evangeliciſſimam, de diſcrimine operum. Omne opus bonum eſſe, aut malum, non indifferens*, juxta illud Evangelii: Aut facite arborem bonam &c. Et quid attinet multa commemorare? cum extent *abominabiles pontificiarum legum codices*, e quibus decerpe quantum voles. Hæc ideo adnotavimus, ut moneremus, *temere receptam eſſe opinionem illam vulgarem, quæ jactari ſolet, concilia non poſſe errare.* Proinde cum conſtet luce meridiana clarius, &

Concilia poſſunt errare.

erraſſe

erraſſe ſæpe concilia, & errare poſſe: quæſo te, lector, *cur tandem pro fidei articulo haberi debet, quod a concilio citra ſcripturæ ſuffragium decretum eſt?* Quandoquidem perſpicuum eſt, errare poſſe concilia, cur non exiguntur eorum decreta ad ſcripturam? *Abſit a Chriſtiana mente, ut articulum fidei condere arbitretur eum,* quem *non ſit certum fallere aut falli non poſſe.* Negat Petrus privatæ, hoc eſt, humanæ expoſitionis eſſe, ſcripturæ interpretationem. Nos hominibus permittemus articulos fidei condere? Quin, ſcripturam præeuntem, &, ut Petrus ait, λύχνον φαίνοντα ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ ſequimur? maxime, cum neget Propheta futuram lucem matutinam iis, qui non e legis & teſtimonii judicio pendent. Notus locus eſt in octavo cap. Eſa. Huc etiam Pauli locus pertinet in priore ad Corinthios, ubi de doctrina Chriſtiana diſſerit: *Fundamentum aliud poni non poſſe, præter id, quod poſitum eſt,* hoc eſt, *ad ſalutem nullam doctrinam, nullos articulos neceſſarios eſſe, præter ſcripturam.* Quæ ſuperſtruuntur, ait, diem domini probaturum. Quod ſi probanda ſunt in die Domini: cur recipiuntur non modo pro probæ monetæ doctrina, ſed pro neceſſaria etiam ad ſalutem? *Decretum eſt de transſubſtantiatione panis in corpus Chriſti, in ſacramento, decretum eſt de Papæ primatu,* idque *contra veterum Synodorum conſtitutiones.* Quæ cum citra certum Scripturæ ſuffragium prodita ſunt: quid eſt, cur pro certis dogmatis recipiantur? Apoſtoli in Actis & ubique Paulus, doctrinam ſuam authoritate ſcripturæ comprobant. Chriſtus ſibi fidem per ſcripturas facit, cum jubet ut ſcrutemur ſcripturas, quæ de ſe teſtimonium perhibent, cum ait, patrem ſibi ſuffragari, & duorum teſtimonium recipiendum eſſe, & hoc genus multa. In Deuteronomio præcepit Dominus, ne addatur ad verbum ſuum aut detrahatur: quæ ſententia palam docet, *nemini fas eſſe, id pro articulo fidei docere, quod non certo ſciat divinum verbum eſſe.* Prophetæ, Chriſtus, Apoſtoli certo ſciebant Dei verbum eſſe, id quod docebant. Ideo ſibi, imo ſuæ voci credi volebant.

Hæc mihi plane perſuadent, *nihil pro articulo fidei habendum eſſe, quod non palam ſcriptura docet.* Ut rumpantur interim Pariſienſes, qui in ſua illa inepta & impia condemnatione Lutheri, *principia fidei vocant conciliorum & ſcholarum dogmata.* De divinitate filii credo Nicæno concilio, quia Scripturæ credo, quæ Chriſti divinitatem tam clare nobis probat, ut ne Judæi quidem tergiverſari poſſint, quantumvis coeci, quo minus Meſſiæ divinitatem tribuant. Locus eſt apertus præter alios in capite XXIII. apud Hieremiam: Et hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Deus juſtus noſter. Sic judicandum, puto per ſcripturam, & de reliquis ſynodis.

At, de moribus conſtituet Eccleſia, item de ceremoniis? *De moribus* non video quid ſit conſtitutum a Pontificibus, aut a ſynodis, niſi fortaſſe ad mores pertinent *leges papiſticæ, de bellis, litibus, cœlibatu:* quæ ſi ad regulam Evangelicam exigantur, *quid minus pium vel a Scytis potuit conſtitui?*

Sed *de ceremoniis* dicemus, quas *ſuum regnum curant Papiſtæ.* Principio, ut uno faſce complectar & moralia & ceremonias: *non dicet Epiſcopis, quidquam mandare, præter ea, quæ divinis literis prodita ſunt.* Miſit enim Chriſtus Apoſtolos docere, quæ ipſe tradiderat, Matthæi ultimo: Docentes eos ſervare omnia quæ mandavi vobis. *Ademit* igitur *poteſtatem novas leges, novos ritus condendi.* Non præcipit Chriſtus Apoſtolis, docere, niſi Evangelium. Unde igitur probabunt Epiſcopi jus ſibi eſſe condendi leges? An ex hac ſententia, cum ait: Qui nos audit, me audit? At, in decimo cap. prophetam vult nomine prophetæ recipi: Non vult igitur recipi *pſeudoprophetam,* hoc eſt, *eum qui humana commenta, traditiones hominum docet.*

Nam hos ſcriptura vocat *ſomniatores.* Quæſo autem vos, Solones Papiſtæ, ac νομοθέται, vel Syllabam e Scripturis producite, quæ vobis authoritatem faciat, condendi leges! Adimit autem ſcriptura facultatem condendi leges, cum præcipit, ne quid vel addatur, vel detrahatur legi Dei. Adimit & Paulus cum vocat ſpiritus miniſtros, Epiſcopos novi teſtamenti. Nam miniſter Spiritus eſt, qui per legem Dei omnium corda damnat, & conſolatur rurſus per Evangelium, efficax Spiritu Dei. Ad eam functionem quid quæſo faciunt *traditiones humanæ, quæ de externis tantum operibus judicant?* Damnat traditiones ſcriptura ſæpius, quam ut obſcurum eſſe poſſit, quid de eis ſentiat. Hieremias XXIII. *paleas* vocat. *Quid paleis ad triticum?* Item *mendacium,* item *ſomnia.* Eſaias, *vomitum ſordium, ſcoriam:* Ezechiel *fornicationes, carnes aſininas, hipponanes:* alii prophetæ aliter. Paulus blandiloquentias ſeu χρηστολογίας. Et ut multa omittam, indicat Paulus, *unde proficiſcantur traditiones humanæ,* in priore ad Timotheum: In noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentium nubere, abſtinere a cibis, quos Deus creavit &c. Videri, *ſpiritum fallacem authorem eſſe traditionum de cœlibatu, de diſcrimine ciborum* &c. At *quid aliud ſunt pontificii canones, niſi traditiones de cœlibatu, de ciborum diſcrimine, & de ſimilibus nugis.* Matth. XV. *Fruſtra colunt me mandatis hominum:* quem locum ex Eſaia repetit Chriſtus.

Quid igitur, quomodo obſtringunt conſcientias traditiones humanæ? *peccant ne, qui violant hominum conſtitutiones?* Reſpondeo, *Ita ferendas eſſe pontificum leges, ut ferimus quamcunque injuriam, aut tyrannidem,* juxta illud Matth. V. Quite adegerit ad mille paſſus, vade cum illo & alia duo. Sunt autem *catenus ferendæ, quatenus non periclitatur conſcientia per eas,* Actuum, V. Oportet Deo magis obedire quam hominibus: Ut, *cum fidem obſcurant traditiones, cum occaſio ſunt peccato, violandæ ſunt,* nec peccat qui citra ſcandalum judicio ſpiritus violat. Dicemus autem de ſcandalo poſtea. Habes autem non obſcuras ſententias ſcripturæ quæ docent, *non obſtringi conſcientias traditionibus humanis.* 1. Corinth. III. Omnia veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollo, id eſt, nec Paulus, nec Zepha habes authoritatem obligandi conſcientias veſtras. Et clare in eadem Epiſtola capite VII. *Precio empti eſtis, nolite*

nolite fieri hominum ſervi. At, *fiunt hominum ſervi, quorum conſcientiis libertas per traditiones eſt erepta.* Nam ut *Chriſtiana libertas eſt, conſcientiæ libertas:* ita *Chriſtianorum ſervitus, eſt conſcientiæ ſervitus.* Apertiſſimus locus eſt in Coloſſenſium Epiſtola: Siquidem una cum Chriſto commortui eſtis, quid adhuc tanquam viventes mundo, traditionibus vexamini? Et ſubjicit μιμητικῶς, illorum traditiones repetens: Ne tetigeritis, ne guſtaveritis, ne contrectaveritis, quæ ſunt omnia in interitum ipſo uſu, ſecundum præcepta & doctrinas hominum, quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo, qui debetur neceſſitati carnis. Hieremiæ XXIII. Vetat Dominus, ne audiantur Pſeudo Prophetæ: quod haud dubie ad eum caſum referri debet, ubi conſcientiæ periclitantur. Sic autem inquit: Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos, viſionem cordis ſui loquuntur, non de ore Domini. Habeo in hoc loco adſtipulatores etiam recentiores quosdam, & potiſſimum *Gerſonem*, qui nobiſcum ſentit, *non obſtringi conſcientias humanis traditionibus*, hoc eſt, *non peccare eum, qui traditionem humanam violat*, niſi intercedat caſus ſcandali. Vellem Bernardum de his paulo liberius judicaſſe, ubi de diſpenſatione ſcribit. Judicabit autem certiſſime Spiritus, juxta illud: Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas: Et, ſpiritus omnia dijudicat, & ipſe a nemine dijudicatur.

Qualia ſint *quæ conſtituta ſunt a conciliis, a pontificibus*, non poſſim equidem recenſere, ni velim repetere & *univerſum jus canonicum*, & totam *rerum Eccleſiaſticarum hiſtoriam.* Verum, pauca Exempla hujusmodi traditionum repetemus, è quibus æſtimari poſſit, id quod toties monet ſcriptura: *nihil perinde pietati adverſari, atque hominum doctrinas.* In Synodo Nicæna conſtitutæ ſunt quædam *pœnitentiæ formæ.* Non pronuncio, quo ſpiritu decreverint patres; at video, *bonam Evangelii partem, imo vim germanam Evangelii obſcuratam eſſe ea traditione.* Nam inde primum natæ ſunt *ſatisfactiones*, quæ principio forſaſſe tolerabiles erant, cum adhuc purior eſſet Evangelii intellectus penes Eccleſiam: ſed paulo poſt *ex ſatisfactionibus, qua conſcientiarum carniſicina facta eſt? Obſcurata gratia eſt, &, quod Evangelium fidei tribuit, cœptum eſt ſatisfactionibus tribui: quo quid eſt & impium magis & perniciosius? Et his malis certe occaſionem dedit Nicæna Synodus.* Quanto ſatius fuerat, ſequi Pauli exemplum in formis poenitentiæ, qui citra omnem ſatisfactionem, mœchum illum Corinthium, ubi reſipuit, recepit, monens etiam, ut eſt in Poſteriore Epiſtola ad Corinthios, ſufficere obiurgationem. Porro, *noſtrorum temporum theologaſtri ſecuti priſcam traditionem Synodi Nicenæ, fecerunt ex ſatisfactionibus partem pœnitentiæ, quo errore plane non eſt alius nocentior.*

Quid negotii fecit etiam piorum conſcientiis *confeſſio illa Papiſtica? quot millia animarum illa ſola perdidit?* Cum Paulus Corinthios cavere voluerit, ne nimia triſtitia affligeretur moechus ille: At *pontifices Romani, quorum inventum confeſſio eſt quæſo, quid aliud agunt, quam ut miſerrime & crudeliſſime divexent pravidas & veri pias conſcientias?*

Jam *in tot genera vivendi ſciſſus Chriſtianiſmus.* Quid refert Chriſtianæ charitatis & ſimplicitatis? Alii *laici*, alii *monachi*, alii *Clerici* ſunt, & in *his innumeræ ſectæ* ſunt, quæ tolerari poſſent fortaſſe, niſi & ſtudiis & ambitione certaretur. Deinde quibusdam vivendi generibus *addita eſt intolerabilis ſarcina, cœlibatus:* Actumque de coelibatu eſt etiam in Nicena Synodo. Quid autem per eam traditionem profectum ſit, nihil attinet referre, quando non alio conſilio vulgari libidines indulgentius potuere. In Cap. VII. ad Corinth. Ubi de virginitate diſſerit Paulus, nihil audet præcipere, ne laqueum injiceret, vultque hoc deligi, per quod poſſint ſervire Deo absque ulla diſtractione & aſſiduo, εὐπρόσεδρον τῷ κυρίῳ καὶ ἀπερισπάστως. Sic enim inquit Apoſtolus. At, qui minus aſſidui ſeu ἐμπρόσεδροι ſunt, qui vehementius a Deo divelluntur, quam quos ierunt flammæ carnis? Hæc proſpiciens Paulus, non præcipit cœlibatum imo & ad Timotheum ſcribens, *doctrinam dæmoniorum vocat traditionem de cœlibatu. Vicit Satan, & recepta lex eſt & vulgata in tot hominum millia magna cum pernicie rei Chriſtianæ.*

Jam & *Euchariſtia ablegata eſt ad peculiare quoddam genus hominum, ad ſacerdotes*, & qui communis eſſe volebat omnium piorum Chriſtus, jam a ſolis ſacerdotibus uſurpatur, atque ita & miſſæ fructus, & vis euchariſtiæ prorſus obſcurata eſt, *nec aliud nunc eſt Euchariſtia, niſi nundinatio ſacerdotum:* cum *repertum eſt a Satana, oportere ſacerdotes eſſe, qui pro populo ſacrificent, Miſſas vulgo vendi poſſe*, & hujusmodi alia. Non periſſet Miſſæ uſus, ni *ſeiſſæ* fuiſſent *vivendi conditiones, in Sacerdotes & Laicos. O horrendam & abominabilem impietatem*, quæ regnat hodie in Papiſticis Miſſis.

Et quid attinet multa commemorare? vides in his exemplis, *nullam fuiſſe tam piam traditionem in ſpeciem, quæ non magno malo fuerit rei Chriſtianæ.* Quid enim videtur magis convenire, quam ut ſint in Eccleſia publicorum ſcelerum *ſatisfactiones?* At, illa obſcurarunt gratiam. Quid decentius, quam *Epiſcopos cœlibes degere?* At, *per eum cœlibatum via libidinibus facta eſt.* Quid reverentius, (ſic enim judicant homines, non ſpiritus,) quam *non vulgari uſum euchariſtiæ in quosvis?* At, ita miſſæ fructus periit. Ita fit, ut *traditiones* habeant quidem rationem ſapientiæ: ſed ea ipſa ſpecies, ille *ipſe impia ac conſcelerata Jezabela fucus, ladit.*

DE EVANGELIO.

HActenus peccati formam & legum rationem, brevius fortaſſe, quam pro re, tractavimus. Non enim commentarium ſcribimus, ſed vulgarem quandam locorum formam adumbramus, quos in diſcendis ſacris literis ſequaris. Nunc de Evangelio & gratia diſputabimus, e quibus locis nonnihil accedit lucis etiam ſuperioribus. Nam de legis abrogatione, de vi legis, dilata diſputatio eſt in hunc usque locum. Porro, ut peccati ratio, niſi ex legum formulis, non intelligitur: ita nec gratiæ vis, niſi ex Evangelii deſcriptione, cognoſci

gnoſci poteſt. Et ut hactenus egimus de hominis damnatione, ſeu maledictione: Ita nunc agemus de hominis inſtauratione, ſeu benedictione. Duæ in univerſum ſcripturæ partes ſunt, Lex & Evangelium. Lex peccatum oſtendit, Evangelium gratiam. Lex morbum indicat, Evangelium remedium. Lex mortis miniſtra eſt, ut Pauli verbis utamur Evangelium vitæ ac pacis. Lex virtus peccati eſt, Evangelium virtus ſalutis omni credenti. Neque vero ita legem & Evangelium tradidit ſcriptura, ut Evangelium id modo putes, quod ſcripſerunt Matthæus, Marcus, Lucas, & Johannes: Moſi libros, nihil niſi legem: ſed ſparſa eſt Evangelii ratio, ſparſæ ſunt promiſſiones in omnes libros, veteris ac novi teſtamenti. Rurſum leges etiam ſparſæ ſunt in omnia tum veteris tum novi teſtamenti volumina. Nec, ut vulgo putant, diſcriminata ſunt legis & Evangelii tempora: Quanquam alias lex, alias Evangelium, ſubinde aliter revelata ſunt. *Omne tempus, quod ad mentes noſtras attinet, eſt legis, atque Evangelii tempus:* Sicut omnibus temporibus eodem modo homines juſtificati ſunt: peccatum per legem oſtenſum eſt, gratia per promiſſionem ſeu Evangelium. *Revelationis tempora variant.* Nam alias lex, alias Evangelium, & ſubinde aliter, revelata ſunt, id quod e ſcripturis conſtat. Vides enim, præter naturalem legem, quæ impreſſa eſt mentibus humanis, ut opinor, etiam leges latas eſſe a Deo Adamo, ne delibaret poma arboris ſcientiæ boni ac mali: Caino, ne iraſceretur fratri ſuo: & eidem, peccaturum, qui ſe occideret. In hunc modum legis naturæ cognitionem inſtaurabat prædicatione continua ſpiritus Dei, quæ jam obſcurabatur excoecatis peccato mentibus humanis, ita ut mihi pene libeat vocare legem naturæ non aliquod congenitum judicium, ſeu inſitum & inſculptum natura mentibus hominum, ſed leges acceptas a patribus & quaſi per manus traditas ſubinde poſteritati. Ut de creatione rerum, de colendo Deo, docuit poſteros Adam: ſic Cainum monuit, ne fratrem occideret &c. Sed ad Evangelium redeamus.

QVID EVANGELIVM.

Sicut lex eſt, qua recta mandantur, qua peccatum oſtenditur: ita *Evangelium eſt promiſſio gratiæ ſeu miſericordiæ Dei, adeoque condonatio peccati & teſtimonium benevolentiæ Dei erga nos*, quo teſtimonio certi animi noſtri, de benevolentia Dei, credant ſibi condonatam omnem culpam, & erecti ament, laudent Deum, exhilarentur & exultent in Deo, ut infra de vi Evangelii dicemus. Porro illarum promiſſionum omnium pignus eſt Chriſtus, quare in eum referendæ ſunt omnes ſcripturæ promiſſiones, qui obſcure primum, poſtea ſubinde clarius revelatus eſt.

Poſteaquam Adam deliquerat, & jam morti æternæ deſtinatus erat: periſſet haud dubie, ni dominus cum promiſſione gratiæ conſolatus fuiſſet. Tyrannnis peccati deſcribitur, cum inquit ad ſerpentem: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius. Et ſtatim victoria promittitur: Ipſum ſemen mulieris conculcabit caput tuum. Rectius enim meo judicio refertur pronomen eo loco ad ſemen, quam ad mulierem, ut in noſtris codicibus legitur. Ea *prima promiſſio* eſt, *primum Evangelium*, quo ſublevatus Adam, concepit certam ſuæ ſalutis ſpem, adeoque & juſtificatus eſt. Deinde *facta* eſt *promiſſio Abrahæ*, futurum, ut in ipſius ſemine benedicerentur omnes gentes: qua certe niſi de Chriſto intelligi non potuit. Eſtque hic Abrahæ ſinus, in quem qui recepti ſunt, ſervati ſunt; id eſt, ſervati ſunt, qui promiſſioni illi, quæ Abrahæ facta eſt, crediderunt. Atque hæc promiſſio eſt, quam ubique jactat ſcriptura novi teſtamenti. Poterit diligens lector omnes promiſſiones de Chriſto in hunc locum congerere. Quæ plane non aliud ſunt, niſi Evangelium, Deutero. XVIII. Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum, ſimilem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi: Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor exiſtam. In ſecundo volumine hiſtoriæ Regum cap. VII. *promittitur Davidi Chriſtus: Suſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus, Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum regni ejus, usque in ſempiternum.* Et ob hanc promiſſionem *filius David* Chriſtus appellatur a Prophetis. Immo *Davidem* etiam Ezechiel nominat. *Prophetæ in totum & legem repetunt, & Chriſtum promittunt.* Proderitque piæ menti, ſubnotare & in promptu habere promiſſiones divinas, quod ad confirmandas, erigendasque conſcientias mire efficaces ſunt.

Et in hunc modum revelavit Deus Evangelium ſtatim poſt Adæ lapſum, & ſubinde clarius aperuit, donec exhibuit Chriſtum. Id eſt quod ſcribit Paulus ad Roman. I. In Evangelium filii ſui, quod jam ante promiſit per prophetas, in ſcripturis ſanctis, de filio ſuo. Et literæ noſtrorum Evangeliſtarum, non aliud agunt, niſi ut teſtentur *exhibitas eſſe promiſſiones.* Atque id eſt, cur ſic ordiatur Matthæus: Liber generationis Jeſu Chriſti, filii David, filii Abraham. Vocoque *Evangelium promiſſionem gratiæ, benedictionis, benevolentiæ Dei per Chriſtum.* Sunt in Scripturis præter hanc promiſſionem æternæ benedictionis, etiam *promiſſiones rerum temporalium*: qualis eſt ea quæ facta eſt Noæ, quales pleræque *ſunt in lege*, de terra, de opulentia &c. quæ non modo figuræ ſunt ſpiritualium promiſſionum, ſed per ſeſe ſunt *teſtimonia gratiæ & miſericordiæ Dei*, ita, ut conſolentur & erigant conſcientias noſtras, ut Deum glorificent. Et de his quidem promiſſionibus infra agetur, ubi de fide dicemus, quæ fides, & quomodo juſtificet.

Vides, conſilium divini ſpiritus in ſcripturis, quam ſuaviter, quam blande erudiat pios, ut nihil aliud agat, quam ut ſalvemur. Tota ſcriptura alias lex eſt, alias Evangelium: *libri Moſi alias legem tradunt, alias Evangelium: adeoque Evangelium intra ipſam etiam legem abditum eſt.* Quid enim magis Evangelicum reperias, quam promiſſio illa eſt, quam Spiritus Dei, pro αἰτιολογίᾳ primi præcepti ſubjecit: *Faciens miſericordiam in millia his, qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.* Et vide ex legislatore Moſe, quomodo Evangeliſta hoc eſt, gratiæ

Diſcrimen librorum totius ſcripturæ.

gratiæ & miſericordiæ præco ſubito factus ſit, cum inquit in Exodo cap. XXXIV. *Dominator Domine Deus, miſerator & clemens, patiens, & multæ miſerationis, ac verax, qui cuſtodis miſericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & ſcelera atque peccata, nullusque apud te per ſe innocens eſt.* Da in omnibus novi teſtamenti literis, magis Evangelicam concionem. Et ad hunc modum alias legem, alias Evangelium Moſaici libri docent. Nihil jam de figuris loquor: ſed de iis, quæ palam litera præ ſe fert. Nam illa potiſſimum ſpectanda ſunt. Hiſtoriæ ſacræ, alias legum, alias evangelii exempla ſunt. Nam ad leges haud dubie pertinet horrendus Saulis caſus. Ad Evangelium David, qui cum oppreſſiſſet alienam uxorem, tamen gratiam impetravit, fuitque plane Evangelica vox, illa prophetæ denunciatio, II. Reg. XII. *Dominus ſuſtulit peccatum tuum, Non morieris.* Ad eum modum de ſimilibus exemplis judicandum eſt. Prophetæ legem docent, cum inſectantur hypocriſin, cum impietatem, ſecuritatem, & hoc genus alia. Nam obſcura vitia, ſeu hypocriſin, potiſſimum reprehendunt Evangelium quoque denunciant, quoties illis ſuis vivaciſſimis promiſſionibus de Chriſto erigunt labefactatas conſcientias, animant, atque ita implent, ut plane id Apoſtolicum ſonare poſſit: Quis ſeparabit nos a dilectione Dei? Literæ Apoſtolicæ Matthæi, Marci, Lucæ, Johannis, ad eundem, alias legem, alias promiſſiones tradunt: & in his exempla tum gratiæ, tum iræ Dei, Zachei, Centurionis, Sycophoeniſſæ exempla, miſericordiam teſtantur. Phariſæorum coecitas & furor exemplum eſt iræ Dei. Quanquam hoc differunt hiſtoriæ Apoſtolicæ a veteribus, quod teſtantur exhibitum Chriſtum, quem veteres tantum promiſerant. Deinde promiſſiones de gratia, juſtitia, vita æterna, clarius explicant, quam illæ quondam Moſaicæ, aut propheticæ literæ. Paulus Apoſtolus διδακτικῶς Evangelium cum lege, peccatum cum gratia contulit, potiſſimum in *Epiſtola ad Romanos*, quam ego puto *univerſæ Scripturæ velut indicem quendam eſſe κεφάλαια*. Reliquæ Epiſtolæ cum pene παραινετικῇ ſint, ad legem pertinent. Quanquam nulla ſit, in qua non alicubi attingat Evangelii rationes. Id quod per ſeſe diligens lector animadvertet.

Hæc monuimus ob hoc potiſſimum, *ut vulgatum illum errorem convelleremus, quem de diſcrimine legis & Evangelii veteris & novi teſtamenti, prodiderunt impii Sophiſticæ theologiæ profeſſores:* Moſi Chriſtum ſucceſſiſſe, novamque legem dediſſe, quæ nova lex Evangelium vocetur, contineaturque iis capitibus, quæ ſunt Matth. V. & VI. Inter Moſi legem ac Chriſti hoc intereſſe, quod Moſi lex externa tantum opera, Chriſti lex etiam affectus exigat, quaſi vero Moſaica lex doceat, quamdam hypocriticam & phariſaicam juſtitiam. Quid enim eſt aliud operum externorum ſimulatio, quam phariſaismus? Porro *exigi a lege Moſaica affectus*, vel Prophetæ teſtentur, qui toties præcipiunt agnoſcere Deum, timere Deum, facere judicium & juſtitiam, quæ dabunt mihi fortaſſe Sophiſtæ, ante Chriſti incarnationem, & ſuorum temporum homines docuiſſe. Quid autem illa Hieremiæ ſententia apertius, quam, velint nolint Sophiſtæ, referri oportet ad Moſi legem. Ait autem cap. VII. Non ſum locutus cum patribus veſtris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocauſtomatum, & victimarum, ſed hoc verbum præcepi eis, dicens, Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus. *Dic Thoma, quid in mentem venerit, cur doceres, Moſaica lege nihil exigi præter phariſaismum, hoc eſt, externa opera? cum toties etiam Moſes exigat nihil obſcuris verbis affectus.* Et ut multos locos omittam, nonne vetat concupiſcere rem alterius &c. Exodi XX. Opus jam ante interdixerat, cum furari, cum moechari prohiberet. Dabis igitur, *de affectu caveri*, his verbis: Non concupiſces domum proximi tui, nec deſiderabis uxorem ejus, non ſervum &c. Et Deuteronomii X. Et nunc Iſrael quid Dominus Deus tuus petit a te, niſi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum, ac ſervias Domino Deo tuo, in toto corde tuo, & in tota anima tua, cuſtodiasque mandata Domini & ceremonias ejus, quas ego hodie præcipio tibi, ut bene ſit tibi. Et rurſus: Circumcidite præputium cordis veſtri & cervicem veſtram ne induretis &c. Hoc genus in Moſe ſexcentos locos reperias: ut nihil ſit obſcurum & *affectus & opera á Moſi exigi.*

Quod lex Moſi exigat affectus.

Chriſtus exponit legem.

Proinde exponit legem Chriſtus: Non enim poteſt prædicari gratia ſine lege; & phariſeorum ac ſcribarum interpretationem reprehendit, cum a principio ait: Non ingreſſuros in regnum coelorum, ni noſtra juſtitia ſuperet Phariſæorum ac ſcribarum juſtitiam. Sic *interpretabantur Phariſæi, ſatisfactum legi, non occides, ſi manu cadem non faceres:* Legi, non moechaberis, ſi alterius uxorem non comprimeres. *Chriſtus docet cordis affectus exigi a lege, non externum tantum operum ſimulationem:* vetat enim lex *concupiſcere. Vindictam lex* etiam *prohibebat*, adeoque *exigebat inimicos diligi.* Levitici XIX. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo*, ſed publice argue eum, nec portes adverſum illum peccatum: Ne vindica, nec memor eſto injuriæ filiorum populi tui: *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum:* Quod neſcio cur maluerit Hieronymus vertere amicum; ſic enim in noſtris codicibus legitur, cum vox hebræa magis cognatum ſignificet, & ſeptuaginta interpretes verterint, πλησίον, quos ſecutus eſt ad Rom. XIII. Paulus, ubi hanc ex lege paræneſin citat. Eſt autem *hæc ſumma Moſaicæ illius ſententiæ, ut inter ſe Judæi ament, tum amicos tum inimicos, ut bene mereantur, etiam de male merentibus.* Accedit huc caput Eſaiæ LVIII. Quod plane *vetat vindicari & exigit amorem etiam inimicorum.* Et proverbiorum XX. Ne dicas reddam malum, pro malo, expecta Dominum & liberabit te.

Jam in lege, quod ego ſciam, nusquam reperias hæc verba: *Odio habebis inimicum tuum.* Ut ſatis appareat, *non legis ſententiam, ſed Phariſaicam traditionem Chriſtum retuliſſe, ut damnaret.* De Cananæis acceperant Judæi præceptum, & eos perderent, Exodi XXIII. quorſum alluſiſſe Chriſtum nonnulli opinantur, cum ait, dictum eſſe de perſe-

de perſequendis inimicis. Quod ſi verum eſt: quid aliud dicemus voluiſſe Chriſtum, quam ut revelato Evangelio, & diruto interſtitio maceriæ, ut Paulus ait, & ſublato inductoque diſcrimine gentium ac Judæorum, ſicut antea Judæis Judæos diligere, tum amicos, tum inimicos mandatum fuerat, ita nos tum gentes, tum Judæos, cum amicos tum inimicos diligeremus? Quid autem, quod de ſolis etiam Cananæis Iſraeli præceptum fuit? Quid quod advenas etiam jubentur diligere? Huc pertinet, quod *de fœnore* decretum eſt, exteris foenerandum, non cognatis. Nunc cum nulli ſint exteri, omnes cognati: in univerſum interdictum eſt foenus.

Quanquam *negari non poteſt, quin aliqua in lege novarit Chriſtus*, quale illud eſt de divortio, quale item eſt, quod cum Judæis præceptum fuerit gladio legalia defendere, Evangelium non jubet Chriſtus armis defendi, imo Petro ait: Converte gladium in locum ſuum. Qui gladium acceperit gladio peribit. Tamen *non eſt Chriſti primarium ac proprium officium, legem condere, ſed gratiam donare.* Moſes legumlator eſt, & iudex Chriſtus Salvator, ſicut ipſe de ſeſe teſtatur Joh. III. Non miſit Deus filium ſuum in mundum, ut judicet mundum: Sed ut ſalvetur mundus per ipſum, Lex damnat, quandoquidem per nos ei ſatisfieri nequit: Chriſtus gratiam peccati donat credentibus. Sæpe quidem legem etiam Chriſtus prædicat, quod ſine lege peccatum cognoſci non poſſit, quod niſi ſentiamus, vim gratiæ & amplitudinem non intelligemus. Proinde *ſimul & lex & Evangelium prædicari debet, oſtendi debent & peccatum & gratia.* Duo Cherubim arcæ impoſiti erant, Lex & Evangelium: quare fieri nequit, ut Evangelium ſine lege, legem ſine Evangelio recte aut foeliciter doceas. Et ut cum Evangelio Chriſtus legem conjunxit: Ita cum lege Evangelium Prophetæ. Habes hujus rei exempla etiam in Apoſtolorum concionibus in Actis. In primis autem Epiſtolas Pauli omnes, in quibus fere primum de ratione Evangelii diſſerit, poſtea paræneſes præſcribit.

DE VI LEGIS.

Evangelium non eſſe legem ſed *promiſſionem gratiæ* diximus: nunc ſupereſt, ut, quæ legis, quæ Evangelii vis ſit, utcunque doceamus. Nam hinc legis & Evangelii diſcrimen aliqua ex parte cognoſci potuit. Ac principio quidem *de vi legis variat ſcriptura, ab humana ratione.* Scriptura legem vocat virtutem iræ, peccati, ſceptrum exactoris, fulmen, tonitru. Ratio humana emendationem vitiorum & doctrinam vivendi. Sic enim vocat Cicero de legibus. Et nihil vulgo laudibus legum celebratius eſt, ut carni videri poſſit etiam inſanire Paulus, cum *virtutem peccati, legem vocat.* Sic Judæi Joh. IX. Cum ſe Moſes diſcipulos profitentur, agnoſcere Chriſtum nolunt. Proinde ut de vi legis exacte diſputemus, duo hominum genera inter ſe conferamus.

Hypocriſis humana juſtitia

Ex primo genere ſunt *qui legem carnaliter intelligunt, nec ſentiunt exigere impoſſibilia, cæci, qui nec peccatum, nec legem, nec juſtitiam vident.* Sunt autem *hypocritæ, Sophiſtæ omnium ſeculorum.* Hujusmodi juſtitiam Paulus vocat *juſtitiam ex operibus legis*, nempe eorum, qui cum legem audiunt, facere aggrediuntur ſuis operibus, & ad legem adferunt manus, pedes, os, *cor autem non afferunt: mallent enim ſine lege eſſe, quantumvis ſibi ſancti videantur.* Adhuc placent voluptates, opes, honor. Hi quales ſint, nemo melius quam Spiritus Dei dixerit. Principio fide carent, hoc eſt, *cor eorum nihil intelligit Dei, &*, *ut* ſcriptura loquitur, Deum non requirit, h. e. non magni facit, ſed contemnit. Deinde declinant, juxta Pſal. XIII. id eſt, cum nec timeant, Deum nec credant Deo, ad ſua conſilia deflectunt, contempto Deo, per quæ ſibi aut ad opes, aut ad dignitates viam faciunt. Præterea etiam ſuis operibus conantur ſe juſtificare, cujusmodi *operarios iniquitatis* ſcriptura ſæpe perſtringit. Pſalm. v. a Davide deſcribuntur *hypocritæ* ad hunc modum: *Quod non ſit in ore eorum rectum candor, quod interiora ſint vacuitas, quod guttur eorum ſit patens vorago.* Cum hoc hominum genere nihil eſt legi negotii. Nam e falſo & carnali intellectu legis vivunt, quare in eis efficere id non poteſt lex, quod debeat, ſed ipſi ſibi ex lege, idola, imagines maſculinas, & carnalium virtutum umbras fingunt. Trahuntur enim ad ſimulanda bona opera carnali quodam affectu, vel pœnæ metu, vel commodi ſtudio, ſtulte ſecuri, *cum non videant morbum animi ſui.* Eſtque huius generis incredibilis ſuperbia, tumor, pertinacia, Φιλαυτία. Tantum abeſt, ut legi ſatisfaciant, ut nulli longius a lege abſint. Hujusmodi eſt Phariſæus ille Lucæ XVIII. qui ait: Non ſum ſicut cæteri homines. Et Eſaias deſcribit ebrios Ephraim, cap. XXVIII. percuſſimus foedus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Et Hierem. VI. Erubeſcere neſcierunt. Et Matth. VII. operarii iniquitatis. *Qualem ſe fuiſſe teſtatur Paulus, priusquam converteretur.* Rom. VII. *Ego aliquando ſine lege vixi, id eſt fuit aliquod tempus, cum viderer mihi legem egregie præſtare*, cum vincerem hypocriſi operum etiam omnes æquales meos, non enim arguebat me, non accuſabat, non damnabat tum lex. Et tales quidem omnes homines ſunt, qui per vires naturæ pro captu rationis legem exprimere conantur, cum nec legem nec vires ſuas intelligant. Atque hi ſunt, qui Moſi tergum tantum, qui Moſi velatam tantum faciem contemplantur, ut vult Paulus in poſteriore ad Corinthios, ubi a Judæis negat intelligi poſſe juſtitiam Evangelicam, quod corde velato contueantur Moſen, hoc eſt, quid exigat lex, quam nos nihil niſi peccatum & maledictum ſimus, per legem non vident.

Et hactenus quidem de iis qui per vires naturæ pro facultate rationis humanæ tentant legem, qui quales ſint a ſuo corde quisque poterit æſtimare. Ad hos non pertinent proprie hæ Pauli ſententiæ: Lex virtus iræ, virtus peccati, miniſtratio mortis &c. Quanquam his etiam lex damno ſit, quod ex ea Idolum ſibi faciant, deinde nihil non operentur cum ineffabili quadam cordis tum ſuperbia, tum moleſtia.

Ex altero genere ſunt, ad quos hæ ſententiæ *Lex virtus peccati, virtus iræ* &c. pertinent, *qui-*

quibus legem Deus revelat, oſtenditque corda, & quos ſenſu peccati ſui terret Deus & confundit. Hi demum ſunt in quibus per legem Deus operatur. In hypocritis nihil agit lex, ſed ipſi quandam legis umbram, umbra quadam hypocriticæ juſtitiæ referunt. In his vere ac proprie lex agit quibus oſtenditur peccatum. Quod quia vere ſit, a Deo fit, & vocat hoc opus ſcriptura judicium, iram Dei, furorem Dei, aſpectum, vultum iræ &c. Pſalm. XCVI. Judicium correctio ſedis eius, Ignis ante ipſum præcedet & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Alluxerunt fulgura ejus orbi terræ, vidit & commota eſt terra. Montes ſicut cera fluxerunt, a facie Domini, a facie Domini omnis terra. Pſalm. LXXV. De cœlo auditum feciſti iudicium, terra tremuit & quievit. Et Zachar. III. Sileat omnis caro, a facie Domini Eſai. XI. Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium. Abacuk. III. Aſpexit & diſſolvit gentes & contriti ſunt montes ſeculi. Quanquam quid attinet multa congerere, cum hæc plane altera ſcripturæ pars ſit, *Lex & legis opus occidere & damnare, oſtendere radicem peccati noſtri & confundere. Mortificat non avaritiam tantum aut libidinem, ſed caput omnium malorum amorem noſtri, judicium rationis, & quidquid boni ſibi videtur habere natura.* Hic apparebit *quam puteant virtutes morales*, quam ſint pollutus menſtruo pannus juſtitiæ ſanctorum. Quandoquidem etiam Moſen exclamare oportuit: Coram te ne innocens quidem eſt innocens. Et Naum: Mundans non faciet innocentem. Et David: Ne intres in iudicium cum ſervo tuo, &, Domine ne in furore tuo arguas me. Et Eſaiæ XXXVIII. Ezechias: Quaſi leo contrivit omnia oſſa mea. Et hoc eſt, quod parciſſime dixit, ut ſolet omnia, Johannes: *Per Moſen lex data eſt, gratia & veritas per JEſum Chriſtum facta eſt.* Veritas hypocriſi, gratia furori Dei opponitur. Proinde cum per Jeſum Chriſtum gratia, id eſt, miſericordia & favor Dei partus ſit, & *verax in corde noſtro iuſtitia*: neceſſe eſt, ut lex hypocriſis tantum autor ſit, cum coercet invitos & fumentes adverſus DEum, & iræ, cum damnat nos reos.

Virtutes Theologicæ

Sic Paulus ad Rom. VII. ubi de vi legis diligentiſſime diſſeruit: Peccatum non cognovi, niſi per legem: Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces. Idem Cap. III. per legem cognitio peccati: quaſi dicat, *hypocritis falſo perſuaſum, parari lege iuſtitiam, cum lex tantum oſtendat cordi peccatum.* Deinde occaſione accepta peccatum per mandatum in me operatum eſt omnem concupiſcentiam, id eſt ubi coepi legis onus ſentire, adeo nihil profectum eſt lege, ut concupiſcentia magis etiam irritata coeperit fremere adverſus iudicium & voluntatem Dei. Nam ſine lege peccatum erat mortuum, hoc eſt, ni lex mihi in corde peccatum oſtendiſſet, ni me ſenſus peccati conterruiſſet, mortuum fuiſſet peccatum, non efferbuiſſet. Vixi enim aliquando ſine lege. Fuit aliquod tempus, cum iuſtus mihi viderer, legem non videbam, adeoque nec peccatum. Atque ibi, tum peccatum conquieſcebat, nec palam iraſcebatur Deo: Sed cum veniſſet mandatum, peccatum revixit, ego autem mortuus ſum, hoc eſt, cum iam lege oſtendiſſet mihi peccatum Deus exuſcitatum eſt peccatum, ego confuſus ſum, pave factus, inhorrui, breviter, mortuus ſum. Et tum quidem apparuit, quæ vis legis eſſet. Prodita quidem lex eſt, ut viveremus: Sed cum facere non poſſimus, mortis organum eſt. Et quæ cauſa eſt tandem, cur lex occiderit? Lex ſpiritualis eſt, id eſt, exigit ſpiritualia, veritatem, fidem glorificantem Deum, amorem Dei: ego vero carnalis ſum, incredulus ignorans Dei, inſipiens, amans mei &c.

Nusquam vim rationesque legis tam copioſe tractavit Apoſtolus Paulus, ut hoc loco, quem propoſuimus, in quo non video, quid deſiderari poſſit. Obſcuritas nulla eſt, nihil impeditum, plana aperta omnia, ut dubitari non poſſit de eius ſententia. Quod ſi volet, ſtudioſus lector ſcripturæ, addat huic veluti ſuffragatores, eos locos qui ſunt in alias ſparſi Epiſtolas.

In priore ad Corinth. Aculeus mortis peccatum, potentia vero peccati lex. Non enim confunderet, non terreret peccatum, ni lege oſtenderetur nobis: adeoque non eſſet efficax peccatum, niſi per legem eſſet excitatum & oſtenſum. Ita nec mors efficax eſſet, niſi peccati viribus & opera terreret nos. In poſteriore ad Corinthios capite tertio, diſcernitur lex a ſpiritu, ad hunc modum: Sufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti, non literæ ſed ſpiritus. Litera enim occidit, ſpiritus autem vivificat. Et quid literam, quid ſpiritum vocet, ſequentia clarius docent, cum ait: Quod ſi miniſtratio mortis literis deformata in Saxis fuit in gloria, adeo ut non poſſent oculos intendere filii Iſrael in faciem Moſi, propter gloriam vultus eius, quæ aboletur: cur non potius adminiſtratio ſpiritus erit in gloria? Miniſtratio mortis lex eſt, quæ oſtenſo revelatoque peccato, confundit, conterret, & occidit conſcientiam. Miniſtratio Spiritus Evangelium eſt, ut poſtea dicemus, quod conſolatur, erigit, animat, vivificat antepave factas mentes.

In tertio capite Epiſtolæ ad Galatas, cum longa diſputatione docuiſſet Apoſtolus, non parari ſolius legis adminiculo juſtitiam, addit id quod objici poſſe non inepte videbat: Quid igitur lex? id eſt, ſi non profuit ad parandam juſtitiam: quæſo, quis eius fuit uſus? proter transgreſſiones, inquit, lex tradita eſt, id eſt, ut augeretur prævaricatio. Auget enim cognitio peccati, peccatum: cum quod implacabilius ſæviat, cum cohercetur, tum quod indigne fert natura ſe confundi, & iraſcitur divino iudicio.

Hanc eſſe vim legis, etiam docent typi ſcripturæ plerique. Exod. XIX. Cum legem eſſet laturus Deus, terrebatur mirifice populus, tonitru, fumo, fulgore, nubibus, clangore buccinæ, & quibus non horrendis ſpectris? quæ omnia perculſæ conſcientiæ terriculamenta deſignant. An non vox populi, conſcientiæ labefactatæ vox eſt? Cum inquiunt: Non loquatur Dominus, nobis, ne forte moriamur. Et populum quidem ſic conſternatum mire ſublevat, Moſes, non jam legis miniſter, ſed Evangeliſta, cum ait: Nolite timere: Ut enim probaret vos venit Deus, & ut terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis. O Evangelicam plane vocem Moſi, quam niſi audi-

at

at conſcientia, quomodo ſuſtinebit illum horrendum vultum judicis. Sed de Evangelica conſolatione poſtea dicemus.

Jam ea e Moſi facie lux reſplenduit, ut perſtringerentur populo oculi. Id quod in cauſa fuit, cur deinceps non niſi velat a facie ſeſe populo oſtenderet. Non enim ferunt fulgorem divinæ lucis, oculi aut mentes humanæ.

In ſumma, fulgor, faces in monte, ſplendor in facie Moſi, plane indicant, ut cum Paulo loquar, gloriam Dei, qua cor humanum Deus confundit. Judicium Dei eſt iſta peccati cognitio. *Cedant hinc Sophiſticæ attritiones, & ſimulatæ contritiones*, cedant cauteriatæ conſcientiæ hypocritarum. Hic profunda cordis Deus ſcrutatur. Tantum abeſt enim ut ratio humana videat peccatum ſuum, ut ſanctos etiam & plenos ſpiritu oporteat pro ignorantiis ſupplicare. Exclamat David: Delicta quis intelligit? & ignorantias meas ne memineris, & hoc genus multa alias. Hierem. cap. XVII. pravum & inſcrutabile ait eſſe cor hominis: Ego Dominus ſcrutans cor & probans renes. Et Cap. XXXI. Caſtigaſti me Domine, & eruditus ſum, quaſi juvenculus indomitus: Converte me & convertar, quia tu Dominus Deus meus: Poſtquam enim convertiſti me, egi poenitentiam, & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum: confuſus ſum & erubui, quum ſuſtinui ignominiam pueritiæ meæ: Et quis eſt, qui ſe legem aſſecutum putet, cum præcipiatur, ut nosmet ipſos abnegemus, Matth. XVI. In ſumma, *proprium legis opus eſt peccati revelatio*, aut ut clarius dicam, *peccati conſcientiæ*, & ut Paulus vocat, Chirographum in dogmatibus, quod advertatur nobis. Sic enim Paulus multo elegantius, multo certius definiit *conſcientiam*, quam *Sophiſtæ ſententiarii, qui neſcio quot practicos ſyllogismos concipiunt, dum vocabulum conſcientiæ deſcribant.* Quid enim aliud eſt conſcientia peccati, quam legis ſententia, in corde oſtendens peccatum noſtrum? Nam quod Paulus ait in Coloſſ. Epiſtola χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν, ὃ ἦν ὑπεναντίον ἡμῖν, vult conſcientiam Chirographum eſſe, idque in decretis, id eſt, quod per decreta, per legem adverſatur nobis.

Quid conſcientia.

Habes, *legis opus* eſſe, *revelationem peccati.* Porro, cum peccatum nomino, omnia genera peccati complector, externa, interna, hypocriſin, incredulitatem, amorem noſtri, contemptum ſeu ignorantiam Dei, ipſas ſcilicet radices omnium humanorum operum. Et in juſtificandis quidem peccatoribus, primum hoc opus Dei eſt, revelare peccatum noſtrum, confundere conſcientiam noſtram, pavefacere, terrere, breviter, damnare, ut exemplum indicat Hieremiæ, quod paulo ante citavi. Et ait Paulus: Ego per legem legi mortuus ſum. Et David II. Reg. XII. increpatione prophetæ confuſus, exclamat: Peccavi Domino. Et III. Reg. XXI. Achab dirupit veſtem &c. & ut ait ſcriptura, ambulavit dimiſſo capite. Et in ſecundo παραλειπομένων cap. XXXIII. ſcribitur de Manaſſe, quod ſit coanguſtatus: utendum eſt enim ſcripturæ verbo. Et in ſecundo capite hiſtoriæ Apoſtolicæ: His auditis compuncti ſunt corde. Hic ſatis ſit monuiſſe, *hoc opus legis initium* eſſe *pœnitentiæ*, quo ſpiritus Dei terrere confundere conſcientias ſolet. Nam natura per ſeſe peccati fœditatem non poteſt cognoſcere, tantum abeſt ut odiſſe poſſit. Animalis enim homo non ſentit ea quæ ſunt Dei. Et ad Rom. VIII. Caro affectat ea, quæ carnis ſunt. Hæc *de pœnitentiæ initio* tractant ſophiſtæ in quarto ſententiarum, nos hic velut in veſtibulo noſtri operis. Nam juſtificationem hominis, adeoque verum baptiſmum auſpicatur mortificatio, judicium, confuſio, quæ fit a ſpiritu Dei per legem. Et ſicut hinc nempe *a peccati cognitione vita Chriſtiana auſpicanda eſt*: ita *a legis officio Chriſtiana doctrina auſpicanda eſt.*

Principium pœnitentiæ.

Non eſt operæ pretium diſputare, ſitne hic *timor ſervilis*, an ut vocant, *filialis? Permittamus hoc genus diſceptationes otioſis ingeniis.* Quanquam *hac de replerisque ſic diſputant, ut ſatis appareat eos neque quid ſervilis, neque quid filiorum metus ſit, intelligere.* Certum eſt, odio peccati tangi neminem poſſe, niſi per ſpiritum ſanctum; certum item eſt, ſic conterritos fugere vultum Dei & conſpectum, niſi ſpiritu Dei retrahantur, revocentur ac confirmentur ut clament cum Paulo: Domine quid me vis facere. Fugere conſpectum Dei conterritos lege, docet hiſtoria in Exodo, cum apellat Moſen populus: Non loquatur Dominus nobis, ne forte moriamur. Et David pſal. CXXXVIII. Quo ibo a ſpiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? Extant teſtimonia abunde multa hujus loci in ſcripturis, mihi ſatis viſum eſt hæc monuiſſe, quo diſcrimen legis & Evangelii certius teneretur. Vides autem, *quantum inter ſimulatam pœnitentiam & veram interſit.*

Timor ſervilis. Timor filialis.

DE VI EVANGELII.

QVos ad eum modum terruit conſcientia, ii haud dubie ad desperationem adigerentur, id quod in damnatis uſu venit, niſi *promiſſione gratiæ ac miſericordiæ Dei* (nam *Evangelium* dici conſtat) ſublevarentur & erigerentur. Hic ſi credat afflicta conſcientia promiſſioni gratiæ in Chriſto, fide reſuscitatur & vivificatur, id quod mirifice declarabunt exempla.

In Geneſi cap. III. Peccatum, pœnitentia, & juſtificatio Adæ deſcribitur. Poſteaquam deliquiſſent Adam & Heva, & jam nuditati ſuæ tegmen ac περίζωματα quærerent: Sic enim *ſolemus hypocritæ, conſcientiis mederi per ſatisfactiones noſtras*: compellabantur a Domino. Ea vero vox intolerabilis erat. Hic nihil perizomata, nullus prætextus, excuſabat peccatum. Jacet convicta, jacet rea conſcientia, peccato ab oculos poſito per vocem Dei. Fugiunt, & cauſam fugæ exponit Adam, quum inquit: Vocem tuam Domine audivi in Paradiſo, & timui, eo quod nudus eſſem. Ecce confeſſionem καὶ ἐξομολόγησιν conſcientiæ. Interim Adam miſere ſecum luctatur, donec audit, *promiſſionem miſericordiæ*, vocem de uxore dictam. *Semen eius conteret caput ſerpentis.* Non nihil faciebat ad confirmandas eorum conſcientias etiam, quod Dominus eos veſtiit, haud dubia ſignificatione incarnationis Chriſti, nam ea caro tandem operit nuditatem noſtram, & eximit confuſionem paventibus conſcientiis, nempe, in quam opprobria exprobrantium incidere.

Pſal. LXVIII. paulo ante Davidis meminimus, ut voce Nathan prophetæ confuſus ſit. Et periiſſet ille quidem, ni ſtatim Evangelium audiſſet: *Dominus ſuſtulit peccatum tuum, non morieris.* Sunt qui putant in veteris inſtrumenti hiſtoriis præter allegorias nihil requirendum. Sed hic vides, quantum ſit eruditionis in uno hoc Davidis exemplo, ſi ſolam literam conſideres. Immo ea ſola eſt ſpectanda, in qua cum iræ, tum miſericordiæ ſuæ opera ſpiritus Dei nobis large exhibuit. Quæ vox magis Evangelica cogitari potuit, quam hæc? Dominus ſuſtulit peccatum tuum. Annon hæc ſumma eſt Evangelii, ſeu prædicationis novi teſtamenti? ſublatum eſſe peccatum? Addes his, ſi voles, acervum hiſtoriarum Evangelicarum Lucæ VII. Mulier peccatrix lacrumis lavat pedes Domini, quam conſolatur his verbis: *remittuntur tibi peccata.* Et quid vulgatius filii prodigi hiſtoria Lucæ XV. confitentis delictum ſuum, quem pater quam amenter excipit, complectitur, oſculatur &c. Lucæ. V. Petrus ſtupefactus miraculo, adeoque perculſus corde, exclamat: Exi a me Domine, quia homo peccator ſum. Quem conſolatur & revocat Chriſtus, cum inquit: Noli timere &c. Ex his exemplis credo poſſe intelligi, quid inter legem & Evangelium interſit, quævis ſit legis, quæ Evangelii. *Lex terret, Evangelium conſolatur. Lex iræ vox eſt & mortis, Evangelium pacis & vitæ*, & in ſumma vox ſponſi & ſponſæ, ſicut Propheta dicit. Et *qui ſic erectus voce Evangelii, credit Deo: is iam iuſtificatus eſt.* Vt mox copioſius dicam. Non eſt obſcurum Chriſtianis, quantum gaudii, quantum lætitiæ iſta conſolatio afferat. Atque huc pertinent lætæ illæ prophetarum voces, quibus deſcribunt Chriſtum & Eccleſiam. Eſaiæ XXXII. Et ſedebit Populus meus in pulchritudine pacis & in tabernaculis fiduciæ & in requie opulenta. Item gaudium & lætitia invenietur in ea & vox laudis. Hierem. XXXIII. Revelabo illis deprecationem pacis & veritatis, Et erit mihi in nomen & in gaudium & laudem & exultationem cunctis gentibus terræ. Sophon. III Reddam populis labium electum, ut invocent omnes nomen Domini, Pſal. XX. Lætificabis eum gaudio &c. Et XCVI. Lux orta eſt juſto & rectis corde lætitia.

Iuſtificatio quid?

Et quid attinet multa congerere, cum ex promulgatione legis, item ex Chriſti adventu ſatis appareat, tum legis; tum Evangelii vis. Etenim quam terribili ſpectaculo lex promulgata ſit, deſcribitur Exod. XIX. & nos paulo ante recenſuimus. Sicut enim tum Iſraelem terrebat Dominus, ita ſingulorum conſcientiæ terrentur voce legis, & una cum Iſraele clamant. Non loquatur nobis Dominus ne moriamur. Exigit lex impoſſibilia, coarguitur peccati rea conſcientia. Hinc pavor, confuſio, ſic exercent conſcientiam, ut remedii nihil usquam appareat, ni ipſe, qui humiliavit, erigat. Sunt qui ſuis viribus conatibus, operibus, ac ſatisfactionibus quærunt conſolationem. Sedii non plus efficiunt, quam effecerat Adam ſuis perizomatis: Ita ſunt, qui ſe peccato ſui arbitrii viribus opponunt. Eos ſubinde miſerabilius ruere, res ipſa docet. Fallax enim equus ad ſalutem, in abundantia virtutis ſuæ non ſalvabitur, Pſal. XXXII. Et da nobis auxilium Domine, quia vana ſalus hominis. Pſal. CVII. Contra Chriſti adventus deſcribitur a propheta Zacharia IX. Exulta filia Zion, jubila filia Ieruſalem: Ecce Rex tuus venit tibi juſtus & ſalvator, ipſe pauper. Primum, cum jubet exultare, docet, aliud eſſe verbum hujus regis, quam lex ſit, adeoque exprimit conſcientiæ gaudium, exultantis, ubi audierit verbum gratiæ. Deinde nihil tumulti eſt, ſed placida omnia, ut intelligas, autorem pacis eſſe, non iræ. Hoc eſt, quod pauperem vocat Zacharias quod Evangeliſta velut exponens fecit manſuetum. Et Eſaias eodem ſpectat XLII. Calamum quaſſatum non confringet, linum fumigans non extinguet.

Sic confert Moſi vultum cum Chriſti vultu Apoſtolus in poſteriore ad Corinth. Terrebat Moſes fulgore vultus, ut ſupra monuimus. Quis enim judicii divini maieſtatem ferat, cum id Propheta etiam deprecetur? Ne intres in judicium cum ſervo tuo. Chriſti gloriam cum in Thabor vident diſcipuli quam novo, quam admirando gaudio perfunduntur ita ut ignarus ſui Petrus clamaret: Domine, bonum eſt nos hic eſſe, faciamus tria tabernacula. Hic enim aſpectus eſt gratiæ & miſericordiæ Dei. Sicut ahenei ſerpentis conſpectus ſervabat: ita ſervantur, qui defixos in Chriſtum oculos fidei habent. Joh. III. Ideo aptiſſimo nomine εὐαγγελίον dixerunt Apoſtoli lætum nuncium. Nam & græci vulgo εὐαγγέλια vocarunt nuntia, præconia publica rerum bene geſtarum. Sicut eſt apud Iſocratem δὶς ἤδη τεθείκαμεν εὐαγγέλια.

DE GRATIA.

Sicut lex peccati cognitio eſt: ita Evangelium promiſſio gratiæ & juſtitiæ. Proinde quia de verbo gratiæ & juſtitiæ, nempe de Evangelio dictum eſt, hic ſubjiciendæ ſunt gratiæ & juſtificationis formulæ. Nam ita Evangelii ratio plenius cognoſci poterit.

Hic vero merito quis expoſtulet *cum ſcholaſticis*, qui *ſacroſancto vocabulo gratiæ tam fœde abuſi ſunt, cum pro qualitate, quæ ſit in animis ſanctorum, uſurpant*: & pinguiſſime omnium *Thomiſtæ*, qui qualitatem, gratiam in animæ natura poſuere, fidem, ſpem, charitatem in potentiis animæ. Atque hic *quam aniliter, quam ſtulte digladiantur de potentiis* animæ? Sed ſordeſcant prolixe impii homines, & contempti Evangelii poenas dent nugando. Tu, mi lector, precare, ut Evangelium ſuum cordibus noſtris revelet ſpiritus Dei. Eſt enim verbum ſpiritus, quod doceri niſi per ſpiritum non poteſt: id quod Eſaias ait, omnes eſſe θεοδιδάκτους.

I. In literis novi teſtamenti fere *gratiæ* vocabulum uſurpatum eſt pro hebraico חן quod χάριν verterunt ſeptuaginta interpretes, ut Exodi XXXIII. Inveniſti gratiam coram me &c. & ſæpe alias. Significat autem plane id quod latinis *favor*. Atque *utinam verbo favoris uti maluiſſent interpretes, quam vocabulo gratiæ. Defuiſſet enim hoc loco inepti endi occaſio Sophiſtis.* Proinde ſicut grammatici dicunt, Julium favere Curioni, cum ſignificant in Julio eſſe favorem, quo ſit complexus Curionem: Ita in ſacris literis gratia favorem deſignat, eſtque gratia ſeu favor in Deo, quo complexus eſt ſanctos. *Faceſſant Ariſtotelica figmenta de qualitatibus.* Non aliud enim eſt gratia ſe exactiſſime deſcribenda ſit, niſi *Dei benevolentia*

volentia erga nos, ſeu *voluntas Dei miſerta noſtri. Non ſignificat* ergo *gratia vocabulum qualitatem aliquam in nobis*: Sed *potius ipſam DEI voluntatem ſeu benevolentiam DEI erga nos.*

Differentia gratiæ & doni.

II. Paulus ad Rom. V. diſtinguit a gratia *donum*: Si unius delicto multi mortui ſunt: multo magis gratia Dei, & donum in gratia ea, quæ eſt unius hominis Jeſu Chriſti, in multos exundavit. Gratiam vocat favorem Dei, quo ille Chriſtum complexus eſt, & in Chriſto & propter Chriſtum omnes ſanctos. Deinde quia favet, non poteſt Deus, non effundere dona ſua in eos, quorum miſertus eſt. Sic homines, quibus favent, eorum res adjuvant, iis ſua impertiunt. *Donum* vero *Dei eſt ipſe Spiritus Sanctus, quem effundit Deus in corda ſuorum.* Joh. XX. Inſufflavit & dixit, Accipite ſpiritum ſanctum. Et ad Rom. VIII. Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, abba Pater. Porro ſpiritus ſancti opera ſunt in ſanctorum cordibus, fides, pax, gaudium, charitas, &c. Ad Galatas quinto. Petrum Longobardum quod alicubi ſpiritum ſanctum potius gratiam vocarit, quam Pariſienſem, hoc eſt, fictitiam illam qualitatem, mirum eſt, quo ſupercilio tractent Sophiſtæ, qui tamen quanto rectius, quam iſti ſentit?

III. Sed nos ſimpliciſſime nomenclaturam hanc facimus gratiæ, ſecuti phraſin ſcripturæ, ut ſit *gratia, favor, miſericordia, gratuita benevolentia Dei erga nos. Donum* ipſe *ſpiritus ſanctus, quem in eorum corda effundit, quorum eſt miſertus. Fructus ſpiritus ſancti fides, ſpes, charitas, & reliquæ virtutes.* Et hæc quidem de nomine gratiæ. In ſumma, non aliud eſt *gratia*, niſi *condonatio ſeu remiſſio peccati.* Donum eſt ſpiritus ſanctus regenerans & ſanctificans corda. Juxta illud: Emitte Spiritum tuum & creabuntur & renovabis faciem terræ. *Tam gratiam quam donum promittit Evangelium.* In promptu ſunt ſcripturæ, quare ſatis videtur unum locum indicaſſe. Hiere. XXXI. Poſt dies illos dicit Dominus, dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam: Quæ verba certe ad donum pertinent: Ad gratiam ea quæ ſequuntur. Omnes cognoſcent me a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus, quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non recordabor amplius.

DE JVSTIFICATIONE ET FIDE.

Juſtificamur igitur *cum mortificati per legem reſuſcitamur verbo gratiæ*, quæ in Chriſto promiſſa eſt, ſeu Evangelio condonante peccata, *& illi fide adhæremus, nihil dubitantes, quin Chriſti juſtitia ſit noſtra juſtitiæ*, quin Chriſti ſatisfactio ſit expiatio noſtri, quin Chriſti reſurrectio noſtra ſit. Breviter, nihil dubitantes, quin peccata nobis condonata ſint, & jam faveat ac bene velit Deus. Nihil igitur operum noſtrorum quantumvis bona aut videantur, aut ſint, juſtitia ſunt, ſed *ſola FIDES, de miſericordia & gratia Dei in Jeſu Chriſto, JVSTITIA eſt.* Atque hoc eſt, quod ait Propheta & toties jactat Paulus: Juſtus ex fide vivit. Rom. III. Juſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti: id eſt, Jam manifeſtata eſt non operum hypocriſis, quam pro juſtitia homines reputent: ſed ejusmodi juſtitia eſt revelata, quam Deus pro juſtitia reputat, nempe ea quæ eſt per fidem Jeſu Chriſti. Et ad Rom. III. CREDENTI reputatur fides ad juſtitiam. Et Geneſis XV. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam. Atque has duas quidem ſententias ob hoc volo tibi commendatiores eſſe, ut intelligas, appoſite dici fidem juſtitiam. Offenduntur enim hac loquendi forma Sophiſtæ, cum dicimus fidem eſſe juſtitiam. Sed ut *fidei naturam* ac vim propius contempleмur, paulo altius ejus ὑποτύπωσιν repetenda eſt.

II. Satis conſtat, *vulgus Sophiſtarum fidem vocare Aſſenſum eorum quæ ſcripturis prodita ſunt*: deinde eam eſſe fidem etiam impiorum. Credere etiam injuſtos, eſſeque *otioſam in anima qualitatem* communem impiis cum piis. Et ne non elabantur, cum vident ſcripturam dicere, Juſtum ex fide vivere: Item, ex fide juſtitiam eſſe: *fingunt aliam fidem formatam*, id eſt, cum caritate conjunctam. Aliam *informem*, i. e. eam quæ ſit etiam in impiis carentibus charitate. Adeoque cauſantur homines acuti, Apoſtolum falſo tribuiſſe fidei, id quod charitatis erat, ut hac velut illecebra ad fidem quamplurimos invitaret. Jam & *fidem infuſam & acquiſitam, ac generalem & ſpecialem, & neſcio quæ portenta verborum finxerunt.*

Sed mittamus iſta *nugamenta*: nam paulo poſt coarguemus Sophiſtas ipſius rei conditione, ut permittant nobis, fidem non eſſe id, quod ſic ipſi nominarunt.

Fidem ſive informem ſive acquiſitam vocent ſcholaſtici, non eſſe fidem ſed opinionem.

III. Non obſcura vox Prophetæ eſt: Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Et vulgatiſſimum eſt illud Pauli 1. Corinth. II. Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus. Et Ezechiel XXIX. Meus eſt fluvius, & ego feci meipſum. Hujusmodi ſententiæ teſtantur. Carnem nihil niſi carnalia ſapere aut cognoſcere. Eſſe Deum, Dei ira, Dei miſericordia, ſpiritualia ſunt, non poſſunt igitur a carne cognoſci. Proinde *quidquid de Deo cognoſcit natura, ſine ſpiritu Dei inſtaurante, & illuſtrante corda noſtra, qualecunque ſit, frigida opinio eſt, non fides, adeoque nihil niſi ſimulatio & hypocriſis, ignoratio Dei & contemptus.* Quanquam hanc ipſam hypocriſin non cernant carnales oculi. Spiritus autem omnia dijudicat. Et ut exemplis res agatur: Fidelis videtur fuiſſe Saul in ſpeciem: ſed hypocriſin declarat eventus. Quia non credebat, (ex corde dico) res tantas, quas gerebat divinitus adminiſtrari, dona & opera miſericordiæ Dei eſſe, ſed ex ſuis conſiliis pendere æſtimabat. Nam *de cordis affectu loquor*, nec timebat iram Dei, nec fidebat benignitate. Eum Dei contemptum declarat, cum non expectato Samuele ipſe ſacrificat, ne a paleſtinis antevertatur. I. Reg. XIII. & rurſus, cum gentium more ſibi trophæum erigit I. Reg. XV. Erat in Saule opinio, eſſe Deum, eſſe vindicem peccati, eſſe miſericordem: Alioqui, cur ſacrificaſſet ſed fides non erat, hoc eſt, ut egregio ſcripturæ verbo utar, non requirebat, Er acht ſein nicht, cor ignorabat tum ſeveritatem

tum

tum bonitatem Dei. O horrendum & miſerabile ſpectaculum, ſi hanc cordis impietatem contingat oculis ſpiritualibus cernere. Quæſo te, diſpice vitam tuam, & ex fructibus quoad potes, æſtima hanc cordis tui immundiciem. Nonne ideo declinas, ut cum ſcriptura loquar, & ad tuas cupiditates deflectis animum, ſollicitus & ideo devictu, fama, vita, liberis, conjuge, quia Deo parum fidis, quia amplitudinem miſericordiæ divinæ non expendis? Nonne ideo ruis in alia ſubinde ſcelera, quia de gratia, de miſericordia Dei erga te deſperas? haud dubie facturus & paſſurus omnia gratiſſimo pectore, ſi ſalutis tuæ certam ſpem concipere poſſes. Nonne rem facis, ad opes adſpiras, quacunque tandem ratione, quia judicium Dei non times? At timeres certe, ſi ex cordes, credere ſi vim iræ Dei poſſes animo concipere. Atque *hanc inſipientiam*, *hanc ignorationem*, *hanc cæcitatem cordis noto*, cum *nego*, *fidem eſſe in natura*. Majus omnino & certius aliquid fides eſt, quam quod poſſit comprehendere caro.

Proinde illa *Sophiſtica fides*, quam vocant, tum *informem*, tum *acquiſitam*, qua ſic aſſentiuntur hiſtoriæ Evangelicæ impii, ut ſolemus vulgo Livianæ aut Saluſtianæ, *non fides, ſed opinio eſt*, hoc eſt incerta, inconſtans & fluxa animi cogitatio de verbo Dei. Habes, *quid de ſcholaſtica fide ſentiendum ſit*, habes, *nihil docere Sophiſtas niſi mendacium, vanitatem & hypocriſin*. Quod ſi videor hic de eorum dogmate aliquid durius dixiſſe, non mihi ſed Paulo iraſcantur. Fictam fidem appellanti hypocriſin, 1. Timoth. I. Finis præcepti charitas eſt de corde puro & conſcientia bona & FIDE NON FICTA. Simulari igitur fidem alicubi, indicat. Et de hypocritis ait ad Titum I. Omnia munda mundis, coinquinatis autem & in fidelibus nihil eſt mundum ſed inquinatæ ſunt eorum mens & conſcientia. Profitentur ſe noſſe Deum: factis autem negant, cum ſint abominabiles, inobedientes, & ad omne opus bonum reprobi. Quo loco ſi fides impiorum erat vere fides: loquitur enim certe de piis in ſpeciem: non debuit infideles dicere, ſed caritatis expertes, ſicut Pariſienſes loquuntur. Fictam fidem ad Timotheum tribuit hypocritis, hic infideles vocat. Quare *non eſt cur de fide formata & informi diſtinguamus*. Plane enim non eſt fides illæ de credendis ſeu de divina hiſtoria opinio, quam ſine Spiritu Sancto conceptam habent hypocritæ. Non adſentitur verbo Dei natura, adeoque nec movetur. Solebam quondam hiſtoricam fidem docendi gratia vocare illam acquiſitam informem: nunc prorſum non fidem, ſed opinionem appello. Quæ diximus, eo pertinent, ut ſcias ſimpliciſſime uti verbo fidei ſcripturam, nec vocari poſſe fidem, illam Pariſienſem qualitatem, quæ etiam in impiis eſt, & contemnentibus Dei. Damnati vero, non ut dent gloriam verbo Dei, credunt: Sed experientia coacti: quæ certe fides vocari non poteſt. Idem de desperabundis dici poteſt, ſicut de Cain, Saule; Quid enim inter hos & damnatos intereſt? Quid igitur *fides? conſtanter aſſentiri omni verbo Dei.* Id quod non fit, niſi renovante & illuminante corda noſtra ſpiritu Dei. Porro, verbum Dei cum lex eſt tum Evangelium. Legi minæ ſunt adiectæ. Timorem ſcriptura vocat, quo minis illis creditur: Fidem, qua Evangelio ſeu promiſſionibus divinis fiditur. Non juſtificat ſine fide timor. Nam alioqui etiam deſperabundi, damnati, juſtificarentur. Non enim qui ad eum modum timent, glorificant Deum, aut omni verbo Dei credunt. Nam promiſſionibus non credunt. Iuſtificat igitur ſola fides.

Ficta fides.

Non poteſt eſſe tim. filialis niſi in habentibus fidem.

IV. Eſt itaque *fides* non aliud niſi *fiducia miſericordiæ divinæ, promiſſæ in Chriſto, adeoque quocunque ſigno. Ea fiducia benevolentiæ, ſeu miſericordiæ dei, cor primum pacificat, deinde & accendit velut gratiam acturos Deo pro miſericordia, ut legem ſponte & hilariter faciamus.* Alioqui quoad non credimus, non eſt in corde ſenſus miſericordiæ Dei. Ubi non eſt ſenſus miſericordiæ Dei, eſt aut contemptus Dei aut odium. Quare *quantacunque legis opera fiant ſine fide, peccatur.* Atque hoc eſt, quod Paulus ait ad Ro. XV. *Quidquid non eſt ex fide, peccatum eſt.* Quæ ſententia fidei vim atque naturam clariſſime exponit. Nam quidquid fit, a natura fit, aut odio Dei: cujusmodi opera ſunt eorum, qui inviti, metu legis & pœnarum, bene operantur. Nam cum ſine fide bona opera ſimulamus, nonne ſic cogitat cor noſtrum: Ego quidem, quod potui, feci, ſed neſcio utrum probet mea opera Deus, aut improbet. Severus iudex eſt, neſcio utrum ſit mei miſertus an contra. Ea cogitatione qui fieri poteſt, ut non iraſcamur iudicio Dei. Et in hac hypocriſi cum magna moleſtia cordis maxima pars hominum vivunt, qui quam prave judicent, vel hinc apparet. Debebant enim non opera ſua ſed promiſſionem miſericordiæ Dei contemplari. Quid eſt enim iniquius, quam ÆSTIMARE VOLVNTATEM Dei ex noſtris operibus, quam ille ipſe ſuo verbo nobis declararit? Jam magna hominum pars cum contemptu Dei vivit, ita operatura, ita victura, etiamſi diſpliceat Deo. Ejusmodi ſunt opera quæ ſine fide fiant, hoc eſt, quæ cum odio Dei, aut cum contemptu Dei fiant. Eſt ergo pulcherrime dictum Eccleſiaſtici, XXXII. In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ. Hæc eſt enim conſervatio mandatorum. Qualiacunque ſint opera, comedere, bibere, laborare manu, docere, addo etiam, ut ſint palam peccata, non eſt, quod opera ſpectes, promiſſionem miſericordiæ Dei ſpecta, ejus fiducia nihil dubita, quin jam non judicem in cœlis, ſed patrem habeas, cui tu ſis curæ, non aliter atque ſunt parentibus filii inter homines. Quod ſi voluntatis erga nos divinæ nulla eſſet ſignificatio, præter hanc quod voluit appellari ſe patrem in ea prece, quam quotidie dicimus: ſola hæc ſatis magno argumento eſſet, nihil exigi a nobis prius fide. Nunc cum hanc toties exigat Deus, cum hanc toties unam probet, cum hanc nobis locupletiſſimis promiſſionibus, adeoque per mortem filii ſui commendarit: quid eſt, cur non illi nos tantæ miſericordiæ committamus & credamus? *Scholaſtica theologia pro fide, pro anchora conſcientiarum, opera, ſatisfactiones hominum, docuit. Male perdat Deus ſcandalum illud Eccleſiæ ſuæ.*

Quid Fides.

Locus Pauli: Peccatum eſt, quidquid non ex fide.

V. Ha-

V. Habes, in quam partem *fidei* nomen uſurpet ſcriptura, nempe pro eo quod eſt, *fidere gratuitæ Dei miſericordiæ, ſine ullo operum noſtrorum, ſive bonorum, ſive malorum reſpectu:* Quia de Chriſti plenitudine omnes accipimus. Jam omni verbo Dei, minis & promiſſionibus, hiſtoriæ divinæ vere adſentiuntur, qui ſic fidunt. *Scholaſtica fides nihil niſi mortua opinio eſt.* Nam quomodo credunt omni verbo Dei, qui promiſſam remiſſionem peccatorum non credunt? Non enim valet quod dicunt Sophiſtæ, impios credere, non ſibi quidem ſed aliis remiſſionem peccatorum contingere. Quæſo enim annon iis quoque impiis promiſſa eſt condonatio peccatorum? Sed non inſtituimus diſputare, contenti paucis indicaſſe, quid nomine fidei ſignificaretur. Extat *Lutheri libellus de Chriſtiana libertate*, e quo qui volet fidei commendationes alias requirat. Porro fidei vim opinor e Scripturæ exemplis clarius cognoſcemus.

Geneſis XV. promittit miſericordiam ſuam Abrahæ Deus verbis magnificis: Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum & merces tua magna valde. Paulo poſt pollicetur etiam poſteritatem. Sequitur autem: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam.* Quid igitur credebat Abraham? non aliud niſi eſſe Deum? immo & *promiſſioni Dei credidit*, eamque fidem deinde declaravit egregio exemplo, cum filium eſſet immolaturus, nihil dubitans, quin daturus eſſet Deus poſteritatem, etiam hoc filio necato. Jam cum *fides* ſit *adſentiri verbo Dei*, quid crediderit Abraham, ex promiſſione quoque ſatis apparet, cum ſe protectorem illi addicit Deus. Ergo credunt, qui pro protectore, pro patre, Deum habent, non pro Judice tantum. Exodi XIV. fremunt Iſraelitæ per diffidentiam, cum fugam ſuam intercluderent maria, montes, & hoſtis a tergo inſtaret. Hos jubet conſiſtere Moſes, viſuros Magnalia Dei, & addit promiſſionem: Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis. Quid ſi hic de fide diſputaſſent pro more Scholarum noſtrarum Iſraelitæ. Satis eſſe, ſi hiſtoriæ credant, quod ſit Deus, quod malis poenas, bonis præmia diſpenſet, ſe quoque malos eſſe & fieri poſſe, ut punire velit utrosque tum Ægyptios tum Iſraelem. Sed credebant divinæ voci, divinis miraculis, fidebant miſericordia Dei, ut maxime ipſi quoque mortis eſſent rei, atque ita committebant ſe alveo per fidem. Et jam hoc exemplo experti voluntatem Dei erga ſe, cum viderent, ſe ſervatos, Ægyptium periſſeundis, timuerunt, inquit, Dominum, & crediderunt Domino, & Moſi ſervo ejus. Et ea quidem nobis exempla ſunt exhibita, ut diſcamus credere, non illa quidem Sophiſtica fide, ſed hac fiducia verbi Dei, qualem fuiſſe in Moſe vides hoc loco &c.

Qualem autem fidem exigit in Numeris XIV. cum deſperaret de Palæſtina occupanda populus? Ait enim Dominus: Usque quo detrahet mihi populus iſte? quousque non credent mihi in omnibus ſignis, quæ feci coram eis? Et capite XX. Iraſcitur Moſi & Aharon, quod non credidiſſent aquam e petra promanaturam. Credebat certe Aharon, credebat Moſes eſſe Deum, ſed de divina voce dubitabat, qua promiſſa erat aqua e petra. Eam incredulitatem taxat Dominus.

Aut, de qua fide loquitur Moſes Deuteron. I. Portavit te Deus tuus, ut ſolet homo geſtare parvulum filium ſuum in omni via per quam ambulaſtis donec veniretis ad locum iſtum. Et ne ſic quidem credidiſtis Domino Deo veſtro, qui præceſſit vos in via &c. *Habebant illi certe fidem informem, habebant fidem acquiſitam, ſed promiſſionibus miſericordiæ Dei non fidebant, non erant erecta corda eorum fiducia miſericordiæ Dei*, vivebant in incredulitate, contemnentes verbi Dei, opus Dei, reductionem ex Ægypto, indigne ferebant: ideo ejus incredulitatis poenas dedere haud dubie alias *boni viri in ſpeciem.* Hæc eſt *hypocriſis hominum*, qui ad eum modum *fucati ſunt bonis operibus, cor autem non eſt erectum fiducia & gaudio in Deo:* cum hanc unam fiduciam requirat Deus, cum illius unius confirmandæ gratia filium dederit, ne de bona voluntate erga nos ſua dubitemus, ut ponamus in Deo ſpem noſtram, & non obliviſcamur operum Dei, & mandata ejus requiramus. Pſal. LXXVII. Item I. παρελεπομένων. V. Deum invocaverunt, cum prælia-rentur & exaudiuit eos, eo quod credidiſſent in eum. Et II. παραλειπομένων. XVI. Oculi Domini contemplantur univerſam terram & præbent fortitudinem his, qui CORDE PERFECTO credunt in eum. Ubi Aſam regem Juda propheta Ananitaxat, Syrorum auxiliis fidentem. Verum haud ſcio, an usquam fidei vim exemplo potiore exhibeat ſcriptura, quam id eſt quod de Joſaphat. II. παραλειπομένων XX. legitur, cum ille Ammonitas & Moabitas ſolo cantu funderet, nec aliud præcepiſſet exercitui ſuo, quam ut conſiſterent confidenter. Ejusmodi eſt & Ezechiæ exemplum.

Quam fidem autem requirebat ab Achaz Eſaias, cap. VII. cum vetat auxilia Aſſyriorum implorare, polliceturque opem divinam, addens: *Si non crediderit, non permanebitis.*

Plenæ ſunt hujus generis exemplorum ſacræ hiſtoriæ omnes. Erit igitur pii ac ſtudioſi lectoris, & pro diſcenda fidei ratione & pro confirmanda conſcientia, decerpere exempla. Repetemus autem aliquot locos etiam ex literis novi teſtamenti, vel in hoc ut intelligatur idem ſpiritus eſſe hiſtoriarum utriusque teſtamenti.

Et ut hinc ordiar Actuum XV. negat Petrus operibus legis juſtificatos patres, quanquam in lege viverent, ſed fide: additque, *fide purificari corda.* Quæ niſi tu intelligas, ſicut ipſe exponit, de fiducia gratiæ & miſericordiæ Dei, jam toto erras coelo. Qui enim fieri poterit, ut *fides ſcholaſtica* corda purificet? Vult ergo Petrus, omnia opera patrum, Davidis, Eſaiæ, Hieremiæ, peccata fuiſſe, juſtificatos autem eſſe ſola fiducia miſericordiæ Dei in Chriſto promiſſæ. Sicut ſæpe prophetæ de ſe teſtantur. Hæc fiducia bonæ voluntatis Dei ſpargitur in omnem vitam, in omnia opera, in omnes tentationes corporales & ſpirituales.

Unam fidem eſſe quæ omnibus verbis Dei credit.

VI. *Una eademque fides eſt, qua creditur Deo qua fiditur bonitate Dei, qualicunque tentatione.* Spiritualis tentatio illa mulieris peccatricis erat. Lucæ VII. quam erexit Chriſtus inquiens: Remittuntur tibi peccata tua. Item: Fides tua te ſalvam fecit, vade in pace. Corporalia erant pleraque cum morbos curaret

raret, & incredulitatem diſcipulorum in re corporali arguit. Matth. XVI. cum illi de panibus eſſent ſolliciti: Sic enim increpat, Quid cogitatis inter vos modicæ fidei? &c. Et patris ſui curam de ſuis in re corporali quoties inculcat. Matth. VI. Scit Pater veſter quod his omnibus opus habetis. Et X. Multis paſſeribus meliores eſtis vos. Et hujusmodi corporalia non contemnenda rudimenta ſunt exercendæ fidei

De promiſſionibus corporalibus & ſpiritualibus.

VII. Hæc moneo, *ne quid laboremus diſtinguendis promiſſionibus divinis.* Sunt enim aliæ rerum corporalium, ut veteris teſtamenti omnes: Aliæ ſpirituales, quæ proprie ad novum teſtamentum pertinent. Sic enim ſentio, nec promiſſionibus corporalibus credere ex corde niſi juſtos: Et corporalium rerum promiſſione miſericordiam ſuam declaraſſe Deum, quod argumentari facile poterant ſancti, multo magis animas ſuas curæ eſſe Deo, ſi curæ fuiſſent corpora: Nec deſinere patrem eſſe animarum, qui corporibus patrem egiſſet. Hoc eſt quod ante dixi, *etiam corporalium rerum promiſſiones, per ſe fuiſſe promiſſionem gratiæ*, obſcuram quidem, ſed tamen habentibus ſpiritum Dei ſatis cognitam. Jam & Moſi precanti pro populi peccato, in Numeris cap. XIII. condonatur peccatum populi. Et lex cum promiſſione gratiæ lata eſt Exod. XX. *Ego ſum Dominus Deus tuus, faciens miſericordiam in millia his, qui diligunt me & cuſtodiunt præcepta mea.* Et ſacrificia pro peccato tradita ſunt, quæ neceſſe eſt fateamur fuiſſe ſigna remiſſionis peccatorum fidelibus. Non quæro allegorias, ſed hiſtoriam, volo promittere miſericordiam in eo ipſo quod corporalia beneficia promiſſa ſunt. Atque huc pulcherrime quadrant pleræque hiſtoriæ, ut Geneſis XXVIII. ait Jacob: Si fuerit Dominus mecum & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum &c. erit mihi Dominus in Deum. *Fidem miſericordiæ & bonitatis Dei* efficaciſſime nobis commendavit Moſes exemplis operum & promiſſionum corporalium. Deutero. VIII. Afflixit te penuria & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu & patres tui, ut OSTENDERET tibi, quod non in ſolo pane vivat homo, ſed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei. Adeo *verbum vitæ eſt, quocunque miſericordiam Dei cognoſcit cor humanum.* Hujus formæ Exempla fidei recenſentur ad Hebr. XI. quorum pleraque ad res corporales pertinent. Et cur non ad hunc locum accommodamus totum illud caput?

Locus ad Hebr. XI.

Simpliciſſima definitio fidei.

Principio *fidem* ſic definit: *Fides eſt ſperandarum rerum hypoſtaſis*, id eſt *expectatio, certitudo non apparentium.* Hanc ὑπογραφὴν fidei, ejusmodi gloſſematis detorſerunt ad ſua ſomnia ſophiſtæ, & ad carnalem illam opinatiunculam, quam fidem vocarunt, ut plane nihil Apoſtolicæ ſententiæ intelligeretur. Proinde nos ſimpliciſſima verba ſimpliciſſima ſententia referemus. *Fidem eſſe certitudinem eorum, quæ non apparent.* Obſecro quid eſt certitudo? at divinarum ac ſpiritualium rerum nihil certo tenet natura, niſi per ſpiritum ſanctum illuſtrata. Jam & *ſperandarum rerum expectationem* appellat. Non eſt igitur fides credere minis tantum, immo hoc potius timorem vocat ſcriptura, ſed & *promiſſionibus credere* hoc eſt fidere miſericordiæ & bonitate Dei, adverſus injuriam mundi, peccati, mortis, adeoque portarum inferi. *Vides expectationem rerum quæ ſperantur, appellari fidem.* Non credunt igitur, qui non expectant promiſſam ſalutem. At, dices, credo promiſſam ſalutem, ſed aliis obventuram. Sic enim ſentit caro. Sed audi, An non hæc tibi quoque promiſſa ſunt? An non in omnes gentes prædicatum eſt Evangelium? non credis igitur, ni tibi quoque ſalutem promiſſam credas? Certa impietas & infidelitas eſt, non omni verbo Dei credere, aut credere non poſſe, quod & tibi ſit promiſſa remiſſio peccatorum.

Subjicit autem definitionis Exempla Epiſtola ad Hebræos. Fide intelligimus conditum eſſe mundum verbo Dei, ut inviſibilium ſcilicet divinitatis, & virtutis ejus viſibilia, ſcilicet opera divinæ potentiæ fierent. Sic enim hic locus cum eo qui eſt in Romanis convenit. Hic vero Sophiſtæ obſtrepent, inepte a nobis aliam requiri fidem præter hiſtoricam, cum Epiſtola ad Hebræos hic de hiſtoria tantum nempe conditi mundi, loquatur. Sed audi, quomodo quadrabit ad definitionem fidei præſcriptam hoc exemplum, ſi ad ſolam hiſtoricam fidem pertinet? Proinde fidem hiſtoriæ de mundo condito, non opinionem tantum illam vulgarem, quæ gentibus etiam quæ Saracenis perſuaſa erat, ſed *cognitionem potentiæ & bonitatis ab opere creationis coactam* vocat. Ea fides non alia erat, quam vel Petri, vel Pauli. Nam ut potentiam Dei intelligit Petrus in reſurrectione Chriſti ut bonitatem, ut miſericordiam intelligit, cum credit, pro ſe Chriſtum victimam ac ſatisfactionem fuiſſe: Adeoque nullo opere ſuo, ſed ſimpliciter miſericordia Dei fidit, quam in Chriſto pollicitus eſt: Ita qui ſpiritu rerum conditionem æſtimat, is & potentiam Dei videt authoris tantarum rerum, & bonitatem, cum ſe omnia velut e manibus creatoris ſentit accipere, vitam, victum, ſobolem, & illa permittit creatori ut temperet, regat, adminiſtret, ſuppeditet, pro ſua bonitate, quælibet. Hæc *fides* eſt, de rerum conditione, non *frigida opinio, ſed vivaciſſima cognitio tum potentiæ, tum bonitatis Dei, effundentis ſe in omnes creaturas, regentis, & adminiſtrantis omnes creaturas*: quam ſi poſſem explicare, ut rei dignitas poſtulat, quantum chartarum inſumerem in hunc unum locum? Quanquam qui vere credit, quæ ſit fides de rerum creatione, ſpiritu facile æſtimabit. Fortaſſe ridebunt hæc Sophiſtæ. Sed rideant ſane, dum refutare non poſſint, quæ ego tam firma eſſe ſcio, ut ne ab inferorum quidem portis poſſint convelli. Vocat Paulus *creationis fidem*, auguſtius & vivacius quiddam, quam opinionem Sophiſticam, cum ad Romanos I. ait: Inviſibilia Dei, nempe ſempiternam virtutem, & divinitatem, conſpici, per viſibilia. Porro *virtus Dei ſeu divinitas*, quid niſi *potentia & bonitas eſt?* Et Actuum XIV. Non ſine teſtimonio ſe reliquit bene-

Fides hiſtorica de creatione.

benefaciens, de coelo dant pluviam & tempora fructifera. Et quam ſuaviter oblectat ſe David meditatione creationis. Pſalm. CIII. Omnia in ſapientia feciſti, impleta eſt terra poſſeſſione tui. Item, omnia a te expectant, ut des illis eſcam in tempore: Dante te illis, colligent, aperiente te manum tuam, omnia te, implebuntur bonitate. Quæro te ad eum modum myſterium creationis tractare poteſt caro? aut *illud carnalium ſomniorum chaos philoſophia*, quæ cum contingenter evenire res arbitretur, plane negat opus creationis. Itaque ſicut legis populus potentiam ac bonitatem Dei cognovit, in eo quod vindicatus eſt a ſervitute Ægyptiaca: Sic enim ait Exodi XX. Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypto, de domo ſervitutis &c. Et ante legem promulgatam cognoſcebant patres, in iis, quæ cum Abraham, Iſaac, Jacob, geſſerat. Quare Deum Abraham &c. vocant: Ita ante hos creatio rerum erat ſignum certum & forma, e qua cognoſcebatur Deus. Sic Abel, ſic alii ſancti credidere. Quanquam horum fidem quoque excitavit promiſſio de capite ſerpentis conterendo per ſemen Hevæ. Ideo ſubjicitur: Fide potiorem hoſtiam *Abel.* Abel, quam Cain obtulit. Erat in utroque dubio procul hiſtoriæ ſcientia, alioqui cur offerret Cain? Ergo, cum fidem Abelo tribuit, non Cain: *non aliquam hiſtoricam opinionem deſignat, ſed fidem glorificantem Deum, bene ſentientem de Deo, fidentem divina miſericordia* &c. Hac fide vincebat Abel, per hanc fidem conſecutus eſt teſtimonium, quod eſſet juſtus. Id quod diligenter adnotavit autor Epiſtolæ, ut admoneret, *Fidem eſſe, quæ pro juſtitia reputaretur, non hoſtiam, non ul-* *Enoch.* *lum opus:* Fide Enoch translatus eſt ne videret mortem, hoc eſt, *quia credidit Enoch, Deo placuit*, atque ita, ut in ipſo patribus oſtenderet & argumentum & ſpem vitæ melioris, cum eum transferret. *Quid* enim *attinet quærere quorſum ſit translatus?* modo intelligamus, eum velut ſpecimen vitæ & certiſſimum argumentum immortalitatis exhibitum patribus, ad confirmandam eorum fidem. Jam quod ſequitur: *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, & quod ſit, & quod inquirentibus ſe, remunerator ſit*: vides, quam non poſſit de Sophiſtica fide intelligi qua ſatis conſtat non confidere Deo hypocritas quod miſertus ſit, quod benevelit, quod ſint ſalvaturus. Nam ſint interroges eorum corda, nonne ita reſpondebunt: Neſcio, utrum Deo in accepta opera mea, neſcio, utrum poſſim ſalvari: Scio quidem promiſſam ſalutem, ſcio Deum eſſe miſericordem, ſed fortaſſe mecum non aget pro miſericordia: Iſta mei rationem majeſtas non habet, & hoc genus impia multa. Quanquam ne hæc quidem, quæ de Dei judicio loquuntur impii, ex vero corde proficiſcuntur. Contemnunt enim Dei judicium, non timent, donec a Deo confunduntur. Eſſet autem debellatum nobis, ſi cor magnitudinem bonitatis, & amplitudinem gratiæ concipere poſſet, atque ita confidere: Non eſt oblitus tui Deus, tanta ejus miſericordia eſt, ut ſi ei credas, ſervet, tueatur, ſalvet: confide igitur. *Quorum corda ad eum modum erecta ſunt ſenſu bonitatis Dei, quæ credunt SIBI eventura, quæ promiſit DEVS: ea demum vere credunt, DEVM eſſe remuneratorem: Immo ea quoque tandem vere credunt Deum. Non credunt enim impii, ſed frigida opinione tenentur, cui non adhæret profunditas cordis.* Fide Noë reſponſo *Noe.* accepto, metuens eaque nondum videbantur, paravit arcam ad ſalutem domus ſuæ. Ecce *duo complectitur Nohæ fides, minas & promiſſionem.* Atque id eſt quod ante dixi, nulli verbo Dei impios credere, nec minis, nec promiſſionibus. Nohe Deo gloriam veritatis tribuit, ideo & minas formidat, & promiſſione ſalutis, adeoque miſericordia fidit. Multi, ne dubita, illis quoque temporibus fuere hypocritæ, qui fidem fimularunt, eſſe Deum, eſſe malorum vindicem, eſſe bonorum ſervatorem. Sed hos illæ Dei minæ nihil moverunt. Quare? quod non crederent vero corde, nec movit promiſſio ſalutis per Arcam, quod non fiderent miſericordiæ Dei SVPER SE. *Adeo nihil eſt Sophiſtica fides niſi mera impoſtura, merum ludibrium animarum; & tamen impii & adeo Sophiſtæ docent, ſatis eſſe illam ſuam fictam fidem ad bonum opus. Cum bonum opus non ſit, quod aut odio, aut contemptu Dei ſit. Fit autem odio & contemptu Dei, quidquid non ſit fiducia miſericordiæ & bonitatis Dei.* Sicut Paulus ait: *Peccatum eſt, quidquid non ſit ex fide.* Et per arcam, ait, damnavit mundum. Nempe quod unum fides ſervarit, reliquos perdiderit incredulitas. Et quam ſollicite monet, ſummam eſſe iuſtitiæ, fidem miſericordiæ & gratiæ Dei, cum addit: *& juſtitiæ, quæ per fidem eſt, hæres inſtitutus eſt.* Nihil de figuris loquor, non quæro allegorias, ſed ad ſimpliſſimam hiſtoriam *Coma* me refero. Juſtificatur Noe non ullo *ſerpentis.* ſuo bono opere, ſed ſola fide miſericordiæ Dei, quam cum ex hac promiſſione de ſe ſervando ex aquis, tum ex ea, quæ de capite Serpentis, hoc eſt, de aculeo mortis conterendo, majoribus tradita erat, conceperat. Fide appellatus Abraham obediit, ut in locum exiret, quem accepturus erat in hæreditatem, & exiit, neſciens quo iret. *Fidebat Abraham* *Abraham.* *miſericordia, bonitateque Dei, nihil dubitans, quin, ubicunque gentium eſſet, Deum eſſet habiturus protectorem & ſervatorem.* Ideo ſe eius voci commiſit, deſerens patriam, non aliter atque ſe voci Moſi committebant Iſraelitæ, cum alveum rubri maris ingrederentur. Porro quanta hæc Abrahæ fides fuit? quæ quanquam tota ille vita vagaretur incertis ſedibus, tamen non eſt labefactata. Satis potens, ſatis opulentes, ſatis tuto loco colere ſibi videbatur, quia ſub umbra alarum Dei degeret. Jam in eo ipſo etiam, quod certam in Cananæa ſedem nec ſibi, nec gnato contingere videbat: hoſpitem ſe huius terræ agnoſcebat eſſe, civem fore æter- *Sara.* næ civitatis ſperabat. Fide & Sara vim accepit ad concipiendum, retinendumque ſemen. Vivificat enim & creat omnia verbum Dei, quo cum *fideret Sara*, nempe *promiſſione ſobolis*: qui fieri potuit, ut non ex ſterili, ex effoeta, foecunda fieret. *OMNIA enim poſſibilia ſunt credenti.* Sed Abrahæ fides

ut oppugnata eſt, quam valido ariete concuſſa eſt, cum Iſaac, in quo ſciebat promiſſam eſſe poſteritatem, juberetur immolare? *Iſaac.* Quam fuit autem conſtans in adoleſcente Iſaac fides, cum patris imperio, cum voluntati Divinæ, adeo nihil cunctaretur obſequi? Putas, potuiſſe tam ſævum imperium exercere patrem in filium, & eum quidem, cui promiſſa erat poſteritas? Putas filium obtemperaturum fuiſſe patri, ni uterque confiſus miſericordia divina, illi ſe conmiſiſſet? Nec fefellit fides. Servator filius, reſtituitur patri, collaudatur patris obedientia. Vides, hic præluſum eſſe peccato & morti & juſtificationi & reſurrectioni, adeoque toti novo teſtamento. An non hic didicerunt, non Abraham modo & Iſaac, ſed omnes pii, priusquam revelaretur Evangelium, quid in morte ſperandum eſſet de voluntate Dei? Annon hoc exemplo fidem victæ mortis concepere patres? Videruntque præluſum Chriſto, qui caput ſerpentis, aculeum mortis, contributus eſſet. Fide Iſaac benedixit Jacob & Eſau, futurum credens, ut promiſſam terram olim occuparent. Jam hoc mirabilius eſt, quod ratam eſſe voluit benedictionem Jacob, quam is præripuiſſet natu majori fratri, cui jure gentium debebatur, nimirum fide divini verbi: Major ſerviet minori. Fide benedixit Jacob filios Joſeph, quanquam jam exules, nihil dubitans tamen redituros in Cananæam, eſſeque maximarum gentium primordia. Nec dubitarunt Moſi parentes qui redituri eſſent in Paléſtinam, quod in cauſa fuit, cur occuluerint infantem ſpem generis: Deinde etiam cur expoſitum commiſerint potius divinæ miſericordiæ, quam necarint.

Adde ſi voles & reliqua exempla: nos formam Exemplorum tractandorum delineavimus, docuimusque *non de ſophiſtica hypocriſi, ſed de fide loqui ejus Epiſtolæ autorem*, hoc eſt, *de fiducia miſericordiæ ſeu gratiæ Dei.*

Hic non vides diſcrimen promiſſionum divinarum, ſed ſimpliciter *verbum fidei eſſe promiſſionem miſericordiæ & gratiæ Dei, ſive de rebus æternis, ſive de rebus temporalibus agatur.* Quanquam fere promiſſiones rerum ſpiritualium ex corporalium promiſſionibus colligi poſſint: non dico per allegoriam tantum, ſed claro & manifeſto argumento ſpiritus. Quid in morte ſperandum eſſet, Abrahamum perſpicuo dicebat filii immolatio. Jam hoc quoque non attinet diſcernere promiſſiones, quod in primam promiſſionem de ſemine Hevæ, id eſt, Chriſto, omnes reliquæ directæ ſunt. Ideo expectabatur poſteritas, quia ſemen illud expectabatur, ſcilicet Chriſtus. Atque ita renovata eſt promiſſio Hevæ facta, in promiſſione Abrahæ facta, cum inquit Geneſiis XXII. Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quod niſi de Chriſto exponi non poteſt. Atque ita interpretatur Apoſtolus ad Galatos III. In ſemine tuo, qui eſt Chriſtus. Et expectatam eſſe poſteritatem, expectatum eſſe regnum propter Chriſtum promiſſum, ſatis declarat Jacob Gen. XLIX. Non aufferetur ſcriptum de Juda, & Dux de foemore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium. Ubi quid aliud voluit, niſi regni, adeoque omnes corporalium rerum promiſſiones in Chriſtum referri, & in Chriſto conſumari. Hoc in cauſa eſt, cur *nullo diſcrimine Paulus quasvis promiſſiones Abrahæ factas citat.* Ad Galatas III. eam quæ eſt Geneſis XII. In te benedicentur omnes gentes. Et ad Romanos IIII. dicit: Abrahæ promiſſam hæreditatem mundi, & quod filii Abrahæ ſint ex omnibus gentibus, qui credidere, & quod omnes fideles ſint Reges in Chriſto Rege. Sicut Pſalmus ait: Omnia ſubjeciſti ſub pedes ejus. Rurſum, *qui manifeſte revelato Evangelio in Chriſtum credunt, in eo omnes corporales benedictiones habent.* Nam ſi proprio filio Deus non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non omnia cum Deo donarit? *Idem apparet ex Regni ratione*, quod omnes creaturæ, ut Chriſto, ita illius fratribus ſubiectæ ſunt, mors, fames, gladius, poteſtas, ſumma, infima, peccatum, denique *quidquid eſt omnium rerum, quas metuere humana imbecillitas ſolet, in noſtra poteſtate eſt*, ſub pedes noſtros ſubiectum eſt, niſi regnare Chriſtum non credimus. Huc illud pertinet, quod ſupra dixi, *fidem ſpargi in omnes caſus vitæ, mortisque noſtræ*, quod *nulla creatura recte utamur, niſi per fidem*, quod *omnibus creaturis abutamur per diffidentiam*, hoc eſt, non credentes in creaturæ uſu, nos placere Deo, diffidentes in uſu creaturæ de miſericordia de benevolentia Dei erga nos. Abutitur inopia, morte, adverſis rebus, qui non credit divinæ miſericordiæ opera eſſe, qui hic diffidit, ad humana præſidia profugit, qui dubitat ſe in Chriſto vincere poſſe. Sic abuſus fuiſſet triſtiſſimo imperio de mactando filio Abraham, niſi libenter obſecundans commiſiſſet ſe miſericordiæ divinæ, confiſus, nihil non agi ſecum a Deo paterno affectu. Non minus abutitur pecunia, vita, ſecundis rebus, qui non agnoſcit eſſe dona miſericordiæ divinæ, qui non utitur fideliter tanquam alienis donis &c.

Omnes promiſſiones ſunt directæ in Chriſtum.

Pertinere ad Chriſtum & Chriſtianos omnes promiſſiones tum corporales tum ſpirituales.

Regnum Chriſti.

Summa, omnia habet, omnia poteſt, qui Chriſtum habet, hic iuſtitia, pax, vita, ſalus eſt. Et in hunc modum vides cohærere promiſſiones divinas. Nam prorſum ſingulæ ſignificationes & teſtimonia bonæ voluntatis Dei erga nos ſunt, quam alias alio opere alio dono nobis commendat & inſinuat. Ita in hoc per univerſæ ſcripturæ hiſtoriam totus incumbit, ut doceat, ut aſſuefaciat nos, confidere ſua bonitate quam ſi quis in tot, tamque multiplicibus promiſſionibus contempletur, is quomodo cohibere ſe poterit, quo minus in illius tantæ miſericordiæ ſinum effundat animum, & ſpiritum? Porro bonam voluntatem meruit Chriſtus, quem pro nobis interceſſorem, quem pro nobis victimam & ſatisfactionem dedit. Sic enim DEVS dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret pro mundo. Huic quia favet, nobis favet huic quia omnia ſubiecit, nobis ſubjecit. Ita omnes promiſſiones in eum, nempe qui nobis emeruit miſericordiam patris, qui nobis conciliavit patrem, referendæ ſunt. Sicut Johannis I. *De plenitudine ejus omnes nos accepimus & gratiam pro gratia, favorem erga nos, pro favore erga Chriſtum.* Exercebis ſpiritum meditatione promiſſionum

num accurate: quod, *niſi e promiſſionibus, cognoſci neutiquam poterit Chriſtus.* At niſi Chriſtum noris, nec patrem cognoſces. Huc igitur omnes ſpiritus tui cogitationes adfer, huc incumbe, ut *ex promiſſionibus cognoſcas, quæ tibi in Chriſto ſint donata.* Quæſo autem, *ubi promiſſionum ſcholaſtica Theologia vel verbo meminit? Atque ita factum eſt, ut gratiam Chriſti obſcuraret, ut ex Chriſto non pignus miſericordiæ, ſed legislatorem, & exactorem multo triſtiorem faceret, quam Moſes etiam viſus eſt.*

Et de promiſſionibus quidem hactenus, quæ omnes in primam illam, quæ Hevæ facta eſt, referri debent, qua ſignificatum fuit Adæ ac Hevæ, futurum, ut & peccatum & mors, illius peccati poena, olim abolerentur, cum ſcilicet ſerpentis illius caput Hevæ progenies contereret. Quid enim caput ſerpentis, inſidiæ ſerpentis, præter peccati mortisque regnum ſignificant? Ad hanc ſi revoces reliquas promiſſiones, *videbis in univerſam ſcripturam mirifice ſparſum eſſe Evangelium*, quod eſt ſimpliciter condonatio peccati per Chriſtum, ſeu prædicatio gratiæ. Quanquam, ut paulo antedixi, *promiſſiones omnes, etiam corporalium rerum, ſunt teſtimonia benevolentiæ ſeu miſericordiæ Dei, quibus qui credit, quia de Deo bene ſentit, eique laudem clementiæ & bonitatis tribuit, is juſtus eſt.* Nondum credit omni verbo Dei, qui minas audit, qui hiſtoriam profitetur, ſed qui præter minas, præter hiſtoriam etiam promiſſionibus credit. Neque vero hiſtoriæ de Chriſto credere id eſt, quod putant impii, ſed credere cur carnem induerit, cur crucifixus ſit, cur poſt mortem in vitam redierit: nempe, ut iuſtificaret, quotquot crediturí ſibi eſſent. Hæc tu ſi credis, tuo bono, tui ſervandi gratia geſta eſſe, foeliciter credis. Præter ejusmodi fidem, fucus, mendacium, falſæ inſaniæ ſunt quia quicquid vocant fidem.

Et quid in cauſa eſt, *cur ſoli fidei tribuatur iuſtificatio?* Reſpondeo, *cur ſola miſericordia Dei iuſtificemur, fidesque plane ſit miſericordiæ cognitio, qualicunque promiſſione eam prehenderis: ſoli fidei tribuitur iuſtificatio.* Qui mirantur cur ſoli fidei iuſtificatio tribuatur, ii mirentur etiam cur miſericordiæ Dei tantum, ac non potius humanis meritis iuſtificatio tribuatur. Eſt enim *credere*, nullo ullorum operum noſtrorum reſpectu, *fidere divina miſericordia.* Miſericordiæ Dei injurius eſt, quæ fide iuſtificari ſanctos negat. Nam cum *iuſtificatio noſtri ſolius divinæ miſericordiæ opus* ſit, non operum noſtrorum meritum, ſicut aperte docet ad Romanos XI. Paulus: neceſſe eſt, ut *iuſtificatio ſoli fidei tribuatur*, nempe *qua ſola promiſſam miſericordiam accipimus.*

Quid igitur *opera, quæ præcedunt iuſtificationem, liberi arbitrii opera?* ea omnia *maledictæ arboris maledicti fructus ſunt.* Et ut pulcherrimarum virtutum exempla ſint, quales erant ante converſionem Pauli iuſtitiæ, tamen *nihil niſi fucus, & mendacium ſunt, quod ex impuro corde proficiſcantur. Cordis impuritas, ignorantia Dei eſt, non timere Deum, non fidere Deo, non requirere Deum*, ut ſupra monuimus. Nihil enim caro niſi carnalia ſapit, ad Romanos VIII. Caro adfectat ea quæ ſunt carnis. Et prima ad Corinth. II. Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, quis cognovit ſenſum Domini &c. Intelligit, ſapit, affectat gloriam, opes, vitæ tranquillitatem, ac dignitatem, natura. Qualia multa Philoſophi inter fines bonorum numerant, alius εὐθυμίαν, alius ἀναλγησίαν. Divini nihil affectat natura, id quod apparet. Nec enim terretur verbo Dei, nec ad confidendum animatur. Et talis quidem arboris fructus, quid niſi peccata ſunt?

Quæ vero *opera juſtificationem conſequuntur* ea tametſi a ſpiritu Dei, qui occupavit corda juſtificatorum, proficiſcuntur, tamen *quia fiunt in carne adhuc impura, ſunt & ipſa immunda. Cœpta enim juſtificatio eſt, non conſummata.* Primitias ſpiritus accepimus nondum decimas. Adhuc expectamus, uti ad Ro. VIII. dicitur, cum gemitu redemptionem corporis noſtri. Proinde quod in his etiam operibus immundum quiddam eſt, juſtitiæ appellationem non merentur. *Et quaqua te verteris, ſive ad opera præcedentia juſtificationem, ſive ad ea quæ ſequuntur iuſtificationem, nullus noſtro merito locus eſt.* Adeoque *ſolius miſericordiæ opus eſſe juſtificationem neceſſe eſt.* Hoc eſt, quod ait Paulus ad Galat. II. Quod autem nunc vivo in carne in fide filii Dei vivo: qui dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me. Non autem ait in meis bonis operibus nunc vivo, ſed in fide miſericordiæ Dei vivo. Porro, quod ea opera quæ juſtificationem ſequuntur, pro peccatis non imputantur, fides facit. Qua de re paulo poſt agetur.

Ergo *cum fidei iuſtificatio tribuitur, miſericordiæ Dei tribuitur, humanis conatibus, operibus, meritis adimitur.* Initium ac profectus miſericordiæ debent, ut univerſæ vitæ juſtitia non alia ſit, niſi fides. Hoc eſt, cur *Chriſti regnum, miſericordiæ regnum vocet* propheta Eſaias XVI. Et præparabitur in miſericordia ſolium &c. Nam ſi noſtris operibus juſtificaremur, non jam Chriſti, non miſericordiæ, ſed noſtrum, ſed operum noſtrorum regnum eſſet. Et Oſeæ II. Sponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in juſtitia & judicio, & in miſericordia, & in miſerationibus, & ſponſabo te mihi in fide, & ſcies, quia ego Dominus. Et pſalmo LXXXVIII. Miſericordia & veritas præcedent faciem tuam. *Miſericordia, liberalis favor eſt, qui meriti noſtri nullam habet rationem.* Veritas, eſt opus Dei, vere, non ὑπερετικῶς, juſtificantis nos. Et quid attinet multa congerere, cum Propheta Eſaias cap. LIII. primum palam damnet juſtitias omnes noſtras, cum inquit: Omnes nos velut oves erravimus, unusquisque in viam ſuam declinavit, & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum. Et paulo poſt, non ait operibus noſtris, non egregiis voluntatis noſtræ conatibus, non conſiliis noſtris, ſed ipſe Chriſtus cognitione ſui juſtificabit multos. Ecce cognitio Chriſti juſtificatio eſt, cognitio autem ſola fides eſt. Hoc genus alia per ſe obſervabit diligens lector. Nam fidei naturam ac vim non videor mihi poſſe verbis, ut optabam, explicare. Qui norunt peccati vim, quorum conſcientias peccati cognitio perculit, iis demum voluptati eſt hanc de fide doctrinam audire. Cæterum velatum eſt Evangelium noſtrum in hypocritis, in quibus Deus hujus ſeculi excæcavit mentes infideles, ut ne illuceſceret eis lumen Evangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.

Dices: Nihil igitur meremur? Ecquid ſcriptura toties *mercedis* vocabulo utitur? Reſpondeo, *merces eſt, debeturque non merito ullo noſtro, ſed quia pater promiſit iam velut obſtrinxit ſe nobis ac debitorem fecit, iis qui tale nihil meruerant.* Quid enim clarius *adverſus merita noſtra* dici potuit, quam quod eſt apud Lucam capitulo XVII. *Nunquid gratiam habet ſervo illi quia fecit, quod imperaverat?* Non puto. Sic & vos cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus. Et Paulus ad Roman. VI. ſtipendium peccati mors, donum autem Dei vita æterna. Vitam æternam *donum* vocat, *non debitum*: quanquam & debitum eſt, quia pater eam promiſit, qui nobis fidem ſuam obſtrinxit.

Nec eſt quod offendant ii loci ſcripturæ, qui *operum merita* prædicare videntur, qualis hic eſt, ad Ro. II. *Gloria & honor omni operanti bonum.* Et Matth. XXV. Eſurivi, & dediſtis mihi manducare &c. Nam hujusmodi multa ſunt in ſcripturis. Reſpondeo paucis: *ſcripturam non de ſpecie tantum externa operis, ſeu de fuco loqui, ſed de toto opere, hoc eſt, cum de externa ſpecie, tum maxime de voluntate, authore operis, ſeu de affectu. Bonum opus* vocat ſcriptura non ſimulationem tantum externam operis, ſed *totum opus*, hoc eſt *bonum affectum, & eius affectus fructum*, non aliter atque communis hominum ſenſus loqui ſolet. *Quis* enim *bonum opus vocat, quod a maligno animo proficiſci novit?* Itaque cum Paulus ait, Gloria & honor operanti bonum, non video quibus hic gloſſematis opus habeamus, quo minus quam ſimpliciſſime ut loquitur, intelligatur. *Non* enim ait Paulus, *Simulanti bonum ſed operanti, corde, affectu, manibus, opere &c.* Depravant ergo id quod ab Apoſtolo ſimpliciſſime, rectiſſimeque dictum eſt, qui verba eius non de toto opere, non de vita, ac anima operis, ſed de ſpecie externa operis exponunt. Recepta etiam vulgo in ſcholis ſententia eſt, & communis naturæ ſenſus docet: *nullam eſſe bonitatem operis, præter affectum.* Communem ſenſum conſulant qui de parte operis, non de toto opere ſcripturam interpretantur. Quid quod eodem loco pulcherrime Paulus ad fidem refert bene actam vitam, docetque *ex fide, ceu fonte exorta eſſe bona opera*, cum inquit: *Quærentibus gloriam & honorem, per perſeverantiam boni operis.* Quærere enim quid aliud eſt, quam quod ad Hebræos XI. ſcriptum eſt, credere oportet accedentem ad Deum quod ſit, & quod remunerator ſit inquerentibus ſe. Quærunt qui credunt, qui fiducia verbi Dei trahuntur ad gloriam. Item, qui poteſt *fidei vis ac natura* exprimi certius, quam verbo *perſeverandi?* cum *inter tot illecebras carnis & mundi, inter tot afflictiones, conſiſtere ac perdurare in bonis operibus, nemo ſine magna fide poſſit?* Rurſum & vitam male actam eodem loco ad incredulitatem refert, cum ait: *contentioſis, & qui non acquieſcunt veritati.* Non acquieſcere veritati, quid aliud eſt, quam diffidere? Contentioſi, qui veritati adverſantur, qui carnis opinionem ſequuntur. Nam quisquis palam peccatis aut contemptu Dei aut deſperatione miſericordiæ Dei peccat. Sennacherib. IIII. Reg. XIIII. Quia nihil eſſe Deum cenſebat, in Iſraelem arma impia movit. Cain, quia deſperabat miſericordiam, ideo nihil non auſus eſt poſtea. Nemo eſt enim, qui ſi confideret futurum, ut ſui miſereſceret Deus, non cupidiſſimi legi Dei ſe accommodaret. Sed quia contentioſi ſumus, ipſi diſceptamus nobiſcum, de divinæ iræ ac miſericordiæ amplitudine anguſtius quiddam ſentimus, quam res eſt. Ideo *contemptu tum iræ, tum miſericordiæ Dei deflectimus ad cupiditates noſtras, nihil non audemus impii, cœci, furentes, vel gloriæ, vel rerum, vel voluptatum amore.* Miſerum ſpectaculum, ſi *illam cordis tui impiam inſaniam & inſanam impietatem* cernere contingat. Videri, quam adpoſite *ad fidem* retulerit Paulus *bene actam vitam* ad incredulitatem male actam. Sic alios *locos circumſtantiæ exponunt, ut peregrinis gloſſematis nihil opus ſit.* Quorum tractationem induſtriæ ſpiritualium lectorum relinquo. Nam *illos male ferratos Sophiſtas nolo, quibus nihil tam bene tam ſimpliciter dictum eſt, quod non pervertant, diſtinguant, diſcerpant in mille formas.* Certe in illo Matthæi loco quem citavimus, obſcuritas nulla eſt, ſi recte rem æſtimes. Nam ut hæc non urgeam, quod cum benedictos patris ſui vocat, ſignificat, ſalutem benedictione divina, non noſtris meritis contigiſſe: negari non poteſt, quin de fidei operibus loquatur CHRISTVS, cum inquit: Eſurii, & dediſtis mihi manducare, & paulo poſt: Quod uni de his fratribus meis minimis feciſtis, mihi feciſtis. Nam quia credunt juſti, ſe Chriſto facere, quod illis faciunt, recte agunt. Ea fides diſtinguit opera. Hypocritæ non alunt, non potant Chriſtum, ſed ſe. Suæ enim gloriæ ſerviunt, quantumvis pulcherrimarum virtutum ſpecimen præ ſe ferant. Hæc ſatis ſit monuiſſe, ut formam hujusmodi locorum tractandorum habeant ſtudioſi: nam mihi commentarii modus temperandus eſt.

DE FIDEI EFFICACIA.

JAm hoc quoque ſpectandum eſt, quod *opera ut fructus, ita indicia, teſtimonia, ſigna ſpiritus ſunt*, ut Chriſtus ait: Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Nam *fieri nequit, ut perpetuo diſſimuletur hypocriſis*, & fides non poteſt non effundere ſe, quin in omnibus creaturis Deo cupidiſſime ſerviat ut pio patri filius ſolet. Nam ubi fide deguſtavimus miſericordiam Dei, & cognovimus bonitatem divinam per verbum Evangelii, condonantis peccata, promittentis gratiam peccati: non poteſt animus non redamare Deum, ac geſtire, & velut gratitudinem ſuam mutuo aliquo officio, pro tanta miſericordia teſtari. Quod ſignificantiſſime dixit Paulus: Fide nos clamare abba Pater. Jam *quia vere ſe talis mens ſubjicit Deo: ambitio, æmulatio, livor, invidentia, avaritia, voluptates, & horum fructus jugulantur, humilia ſapit, ſeſe odit, ſuas cupiditates omnes abominatur.* Et quod aptiſſime dicit Paulus ad Rom. VI. Jam pudet eorum, quibus antea fruebamur. *Effundit ergo ſe in proximos quosque, illis inſervit, illis ſe præbet utendum, illorum neceſſitatem pro ſua ducit, omnia cum omnibus candide, ſinceriter, nihil ambitioſe, nihil maligne agit.* Hæc efficacia fidei eſt, ut ex his fructibus facile appareat, in quorum cordibus

vera

vera fides ſit. De tali fide ad Galat. V. Paulus ſcribit: In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per charitatem efficax eſt. Fidem dicit in Chriſto valere, deinde eam fidem ejusmodi eſſe, quæ ſe per charitatem effundat in uſus proximi. Et egregie Johannes I. Johann. IIII. Omnis qui diligit fratrem ſuum ex Deo natus eſt & cognoſcit Deum. Qui non diligit, non novit Deum, quod Deus charitas ſit. Et II. Petri I. Subminiſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute vero ſcientiam, in ſcientia vero temperantiam, in temperantia vero patientiam, rurſus in patientia pietatem, in pietate autem fraternam charitatem, in fraterna vero charitate dilectionem. Hæc enim ſi adfuerint nobis, efficient, ut ne ſit in frugifera cognitio Domini noſtri Jeſu Chriſti. Qua gradatione Petrus fidei, velut radici, pulcherrimos ramos reliquas virtutes inſerit, ut fidem virtus, id eſt fervor & impetus mortificandæ carnis comitetur. Sed eum fervorem regat ſcientia ut ſuum quoque penſum corpori præſtetur. Sit aliqua ratio, qua domi tum corpus ſerviat ſpiritui ἐυπρεπέως, ut Paulino verbo utamur, non interimatur. Rurſum eatenus ſerviatur neceſſitati corporis, ut ne luxuriet, ut temperans ſit. Jam præter temperantiam & malorum tolerantia accedat. Sunt enim temperantes plerique, ſed offenſi implacabiles. Tolerantiam comitetur pietas, hoc eſt, ut adverſa non modo coram hominibus placide feramus, ſed etiam coram Deo, gratias illi agentes, qui nos mortificet, nihil indignantes voluntati Dei, ſicut fremebant, adverſus voluntatem Dei Iſraelitæ, qui in deſerto periere. Pietas efficiat fraternam charitatem, hoc eſt, ut de iis ipſis bene meeamur, qui nos perſequuntur, ut inimicos beneficiis invitemus. Demum, ut id ex ſincero pectore proficiſcatur, ut in univerſum omnes ex æquo & candide diligamus. Summam habes, univerſæ vitæ Chriſtianæ, fidem cum fructibus ſuis. *Nec eſt, quod virtutum genera & formas diſtinguamus Philoſophorum & Scholaſticorum more, in morales, theologicas, dona, fructus, quemadmodum Aquinas ineptiit cum ſuis.* Unica fides eſt, ſenſus miſericordiæ Dei, quæ omnium bonorum operum & fons & vita & rectrix eſt.

DE CHARITATE ET SPE.

EX his apparet, quomodo ex fide naſcantur *Amor Dei*, & *amor proximi*, quem charitatem vocant. Efficit enim cognitio miſericordiæ divinæ, ut redametur Deus; efficit, ut nos ſponte omnibus creaturis ſubjiciamus, qui proximi amor eſt.

Porro & *ſpes* fidei opus eſt. Nam fides eſt qua verbo creditur, *ſpes qua expectatur quod per verbum promiſſum eſt.* Ut expectemus, fides verbi Dei facit. Juxta illud Pſalm. IX. Sperent in te omnes qui noverunt nomen tuum. Non eſt autem cur ſepares alterum ab altero. Certe *promiſcue uſurpat Scriptura ſpei, ac fidei, expectandi, ſuſtinendi vocabula.* Et ſicut fides eſt fiducia miſericordiæ Dei gratuitæ, nullo operum noſtrorum reſpectu ita ſpes eſt ſalutis expectatio, nullo noſtrorum meritorum reſpectu Immo ne ſpes quidem de Deo eſt, ni non ſit de meritis. Quomodo enim de miſericordia ſperat, qui vehit debitam ſuis meritis mercedem poſtulat. Gaudet afflicta conſcientia, gaudet Evangelicus peccator, nullum eſſe meritorum reſpectum. Indignatur hypocrita, ut ſit Chriſtus ſcandalum Judæis & ſtultitia gentibus, ſalus autem & ſapientia Credentibus.

Objicitur iis qui fidei juſtitiam vindicant id quod in priore ad Corinthios ſcriptum eſt, in cap. XIII. Si habeam fidem tantam qua montem transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Quæſo autem vos Sophiſtæ, cur cum videretis univerſam Scripturam in eo eſſe, ut doceat miſericordiæ opus eſſe juſtificationem, & Paulum toties nihil obſcuris verbis ingeminare hanc: Juſtus ex fide vivit: Item, Credenti in eum qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam: Item, Corde creditur ad juſtitiam, & hujusmodi multa, hanc unam ex Corinthiis ſententiam univerſæ ſcripturæ, omnibus ubique Epiſtolis Pauli ſic oppoſuiſtis, ut reliqua omnia gloſſematis excuſaret is, hanc temperare interpretatione nolueritis? Nos nullo gloſſemate eam ſimpliciſſime, ut eſt ſimpliciſſime dicta, efferemus. Primum ſatis conſtat. Paulum eo loco *de amore erga proximum* loqui, cui nec ſcholæ veſtræ principium juſtificationis tribuunt. Nam commentum illud nihil moror, eundem eſſe amorem Dei & proximi. Deinde negari non poteſt, quin hic fidei vocabulum pro dono, ſeu facultate deſignandorum miraculorum uſurparit, id quod & caput XII. teſtatur, ubi ſic legitur: Alteri fides in eodem ſpiritu. Receptum eſt autem poſſe etiam in impios conferri faciendorum miraculorum χαρίσματα, non aliter atque prophetiam, linguarum peritiam, eloquentiam.

Matth. VII. In nomine tuo virtutes multas fecimus.

Mea eſt ſententia, ut maxime non ſepares fidem juſtificantem a dono miraculorum, Paulum hic, ſicut & pene in tota Epiſtola præter fidem, exigere charitatem. Non aliter atque a credentibus, a juſtificatis, alias exigit bona opera in omnibus Epiſtolis. Tametſi illis fructibus per ſe ſe non vacet fides, tamen exigit, propter fidei noſtræ imbecillitatem. Et quod ait, nihil eſſe eum, cui ſit omnis omnino fides citra charitatem, recte ſentit. Quanquam enim ſola fides juſtificet, tamen & charitas exigitur, nempe legis altera pars ad Rom. XIII. Tota lex repetitur in hoc, dilige proximum ſicut te ipſum. *Non juſtificat* autem *charitas, eo quod nemo diligat, quantum debet.* Fides juſtificat, quæ miſericordia Dei, non ſuo merito fidit.

Supereſt Jacobi ſententia. *Fides ſine operibus mortua eſt.* Bene quidem ille. *Nam eos reprehendit, qui judicabant hiſtoricam opinionem de Chriſto, fidem eſſe.* Propterea ſicut Paulus aliam fictam fidem appellat, aliam veram: Ita Jacobus aliam vocat fidem vivam aliam mortuam. Vivam fidem efficacem illam & ardentem fiduciam miſericordiæ Dei, nunquam non parturientem bonos foetus. Hoc eſt, quod ait, operibus fides conſummata eſt. Item, quia vivacem in Abrahamo fidem fuiſſe, opera declarant, ideo Scriptura impleta eſt dicens: Credidit Abraham Deo,

& reputatum eſt ei ad juſtitiam. Itaque in ſumma hoc agit Jacobus, *mortuam fidem*, hoc eſt, frigidam Pariſienſem opinionem *non juſtificare*: *Fidem vivam juſtificare*. *Vivam* vero eſſe, *quæ ſe in opera effundit*. Sic enim inquit: oſtende mihi fidem tuam ſine operibus, & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam. Non autem ait: ego oſtendam tibi opera ſine fide. Quadrat autem ad hanc meam expoſitionem aptiſſime, id quod dictum eſt: *Fides ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa*, ut ſatis appareat eum hoc tantum docere, quod in iis intermortua ſit fides, qui fructum fidei non faciunt, quanquam in ſpeciem credere videantur.

Non erit inutile & hoc monere, de quo ambigi paſſim video, *qui ſciat homo, Num in gratia Dei ſit, cognoſci ne poſſit in noſtro corde fidem ineſſe?* Duplex quæſtio eſt. Nam priore, de voluntate Dei erga nos, non de noſtris affectibus: Poſteriore de noſtris tantum affectibus quæritur. Et *ſcholaſtici* quidem *fœdiſſimo errore neutrum ſciri poſſe tradiderunt. Ut vel hoc ſolo loco ſatis appareat, nihil fuiſſe ſpiritus, in toto iſto genere.* Nam quod ad carnem attinet, cum illa in univerſum ſit ignorans Dei, voluntatem erga ſe divinam qui cognoſcat? Et quomodo de ſpiritualibus affectibus caro judicabit, quæ ne ſuos quidem affectus bene compertos habet? Pravum enim cor hominis & inſcrutabile eſt. Sic ergo *Scholaſtici, fingebant in hominis anima ſtertere aliquot qualitates*, quas *ipſi nos ignoraremus*. Præterea, ut nobis velit Deus, ne quærendum quidem eſſe, ita ut apud ſeſe conſcientia perpetuo in incerto fluctuet. Quod quid aliud eſt, quam deſperationem docere? Equidem ſic ſentio: Primum quod ad divinam voluntatem attinet, *fidem* non aliud eſſe niſi *certum & conſtantem fiduciam benevolentiæ divinæ erga nos*. Voluntas Dei cognoſcitur, ſed fide ex promiſſione ſeu Evangelio. Non enim tribuis gloriam veritatis Deo, ſi ita velle Deum, ut Evangelio teſtatus eſt, non credis. Sciunt ſe eſſe in gratia Dei, hoc eſt, habere benevolentem Deum, qui verbo Dei credunt, qui voluntatem Dei æſtimant ex verbo ſuo, non ex noſtris meritis. Sic Paulus ad Rom. IIII. cum multis argumentis docet, ex fide juſtitiam eſſe, tandem velut efficaciſſimam rationem hanc ſubjicit: Quod ſi ex operibus noſtris potius eſſet juſtificatio, quam ex fide, nunquam conſcientia conquieſceret, jam hoc, jam illud in vita in opere noſtro deſiderans, ut fieri non poſſet, quin deſperaret. Sic enim inquit: Ideo non ex operibus, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio. Et prophetæ quoties de ſecuritate gloriantur? Oſeæ II. Dormire faciam eos fiducialiter. Et Hiere. XXIII. In diebus illis ſalvabitur Juda, & Iſrael habitabit confidenter. Quid autem aliud ſignificant voces, *fiducialiter*, *confidenter*, & ſimiles, niſi *ſecuritatem*? Atque eam quidem ſecuritatem pulcherrime expreſſit Micheas: Sedebit vir ſub vite ſua & ſub ficu ſua. Et nihil obſcure Eſaias XXXII. Et erit opus juſtitiæ pax, & cultus juſtitiæ ſilentium, & ſecuritas usque in ſempiternum, Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis & in tabernaculis fiduciæ & in requie opulenta. Ad hunc modum prophetæ deſcribunt *regnum Chriſti*, fore *regnum ſecuritatis*. *Quæ autem ſecuritas erit, ſi de voluntate Dei perpetuo ambigunt, conſcientia?* Neceſſe eſt igitur certos nos eſſe de gratia, de benevolentia Dei erga nos. Hoc eſt, quod apud Hierem. IX. Dominus inquit: In hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me. Vult cognoſci voluntatem ſuam DEUS, vult gloriari nos de voluntate ſua. Quid eſt igitur magis impium, quam negare, vel non debere, vel non poſſe cognoſci voluntatem divinam. Nempe cum eam expreſſerit verbo ſuo? Et *interrogemus Sophiſtas, credant ne id quod in Symbolo Apoſtolico eſt, Remiſſionem peccatorum?* Item credant ne ſententiæ ſacerdotis, cum abſolvuntur? Quod ſi credunt neceſſe eſt, ut agnoſcant ſe eſſe in gratia Dei. Quod ſi non credunt, cur confitentur? Sceleſta Roma, & author Bullæ Romanæ Eccius, damnarunt articulum quendam Lutheri de fide, qui docet: Abſolutioni credendum eſſe. Reſpondeant igitur, cur audiant abſolutionem, niſi credant. Obſcura eſt impietas hæc, & pernicioſior quam quisquam putet. Nec dubito, quin multas animas necarit quæ ad deſperationem iſto carnali, Sophiſtico, Pariſienſi dogmate adactæ ſunt. Diſperdat Dominus omnia labia loquentia mendacium. *Chriſtiana mens facile experientia magiſtra diſcet, nihil eſſe Chriſtianiſſimum, niſi ejusmodi vitam, quæ de miſericordia Dei certa ſit.* Ad Romanos XII. Ut diſcatis quæ ſit voluntas Dei bona, perfecta, beneplacens &c. Ergo, inquient Sophiſtæ, nihil eſt quod timeamus? Recte, ſi vacet fide timor, impius fuerit. Porro qui cum fide conjunctus eſt, is non eſt miſericordiæ ignorantia. Sed cum Jobo inquit: Verebar omnia opera mea. Sancti timent propter opera ſua. Fidunt autem miſericordia Dei: Hypocritæ fidunt operibus. Miſericordiam Dei ignorant. Immo & timorem Dei ignorant. Sicut dixit Propheta: Timor Dei non eſt coram oculis eorum. Id quod apparet in hypocrita apud Lucam XVIII. Docebit autem ſcripturæ uſus collationem timoris & fidei. Nunc hoc monuiſſe ſatis ſit, Timorem ad opera noſtra, fidem ad miſericordiam Dei referri debere. Sancti timoris fides author eſt. Qui metus fiducia bonitatis Dei vacat, is impius ſit neceſſe eſt.

Quod ex *Eccleſiaſte* citatur *VIII. Neſcit homo, utrum amore aut odio dignus* ſit, *ſed omnia in futurum ſervantur:* non efficit ignorare hominem, condonaritne noxam Deus, an contra. Alioqui hoc etiam inde effecero ignorari, iraſcatur ne peccato Deus, an contra. *Neque ſatis demirari poſſum hoc loco verſutiam Satanæ, cum hac ſententia ſcripturæ abuſum video mirifice, non fidem modo, ſed & timorem ex hominum pectoribus exculſiſſe.* Quid aliud κυβείαν & παιυργίαν πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης, vocat Paulus, ſi non *Pariſienſem Theologiam, quæ tam callide ſcripturam evertit?* Hoc in univerſum agit eo libro Salomon, *non eſſe humanis argumentis judicandum de judiciis Dei.* Adeoque *impiæ philoſophiæ calumnias adverſus judicia Dei refutat.* Atque *utinam pro peſtilente philoſophia hic liber juventuti exhiberetur diſcendus, quo corda infirma, fide, ac timore Dei ſtabilirentur. Nunc Philoſophica impietate, impiis poëtarum ac oratorum ſententiis na-*

ture

turæ impietas excitatur, quæ modis omnibus verbo Dei premenda & revellenda erat. Sic ergo Salomon: ſunt juſti, ſunt ſapientes, ſed nihil eſt, quod vel juſtitia vel ſapientia fidere poſſint. Nam eorum opera ſunt in manu Dei. Ecce, quam magnifice uno verſu & timorem & fidem docuerit Salomon, cum *vetat fidere juſtitiæ, aut ſapientiæ noſtræ.* Rurſum, cum in manu Dei ſint opera juſtorum & ſapientum, præcipit illo fidere, qui in poteſtate ſua habet ſpiritum ſapientum ac juſtorum. Poſt ſequitur: *Sunt qui diliguntur a Deo, ſunt quos adverſatur Deus, ſed ex facie ab homine cognoſci non poſſunt, ſed omnia ſervantur in futurum.* Id eſt, *ratio humana judicat Deo acceptos eſſe, quos donis ſuis, opulentia, ſapientia, juſtitia, gloria cumulat.* Rurſum, *inviſos eſſe Deo, quibus illa deſunt.* Atqui *falſo judicat ad eum modum ratio.* Diligit enim vel maxime inopes illos, calamitoſos, viles, abiectos. Odit vel maxime, quos immodice cumulare ſolet. Utriusque exemplum in filiis Iſrael & Pharaone habes. Hoc igitur agit: *non poſſe diſcerni inter pios & impios ab externis eventibus, quemadmodum humana ratio judicat.* Nam ſi de ſuæ cuiusque conſcientiæ iudicio Salomonem interpreteris: non video, qui ignoret peccator odium Dei, cum nihil ſit certius, quam offendi Deum peccato. Deinde ut maxime donemus, Salomonem de judicio conſcientiæ ſanctorum accipi debere, hoc tantum effeceris, ſanctos nondum eſſe ſecuros, niſi quatenus credunt. Juxta illud. Rom. VIII. Spe ſalvi facti ſumus. Imo fides plane ſola ſanctorum ſecuritas eſt. Sed ut fide miſericordiam norunt: ita fideli timore ſe divinæ voluntati judicandos ac damnandos permittunt, ut dent gloriam Deo. Sic enim precamur: Fiat voluntas tua. Exemplum Davidis habes II. Reg. XV. Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me & oſtendet mihi eam, & tabernaculum ſuum: Si autem dixerit mihi non places, præſto ſum. Faciat, quod bonum eſt in oculis ſuis. Non poteſt enim a fide timor ſeparari. Fides miſericordiam Dei ſolam intuetur. Timor iudicium Dei & opera noſtra. Sic Paulus ad Rom. XI. Tu fide ſtas, ne efferaris animo, ſed timeas. Item, cum *in eo ſit totus ille Salomonis liebr, ut doceat, Carni non eſſe judicandum de divinis conſiliis, ut abdicati a nobis & timeamus Deum, & credamus ei*: non inepte opinor videri poteſt hoc monere, ignorari, quos elegerit, quos reiecerit Deus, & ne ſuperbiant ſancti, & ne deſperent peccatores. Coeterum verba Salomonis hæc ſunt, quantum intelligo: Et dilectionem, & odium ignorat omnis homo in facie eorum, eo quod juxta eveniant omnia juſto ac impio. Unde ſatis apparet, Salomonem, non de ſuæ cuiusque conſcientiæ iudicio, ſed de ratione diſcernendi pios ab impiis, extrinſecus, & ab aliis, loqui. Quod in latinis legitur: *Omnia in futurum ſervantur: additum videtur ab interprete declarandi gratia. Nec in Hebræis, quod ſciam, nec in græcis codicibus extat*, ſed hæc longiorem alicubi diſputationem deſiderant. Certiſſima ſententia eſto: oportere, nos certiſſimos ſemper eſſe de remiſſione peccati, de benevolentia Dei erga nos, qui juſtificati ſumus. Ideoque Sacramenta ſeu ſigna miſericordiæ Dei, promiſſionibus ſunt addita, ut poſtea dicam, quæ certiſſime teſtarentur, nobis contigiſſe benevolentiam Dei. Ut certus eſt foenerator, ſe ab eo pecuniam adepturum, cujus conſignatum αὐτόγραφον ea de re habet: Ita, ut certi ſint Chriſtiani, condonari ſibi peccata, ſigna baptiſmus & participatio menſæ Domini, promiſſionibus αὐτογράφοις Chriſti ſunt addita. Et norunt quidem fide ſancti, certiſſime ſe eſſe in gratia, ſibi condonata eſſe peccata. Non enim fallit Deus, qui pollicitus eſt ſe condonaturum peccata credentibus, tametſi incerti ſint, an perſeveraturi ſint.

Hactenus dixi, oportere certos eſſe nos de benevolentia Dei erga nos. Quid autem de operibus Dei in nobis ipſis? *ſcire ne poſſumus, an ſpiritum Dei conceperimus in pectore noſtro?* Reſpondeo, *fructus ſpiritus ſancti teſtantur nobis, quod in pectore noſtro verſetur.* Ad Gal. V. Qui Chriſti ſunt, carnem crucifixerunt &c. *Sentit* autem *quisque, verene & ab animo oderit & abominetur peccatum.* Nam id eſt crucifigere carnem. Sentit quisque, num timeat Deum, num credat Deo. Æmula quidem hypocriſis eſt ſpiritus Dei: ſed tentatio diſcernit, ubi ſoli fideles perdurant. Jam & ne poteſt quidem odiſſe vitia hypocriſis. Qualis qualis autem videre tibi, vide omnium primum, ut credas. Vult enim gloriam veritatis ſibi Deus tribui. Conferamus autem totam hanc diſputationem de lege, Evangelio ac fide, in aliquot capita.

I. Lex doctrina eſt, quæ facienda & omittenda præſcribit.

II. Evangelium eſt promiſſio gratiæ Dei.

III. Lex impoſſibilia exigit, Amorem Dei, ac proximi, ad Rom. VIII.

IV. Qui legem per vires naturæ ſeu liberi arbitrii exprimere conantur, *externa tantum opera ſimulant, affectus, quos exigit lex, non exprimunt.*

V. Legi igitur non ſatisfaciunt, ſed ſunt hypocritæ, ſepulchra extrinſecus dealbata, ut Chriſtus vocat. Et ad Gal. III. Qui ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt.

VI. Ergo non eſt Legis opus, juſtificare.

VII. Sed legis proprium opus eſt, oſtendere peccatum, adeoque confundere conſcientiam. ad Rom. III. Per legem cognitio peccati.

VIII. Conſcientiæ agnoſcenti peccatum & confuſæ per legem, Evangelium oſtendit Chriſtum.

IX. Sic Johannes cum poenitentiam prædicat, ſimul oſtendit Chriſtum. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi Joh. I.

X. Fides, qua creditur Evangelio oſtendenti Chriſtum, qua Chriſtus accipitur pro eo qui placarit patrem, per quem gratia donetur, eſt juſtitia noſtra. Joh. I. Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.

XI. Siquidem ea ſola fides juſtificat: meritorum noſtrorum, operum noſtrorum, nullus plane reſpectus eſt, ſed ſolorum meritorum Chriſti.

XII. Ea fides pacificat cor & exhilarat. ad Rom. V. Juſtificati per fidem, pacem habemus.

XIII. Facitque ut pro tanto beneficio pro condonato peccato propter Chriſtum, redametur Deus. Adeoque amor Dei fructus fidei eſt.

XIV. Ea-

XIV. Eadem fides facit, ut pudeat offendiſſe tam benignum, tam liberalem patrem.

XV. Adeoque facit, ut abominemur carnem noſtram cum concupiſcentiis ſuis.

XVI. Humana ratio, nec timet Deum, nec credit ei: ſed eſt prorſus ignorans Dei & contemptrix, juxta Pſal. Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Et Lucæ XVI. Si Moſen & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent. Ubi ſignificat, Chriſtus, cor humanum non credere verbo Dei. *Hanc humani cordis amentiam Salomon in toto Eccleſiaſte inſectatus eſt*, ut cap. VIII. Quia non profertur cito contra malos ſententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.

XVII. Quia cor humanum prorſus eſt ignorans Dei, ideo ad ſua conſilia & ad ſuas cupiditates deflectit, & ſeſe ſibi pro Deo erigit.

XVIII. Quum cor humanum Deus per legem ſenſu peccati confundit, nondum novit, Deum, nempe bonitatem ejus non cognoſcit, ideo odit velut carnificem.

XIX. Quum cor humanum Deus per Evangelium oſtenſo Chriſto erigit & conſolatur, tum demum id cognoſcit Deum, nam & potentiam & bonitatem ejus cognoſcit. Hoc eſt, quod Hieremias dixit. In hoc glorietur, quod novit me.

XX. Qui Evangelio crediderit, adeoque bonitatem Dei cognoſcit, ejus cor iam erigitur, ut & fidat Deo, & timeat Deum, adeoque ut humani cordis conſilia abominetur.

XXI. Aptiſſime ergo dixit in Actis Petrus: Fide purificari corda.

XXII. Miſericordia oſtenditur promiſſionibus.

XXIII. Alias corporalia, alias ſpiritualia promittuntur.

XXIV. In lege, res corporales, ut terra Cananæa, regnum &c. promiſſæ ſunt.

XXV. Evangelium eſt promiſſio gratiæ, ſeu condonatio peccatorum per Chriſtum.

XXVI. Promiſſiones corporales omnes pendent ex promiſſione Chriſti.

XXVII. Nam prima promisſio, fuit gratiæ ſeu Chriſti promiſſio. Gen. III. Semen ejus, conteret caput tuum, id eſt, Semen Hevæ conteret regnum ſerpentis, inſidiantis calcaneo noſtro, id eſt, peccatum & mortem.

XXVIII. Ea in promiſſione, Abrahæ facta, innovata eſt: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.

XXIX. Proinde, cum naſci ex Abrahami poſteritate Chriſtum oportuerit: promiſſiones quæ legi additæ ſunt, de poſſeſſione terræ &c. promiſſiones obſcuræ venturi Chriſti ſunt. Nam corporalia illa ideo populo promiſſa ſunt, ne interiret, dum promiſſum ſemen naſceretur: Et ut interim corporalibus rebus indicaret Deus miſericordiam ſuam, & populi fidem exerceat.

XXX. Chriſto nato, promiſſiones una cum populo conſumatæ ſunt, & remiſſio peccati palam facta eſt, propter quam oportuit Chriſtum naſci.

XXXI. Promiſſiones veteris teſtamenti, indicia ſunt venturi Chriſti, adeoque promiſſionis gratiæ olim vulgandæ. Evangelium ipſa gratiæ promiſſio eſt, jam palam facta.

XXXII. Sicut non novit Deum, qui eſſe tantum novit, niſi & potentiam ejus norit, & miſericordiam: Ita nec credit, qui eſſe Deum tantum credit, niſi & potentiæ credat & miſericordiæ.

XXXIII. Credit igitur vere, qui præter minas etiam Evangelio credit, qui vultum in miſericordiam Dei ſeu Chriſtum, pignus miſericordiæ divinæ, defigit.

Hactenus de fide: de charitate paulo poſt quædam adjiciemus, ubi abſolverimus hanc de diſcrimine legis & Evangelii partem.

DE DISCRIMINE VETERIS AC NOVI TESTAMENTI. ITEM DE ABROGATIONE LEGIS.

Ex iis quæ de lege ac Exangelio, deque legis & Evangelii officio diximus, colligi facile poteſt, *quid interſit inter vetus teſtamentum ac novum. Qua in re non aliter atque in diſcrimine legis ac Evangelii miſere laborant Scholæ*, cum vetus teſtamentum vocant legem quandam, quæ externa tantum opera exigat: Novum, legem, quæ præter externa opera etiam affectus exigat. Quo fit, ut obſcuretur gratiæ majeſtas & amplitudo, quam oportuit, velut in illuſtri poſitam loco, undique omnibus conſpicuam oſtendi, & vel ſolam prædicari. Nos rem paucis abſolvemus. Quid lex ſit, quid Evangelium, ex ſuperioribus pete. In uſu vocum hic laboratur.

Qui vetus teſtamentum ſimpliciter id quod legem vocant, conſuetudinem loquendi, ut mihi videtur, magis quam rationem ſequuntur, & nomine teſtamenti communiter pro conſtitutione ſeu inſtituto utuntur. Ego *vetus Teſtamentum voco promiſſionem rerum corporalium, conjunctam cum exactione legis.* Nam & per legem exigit juſtitiam Deus, & mercedem illius pollicetur, Chananæam terram, opes &c. ut ex Deuteronomio apparet, cap. XXXIX. Vos ſtatis hodie cuncti coram Domino Deo veſtro, principes veſtri, & tribus, ac majores natu, atque doctores, omnis populus Iſrael, liberi & uxores veſtræ, & advenæ qui tecum morantur in Caſtris, exceptis lixis, ut tranſeas in foedere Domini Dei tui, & in jurejurando quod hodie Dominus percutit tecum, ut ſuſcitet te ſibi in populum & ipſe ſit Dominus tuus, ſicut locutus eſt tibi &c. Contra, *novum teſtamentum*, non aliud eſt, niſi *bonorum omnium promiſſio citra legem, nullo juſtitiarum noſtrarum reſpectu.* Veteri teſtamento promittebantur bona, ſed ſimul exigebatur a populo legis impletio. Novo, promittuntur bona citra conditionem, cum nihil a nobis viciſſim exigatur. Atque hic vides, quæ ſit amplitudo gratiæ, quæ ſit miſericordiæ divinæ prodigalitas. Breviter, quæ ſit Evangelii gloria, cum gratis, nullo noſtræ iuſtitiæ, noſtrorum operum, reſpectu, ſalutem donat. Annon exclamet de tanta profuſione gratiæ pectus humanum? Quis credat huic auditui? Atque hoc diſcrimen veteris ac novi teſtamenti Hieremias cap. XXXI. indicat. Quod ut cognoſci certius poſſit, *de abrogatione legis* diſſerendum eſt.

Et cum *legis tres partes* ſint, exequamur, quatenus ſingulæ ſint abrogatæ: præſertim cum non videantur eodem antiquatæ modo. Et conſenſus ſcriptorum obtinuit, iudicialia & ceremonialia exoleviſſe: Moralia novata eſſe. Nos *de moralibus* primum dicemus.

Eſſe antiquatum novo teſtamento partem legis, quam *decalogum*, ſeu præcepta moralia vocant, primum hoc probat, quod ex Hieremia relatum eſt in Epiſtolam ad Hebræos, ubi cauſatur Propheta, ideo abrogandam eſſe legem divinitus, quod irritam fecerit populus. Non autem in ceremonias tantum peccavit Iſrael, ſed in Decalogum, ſummam potius legis partem, ut vocat Chriſtus in Evangelio. Item cum Propheta novum pactum appellat Evangelium, antiquari ſentit vetus, ut autor Epiſtolæ ad Hebræos argumentatur, dicens: novum veteravit prius. Ad Hebr. VIII. Et ad Timoth. I. Juſto non eſt lex poſita Hoc genus multa ſunt, & in Romanis & in Galatis, libertatis teſtimonia. Quis enim ignorat vulgatam ex Galatis ſententiam: Liberi eſtis, veruntamen ne detis libertatem occaſionem carni. Imo & viliſſima fuerit libertas Chriſtiana, & plusquam ſervitus, ſi ſolas ceremonias tollat, partem legis omnium facillime ferendam. Quis enim non pecus mactet, minore negotio, quam iræ, amori, aut ſimilibus cupiditatibus imperet? Neceſſe eſt itaque fateri, *decalogum* etiam *antiquatum eſſe*.

Licebit igitur quid vis, necare inſontes, pejerare &c? Eadem quæſtio apud Paulum eſt Rom. VI. cum inquit: Siquidem non ſumus ſub lege, peccabimus ergo? *Eſt autem libertas in eo, quod jus omni legi ereptum eſt, accuſandi, ac damnandi nos.* Maledicit lex eos, qui non univerſam legem ſemel abſolverint. At univerſa lex nonne ſummum amorem erga Deum, vehementiſſimum metum Dei exigit? a quibus cum tota natura ſit alieniſſima, ut maxime pulcherrimum phariſaiſmum præſtemus, maledictionis tamen rei ſumus. *Eam maledictionem legis, id jus legis, ſuſtulit Chriſtus*: Ut, quanquam peccaveris, quanquam jam nunc peccatum habeas, (eſt enim utendum ſermone ſcripturæ) tamen ſalvus es. Vim mortis, vim peccati, portas inferi, Samſo noſter effregit. Hoc illud eſt, quod ad Galatas Paulus ſcribit: *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Item, ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret. Et Rom. VI. Peccatum vobis non dominabitur: Non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia. Atque hæc ſecuritas eſt, quam adeo pleno ore nusquam non celebrant Prophetæ. Nulla non potentia legis ſuperiores eſſe eos, qui ſunt in Chriſto, hoc eſt, tametſi peccatoris, tametſi habeas peccatum, damnari non poſſe, iuxta illud: Abſorpta eſt mors in victoria: Ubi eſt mors, victoria tua? &c. Hæc inculcari Chriſtianis debebant, cum ſemper alias, tum maxime morituris, quibus hæc una anchora reliqua eſt, vere ſacrae ut proverbi, dici ſolet. Atque *hæc libertas eſt, quam fere ubique Paulus prædicat.* Ceremonias vix uno atque altero loco attingit. Nec aliud eſt *novum teſtamentum*, niſi *huius libertatis promulgatio.* Id quod appoſite ſecundo pſalmo ſignificavit Propheta: Ego conſtitui Regem meum ſuper Zion montem ſanctum. Hic pater inquit, ſe regem deſiguaturum monti Zion poſt, quale Regnum ſit futurum, aperit: nempe, ubi verbo ſuo Deus, non humanis viribus aut mundi potentia regnet. Ideo ſubjicit: Prædicabo mandatum, Dominus dixit ad me, filius meus es tu. Quæ hæc nova prædicatio erit? Annon ante verbum Dei prædicatum eſt in monte Zion, nempe lex? Ea vero nunc nova prædicatione abrogatur, ubi de filio, Chriſto ſermo inſtituitur. Quod ſi non aliud prædicatur, niſi filium eſſe Chriſtum: conſequitur, legis juſtitiam, opera, non exigi, nec aliud præcipi, quam ut filium illum exoſculemur. Id quod paulo poſt apertius dicit: Beati omnes qui fidunt eo: non ſervabit vos juſtitia veſtra, non ſervabit vos ſapientia veſtra, ſed hic filius ſervabit, rex veſter, propugnaculum veſtrum &c. Sunt hujusmodi multa in ſcripturis, quæ hanc nobis libertatem commendent. Nam quid in univerſum aliud eſt Evangelium, niſi hujus libertatis præconium. Poſtremo, *libertas eſt Chriſtianiſmus*, quia qui *Spiritum Chriſti non habent, legem facere neutiquam poſſunt, ſuntque maledictionum legis rei. Qui Spiritu Chriſti innovati ſunt*, ii *jam ſua ſponte, etiam non præeunte lege, feruntur ad ea quæ lex jubebat. Voluntas Dei lex eſt. Nec aliud Spiritus Sanctus eſt, niſi viva Dei voluntas, & agitatio.* Quare *ubi ſpiritu Dei, qui viva voluntas Dei eſt, regenerati ſumus, jam id ipſum volumus ſponte, quod exigebat lex.* In hanc ſententiam dictum eſt a Paulo: *Juſto non eſſe legem poſitam.* Et ad Rom. VIII. *Lex ſpiritus vitæ*, id eſt, *lex motio ſpiritus vivificantis*, liberavit me a lege peccati & mortis. Et *libertatem Chriſtianam* Auguſtinus ad eum modum copioſe tractat, in libro de ſpiritu & litera. Et Hierem. XXI. Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael & domui Juda ſoedus novum, non ſecundum pactum quod pepigi cum patribus veſtris in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, pactum, quod irritum fecerunt, & ſuccenſui eis, dicit Dominus: Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Iſrael: Poſt dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in viſceribus eorum, et in corde eorum ſcribam eam & ore eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcent me, a minimo eorum uſq; ad maximum, ait Dominus. Quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non recordabor amplius. Quo in loco duplex pactum commemorat Propheta, vetus, ac novum: vetus, juſtificationem per legem, dicit irritum factum eſſe. Quis enim legem exprimere potuit? propterea ſublata exactione, jam legem corditus inſcribendam eſſe, ut exprimi poſſit. Ergo *libertas eſt, non, ne faciamus legem, ſed ſponte ab animo velle ac cupere*, quod *lex poſcit.* Id quod antea nemo potuit. Idem Ezech. XI. Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis, cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, & judicia mea cuſtodiant, faciantque ea, & ſint mihi in populum.

Habes, quatenus *a decalogo liberi* ſimus: Primum, *quod, tametſi peccatores, damnare non poſſit, eos qui in Chriſto ſunt.* Deinde, *quod qui ſunt in Chriſto ſpiritu trahuntur ad legem*

faciendam, & ſpiritu faciunt, amant, timent Deum, proximi neceſſitatibus ſe accommodant, atque ea ipſa capiunt, quæ lex præcipiebat, facturi, etiamſi nulla eſſet lex lata. Nec aliud eſt *eorum voluntas*, nempe ſpiritus, quam *viva lex.*

Ad eum modum fuerunt liberi etiam patres ante Chriſti incarnationem, quotquot Spiritum Chriſti habuere. Id quod vidit Petrus in Actis, Cap. XV. cum negat, eos potuiſſe legem facere: Neque nos, inquiens, neque patres noſtri portare potuimus. Sed fide juſtificati ſunt. Id eſt, cum non poſſent præſtare legem patres, agnoverunt, ſe quoque liberos eſſe per Chriſtum, ſuntque fide in Chriſtum juſtificati, non operum, non juſtitiarum ſuarum meritis. Non enim eo loco in Actis de ceremoniis tantum Petrus loquitur, ſed de tota lege. Nam lex ceremoniarum, ni præſtes & decalogum, præſtari neutiquam poteſt. Non enim fiunt ceremoniæ coram Deo, niſi fideli ſpontaneo corde fiant. Et Petrus non hoc agebat, non poſſe externa opera ceremoniarum fieri. Quid enim facilius eſt, quam pauculis adeo ceremoniis defungi? Nam *ſi numeres, quanto plus rituum papiſticorum hodie in Eccleſia eſt, quam in Moſe videas?* Et *Moſaicas ceremonias in univerſum pauculis verſibus complecti queas, cum papiſticis tam magna decretorum & decretalium volumina non ſatis ſint.* Quam diſſimiles Romani pontifices Petri ſunt, quo præceſſore gloriantur? Ille jure divino traditas, easque pauculas ceremonias obrogavit: Hi *nullo non ſeculo novas & ſtultas commenti ſunt.* Non igitur de ceremoniis tantum videri poteſt in Actis egiſſe Petrus, ſed de tota lege.

In Romanis de hac libertate latius diſputat Apoſtolus, Cap. VI. VII. & VIII. docens, *novum tantum hominem liberum eſſe.* Proinde *quatenus ſpiritu novati ſumus, eatenus liberi ſumus*: Quatenus caro & vetuſtas ſumus, ſub lege ſumus. Quanquam credentibus, quod reliquum eſt vetuſtatis, propter fidem condonetur. In ſumma, *quatenus credimus, liberi ſumus*: *quatenus diffidimus, ſub lege ſumus.* In Anti Latomo copioſe diſputavit Lutherus de peccatis ſanctorum, ſeu de reliquiis vetuſtatis in regeneratis, ut mihi ea de re non ſit neceſſe multis agere. Præſertim cum tam clare dicat Paulus, ſe adhuc captivum eſſe peccati. Idem non uno loco Auguſtinus & Cyprianus. Nam juſtificari hic cepimus, nondum abſolvimus juſtificationem. Sic *Paulus ſubinde jubet reformari nos novitate ſenſus noſtri.* Et ad Philippenſes ait: ſe nondum accepiſſe, nondum perfectum eſſe, ſed ſequi ut comprehendat. Ergo cum de legis abrogatione diſputatur, hoc potius agendum erat, quatenus decalogum antiquarit Evangelium, quam ut ceremoniæ ut judicialia ſublata ſint. Nam ex decalogi abrogatione, gratiæ amplitudo vel proxime cognoſci poteſt, cum citra legis exactionem, nullo reſpectu operum noſtrorum ſalvari credentes arguit. Ergo *abrogata lex eſt, non, ut ne fiat, ſed ut & non facta, non damnet, & fieri poſſit.* De judicialibus ac ceremoniis, utinam exactius diſſeruiſſent, qui libertatem ad ea ſola retulerunt. Et in his accurate obſervandum eſt, id quod Paulus ait: Circumciſionem nihil eſſe. Et in Galatis: In Chriſto Jeſu neque circunciſionem, neque præputium, ſed novam creaturam valere. Item illud, quod ad Corinthios ſcribit: Domini eſt terra & plenitudo ejus. Quæ libertatem Chriſtianam hanc eſſe probant, ut vel uti hujusmodi rebus externis, vel non uti poſſis. Sic alium Paulus circumcidit, alium non circumcidit. Alias attemperavit ſe iis, qui ritus Judaicos obſervabant, alias refragabatur. Eadem nobis libertas eſto. Non peccant, neque qui circumciduntur neque qui intermittunt circumciſionem. Durius igitur eſt, quod Hieronymus confinxit, de antiquatis ceremoniis. Atqui hunc hodie fere ſequuntur. Sed hi peccant, qui neceſſariam putant eſſe circumciſionem, qui in hoc circumciduntur ut juſtificentur, ut bonum opus faciant. Rurſum peccant, & qui intermittunt circumciſionem, in hoc ut juſtificentur. Tam errat Hieronymus vetans circumciſionem, quam errabant Judæi, ſicubi requirebant circumciſionem. Tam erraverit, ſi quis præcipiat, ſuillam carnem edere, quam erraverit, ſi quis vetet. Atque hæc Paulo ratio fuit. Circumcidere Titum noluit, cum videret exigi a Judæis circumciſionem, adeoque obſcurari doctrinam fidei: cum circumciſioni, non fidei iuſtificationem tribuerent. Idem ſervandum eſt *in moralibus operibus:* ut, ſicut non in hoc edis, aut bibis, ut iuſtificeris, ita nec in hoc largiare eleemoſynen, ut iuſtificeris: ſed, ut in hoc edis ac bibis, ut neceſſitati corporis ſervias: Ita in hoc largiare eleemoſynen, diligas fratrem &c. ut communi neceſſitati ſervias, in hoc libidinem coherceas, ut corpus ſit obnoxium ſpiritui &c. Quam non juſtificant edere, bibere, dormire, ſtare, ſedere, tam non iuſtificant non modo circumciſio, ſed & moralia illa, caſtitas, ſervire fratrum neceſſitatibus, & ſimilia. Sola enim fides iuſtificat, iuxta illud: Juſtus ex fide vivet. Porro, hæc *in moralibus libertas, quam eſt neceſſaria cognitu, tam obſcura eſt, nec niſi a ſpiritualibus intelligi poteſt.*

Valeat igitur, quod diximus, non eſſe judicialia aut ceremonias ita ſublatas, ut peccet, ſi quis ex illis quidpiam uſurpet. Sed, quia *Chriſtianiſmus libertas quædam eſt, uti illis, vel non uti, penes nos eſt*, non aliter atque edere aut bibere penes nos eſt.

Cæterum optarim etiam uti Chriſtianos ea forma judiciorum, quam Moſes prodidit. Item plerisque ceremoniis. Præſtaret enim, quandoquidem judiciis carere neceſſitas hujus vitæ non poteſt, nec, ut opinor, ceremoniis, uti Moſaicis illis, quam tum gentilibus legibus, tum papiſticis ceremoniis.

Et ut propius ad rem accedamus, una eademque cauſa eſt, cur univerſa lex abrogata ſit, non ceremoniæ tantum & judiciorum formæ, ſed & decalogus, quod præſtari non potuerit. Hanc abrogandæ legis cauſam prodidit & Petrus in Actis, & Hieremias, cum ideo novum pactum iniri docet, quod vetus illud irritum fecerimus. Atque eo loco nullam legis partem excipit, ut ſatis appareat eum de tota lege loqui. Eſt autem in iis antiquata tantum, qui pacto poſteriori, hoc eſt,

Evangelio

Evangelio crediderunt. Adeoque in quibus ſpiritus Chriſti eſt, hi prorſus ab omni lege liberi ſunt.

Quod autem *Decalogum faciunt* ſancti, hoc in cauſa eſt, & quod decalogus præter cordis juſtitiam non exigit certa locorum, temporum, rerum, perſonarum, diſcrimina, & ſpiritus ipſa cordis juſtificatio ſit. Non poteſt non præſtari decalogus abrogata lege. *Ut ſub exortum ſolis, nequit fieri, quin illuceſcat: ita non poteſt non præſtari decalogus, effuſo in corda ſanctorum ſpiritu.* Cæterum ſpiritualis ſic liber eſt, ut niſi afferret ipſe ſecum ſpiritus pro ſua natura decalogi impletionem, ne deberemus quidem. Nunc, *cum affert ſpiritus ejusmodi voluntatem, quæ ſit ipſa decalogi impletio, fit lex*: non quod exigatur, ſed quia ne poteſt quidem a ſpirituali diverſum fieri.

Judicialia & ceremoniæ, præter cordis juſtitiam, externæ obſervationes ſunt rebus, perſonis, locis, temporibus circumſcriptæ. Quas obſervationes quia non neceſſario ſecum ſpiritus affert, ideo non eſt, cur a nobis fiant. Eſſe non poteſt in humano corde ſpiritus Dei, quin exprimat decalogum. Fit igitur neceſſario decalogus. Eſſe poteſt ſpiritus in humano corde, etiam ſine externis illis obſervationibus. Non igitur fiunt neceſſario judicialia & ceremoniæ. Hinc apparet cur decalogus fere negativas leges contineat: ut ſignificetur, nullum certum opus, circumſcriptum perſonis, locis, temporibus, ſed potius cordis juſtitiam exigi. Reliquæ leges res externas diſtribuunt ac diſpenſant. Sed hanc libertatis rationem relinquo meditandam ſublimioribus ſpiritibus. Ego contentus ſum monuiſſe, decalogum antiquatum eſſe, non, ut ne fiat, ſed ut ne damnet, ſi quid deliquimus, deinde, ut exprimi poſſit. Adeoque libertas hæc, conſcientiæ eſt, fide ſentientis condonari peccatum.

Ceremonias eſſe *abrogatas* fere ideo judicant, *quod umbræ Evangelii* fuerint, quibus, cum corpus, hoc eſt, ipſum Evangelium nunc extet, nihil opus ſit. Quam cauſam haud ſcio, an usquam ſecutus ſit Paulus. In Coloſſ. inquit: Nemo vos judicet in cibo aut potu, aut in parte diei feſti, aut Neomeniæ, aut Sabbathorum, quæ ſunt umbræ futurorum, corpus autem Chriſti. Quo in loco typi rationem cauſatus videri fortaſſe poteſt. Certe in Galatis *ideo ceremonias rejicit, quod non juſtificent.* Idem in Hebræis agitur per totam Epiſtolam, non ceremonias modo, ſed totam legem ideo antiquari, quod juſtificare non potuerit, ſeu, ut ſupra diximus, quod exprimi non potuerit. Sic enim cap. VII. ſcribitur: Reprobatio quidem præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem. Et ubi de ſacerdote late diſſeruit, hoc conſtituit: Ideo ſacerdotium Leviticum antiquari, quod remiſſionem peccati non impetrarit: Impetret autem noſter pontifex Chriſtus. Vides, unam hanc abrogatæ legis cauſam in ſcripturis premi, ac urgeri: *legem ideo antiquari, quod non juſtificarit, ſeu quod exprimi non potuerit. Scholæ ceremonias tollunt ſolas, quod Evangelii typi fuerint.* Decalogus manet, quod τυπικὸς non videatur. Sed quid hoc ad gratiæ commendationem? Scriptura ſic de abrogatione legis diſſerit, ut utique nobis in ea gratiæ amplitudinem commendet. Sic ceremonias tollit, ut universam legem appareat ſublatam. Sic ceremonias rejicit, ut appareat propter decalogum abrogandum abrogari ceremonias. Quæ commendatio gratiæ & ſola & ſumma eſt. Sic ergo *Ceremoniæ ſublatæ ſunt, non, ne fiant, ſed, quod nullo conſcientiæ periculo aut fieri, aut omitti poſſint, quod non damnent intermiſſæ, nec juſtificent ſi feceris.* Hæc ſatis ſit indicaſſe, quorum rationem ex Galatarum Epiſtola, & ex Hebræis petas. *Auguſtinus alicubi cauſam abrogatæ legis inquirens, nihil præter figuras cauſatur.* Scriptura ideo legem abrogat, quod non juſtificet. Quid igitur erat, cur ferretur lex? ut oſtenderet peccatum, ſeu ut peccati coargueret, & palam fieret, opus eſſe nobis miſericordia Dei.

De formis judiciorum ſic ſentio: Eas quoque antiquatas eſſe, quod *externæ obſervationes ſint, non aliter atque ceremoniæ, quibus liber ſpiritus vel uti, vel non uti poſſit.* Contendere judicio Chriſtianis non licet: ſed ea non eſt abrogandæ legis cauſa. Nam ut peccent qui litigant, neceſſe eſt tamen leges & judicia eſſe, quibus coherceantur flagitioſi. Nec peccant, qui judicia exercent, ſeu jus dicunt. Nec in hoc lata Moſi lex eſt, ut litigandi materia civibus eſſet, ſed ut judicandi formula magiſtratui eſſet. Non in hoc igitur diſputandum eſt, Moſaicane, an quavis lege uti poſſit, qui litigare vetit: Non enim Chriſtianus eſt, qui litigat: Sed Moſaicane lege ſola uti debeat *judex Chriſtianus*? Hic reſpondeo, *penes judicem eſſe, uti vel non uti Moſi lege. Eſt enim rerum externarum diſpoſitio quædam, quæ ad Chriſtianiſmum nihil pertinet, non aliter, atque edere & bibere. Paulus tantum ſapientem virum, & in quo ſit Chriſti ſpiritus, judicem poſtulat.* 1. Corinth. VI. An neſcitis, quod ſancti de hoc mundo judicabunt? Item, Adeo non eſt inter vos ſapiens quisquam, qui poſſit judicare &c. Quibus locis apparet, *eum non legem aliquam certam ſed ſpiritualis viri iudicium requirere.* Alias etiam gladium gentium probat, de quo poſtea dicemus, vocatque Dei ordinationem. Porro, gladii potiſſima pars legis ſunt. Atque ita uſi ſunt gentium gladio, & gentium legibus Naaman Syrus, Nabugdonoſor, & ſi qui alii ex gentibus pii principes fuerunt. Et haud ſcio an geſſerint etiam Daniel & alii Iſraelitæ inter Aſſyrios. Certe gentium gladium geſſit Romanum præſidium Judeæ impoſitum. Et probavit Johannes Lucæ III. Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis & contenti eſtote ſtipendiis veſtris. Talis & Cornelius fuit Actorum X. talis fuit & proconſul Sergius, Actorum XIII. Hæc ideo recenſui, ut intelligatur, *ad juſtitiam ſpiritus nihil pertinere civilem illam & externam rerum diſpenſationem, non aliter atque agrum fodere, aut ædificare, aut ſuere calceos, nihil referunt juſtitiæ ſpiritus, eſſeque penes Chriſtianos uti, vel non uti formis iudicandi Moſaicis.* Quanquam optarim, pro gentilibus & ſæpe ſtultis legibus Moſaicas recipi. Sumus enim oleæ illi inſerti. Et *verbum Dei decebat præferre humanis, conſtitutionibus. Nec hodie alius fere Romani illius iuris uſus eſt, quam in litigando, ut habeant unde ſe alant rabulæ forenſes.*

Quatenus ſit antiquata lex, opinor ex his cognoſci poſſe aliqua ex parte quæ diximus. Certius enim uſu ſcripturæ docebit ſpiritus. *Neque*

poteſt niſi a ſpiritualibus intelligi hæc libertas.

Dices autem, ſi liberi ſunt, qui ſpiritum Chriſti habent, igitur & David & Moſes liberi erant? maxime. Nam hoc eſt quod ait Petrus: Neque nos, neque patres noſtri portare potuimus, ſed per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti credimus ſalvari, quemadmodum & illi. Hoc eſt, agnorunt patres, omnia ſua opera peccata eſſe, agnorunt, ſe non mereri ſalutem operibus ſuis ullis, ſed miſericordia Dei egere. Itaque crediderunt, ſuntque miſericordiæ fiducia ſervati, & concepto ſpiritu Dei ſenſerunt ſe liberos eſſe a legis maledictione, adeoque ab omni onere vel exactione legis. Sed, quod ceremonias non omittebant, in cauſa eſt, quod nondum libertas revelata erat, nondum Evangelium libertatis evulgatum erat. Quare legem tulere nihil gravatim, cum ſe fide iuſtificari ſentirent. Vides etiam, *nonnunquam libertatis privilegio recte uſos eſſe*, ut 1. Reg. XXI. *David panes propoſitionis edit, quos edere fas non erat, niſi ſacerdoti.* Et David egregie de libertate præfatus inquit: Viam quidem pollutam eſſe, ſed ſanctificari in vaſis, hoc eſt, mundos eſſe ſe, quod fideles eſſent, & ſanctificari omnia, victum, operas, &c. fide ſanctorum. Non aliter atque Paulus ait: *omnia munda mundis eſſe, coinquinatis nihil mundum.*

Summa, *Liberi ſumus per fidem, ab univerſa lege:* ſed eadem fides, ille ipſe ſpiritus Chriſti, quem concepimus, reliquias peccati in carne mortificat. Non, quod exigat lex ſed quod illa ipſa ſit ſpiritus natura, ut non poſſit non mortificare carnem. Hoc eſt, quod ait Paulus: Nihil nunc damnationis eſt his, qui ſunt in Chriſto Jeſu, id eſt, qui credunt, quia jam a legis maledicto redempti ſunt, ſalvi ſunt, *ſed illi iidem non ſecundum carnem ambulant*, hoc eſt, quia in eis regnat ſpiritus, ideo carnis reliquiæ crucifiguntur. Et leges præſcribuntur fidelibus, per quas ſpiritus mortificet carnem. *Nondum enim conſummata in nobis libertas eſt, ſed vindicatur*, dum & augeſcit ſpiritus, & necatur caro. Eſtque decalogi uſus in mortificanda carne. Ceremonialium legum aut judicialium non item. Ita fit, ut *decalogo opus ſit fidelibus, reliquis legibus non item.* Sed *ceremonias & externas obſervationes pro arbitrio concipit ſpiritus.*

DE VETERI AC NOVO HOMINE.

Dixi libertatem nondum conſummatam eſſe, quod *& ſanctificatio nondum in nobis conſummata ſit. Cæpimus enim ſpiritu Dei ſanctificari, ſanctificamurque dum caro illa prorſus enecetur.* ita fit, ut duplex ſit ſanctorum natura, ſpiritus & caro. Novus homo & vetus. Interior homo & exterior. *Caro*, non corpus tantum *deſignat*, ut ſupra diſputatum eſt, ſed *totum plane hominem* ψυχικόν, ut vocat Paulus, hoc eſt *eum, qui naturalibus affectibus & motibus obnoxius eſt.* idem quod caro, ſignificant homo vetus, item homo exterior. Eſtque *caro, quidquid eſt humanorum affectuum ſecundum naturam.* Non modo eſurire & ſitire, ſed & amare opes, gloriam, & hujuſmodi alia. *Planeque caro ſunt virtutes philoſophicæ & conatus liberi arbitrii qualescunque.* Rurſum, ſpiritus eſt, cum ipſe ſpiritus ſanctus, tum ejus in nobis agitatio. Novus homo, interior homo, ſpiritus ſunt, quod a ſpiritu ſancto regenerati ſint. Iohan. III. Quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. *Sancti ergo ſumus, quatenus ſpiritus ſumus, quatenas novati ſumus.* In carne, in veteri homine, in exteriore homine adhuc peccatum eſt. Sic Apoſtolus: Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus adverſus carnem. *Sophiſtæ Pariſienſes negant, peccatum eſſe concupiſcentiam quæ in carne ſanctorum eſt, ſed infirmitatem.* Hos ſatis copioſe Lutherus in Anti-Latomo confutavit. Et quid eſt clarius, quam *peccatum eſſe, quidquid adverſatur legi* Dei. Caro adverſus legem Dei concupiſcit. Quid enim igitur cur peccatum concupiſcentiam non vocent? An non ſua quærunt etiam ſancti, an non in ſanctis amor eſt, vitæ, gloriæ, ſecuritatis, tranquillitatis, rerum: quæ quod peccatum non vocarunt *Pariſienſes*, hoc in cauſa eſt, quod *affectuum rationem non habuerunt, ſed externis factionibus peccari putaverunt. Radicem operum non vident, ita fit, ut de fructibus inepte judicent.* Quod tam bonum opus eſt, quo non ſuum aliquid natura quærit? ut κενοδοξίας amorem poſueris, certe nondum pœnarum metum poſuiſti. Polluit ergo quantumvis bona opera caro. Jam ſi præterea nihil pecces, nonne fœdiſſime & atrociſſime delinquimus torpore ſeu ignavia ſpiritus? Flagrare amore Dei, fiducia, pavere metu Dei oportuit, quæ primo præcepto exiguntur. Quæ quis præſtat? Fateamur igitur quod res eſt, *eſſe in carne noſtra peccatum.* Eſtque hæc miſericordiæ Dei gloria, quod credentibus peccatum condonat. Nec aliud eſt abrogatio legis, quam legi ad eum modum jus eſſe ademptum per Chriſtum, damnandi peccatores. Sunt qui tres hominis partes fecerunt, ſpiritum, animam, corpus. Quod non damno, modo permittant mihi quod res eſt, *ſpiritum proprie non naturæ partem eſſe ſed agitationem divinam.* Corpus & animam, hoc eſt, naturam ſine ſpiritu, non poſſe non peccare, nec a peccato morales virtutes excuſent. Paulus Apoſtolus ad Philippenſes omnes iuſtitias ſuas prodamnis & ſtercoribus habet, quas præeunte lege naturæ conatus expreſſerat. *Quid eſt* igitur *cur naturæ opera usque adeo in injuriam Evangelii, blaſphemi Sophiſtæ jactent? Nec enim amplitudinem gratiæ quidquam adeo obſcurat, ut impia illa moralium operum doctrina.* Gaudet, Paulus reperiri in Chriſto non habens ſuam iuſtitiam ex lege, ſed eam quæ per fidem eſt, Chriſti, quæ iuſtitia ex Deo eſt. Ex lege etiam meritum ponunt Sophiſtæ in iuſtitia.

DE PECCATO MORTALI & QVOTIDIANO.

Supra de peccato dictum eſt, ubi Conſulto omiſimus *peccati formas* tractare, *mortale, ut* loquuntur, *& veniale.* Eſt enim *mortale peccatum, omne opus hominis, qui non eſt in Chriſto,* quia malæ arboris, nempe carnis, malus fructus eſt. Affectus autem carnis mors eſt ad Rom. VIII. Item, affectus carnis inimicitia eſt adverſus Deum. Item, qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Quibus locis neceſſe eſt, ut *carnem* interpreteris *de tota hominis natura*, adeoque *de præſtantiſſimis naturæ viribus*, ut ſupra docuimus.

Immo

Imo *non alia pars hominis magis caro eſt, quam ſupremavis, ratio: quod in illa proprie ſit ignoratio & contemptus Dei, incredulitas, & hoc genus ſonticæ peſtes, quarum fructus & opera ſunt, omnes functiones humanæ.* Contra, *venialia peccata* ſunt, omnia ſanctorum opera, nempe quod per miſericordiam Dei credentibus condonentur. Nonnunquam ſanctis eripit Deus ſpiritum, ita ut in manifeſta vitia prolabantur, quæ vocent ſane, me nihil refragante, peccata mortalia, modo ſciant, me mortalia ad eum modum appellare, quidquid fit ab iis, qui ſpiritu Dei carent. Quondam *fere crimina* vocabantur, quæ Sophiſtæ nunc vocant *peccatu mortalia*, *facinora palam mala.* Et *quotidiana peccata*, quæ iſti *venalia.*

De lege ac Evangelio, de veteri ac novo Teſtamento, hæc quæ dixi puto requiri potiſſimum, quæ ipſe video a me tenuius, quam pro rei dignitate tractata eſſe, ſed *nolo Rabi vocari.* Abunde ſuppeditabit ſcripturæ uſus quod nos præterivimus. Satis eſſe putavi indicare, quid potiſſimum in ſcriptura requireres. Requires autem Legem ac Evangelium. Lex peccatum oſtendit, ac conſcientiam pavefacit. *Evangelio peccatum condonatur,* & *exhibetur ſpiritus, qui ad faciendum legem cor inflammet.* Si teſtamenti nomen propius conſideres, vetus Teſtamentum, τύπες novi Teſtamenti, non Teſtamentum fuerit, ut in quo non diſceſſerit teſtator. Novo teſtamento deceſſit teſtator. Vetere pro teſtatore typi gratia pecudes cædebantur, quæ teſtatoris mortem ſignificabant. Sed hæc argutiora ſunt, quam quæ hujus commentarii ratio admittat. Solet hic de litera & ſpiritu diſputari, de quibus malo vel Auguſtinum, vel Lutherum, quam me conſuli. Quanquam ſupra etiam in legis ratione attigerim.

DE SIGNIS.

EVangelium promiſſionem eſſe gratiæ, diximus. Porro promiſſionibus proximus *ſignorum* locus eſt. *Adduntur* enim in ſcripturis, ceu ſigilli vice, *ſigna promiſſionibus*, quæ cum admoneant promiſſionum, tum certa teſtimonia divinæ voluntatis ſint erga nos, teſtanturque, certo accepturos, quod pollicitus eſt Deus. In *uſu ſignorum foediſſime erratur.* Nam *ſcholæ* cum *diſputant*, quod interſit inter Sacramenta veteris ac novi teſtamenti, in Sacramentis veteris teſtamenti negant, vim fuiſſe juſtificandi, Novi Sacramentis tribuunt vim juſtificandi, *manifeſto* nimirum *errore.* Sola enim fides juſtificat. Proinde quæ *ſignorum natura* ſit, facillime ex Pauli Romanis poteſt intelligi, ubi de circumciſione in capite quarto diſſerit ad hunc modum: Abrahamum non eſſe juſtificatum ex circumciſione, ſed ante circumciſionem & citra circumciſionis meritum, accepiſſe vero poſtea circumciſionem, σφραγίδας δικαιοσύνης, hoc eſt, ſigillum, quo teſtaretur Deus, Abrahamum eſſe juſtum, & quo innoteſceret Abrahamo, ſe coram Deo juſtum eſſe, ne in anciptiti fluctuans conſcientia deſperaret. Quem uſum ſi intelligas, quid poteſt ſignis lætius contingere? Parum eſt quod admonent ſigna promiſſionum divinarum. Hoc vero magnum eſt, quod certum teſtimonium divinæ voluntatis erga te ſunt. Sic circumciſionem ſignum vocat Moſes, Geneſis XVII. Vt ſit vobis in ſignum fœderis inter me & vos. Quod ſignum circumciſio eſt, admonet promiſſionis divinæ Abrahamum & omnes circumciſos. Quod fœderis ſignum eſt circumciſio, hoc eſt, quod ſignificat ratum fore hoc fœdus, confirmat conſcientiam Abrahæ, ut nihil dubitet, quin eveniat quod promiſſum eſt; Quin præſtet Deus, quod pollicitus eſt. At, quid erat pollicitus Abrahæ Deus? Nonne ſe futurum Abrahæ Deum, hoc eſt, complecti ſe Abrahamum, juſtificare & ſervare &c. Hæc ita certa eſſe nihil dubitabat Abraham, circumciſione, velut ſigillo confirmatus.

Percurre ſi libet univerſam ſcripturam, & *ſignorum rationem ex hiſtoriis ſacris pete, non ab impiis Sophiſtis.* Ezechiæ Dominus vitam Eſaiæ oraculo prorogat. Eam promiſſionem, ut ratam fore certo ſciret Rex, confirmat Deus adjecto ſigno, ut decem gradibus horologii umbra revocaretur. Gedeon ne quid dubitaret futurum, ut ſuo ductu vindicaretur Iſrael in libertatem, duobus ſignis confirmatus eſt. Achazum Eſaias increpat contemnentem ſignum divinæ voluntatis erga ſe. Nam nec promiſſioni credebat. Et quid attinet multa quærere, cum ſcriptura ſit hujusmodi exemplorum plena. Ex quibus qui ſit ſignorum uſus credo diſci poſſe. *Non juſtificant ſigna*, ut Apoſtolus ait: *Circumciſio nihil eſt. Ita baptiſmus nihil eſt Participatio menſæ domini nihil eſt, ſed teſtes ſunt καὶ σφραγίδες divinæ voluntatis ergæ te, quibus conſcientia tua certa reddatur, ſi de gratia, de benevolentia Dei ergæ ſe dubitet.* Quam dubitare non potuit Ezechias, quin revaleſceret, cum & promiſſionem audiſſet, & ſigno vidiſſet confirmatam promiſſionem: Quam non potuit dubitare Gedeon, quin victurus eſſet, cum tot ſignis confirmatus eſſet: Tam dubitare tu non debes, quin miſericordiam conſecutus ſis, ubi Evangelium audieris, & Evangelii σφραγίδας acceperis, baptiſmum, & corpus Domini ac ſanguinem. Vel ſine ſigno reſtitui Ezechias potuit, ſi nudæ promiſſioni credere voluiſſet: vel ſine ſigno Gedeon victurus erat, ſi credidiſſet. Ita *ſine ſigno juſtificari potes, modo credas. Adeo non iuſtificant ſigna*, ſed erat Ezechiæ item Gedeonis fides hujusmodi ſignis ſublevanda, erigenda & confirmanda. Ita *noſtra imbecillitas ſignis erigitur, ne de miſericordia Dei, inter tot inſultus peccati, deſperet.* Non aliter atque pro ſigno favoris divini haberes, ſi ipſe tecum coram colloqueretur, ſi peculiare aliquod pignus miſericordiæ, qualecunque miraculum tibi exhiberet: decet de his te ſignis ſentire, ut tam certo credas, tui miſertum eſſe Deum, cum baptiſmum accipis, cum participas menſæ Domini, quam creditrus tibi videris, ſi ipſe tecum colloqueretur. Deus, aut aliud quiddam ederet *miraculi*, quod ad te peculiariter pertineret. *Fidei excitandæ gratia ſigna ſunt propoſita. Nunc & fidem & ſignorum uſum extinxerunt, qui ea in queſtu habent.* Saluberrima eſt ſignorum cognitio, & haud ſcio an aliud conſcientiam conſoletur & confirmet efficacius, atque hic ſignorum uſus.

Quæ alii *Sacramenta* nos *ſigna* appellamus, aut ſi ita libet, *ſigna ſacramentalia.* Nam ſacramentum, ipſum Chriſtum Paulus vocat. Quod ſi ſigni nomen diſplicet, σφραγίδας appelles, quo propius vis ſacramentorum ſignetur. Probabilis & illi voluntatis ſunt, qui ſymbolis ſeu *teſſeris militaribus* hæc ſigna comparaverunt, quod *eſſent notæ*

tantum

tæ tantum, quibus cognoſceretur, ad quos pertinerent promiſſiones divinæ. Ut Cornelius baptizatus eſt, cum jam juſtificatus eſſet, ut in eorum numero referretur ad quos promiſsio regni Dei & vitæ perpetuæ pertinebat. Hæc de ſignorum natura ideo monui, ut *qui ſit uſus pius ſacramentorum* posſit intelligi, *ne quis ſcholaſticos ſequatur, qui juſtificationem horrendo errore ſignis tribuerunt.*

Duo ſunt autem ſigna a Chriſto in Evangelio inſtituta, *Baptiſmus* & *participatio menſæ Domini.* Nos enim ſigna ſacramentalia ea eſſe judicamus, quæ *gratiæ Dei ſigna divinitus traditæ* ſunt. Nam divinæ voluntatis ſignum erga nos, nec inſtituere homines poſſumus, nec ad voluntatem divinam ſignificandam ea ſigna referre, quæ alio ſcriptura retulit. Quo magis miramur, *quid venerit in mentem Sophiſtis, præſertim cum ſignis juſtificationem tribuerent, inter ſacramenta referre ea, quorum ne verbo quidem ſcriptura meminiſſet.* Nam unde confictus *ordo* eſt? *Et nuptias non in hoc inſtituit Deus, ut eſſent proprium gratiæ ſignum. Unctio* ritus magis vetus eſt, quam gratiæ ſignum. Copioſe diſputavit hac de re *Lutherus in Babylonica captivitate*, unde requires exactiorem diſputationem. Porro hæc ſumma rei eſt, gratiam non ſignificari certo ac proprie niſi iis ſignis, quæ divinitus prodita ſunt: Atque ita vocari non poſſe ſacramentalia ſigna niſi ea, quæ divinis promiſsionibus addita ſunt. Hinc dictum eſt a veteribus, rebus & verbis conſtare Sacramenta. Res, ſignum eſt, verba promiſsio gratiæ.

DE BAPTISMO.

Sophiſtæ materiam & formam, ſic enim loquuntur, *ſacramentorum prolixe & ſuperſtitioſe tractarunt, uſum rei nullum indicantes.* Signum eſt, immergi in aquam. Miniſter is qui demergit, ſignificat Dei opus, adeoque & ſignum divinæ voluntatis eſſe demerſionem illam, cum inquit: Baptizare ſe nomine patris, filii & ſpiritus ſancti, aut, ut Apoſtoli babtizabant in Actis, nomine CHRISTI. Quibus verbis plane hoc ſignificatur: Ecce, quod demergeris, id ita accipias pro certo favoris erga te divini teſtimonio, atque ſi ille ipſe baptizet. Pro divini favoris teſtimonio habebat Ezechias, quod mirando eventu revocarat umbram Deus. Populus Iſrael pro divini favoris teſtimonio habebat, quod undæ in ſinu Arabico viam ſibi aperuiſſent. Sic tu pro certo gratiæ divinæ pignore habeto hanc demerſionem. Nam quod dicitur: In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti notat vicem, quod pater, filius, ſpiritus ſancti, baptizent, & interpretetur, is qui baptizatur remitti ſibi peccata ab ipſo Patre Filio, & Spiritu Sancto. *Significari baptiſmo*, (nam hinc uſus ejus cognoſcetur) conſtat *tranſitum per mortem ad vitam.* Eſtque *demerſio veteris Adæ in mortem, & exuſcitatio novi.* Id eſt cur Paulus vocet lavacrum regenerationis. Intelligetur hæc ſignificatio ex typo facillime. Adumbratus eſt baptiſmus tranſitu Iſraelitarum per ſinum Arabicum. Quid aliud illi quam mortem ingrediebantur, cum aquis ſe committerent? Tranſibant fide per aquas, per mortem, dum evaderent. In ea hiſtoria geſta res eſt, quam baptiſmus ſignificat, nempe per mortem ad vitam tranſierunt Iſraelitæ. Sic *tota vita Chriſtiana eſt mortificatio carnis & renovatio ſpiritus:* Et res, quam ſignificat, baptiſmus, geritur tantiſper dum prorſus a mortuis reſurgamus. *Vera poenitentia eſt proprie, quam ſignificat baptiſmus.* Adeoque *ſacramentum poenitentiæ baptiſmus eſt*, ut poſtea dicemus.

Uſus vero *ſigni* hic eſt *teſtari, quod per mortem tranſeas ad vitam. Teſtari, quod mortificatio carnis tuæ ſalutaris ſit.* Terrent peccata, terret mors, terrent alia mundi mala: Confide, quia σφραγίδα accepiſti miſericordiæ ergate, futurum ut ſalveris, quomodocunque oppugneris a portis inferorum. Sic vides, & *ſignificatum baptiſmi*, & *ſigni uſum durare in ſanctis per omnem vitam.* Imo hoc auſim dicere, non aliam efficaciorem conſolationem exhiberi poſſe morituris, quam ſigni hujus mentionem, ſi admoneantur baptiſmi, ſe σφραγίδα promiſſionis divinæ in hoc accepiſſe, ut certo ſcirent futurum, ut Deus ſe per mortem in vitam reduceret. Eo ſigno nil opus fuiſſe, ſi ſine divina ope transiri potuiſſet. Nunc ideo ſignum oblatam eſſe, ut ne diffiderent, quin deducente Deo evaſuri eſſent. Nonne ſi Moſes baptizaſſet, Iſraelitas, priusquam viam in aquis ingrederentur, debuiſſet interim, dum medium mare penetrant, admonere accepti ſigni de rei eventu, præcipereque ut meminiſſent, in hoc proditum fuiſſe ſignum, ne quid dubitarent ſe ſervatum iri? *Idem baptiſmi uſus eſt in mortificatione.* Monet conſcientiam conterritam remiſſionis peccatorum, & certam reddit de gratia Dei, adeoque efficit ut ne deſperemus in mortificatione. Proinde *quantiſper mortificatio durat, tantiſper ſigni uſus eſt.* Non abſolvitur autem mortificatio dum vetus Adam prorſus extinctus fuerit. Quare fit, ut interim ac perpetuo per omnem vitam ſigni uſus ſit, quod in aſſidua illa mortificatione conſcientiam conſoletur. Atque hinc apparet, quam *nihil ſigna ſint niſi fidei exercendæ* μνημόσυνα. Sic Baptiſmum tractat Paulus ad Roman. VI. Qui in Chriſto baptizati ſunt, in mortem ejus baptizati ſunt, hoc eſt, & *ut mortificentur, ſicut Chriſtus mortificatus eſt*, & ut ſciant, monente baptiſmo, eam mortificationem eſſe tranſitum ad vitam. Nam quod adjicit Paulus: conſepulti ſumus per baptiſmum, docet, non tantum mortificari ſanctos, ſed & in mortificatione quieſcere, & agere Sabbathum ſepulturæ Chriſti. Impii mortificantur quidem, ſed quia non credunt per Chriſtum eum eſſe tranſitum ad vitam, deſperant & prorſus pereunt. Pii mortificantur, ſed ita ut ſabbatum agant ſepulturæ Chriſti, hoc eſt, credant eum eſſe tranſitum ad vitam, expectentque conſolationem per Chriſtum. Ejus conſolationis interim pignus καὶ μνημόσυνον baptiſmus eſt, ut Paulus inquit: per baptiſmum conſepulti ſumus: Fides facit ut ſabbatizemus, quieſcamus, expectemus conſolationem. Baptiſmus fidem excitat, nempe ſignum divinæ gratiæ. Hic baptiſmi uſus quam locuples afflictæ conſcientiæ conſolatio ſit, nemo opinor facile verbis conſequi queat.

De inſtitutione baptiſmi laboratur ac *diſcrimine baptiſmorum Johannis & Chriſti.* Qua de re, qui rectiſſime ſenſerunt, ita judicarunt: Johannis baptiſmum ſimpliciter eſſe ſignum mortificationis: Chriſti baptiſmum eſſe vivificationis, quod ei addita ſit gratiæ promiſſio, ſeu condonatio peccatorum.

rum. ideoque Johannis lavacrum vocari baptiſmum poenitentiæ: Chriſti baptiſmum, baptiſmum in remiſſionem peccatorum. Quod Johannes legem prædicans, præparet ad Chriſtum conſcientias, agnoſcentes peccati: Chriſtus eos vivificet quorum conſcientiæ lege & prædicatione Johannis conterritæ ſint. Eſt enim juſtificationis principium peccati cognitio, & judicii divini metus. Conſumatio, fides & pax conſcientiæ, quam cordi ſpiritus ſanctus inſerit, ut de lege & Evangelio ſupra diximus. Mihi videntur duo illa lavacra ſimplicius diſcerni poſſe: Si *Johannis baptiſmum pro ſigno gratiæ per Chriſtum paulo poſt prædicandæ; Chriſti baptiſmum pro ſigno jam donatæ gratiæ accipias*, ut *eiusdem rei ſignum uterque baptiſmus* ſit: ſed hoc diſcrimine, ut Johannis baptiſmus adfuturæ paulo poſt gratiæ, Chriſti baptiſmus jam collatæ gratiæ pignus ſit καὶ σφραγὶς. Ita *idem ſignificabat uterque baptiſmus mortificationem & vivificationem.* Nemo enim iuſtificatur, niſi qui ante mortificatus ſit. Atque ut ita ſentiam, primum hoc facit, quod Johannis officium non hoc tantum eſt, legem prædicare, ſed vel potiſſimum teſtimonium de Chriſto dicere, deque Evangelio, ſeu remiſſione peccati, Joh. I: Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Et Matth. XI. Inter natos mulierum non ſurrexit major Johanne baptiſta: Qui autem minor eſt in regno cœlorum, major eſt illo. Id eſt, Ante revelationem Evangelii, nullius officium, Johannis officio præſtat, ut qui non legem modo, ut Moſes & alii prophetæ, prædicat, ſed & teſtatur Evangelium mox per Chriſtum revelandum eſſe: Porro Johanne Chriſtus major eſt, quanquam minimus ſit: Adeoque & Johannis officio, majus erit Apoſtolorum officium. Et quia teſtis eſt Evangelii Johannes, per eum inſtitutum eſt ſignum, quod poſtea erat Evangelii ſeu donatæ gratiæ pignus futurum. Deinde Lucæ III. *Johannis baptiſmus* dicitur *baptiſmus pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Et apertiſſime Joh. I. Ut manifeſtetur in Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans. Et Act. XIX. Paulus ait, Johannes baptizavit baptiſmo poenitentiæ populum dicens in eum, qui venturus eſſet poſt ipſum ut crederent, hoc eſt, in Jeſum. Et Matth. XIII. Johannes teſtatur ſuum baptiſmum eſſe ſignum futuri baptiſmi per ſpiritum ſanctum, cum inquit: Ego baptizo vos in aqua, qui poſt me venturus eſt, baptizabit vos ſpiritu ſancto. Nam hoc agit, ſe non eſſe Chriſtum, ſed teſtem de Chriſto. Sicut Joh. III. inquit: Non ſum ego Chriſtus. Adeoque idem baptiſmus uterque ſignificat, ſed hoc diſcrimine, quod adhuc prædicandæ gratiæ Johannis baptiſmus teſtimonium erat, Chriſti baptiſmus jam collatæ. Neque aliter opinor baptizaverunt Chriſti diſcipuli Joh. IV. quam Johannes, eo quod Chriſtus nondum eſſet glorificatus. Et oportuit iterum baptizari, qui Johannis baptiſmo loti erant, quo certi eſſent, ſe jam conſecutos eſſe remiſſionem peccatorum, quam obventuram hactenus crediderant. Nam in hoc ſigna adhibentur, ut conſcientiam certificent. *Non juſtificabant neque Johannis neque Chriſti baptiſmus*, de ſignis loquor, *ſed certificabant*, Johannis lavacrum de prædicanda adhuc gratia, Chriſti baptiſmus teſtabatur jam collatam eſſe gratiam & promulgatam promiſſionem gratiæ. In utroque juſtificabat ſfides. Sed Johannes aqua baptizat, quod ipſe non ſit in quem credatur, qui ſalvet. Chriſtus cum ſit ſalvator, baptizat ſpiritu ſancto & igni. Atque ita rebaptizabantur, qui loti a Johanne erant tametſi juſti, ut ſi qui fuerunt juſti Judæi alicubi, qui Johannis baptiſmo loti non erant. Certificat enim baptiſmus Chriſti de collata jam gratia. Non enim video, quid inter juſtos Judæos ante Johannem, & eos, qui a Johanne loti ſunt, interfuerit: nam utrique expectarunt Chriſtum, niſi quod hi propius Evangelium & remiſſionem peccatorum cognoverunt.

Hæc paucis attigiſſe ſatis ſit, *ne quem longiore tractatione a lectione ſcripturæ remoremur*, ubi diligentius hoc genus quæſtiones excutiendæ ſunt.

DE POENITENTIA.

POenitentiam non eſſe ſignum, nihil obſcurum eſt. Eſt enim *pœnitentia veteſtatis noſtræ mortificatio & renovatio ſpiritus*: ſacramentum ejus, vel ſignum, non aliud, niſi baptiſmus eſt. Atque hic omnium rectiſſime vocetur *ſacramentum pœnitentiæ.* Siquidem poenitentia mortificatio noſtri eſt, in vitam, ſeu *ut renovemur. Id quod baptiſmo*, ut ante dixi, *ſignificatur.* Et teſtatur Paulus ad Rom. VI. Qui baptizati ſumus in Chriſtum Jeſum, in mortem ejus baptizati ſumus &c. Et ad Titum, nuncupatur lavacrum regenerationis. *Neque aliud eſt vita Chriſtiana, niſi hæc ipſa poenitentia*, hoc eſt, *regeneratio noſtri.* Mortificatio fit per legem, ut ſupra dictum eſt. Nam hæc conſcientiam terret & occidit. Vivificatio fit per Evangelium ſeu per abſolutionem. *Non enim aliud eſt Evangelium, niſi ipſa abſolutio. Quod mortificationem nos vocamus, ſcholaſtici contritionem voluerunt dici, id quod ita permitto, ſi non de dolore per liberum arbitrium, per vires humanas ſimulato loquantur.* Non poteſt enim odiſſe peccatum natura. Sed divinum opus eſt, conſcientiam noſtram confundere & pavefacere. Hiere. VI. Erubeſcere neſcierunt. Et XVII. Peccatum Juda ſcriptum eſt ſtilo ferreo in ungue Adamantino, exaratum ſuper latitudinem cordis eorum. Et XXXI. Poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum. Et Chriſtus de Phariſæis Lucæ XI. Nunc vos Phariſæi, quod de foris eſt calicis & catini mundatis, quod autem intus eſt veſtrum plenum eſt rapina & iniquitate. Sed hæc ſupra latius, cum de collatione legis & Evangelii diſſereremus. Non aliud enim poenitentia eſt, niſi juſtificatio. Interim *moneo, ut tanquam peſtem caveas ſcholaſtica figmenta de attritionibus, & de dolore per liberum arbitrium ſimulato.* Facile autem judicabit cor tuum, vere doleas, an ſimules dolorem. Sed nec dolore tuo fidas, quaſi ideo condonetur peccatum quod doleat, ſed potius, ut poſtea dicam, Abſolutione & verbo Dei.

Fortaſſis autem permittes, poenitentiæ, hoc eſt, mortificationis & vivificationis ſignum baptiſmum eſſe, ſi perſeveres. Quod autem lapſis ſignum eſt, quod recipi eos in gratiam teſtetur? Nam ad lapſos tantum retulerunt poenitentiæ vocabulum & ſacramentum. Reſpondeo. Sicut Evangelium non amiſimus alicubi lapſi, ita nec Evangelii σφραγῖδα baptiſmum. Certum eſt autem

Evangelium non ſemel tantum, ſed iterum atque iterum remittere peccatum. Quare non minus ad ſecundam condonationem, quam ad primam baptiſmus pertinet. Eſt enim baptismus Evangelii, id eſt remiſſionis peccatorum orabo & pignus, Matth. XVIII. Petrus interrogat: Quoties debeat remittere fratribus? ubi Dominus reſpondet: Septuagies ſepties condonandum eſſe. Et I. Johan. II. Sed etſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, JESUM Chriſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris &c. & II. Cor. II. Paulus recipi jubet inceſtum. Eſt & apud Chryſoſtomum & citatur ex Clemente Alexandrino Johannis Apoſtoli factum, qui juvenem quendam deſertorem ad pœnitentiam revocavit.

Et quia pœnitentiam partiti ſunt in contritionem, Confeſſionem, & ſatisfactionem: Paucis referemus de his noſtram ſententiam. *De contritione* ſatis dictum eſt, quæ, ſi vera eſt, *mortificatio vetuſtatis noſtræ eſt*, quam ita vocat ſcriptura, dolor omnino major, quam quem poſſit vel æſtimare hominis ratio. Tantum abeſt, ut ſine opera Spiritus Sancti, libero arbitrio conteramur ſeu mortificemur.

Confeſſio alia eſt, quâ *coram DEO* agnoſcimus peccatum, & condemnamus nos ipſos. Ea Confeſſio non aliud niſi *illa ipſa mortificatio & vera contritio eſt*, de qua modo dicebam. Atque hujus ſæpe ſcriptura meminit. I. Johann. I. ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra. Et David: Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper: Tibi ſoli peccavi & malum coram te feci, ut juſtificeris in ſermonibus tuis & vincas, cum judicaris. Item: Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Citra hanc confeſſionem peccatum non condonatur. Rurſum, non poteſt non condonari huic confeſſioni, nempe qua nos ipſos accuſamus & damnamus, DEo gloriam veritatis & juſtitiæ tribuimus.

Alia *confeſſio* eſt, *qua nos* non domi tantum apud nos, ſed *& coram aliis accuſamus.* Hæc *quondam in Eccleſia* talis erat: Qui criminis alicujus reus erat, primum privatim a fratre quopiam, deinde coram eccleſia arguebatur. Atque ibi condonabatur noxa reſipiſcenti. Ejiciebatur ex eccleſia is, qui eccleſiam non audiebat. Habes *formam hujus confeſſionis* Matth. XVIII. ubi uſus clavium proditus eſt. *Nunc eius exemplum in Eccleſia nullum eſt* cum ad coercenda vitia non alia ratio commodior eſſet. Sed ſucceſſit ei *confeſſio illa, qua privatim & ſeorſum apud ſingulos presbyteros res agitur.* Et inter priſcam illam confeſſionem & noſtratem hoc intereſt, quod de publicis tantum & manifeſtis criminibus priſca agebatur, noſtrate de ſecretis etiam agitur. Vetuſtiſſimus mos fuit, accuſari publica crimina coram univerſa eccleſia, & totius Eccleſiæ ſuffragiis abſolvi. Is mos jam olim abrogatus eſt, deſignatusque unus aliquis ex numero presbyterorum, coram quo privatim accuſabantur quanquam publica crimina, is mulctam indicebat flagitioſis pro arbitrio coram Eccleſia, nempe pro publicis criminibus. Nec ad Synaxin admittebantur, niſi qui pœna illa publica defuncti erant. Ejus Exemplum adhuc manet *in publicis pœnitentiis noſtrorum temporum*, cum homicidæ in Eccleſia plectuntur. Hanc pœnitentiæ formam deſcribit quisquis eſt *Tripartitæ*, quam vocant, *Hiſtoriæ auctor græcus*, ut apparet. Aitque: Conſtantinopoli antiquatam, durare adhuc in Eccleſiis occidentalibus, eſtque ea, cujus ſæpe Cyprianus meminit. Qui cum *de publicorum criminum confeſſione* loquitur, tamen indicat eam *coram Sacerdote potius, quam univerſa eccleſia factam.* Require, ſi libet, ejus *ſermonem de lapſis.* Verba græcæ hiſtoriæ ſubjiciam: Viſum eſt antiquis Pontificibus, ut velut in theatro, ſub teſtimonio Eccleſiaſtici populi delicta pandantur: & hac cauſa presbyterum bonæ converſationis, ſervantemque ſecreti ac ſapientem virum deſignaverunt, ad quem accedentes hi, qui deliquerant, delicta propria fatebantur. At ille ſecundum uniuscujusque culpam, mulctam indicebat. Quod etiam hactenus diligenter in occidentalibus ſervatur Eccleſiis, & maxime Romæ. Ubi etiam locus eſt certus pœnitentium, ubi ſtant rei, velut ii, qui lugent. Porro, ubi ſacra celebratio impleta fuerit, illi communionem non percipientes, cum gemitu & lamentatione ſeipſos in terra proſternunt. Ad quos accurrens Epiſcopus, & ipſe cum lachrymis & gemitu ſpirituali procumbit, & totius Eccleſiæ plebs illachrymatur. Poſtea primus omnium conſurgit Epiſcopus, & jacentes erigit e terra. Tum facta pro pœnitentibus oratione, dimittit omnes. Interim illi ſe macerant variis afflictionibus ex ſententia Epiſcopi, Synaxeos tempus, quod præſcribit Epiſcopus, expectant. Quo tempore, velut jam perſoluto debito, una Synaxi cum reliqua Eccleſia participant. Hæc Romani Pontifices ad noſtra usque tempora obſervarunt. Sed Conſtantinopoli *tantiſper Presbyter pœnitentibus præfuit, dum mulier quædam primæ nobilitatis poſt confeſſionem, in Eccleſia pœnitentiam agens, cum Diacono aliquoties concubuiſſet.* Quod ubi palam factum eſt, adverſus presbyteros coorta plebs eſt, quod Eccleſiam violaſſent. Ibi Nectarius Epiſcopus Diaconum officio dejecit, & veterem pœnitentium morem antiquavit, *nullo deſignato pœnitentibus presbytero, permiſitque, ut pro ſuæ quisque conſcientiæ judicio participaret menſæ domini, cum liberet.* Hæc fere ad verbum Hiſtoria Tripartita.

Ex his colliges *duplicem formam publicæ pœnitentiæ fuiſſe* quondam. Alteram primæ eccleſiæ, ubi coram univerſa eccleſia res geſta eſt, & vel ejecti e communione fidelium flagitioſi, qui reſipere nolebant, vel abſoluti, qui reſipiebant. Exemplum hujus habes I. Corinth. V. Et II. Corinth. II. de inceſto. Alteram, ubi pœna publica eſt, confeſſio non item. Cuius exemplum hodie extat, in homicidarum pœnitentia. Pœnæ vero non debentur iure divino, ſed a traditionibus humanis profectæ ſunt, ut poſtea dicam. Et de hoc genere pœnitentiæ, fere *canones veteres* loquuntur: *Quos ad privatam detorquent inepte fatui iuris pontificium profeſſores.*

DE

DE PRIVATIS CONFESSIONIBUS.

PRæter publicam poenitentiam *privatæ confeſſiones ſunt.* Primum illæ, *cum privatim reconciliamus eos quos offendimus.* De quo genere dictum eſt, Matth. V. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te &c. vade, reconciliare fratri tuo. Et Jacobi ult. confitemini alter alteri peccata, id eſt, alter alterum deprecetur offenſam &c.

Deinde ſunt *Eccleſiaſticæ* illæ, quarum fere uſus hodie eſt. Eas quondam tales fuiſſe apparet, ut quorum conſcientiæ angebantur aliqua de re, ſanctos & peritos rerum ſpiritualium conſulerent, & ab illis abſolverentur. Hujus mentio facta eſt a Baſilio, ſi titulus non fallit, in opere de Inſtitutis monachorum, quod a Ruffino latinitate donatum putant. Et tot quidem *genera confeſſionum* mihi comperta ſunt, *quæ cum alia ſint jure divino tradita, alia hominum inventa, prudenter diſcernenda ſunt.*

Exigi jure divino confeſſionem eam *quæ Deo fit*, ſatis conſtat vel ex illa 1. Joh. I. ſententia, quam ſupra citavimus: Nec enim remittitur peccatum, niſi confiteamur Deo, hoc eſt damnemus nos ipſos, & fidamus miſericordia Dei condonari noxam.

De *confeſſione publica, publicorum criminum coram Eccleſia*, ubi teſtibus res geritur, quid attinet diſputare? Fateri res ipſa cogit, non jus tantum divinum, ſi accuſeris: cogit item jus divinum, ut fratrem places.

Reliquæ confeſſiones ſunt hominum traditiones. Nam ſi te ultro Eccleſiæ offeras, & abſolvi velis, ſive clam, ſive publice deliqueris: *non exigit jus divinum recenſionem factorum.* Sic Chriſtus abſolvit pleroſque, ſic Apoſtoli in Actis abſolvunt aliquot millia, *nihil poſtulantes recenſeri catalogum peccatorum* Hæc dicuntur in hoc, ut imbecillibus eorum conſcientiis conſulatur, qui, ſi quid in recenſenda confeſſione præterierint, tantum non deſperant.

Abſolutio privata ſic neceſſaria eſt, ut baptiſmus. Tametſi enim audias Evangelium communiter univerſæ Eccleſiæ prædicari: tamen tum demum certus es id ad te proprie pertinere, quum tu privatim ac proprie abſolveris. Non ſitit gratiam qui non afflictim cupit audire ſententiam de ſe divinam. Eſt enim DEi non hominum ſententia, qua abſolveris, modo abſolutioni credas. Quam certa erat Mulier peccatrix Lucæ VII. culpam omnem ſibi condonatam eſſe, cum audiret Chriſti vocem: Remittuntur tibi peccata: Tam certus eſto tu quoque, cum a fratre, quisquis eſt, abſolveris Neque vero abſolvuntur, niſi qui & abſolvi ſe optant & credunt. Quare *non abſolvuntur ii, qui coacti pontificia conſtitutione, quotannis confeſſionem & poenitentiam ſimulant.* Imo *ludibrio habent Chriſtum, qui adacti lege pontificia, non deſiderio ſpiritus, abſolutionem petunt.*

Satisfactio nulla eſt præter Chriſti mortem, Eſaiæ LIII: Ipſe iniquitates noſtras portavit. *Quæ* vero *nunc poenitentibus ſatisfactiones imperantur, hominum inventum ſunt, & ortæ e canonibus poenitentialibus*, qui de publicis quondam poenitentiis conditi ſunt. Hoc *ſatisfactionum commento*, Chriſti ſatisfactio & fides in verbum abſolutionis, egregie extincta ſunt. Sunt quidem in Scripturis poenæ peccatorum alicubi, ſed non omnium. Quare *ſatisfactiones eas, poenas nemo recte dixerit.* Ex *ſatisfactionibus indulgentiæ, Merx Romana, ortæ ſunt, quæ remittebant poenas illas canonicas publicarum poenitentiarum. Has impii homines, pro divina condonatione vendi inſtituerunt, ut ſuo potius, quam Dei verbo fideretur.* Porro, ut finiam tandem, poenitentiæ partes duæ ſunt: Mortificatio & vivificatio. Mortificatio fit, cum conſcientia lege terretur. Vivificatio, cum per abſolutionem erigeris & confirmaris. Eſt enim abſolutio Evangelium, quo Chriſtus tibi condonat noxam. Signum poenitentiæ aliud non eſt præter baptiſmum.

DE PARTICIPATIONE MENSÆ DOMINI.

SIgnum *gratiæ* certum eſt *participatio menſæ Domini*, hoc eſt, manducare corpus Chriſti & bibere ſanguinem. Sic enim ait: Hic eſt calix novi teſtamenti &c. Item, quoties feceritis, facite in memoriam mei. Id eſt, *cum facitis admoneamini Evangelii, ſeu remiſſionis peccatorum. Non eſt igitur ſacrificium*, ſiquidem in hoc eſt traditum, *ut certo admoneat tantum promiſſi Evangelii. Nec delet peccatum participatio menſæ, ſed fides delet:* Ea vero hoc ſigno confirmatur. Ut Stephanum non juſtificabat conſpectus Chriſti, cum jam necandus eſſet, ſed fidem ejus confirmabat, qua juſtificabatur & vivificabatur: Ita *nec participatio menſæ juſtificat*, ſed fidem confirmat, ut ſupra dixi. Sunt igitur *impiæ miſſæ omnes*, præter eas quibus conſcientiæ ad confirmandam fidem eriguntur. *Sacrificium eſt, cum nos aliquid Deo offerimus, at Chriſtum non offerimus Deo, ſed ipſe ſe ſemel obtulit.* Quare *qui miſſas in hoc faciunt, ut ceu bonum aliquod opus faciant, ut Deo Chriſtum offerant, pro vivis ac mortuis, ut putent, quo ſæpius ingeminetur eo melius fieri: impie errant.* Et hos *errores magna ex parte opinor Thomæ imputandos* eſſe, *qui docuit, miſſam prodeſſe aliis, præter eum qui manducat.*

Eſt autem ſignificatio hujus ſacramenti, *confirmare nos toties, quoties labaſcunt conſcientiæ*, quoties de Dei voluntate erga nos dubitamus. Id cum alias ſæpe, tum maxime cum moriendum eſt, accidit. *Potiſſimum igitur eo morituri confirmandi ſunt. Neque vero vita Chriſtiana eſt, niſi aſſiduo moriamur. Confirmationem*, opinor *impoſitionem manuum eſſe. Unctionem* arbitrior eſſe eam de qua Marci VI. Sed *ea ſigna eſſe tradita ut certo ſignificent gratiam, non video. Matrimonium non eſſe inſtitutum ad ſignificandam gratiam, non eſt quod dubitemus.* Quid autem in mentem venit iis, qui inter ſigna gratiæ *ordinem* numerarunt? cum non aliud ſit ordo, quam deligi ex Eccleſia eos qui doceant, baptizent, menſæ benedicant, & eleemoſynas partiantur egenis. Epiſcopi ſeu Presbyteri dicebantur

dicebantur, qui docebant, lavabant, & benedicebant menſæ. Diaconi, qui eleemoſynas partiebantur inter inopes. Neque ſic diſcretæ horum functiones erant, ut Diacono piaculare eſſet docere, baptizare, aut benedicere menſæ. Imo *hæc omnibus Chriſtianis licent.* Nam *omnium ſunt claves* Matth. XVIII. Sed *demandabatur eorum procuratio quibusdam, ut eſſent qui ſibi rem eccleſiaſticam neceſſario ſcirent adminiſtrandam eſſe, & ad quos rite referri poſſet, ſi quid incidiſſet.*

Et ut hoc obiter moneam, vocabulo *Epiſcopi*, aut *Presbyteri*, aut *Diaconi*, non convenire cum vocabulo *Sacerdotis.* Sacerdos enim a ſacrificio in ſcripturis & interpellando dicitur. *Sumusque ſacerdotes omnes Chriſtiani, quia ſacrificium*, hoc eſt, *corpus noſtrum offerimus.* Nam *præterea nullum eſt Sacrificium in Chriſtianiſmo, & ius habemus interpellandi Dei, imo & placandi.* Huc pertinet ſententia Petri: *Gens ſancta, regnum Sacerdotale.* *Reges* enim ſumus Chriſtiani, quia liberi per Chriſtum, omnium creaturarum, vitæ, mortis, peccati, dominamur, ut ſupra dixi. *Sacerdotes*, quia nos ipſos Deo offerimus, & interpellamus pro peccatis noſtris. Hæc latius docet Epiſtola ad Hebr. Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi non ſunt, niſi qui docent, baptizant, benedicunt menſæ, eleemoſynas diſpenſant. *Miſarii ſacerdotes, Prophetæ Jezabelis, hoc eſt, Romæ ſunt.*

DE CHARITATE.

DE peccato, lege, gratia, Evangelio, adeoque & juſtificatione hactenus, quæ quæſtio omnium hominum ſemper communis fuit, eritque: Qui nam juſtificari homo poſſit? *Philoſophi & Phariſæi docuerunt hominem ſuis virtutibus & conatibus juſtificari.* Nos docuimus juſtificari ſola fide, hoc eſt, Chriſti juſtitiam noſtram juſtitiam eſſe per fidem, *opera noſtra, conatus noſtros, nihil niſi peccatum eſſe.* Hæc qui tenet, ſummam ſcripturæ tenet, videlicet *juſtificari credentes MISERICORDIA Dei.* Poſtremo res poſtulat, ut *de charitate* dicamus. Supra monui, amorem Dei eſſe fructum fidei. Non poteſt enim non redamare Deum, qui fide miſericordiam comprehendit, adeoque amor Dei fidei fructus eſt. *Ex amore Dei naſcitur & proximi amor*, cum Deo in omnibus creaturis ſervire cupimus. Et hujus quidem amoris ego nullam regulam breviorem aut aptiorem poſſum tradere, quam hæc eſt: *Dilige proximum ſicut te ipſum.* Auguſtinus ordinem diligendorum concepit, ut primum animas, poſtea corpora, primum noſtros, poſtea alienos diligamus. Nos fidem charitati ſemper præferimus. Ergo & ea quæ ſunt animæ, corporis neceſſitatibus fere præferimus. Cæterum *alienos, inimicos juxta atque amicos diligi Chriſtus jubet* Matth. V. & Paulus Rom. XII. *Quibus benefacere debeas, cum amicis, tum inimicis facile judicabit ſpiritus.* Certe Paulus maxime domeſticorum rationem haberi voluit, ad Galat. & ad Timoth. *Nolo* enim *libertatem ſpiritus ejusmodi diſputationibus vinciri, quales illæ ſunt, vel ſummulariorum, vel Ciceronis in III. officiorum*, ubi differit de officio ejus, qui ex naufragio in tabulam eandem pervenerit, quam & ſapiens quispiam tenuit. *Apage ſis illas ſtultas quæſtiones, quarum exempla nulla facile in res humanas cadunt.*

DE MAGISTRATIBVS.

MAxime neceſſarius viſus eſt locus de Magiſtratibus, ac primum quidem ſequemur vulgarem diviſionem, docendi gratia. *Magiſtratus* alios cenſent *civiles* eſſe, alios *eccleſiaſticos.* Civilis Magiſtratus eſt, qui gladium gerit, & civilem pacem tuetur. Hunc probat Paulus Rom. XIII. Gladii partes ſunt jura civilia, ordinationes civiles judiciorum forenſium, poenæ ſontium. Eſtque jus gladii diſpenſatio legum de non occidendo, de non vindicando &c. Adeo pie adminiſtrat gladium magiſtratus. Item Juriſconſulti ſi de jure reſpondeant, aut patrocinentur oppreſſis, ut maxime peccent qui litigant. De ferenda autem gladii poteſtate ſic ſentio: Primum ſi quid contra Deum imperarint Principes, non eſſe obtemperandum. Actuum V. Oportet Deo magis obedire, quam hominibus. Exempla huius loci habes innumera, & vel illud pulcherrimum Amos VII.

Deinde ſi imperarint *quod eſt ex utilitate publica*, obtemperandum eſt juxta illud Rom. XIII. obediendum eſſe non ſolum propter iram, ſed & propter conſcientiam. Nam *charitas nos obſtringit ad omnia onera civilia.*

Poſtremo, *ſi quid imperent tyrannice, hic quoque ferendus eſt magiſtratus, propter charitatem, ubi ſine publico motu, ſine ſeditione nihil mutari poteſt.* Juxta illud: Qui percuſſerit te in dextram obverte ei & ſiniſtram.

Quod ſi citra ſcandalum citra publicum motum elabi poſſis, elabere; Ut *ſi coniectus ſis in carcerem nihil mali meritus, & effringere poſſis, ſine publico motu, nil vetat fugere.* Juxta illud primæ Corinth. VII. Si potes liber fieri, magis utere.

De Eccleſiaſticis magiſtratibus ſic cenſemus: Primum, *miniſtros eſſe Epiſcopos, non poteſtates aut Magiſtratus.* Deinde, *non habere jus Epiſcopos condendi leges*, ut quibus mandatum ſit prædicare verbum Dei tantum, non hominum, ut ſupra diximus, Et ex Hiere. XXIII. ſatis apparet.

Primum ergo, *ſi doceant ſcripturam*, ſic audiendi ſunt ut Chriſtus, juxta illud, Qui vos audit, me audit. Nam ad ſcripturam non ad traditiones humanas pertinet, ut patet cum inquit: Qui prophetam nomine prophetæ receperit, non pſeudoprophetam.

II. Deinde, *ſi quid contra ſcripturam docuerint, non ſunt audiendi.* Act. V. Oportet Deo magis obedire quam hominibus, Et Matth. XV. *Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram.* Contra jus divinum decretum eſt a Papa hoc tempore in Bulla, qua Lutherus damnatus eſt, hic neutiquam audiendus eſt.

III. Tertio, *ſi quid præter ſcripturam ſtatuerint, in hoc, ut conſcientias obſtringant non ſunt audienda. Nihil enim conſcientiam obligat, niſi ius divinum.* De his loquebatur Paulus, 1. Timoth. IV. ubi doctrinas dæmoniorum vocat, legem de cœlibatu, de cibis interdictis. Quæ quanquam non videantur adverſari ſcripturæ, ut quæ per ſeſe non ſint mala; Malus enim coelibatus non eſt: Abſtinere carnibus malum non eſt: ſed *impia hæc ſunt, ſi peccare te putes ubi diverſum fecerit.*

ris. Impia docent, qui cenſent peccare eum, qui horas canonicas non legerit, qui carnem ederit die ſexta aut ſeptima &c. *Non enim poteſt Epiſcopus Chriſtianam conſcientiam vincire.* II. Corinth. Ultimo: Data eſt nobis poteſtas non in deſtructionem ſed ædificationem.

IV. Quarto, ſi non oneres conſcientiam Epiſcopi lege, ſed *pro onere externo* interpreteris, ut ſolent ſpirituales, & ii, qui intelligunt, *conſcientiam vinciri nulla lege humana poſſe: Sic judicabis de lege Epiſcopi, ut de Tyrannide magiſtratus civilis. Quidquid enim Epiſcopi præter ſcripturam imperant, tyrannis eſt. Nam imperandi jus non habent. Feres ea onera propter charitatem, juxta illud: Qui te percuſſerit in dextram, obverte & ſiniſtram.* Porro *ſi ſine ſcandalo poſſis diverſum facere, nihil vetat.* Ut ſi ſine motu publico poſſis effringere carcerem, in quo a tyranno vinctus teneris, nihil vetat, Juxta illud: *Si potes liber fieri, magis utere.* Et Chriſtus diſpenſavit de traditionibus phariſaicis Matth. IX. & XII. De legibus autem civilibus non diſpenſavit. Et phariſaicis legibus diſpenſandis liberiores ſumus, ut quæ & privatim ſingulorum magis quam communia onera ſint, & conſcientiam facile illaqueent. Sunt autem omnium legum humanarum & regula & diſpenſatio, fides & charitas, adeoque & neceſſitas. Hæc liberat ab omnibus traditionibus, ſicubi vel anima, vel corporis vita, per traditionem adducta fuerit in diſcrimen.

DE SCANDALO.

QUæris autem quatenus habenda ſit ſcandali ratio? Primum omnium moneo, quod & antea, *fidem & Charitatem regulas eſſe omnium functionum humanarum*: ſed in his fides potior eſt.

Eſt autem *ſcandalum offenſio, qua in proximo aut fides aut charitas læditur.* Fides, ut ſi quid a ſacris literis doceatur diverſum, fides proximi offenditur. *Hujusmodi ſcandalum tota doctrina ſcholaſtica eſt, quæ ſatisfactiones, quæ, opera liberi arbitrii probans, obſcuravit gratiam.* De hoc genere Chriſtus loquitur Matth. XVIII. Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, ſatius fuerat, eum mola aſinaria, de collo ſuſpenſa demerſum eſſe &c. *Charitas læditur*, ſi quis egentem non adjuvet, interturbet publicam pacem. De hoc genere Chriſtus loquitur Matth. XVII. de tributo perſolvendo, ne ſcandalizemus eos.

I. In iis quæ exiguntur jure divino, nullo reſpectu ſcandali, *juri divino obtemperandum eſt, faciendum, & docendum quod exigitur jure divino.* Semper enim fides charitati præferenda eſt. Atque huc iterum facit, quod eſt in Actis V. Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Et Chriſtus inquit: Non veni pacem mittere ſed gladium. Sic Daniel non obtemperabat legi de ſtatua aurea adoranda. Nec nos pareamus impiis principibus damnantibus Evangelium hoc tempore.

II. In iis, *quæ ſunt juris humani & media*, ut coelibatus, abſtinere a carnibus, *non obligat traditio humana in caſu neceſſitatis.* Nam & Chriſtus de divina lege in caſu neceſſitatis diſpenſat Matth. XI. Diſcipulis ſpicas vellentibus. Quanto magis licet hominum traditiones, ſi neceſſitas vitæ poſtulet, violare? Multo magis violare liceat, ſi periclitetur anima, ut ſi uratur ſacerdos, ut vocant. Juxta illud II. Corinth. ult. Data eſt nobi poteſtas in ædificationem, non in deſtructionems Paulus ad Coloſſ. II. damnat leges, quæ corpus immodice onerant.

III. Coram Phariſæis exigentibus ſuarum traditionum obſervationem, quaſi neceſſariæ ſint ad ſalutem, nullo reſpectu ſcandali violentur. Fecit hoc in jure divino Paulus, cum Titum circumcidere nollet, ad Galat. I. Quanto magis liceat in ſtultis traditionibus papiſticis? Et Chriſtus jubet ſinendos eſſe eos, qui ſcandalizabantur, quod coeci eſſent, & coecorum duces.

IIII. *Docendæ libertatis gratia violare licet traditiones humanas, ut* intelligant imperiti, *non peccari etiamſi quid contra traditiones hominum admittant.* Plane in tali caſu reprehendit Petrum Paulus, quod ceſſerat imperitis leges ſtulte obſervantibus & ignaris libertatis Evangelicæ.

V. Apud infirmos, & qui nondum audierunt Evangelium, faciendum eſt charitatis officium & ſerviendum traditionibus humanis, modo contra divinum jus nihil admittamus. Sic Paulus in Actis, Hieroſolymis ratus eſt, cum in tanta multitudine pauci admodum eſſent, qui libertatem Evangelicam ſatis intelligerent. Et hic Paulus perpetuo mavult carnibus abſtinere, quam fratris animam perdere. Et Rom. XIV. infirmum in fide ſuſcipite. Quanquam illis temporibus de divina lege agebatur: *nunc, cum de traditionibus humanis agatur, liberius diſpenſemus.* Imo iuſpium eſt obtemperare, ſicubi ſunt Epiſcopi, qui earum obſervationem exigunt, ita ut conſcientiam peccato oneratam velint, ſi violentur. Sunt enim cum exiguntur dæmoniorum doctrinæ. Cæterum, ſi non exigantur. Pauli regula ſervetur: Neque abundat qui manducat, neque eget, qui non manducat, I. Corinth. VIII.

Habes *rerum theologicarum communiſſimos locos*, quorum exactiorem rationem e ſcripturis pete, nos contenti ſumus indicaſſe, quid obſerves. Adeoque mecum etiam bene actum puto, quod tenuius res tantas, quam debui, tractavi, *ne quem infoelici diligentia a ſcripturis ad meas diſputationes avocarem. Cenſeo enim non aliter atque peſtem fugiendos hominum commentarios in rebus ſacris.* Quod *doctrina ſpiritus pure, niſi e ſcripturis hauriri non poſſit*, Quis enim ſpiritum Dei propius expreſſerit, quam ipſe ſeſe.

Οὐκ ἐν λόγῳ ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' ἐν δυνάμει.

PARS QVINTA

HISTORIÆ LITERARIÆ REFORMATIONIS,

Continens :

I. Hermanni van der Hardt Introductionem in Sculteti Annales.

II. Abrahami Sculteti, Grunberga Silesii, in Academia Heidelbergensi Doctoris Theologi, Annalium Evangelii seculo decimo sexto per Europam renovati, ab A. 1516. ad A. 1536.

Decades duas.

Quæ solæ supersunt, cum reliquæ Pragæ in direptione pericrint,

Editæ Heidelbergæ A. 1618.

REFORMATIONIS
HISTORIAE FRAGMENTA
LATINE GRAECE

Autorum & ſcriptorum, reformationem quondam adjuvantium; honori & pretio.

QVod in civitate ſunt *commercia*, pro locupletandis civibus, illud in regimine eſt *hiſtoria*, pro conſervanda republica. In hiſtoria ſunt jura magiſtratus et ſubditorum, ortus & incrementa urbis ac regionis, fata, proſpera & adverſa, & ex quibus originibus. Quæ imperii & regiminis pariunt prudentiam et provinciæ ſalutem. Ex hiſtoria proinde plus lucis in republica, quam ex mille ſtatutis; quod omnium conſtitutionum anima ſit res nuper aut quondam in illa gente, vel & vicina, vel alibi geſta. Plus parva hiſtoriæ ſeries juvat ad conſervationem, quam mille juris jactati corpora, codices aut montes. Steriles regulæ, non niſi fraudum & inſidiarum, fallaciarum matres, & publicæ perniciei fontes. Hiſtoria docet, quid populo, quid civibus, quondam obfuerit aut profuerit, quid ſucceſſu temporis deprehenſum ſit acceſſiſſe vel damni vel commodi. Ex præteritis menſura præſentium & futurorum, quid faciendum, quid omittendum, pro communi ſalute, quid ſtatuendum, quid renovandum, quid abolendum, quid immutandum. Nec enim ſemper idem eorum omnium Status, nec eſſe poteſt. Inſenſibiliter mutatur internis viciſſitudinibus, aliis hominibus, aliis geniis, aliis conſiliis, aliis artibus ſuccedentibus. Ex fatis adeo præteritis potiſſimum judicium de rebus præſentibus gubernandis.

Quod *forum* ſibi vindicat in civitate & curia, ſuprema æque ac media, *ex hiſtoria præſidium* illud & *Eccleſia* ſibi tribuit emolumentum. Neque respublica & Eccleſia reapſe diſtinguuntur, unum corpus, una anima, una profeſſio, una agendorum & ſtatuendorum regula. Fruſtra divelluntur, ſeparantur, aut diſcernuntur Eccleſia & publica res. Unum commune corpus, nec partibus, nec profeſſione, nec genere, nec fine diviſum. Subditi Chriſtiani, ſine diſcrimine; Magiſtratus Chriſtianus, ſine diſcrimine: Eccleſia utrique, pari jure & uſu. Uti familiæ, domus, non differunt a civibus, ita nec cives a Chriſtianis. Nec adeo diverſus ſtatus eorundem, eſſe civem & eſſe Chriſtianum, Chriſtianus bonus civis. Diviſi cives non niſi virtute aut vitio, non ſtatu aut genere. Chriſtiani cives omnes, adeoque boni cives omnes, aut non Chriſtiani cives. Nec ergo & magiſtratus diverſus, Eccleſiaſticus & civilis, quod magiſtratus omnis ſit Chriſtianus; ſubditi omnes Chriſtiani. *Uti Eccleſia & respublica non diſtinguuntur, ita & magiſtratus idem ejusdem corporis.* Aut magiſtratus ille erit Eccleſiaſticus, qui Eccleſiæ præſit: Quaſi Eccleſia, i. e. civium Chriſtianorum coetus, ſit alius

us ac civitas. Male distinguitur Ecclesia a civitate. Tota civitas Ecclesia. Sic & *magistratus idem qui civitatis & qui Ecclesiæ.* Forum distinguere est christianæ rei adversum, integritati reipublicæ detrimentosum. Damna infinita tot seculorum, tot rerumpublicarum, ex illo gemini status discrimine, ut pleræque eversiones exinde sumserint initium. Hinc tot pugnæ, acerbæ & contumelioſæ, inter divisum utrumque statum, Ecclesiasticum & civilem; cui utrique tributa sua jura, sua legum corpora, cum legum communium & salutis publicæ exitio. Status hic alteri non adversus sed facile inimicus. Magistratus Ecclesiasticus civili tantum non plerumque oppositus. Ut scopis, consiliis, actionibus & affectibus contrarii, ita & commodis non communibus privatis intenti. Civitas sub duabus plerumque contrariis regiminum formis, Ecclesiastici & secularis aut civilis nominibus, regulis & decretis, in duo divisa capita, neutri ex animo addicta, neutri obsequium præstitura.

Tristia hæc in Christiano orbe fata, unioni & tranquillitati communi inimica, ante decantatam reformationem orbem Christianum pene pessundederant. Vel quinque ante illam mutationem secula nil nisi *bella continua inter geminum male divisum aut discerptum statum Ecclesiasticum & civilem.* Hæc origo tot bellorum, prœliorum, obsidionum, cladium, expugnationum, eversionum, incendiorum. Quibus infandis malis remedia quæsiverunt illis seculis tot *Cæsares & reges, ab Ecclesia*, ut dirimebantur ac distinguebantur, *afflicti, projecti, regnis & sedibus exuti, pulsi vel & cæsi ac interfecti.* Egregia Ecclesia facinora, grassari in Ecclesiam, *Ecclesiæ & civitatis aut seculi*, ut audiebat, *infausto discrimine.* Quid seculum! Quid seculare! in media Ecclesia seu Christiano corpore! *Seculum in Ecclesia!* Quæ ruditas, quæ superstitio, quæ barbaries! Si *seculum*, mali & corrupti, *mundus* alio nomine, *status secularis* erit status malus & corruptus. *Seculare* idem ac *profanum*; *status secularis* erit profanus. Sic status civilis, secularis, mundanus, profanus, malus, corruptus, idem. Vicissim *Ecclesia*, a civitate, a seculo, a mundo distincta, erit status bonorum, proborum, virtuosorum, DEum timentium: *Ecclesiastici*, a secularibus, a mundanis, a pravis distincti, boni, probi, virtutum canones & sedes.

Hinc experientiæ lugubris querela tremenda longis illis seculis, *de corruptione in Ecclesia.* Reges & Principes, cum Cæsaribus, congressi, de remediis malorum illorum in tam nefanda dissensione solliciti, seculo inprimis decimo quinto, ad solenniſſima *concilia universalia* omnia in Christiano orbe capita convocarunt. In quibus *Pisanum* I. A. 1409. *Constantiense* A. 1414. *Basilcense* A. 1431. Quæ in longos annos sunt protracta, *tenacissimis controversiis inter* Ecclesiasticum & secularem statum. Nec concilium *Pisanum* II. A. 1511. alio fine coactum. Vnus omnium titulus, honorificentissimus, *Reformatio Ecclesiæ in capite & in membris.* Nec profuit ullum, nec emendavit Ecclesiam: *Nec plus coepit Ecclesia prodesse civitati, quam antea, querelis Cæsarum & Principum inanibus.* Tanti fuit discrimen Ecclesiæ & civitatis, vel seculi, vel mundi. Vt *nulla scelera essent majora quam in Ecclesia: Nullæ quærelæ acerbiores quam de Ecclesia.* Neque Concilium Lateranense sub Julio II. & Leone X. reformationem longis orationibus ostentans, ab A. 1513. ad A. 1517. Ecclesiam liberavit, quo minus Galli eodem anno 1517. ab Ecclesia denuo appellarent aut provocarent ad novum Concilium pro reformanda Ecclesia. Ita civilis status, summus, imus, imperia, regna, civitates, *contra Ecclesiam, quæ civili statui onerosa & damnosa.* Tanti erat discreviſſe Ecclesiam a civitate, Ecclesiasticum ordinem a civili, regimen sacrum a magistratu civili. Intemperans illa divisio publicam rem laceravit, in partes ita divisit, ut non unio speranda, sed dissensus perpetuus alendus & fovendus.

Quod seculo XVI. quæsiverat jam orbis, ipseque Cæsar Maximilianus, remedium, non est repertum, usque dum divina tentaretur manu, per *Erasmum*, qui sordes barbariei, ab Ecclesia detergere & scholæ religioſæ pulverem verrere ac everrere inciperet; dein per *Lutherum*, qui *Ecclesiasticorum indulgentias, omni civili quæstu majores aut lucrosiores, sacras civium exactiones*, e civitate eliminaret, pro liberandis civium locutis & animabus vel conscientiis.

Supe-

Superioribus quatuor hujus Tomi partibus *vestigia* monstravimus *tentatæ* vel inchoatæ *emendationis Ecclesiasticæ, Maximiliano Cæsare.* Indefessus labor tot seculorum, tot Cæsarum & Principum, *pro Ecclesia corrigenda,* & ad quandam integritatem perducenda, pro temporum illorum stylo ad *statum* pertinebat *Ecclesiasticum, qui collapsus, situ & squalore obsitus, adeoque redintegrandus ac reformandus.* In qua Ecclesiæ & civitatis distinctione, Ecclesia perdita & vitiata non poterat non & civitatem reddere corruptam ac foedam. Quod omnes sordes ex Ecclesia in civitatem redundarent. Quod igitur vanum esset, civitatem sperare decoram, ubi illi, *qui decorare ac ornare civitatem debebant, indecori & sordidi: Initium omnis integritatis in republica sperandæ faciendum erat ab Ecclesia emaculanda.* Hæc reformata puriorem suam formam facile communicare civitati apta nata. Ordo proinde naturæ rerum congruus deo providenti placuit, per Cæsares & Principes, quorum est rempublicam servare adeoque instaurare, *ordiri a statu Ecclesiastico omnium primo perpurgando.*

Quando ergo inter homines omnis rerum habitus pendet ab institutione, informatione, doctrina, jussis, mandatis, regulis, legibus, in Ecclesia & civitate: Notitia boni & recti primum omnino est prosperitatis fundamentum. Sciant oportet in Ecclesia & civitate, quid rectum, bonum, verum, prosperum, quid & quomodo quodlibet instituendum aut peragendum, ut omnibus & singulis sit salutare. Ignorantia mater omnis mali, in Ecclesia & civitate, aut toto reipublicæ corpore. Nesciant, quorum est præesse, docere, instruere; tantum abest vera, bona & recta tradant, ut potius fingant & fallant, perdant & evertant, inscitia partim, partim improbitate aut temeritate. Cognitio veri, justi, boni, basis est omnis prosperitatis in societate. Quamobrem, si status Ecclesiasticus careat debita & legitima rei Christianæ cognitione, si ignoret, quid Christianismus, qui Christiani, qui viri justi, boni, recti, quales formare cives debeat, si nesciat quid agat, quid dicat, quid doceat, quin pro arbitrio & cupiditatibus statuat, præcipiat, cogat, compellat, suis solum commodis & voluptatibus serviens: Quid aliud quam tyrannis in Ecclesia, ex ignorantia veri, recti & justi. Servit ita civitas Ecclesiæ minanti, torrenti, & fulminanti, cum non contingat audire docentem, suadentem, hortantem, veri, boni & recti haud conscium. Tyrannis & furor est in ignorantia: infelix servitus in civitate, Christiani nominis vix umbra præsente. Civitas Ecclesiæ mancipium, servile obsequium, jugum brutorum infesta publica res: Barbaries in Ecclesia, barbaries per Ecclesiam in civitate, omnia per vim, nulla æquitate, nulla tranquillitate, omni devotione in metu servili.

Postquam hæc rerum facies duraverat in Ecclesia & republica, quæ Christiana dicta, tam longis seculis, in tenebris & ignorantiæ sordibus, Cæsaribus quiritantibus & ad emendationem frustra annitentibus: Succurrit tandem DEus, *bonarum literarum luce accensa, ut mansuetiorum studiorum ope prior barbaries loco moveretur.* Hæc ad doctrinam integriorem via, ut Ecclesia disceret meliora, adeoque civitas audiret rectiora, ad utriusque emendationem. Docere eum non possent antea hi quæ recta & justa, nec discere poterant, illi quæ vera & bona, neutri agere quod decebat: Venit doctrina salubrior, civium salus & communis prosperitas. Atque hac via doctrinæ melioris, purioris, utilioris, Ecclesia & publica res, prius defuncta aut squalore sepulta, coepit mundari, respirare, ac hominum induere mentem. *Inter mansuetas literas*, omnemque disciplinarum resurgentium decorem, *Novum Testamentum per Erasmum A. 1516. resuscitatum*, normam Christianis dedit doctrinæ salubris, quæ Ecclesiam & civitatem redderet fortunatam, justam rectam, bonam, prosperam, tranquillam, beatam. *Hoc sole orto alia emersit rerum omnium facies*, priori ruditate detecta, barbarie & tyrannide pulsa, *ut literarum mansuetudo Ecclesiam & civitatem mansuefaceret.* Hoc cœli beneficium, ante hæc duo secula, *per Erasmum*, & comites atque commilitones fides, Dei manu Europæ exhibitum, desideratam publicæ rei spopondit incolumitatem.

Hujus fati memoriam recolimus his annis, Deo devoti, in majores grati, probe memores, pro rudi priore longa barbarie, pro aspera & truculenta tyrannide, succesisse *jus in Novi Testamenti lucem, in salubrem veritatis & virtutis*

virtutis cognitionem ; in omnigenam manſuetudinem , in blandam communem tranquillitatem , in ingenuam erga Deum & Principes atque magiſtratus devotionem.

Damus hic ortæ illius lucis temporisque beatioris quandam ſeriem, calamo SCVLTETI, qui ante hoc ſeculum floruit. Largimur, non apparere, ex mutato quodammodo ſtatu Eccleſiaſtico, ex doctrina emendatiore, ex Novo Teſtamento, doctrinæ ſanctæ corpore, præſente, civium emendationem, aut communis rei majus emolumentum. *Jus in lucis uſuram non velit ſemper uſum apud illos, qui dormiunt, ſive præſint, ſive ſubſint.* Poſſent vigilare, luce frui, ſi vellent, die orto, qui connivent ſecuri, vel & lucis impatientes, qui mallent nunquam ortam. Dies omnino docet, in oculis & manibus Europæ jam eſſe verum ſalutis omnigenæ inſtrumentum: Nihilominus, quis neſcit, *non unius ſeculi rem eſſe emendare. Longæ eſt ſpei res, diuturni niſus & continuæ ſeriæ contentionis.* Tametſi ſol oriatur, nubes non paucæ nec tenues conſpectum ſubducant, & non niſi radios relinquant. Scire poterant doctrinæ Chriſtianæ indolem omnes, docere poterant, diſcere, tenere, præſtare, *niſi priſtina Eccleſiæ mala radices egiſſent altas*, non uno ſeculo evellendas, ſed per intervalla quaſſandas, donec ſenſim ſenſimque mollior humus illas retinere detrectet. Omnino verum, civitatem parum adhuc dum frui Chriſtianæ rei fructu, civibus more veteri perditis, & in mutuam perniciem indeſinenter graſſantibus: Certo indicio, *adminiſtrationem Eccleſiaſticam longas priorum ſeculorum conſuetudines non potuiſſe ſimul ac ſemel linquere*, aliquo poſſeſſionis diuturnæ, tantum non æternæ, colore & juris dudum quæſiti tenaci ſtudio. Habebunt ſecula curam inchoatæ emendationis, non ſecuritate deſerendæ, otio in priſtinam labem relapſuræ. Longo ſopore non ſolum nihil promovetur digni, ſed & impeditur multum præclari. Et relabi in ſordes non difficile. Initium munditiei non omnem fugit lympham, qua ſubinde opus, ſub repente putidiore cœno aut pulvere. *Fori* ut aliud ſit *exemplum*, partis non exiguæ civitatis, eminentis certe; Quæ *ſine fine foeditas.* In vaſto venditato jure vix umbra juſtitiæ, inter cives, multo minus æquitatis Chriſtianæ! Immodicus litium coram tribunali æſtus, index publicus civitatis malæ imbutæ. Immenſa legum maſſa, infinitæ fraudum latebræ, rabularum ſceleſtorum luſtra, indubitata publicarum ſordium documenta. Habent omnino Cæſares, Reges & Principes, quod arceant ac detergant ex foro, quod everrant, quod ſcopis conſecrent. Clam & Eccleſia juſtitiam, juſtitiam DEI, forum vix humanam capiat! Quæ deformitas, & ex fallaciarum ambagibus, ex celebri raptu fori turpitudo! *DEI eſt & ſupremorum* in imperio & regnis *Principum*, *ſcorias ſeparare ab auro*, propudioſos eliminare miniſtrorum fori & ſervorum dolos, aſtutas & interminatas dilationes, non binas, non ternas, ſed æternaturas, fraudulentas ſupplicationes, infidioſas appellationes, vafras commiſſiones, cruentas ſuſpenſivorum remediorum carnificinas, captioſas interventionum latebras, feralia reſtitutionis incantamenta letale prævaricationis virus: Quæ omnia ad prædas & rapinas, ad emungendum, aut ut Romanus JCtus Ao. 1480. profeſſus, *ad exburſandum pecuniam*, ad perdendum civitatem, artificioſe compoſta. Hæc fori idola, hæc tribunalium monſtra religioſiſſime culta, hi Saturni, qui vorent infantes, qui publicam abſorbeant ſalutem, hæc barathra communis tranquillitatis, voragines quietis, Boruſſorum Regis juſſu nuper quaſſari coepta, robuſtam Principum expectant manum, in publicæ rei incolumitatem

Sc. in Acad. Jul. A. 1716.
d. 31. Dec.

Hiſtoria reformationis Eccleſiæ Judaicæ per Judam Maccabæum.

Dan. XI. & XII.

הנה עוד שלשה מלכים עמדים לפרס Cap. XI, 2.

Ἰδοὺ, ἔτι τρεῖς γνωμολόγοι ἀναςήσονται ἐν τῇ περσίδι. *Ecce adhuc tres reges exurgent in Perſide.* Cyrus, Cambyſes, & Darius Hyſtaſpis.

והרביעי יעשיר עשר גדול מכל

Καὶ ὁ πέττορ (τέταρτ) περισσιάσει περισσίᾳ μεγάλῃ, μᾶλλον ἢ ὅλοι. *Quartus autem abundabit divitiis, præ omnibus.* Xerxes, locupletiſſimus Perſarum rex, potentior prioribus.

וכזקתו בעשרו יעיר הכל את מלכות יון

Καὶ κατὰ τὴν ἰσχὺν αὐτῦ, ἐπὶ τῇ περισσίᾳ αὐτῦ, ἐγερεῖ τὰς ὅλας ἀντὶ γνωμολογίας ἰωνίας. *Qui pro robore ſuo, in opulentia ſua, excitabit omnes contra regnum Græciæ.* Xerxes innumeros duxit exercitus contra Græciam, excitavitque in regno ſuo Perſico poſteros ad ſimilia in Græcos bella, ad Alexandrum usque magnum.

ועמד מלך גבור ומשל ממשל רב ועשה כרצונו v. 3.

Ἔπειτα ἀναςήσεται γνωμολόγ ἐπικρατὴς, ὃς συμβαλέυσει συμβαλίᾳ περισσῇ, κ πράξει κατὰ τὸ ἐυάρεσον αὐτῦ. *Dein ſurget rex potens, qui dominabitur dominio magno, & faciet pro libitu ſuo.* Alexander M. imperium obtinuit in ſolum orientem, cunctaque undiquaque diſpoſuit in expeditionibus & bellis, regnis & provinciis, pro arbitrio ſuo, victo Dario Codomanno.

וכעמדו תשבר מלכותו ותחץ לארבע רוחות השמים: v. 4.

Κατὰ δὲ τὸ ἀναςῆναι αὐτὸν συντριβήσεται γνωμολογία αὐτῦ, κ διαθήσεται, εἰς τὰς πίττορα χώρας. *Poliquam ſteterit, frangetur regnum ejus, & diſſipabitur per quatuor plagas cæli.* Imperium Alexandri ab illius obitu diviſum in quatuor regna, Ægypti, Babyloniæ & Syriæ, Aſiæ Minoris, & Macedoniæ. In quibus Ptolemæus Lagi Ægyptum obtinuit, Seleucus Nicanor Syriam, Antigonus Aſiam minorem, & Caſſander Macedoniam

ולא לאחריתו

Καὶ ἀδόλως τῇ ὑςερογονίᾳ αὐτῦ, *neque erit poſteritati ejus.* Alexandri regnum non pervenit ad filios ejus, Alexandrum & Herculem.

ולא כמשלו אשר משל

Καὶ ἀδόλως κατὰ τὸ συμβαλέυειν αὐτῦ, ὥσπερ συνεβάλευσε, *neque pro imperio illius, ſicut ille imperavit.* Neque inter filios Alexandri quisquam, qui ſuo imperio potuerit aſſequi patris majeſtatem.

כי תנתש מלכותו

ὅτι ἐξανιθήσεται γνωμολογία αὐτῦ, *quia in nihilum redigetur regnum ejus.* Alexandri majeſtas plane ceſſavit & evanuit.

Cyrus
1
7.
Cambyſes
7.
Smerdes
1.
Darius
Hyſtaſpis
36.
Xerxes.
11.
Artaxerxes
Longimanus
49.
Xerxes
1. circiter.
Darius Nothus
19.
Artaxerxes
Mnemon
40.
Ochus, 26.
Arſes, 4.
Darius Codomannus, 6.

Alexander Magnus
6.
Ptolemæus Lagi, in Ægypto.
13. Seleucidarum regnum.
Seleucus Nicanor R. Syriæ.

Seleucus Nicanor.
Ptolemæus Lagi.
ולאחריו

ולאחרים מלבד אלה:

τοῖς δὲ ἑτερογενέσι, ἄλλοτι πλὴν ἐκείνοις. *alienigenis vero* cedet *præter illos.* Alii obtinuerunt imperium, non Alexandri filii.

ויחזק מלך הנגב v.5.

Καὶ ἐνισχύσει γνωμολόγ☉ τῦ Φέγγυς (Νότυ). *Potens autem erit rex Austri.* Ptolemæus Lagi potentiam potiorem acquisivit, Judæam invasit, afflixit, Hierosolyma capta, & magna Judæorum turba in Ægyptum ducta.

ומן שריו

Ἔπειτατὶς μὲν ἐκ τῶν ἀρίςων αὐτῦ. *Quin aliquis ex principibus ejus.* Ptolemæus Philadelphus in Ægypti regno succesit.

ויחזק עליו ומשל ממשל רב ממשלתו

καὶ ἐνισχύσει ὑπὲρ αὐτῦ, καὶ συμβαλέυσει, συμβαλία πεῖσσὴ συμβάλευμα αὐτῦ. *Qui potentior erit illo, & imperabit, cujus imperium præpotens.* Ptolemæus Philadelphus multo potentior evasit quam Ptolemæus Lagi.

ולקץ שנים יתחברו v.6.

Ἐπὶ καταςροφῇ ἐννων παραζευγνυθήσονται. *Post annos aliquot conjungentur.* Ptolemæus Philadelphus foedus iniit cum Antiocho Theo, Syriæ rege.

ובת מלך הנגב תבא אל מלך הצפון לעשות מישרים

ὅτε θυγάτης γνωμολόγυ τῦ Φέγγυς (Νότυ) ἐπιβήσεται πρὸς γνωμολόγυν τῦ ζόφυ (Βορρᾶ) τῦ ποιᾶσαι ἀπαρτισμός. *Quando filia regis Austri veniet ad regem Aquilonis, ad faciendum concordiam.* Beronice, filia Ptolemæi Philadelphi, regis Ægypti, matrimonio juncta Antiocho Theo, Syriæ regi, ad sanciendam pacem inter illos. Quia spe pacis spe Antiochus Theos repudiavit Laodicem, ex qua duos jam susceperat liberos.

ולא תעצר כח הזרע

ἀδόλως δὲ ἀπαρτίσει κίκυν τραχήλυ. *Non autem illa perficiet robur lacerti.* Beronice non potuit suo illo connubio efficere firmam pacem, ut Antiochus Theos quiete potiretur in suo regno.

ולא יעמד וזרועו

καὶ ἀδόλως διαμενεῖ ϗ τεάχηλ☉ αὐτῦ. *Neque consistet ipse & brachium ejus.* Antiochus Theos non potuit servare pacem & regni tranquillitatem: Quia repudiatam priorem uxorem Laodicem recepit. Unde novum bellum inter Ægyptum & Syriam.

ותנתן היא ומביאיה והילדה ומחזיקה בעתים:

Ἀ·αδοθήσεται αὐτὴ, ϗ οἱ προσφέροντες αὐτὴν, ϗ ὁ θάλ☉ αὐτῆς, ϗ ὁ κατισχύων αὐτὴν ἐπὶ ταῖς περιτροπαῖς. *Traditur illa, & qui adduxerant illam, & natus ejus & qui protexerat illam istis temporibus.* Beronice, ab Antiocho Theo rejecta, à Seleuco Callinico successore occisa, cum toto comitatu suo, cum filio, omnibusque familiaribus suis.

ועמד מנצר שרשיה כנו v.7.

Τότε ἀναςήσεται ἐξ ἔρυς ῥιζῶν αὐτῆς κανόνι αὐτῦ. *Tunc surget aliquis ex stirpe radicum ejus, statu illius.* Ex familia Beronices, ex domo Ptolemæi Philadelphi, regis Ægypti, successit in regno Ægypti Ptolemæus Evergetes, Beronices frater.

ויבא אל החיל ויבא במעוז מלך הצפון ועשה בהם והחזיק:

ὅδε ἐπιβήσεται πρὸς τὸν λόχον, ϗ ἐπιβήσεται πρὸς τὸ ἀσφάλισμα γνωμολόγυ τῦ ζόφυ (Βορρᾶ) ϗ πράξει ἐπ' αὐτοῖς, ϗ κατιςχύσει. *Veniet ad exercitum, veniet in munimentum regis Aquilonis, & tractabit illo & roborabitur.* Ptolemæus Evergetes venit ex Ægypto, vindicaturus Beronices sororis suæ cædem, invasit exercitus Seleuci Callinici, regis Syriæ, cujus occupavit munimenta.

וגם אלהיהם עם נסכיהם עם כלי חמדתם כסף וזהב v.8.
בשבי יבא מצרים: Ἅματὸς Μεγαλείυς αὐτῶν, μετὰ τῶν οἰκίσκων αὐτῶν, μετ' ὅπλων τῆς δοκιμασίας αὐτῶν, ἀργυρίυ ϗ πυρσῦ, ἐπ' ἀποικισμῷ ἀπάξει εἰς Αἴγυπτον. *Simul Deos ipsorum, cum ædiculis*

Reges Ægypt. — Reges Syr.

Ptolemæus Lagi. — Seleucus Nicanor.

40. Ptolemæus Philadelphus.

32. 5. Antiochus Soter, f. Nicanoris.

Ptolemæus Philadelphus.

24. 19. Antiochus Theus, f. Soteris.

Antiochus Theus.

38. Ptolemæus Evergetes. — 15. Seleucus Callinicus.

Seleucus Callinicus.

Ptolemæus Evergetes.

horum,

Iorum, cum ſupellectili eorum æſtimatiſſima, auri & argenti in captivitate abducet in Ægyptum. Ptolemæus Evergetes ſpoliavit Syriam, & prædam duxit in Ægyptum.

והוא שנים יעמוד ממלך הצפון

Καὶ αὐτὸς ἔννοις ἀναςήσεται μᾶλλον ἢ γνωμολόγ☞ τῦ ζόφυ (τῦ Βορρᾶ) *Et ille annis aliquot ſuperior erit rege Aquilonis.* Ptolemæus Evergetes diu imperavit Seleuco Callinico, Syriæ regi.

v. 9. ובא במלכות המגב ושב אל ארמתו׃

Τότε ἐπιβήσεται πρὸς τὴν γνωμολογίαν τῦ φέγγυς, (τῦ Νότυ) ϗ ἐπιςρέψει πρὸς τὴν ἀνθεμόεσσαν (τὴν γῆν) αὐτῦ. *Tunc veniet in regnum Auſtri, & revertetur in terram ſuam.* Evergetes victor rediit in Ægyptum.

v. 10. ובניו יתגרו ואספו המון חילים רבים

Τὰ δὲ νήπια αὐτῦ συγκρόσσι, ϗ ἐπισυνάξσι ὅμαδον λόχων πεζις ῶν. *Filii vero ejus conſligent, & colligent copiam exercituum magnorum.* Filii Seleuci Callinici, Syriæ regis, Seleucus Ceraunos & Antiochus Magnus, vires conjunxerunt, unanimiter Ptolemæum Evergetem in Syria aggreſſi.

ובא בא ושטף ועבר

Καὶ προβήσεται προβὰς, ϗ καταποντίσει, ϗ πορέυσεται, *Veniet ſubinde & inundabit, & perget.* Antiochus magnus, ab obitu fratris Seleuci Cerauni Evergetem in Syria armis perſequi perrexit.

ושב ויתגרה עד מעזו

καὶ ἐπιςρέψει ϗ συγκρόσει ἐς' ἐπὶ ἀσφάλισμα αὐτῦ. *Denuo conſliget, usque ad munitum ejus.* Antiochus M. inſtauravit illud bellum, cum copiis Philopatoris dimicans, usque ad Raphiam, in Palæſtinæ finibus, ab Ægyptiis poſſeſſam, quæ ſeſe dedidit Antiocho.

v. 11. ויתמרמר מלך הנגב ויצא ונלחם עמו עם מלך הצפון׃

Τότε παροξυνθήσεται γνωμολόγ☞ τῦ φέγγυς (Νότυ) ϗ βαδίσει, ϗ πολεμαχήσει μετ' αὐτῦ, ὅιον μετὰ γνωμολόγυ τῦ ζόφυ [Βορρᾶ.] *Tunc exacerbabitur rex Auſtri, & prodibit, & pugnabit cum eo, puta cum rege Aquilonis.* Ptolemæus Philopator, cum ſentiret, Antiochum penetraſſe Raphiam, in Ægyptum perrecturus, validum exercitum duxit adverſus Antiochum Magnum, Raphiam verſus, cum Antiocho conflicturus.

והעמיד המון רב ונתן ההמון בידו

καὶ ἀναςήσει ὅμαδον περισσὸν, ϗ ἀναδοθήσεται ὁ ὅμαδ☞ εἰς τὸ θέναρ αὐτῦ. *Statuet turbam magnam: Dabiturque alterius turma in manum ejus.* Ptolemæus Philopator magna militum copia aggreſſus eſt prope Raphiam Antiochum Magnum, hunc fudit, & in Syriam borealem compulit.

v. 12. ונשא ההמון ורם לבבו

ὅτε δὲ ἀναχεθήσεται ὁ ὅμαδ☞ τότε μετεωριθήσεται τὸ σπλάγχνον αὐτῦ. *Quando tolletur turma illa, tunc efferetur animus ejus.* Quando Philopator Antiochi Magni exercitus in fugam egit verſus Boream, tunc ferocire cœpit ex victoria Philopator, ſuperbe ſe gerens.

והפיל רבבות ולא יעוז׃

καὶ καταβαλεῖ μυριάδας, ϗ δόλως κατιχύσει. *Proſternet myriadas, ſed non conſiſtet.* Philopator immanem Judæorum copiam excruciavit, neque inde factus in regno tutior.

v. 13. ושב מלך הצפון והעמיד המון רב מן הראשון

Καὶ ἐπιςρέψει γνωμολόγ☞ τῦ ζόφυ, (Βορρᾶ) ϗ ἀναςήσει ὅμαδον περισσὸν, μᾶλλον ἢ πρώτισον. *Revertetur rex Aquilonis, & conſtituet exercitum majorem priore.* Antiochus majorem exercitum collegit.

v. 14. בקץ העתים שנים יבא בא בחיל גדול וברכוש רב

Ἐπὶ καταςροφῇ τῶν τροπῶν, ἐτῶν, βήσεται βαίνων ἐπὶ λόχῳ μεγάλῳ ϗ ἐφ' ὑπάρξει περισσῇ. *Elapſis aliquot annis, veniet cum exercitu*

Reges Ægypt. | Reges Syr.

Ptolemæus Evergetes. — Seleucus Callinicus.

21. - - 20. Seleucus Ceraunos.

24. - 3. Antiochus Magnus.

26. Ptolemæus Philopator.

Antiochus Magnus. — Ptolemæus Philopator.

magno & opibus multis. Defuncto Philopatore, Ptolemæus Epiphanes, successor in Ægypti regno, adolescens, adversus Antiochum magnum arma prehendit.

Reges Ægypt. | Reges Syr.

v. 14. ובעתים ההם רבים יעמדו על מלך הנגב

Ἐπὶ δὲ τροπαῖς ἐκείναις, περισσοὶ ἐπαναστήσονται ἐπὶ γνωμολόγον τῦ Φέγγος (τῦ Νότου) *Illis temporibus multi se opponent regi Austri.* In Antiochi Magni bello in Ptolemæum Epiphanem, adolescentem, magna pars Judæorum, antea Antiocho adversa, ab Antiocho jam conciliata, arma sumsit in Ptolemæum Epiphanem.

ובני פריצי עמך ינשאו להעמיד חזון ונכשלו:

Τὰ δὲ νήπια υἱῶν τῦ δήμου σου ἀφανισθήσονται (πρὸς τὸ ἀναστῆσαι σκοπιὰν) καὶ ὀκλάσουσι. *Apostatæ vero in populo tuo auferentur, (ut impleatur visio) & corruent.* Antiochus M. in Ægyptum castra moturus, Judæos Ægyptiis addictos e medio sustulit.

v. 15. ויבא מלך הצפון וישפוך סוללה ולכד עיר מבצרות

καὶ προβήσεται γνωμολόγος τῦ ζόφου, (Βορρᾶ) καὶ προσχοννύσει σκάλευμα, καὶ καταλήψεται φρέριον τῶν ταυρωμάτων. *Ibit rex Aquilonis, & exaggerabit fossas, & capiet urbes munitas.* Antiochus M. in Ægyptum penetravit, urbes munitas obsedit & expugnavit.

וזרעות הנגב לא יעמדו ועם מבחריו ואין כוח לעמד

Καὶ τράχηλοι τῦ φέγγους (Νότου) ἀδόλως ἀναστήσονται, καὶ δήμου ἀποκρίτων αὐτῦ, καὶ ὃς ἂν κίκυς τῦ ἀναστῆναι. *Et lacerti Austri non consistent, & populus delectuum ejus, nec erit vis ad consistendum.* Ptolemæus Epiphanes inferior Antiocho Magno.

v. 16. ויעש הבא אליו כרצונו ואין עומד לפניו ויעמד בארץ הצבי וכלה ביודו:

Ὅτε ἔπραξε ὁ ἐπιβαίνων πρὸς αὐτὸν, κατὰ τὸ ἐυάρεστον αὐτῦ, καὶ ὃς ἂν ἀναστὰς κατ' ἐνώπιον αὐτῦ, τότε ἀναστήσεται ἐπὶ ξηρᾶ τῦ σέβας, ἣν ἐκλελήσει τῷ θέναρι αὐτῦ. *Quando fecerit, aggressus illum, pro arbitrio suo, neque restiterit illi quisquam, tunc stabit in terra sancta, & consumet manu sua.* Antiochus M. victor in Ægypto, illâ coercitâ, Judæam sibi subjecit: In qua sacerdotum avaritia & ambitio publicam rem quassavit & misere laceravit.

Antiochus Magnus.

v. 17. וישם פניו לבא בתוקף כל מלכותו ומישרים עמו ועשה:

Ἔπειτα θηματίσει τὸ πρόσωπον αὐτῦ, τῦ βῆναι ἐπ' ἐπικρατείᾳ ὅλης γνωμολογίας αὐτῦ, καὶ ἀπαρτισμοὶ μετ' αὐτῶ, καὶ πράξει. *Tunc faciem suam componet, ut eat cum toto robore regni sui; & transactiones cum ipso, efficietque.* Antiochus M. aliorsum arma translaturus, cum metueret sibi absenti à Judæis & Ægyptiis, quæsivit hos sibi conciliare. Quare Ptolemæo Epiphani pacis conditiones proposuit.

Ptolemæus Epiphanes.

ובת הנשים יתן לו

Καὶ θυγατέρα γυναικῶν ἀναδώσει αὐτῶ *filiam dabit illi.* Antiochus M. pro pace stabilienda, aut simulanda, callidus viam obtulit matrimonii, pro pacis vinculo, quando filiam suam Cleopatram Antiochus M. dedit Ptolemæo Epiphani, adolescenti, & pro dote Judæam & Samariam.

להשחיתה

πρὸς τὸ ἐξολοθρέυειν δι' αὐτὴν, *ad perdendum per illam.* Vafro hoc consilio Antiochus M. dedit Cleopatram Epiphani, ut Epiphanem maritum interimeret.

ולא תעמד ולא לו תהיה

καὶ ὀδόλως διαμενεῖ, καὶ ὀδόλως αὐτῶ ἔσαι. *Neque manebit illa, neque illi erit.* Cleopatra Epiphani tandem juncta, non permansit in perdita patris sententia, neque adeo parenti Antiocho & illius scopo fuit dedita.

v. 18. וישב פניו לאיים ולכד רבים

Τότε ἐπιστρέψει πρόσωπον αὐτῦ πρὸς νήσους, καὶ καταλήψεται περισσάς. *Tunc vertet faciem suam versus insulas, & capiet multas.* Antiochus M. cum transegisse sibi visus esset cum Epiphane in Ægypto, ad Asiaticas provincias & insulas vicinas occupandas severtit, occupavitque multas, Cyprum, Phoceam, Samum, Rhodum, Colophonem, Euboeam &c.

השבות

והשבית קצין חרפתו לו

Reg. Ægypt. Reg. Syr.

Τότε ἀποστήσει καταστημαίνων ὕβριν αὐτῦ εἰς αὐτόν. *Tunc avertet Prætor probrum ſuum in illum.* Antiochus M. Romanorum ditiones in Aſia & in inſulis vicinis aggreſſus, injuria affecerat Romanos. Hanc illatam Romanis injuriam vindicarunt conſules aut prætores Romani, Marcus Acilius conſul, nec non Livius Prætor, & Lucius Scipio. Recuperarunt hi ereptas Romanis per Antiochum Magnum provincias, probrumque in Antiochum redire juſſerunt.

בלתי חרפתו ישיב לו

πλὴν ἐκτὸς ὕβρεως αὐτῦ, ἐκστρέψει αὐτῷ. *Præter ignominiam ſuam, reſtituet illi.* Antiochus M. magna ſua cum ignominia reſtituet Romano Prætori Romanisve Aſiam minorem, ceterasque in mari mediterraneo provincias, Græciam, usque ad Taurum.

וישב פנין למעזי ארצו ונכשל ונפל ולא ימצא

Ἐπιστρέψει δὴ τὰ ἐνώπια αὐτῦ πρὸς τὰ ἀσφαλίσματα τῆς ξηρᾶς αὐτῦ, καὶ ὀκλάσει, καὶ βληθήσεται, καὶ ἀδόλως ἀνακομισθήσεται. *Convertet ergo faciem ſuam ad munitiones terræ ſuæ, corruet & procidet, neque invenietur.* Antiochus M. re infeliciter contra Romanos geſta, in ſuas rediit terras, in Syriam. Qui cum Hieroſolymis templum eſſet ſpoliaturus, in tumultu à ſuis eſt interemtus.

v. 20. ועמד על כנו מעביר נוגש הדר מלכות

Τότε ἀναστήσεται ἐπὶ τῷ κανόνι αὐτῦ διαστρέπων ἀναγκαστὴς, ἐν τῇ ἀδρότητι γνωμολογίας. *Tunc ſtabit in ſtatu illius pervertens, exactor, in decore regni.* Seleucus Philopator, Antiochi M. ſucceſſor, omnia ſurſum deorſum vertit, ſubditos ſuos ipſosque Judæos atrociſſime tractavit, Heliodorum etiam in Judæorum templum mittens.

ובימים אחדים ישבר ולא באפים ולא במלחמה

Ἐφ' ἡμέραις τυχόσαις συντριβήσεται, ἀδόλως μὲν ἐπ' ὀργῆς, καὶ ἀδόλως ἐπὶ πολεμαχίᾳ. *Intra dies aliquot conteretur, neque vel ira vel bello.* Seleucus Philopator, poſtquam per Heliodorum Judæos miſere torſerat, non publicis certaminibus aut bellis periit, ſed veneno per Heliodorum parato, in gratiam fratris Antiochi Epiphanis.

v. 21. ועמד על כנו נבזה

Ἔπειτα ἀναστήσεται ἐπὶ τῷ κανόνι αὐτῦ ἀποτροπιαζόμενος. *Deinde ſtabit in ſtatu illius abominabilis.* Antiochus Epiphanes ſucceſſor Seleuci Philopatoris. Voce נבזה nomen oblique & argute deſignatum Ἐπιφανὴς, *Epiphanes:* Significatione contraria. Ἐπιφανὴς *illuſtris, nobilis, ſpectatus;* נבזה *contemtus, ignobilis, deſpiciendus.* Reſpicitque hæc antiphraſis ad communem apud Græcos in hoc rege appellando antiphraſin, qui pro Ἐπιφανὴς dicerent Ἐπιμανὴς, *furioſus, amans, inſanus.*

ולא נתנו עליו הוד מלכות

Καὶ ἀδόλως ἀναδώσουσιν αὐτῷ κῦδος γνωμολογίας. *Non dabunt illi majeſtatem regni.* Non Antiochus Epiphanes legitimus regni ſucceſſor, qui Seleucum Philopatorem interfecit, filium Seleuci fratris ſui Demetrium, legitimum hæredem, regni ſucceſſione privavit, & Demetrium ſeniorem fratrem aſtu eluſit. Nec ergo à ſtatibus regni ad regimen legitime admiſſus, qui regnum invaſit.

ובא בשלוה והחזיק מלכות בחלקלקות

Καὶ ἐπιβήσεται ἐπ' ἀσφαλείας, καὶ καταχέσει γνωμολογίαν, ἐπὶ μαλθακίαις. *Veniet in ſecuritate, & capiet regnum blanditiis.* Non cum impetu invaſit regnum Antiochus Epiphanes, ſed callidiſſime, ut tutus & ſecurus obtineret ſceptrum, ſimulans non regni adminiſtrationem proprio nomine, ſed tutorio, quaſi pro pupillo rem ageret. Quibus artibus & Demetrium fratrem natu maximum circumvenit,

Antiochus Magnus, 36. Seleucus Philopator. Seleucus Philopat. 24. Ptolemæus Philometor. Ptolemæus Philometor. 12. Antiochus Epiphanes. Antiochus Epiphanes.

וזרעות השטף ישטפו מלפניו וישברו v.22.

Καὶ τράχηλοι τῆς σπυδῆς σπεύσονται ἀπὸ τῦ πρεσώπυ αὐτῦ, καὶ συντριβήσονται, *& lacerti intensi intendentur ante ipsum, & confringentur:* Omnes copiæ Antiocho Epiphani oppositæ, pro regni invasione avertenda, artibus & armis Antiochi oppressæ.

וגם נגיד הבריתּ

Ἅμα ἀνάπαυσις τῆς περιδόσεως, *Simul etiam antistes fœderis.* Etiam summus Judæorum sacerdos, fœderis divini antistes Onias III. Simonis II. filius, ab Antiocho summotus, & illius loco Jason, Oniæ III. frater, in summum sacerdotem ab Antiocho evectus.

ומן התחברות אליו יעשה מרמה ועלה ועצם במעט גוי: v.23.

Καὶ ἐκ προσκληρώσεως πρὸς αὐτὸν πράξει δόμβον, καὶ ἐξελάσει, καὶ ἀκμάσει, ἐπὶ μερίῳ ὄχλυ. *Ex consociatione ad illum, faciet dolum, procedet, & viribus pollebit, cum modico populo.* Societatem iniit Antiochus Epiphanes in regni principio cum Eumene rege Pergami, & Attalo fratre ejus: Qui Heliodoro, regnum Syriæ affectante, repulso, Antiocho Epiphani regnum tradiderunt, eumque brevi manu in possessionem Syriæ deduxerunt.

בשלוה ובמשמני מדינה יבא ועשה אשר לא עשו אבותיו v.24.
ואבות אבותיו בזה ושלל ורכוש להם יבזר ועל מבצרים יחשב מחשבותיו ועד עת:

Ἐπ' ἀσφαλείᾳ ἐπὶ τὰ ἀναμεσὰ δυναστείας βήσεται, καὶ πράξει, ὅσαπερ ὐδόλως ἔπραξαν πατέρες αὐτῦ, καὶ πατέρες πατέρων αὐτῦ, ἁρπάσματι καὶ σύλῃ τὴν ὕπαρξιν ἐκείνων διασκορπιεῖ καὶ περὶ σαυρωμάτων ἐπιλογίσει ἐπιλογισμὺς αὐτῦ, εἰς ἐπὶ καιρόν. *Secure in opima provinciæ veniet, & faciet quod non fecerunt patres ejus & proavi ejus; rapinâ & prædâ opes illorum diripiet, & de munitionibus consilia sua capiet, idque ad tempus.* Antiochus sui regni possessionem omnibus artibus firmavit, stationarios milites præter antecessorum exemplum in castellis collocavit sibi devinctos. Hæc primo statim sui regni anno per vim & machinas.

ויער כחו ולבבו על מלך הנגב בחיל גדול v.25.

Ἔπειτα ἐγερεῖ κίκυν αὐτῦ καὶ σπλάγχνον αὐτῦ ἐπὶ γνωμολόγον τῦ Φέγγυς (Νότυ) λόχῳ μεγάλῳ. *Deinde excitabit vires suas animumque suum contra regem Austri exercitu magno.* Postquam Antiochus Epiphanes Syriam sibi vindicaverat, anno mox altero arma paravit in Ptolemæum Philometorem, Ægypti regem.

ומלך הנגב יתגרה למלחמה בחיל גדול ועצום עד מאד ולא יעמוד כי יחשבו עליו מחשבות

ὁδὲ γνωμολόγος τῦ Φέγγυς (Νότυ) συγκρύσει πολεμαχίᾳ ἐπὶ λόχῳ μεγάλῳ καὶ ἀκμαςῷ ἔστε κομιδῇ, καὶ ὐδόλως ἀναςήσεται, ὅτι ἐπιλογίσονται περὶ αὐτῦ ἐπιλογισμύς. *Rex Austri confliget bello, copiis maximis & validissimis, neque consistet, quia machinabuntur adversus illum machinas.* Ptolemæus Philometor in Antiochum Epiphanem, ex Ægypto in Syriam, movit exercitum, suadentibus Eulajo & Lenæo. Sed infeliciter. Siquidem Philometor nondum ex Ægypti finibus egressus, inter Pelusium & Casium montem fusus est. Quæ clades promota proditione, quando Ægyptiorum magnates cum Antiocho Epiphane clam contra Philemetorem consilia agitarunt.

ואכלי פתבגו ישברוהו וחילו ישטוף ונפלו חללים רבים v.26.

Ἐγκολαβόντες χναυμάτιον αὐτῦ συνελίψασιν αὐτὸν, καὶ τὸν λόχον αὐτῦ σπεύσει, καὶ βληθήσονται καθελόμενοι πλεῖστοι. *Comedentes dapes ejus frangent eum, extendet exercitum suum, & cadent confossi multi.* Ministri Philometoris intimi, convivæ ejus, proditores ejus fuerunt, ut instructi Philometoris exercitus cæderentur ab Antiocho.

ושניהם המלכים לבבם למרע ועל שלחן אחד כזב ידברו ולא תצלח כי עוד קץ למועד: v.27.

Οἱ δὲ σύνδυοι ἐκεῖνοι οἱ γνωμολόγοι τῷ σπλάγχνῳ αὐτῶν πρὸς πονήρευμα, καὶ ἐπὶ τρισκελίδι τῇ αὐτῇ Φενακισμὸν Φραδεύσυσι. ἀλλ' ὐδέλως λυσιτελήσει, ὅτι ἔτι χρόνος πρὸς τὸ τελεσθὲν. *Illi verò duo reges animo suo ad fraudem, qui in eadem mensa impostura loquentur; Sed non succedet, quia adhuc tempus ad metam.* Antiochus Epiphanes victor, & Ptolemæus Philo-

Antiochus Epiphanes. Ptolemæus Philometor. Reg. Ægypt. Reg. Syr.

metor

metor victus, de pace acturi, in eodem convictu non candide egerunt, sed fraudulenter ab utraque parte, sibi imponentes mutuo, pro mutuis insidiis. Quod tamen illis non succesit, cum divinâ providentiâ adhuc restarent alia tempora, aliaque regnorum illorum fata.

Reges Ægypt. | Reges Syr.

וישב ארצו ברכוש גדול ולבבו על ברית קדש v. 28.

Ἐπιστρέψει εἰς τὴν ξηρὰν αὐτῆ ἐφ' ὑπάρξεως μεγάλης, καὶ τὸ σπλάχνον αὐτῆ ἐπὶ περίδοσιν ἁγιότητος. *Revertetur in terram suam cum copiis multis, animusque illius contra fœdus sanctum.* Reversurus ex Ægypto Antiochus Epiphanes in Syriam Antiochiam, cum manubiis multis, Judæam afflixit misere, cultu sacro insolentissime quassato.

ועשה ושב לארצו

Ὅτε δὲ ἔπραξε, τότε ἐπιστρέψει εἰς τὴν ξηρὰν αὐτῆ. *Quando illud fecerit, perget in terram suam.* Hierosolyma afflictâ & jactatâ, Antiochiam perrexit Antiochus.

למועד ישוב ובא בנגב ולא תהיה כראשנה וכאחרונה: v. 29.

Τῷ τεταγμένῳ ἐπιστρέψει, καὶ προβήσεται ἐπὶ τὸ Φέγγος, (Νότον) καὶ ἔσται ὡς τὸ πρώτιστον ὕστως τὸ ὑστεραῖον, *Suo tempore denuo tendet in Austrum: Sed non erit ut prius ita & posterius.* Antiochus Epiphanes post biennium de novo exercitum duxit in Ægyptum contra Philometorem. Posterior hæc expeditio major priore. Quia nunc Ptolemæo in fugam acto, Antiochus Ægyptum spoliavit.

ובאו בו ציים כתים ונכאה v. 30.

Βήσονται δὲ ἐπ' αὐτὸν πρέσβεις Τυρσηνοί, καὶ κνισθήσεται, *Venient ad illum legati Tusci (Etrusci) & affligetur.* Antiochus Epiphanes per legatos à Romanis missos, per Cajum Popilium Lænatem, Consulem & collegas, monitus & coactus pacem facere.

ושב וזעם על ברית קדש ועשה

Ἐπιστρέψει δὲ καὶ δυσμενήσει τῇ περιδόσει ἁγιότητος, καὶ πράξει. *Deinde adversabitur fœderi sancto, & efficiet.* Antiochus ex Ægypto redux, occupatâ Hierosolymâ rem Judæorum atrocissime convulsit.

ושב ויבן על עדי ברית קדש

Καὶ ἐπιστρέψει καὶ πεύσεται τοὺς ἀποστάσοντας περίδοσιν ἁγιότητος. *Porro audiet desertores fœderis sancti.* Antiochus Epiphanes cum Jasone & Menelao, apostatis inter Judæos, sacerdotibus summis, de expilando templo egit, & de paganismo magis introducendo.

וזרעים ממנו יעמדו וחללו המקדש המעוז והסירו התמיד ונתנו השקוץ משומם: v. 31.

Καὶ βραχίονες ἀπ' αὐτοῦ ἀναστήσονται, καὶ ἁλισγήσουσι τὸ ἁγιαστήριον, τὸ ἀσφάλισμα, καὶ καταστρέψουσι καθημερινὸν, καὶ ἀναθήσουσι τὸ σύγμα ἐξερημῶν. *Brachia ab ipso stabunt, & polluent sanctuarium ac munitionem, tollent juge sacrificium, & substituent abominationem desolantem.* Armati milites, præsidiarii, ab Antiocho in templo locati, qui polluerunt omnia sacra, totum templum, cædibus funestis omnia replendo. Sacrificium juge removerunt: Cujus loco sacrificia fœda, porcina, cum reliquo pagano cultu substituerunt. Quæ res Judæis abominabilis, quæ totam Judæorum rem pessundaret & vastaret.

ומרשיעי ברית יחניף בחלקות v. 32.

στρεβλῶντας περίδοσιν φενακίσει μαλθακοῖς. *Pervertentes fœdus decipiet verbis blandis.* Antiochi Epiphanis miles præsidiarius, Hierosolymis positus, Judæos apostatas, legis transgressores, & morum externorum sectatores, blandis promissis & pollicitationibus fovit.

ועם יודעי אלהיו יחזיקו ועשו

Καὶ τὸν δῆμον, εἰδῶντας τὸν θῶν Μεγαλείων αὐτῶν, κατισχύσουσι, καὶ πράξουσι; *Et populum, qui Deum suum agnoscit, prehendent, & facient.* Miles Antiochi, ut fovit Apostatas Judæos, ita & in his

bonos,

bonos, Deum reveritos, mores paganos fugientes, prehendit, torsit, & mille afflixit modis.

v. 33. והמשכילי עם יבינו לרבים ונכשלו בחרב ובלהבה בשבי
וּבבזה ימים Διαλογιζόμενοι πρὸς δῆμον σωφρονίσουσι μὲν περισσὰς, ἀλλ' ὀκλάσουσι, ἐφ' ἅρπης, καὶ ἐπὶ φλογὸς, ἐπ' ἀποικισμῷ καὶ ἁρπάσματος, ἡμέραις. *Docentes populum bene quidem instruent multos, sed corruent ferro, flamma, exilio, spolio, diu.* Miles Antiochi durissime omni supplicierum genere tractavit illos Judæorum doctores, qui ad verum Dei cultum revocarent populum, in vera illum religione servaturi.

v. 34. ובהכשלם יעזרו עזר מעט ונלוו עליהם רבים בחלקלקות
ἐπὶ τῷ ὀκλάζειν αὐτὰς στριχθήσονται στρίγματι μετρίῳ, ὅτε συμβληθήσονται πρὸς αὐτὰς περισσοὶ ἐπὶ μαλθακοῖς. *Dum corruent illi (boni) suffulcientur fulcimento modico, quoniam associabuntur illis multi blandis verbis.* In tantis sub Antiocho persecutionibus, perexiguum fuit bonis & in religione constantibus solatium, esse quosdam, qui bonorum partes sequi viderentur, tametsi hi simularent, & bona tantum verba darent multi, ex animo hostibus addicti, hypocritæ.

v. 35. ומן המשכילים יכשלו לצרוף בהם ולברר וללבן עד עת
קץ כיעור למועד Καὶ ἐκ τῶν διαλογιζομένων ὀκλάσωσι, πρὸς τὸ ἐκπυρίζειν ἐπ' αὐτοῖς, πρὸς τὸ ῥύπτειν, καὶ πρὸς τὸ φαλύνειν, ἐς ἐπὶ τροπὴν καταστροφῆς, ὅτι ἔτι πρὸς τὸ τεταγμένον (χρόνον.) *Ex docentibus cadent, ut purgentur illis* adversitatibus, *& mundentur, & purificentur, usque ad tempus exitus: Quia adhuc ad determinatum tempus.* In illis sub Antiocho persecutionibus, afflicti docentium inter Judæos virorum doctorum multi, afflictionibus istis vehementer sunt exercitati, probati, & à gentium sordibus eluti, velut igne & aqua excocti & perpurgati, idque aliquot annis continuis.

v. 36. ועשה כרצונו המלך ויתרומם ויתגדל על כל אל ועל אל אלים
ידבר נפלאות ודבר נפלאות והצליח עד כלה זעם כי נחרצה נעשתה: Καὶ ποιήσει κατ' εὐάρεστον αὐτῷ ὁ γνωμολόγος, καὶ ἑαυτὸν μετεωρίσει, καὶ ἑαυτὸν μεγαλυνεῖ ὑπὲρ ὅλα ἀληθῆ. Καὶ ἀντὶ ἀληθῆ ἀληθῶν φεσδέυσει ὑπέρβλητα, καὶ ἀσφαλίσει, ἐς ἐξετελέσθη δυσμένεια, ὅτι ὁρισμένον συνεσθήσεται. *Faciet pro arbitrio suo rex, seque ipsum extollet, & efferet se super omnem vindicem, & contra vindicem vindicum loquetur infanda, & prosperabitur. Donec perficiatur odium, quando determinatum fuerit factum.* Arrogantia & fastus Antiochi supra modum, qui nullam vindictam divinam metuit, prosper ad tempus rebus ejus succedentibus. Donec Deo providente venit finis.

v. 37. ועל אלהי אבותיו לא יבין ועל חמדת נשים ועל כל אלה לא
יבין כי על כל יתגדל: Περὶ Μεγαλείων τῶν πατέρων αὐτῶ ἀδόλως Φρονήσει, καὶ περὶ δοκιμασίας γυναικῶν, καὶ περὶ ὅλα Μεγαλείω ἀδόλως Φρονήσει, ὅτι ὑπὲρ ὅλων ἑαυτὸν μεγαλύσει. *De Deo patrum suorum non erit sollicitus, neque de æstimatione feminarum, neque de ullo Deo, quia super omnia se efferet.* Milites Antiochi, hujus jussu, plane non curarunt cultum religiosum, Hierosolymitanum, quem antecessores Antiochi, ab Alexandri magni temporibus, maximi semper fecerant, liberum Judæis religionis suæ exercitium concedentes, quin muneribus templum & sacra locupletarunt: Hi verò omnem rem sacram despuerunt, pessumdederunt, nulla amplius Numinis habita ratione, quod majores Antiochi tantopere erant venerati. Ea præterea tyrannis fuit Antiochi, ut nec sexui parceret sequiori inter Judæos Hierosolymis, & feminas crudeliter, plus quam tyrannice ad supplicium rapiendo, qui e. g. mulieres, quæ circumciderant filios, crudelissime laniavit, natis de collo illarum suspensis, sic per civitatem traductas de muro præcipitavit. Nullius adeo religionis aut devotionis Antiochus, in quo nullus gratiæ & misericordiæ sensus, qui se efferret super omnem religionem, super humanitatem ac pietatem universam, improbissimus.

Reges Ægypt. | Reges Syr.

Ptolemæus Philometor. | Antiochus Epiphanes.

v. 38.

v. 38. ולאלהים מעזים על כנו יכבד ואלה אשר לא ידעוהו אבותיו יכבד בזהב וכסף ובאבן יקרה ובחמדות: Τὸν δὲ Μεγαλεῖον ἀσφαλισμάτων πρὸς τῷ κανόνι αὐτῶ ἐποιδοξάσει. Μεγαλεῖον, ὅσοιπερ ὀδόλως ὅιδασι πατέρες αὐτῶ, ἐποιδοξάσει ἐπὶ πυρσῷ, καὶ ἐπὶ ἀργυφίῳ, καὶ ἐπὶ ψήφῳ ὑπερόχῳ, καὶ ἐπὶ δοκιμοῖάτοις. *Deum munitionum ad regulam illius colet, Deum, quem non agnoverint patres ejus, colet auro, argento, gemmis, & pretiosis.* In munitionibus, castellis, urbibus, numina varia aut idola, pro suis cultibus ac ceremoniis, pro cujusvis canone, coli jussit Antiochus, per totam Judæam æque ac Samariam: Tales Deos, taliave idola, quæ majores & antecessores Antiochi nunquam in Judæa viderant, vel statui aut coli jusserant. In hæc nova inter Judæos numina & simulacra sumtus magnos fecit, aurum, argentum, gemmas, aliaque pretiosa in illa & sacrificulos illorum impendendo. In templo Hierosolymitano collocavit *idolum* Διὸς Ὀλυμπίϰ, *Jovis Olympii*; uti in templo Samaritano montis Gerisim, Διὸς Ξενίϰ, *Jovis hospitis*. Utrobique, pro more omnium paganorum cultuum, in idolis eligendis allusum ad nomen loci. Ζεὺς Ὀλύμπιος, *Jupiter Olympius*, pro analogia nominum Σόλυμα, Ἱεροσόλυμα, & Ὄλυμπ֍, Ὀλύμπι֍. Ζεὺς Ξένιος *Jupiter hospes*, pro analogia nominum, montis גרזין *Gerisin* & גר πάροικ֍ *hospes*, ut & ξέν֍ *hospes*. Ita duo illa numina illis sedibus data, accommodata nominibus locorum. Qualis accommodatio in idolorum electione ac distributione, perennis.

v. 39. ועשה למבצרי מעזים עם אלה נכר אשר הכיר ירבה כבוד והמשילם ברבים πράξει ἐν τοῖς ϛαυρώμασι ἀσφαλισμάτων μετὰ Μίγαλείϰ ἑτερογενῆς. Ὅσονπερ γνωρίσει πρεσβεύσει δόξα, καὶ μεγαλίσει αὐτὸς ἐπὶ περισσάς. *Faciet in munimentis munitionum cum Deo quolibet alieno. Quemcunque voluerit honore afficiet, & præficiet tales multis.* Idololatras, alienigenas, viros extraneos, præfecit Antiochus arcibus & urbibus Judæorum. Quod apud Judæos inauditum & intolerabile.

ואדמה יחלק במחיר

τήν τε ἀνθεμόεσσαν (γῆν) λήξει ἐπὶ χρήμα֍. *Et fundum distribuet pro pretio.* Fundum, agros & bona Judæorum vendidit, ac distribuit Antiochus inter quoscunque, pretio posito. Quod iterum tyranni, in Judæorum leges grassantis.

v. 40. ובעת קץ יתנגח עמו מלך הנגב וישתער עליו מלך הצפון ברכב ובפרשים ובאניות לבות ובא בארצות ושטף ועבר: Εἶτα ἐπὶ τροπῇ ϰαταϛροφῆς ϰαὶ ἀϰαμίσει μετ' αὐτῶ γνωμολόγ֍ τῶ Φέγγως (Νότϰ) ϰὴ ϛροβιληθήσεται πρὸς αὐτὸν γνωμολόγος τῶ ζόφϰ. (Βορρᾶ) πριαγωγῇ, ϰὴ ϰαταΦράϰτοις, ϰὴ νηυσὶ περισσαῖς, ϰὴ βήσεται ἐπὶ τὰς ξηρὰς, ϰὴ ποντίσει, ϰὴ ποριυσεται. *Exeunte tempore confliget cum illo rex Austri; Et velut turbine agetur in illum, curru, cataphractis militibus, & navibus multis, Veniet in terras illas, inundabit & perget.* Ptolemæus Philometor bellum paravit in Antiochum. Sed Antiochus cum ingenti apparatu militari, terra marique irruit in Ægyptum contra Philometorem, quem regno exuit, Ægypto pro fratre Philometoris Physcone subacta.

v. 41. ובא בארץ הצבי ורבות יכשלון

Ὅτε βήσεται ἐπὶ τὴν ξηρὰν τῶ σεβάσμα֍, τότε περισσαὶ (ἀγοραὶ) ὀϰλάσωσι. *Quando redibit in terram cultus sacri, multæ urbes cadent.* In illis novis bellis Antiochi cum Philometore, quoties ex Ægypto in Palæstinam est reversus, Judæi misere de novo sunt afflicti.

ואלה ימלטו מידו אדום ומואב וראשית בני עמון

Τηλιϰῶτοι δὲ διαληΦθήσονται ἐϰ τῶ θέναρ֍ αὐτῶ, ἰδυμαία, Μωάβ, ϰαὶ ἄριϛον νηπίων Ἀμμών. *Illi verò eripientur è manu ejus, Idumæa, Moab, & præcipui Ammonitarum.* Hi populi Antiocho addicti immunes ab Antiochi armis, invasionibus, depopulationibus, cum Judæi interim miserrime tractarentur.

Reg. Ægypt. | Reg. Syr.

v. 42. וישלח ידו בארצות וארץ מצרים לא תהיה לפליטה:
Καὶ ἐξαποστελεῖ τὸ θένας αὐτῦ ἐπὶ τὰς χῆρας. Ἡ δὲ χῆρα Αἰγύπτυ οὐδόλως γενήσεται εἰς ἐλευθερίαν. *Mittet manum suam in terras, neque terra Ægypti evadet.* Dum invasit Antiochus postremo provincias, Ægyptus quoque non evasit, quam subegit & spoliavit.

v. 43. ומשל במכמני הזהב והכסף ובכל חמדות מצרים ולובים וכושים במעצריו:
Συμβαλεῖ ἐπὶ τεχνήεντα τᾶ πυρσᾶ, καὶ τᾶ ἀργυφίᾳ, καὶ ἐφ' ὅλα δοκιμώτατα Αἰγύπτυ, καὶ οἱ Λύβιες καὶ Αὐξωμεῖς (Αἰθίοπες) πρὸς τὰ βαδίσματα αὐτᾶ. *Imperabit rebus artificiolis auri, & argenti, & omnibus pretiolis Ægypti, Lybies etiam & Æthiopes sequentur eum.* Subjugata Ægypto, Antiochus compulit vicinos Africæ populos ad suum obsequium.

v. 44. ושמעות יבהלוהו ממזרח וממצפון
Τότε Φημισμοὶ ἐκπλήξωσιν αὐτὸν ἀφ' ὠραϊσμᾶ καὶ ἀπὸ δνόφυ (Βορρᾶ.) *Dein rumores eum terrebunt ab oriente ab Aquilone.* Fama de Parthis ex Oriente, & de Romanis ex Asia minore, in Antiochum arma sumentibus, Antiochum perculit.

ויצא בחמא גדולה להשמיד ולהחרים רבים
Ἀποσιλεῖ ἐπὶ καύματι μεγάλῳ, τᾶ καταμώχειν, καὶ τᾶ καταμαραίνειν περισσᾶς. *Exibit in ira magna, ad conterendum & perdendum multos.* Antiochus obviam primum ivit Parthis ultra Euphratem in Persiam, ad averruncandos illos: Cum Lysias interea in Judæa rebus pro Antiocho præesset.

v. 45. ויטע אהלי אפדנו בין ימים להר צבי הקדש
Καὶ τενεῖ αὐλαῖα Φατνώματος αὐτᾶ ἀπέναντι λαμύρων, πρὸς τὸ ὄρος σεβάσματος τῆς ἁγιότητος. *Figet tentoria sua arcuata inter maria, ad montem cultus sacri.* Antiochus ex Ægypto redux Judæam elegit pro sede regni sui, campo Martio constituto inter mare Galilææ & mare mortuum, ad montanum Hierosolymitanum, pro Judæis refrenandis & sub jugo tenendis, Lysia præfecto.

ובא עד קצו ואין עזר לו
Βήσεται ἐς' ἐπὶ ἔσχατον αὐτᾶ, καὶ οὐκ ἀν χρεισμένων αὐτῷ. *Veniet ad fines suos, sed nullus ei erit auxilio.* Ivit Antiochus cum exercitu ad Parthos, ubi finis aut limes sui imperii in Elymaide, ubi in fugam actus, & à suis desertus est.

Antiochus Epiphanes.

Ptolemæus Philometor.

Cap. XII.

v. 1. ובעת ההיא יעמוד מיכאל השר הגדול העמד על בני עמך
ἐπὶ τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ ἀναστήσεται Μιχαὴλ ὁ ἀριστεύων ὁ δέλιχος, ὁ ἀναστὰς ὑπὲρ τῶν υἱῶν δήμυ συ. *Illo tempore surget Michael, dux magnus, qui stabit pro filius populi tui.* Illo Antiochi Epiphanis tempore, quando Lysias pro Antiocho Syriæ & Judææ præerit, Antiocho absente, contra Parthos & Romanos agente, in summis Judææ angustiis, idololatria Hierosolymis grassante, armis Lysiæ furentibus, ortus è domo Matathiæ sacerdotis *Judas Maccabæus*, fortitudine, Zelo, pro populo Judaico liberando, *per priori Michaëli, Zerubabeli*, qui tempore Danielis populum è captivitate Babylonica eripuit, & in libertatem asseruit, magnus Cyri legatus, dux populi magnus. Ut suis præclaris facinoribus *Judas Maccabæus* dicendus esset summo jure *Michaël secundus*, *Michaël alter*, *Zorobabel alter*, *liberator secundus.* Quemadmodum à paritate salutis & liberationis, liberatione multo celsiore quam priores fuerant, *Messias* tandem etiam ab autore Apocalypseos vocatus, stylo veterum historicorum, *Michael*, non sane proprio nomine, sed officii charactere: Quod *Messias* sit *liberator*, *Michaele primo*, *Zorobabele*, *non par sed major*, *Michaele altero*, *Juda Maccabæo*, *non par sed major.* Zorobabel, Michael, dux magnus, *è domo Juda*, in qua multi duces quondam vocati *Michaeles*, testibus libris regum, chronicorum, Esræ & Nehemiæ. *Judas Maccabæus*, dux major, *ex domo Aaronis.* *Messias*, ex domo Juda, Michael omnium maximus, servator summus, Zerubabele & Juda Maccabæo multo superior. Nominum appli-

catio,

catio, pro analogia rerum, omnibus gentibus & scriptoribus quotidiana.

והיתה עת צרה אשר לא נהיתה מהיות גוי עד העת ההיא

Καὶ ἔσαι τροπὴ συνοχερίας, ὅσπερ οὐδέλως ἐγενήθη, ἀπὸ τῦ εἶναι ὄχλον ἐς ἐπὶ τροπὴν τάυτην. *Eritque tempus angustiæ, qualis non fuit, dum populus fuit, usque ad illud tempus.* Nulla Judæorum calamitas major quam tempore Judæ Maccabæi, Antiochi præfectis in extremam Judæorum pernitiem omnia periclitantibus.

ובעת ההיא ימלט עמך כל הנמצא כתוב בספר

ἐν δὲ τροπῇ τάυτῃ διαληφθήσεται δῆμός σε, ὅλος ὁ νομιζόμενος καταγεγραφθὼς ἐπὶ τῇ συγγραφῇ. *Illo tempore liberabitur populus tuus, omnis, qui fuerit inventus scriptus in libro.* Judæ Maccabæi tempore, ab ultimo exitio, ab Antiochi præfectis Judaicæ genti parato, inter tot acerbissima prælia, *liberatus* est divina manu per Judam Maccabæum populus afflictissimus, illis nempe *liberatio* contigit, qui in Judaica fide & religione perstiterant immoti, nullis martyriis & suppliciis fracti; Quorum velut nomina cara libro Dei consignata, more Principum & judicum, quibus boni & recti viri, cum suis præclaris facinoribus, bene notati & consignati servantur in præmii spem.

ורבים מישני אדמת עפר יקיצו אלה לחיי עולם ואלה לחרפות לדראון עולם v. 2.

Καὶ πολλοὶ ἐξ ὑπνιζόντων ἐπ' ἀθμοίσσῃ ψαφερᾷ ἐξεγερθήσονται. Τηλικῦτοι εἰς διαγωγὰς τῦ νωλεμῦς, ἢ τηλικῦτοι εἰς καταφρονισμὸς, εἰς λοιδόρημα τῦ νωλεμῦς. *Multi ex dormientibus super terra pulverulenta, evigilabunt: illi ad vitam æternam: isti ad contemptus, ad probrum æternum.* Decumbebat sub Judæ Maccabæi principio, tota gens Judaica viribus exhausta, pene fracta, velut humi jacens, in pulvere abjecta, sprera, & ut apparebat vix respiratura. Dormiebant, humi prostrati, infandæ calamitatis publicæ mole pressi, immemores, Deum adfore, Deum servatorem supereſſe, vicinam esse liberationem è manu Antiochi & paganismi. *Mali* inter Judæos, *apostatæ* præfracti, contemtores Dei & legum, qui ad Antiochum & idololatriam defecerant, qui Judaicam religionem cum gentibus supprimebant, & extingui simul juvabant, magnatum, sacerdotum & plebis pars maxima, Jason, Menelaus, alii, nec Deum reveriti nec publicam salutem, *dormiverunt*, fascinati, sine cupidine aut spe liberationis, desperabundi, protervi. *Boni* verò, Deum, religionem, legem, constanter veriti, integritatem ac devotionem tuiti, nec injuriis, contumeliis, apostatarum & gentium, nec vulneribus, cædibus, incendiis ad paganismum pertrahendi, *in pulvere jacentes similiter anhelarunt, velut somno obruti*, tristes, ægri, quassati, exhausti; Qui sperarent tamen immoto pectore Dei opem, salutem & liberationem, omnia adversa fortiter sustinentes, tametsi in persecutionum furore nil viderent præsidii, nil auxilii, in tenebris & densa nocte, sine luce. Tota gens sensu ferme privata: Malis furentibus in bonos, apostatis idola colentibus, sine liberationis expectatione, sine metu & pudore, sine conscientiæ motu: Bonis pressis & tortis, sola spe suffultis. Hæc *jacentis reipublicæ Judaicæ facies sub Antiochi tyrannide, Juda Maccabæo liberatore divinitus excitato.* Hoc publico fato, cum nemo eventum nosset, Juda verò tandem vinceret, religionem & gentem servaret, facie rerum prorsus mutata, idololatria pulsa, religione restituta: Expergefacti omnes stupuerunt. Malos, apostatas, improbos, Dei & religionis contemptores, puduit suorum scelerum & nefandæ defectionis. Boni, in avita sua doctrina perseverantes, impensissime gavisi. Omnes jam aperuere oculos, boni & mali, boni cum gaudio & honore, cum gloria apud posteros perpetuo duratura; mali, cum dolore & pudore, cum ignominia & probro indelebili, quorum posteritas meminerit cum

Reges Ægypt. | Reges Syr.

Antiochus Epiphanes.

Ptolemæus Philometor.

Reg. Ægypt. Reg. Syr.

Antiochus Epiphanes.

Ptolemæus Philometor.

justa maledictione. Non præviderunt utrique, boni & mali, mox sub Juda Maccabæo liberatore tam magnam fore rerum Judaicarum vicissitudinem. Experti eventu incredibilem gentis liberationem ac restitutionem: illi præ dolore frendentes, hi præ gaudio exultantes; illi ignominiosi, hi honorati; illi propudia perpetua, hi pulchra & splendida virtutis, devotionis & patientiæ documenta perennia.

v. 3. וחמשכילים יזהירו כזהר הרקיע ומצדיקי הרבים ככוכבים לעולם ועד: οἱ προσλογιζόμενοι ἀσεράψασι ὡς ἀσεραπὴ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ διδάσκοντες τὰς περισσὰς, ὡς ἀυγαὶ εἰς τὸ νωλεμὲς καὶ ἀίδιον. *Intuentes splendebunt ut lumen cœli, & docentes multos ut stellæ, in perpetuum & æternum.* Honos, laus & gloria in admirabili illa per Maccabæos gentis liberatione, divina gratia contigit illis qui in istis immensis turbis & bellis, ex ordine sacerdotum, ceterorumque piorum, Chasidæorum, populum instituerant, adhuc instituebant, docebant & informabant, hortabantur, monebant, ab idololatria avocabant, in puritate religionis continebant ac conservabant, lapsos erigebant, labantesque renebant, errantes revocabant, ad reformationem, purificationem, restitutionem templi & avitæ integritatis, manum & operam conferebant. Hi docentes, instituentes, reformantes, emendantes, distractam gentem & collapsam redintegrantes, maximos promeriti honores, æterna apud bonos, apud omnes posteros honorificentissima memoria digni. Inopinatus hic rerum Antiochi exitus, idololatriæ, corruptionis publicæ, & apostasiæ finis. Sed & hic status publicæ rei, per Judam Maccabæum glorioisisimum reformatorem renovatæ ac restauratæ.

Calcaria hæc in præsenti libro validisima, addita bonis, חסידים ἀσκηταῖς, *ascetis*, Chasidæis, qui Maccabæorum tempore religionem conservabant & tenebant tenacisime, omnem corruptionem paganam evitantes ac detestantes, qui mallent in sylvis & antris annos consumere miseros & egenos, quam idolis & fœdæ corruptioni locum dare. Hi similesqve Judæorum doctores animati hoc libro ad perseverantiam, constantiam & immutabilem animi præsentiam. Cui eventus respondit exoptatus, liberatione per Maccabæos peracta, & solennisima reformatione instituta. Neque profecto in gente Judaica barbaries, superstitio, irreligiositas, paganismus, improbitas, unquam major quam illa ætate sub Antiocho Epiphane, neque reformatio glorioisior quam sub Juda Maccabæo. Reformatores illi sidera illustria, fulgida, astra splendida, qui sordidum & impium paganismum, qui Judaicam rem absorpserat, densissimas idololatriæ tenebras, fugarent & propellerent. Catastrophe rerum lætisima.

v. 4. ואתה דניאל סתום הדברים וחתום הספר עד עת קץ ישטטון רבים ותרבה הדעת Τύνη δὲ Δανιὴλ σύμπτυσσε τὰς Φραδίας, καὶ τέκμαιρε τὴν συγγραφὴν, ἕως ἐπὶ τροπὴν καταστροφῆς. Συνετιοθήσονται περισσοὶ, καὶ πεπισσέυσει ἡ διάνοια. *Tu Daniel complica hæc verba, & obsigna librum hunc, usque ad tempus eventus. Instruentur multi, & abundabit cognitio.* Admonitio fidelis, adhortatio blanda, observent Judæi ætate Maccabæorum fata publica, tristem calamitatem sub Antiocho, sed & fortunatam liberationem sub Juda Maccabæo. Legere suadet libellum hunc, attendere eventum desideratum, catastrophen spectare intentis oculis, & de providentia divina impense gaudere, usque dum reformatio illa plane confecta.

v. 5. וראיתי אני דניאל והנה שנים אחרים עמדים אחד הנה לשפת היאר ואחד הנה לשפת היאר: v. 6. ויאמר לאיש לבוש הבדים אשר ממעל למימי היאור עד מתי קץ הפלאות: Ἑώρακα ἐγὼ ἡ Δανιὴλ, καὶ ἠνὶ σύνδυο ἕτεροι ἀνεστηκότες, εἷς τις ἐντεῦθεν ὀφρύος τῆς ῥοῆς,

ῥοῆς, ϗ εἷς τις ἐντεῦθεν ὀφρύϑ τῆς ῥοῆς. Καὶ ἐμαρτύρησέ τις τῷ ἄρσενι σολιζομένῳ ταῖς σύπαις, ὅσπερ ὕπερθεν ναμάτων τῆς ῥοῆς. Μέχρις ὅτε καταςροφὴ τῶν ὑπερβλήτων; *Vidi ego Daniel, & ecce duo alii ſtabant, unus ab hoc littore fluminis* (Tigridis) *alter ab altero littore fluminis. Dicebantque alter horum ad virum amictum lineis* (ſacerdotem) *qui ſupra aquas fluminis: Quando erit eventus horum mirabilium?* Quoniam in ſummis illis ſub Antiocho afflictionibus & perſecutionibus, in irreligioſitate maxima, ſpes affulgebat ſub Juda Maccabæo exitus exoptati, reformationis deſideratæ: Reſtabat ſubindicare tempus illius miſeriæ, usque ad reformationis lucem, quod breve, paucorum annorum,

v.7. ואשמע את האיש לבוש הבדים אשר ממעל למימי היאור וירם ימינו ושמאלו אל השמים וישבע בחי העולם כי למועד מועדם וחצי וככלות נפץ יד עם קדש תכלינה כל אלה:

Καὶ συνέλαβον τὸν ἄρσενα σολιζόμενον ταῖς σύπαις ὅσπερ ὕπερθεν ναμάτων τῆς ῥοῆς, ὃς ἐμετεώρισεν ἔντιμον αὐτῷ ϗ ὅμιλον αὐτῷ πρὸς πλατύσματα, ϗ ἐκάρπισεν ἐπὶ διάγοντϑ εἰς τὸ νωλεμὲς, ὅτι πρὸς τεταγμένον, (χρόνον) ϗ τεταγμένως, (χρόνως) ϗ ἥμισυ. Καὶ κατ' ἐκτελεῖσθαι διασκορπίζειν δύναμιν δήμῳ ἁγιότητϑ, ἐκτελεσθήσονται ὅλα τηλικαῦτα. *Audivi virum amictum lineis, qui ſuper aquas fluminis, qui extulit dextram & ſiniſtram ſuam ad cœlos, & juravit per viventem in æternum: Quod usque ad definitum tempus, definita tempora, & dimidium: Et, quando finitum diſſipare vires populi ſancti, finienda ſint omnia illa.* Tribus & dimidio annis duravit extrema illa miſeria, quibus finitis finis fuit calamitatis & initium reformationis per Judam Maccabæum.

v. 8. ואני שמעתי ולא אבין ואמרה אדני מה אחרית אלה:

ἐγὼν συνέλαβον, ϗ ἀδόλως· ἐπενόησα. Διότι ἐμαρτύρησα ἄν. Τί μὲν τὸ ὕσερον τηλικάτων; *Audivi, ſed non intellexi. Quare dixi: Quis erit terminus illorum?* Obſcurior illa annorum trium & dimidii ſignificatio, quamdiu illa Judaicæ rei vaſtatio duratura, usque ad Judæ Maccabæi reformationem. Quare diſtinctior determinatio temporis viſa neceſſaria, in ſolatium miſerorum ad liberationem adſpirantium.

v.9. ויאמר לך דניאל כי סתמים וחתמים הדברים עד עת קץ:

Καὶ ἐμαρτύσησε. Ἀλλ' ἄγε, Δανιήλ· ὅτι συμπτυσσομέναι ϗ τετμαρομέναι αἱ Φραδίαι, ἕως ἐπὶ τροπὴν καταςροφῆς. *Dixit: Age Daniel: Clauſa & obſignata illa verba, usque ad tempus eventus.* Eventus propinquus patientiâ brevi adhuc exercitâ, ſub ultimo Antiochi furore, Mattathia & Maccabæorum domo ad liberationem ſe jam accingente.

v.10. יתברו ויתלבנו ויצרפו רבים והרשיעו רשעים ולא יבינו כל רשעים והמשכילים יבינו:

ῥυφθήσονται, ϗ Φαλυνθήσονται, ϗ ἐκπυριωθήσονται περισσοὶ, ϗ ἀΦρονήσουσι οἱ σρεβλοὶ· ϗ ἀδόλως ἐπινοήσουσιν ὅλοι σρεβλοὶ, οἱ δὲ ἐπιλογιζόμενοι ἐπινοήσουσι. *Purgabuntur, & mundabuntur, & excoquentur multi: Sed contemnent improbi. Neque intelligent omnes improbi, ſed ſapientes intelligent.* Illo triennio & dimidio, in afflictionum & periculorum faſtigio, probati veluti per ignem & aquam multi, boni, conſtantes in integritate, nulla idololatria & corruptione pervertendi aut detorquendi. Improbi vicisſim, perverſi, apoſtatæ, Antiochi & idolorum partibus addicti, ſtupidi, inſenſibiles, infideles, non animadvertentes imminentem mutationem & inſtantem reformationem. In præfractis illis cœca mens, qui non prævideren ſata alia. In bonis aut fidelibus ſpes certa ſalutis, liberationis & indubitatæ reformationis.

Reg. Ægypt. Reg. Syr.

Antiochus Epiphanes. Ptolemæus Philometor.

ומעת הורס התמיד ולתת שקוץ שמם ימים אלף מאתים v. 11. Reges Ægypt. Reges Syr.
והשעים Ἀπὸ τροπῆς καταφραφῆναι τὸ καθημερινὸν, καὶ ἀνατιθέναι σύγημα ἐξερημῶν, ἡμέραι πολλοστὰ (χίλιαι,) πυμάτοιν (διακόσιαι) καὶ ἑκάταις (ἐννενήκοντα). *A tempore ablati jugis aut quotidiani sacrificii, & repositæ abominationis vastantis, dies mille, ducenti & nonaginta.* Jussu Antiochi sublatum fuerat sacrificium juge, & caro suilla surrogata, quam abominantur Judæi, ut aliàs ita imprimis in ara, idolum quoque Jovis Olympii constitutum, cui immolatum. Ab hac idololatria imperata & introducta, in templi Hierosolymitani horrorem, effluxerunt anni tres, menses septem, & aliquot dies, quando Judas Maccabæus, excellens & fortis reformator, omnia perpurgavit, ejusque reformationis confirmationem ab Antiocho impetravit. Quod factum die XV. mensis Xanthici, anno 148. Seleucidarum. Quomodo tres illi anni cum dimidio, à sublato cultu sacro ad reformationem Judæ Maccabæi, finem sortiti, Antiocho in reformationem factam mox consentiente.

אשרי המחכה ויגיע לימים אלף שלש מאות שלשים וחמשה: v. 12.
Μακαρίως τῷ ἐνδεχομένῳ, ὃς τυχεῖ ἡμέρας πολλοστὰ (χιλίας) τριπλασίας μιᾶλων (τριακοσίας) τριπλασίων καὶ πεμπάδος (τριάκοντα πέντε.) *Beatus qui expectavit, qui attingat dies mille, trecentos, triginta quinque.* Reformatione facta, & per Antiochum confirmata, circiter quadraginta diebus post, expiravit Antiochus Epiphanes, tyrannus tot annis implacabilis & furiosissimus. Qui obitus contigit circa initium anni 149. à Seleuco Nicanore, primo Seleucidarum in Syria rege.

ואתה לך לקץ ותנוח ותעמד לגורלך לקץ הימים: v. 13.
Σὺ δὲ κελεύθεις πρὸς τὴν καταστροφὴν, καὶ ἀνάστησον πρὸς τὸν κλῆρόν σου, ἐν καταστροφῇ τῶν ἡμερῶν. *Tu autem tende ad illum eventum, cessa, & sta in sorte sua, pro eventu illorum dierum.* Finis historiæ reformationis Judæ Maccabæi: A Cyro ad finem vitæ Antiochi Epiphanis, annorum 374.

Antiochus Epiphanes.

Ptolemæus Philometor.

II. Antiochus Epiphanes mortuus. Antiocho Eupatore successore.

ABRAHAMI SCULTETI
Annalium Evangelii passim per Europam decimo quinto salutis partæ seculo renovati
DECAS PRIMA,

ab
Anno M. D. XVI.
ad
Annum M. D. XXVI.

Heidelbergæ Typis Johannis Lancellotti Academ. Typogr.
Impensis Jonæ Rosæ.

Anno cIↃ IↃc XVIII.

Præfatio & Inscriptio Sculteti.

VIRIS
Suis in Ecclesiam orthodoxam meritis clarissimis
DOCTORI JOANNI JACOBO GRYNEO,
Ecclesiæ & Scholæ Basilienſis Antistiti:
DOCTORI DAVIDI PAREO,
Academiæ Heidelbergensis Professori:
MAG. JOANNI PISCATORI,
Scholæ Herbornensis Nassov. Professori:
D. JOANNI JETZLERO,
Ecclesiæ Scaphusianæ Pastori emerito:
Theologis septuagenariis
ABRAHAM SCULTETUS S.

LIBRORUM annalium, qui, definiente Gellio, res quoquo anno gestas nudè sine ornamentis, sine fuco, sine affectibus narrant, magnus semper usus fuit in Republ. in Ecclesia. Apud Romanos res omnes singulorum annorum mandabat literis Pontifex maximus, eff rebatque in album & proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi, iique annales maximi nominabantur. In Republ. Hebræorum diaria & annales habebant, in quibus res gestas, ut quæque notatu digniſſimæ, & ad doctrinæ sacræ propagationem utilissimæ videbantur, continuatâ serie inscribebant ii, quos DEUS fidei & vitæ Magistros populo suo præfecerat. Etenim ex diversis annalibus apud Ecclesiam Dei conservatis Ezdram, sive solum sive cum æqualibus, insigni pietate & eruditione viris, cœlesti spiritu afflatum, libros Josuæ, Judicum, Samuelis, Regum, alios compilasse, in eumque ordinem, qui jam olim habetur, redegisse atque disposuisse, gravissimi (quod optimè nostis, viri venerandi,) autores sunt qui credunt. Neque enim vero est simile, Samuelem, cum Saulis sequærentis verba esset recitaturus, sic esse præfatum: *Eum qui hodiè Propheta dicitur, vocabant olim Videntem.* Sed verba potius hæc sunt Scriptoris res priscas & à suo seculo longè remotas narrantis. Quin ipsum Mosis opus, quod πεντάτευχον vocant, longo post Mosen tempore, interjectis duntaxat hic, illic, verborum & sententiarum clausulis velut sarcitum atque omnino explicatius redditum esse, conjecturis minimè contemnendis probaverim. Certè, ut alia mittam, Ciriath-arbe sæpe illic Hebron nominatur, & tamen hoc illi urbi nomen à Arbi filio Hebrone impositum esse, maximi viri tradiderunt. Quapropter & Hieronymus in actione contra Helvidium, *sive*, inquit, *Mosen dicere volueris autorem Pentateuchi, sive Ezdram ejusdem instauratorem operis, non recuso.* Ac inter veteres Hebræorum annales fuisse unos, qui *Liber recti* ideo vocabantur, quod optimâ fide atque serie res apud DEI cœtum gestas perstringerent, aut quia Israelitici populi facta continerent, quem populum *rectum* tum Moses Deut. 32, 15. tum Isaias 24, 2. vocarunt: sive idem ille liber fuerit, qui in Numeris *Liber bellorum Domini* appellatus est, sive ejus pars quædam, aut etiam diversum opus; vel Josephus nobis persuaserit, qui in suis Antiquitatibus pro *Libro recti*, cujus in sacris literis est mentio, *scripta in templo asservata* dicit, libro quinto, capite secundo. Ut non immeritò pro fabulis habeamus, quæ Rabbini Judæorum & cum his Lyranus de *Libro recti*, nugantur. In novo fedære quin ipsi Servatoris nostri discipuli quotidianos ejus sermones in diaria & annales suos retulerint, ex quibus postea historia Evangelica est contexta, nemo sanus est qui dubitet. Temporibus Patrum laborarunt in eo Eusebius, Theodoretus, Socrates, Sozomenus; Orosius, Severus; ut quæcunque in Ecclesia DEI agebantur digna bonorum memoriâ, ea monumentis Annalium consecrata ad posteritatem transmitterent. Horum ego sequutus exemplum pariter ac autoritatem, condere cœpi Annales Evangelii, decimo sexto à nato Christo Jesu seculo passim per Europam renovatio. Magnum & arduum opus, fateor: sed à quo nulla me potuit difficultas deterrere: non quod ignarus sim imbe-

imbecillitatis meæ: sed quod laboris hujus jucunda utilitas & utilis jucunditas ita me occupârunt, ut credam, me animum hunc Ecclesiæ Christi abundè satis probaturum, si vel de voluntate hàc indicium ipsi fecero: vel hac qualicunque, rudi certè & impolitâ opellâ doctioribus ad accuratius aliquid in re tam sancta meditandum, ansam præbuero. Et sanè si res votis ageretur meis, in hoc viri complures laborem & vires ingenii insumerent: ut explicatam Evangelii renovati historiam haberemus. Mandat DEUS populo Israëlitico, ut ne obliviscatur servitutem Ægyptiacam, & memoriam liberationis ex illa primo Decalogi præcepto insculpsit. Majores nostri non corporali sed spirituali animarum servitute pressi fuerunt, sub Pharaone Romano. Vindicavit illos in libertatem præpotens Deus. Quid æquius, quàm vindicationis illius tempus indagare, modum cognoscere, lucentem in eâ Dei glorioſam virtutem linguis animisque prædicare? Consulendum & posteritati: ut ne illa fallatur à scriptoribus rerum ecclesiasticarum proximi seculi iis, qui res parum sibi compertas posteris tradere aggressi, falsa pro veris tradiderunt: alii ignoratione & securitate, alii credulitate, nonnulli & mentiendi libidine, quos aut turpis spes lucri, aut gratia, aut odium corrupit. Ac quàm necessaria sit rerum superioribus annis in Ecclesia gestarum annotatio, ex amicis benè multis didici: qui mihi de historiola renati apud se Evangelii sciscitanti, dolenter responderunt: vel evanuisse istarum rerum memoriam: vel in invidorum scriniis hæc talia jacere recondita. Quod igitur ex variorum lectione Scriptorum: quod ex liberali doctissimorum virorum communicatione, quod denique ex annorum propemodum triginta experientia de historia instaurati Evangelii didici, cognovi, observavi: id hisce includendum Annalibus duxi, quorum specimen nunc edo. Atque huic vestra, viri venerandi, præscribere nomina libuit ideo, quia de historiolæ hujus veritate omnium optimè judicare potestis, quippe qui & proximi fuistis initiis renati Evangelii, & dimidium ferè seculum Ecclesiam Filii DEI, quâ voce vivâ, quâ scriptis eruditis docuistis, & denique pars aliqua fuistis eorum, quæ in Germanicis & Helveticis Ecclesiis sunt acta. Volui etiam hac προσφωνήσει posteritati commendare memoriam diutini vestri in me favoris meæque in vos observantiæ, adeoque amicitiæ tot annos sanctè inter nos cultæ: quam brevi in beata æternitate in complexu amicissimi Fratris & Servatoris nostri JEsu Christi cum tripudio glorificatorum cordium nostrorum nos continuaturos ut spero, ita confido. Deum veneror, ut renovet sicut Aquilæ annos senecta vestræ, vosque ubi certamen illud bonum certaveritis, cursumque stadii vestri consummaveritis, Paulinâ justitiæ coronâ beet. Scripsi HEIDELBERGÆ anno millesimo sexcentesimo decimo septimo, mense Augusto, cujus die vicesima quarta annum ætatis meæ ingredior quinquagesimum secundum, quem mihi felicem faustum & salutarem jubeat esse iis, qui unicus Annaliuu horum scopus est JEsus Christus, benedictus in sempiterna secula, AMEN.

Præfatio altera Sculteti.

Lectori S.

ANnalium Evangelii renovati specimen hocce idcirco publico, Lector christiane, ut quasi manu pulsem amicas doctorum virorum Bibliothecas, atque inde eliciam historica ad continuandum hoc opusculum necessaria. Absque his enim subsidiis sit, frustra quis in hoc studio desudet. Ad primam quidem Decadem non inviti symbolam suam contulerunt Nicolaus Henelius J. C. Caspar Cunradus Medicus Vratislaviensis, Caspar Waserus Tigurinus, Joannes Cunradus Cochius Scaphusianus, Gregorius Richterus Gorlicensis, Theologi: Wolfgangus item Meierus Theologiæ Doctor in inclyta Basilea: cui uni acceptum refero, quod Epistolas MSS. Capitonis, Buceri, Musculi, Oecolampadii, aliorum, novi, quas ut selectas literato orbi communicet per Chalcographorum operam, publicâ illum voce cohortor. Quod si horum liberalitatem alii fuerint imitati, & Deus voluerit animulam hanc in corpusculi hujus ergastulo unum adhuc atque alterum annum habitare: erunt fortassis, qui suis votis in hoc genere aliqua ex parte satisfactum esse, fatebuntur.

ANNALIVM EVANGELII RENOVATI

DECAS PRIMA

ANNUS M. D. XVI.

UT aurora est clari Solis prænuncia: ita orituram Evangelii lucem, instaurata superiori seculo linguarum & artium optimarum studia præsignificârunt.

Memorabilibus autem mediis Deus usus est, elegantiores literas instauraturus: Typographiâ: Græcorum exilio: Scholarum publicarum apertione.

a) Typographiam Germania invenit anno Servatoris 1440. primis libris Moguntiæ excusis. b) Hujus beneficio primùm Erasmi Roterodami, deinde Lutheri libri variis locis excusi & in omnem Europam fuerunt transmissi.

a) Pancirollus de novis repertis lib. 2. tit. 12.

b) Joan. Froben. Tom. I. Operum Luth. fol. f. 389.

Græcis exsulibus post expugnatam à Turcis anno 1453. Constantinopolim, asylum in Italia aperuerunt, Hercules Dux Ferrariæ, Nicolaus V. Episcopus Romanus, Laurentius Medices Florentinus, Bessarion, natione Græcus, sed ob excellentem eruditionem ab Eugenio Papa in ordinem Cardinalium adscitus: cui familiares fuerunt Trapezuntius, Gaza, Argyropylus, alii.

Ex hoc

Ex hoc velut emporio Italiæ præclaras literarum merces in Germaniam importârunt noſtri homines, quorum primus fuit Rudolphus Agricola, qui Ferrariam & Lutetiam profectus, tantos ſubitò fecit in Græca lingua progreſſus: ut cum Guarino ſolutâ oratione, cum Strozis carmine, cum Gaza in Philoſophia contenderet, &, quod Germanis ſemper difficillimum fuit, Italis in Græcorum & Latinorum Authorum enarratione admirationem moverent.

Proximus ab hoc fuit Joannes Capnio, qui Hieronymum Spartiatam, Georgii Tifernatis in Græca profeſſione ſucceſſorem, tam feliciter Lutetiæ audivit: ut à Philippo Palatino Electore legatus Romam miſſus, & Argyropyli, Thucydidem enarrantis, auditorium ingreſſus, edito ſui in Græca lingua profectûs ſpecimine, lacrymas pene excuſſerit Argyropylo, exclamanti, *Græciam exilio doctorum transvolaſſe Alpes.* Horum veſtigia ſecutus eſt magnus ille Eraſmus: unde ejusmodi repentè omnium artium & ſtudiorum lumen effulſit: ut ſcholæ ceu novâ luce de cœlo colluſtratæ viderentur.

Porrò cum in Comitiis Wormatienſibus, quæ prima Maximilianus, Friderici filius, anno 1495. celebravit, omnibus ſuffragiis decretum fuiſſet: ut Septemviri, in ſua quisque ditione, publicis ſcholis ſedem figerent: Fridericus Saxoniæ Elector 1502. Wittembergæ, Joachimus I. Brandeburgicus Elector 1506. Francofurti ad Viadrum, Academias condidêre.

Et, quod mireris, uno & eodem tempore in diverſis mundi regionibus, intermortua pridem ſtudia in vitam revocabant Leo X. Pontifex, Romæ: apud Hiſpanos Cardinalis Toletanus: apud Angios Rex Henricus, ejus nominis Octavus: apud Belgas Rex Catholicus, Carolus: apud Gallos Rex Franciſcus.

Nullum igitur diſciplinæ genus fuit, quod non excoli cœperit. Medicinam vindicabant Nicolaus Leonicenus, Romæ: Ambroſius Leo Nolanus, Venetiis: Guilielmus Copus, Baſilienſis, & Joannes Ruellius, in Gallia: Thomas Linacer apud Britannos. Jus Cæſareum inſtaurabat Lutetiæ Guilielmus Budæus: apud Germanos Udalricus Zaſius: Mathematicen Glareanus Baſileæ. Intra Theologiæ ſcholaſticæ ſpineta latitabant Monachi complures, quorum poſtea celebre inter Theologos reformatos fuit nomen.

In gemina literatura celebrabantur, Eraſmus apud Germanos, Budæus apud Gallos, Antonius Nebriſſenſis apud Hiſpanos. Reuchlinus Hebræas literas in Germaniam, Marcus Maſurus Græcas Venetias inferebat.

Virebant hoc tempore Jacobus Wimphelingus, Ludovicus Vives, Longolius, Hermannus Buſchius, Conradus Goclenius, Petrus Moſellanus, Thomas Morus. In ſpem vero novi ſeculi efflorescebant, Beatus Rhenanus, Simon Grynæus, Brentius, Frechtus, & Philippus ille Melanchthon: de quo hoc legimus Eraſmi præſagium: b) *At Deum immortalem, quam non ſpem de ſe præbet etiam adoleſcens, & penè puer, Philippus ille Melanchthon, utraque literaturâ penè ex æquo ſuſpiciendus? quod inventionis acumen? quæ ſermonis puritas? quanta reconditarum rerum memoria? quàm varia lectio, quàm verecunda, regiaque prorſus indolis feſtivitas?*

b) Eraſmus in prima editione N. T. anno 1515.

Sic igitur literæ & artes inſtaurari, & cum illis totus penè mundus, ipſaque inprimis Religio renovari cœpit. Nam Biblia Ebraica (vulgo Complutenſia) cum translationibus, Chaldaicâ, Græcâ, & Latinâ, Franciſci Ximenii Cardinalis, Archiepiſcopi Toletani curâ, typis deſcripta, publicantur, anno milleſimo quingenteſimo, decimo quinto.

Hæc proximo anno 1516. excipit Novum Teſtamentum, ab Eraſmo quinquagenario Latinè converſum, & permiſſu Papæ ex fontibus correctum: quo labore ut omnes bonos in perpetuum ſui amorem, ita ignavos Monachos in implacabile ſui odium convertit.

Hic eſt ille annus: quo Joannes Hilten, Iſennaci Franciſcanus, initium fore inclinantis Pontificiæ potentiæ prædixerat. Melanchthon vidiſſe ſe enarrationem Danielis manu Hiltenii, & in ea vaticinium hoc ſcriptum, refert in libello altero epiſtolarum pag. 81.

Præſagio reſpondit eventus. Hoc ipſo 1516. anno Leo Decimus c) (qui Pontificatus autoritate nimis licenter abutebatur, & exactionum ſuarum emolumentum Magdalenæ ſorori, fœminæ cupiditatem expleturus, dabat) d) Campeium Cardinalem in Angliam, e) Angelum Arcimboldum in Daniam & Sueciam, f) Samſonem Mediolanenſem in Helvetiam, g) Joannem Tecelium in Germaniam miſit, cœlumque vel maximis ſceleribus inquinatis turpiſſimo mercatu venale propoſuit. Ad quos cum maximus hominum fieret concurſus, erant qui id ægerrimè ferrent, & inter hos h) Martinus Lutherus Saxo Islebius, Monachus Auguſtinianus, Theologiæ Doctor Wittembergæ in Saxonia Septemviralı, qui in monaſterio ſuo homines monere cœpit: agerent prudenter, neque merces iſtas, Juterboci oppido Witembergæ vicino à Tecelio expoſitas tanti emerent: præſtare facultatibus ſuis ſublevare pauperes, quam incertam gratiam certâ pecuniâ redimere. Quæ prima fuit occaſio immutandæ Religionis Pontificiæ.

c) Guicciardinus lib 13 hiſt. d) Antiquitates Britannicæ,
e) Chronicon Lubecenſe Bonni.
f) Chronicon Bullingeri M. S. g) Sleidan.
h) Matheſius in vita Lutheri.

Hunc eundem annum centum annis antè quaſi nominarunt glorioſiſſimi Chriſti Martyres, Joannes Huſſus, & Hieronymus Pragenſis: quorum ille in mediis flammis 1415. ſexta Julii Conſtantiæ i) *Hodie*, inquit, *Huſſum* (Anſerem Boëmis notat) *crematis: poſt centum annos Cygnus veniet, quem comburere non poteritis:* Hic 1416. trigeſimo Maji contentâ voce profeſſus eſt: carnifices ſuos poſt centum annos ſibi reſponſuros. Nec ex eventu hæc illis ab Evangelicis affinguntur. Bohemos enim deſiderio Huſſi numiſmata cudiſſe, inſcriptione poſtremorum ejus verborum: *poſt centum annos reſpondebitis Deo & mihi*, & his exactis apparuiſſe Lutherum, author k) eſt Catholiciſſimus Hiſtoriographus.

i) Stumpfius in deſcriptione Concilii Conſtant.
k) Petrus Matthias.

Edidit tum Lutherus etiam diſputationum aliquid contra traditiones humanas, & alia quædam Pontificia dogmata. Scripſit idem præfationem in libellum, THEOLOGIA GERMANICA, dictum. Ac quid jam tum ſenſerit de juſtitia fidei,

ex epistola ipsius ad Eremitam quendam videre est: ubi plenus spiritu, ait: l) *Cæterùm quid agat anima tua, scire cupio: utrumne tandem suam pertæsa propriam justitiam, discat in justitia Christi respirare atque confidere. Fervet enim nostrâ ætate tentatio præsumptionis in multis, & iis præcipuè, qui justi & boni esse omnibus viribus student, ignorantes justitiam Dei, quæ in Christo est nobis effusissimè, & gratis donatâ, quærunt in se ipsis tam diu operari benè, donec habeant fiduciam standi coram DEO, veluti viribus & meritis ornati, quod est impossibile fieri. Fuisti tu apud nos in hac opinione, imo errore; fui & ego, sed & nunc quoque pugno contra istum errorem, sed nondum expugnavi. Igitur, mi dulcis Frater, disce Christum, & hunc crucifixum: disce ei cantare, & de te desperans, dicere ei: tu, Domine Jesu, es justitia mea, ego autem sum peccatum tuum: tu assumpsisti meum, & dedisti mihi tuum: assumpsisti quod non eras, & dedisti mihi quod non eram. Cave ne aliquando ad tantam puritatem aspires: ut peccator tibi videri nolis, imò esse. Christus enim nonnisi in peccatoribus habitat. Ideo enim descendit de cælo: ubi habitabat in justis: ut etiam habitaret in peccatoribus. Istam charitatem ejus rumina, & videbis dulcissimam consolationem ejus. Si enim nostris laboribus & afflictionibus ad conscientiæ quietem pervenire oportet: aa quid ille mortuus est? Igitur non nisi in illo per fiducialem desperationem tui, & operum tuorum, pacem invenies: disces insuper eo ipso, ut sicut ipse suscepit te, & peccata tua fecit sua, & suam justitiam fecit tuam.*

l) Tom. I. epist. Lutheri.

Etsi autem Lutherus primus in disputationis Pontificiæ arenam protractus est: non tamen unus ex omnibus fuit, qui fraudes Romanæ curiæ agnosceret. Erant enim jam tum in Helvetia quoque & Germania superiori vitæ & doctrinæ probatæ viri aliquot, qui, missis hominum commentis, decreta Dei auditoribus suis annunciabant, Vdalricus Zwinglius, Wolffgangus Fabritius Capito, Joannes Oecolampadius, Joannes Creutzer, alii.

Vdalricus Zwinglius Helvetius, in pago Toggiorum, quem ad domum Sylvestrem (zum wilden Haus) vocant; anno 1484. Kal. Januarii natus, & in liberalibus studiis Bernæ, Viennæ, Basileæ enutritus, m) hoc decimo sexto supra millesimum quingentesimum anno Glaronæ Evangelium prædicat, cum Lutheri nomen in istis locis nec dum fuisset auditum. n) Is à præceptore suo Thoma Wittenbachio Theologo Professore Basilienſi anno 1505. didicerat: solam mortem Christi esse λύτρον pro peccatis: indulgentias Papæ figmentum esse.

m) Zwinglius explanatione Articuli 18. Tomo I. p. 37.
n) Leo Judæ præfatione in annotat. Zwinglii in N. T. Chronicon Bullingeri M.S.

Wolfgangus Fabritius Capito Haganoæ in Alsatia anno 1478. nascitur: o) à studio Theologico per parentem, impiam sacrificulorum vitam abominantem, avocatur: Medicinæ Doctor creatur circa annum 1498. Defuncto patre ad Theologiam redit, summos in ea honores consequutus anno 1504. p) Friburgi in Brisgoia Scoticas subtilitates profitetur: harum pertæsus sacris initiatur: à Philippo Rosenbergio, Episcopo Spirensi, vocatur Brusellam (agri Spirensis oppidulum est) triennium ibi concionatur: inde Basileam à senatu tertio nuntio invitatus, summo templo aliquot annos præest, ubi docendo disputandoque prima Ecclesiæ Evangelicæ in inclyta illa urbe semina jecit: id quod non solùm epistolæ Capitonis, sed etiam versus, auditorio Theologico Basilienſi inscripti, testantur.

o) Vita Capitonis M.S.
p) Capito epistolâ ad Vlricum Huttenum M.S.

Joannes Oecolampadius (Hausschein Germanis) anno 1482. in oppido Cherusscorum Winsperga natus, Heilbrunnæ & Heidelbergæ adolescens eos in studiis fecit progressus, ut illum Philippus quidem Elector Palatinus liberorum suorum natu minorum præceptorem, Winsperga verò non ita multò pòst sibi verbi præconem deligeret.

q) Is circa annum 1514. patriæ suæ Christum, cum omnium verè spiritualium & eruditorum admiratione, prædicavit, quanquam adhuc multa veteris superstitionis admixta essent. r) Annitente autem Capitone per Christophorum ab Uttenheim Episcopum, Basileam vocatus, & paroeciæ primi templi præfectus, Erasmum Annotationes in N. T. edentem, multum juvit & à Capitone hoc 1516 anno Theologiæ Doctor renunciatus est.

q] Capito in vita Oecolampadii.
r) Capito & Polanus in vita Oecolampadii.

s) ARGENTINÆ Joannes Creutzer, Theologiæ Doctor etsi ritus Papisticos pro ratione temporum illorum retinebat, tamen purè Evangelium docebat, cum non paucis aliis: præsertim ad Carmelitas & Augustinianos: nec aliud tum audiebatur ibi, quàm quod confessione postea anni tricesimi descriptum. Viam ad reformationem muniverat D. Keisersberger anno 1508. qui collegam & successorem Joannem hunc habuit. Itaque inter Germaniæ urbes Argentina prima fuit, quæ cæteris exemplo esset.

s) Summarischer Begriff anno 1545. zu Strasburg gedruckt.

Atque hæc Ecclesiæ per Europam renascituræ primordia fuerunt in Germania.

Estque hic annus,

Trecentesimus quinquagesimus sextus à prima reformatione doctrinæ Papisticæ in Gallia, per Valdenses.

Centesimus quadragesimus sextus à prima confutatione errorum Pontificiorum in Anglia, per Joannem Wicleff.

Centesimus decimus sextus à primo anno Ministerii Joannis Husſi, receptas seculi sui opiniones & dogmata impugnantis in Boëmia.

Tricesimus sextus à condemnatione Joannis Wesseli Gröningensis, qui Wormatiæ ante Lutherum natum eadem quæ postea Lutherus, docuit.

Sexagesimus ab eo tempore, quo Boëmi nonnulli à fide Hussitarum, (qui inter varia bella & certamina nil nisi nomen Hussi & calicem in cœna sacra retinuerant) discesserunt, peculiares cœtus collegerunt, cum doctrinæ puritate disciplinæ Apostolicæ severitatem conjunxerunt, & amabili FRATRVM nomine mutuò se salutarunt. Qui quidem FRATRES, falsò PICCARDI dicti, annos jam centum sexaginta & ampliùs inter varios motus, persecutiones, pericula, mortes, non solùm conservati, sed in Moraviam etiam & Poloniam non sine miraculo diffusi, hoc ipso quo hæc scribimus tempore gaudent Patronis quidem, inter alios multos

multos RAPHAELE, Comite à Lesno Castellano Vislicienſi in Polonia, CAROLO ZEROTINIO, in Moravia, WENCESLAO à BUDOWITZ in Boëmia, heroibus illuſtribus: Doctoribus verò primariis, Matthæo Koneczny & Matthia Cyro, in Boëmia, Joanne Lanetio & Georgio Eraſto in Moravia, Martino Gratiano & Joanne Turnovio, in Polonia, viris innocentis vitæ & eruditæ doctrinæ laude florentibus, fratribus in Domino cariſſimis.

ANNUS CHRISTI MDXVII.

MArtinus Lutherus ubi reſcivit, Tecelium moderata ſua ad populum monita de vanitate Indulgentiarum, indignè ferre, in publico Academiæ Wittenbergenſis theatro contra impoſturas iſtas Pontificias ſibi diſputandum duxit.

Itaque Theſes numero nonaginta quinque pridie Kal. Novembris anni decimi ſeptimi ſupra milleſimum quingenteſimum, foribus templi arcis affixit, quibus inſtitorum Romanenſium menſas evertit.

Hic eſt ille Lutherus, a) qui duorum Martyrum & homologetarum, Wicleſi & Huſſi doctrinam ſibi centum pòſt annis aſſumpſit in Saxonia Septemvirali, & reſumpſit, quæ contra corrupteIas Pontificias ambo illi ſcripſerunt, atque expoſivit etiam & auxit luculentè, docuitque de converſione hominis peccatoris, pœnitentia & juſtificatione, perfectiſſime, & ſacramentum etiam integrum, exemplo Huſſi, ſuis popularibus recuperavit. Quo cum non ita multò poſt in Helvetia Zwinglius & Oecolampadius tum cætera omnia contra Romanenſes utriusque illius, Wicleſi & Huſſi proſecuti ſunt: à Wiclefo autem peculiariter contra idolum corporalis præſentiæ corporis Chriſti in cœna ſacra, jacta ſemina, ſibi excolenda ſumpſerunt: de quo minor fuit Huſſi ſcientiæ plerophoria, ſed Lutheri inprimis, vel nulla potiùs hujus prorſus, ſicut ipſe poſtea de ſe ſcriptis ſuis probavit; qui & profitetur hoc de ſe in quodam ſcripto ſuo: ſe potiùs dogma de transſubſtantiatione admiſſurum, quàm de corporali præſentia quidquam remiſſurum. Meminerit autem lector: etiam Prophetarum priſcorum vocationis dona & beneficia fuiſſe imparia. Unus vitulos ſuſtulit: & pſeudolatriam in montibus intactam reliquit: alius contra excelſa ſuſtulit; & vitulos reliquit.

a) Eſromus Rud ngerus de origine Ubiquitatis.

Lutheri propoſitionibus contra indulgentias Papales lectis mira animorum immutatio per totam Europam facta eſt.

b) Albertus Crantzius, Vandalorum Hiſtoricus, dixiſſe fertur: *Frater, vade in cellam, & dic: miſereri mei, Deus.* Subinnuens, fruſtra Monachum Auguſtinianum adverſus Pontificem diſputaturum.

b) Bucholcerus. Chytræus.

c) Wittebergæ Prior & Supprior metu perculſi Lutherum adeunt, rogantque: parcat ordini, nec illum ludibrio hominum exponat. Jam nunc in ſinu gaudere Franciſcanos, in ignominiæ ſuæ ſocietatem Auguſtinianos veniſſe. Quibus reſpondit Martinus: *totum hoc ſtatim concidet, ſi in nomine Domini cœptum non eſt. Sin autem; Deo rem committite perficiendam.*

c) Lutherus in enarratione Germanica Pſalmi 118. Tom. 5. Jen.

d) Monachus quidam in Saxonibus prope Bitterfeld, converſus ad ſacrificulos, *Ha, ha, ha,* inquit, *venit jam is, qui vos rectè tractabit.*

d) Dreſſerus parte 1. millenarii ſexti.

Complures alii in clauſtris monaſticis, tyrannide humanarum ſuperſtitionum preſſi, Deo gratias agebant pro liberatore. Neque verò mirum, cupidè fuiſſe Lutherum auditum. Theologia, conciones, vita Papalium Eccleſiaſticorum bonis omnibus erat exoſa.

THEOLOGIA qualis fuerit, docet Joannis Keiſersbergii, Eccleſiaſtæ primæ ædis Argentinæ, ad Jacobum Wimpfelingum, circa annum 1502. perſcripta epiſtola: *Quid dicam de mea gente? Multos Theologos, Theophilos producit paucisſimos. Si tamen aliquos, acutos nimirum diſputatores, proximorum & Dei dilectores nullos. Deus miſereatur noſtri, qui omnem abſumimus noſtram ætatem in nugis non ſolùm humanorum ſtudiorum, ſed & divinorum, in quibus utique nugæ ſunt, dum Dei ſcrutamur majeſtatem, & noſtram negligimus conſiderare infirmitatem, ignorantias & malitias. Nihil de virtutibus, quemadmodum efficiamur boni, caſti, manſueti, humiles, liberales, modeſti, temperati, charitativi, miſericordes, patientes. De hoc quis ſe Theologorum etiam religioſorum intromittit?*

e) CONCIONUM materies aniles fuerunt fabulæ: de Veſpaſiano, Veronicæ ſudario, à veſpis liberato: de purgatorio Patricii: de lepra Conſtantini Magni: de colloquio Sibyllæ cum Auguſto.

e) Bebelius Pontificius in ſuis linguæ Latinæ commentariis.

f) VITA religioſorum ita fœtebat ad vulgus: ut Carolus V. Imperator, Eccleſiaſticis de Luthero conquerentibus in Comitiis Auguſtanis reſponderit: Weret ihr Pfaffen fromm, ſo hettet ihr keines Luthers bedorft. *Si vos ſacrificuli pii eſſ tis, non indiguiſſetis cenſore, & morum correctore Luthero.*

f) Petrus Matthias lib. 4. narrat. 2. ad finem.

Jam ſuperſtitionibus ita erant omnia oppleta, ut celebris monaſterii Neuhuſani in Vangionibus Abbas dixerit: (vera narro) Wann Lutherus nicht kommen were, ſie hetten die Leute überreden wollen, daſs ſie Heu gefreſſen hetten. Hoc eſt: *Si Lutherus non veniſſet: ſe perſuaſuros fuiſſe populos ut fœno latrantem ſtomachum placaſſent.*

g) Itaque Joannes Miſnenſium Epiſcopus tum faſſus eſt: ſe ſacra Biblia legentem, religionem præſenti valdè diſſimilem invenire, Qui idem cum paulò ante obitum à Tecelio indulgentias denuò vendi audiiſſet, dixit: hunc fore inſtitorem indulgentiarum ultimum: quod nimia ipſius, & intoleranda eſſet impudentia.

g) Chytræus Chronico Sax. lib. 2. p. 50.

h) Certè nequiſſimus monachus Magdeburgi opulentam fœminam, peccata ſua confitentem, abſolvere noluit; niſi centum florenis ab ea numeratis. Super qua re cum illa ordinarium ſuum confeſſionarium, monachum Franciſcanum conſuluiſſet, reſpondit ille: *Deum peccata gratis remittere, non inſtitorum more vendere.* Rogavit autem fœminam, Tecelio ut ne aperiret: à quo hoc reſponſi

ſponſi tuliſſet. Et ſanè cum cauſam non numeratæ pecuniæ Tecelius audiiſſet, aut igni aut exilio adjudicandum hujus conſilii autorem dixit.

h] Saccus in concione funebri Levini Schulenburgii.

Ab hoc tempore univerſæ Europæ oppidulum Wittemberga innotuit. Audivimus à præceptoribus noſtris, diverſarum gentium ſtudioſos, Lutheri & Melanchthonis audiendi gratiâ, Wittembergam profectos, ad primum oppidi conſpectum complicatis manibus Deo gratias egiſſe: quod ſicut olim è Sione, ita iſto ſeculo à Wittemberga Evangelicæ veritatis lucem in remotiſſima regna voluiſſet diffundi. i) Compertumque eſt, Martinum Polichium Mellerſtadium verè de Academia Wittembergenſi vaticinatum fuiſſe: *illam cunctas alias Germaniæ Academias ſuâ luce obſcuraturam.*

i) Tom VII. Declamat. Philippi p. 341.

k) Cæterùm Lutherus propoſitiones ſuas miſit ad Albertum Archiepiſcopum Moguntinum, itemque ad Hieronymum Epiſcopum Brandeburgicum. Ab illo nihil reſponſi tulit: erat enim (quod Lutherus ignorabat) particeps rapinarum Tecelianarum: hic Luthero per literas & Abbatem quendam ſignificat: optare ſe, & petere, ut paululùm differat editiones probationum ſuarum: de indulgentiis etiam ſermonem vulgarem editum valdè nolle. Ad quæ Lutherus: *Benè ſum contentus: malo obedire, quàm miracula facere, etiamſi poſſem.*

k) Tom. I. Epiſt. Luth. epiſt. 32.

l) Francofurti ad Viadrum Tecelius Lutheri Theſibus contrarias opponit, à Doctore Conrado Wimpina confectas: quibus Papam Petro; crucem à Papa erectam, cruci Chriſti comparat. Diſputationi illi trecenti Monachi interfuerunt.

l) Caminæus Oratione ſeculari Acad. Francofurt.

Annum hunc quidam in hoc Cantici Ambroſiani verſu comprehendi obſervavit:

TIbI CherVbIn & SeraphIn InCeſſabILI VoCe proCLaMant.

Et ſanè eventibus etiam aliis inſignibus annus hic eſt memorabilis.

m) Fridericus Saxoniæ Elector cum fratre Duce Johanne, & nepote Johanne Friderico, Vinariæ in pervigilio natalis Chriſti ad ſacra frequenti comitatu iturus, videt ſupra arcem, cœlo ſereno, fulgentem crucem purpuream ſatis magnam, & perſpicuè expreſſâ figurâ. Stant aliquandiu attoniti ſpectatores: At Fridericus cum fratre de religione colloquens, eo ſigno futura certamina de doctrina, & domûs Saxonicæ pericula portendi vaticinatur.

m) Tom. III. Declamat. Philippi, Oratione funebri Joannis Ducis Saxoniæ.

n) Joannes Franciſcus Picus Mirandula Romæ in Concilio illuſtri Pontificem ad reformationem Eccleſiæ ſplendidâ oratione hortatur. Et conſenſum tum eſt in hanc ſententiam: Eccleſiæ Romanæ mores eſſe reformandos.

n) Paralipomena Urſpergii. Sleidanus.

o) Neapoli naſcuntur duo inſignes Fidei confeſſores, Galeacius Caracciolus Marchio Vici, Pauli IV. Pontificis ſororis filius, Januario, & Joannes Bernhardinus Bonifacius, Marchio Oriæ, & Dominus terrarum Francouillæ & Caſalis novi, Februario menſe: quorum uterque agnitâ doctrinâ Evangelii, miniſterio Lutheri repurgatâ, perpetuo exilio docuit: Chriſtum omnibus hujus vitæ bonis eſſe præferendum.

o) Vita Galeacii & Bonifacii.

In Helvetia Zwinglius Glaronâ ad famoſum illud Virginis Eremitanæ templum (zum Einſiedeln) evocatur: quo cupidè profectus eſt, p) tum quod maximus illuc hominum ex omnibus ferè mundi partibus eſſet confluxus, quâ occaſione exiſtimabat ſe Chriſtum & ejus veritatem in regiones & varias & remotas divulgare poſſe: tum quod Abbas loci eſſet Nobiliſſimus Cunradus à Rechenberg, ſuperſtitionum oſor, & miſſatici ſacrificii non obſcurus hoſtis: qui aliquando Viſitatoribus, ut miſſam celebraret, hortantibus, reſpondit: *Si verè Chriſtus eſt in hoſtia, indignus ſum, qui illum intuear, indignior, qui Patri offeram. Si non eſt in hoſtia, væ mihi, ſi panem pro Deo populo adorandum proponam.*

p] Myconius in vita Zwinglii. Bullinger Chronico M.S.

q) Thuringiæ ſuſcitavit Deus Evangeliſtam Fridericum Myconium Francum. Is cum ordinem Fratrum minorum aliquandiu ſectatus fuiſſet Annæbergæ, Lipſiæ, Vinariæ, & anno ſuperiore, ætatis vigeſimo quinto, ipſo die Pentecoſtes, præſentibus Joanne, & Joanne Friderico, Ducibus Saxoniæ, Vinariæ ſacris initiatus fuiſſet, hoc anno ad miniſterium docendi à Vinarienſibus vocatur.

q) Vita Myconii.

Papiſticum quid olebant initiò Sermones ad populum ab illo habiti. At ubi illi Deus intùs, Lutherus foris concionatus eſt, primus in Thuringia Papatui contradixit, & concredita ſibi fidei myſteria volentibus auditoribus pervulgavit.

ANNVS CHRISTI M D XVIII.

LVTHERI, mandato Præſulis Brandeburgici, parituri & quieturi, pennam novi acuunt adverſarii, Joannes Eccius Ingolſtadienſis, Sylveſter Prieras Romanus, Jacob Hochſtrat Lovanienſis, Theologi. Ille reſpondens Hochſtrato animum crudelem & ſanguinarium exprobrat: Eccii Obeliſcos ſuis Aſteriſcis configit: Sylveſtri verò Dialogo, verè, ut ait, Sylveſtro, ſolius Thomæ autoritate pugnanti, ſacram ſcripturam opponit: &, a) *quò magis illi furunt, eò amplius*, inquit, *procedo: relinquo priora, ut in illis latrent: ſequor poſteriora, ut & illa allatrent.*

a) Tom. I. epiſtol. Luth.

Sylveſter non ità multò pòſt epitomen reſponſionis ad Lutherum edit: ad quam epiſtolâ reſpondet Martinus, Sylveſtri ſcriptum Satanicum appellat: b) Romam, ſi idem quod Sylveſter ſentiat, ipſiſſimam Antichriſti ſedem pronuntiat: quæ cauſa fuit, cur ſilentium Prierati ſit indictum.

b) Lutherus epiſt. ad Joannem Sylvium.

Vivebat tum Wittebergæ Andreas Bodenſteinius, patria Caroloſtadius, gente Francus Germanicus, qui Romæ ſtudiis Theologiæ operam dederat, & in Germaniam reverſus Wittebergæ Doctor Theologus creatus, in Profeſſorum ſacrorum ordinem adſcitus, & in templo Arcis Canonicus ac Archidiaconus fuerat declaratus. Cujus ſub Decanatu Lutherus Theologiæ Doctor eſt renunciatus. Hic inter primos fuit Wittebergæ, qui Lutheri doctrinæ adſtipularetur, & eam etiam ſcriptis nonnullis defendere non dubitaret. Saxo Elector Caroloſtadii hujus & D. Lutheri patrocinium non rogatus ſuſcipit:

pit: nec patitur, ut Lutherus ad Urbem trahatur: c) ſtudioſi Wittembergenſes poſitiones Tecelianas, Halâ Saxonum allatas, in foro cremant: Lutherus, omnibus diſſuadentibus, tamen obedientiæ ſatis facturus ad Capitulum Heidelbergenſe proficiſcitur.

c) Idem epiſtola ad Joannem Langum.

Ut Herbipoli ab Epiſcopo, ita Heidelbergæ à Comite Palatino Wolfgango, honorificè excipitur: apud Auguſtinianos (Collegium ſapientiæ indigitatur hodiè) diſputat: paradoxis XXVIII. ex Paulo de juſtificatione fidei propoſitis: inter quæ eminent iſta: Liberum arbitrium poſt peccatum res eſt de ſolo titulo.

Non ille juſtus eſt, qui multum operatur ſed qui ſine opere multum credit in Chriſtum. d)

d) Legantur Theſes Tom. I. operum Jenenſ.

Interfuit diſputationi Martinus Bucerus. Is quâ potuit manus celeritate excepit, quæ inter diſputandum à Luthero dicta, eaque cum Beato Rhenano communicavit, addito hoc Lutheri elogio.

e) *Lutherus in ſuorum Fratrum apud nos celebratâ Synodo literariæ pugnæ ſolenni more præfectus, ea diſputavit paradoxa, quæ non modò opinionem omnium ſuperarent, ſed etiam pleraque viſa ſint hæretica. Mira ejus in reſpondendo ſuavitas, in audiendo incomparabilis longanimitas, in diſſolvendo Pauli agnoviſſes acumen, non Scoti, adeo brevibus, éque divinæ ſcripturæ penu depromptis reſponſis in ſui admirationem facilè cunctos adduxit. Cum Erasmo illi conveniunt omnia, uno hoc hic præſtat, quod, quæ ille tantùm inſinuat, hic apertè docet.*

e) Ex autographo Buceri.

f) In reditu Erfurti literas dedit ad Jodocum Hennacenſem Theologum, præceptorem ſuum: quibus ſcribit: *in doctrina gratiæ & operum ſecum ſentire totam Univerſitatem Wittenbergenſem, excepto uno fermè Licentiato: ſed & Principem, & Epiſcopum ordinarium ſuum, multos Prælatos, & ingenioſiores cives uno ore dicere: ſeſe prius non noviſſe Chriſtum & Evangelium. Fatetur etiam, ſe ex Jodoco primò omnium audiviſſe: ſolis Canonicis libris deberi fidem, cæteris omnibus judicium.*

f) Erfurti Dominica Vocem jucunditatis.

Domum reverſus Lutherus, edit propoſitionum ſuarum de indulgentiis reſolutiones & declarationes, quas Leoni X. dicat Dominicâ Trinitatis. Cauſas editionis aperit, partim ad Leonem, partim ad Leonem, partim ad Epiſcopum Brandeburgicum, epiſtolis. g)

ut mitiget adverſarios:

ut deſideria multorum expleat:

ut ne errare ſinat eos, qui putant: omnia eſſe aſſerta. *Inter quæ ſunt*, inquit, *de quibus dubito, nonnulla ignoro: aliqua etiam nego, nulla verò pertinaciter aſſero.* Obſecrat Brandeburgicum; ut arrepto calamo, quæcunque viſum, aboleat, aut igne facto, univerſa comburat: proteſtatur ſe diſputare, non determinare. Sic ad Leonem X: *proſtratum*, inquit, *pedibus me offero Beatit. tuæ cum omnibus quæ ſum et habeo: vivifica, occide, voca, revoca, approba, reproba: vocem tuam Chriſti, in te præſidentis & loquentis, agnoſcam.*

g) Utraque epiſtola extat Tom. I. oper. Latin. Jenenſ. & Wittemb.

Maximilianus Cæſar de eventu harum diſputationum ſolicitus, Pontificem officii admonet. Is Lutherum Romam evocat. Hic in Germania ſe audiri petit, loco & judicibus idoneis: Saxo Elector à Cajetano, Pontificis legato hoc impetrat Auguſtæ in Comitiis, quæ Maximilianus poſtrema celebravit.

Interea Luthero aſſociatur fidus in negotio Evangelico promovendo paraſtates PHILIPPVS MELANCHTHON. Is in oppido Archipalatinatûs BRETTA anno 1497. 16. Februarii natus, & in bonarum artium ac linguarum ſtudiis Heidelbergæ & Tubingæ educatus, à Friderico Saxoniæ Electore ex Academia Tubingenſi vocatur Wittembergam ad docendas Græcas literas. Ac Capnio autor eſt Philippo, ut conditione oblatâ utatur, ac in literis h) ad Philippum inter alia ſic ſcribit, vaticinans: *Ecce adſunt literæ piiſſimi Principis, manu ipſius ſubſignatæ quibus pollicetur tibi beneficum & propitium ſe fore. Quare nunc haud aſſabor te poëticè ſed verâ utens promiſſione, Abrahæ fideli factâ: egredere de terra tua, & de cognatione tua & de domo patris tui: & veni in terram, quam monſtravero: faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus.* Hæc Geneſeos 12. *Ita mihi præſagit animus, ita pero futurum de te, mi Philippe, meum opus & meum ſolatium.* Hactenus Capnio.

h) Integra epiſtola exſtat in tertio libello epiſtolarum Eobani Heſſi per Camerarium editarum epiſtolâ 8.

i) Diſcedente Philippo Tubingâ, Simlerus præceptor, vir eruditione præſtans, deplorandum eſſe toti civitati ejus abitum, dixit: & ſubjecit: *Quotquot ibi eſſent docti homines, non eſſe tàm doctos, ut intelligerent, quanta eſſet doctrina ejus, qui inde evocatus diſcederet.* Venit autem Wittembergam 25. Auguſti, qui fuit dies Mercurii ætatis anno 22.

i) Tom. 5. De Jamit. Philippi pag. 387.

De Philippo ita Lutherus ad Spalatinum: *Habuit orationem quarto die poſtquam venerat, planè eruditiſſimam & terſiſſimam, tantâ gratiâ & admiratione omnium, ut jam non tibi id cogitandum ſit: quâ ratione eum nobis commendes. Abſtraximus cito opinionem & viſionem ſtaturæ & perſonæ, & rem ipſam in eo gratulamur & miramur.*

Et aliâ Epiſtolâ ad eundem: *Philippum Græciſſimum, eruditiſſimum, humaniſſimum, habe commendatiſſimum. Auditorium habet refertum auditoribus: inprimis omnes Theologos ſummos, cum mediis & infimis, ſtudioſos facit Græcitatis.* Et ad Joannem Langum: *Eruditiſſimus & Græcaniſſimus Philippus Melanchthon apud nos Græca profitetur, puer & adoleſcentulus, ſi ætatem conſideres, cæterùm noſter aliquis ſi varietatem, & omnium ferè librorum notitiam ſpectes: tantum valet non ſolum in utraque linguâ, ſed utriuſque linguæ eruditione. Ebræas quoque non incognitas habet literas.*

Eraſmus ad Oecolampadium hoc anno. k) *De Melanchthone & ſentio præclarè, & pero magnificè, tantùm ut eum juvenem nobis Chriſtus diu velit eſſe ſuperſtitem. Is prorſus obſcurabit Eraſmum.*

k) Epiſtolarum Lib. 7.

Augu-

Augustam venit Lutherus sub initium Octobris, Cajetano se sistit duodecimâ Octobris: humaniter ab eo accipitur: ad palinodiam sive revocationem, & promissum de abstinendo imposterum ab his & aliis, primùm blanditiis, deinde minis solicitatur. Ille errores sibi demonstrari petit. l) Cardinalis nullam syllabam ex sacris literis producit: tantùm decretum quoddam Clementis Pontificis de Indulgentiis, quod exstat in Extravagante, urget: quod Lutherus cum scriptura pugnare docet, si secundum literam intelligatur: atque post aliquot dierum conflictatiunculas graviora veritus, &, ut Polydorus Virgilius loquitur, metuens, ne Cardinalis rem omnem magis imperio quàm disputatione definiret, datis ad Cardinalem literis, & dispositâ Appellatione à Cardinali ad Papam, publicè affigendâ, Augustâ discedit vigesimo Octobris, reversus Witebergam 30. Octobris: quo die Tecelium ante annum adortus fuerat.

l) Lutherus Epistolis ad Staupitium & Spalatinum.

Cajetanus ad Saxonem scribit, consulens, ut Lutherum vel ad Vrbem mittat, vel ditione suâ ejiciat. Lutherus cogitat in Galliam: amici suadent: ut se Saxoni captivum det: Saxo veluti captum alicubi custodiret, scriberetque Legato: Lutherum captum, & sistendum in loco tuto ad respondendum.

Saxo respondet Legato: se nec Romam, nec in exilium posse mittere Lutherum: cum nullius erroris convictus sit: & Academiæ utiliter inserviat. Petit ut causa ejus in publicâ disputatione in locis tutis cognoscatur: & errores ejus ostendantur. Lutherus 29. Novembris per epistolam Saxoni valedicit, pro patrocinio gratias agit, abitum in alia loca parat. Saxo hanc Legato Pontificis mittit. Lutherum Wittembergæ manere jubet: qui pridiè hujus diei, id est 28. Novembris (cum audiisset Leonem X. indulgentias novo edicto sanciisse: & videret hoc agi, ut violenter ipse opprimeretur) appellavit à Papa ad Concilium, præmissâ & expressâ solenni protestatione: m) *quod contra unam, sanctam & Apostolicam Ecclesiam, quam totius orbis esse magistram non ambigat, sanctæque sedis autoritatem, ac sanctissimi Domini Papæ benè consulti potestatem, nihil dicere intendat.*

m) Verba Lutheri.

Memoratu dignum est, quod inter tot tamque graves conflictus Lutherus ad Wenceslaum Linckium scripsit sub finem hujus anni: n) *Mitto ecce acta mea acutiùs, quam speraverit D. Legatus, edita: sed longè majora parturit mihi jam calamus: nescio undè veniant istæ meditationes: res ista nec dum habet initium, meo judicio: tantum abest, ut finem possint sperare Romani Proceres. Mittam ad te nugas meas: ut videas: an rectè divinem, Artichristum illum verum, juxta Paulum, in Romana curia regnare: peiorem Turcis esse hodie puto me demonstrare posse.*

n) Tom. I. epist. Luth.

Hac de re cogitanti mihi sæpe numero in mentem venire solet fabula, cujus titulus est: MALVM IRRITATIONE AVCTVM: Quodam in oppido solebant de certis cætibus excludi omnes vitiati quacunque corporis parte: erantque constituti, qui de illorum (si qui fortè obrepsisse comperirentur) singulis vitiis singulos nummos exigerent. Hi aliquando claudo conspecto, cum exigerent ab eo multam, & renitentem invaderent, scabiem in eo etiam deprehendunt. Ergò postulant jam nummos duos. Etiam tunc illo refragante, apparet lippitudo oculorum. Tum isti, jam tres dabis nummos, inquiunt. Ergone? inquit ille. Pugnabo potius. In lucta igitur ea apparet hernia quoque. Tum exegêre tandem nummos quatuor ab eo: qui se uno liberare potuisset. Fabula narratur contra pertinaces, & propugnatores vitiorum suorum. Narratur & contra eos, qui renitendo & resistendo malis levibus, graviora sibi ipsi accersunt. Quid mollius dici potuisset: quàm quod contra impudentisimas conciones de indulgentiis à Luthero tantùm dicebatur?

Magnus omninò animus fuit in Luthero. Augustam profecturus, pedester venit Vinariam, in monasterioque pernoctat. o) Joannes Kestnerus, Monachorum Vicarius & Administrator, inter alia ad Lutherum: *Mi frater, habebis Augustæ Italos, homines doctissimos & acutissimos, & antagonistas acerrimos, qui plurimum tibi facessent negotii: valde metuo, ne causa excidas, profecto in ignem te coniicient, & flammis exurent.* Cui Lutherus per jocum respondit: *si urticis me usserint: abique modo tolerabile erit: sin igne, nimium grave & intolerabile, addens hanc exhortationem: interpone quæso tuas preces apud Deum pro me: & ora Christum filium ejus, cujus est causa hæc: ut mihi adsit: quàm si obtinuerit; mihi obtenta erit: sin verò causâ exciderit: nec ego eam obtinere potero: atque ita ipse solus ignominiam reportabit.*

o) Vita Miconii.

p) Oratori Principis Montisferratensis Augustæ rogatus: ubinam locorum mansurus sit tutò? *sub cælo,* respondet.

p) Matthesius in vita Lutheri.

Profecturus Augustam, cum ab Alberto Comite Mansfeldico de periculo moneretur: q) *quanto magis,* inquit, *illi minantur: tantò magis ego confido: uxor mea & liberi mei provisi sunt: agri, domus, substantia, cuncta dispositа: gloria & nomen jam discerpitur: unum superest, imbecille & fractum corpusculum: quod si abstulerint, fortè duabus, vel unâ vivendi horâ me pauperiorem facient: animam verò non auferent. Canto cum Joanne Reuchlino: Qui pauper est, nihil timet: nihil perdere potest: sed spe bonâ lætus sedet: nam sperat acquirere.*

q) Epistola ad Wenceslaum Linckium.

Ubi Augustæ intellexit: Cajetanum Cæsaris & Principum animos à se abalienare, sic ille ad Spalatinum: *Ego in his omnibus nihil timeo: quod si etiam obtinuerit eorum vel adulatio, vel potentia: ut omnibus me odiosum faciant: id mihi reliquum est & cordis & conscientiæ: quod omnia quæ habeo, quæque ipsi impugnant, ex Deo me habere agnoscam & confitear: cui & ea ipsa libens & sponte refero & offero: si aufert, sint ablata: si servat, sint servata; & nomen ejus sanctum & benedictum in secula, Amen.*

Et ad Philippum Melanchthonem: *Tu age virum, sicut & agis: & adolescentes recta doce: ego pro illis & vobis vado immolari, si Deo placet.*

ret. Malo enim perire; & quod unum mihi gravissimum est, vestrâ dulcissimâ conversatione carere in æternum; quàm ut revocem benè dicta, & studiis optimis perdendis occasio fiam. Augustâ, Feria 2. post Dionysii.

ERASMVS in causa Lutherana vario fuit animo. Hoc quidem anno sic ille de Luthero; r) *Lutherus tam ignotus est mihi, quam cui ignotissimus: nec adhuc vacavit hominis libros evolvere præter unam & alteram pagellam: non quod fastidierim, sed quod per studiorum occupationes non datum sit otium: & tamen hunc quidam, ut audio, meâ confingunt adjutum operâ. Si rectè scripsit, mihi nihil debetur laudis: sin secus, nihil mereor probri, quando in omnibus illius lucubrationibus ne apiculus quidem ullus est meus. Id verissimum esse comperiet, quisquis volet vestigare. Hominis vita magno omnium consensu probatur: jam id non leve præjudicium est: tantam esse morum integritatem: ut nec hostes reperiant quod calumnientur. Quod si maximè vacasset legere: mihi non tantum arrogo: ut de tanti viri scriptis velim pronunciare: etiamsi nunc passim pueri magnâ temeritate pronuncient: hoc erroneum, illud hæreticum. Imò adversus Lutherum aliquando fuimus iniquiores: ne quid invidiæ recideret in bonas literas: quas nolebam amplius onerari.*

r) Epistolar. lib. II. epist. 1.

Et alibi: s) *eò vanitatis processerat frigida illa disputatrix Theologia: ut necesse fuerit ad fontes revocare. Sed tamen illam quoque corrigi malim, quàm explodi: aut certè tolerari: donec potior aliqua Theologiæ ratio fuerit parata. Multa præclarè monuit Lutherus: sed utinam civilibus admonuisset. Plures haberet & fautores & propugnatores, & uberiorem messem demeteret Christo. Et tamen impium sit, illum in his, quæ rectè dixit, prorsus indefensum relinquere: ut posthac nemo sit, qui verum ausit proloqui. Non est hujus conditionis, nec hujus ingenii, de illius doctrina pronuntiare. Hactenus certè profuit mundo. Nonnulli sunt adacti ad evolvendos veterum Theologorum libros: alii, quo sibi consulerent: alii, quò Luthero negotium facesserent.*

s) Epistolarum lib. 12. ad Rectorem Acad. Erfurtensis.

t) *Iterumque: Ego Lutherum nec accuso, nec defendo. Sic esse, res ipsa docebit. Quare nolim me horum negotiis admisceri.*

t) Libro eod.

u) Contrà LVTHERVS hoc eodem anno sic de Erasmo: *Ego apud eos* (id est, omnes) *qui bonas literas vel oderunt studio, vel nesciunt ignaviâ, Erasmum summis laudibus semper effero, atque tueor, quoad possum: omni industriâ cavens: ne evomam ea, in quibus dissentio: ne meâ quoque voce suam invidiam in illum confirment. Quanquam sunt quam multa in Erasmo, quæ mihi ad cognitionem Christi longè aliena videantur: si tamen ut Theologus, non ut Grammaticus, loqui debeo: alioqui nihil eruditius, nihil ingeniosius viderit vel ipse Hieronymus, tanto prædicatus ab Erasmo præconio. Atque hoc meum de Erasmo judicium, si alteri feceris notum: tum scias amicitiæ jurâ te violasse.*

u) Epistolâ ad Georgium Spalatinum.

Wolffgangus Fabritius Capito quid ex consilio Erasmi, Lutherum hoc tempore monuerit, non est reticendum. x) *Vidi*, inquit, *concionem tuam de pœnitentia, & alteram de condonationibus, utramque contra receptos hujus ætatis mores apertis figuris militantem. Obstupui, de amici salute anxius, qui densis hostium turmis ita nudum objicis latus, quamvis instructissimus vidêre armis veritatis. Tu tamen longè aliis, malè metuo, impugnaberis & periculum est, ne ut res geratur. Quod si ex fide consulenti aures dignaris, expertus moneo, Sertorii consilium amplectaris. Crede mihi, carptim facies, quod viribus ne labefactare quidem potuisses. Arcem, ut vides, undique munitam occupant, triplici vallo septi, velut extra tela, quod dicitur, stertunt, authoritate Pontificiâ, hoc est, universalis Ecclesiæ potentiâ, tyrannorum, & omnium Scholarum pertinaci consensu. Profectò triplicem hunc Cacodæmonis funem crassissimum haud facilè unquam rumpes. Opus est Alexandro quodam, ceu Gordii vincula gladio confidenter dissolvente: ingenio aut ratione fieri difficultas est: piorum simplicitas à nutu & renutu pendet hujus factitiæ Ecclesiæ, argutioribus animum tyrannis adimit. Porro qui omnibus vero majorem sanctimoniam periitiamque Christi venditamus Theologi, supercilio nostro committimus Christum, Relligionis omnes invehimus sordes, prætextuque pietatis nostrum probè compendium curamus. Proinde ne in irritum conatus iste egregius vergat, obtegas, oro, quemlibet fucum, quò hamum queas infigere citiùs lectori, quàm sibi putet insidias fieri. Sic Apostoli nihil subitò, nihil suapte urgebant. Ubique decoram humanitatem custodierunt. Per quos enim Paulus ingreditur cuniculos in epistola ad Romanos, quid non facit, quò gratiam apud eos tueatur? simulat, dissimulat, inducit, educit, ostendit procul divitem suppellectilem, continuo celat, prorsusque sic sermonem librat, ne vel odium, vel fastidium suboriatur. Ejus ingenii exemplis acta Apostolorum redundant. Sic Divus Paulus in tumultu, similis tergiversanti, respondet: Non dicit: nihil loquor contra legem: sed, de resurrectione judicor, interea reddens de observata lege rationem mirâ dicendi prudentiâ: siquidem obliquo ductu magnæ res securè conficiuntur. Quam vellem semper aliquam servares fenestram, quâ effugias, vel disputatiane vexatus. His diebus à Roma libellum Sylvestri de Prioratis accepi, quem satis inepte in tuas Venias edidit: cui si respondendum, perpetuâ velim id fieri oratione, atque Christi veram ex Evangeliis imaginem præbeas. Natum & auctam religionem, consuetudinem priscorum, rationem induere erroris, & variata Pontificum, adeoque Conciliorum decreta narres, expressâ notatione, ut oratio fidem sibi sensibus confirmet, quasi haustæ ex fonte veritatis. Deinde singula deliramenta risu eleves frequentiùs, quàm serio conatu. Sedulò à Pontifice ladendo*

lædendo abstineas, quin omnem detorqueas invidiam in illum, tanquam impudenter adulantem, tanquam indigna affingentem Pontificis dignitati, tantùm ventris causâ: te apertis obsistere sycophantis, ansam mali præcidere conantem: passim ut tulerit facultas, inter agendum respondendi aditus præsepias, ut nequeat nisi incassum referire.

x) Basileæ II. Non. Sept. Anno MDXVIII.

ANNUS CHRISTI MDXIX.

SUB initium anni Leo X. Carolum Miltitium ex nobilitate Misnica, Brevibus Apostolicis LXX. & amplius armatum, in Germaniam mittit, & Fridericum Saxonem aureâ rosâ, nescio quibus ceremoniis consecrata, singularis benevolentiæ ergo donat, & Degenhartum Pfeffingerum, virum nobilem ex Friderici Consiliariis, per literas rogat: a) ut Miltitio operam navet in expellendo Luthero, Satanæ filio. Scribit in hanc sententiam etiam ad Georg. Spalatinum.

a) Exstant epistolæ Tomo I. Operum Luth. Latin. Jen.

Interea Maximilianus 12. Januar. moritur: gubernatio Imperii in Saxonicis partibus, lege Carolinâ ad Fridericum devolvitur: unde, cohibitis nonnihil adversariorum furoribus, aura mitior Lutherum afflat.

b) Miltitio autem negotium sibi commissum strenuè agente, Lutherus, Altenburgi cum eo colloquutus, duo promittit; silentium, si adversariis idem injungatur: & palinodiam, si erroris convincatur. c) Deinde in eandem sententiam tertiâ Martii dat literas ad Pontificem, valde demissas: quibus indicat: à palinodia se prorsus abhorrere, aspersurâ aliquid maculæ ipsi sedi Apostolicæ: quod in Germania complures sint præstanti ingenio & eruditione viri, qui de tota controversia rectè judicare possint. De indulgentiis se posthac nihil moturum: modò sileant etiam adversarii.

b) Tom. I. oper. Luth. Germ. Jenens. p. 143.

c) Extat epistola Tom. I. operum Luth. Latin. Jenens. p. 222.

d) Quinto Kal. April. Lutherus literis ad Erasmum datis, amicitiam illius ambit. Cui Erasmus Lovanio valde amanter respondet: & laudatis Lutheri commentariis Psalmicis, expositoque judicio clarorum per Angliam virorum de lucubrationibus ipsius honorifico, ad civilem in scribendo & disputando modestiam Martinum revocat.

d) Legantur hæ Epistolæ lib. 6. epist. Erasmi.

e) Idem Erasmus XVIII. Kal. Majas ad Fridericum Saxoniæ Ducem scribit; eumque rogat: ne committat, ut se justitiæ præside, quisquam innocens, prætextu pietatis, aliquorum impietati dedatur. Lutheri vitam innocentiæ nomine commendari: nec protinus hæreticum esse, qui huic aut illi displicet: plerosque illius accusatores suum agere negotium, vel quæstui suo consulentes, vel tyrannidi: nec facilè hæreseos suspicione onerandum eum, qui vitam Christo dignam agit.

e) Integram epistolam vide Tom I. oper. Luth. Latin. Jenens. p. 222. b.

Menses Junius & Julius hujus anni disputatione Lipsicâ nobilitati sunt. Superiore anno sententias, quas Lutherus de indulgentiis proposuit disputandas, Eccius obeliscis notavit, iisque valde amarulentis. Ex illis refellit aliquot Carolostadius in conclusionibus suis, quæ exstant. Carolostadio respondit Eccius per Apologiam satis mitem. Apologiam edito libello Carolostadius confutavit: contentio hæc ut componeretur, egit cum Eccio Lutherus Augustæ, ut cum Carolostadio Lipsiæ, assentiente Georgio Saxoniæ Duce, congrederetur. Dies disputationi dicta XXVIII. Junii. *Acta disputationis invenies descripta Tom. I. operum Latin. Luth. Jenens. pag. 242.* Et ibidem per Melanchthonem *ad Oecolampadium epistolâ pag. 361.* Tomo item primo epistolarum Lutheri ad annum XIX. epistolâ *ad Joannem Langum pag. 161. & ad Spalatinum pag. 180.* Descripsit eadem eleganti stylo Petrus Mosellanus epistolâ ad Bilibaldum Pirckamerum, quam M. S. ex Bibliotheca Pirckameri erutam, ut fidissimam rei gestæ nunciam, in gratiam lectoris adscribam: Sic igitur ille: *Editum est nobis hisce diebus Lipsiæ rarum omninò & jucundum spectaculum. Nempe Theologorum insignium disputatorius congressus: de quo non dubito, quin plura scire gestias. Sed gravissimi morbi, qui me totos quatuordecim dies decumbere coëgit, reliquiæ, non sinunt rem accuratiùs perscribi. Tum itineris molestiæ, quod ex rei familiaris negotiis ad Treviros instituì, multum quoque alacritatis adimunt. Itaque capita rerum paucis tibi signabo XVIII. Junii, qui dies conductus erat, Illustrissimi Principis mei Georgii jussu & sumptu, magnificum sacrum mane, omnis generis musicâ adhibitâ, in honorem sancti Spiritus cœptum. Quo peracto, Doctores peregrini, qui disputaturi erant, honestissima totius scholæ nostræ pompâ in arcem deducebantur.*

Ibi enim spatiosissimus locus in auditorium erat, aulæis ac tapetis, pulpitis, suggestisque instructus. Hunc locum armatorum civium manus ita obsedit, ut non cuivis gregario (confluxit enim ad illud spectaculum magna vis hominum, doctorum pariter & indoctorum) aditus pateret. Huc ubi ingressum est & consessum: ipse, consenso suggestu, Illustrissimi Principis mei nomine disputatores commonui sui officii, longâ oratione differens de disputandi ratione, præsertim in re Theologica. Quam partem liberiùs fortassè tractavi, quàm ut omnium auribus grata fuerit. Princeps ipse, lectam orationem, antequam pronunciaretur, vehementer probavit. Hoc unum mirabatur: esse tam stultos Theologos, imo malos, ut locum facerent ejusmodi reprehensionibus. Eam orationem, Principis jussu editam, hic unà mitto: Tu, si quando vacabit, lege, & judica. Sed ad rem. Posteaquam ipse perorâram, tibicines pariter, & liticines, tum Cantores dulcissimo concentu canticum illud; Veni sancte Spiritus, ter modulabantur. Quod ipsum ex meo consilio Princeps demandârat.

Hic finis apparatus. Jàm prandii tempus appetebat. Quare disputationis seriùm rejiciendum in horam secundam dilatum est. Quod tempus ubi advenit: partes utrinque, pro more theologico, simplicitatem suam protestabantur. Martinus hoc adjecit: se hoc gravatim ferre, quod ex fratribus Prædicatoribus, qui eam tragœdiam primi exiuscitassent, nemo disputaturus

turas idesset: cum tamen in singulis suis concionibus graviter Martinianos errores in invidiam vocassent. Commisti sunt primùm Carolostadius & Eccius, par omnino dissimile. Nam Carolostadius voce, vultu, gestu, incessuque modestiam Theologicam præ se ferebat: disputabatque non ad ingenii gloriam, aut victoriam, sed veri, rectique inquisitionem: quare nihil nisi adhibitis libris asserebat, nihil item ab adversa parte adductum, admittebat, nisi sententiam scriptoris ex præcedentibus & sequentibus collegisset. Quâ diligentiâ doctis se vehementer commendavit: indocti timorem & tarditatem interpretabantur. Eccius contra clamore, vultu militari ac truci, gestu histrionico penè, & incessu impetuoso, feroculus quispiam apparebat. Omnia illa externa corporis signa animum parùm Theologicum declarabant. Dixisses Gorgiam quempiam disputare, non Theologum. Adeò leviter & impudenter subinde se jactabat: magnam adeo jacturam nominis sui apud nos fecit. Levissimè asserit, quæ falsa sunt: impudentissimè negat, quæ procerto vera, idque cum jactatione sui, quo res fit odiosior.

Res fuit Eccio cum Carolostadio de libero arbitrio: omnene bonum opus proficiscatur è divina gratia, an verò nonnihil etiam de suo conferat humani arbitrii actio? Priorem sententiam Carolostadius, posteriorem Eccius tuebatur. Tum illud jactatum: sitne omnis Christianorum vita pœnitentia? unde fluit, in opere suo hominem peccare. Contra quæ nisus est Eccius. Porro Martinus negavit Romani Pontificis potestatem primariam jure divino, hoc est, sacræ scripturæ testimoniis posse comprobari. Imò sacerdotem quemvis ex æquo (quod ad Pauli Theologiam attinet) Apostolis succedere, habereque facultatem & culpæ & pœnæ remittendæ, si necessitas ita ferat. Hic Eccius in adversum multa decreta, multas Patrum authoritates congessit, cum jure divino tantùm Primatus Pontificis esset asserendus. Ventum tandem est ad sacram ancoram, nempe illud Matth. XVI. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c. Hic Martinus PETRAM solidam fidei confessionem interpretabatur, & totum corpus Ecclesiæ cum Origene, aut Christum ipsum cum Augustino. Eccius cum recentioribus, hominem Petrum, & ejus successores. Eamque expositionem aliquot Bernhardi & Hieronymi verbulis decerptis firmavit. Quæ omnia Martinus mirè elusit, per hoc: quod toties Ecclesia redderetur ἀκέφαλος, quoties Episcopus Romanus aliquis moreretur. Nam eo tempore, quo necdum surrogatus sit in sedem alius Pontifex, dubio procul ἀκέφαλον reddi Ecclesiam. Nam quod de Cardinalium cœtu, qui interim agat Pontificem, respondeatur, duplici de causa frivolum esse. Primùm quia Cardinales haud ita multa ante secula esse cœperint, qui tamen multa capita faciant, non unum. Deinde quod, quæ jure divino statuantur, nullius hominis morte, imò ne cœlorum ruinâ interpellari possint. Jactatæ item in disputationis aleam indulgentiæ, sed magis pro ludo, quam seria. De purgatorio item disceptatum: non quod non esset, sed quomodo erga Deum afficerentur animæ in illo supplicio detentæ. Ejusmodi contentionibus tres penè hebdomades sunt consumptæ, certè, (quantum mihi judicare licet) majore expectatione quàm fructu. Neque enim quidquam est decretum: nec ulla de re partes consenserunt. Res tota notariorum fide est excepta. Judices disputatis sunt delecti Erphurdienses ac Parrhisienses: Erphurdienses, quantum privatim ex quorundam colloquio conjicere potui, gravatim tanti oneris sarcinam in humeros suos recipient: cum ob alias causas, tum maximè, quod Eccius optimos quosque & doctissimos Theologici ordinis, ut sibi suspectos, à judicio submovit. Hoc præjudicium vulgo jactatur: in primatu Pontificis asserendo Eccium se turpiter daturum. Ut ut est futurum, meâ nihil refert. Mihi hoc disceptandi genus theatricum nunquam visum est mansuetissimâ Christi doctrina dignum. Nec adduci possum, ut credam: Spiritum sanctum, pacis authorem, ad ejusmodi pugnas unquam sese demittere. Christianæ Theologiæ veritas citiùs impetratur orando, quàm inveniatur disceptando. Habes totam hanc disceptationem, ex tempore à me, & negligentissimè descriptam. Si quæ reliqua sunt, fama ad te pertulit. Sed vide ne fidas. Tam est ficti quam veri tenax: & scis ut πολλὰ τὸ πολέμια ... Erfurti quinto nonas Augustas An. MDXIX. Hactenus Mosellanus.

f) Hæc una disputatio plura alia scripta peperit: Luthero & Melanchthone de fide editorum à se Actorum hujus colloquii cum Eccio disceptantibus.

f) Tom. I. oper. Luth. Lat. Jenens.

Carolostadius deinde & Eccius hoc & sequenti anno publicis scriptis mirè se mutuò deformarunt. Atque hic fructus fuit disputationis Lipsicæ.

g) Interfuit Disputationi Philippus quoque Melanchthon, ad quem interloquentem iste auditus est Eccii sermo: *Tace tu, Philippe, ac tua studia cura: ne me perturba.*

g) Tom. 5. Declamat. Philipp. 274.

h) Georgius verò Saxoniæ Dux auditâ disputatione de potestate Romani Pontificis, Eccium & Lutherum manu pulsans dixit: sive hoc sit jure divino, sive humano, Romanus Pontifex est & manet summus Pontifex.

h) Lutherus Epistolâ ad Spalatinum.

i) Dum Lutherus & Eccius Lipsiæ de Indulgentiis disputant, ibidem in monasterio Dominicanorum moritur insatiabilis ille curiæ Romanæ Circitor & propola Joannes Tecelius: qui cum in disputationem Lipsicam consensum esse audisset, dixisse fertur: Das walt der Teuffel, id est, *hoc faxit Diabolus.*

i) Tom. I. epist. Luth. p. 162. h.

k) Lutherus edidit sermones,

De duplici justitia:
De salutari meditatione passionis Dominicæ:
De baptismo:
De præparatione ad mortem.

k) Omnia extant Tom. I. Oper. Luther. Latin. Jenens.

Item: Resolutiones, sive declarationes propositionum suarum, Lipsiæ disputatarum, de primatu Papæ.

Confutationem antidotorum, falsò sibi à Monachis

chis Jutrebocensibus impositorum.

Denique enarrationem epistolæ ad Galatas: in quam præfatus distinguendum esse docet, inter decreta Romanæ Ecclesiæ, & Romanæ curiæ: quemadmodum in nuperis Comitiis Augustæ ipsi Principes distinxerint: cum recusarent decimas, & vigesimas & quinquagesimas, in Concilio Romano sancitas.

l) PRAGA Bohemorum mense Octobri Hussitici sacerdotes scribunt ad Lutherum, eumque adhortantur ad Constantiam & patientiam, & esse hanc Theologiam puram, quam doceat, affirmant.

l) Tom. I. epist. Luth. p. 110.

m) Joannes Oecolampadius in Suevico theatro, urbe Augustâ, sacrum panegyristen agit, & ut Theologicæ literæ purè ac simpliciter doceantur, adnititur.

m) Melancht. epist. de disput. Lipsica.

WOLFGANGVS FABRITIVS Capito de suo & aliorum in Lutheri causam & personam animo Basileâ XII. Kal. Martii hæc scribit: n) *Helvetia & Rhenana regio ad Oceanum usque solidos amicos fovet Lutherio, eosque potentissimos, neque omnino alienos à bonis studiis. Cardinalis Sedunensis, Comes de Gerorlseck, Episcopus quidam eruditus ac primæ honestatis, aliique ex nostris non pauci, cum nuper audierant te periclitari, non tantùm sumptum, sed etiam tuta loca pollicebantur: quibus aut latere, aut apertè degere posses. Cum peregre constitutum fama prædicaret & summâ rerum difficultate laborare, fuerunt, qui per me submittere nitebantur largissimum sumptum, & submisissent utique. Verùm hoc vespere nuncium accepimus aureum: vivere Lutherium, & semper victurum. Deindè vidimus exemplum literarum Ducis Illustrissimi, & verè Principis ad D. Cardinalem, unde cognoscimus, quàm nihil opellâ nostrâ indigeas. Favore tamen si quid possumus, aderimus ubique. Monimenta tua junctim expressimus, sicut ex dono Frobenii cognosces statim post nundinas Francofordianas, simulque per Italiam, Gallias, Hispanias, Angliam intra sesqui mensem bonâ fortunâ publicavimus, in hoc videlicet communi causæ consulentes, cui maximè consultum putamus, si veritas quam latissimè declaratur. Natura enim veri gratiâ vel invitum in amorem sui pellicit. Ignosce quod nuper monitus es ex sententia Erasmi, hoc est, quod noctuas Athenas intuli.*

n) Epistola MS.

Idem Capito VI. idus Aprilis ad Erasmum in hanc sententiam scribit: *Martini, obsecro, negotium, in publicum nihil eleves. Nosti quantum valet calculus tuus. Ex animo loquor. Expedit superesse famam Lutherio, dabitur animus reliquæ juventuti ut aliquid audeant pro libertate Christi: quanquam ipse multa in eo desidero. Curato Lovanium ne obsit. Nos tibi in officio continebimus Germaniam & Saxoniam, ubi Princeps potens, Lutherii patronus, & florentissima Academia Wittembergensis, tot illustres viri qui ex æquo favent Erasmo & Lutherio. Nihil in votis potius habent adversarii, quàm tuum in illum stomachum videre. Tibi cum suis addictissimus est. Omnes præstat infestos habere Theologos, quàm illius propugnatores. Sunt enim Principes aliqui, Cardinales, Episcopi, & clarissimi quique Ecclesiasticorum, quibus cordi est negotium.*

Udalricus Zwinglius ipsis Kalendis Januariis Ecclesiæ Tigurinæ Antistes declaratur. o) Quid primis quatuor annis docuerit, memorat ipse anno vicesimo secundo, mense Augusto: *Anno ab hinc quarto (ut rationem prædicationis nostræ Tiguri promulgatæ habeatis) solidum Evangelium secundum Matthæum prædicavi, quo tempore illorum nomina ne nominari quidem audieram, quorum factionis me insimulatis. Adjunxi Evangelio protinus Apostolorum acta: ut Tigurina Ecclesia videret, quo pacto, quibusve autoribus Evangelium propagatum esset ac promulgatum. Successit mox prior Pauli ad Timotheum epistola, quod mirè videretur conducere optimo gregi, in ea enim veluti canones quidam morum, Christiano dignorum continentur. Hic cum de fide quidam scioli non rectè sentirent, secundam epistolam ad Timotheum distuli: donec eam quæ Gallogracis scripta est, enarrassem, tum illam quoque adjunxi. Cumque jam dicti scioli eo insaniæ ac impietatis processissent: ut Pauli nomen tantùm, non infame redderent, jactantes hæc pia scilicet, quæ neminem offendunt. Quis tandem Paulus? nonne homo est? Apostolus est, sed suburbanus tantùm, non ex duodecim viris, cum Christo non est conversatus, articulum fidei non composuit: ego tam cuivis Thomæ vel Scoto credo, quàm Paulo. Enarravi etiam Petri utramque epistolam, Apostolorum antesignani, ut liquidò viderent: an eodem imbuti spiritu, eadem ambo locuti essent. His absolutis, epistolam ad Hebræos orsus sum: ut Christi beneficium clarius agnoscerent, ac gloriam. Hic discent: Christum summum esse sacerdotem, ac jam ferme didicerunt. Nec est, ut me quorundam scriptorum insimuletis: nam antequam ea ad manus nostras venerint; orsi eramus negotium, imo ante annum fere polliciti sumus id facturum. Discent item, Christum unà ac semel tantùm oblatâ hostiâ in æternum consummasse sanctificatos. Hæc plantavimus: Matthæus, Lucas, Paulus, Petrus rigaverunt: Deus autem incrementum dedit admirabile: quod ipse non ebuccinabo: ne videar meam, non Christi, gloriam ambire.*

o) Zwinglius Tom. I. operum in Archetile pag. 132.

p) Ut autem Zwinglius doctrinam fidei dilucidè explicuit: ita in vitia acriter invectus est, hac semper interjecta clausulâ: FrommerMann nimm dichs nicht an: h. e. *probe vir, hæc nihil ad te.*

p) Oswald Myconius in vita Zwinglii.

q) Venerat superiore anno in Helvetiam missu Pontificis, Frater Bernhardus Samson Mediolanensis, Franciscanus, Pontificiarum remissionum præco: adversus quem merces Romanas Suitiæ exponentem Zwinglius in Eremo graviter concionibus suis detonuit. Hoc verò anno admonitus ab Episcopo Constantiensi, Hugone, ut Samsonem Tiguro excluderet, qui Pontificis jussa non aperuisset Episcopo, officium fecit fortiter. Ad portam urbis, in urbem non venit impostor ille, usque adeò impudens, ut Badenæ venialibus Pontificiis diplomatis propositis, exclamare non dubitârit: *Ecce*

Ecce volant, ecce volant: perinde ac si oculis cerneret demortuorum animas, à se liberatas in cœlum volitare.

q) Codex MS. Ecclesiæ Tigurinæ.

r) Præstitit eandem Ecclesiæ fidem M. Henricus Bullingerus, Bremgartensis Pastor & Decanus: qua de causa bruto fulmine à Samsone impostore est percussus.

r) Idem Codex.

s) De Antverpia sic Erasmus ad Lutherum: *Est Antverpiæ Prior ejus monasterii, vir purè Christianus, qui te unicè deamat, tuus olim discipulus, ita enim prædicat. Cæteri fere aut hominum fabulas, aut suum quæstum prædicant.*

s) Epistola Erasmi lib. 6.

t) Pfortzhemii purius Evangelium docere cœpit Joannes Schwebelius. Quod cum Marchiones Badenses non ferrent, ad patronum Evangelicorum nobilissimum, Franciscum à Sickingen se recepit.

t) Vita Schwebelii.

Colonienses 30. mensis Augusti die, Lovanienses 7. Novembris Lutheri libros flammis dignos pronunciant.

ANNUS CHRISTI MDXX.

NOvum incendium ex concione Lutheri de Eucharistia oritur, in qua scripserat: *bonum sibi videri, si utraque species in cœna communicantibus exhibeatur.* a) Georgius Saxoniæ Dux ad Fridericum Electorem Boëmicæ hæreseos Lutherum accusat: Episcopus Misnensis sermonem Lutheri Eucharisticum, editâ schedulâ supprimit: alii adversarii Lutherum etiam natione Boëmum esse clamant.

a) Vide Tom. I. epistol. Luth. ad annum 1520. Et Tom. I. oper. Luth. Latinor. & Germ. Jenens.

Elector Georgio Duci respondet: causam Lutheri nondum esse legitimè cognitam. Ad schedulam Episcopi Misnensis inhibitoriam Lutherus respondet: se probare utramque speciem, si Concilii generalis autoritate detur: interim obediendum esse novissimi Concilii decretis: & Laicis unam tantùm speciem porrigendam: placere & illud, esse eundem Christum non partialiter, sed integrum sub qualibet seorsim specie tam panis quam vini. Contra alios adversarios probat: se non in Boëmia, sed Islebiæ in Comitatu Mansfeldico esse natum.

Decimâ quintâ Januarii ad Carolum Cæsarem, quartâ autem Februarii ad Albertum Præsulem Moguntinum, itemque ad Episcopum Mersburgensem dat literas Lutherus: quibus causam suam illis commendat, &, ne inauditus damnetur, rogat. Moguntinus & Mersburgensis Lutherum, ut amore Jesu calamum temperet, & de aliis potiùs, caritati & pietati proficuis, quàm de Pontificis autoritate disputet, monent.

Mense Martio respondet Lutherus ad articulos, quos Colonienses & Lovanienses Theologi ex propositionibus de Indulgentiis, & earundem Resolutionibus excerpserant, & velut hæreticos superiori anno damnârant.

Fridericus etiam Saxoniæ Elector cum à Valentino Ditlebio, Romæ tum agente, moneretur, minùs benignè in ipsum affectam esse aulam Romanam, Kalendis Aprilis respondit: se doctrinam Lutheri nec defendere, nec aboleri pati, priusquam convincatur. A doctis viris illam probari: Lutherum paratum esse ad reddendam fidei rationem, &, si demonstretur error, ad palinodiam, etiam ad exilium, quod ipse Miltitius dissuadeat: multa dixisse liberius, lacessitum ab Eccio & aliis: altè doctrinam illius multorum animis insedisse: ut, si vires agatur, metuendum sit: ne motus longè majores sint orituri.

Sexto deinde Aprilis Lutherus de consilio Caroli Miltitii literas dat ad Leonem, quibus se Pontifici purgat: quod non in ipsius personam, sed in impias doctrinas & doctores, tum in Curiam, quovis genere vitiorum & impietate perditissimam, sit invectus, omni culpâ in Cajetanum & Eccium translatâ.

Interim Eccius Romam proficiscitur, *succensurus*, ut loquitur Lutherus, *saltum Libani & abyssos abyssorum*, hoc est, Bullam adversus Lutherum à Pontifice impetraturus. Terretur nonnihil aula Saxonica: Lutherus de angulo aliquo Boëmico cogitat, in quo se abdat. Rescisount hoc Nobiles nonnulli Germani, Lutheri doctrinâ jam tum imbuti. Offert igitur ipsi hospitium & patrocinium Franciscus à Sickingen, Huldericus ab Hutten, Eques Francus: Sylvester etiam de Schavenberg Nobilis Francus, datis ad Lutherum literis, rogat, ne in Boëmiam aut alio, sed ad se confugiat: si diræ Romanenses prævaluerint: policitus tutelam eximiam centenorum nobilium Equitum Franciæ. Crescit animus Luthero. Itaque Georgio Spalatino autor est: ut literis Friderici Electoris ad Cardinalem S. Georgii hoc subindicetur: b) *etiamsi pellatur diris Pontificis è Wittemberga, nihil effecturos, nisi ut rem pejorem è mala reddant: quandoquidem jam non in Boëmia, sed mediâ quoque Germaniâ sint, qui expulsum tueri possint & velint, invitis ipsis, contra omnia sua fulmina. Vbi periculum est,* inquit, *ne iis protectoribus tutus, sævius in Romanenses sim grassaturus: quam si sub Principis imperio publicis militarem officiis docendi: id quod sine dubio, nisi Deus obsistat, futurum est: Principem vero ut hactenus in multis suspexi, etiam irritatus, tunc certè non necesse erit suspicere.*

b) Verba Lutheri.

c) Zwinglius ubi de Pontificis audiit animo, suasurum se commissario Pontificio, scribit: Pontificem admoneat, ne excommunicationem ferat: augurari enim se, Germanos cum excommunicatione Pontificem ipsum contempturos.

c) Epistolâ ad Myconium lib. 4. epist. Oecolampad. & Zwinglii.

Fidem dicto eventus fecit. Lutherus à Leone excommunicatur die 15. Junii. Bulla in Misniam ab Eccio; Coloniam à Marino Caracciola & Hieronymo Aleandro fertur: Ridetur Eccius Lipsiæ: non admittitur Bulla Bambergæ, quod non legitimè, ut loquuntur, insinuata: Rector Academiæ Erfurtensis programmate publicè affixo Academicos hortatur: ut si qui Bullam videant affixam, discerpant, & quo possint modo, Lutheri hostibus se opponant. Obsidetur ab adolescentibus armatis Erfurti Eccius: Bullæ excusæ frustillatim in aquas conjiciuntur, Ulricus Huttenus, nobilis Francus, Bullam Leonis cum glossis interlinearibus & marginalibus publicat, non sine magna nominis Pontificii contumelia. d) Lutherus ipse, antequam

Bullam vidisset, librum de Captivitate Babylonica edit; in quo profitetur, se quotidie, velit nolit, doctiorem fieri. Optare se, omnes libros de indulgentiis exustos, & illorum loco supponi unam hanc thesin:

Indulgentiæ sunt adulatorum Romanorum nequitiæ.

Optare item, ut iis exustis, quibus negarit, Papatum esse juris divini: admiserit, esse juris humani, substernatur hæc propositio:

Papatus est robusta venatio Romani Episcopi.

Deinde docet, sacramenti altaris captivitatem *primam* esse: quod species altera Laicis subtracta: *alteram*, quod Transsubstantiatio firmiter credenda sit: *tertiam*, quod ex Missa factum sit sacrificium. Oppugnat Sacramentorum numerum: & duo tandem agnoscit tantum, Baptismum, & Cœnam Domini. Atque hunc librum vult esse partem suæ revocationis, si per Bullam ad eam adigatur. Ubi autem Bullam accepit, contemptim de ea loquens, *Venit tandem*, inquit, *bulla ista Romana, per Eccium allata: de qua nostri scribunt ad Principem plura: ego eam contemno, & jam invado tanquam impiam & mendacem, omnibusque modis Eccianam. Vides in ea damnari Christum ipsam: deinde nihil afferri causæ: tandem me vocari, non ad audientiam, sed ad palinodiam: ut scias, eos plenos esse furore, cæcitate, & amentiâ, qui nihil videant, neque cogitent: agam tamen adhuc presso nomine Papæ, tanquam in effictam, & mentitam bullam, quanquam credam veram & propriam esse eorum. O utinam Carolus vir esset: & pro Christo hos Satanas aggrederetur.*

d) Reperiuntur hæc omnia Tom I. epist Luth. ad annum XX.

c) Deinde adversus execrabilem Bullam scriptum edit, in quo Bullam ipsam & Bullæ autores excommunicat: assertionem etiam publicat omnium articulorum à Papa damnatorum: à Pontifice iterum ad Concilium provocat: Papam nominat Antichristum: & cum audiret libros suos ab Hieronymo Alexandro, Pontificis legato, Lovanii, Leodii, Coloniæ, frustra renitente Friderico Electore, esse incensos: ipse X. Decembris, convocato omni cœtu scholastico, Wittembergæ horâ nonâ, ad portam Orientalem, omnes libros Papæ, Decretum, Decretales, Sext. Clementini Extravagant. & Bullam novissimam Leonis X. Item summam Angelicam, & Eccii quædam, exurit: & facti rationem edito scripto exponit.

e) Legantur omnia Tom. 2 operum Lat. Jenens.

f) ERASMVS à Friderico Saxoniæ Electore, Aquisgranum ad coronationem Caroli Cæsaris profecturo, & Coloniæ valetudinis causâ commorante, Lovanio accersitus, &, de Luthero quid sentiret, rogatus, fassus est ingenuè: veram esse Lutheri doctrinam, sed plusculum se desiderare moderationis. Iterum interroganti Principi, cur adeo invisus esset clero Lutherus? Respondit quasi per ridiculum: duo illum peccata magna commisisse: attigisse coronam Papæ, & Monahorum ventres. Mirum igitur non esse, universum regnum Pontificium in ipsum invehi.

f) Dresserus.

g) Altero post colloquium cum Friderico Saxoniæ Duce habitum, die, Erasmus ad Conradum Peutingerum, Cæsaris Consiliarium, scribit, & Lutheri causam arbitris doctis, integris, & ab omni suspicione alienis, delegari in futuris Wormatiæ Comitiis, consulit.

g) Epist Erasmi f. 435. 436.

Fuit Lutherus & hoc & superiori anno sæpius ex aula Saxonica monitus: moderatius ut doceret, scriberetque. h) At ille, *Si persistendum est*, inquit, *in docendo, mi Spalatine, non intelligo consilium tuum & tuorum, quos memoras: posse videlicet sacram Theologiam sine offensione Pontificum doceri. Scriptura potissimùm sacrorum abusum persequitur, quod non poterunt Pontifices sustinere. Ego tradidi, & obtuli me in nomine Domini. Fiat voluntas ejus. Quis rogavit eum, ut me Doctorem crearet? Si creavit, habeat sibi, aut rursus destruat, si pœnitet creasse. Adeo me non terret ista tribulatio, ut incredibili sinu carbasa cordis mei inflet: ut jam intelligam in me ipso, cur Dæmones ventis aquentur in scriptura. Dum enim sese efflant furendo, alios inflant patiendo. Id solùm curo, ut Dominus in meis, quas inter me & ipsum habeo, causis, mihi sit propitius, atque hoc, ut potes, juvare digneris. Istam vero hominum causam fideli oratione Deo committamus, & securi simus. Quid enim facere poterunt? Occident? Nunquid resuscitabunt, ut iterum occidant? Hæreticum infamabunt? At Christus cum iniquis seductoribus, maledictis, damnatus est: cujus passionem si quando intueor, mirè uror, hanc meam tentationem non solùm aliquid, sed etiam maximam videri tam magnis & multis, cum sit revera nihil: nisi quod funditus desuevimus passionibus & malis, id est, Christianæ vitæ. Et iterum:* i) *Esto, novum & magnum sit futurum incendium: quis potest Dei consilio resistere? sine, quæso, rem suis ire motibus: solus Deus in negotio est: rapimur, & agimur, ut video, potius, quàm agamus.*

h) Epistola ad Spalatinum. i) Ad eundem 12. Febr.

VLRICVS HVTTENVS Nobilis Francus Germanicâ linguâ edit libellum historicum de perpetua Pontificum Romanorum inobedientia adversus Imperatores: in quo sub finem recitat dictum Maximiliani I. de Leone Pontifice, cum fidem non servasset: Nun ist dieser Babst auch zu einem Bösewicht an mir worden: Nu mag ich sagen, dass mir kein Bapst, so lang ich gelebt, je Treu oder Glauben gehalten hat: hoffe ob Gott will, dieser sol der lezte seyn.

Leo Pontifex, ut Albertum Brandeburgicum, Archiepiscopum Moguntinum, eundemque Cardinalem, cui noverat Huttenum familiarem esse, in fide retineret, sextâ Junii amicas ad illum dat literas, in quibus de sua erga Albertum benevolentia præfatus, i) *quin etiam*, subjicit, *Rosam auream, vetere institutio prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum Dominicâ Quadragesimæ quartâ benedici solitam, à nobisque solenni more benedictam, alicui sæculari Principi mitti solitam, per Marinum Caracciolam ad Circumspectionem tuam donum misimus, ut ad Principem quidem Electorem, veruntamen novo exemplo. Sed omnia indicia benevolentiæ erga te nostræ satis nobis justa etiam ad innovandum aliquid videntur esse. Quare Circumspe-*

ctio tua grātum illud munus accipiet: quod etsi mysticum est, magnasque habet in se rerum sacrarum interpretationes, tamen ad cæteras adjunctum est pignus amoris summi in te nostri.

l) Ex autographo Leonis.

k) Duodecimâ deinde Julii missis aliis ad Albertum literis, cordolium suum ipsi aperit: Huttenum in Sedem sanctam effudisse contumelias: & esse illum Archiepiscopo familiarem: & impressos esse libros ejus in civitate Alberti Moguntiâ. Hortatur igitur Albertum, authoritatem suam interponat, & ea in maledicos indicia suæ severitatis edat, quæ & ipsos & alios possint à tanta petulantia cohercere. l) Albertus igitur emptione & lectione scriptorum Hutteni omnibus sub excommunicationis sententia interdicit.

k) Ex autographo Leonis.

l) Lutherus ad Spalatinum Tom. I. epist.

Hoc anno Lutherus certò definit: *Pontificem Romanum esse Antichristum.* m) Sic enim ille: *Ego sic angor: ut prope non dubitem: Papam esse propriè Antichristum illum, quem vulgatâ opinione expectat mundus. Adeò conveniunt omnia, quæ vivit, facit, loquitur, statuit.*

m) Epistola ad Spalatinum 23. Februar.

Et alibi: n) *Nos his persuasi sumus, Papatum esse veri & germani illius Antichristi sedem: in cujus deceptionem & nequitiam ob salutem animarum nobis omnia licere arbitramur. Ego pro me confiteor: Papæ à me nullam deberi obedientiam, nisi eam, quam τῷ γνησίῳ Ἀντιχρίστῳ debeo.*

n) Ad Joannem Langum 18. August.

o) ERASMO nec Lutherus, nec Lutheri adversarii satisfaciunt. *Video*, inquit, *rem hactenus multò aliter esse tractatam, quàm viri prudentes putârint esse tractandam. Lutherus etiamsi vera scripsisset omnia, tamen eo modo scripsit, quasi veritati suum fructum inviderit. Contrà, qui se huic negotio transversim ingesserunt, sic gesserunt rem apud populum: ut, etiamsi causam habuissent optimam, tamen illi plurimùm obfuerint sinistro patrocinio. Admonitus est Lutherus: ut stylum verteret, & atrocitatem temperaret: scribit indies, ut audio, sæviora. Admoniti sunt hi: ut moderatioribus rationibus rem agerent: quidam sic egerunt, ut cum Luthero colludere viderentur.*

o) Epistolâ ad Conradum Peutingerum.

p) Et alibi: *Precor, ut Christus optimus maximus Lutheri stylum ita temperet: ut plurimum adferat fructûs Evangelicæ pietati: mentemque meliorem det quibusdam, qui cum ignominia Christi suam quærunt gloriam, qui cum illius jactura suum quærunt lucrum. In castris eorum, qui Lutherum oppugnant, multos video, qui mundum spirant magis quàm Christum. Et tamen utrinque peccatur. Utinam Huttenus temperasset stylo suo, cujus ingenium amo unicè! Optârim, Lutherum ab istis contentionibus aliquantisper conquiescere, ac rem Evangelicam tractare purè, non admixtis adfectibus, fortasse res aliquantò melius successerit. Nunc & bonas literas degravat invidiâ, nobis exitiabili, ipsi infrugiferâ. Et periculam est, ne publica morum corruptela, cui nemo non fatetur opus fuisse publico remedio, ceu pestis exagitata, magis ac magis sese confirmet. Nec semper est proferenda veritas.*

p) Epistolâ ad Spalatinum.

q) CHRISTIERNVS Rex Daniæ, sive bonorum ecclesiasticorum cupidine, sive purioris Religionis studio incensus, ab avunculo Saxoniæ Electore Concionatorem Evangelicum ad se mitti petit. Mittitur quidam M. Martinus, vir eruditus, qui Hafniæ Daniæ metropoli diebus festis à meridie magno populi applausu docet. Is quia gestum in dicendo minus decorum egit, à Canonicis ad D. Virginem falsè fuit irrisus: inventusque puer est, qui in conviviis & alibi callidè Pastorem novum imitaretur, & M. Martinus vocaretur.

q) Arnoldus Huitfeldius Chronico Daniæ.

JOANNES THURZO, Episcopus Uratislaviensis, primus fuit Episcoporum Pontificiorum, qui renascenti Evangelio, & hujus præconibus faveret. Id quod Lutheri & Melanchthonis ad ipsum epistolæ testantur: quas, quia vix alibi reperias, apponendas duxi.

REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO,

D. JOANNI,

Episcopo Ecclesiæ Vratislavien.

Domino suo gratioso, ac patrono unicè colendo.

JHESVS.

SESE commendat. Quanquam ego, Reverendiss. Præsul, rationem meæ parvitatis habens, ut ad omnes alios magnates, ita ad tuam magnitudinem præcipuè timidus scribo: animum tamen erexit Venerabilis Vir, Dominicus Sleupner, Reverendiss. tuæ paternitati addictissimus, qui hinc pietate, quâ in suum Episcopum affectus est, solvit, visurus, quid rerum Dominus operetur in mortali corpusculo p. t. Noluit autem sine meis literis ire, persuadens, me rem facturum non ingratam R. p. t. Ego sanè fateor, & me nonnihil, imò multum cum R. p. t. agrescere, quod Ecclesiæ Dei compatior, cui, proh dolor, rari dantur, qualem R. p. t. dedit, Episcopi, cum nunquam magis egu-erit talibus. Cæterum confido, quòd manus ejus percutiet, & sanabit: atque qui R. p. t. tam insignibus ornavit dotibus, non deerit, ut det virtutem fortitudinemque, omnia constanti Christiano, Episcopalique animo ferendi, & standi in omnes sanctas voluntates ejus. Si vita negabitur Ecclesiæ, prosit mors. Potens autem est, tam ex vita quâm ex morte p. t. Ecclesiam suam juvare, pro divitiis bonæ voluntatis suæ. Non hoc scribo, quod necessarium arbitrer, animum tuum confortari in Domino (quanquam quis est tam fortis, qui non egeat vel minimi fratris solatio?) sed quod communia nobis omnia voluit & fecit is, qui pro nobis omnia factus, jussit: ut alter alterius onera portaret; ne ullus fidelis suus solus viveret, aut solus moreretur; sed in communione sanctorum securus per omnia ageret & pateretur. Itaque quantum nos contristat communis T. P. ægritudo, aut, si Dominus volet, etiam futura mors: tantum nos rursus latificat, quod nec sola patitur, nec sola vivit anima tua, sed vivimus, & patimur cum illa, & omnibus Jesus Christus, medium cordis nostri, in quo sanctè valeat R. P. T. & meæ temeritati ignoscat. Literæ enim priores P. T. R. animo-

sum

sum me fecerunt, cum sint magnæ humilitatis & charitatis: ut eruditionem taceam: plenissimæ, & inter sacra mea perpetuo monumento servandæ. Iterum: valeat R. P. T. in Christo, & me commendatum habeat. Wittembergæ 3. Kal. Augusti 1520.

T. R. P.

filius

F. Martinus Luther, Aug.

REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO PATRI AC DOMINO, D. JOANNI, Vratisl. Ecclesiæ Episcopo, Domino suo ac patrono.

SALVE, Reverendiss. Præsul, Optime pr. Quàm grato pectore acceperim, quæ de me ad Dominicum nostrum Reverend. p. tua scripsit, multo jam tempore, justo aliquo & argumentoso opere testari gestio. Sive enim ita de nobis in iis literis judicabas, sive pro benignitate tua nos istiusmodi laudatiunculâ ad recta studiâ incitabas, jucundissimum fuit his vocibus à tanto principe vel probari, vel animari. Verum dum cesso interim, & contor hunc talem animum Reverend. p. tuæ declarare, Dominicus noster, pro officio ad Reverend. p. tuam profecturus, hortatur: ut brevi me epistolio Reverend. p. tuæ commendem. Ego verò ut intelligebam, & quid deberem, & qualia decerent Reverend. p. tuam: ita parum civile arbitrabar, putidâ tantum epistolâ, ac non potiùs graviore aliquo argumento Reverendiss. p. tuam interpellare: tamen victus hominis amici consilio, hoc, quidquid est, literarum scribo: ac Rever. p. tuæ simul mea studia, & hunc animum, laudibus tuis impensè faventem, addico. Quis enim ei non faveat? qui unus nobis, quod sciam equidem, in Germania Episcopi παράδειγμα absolvisti, autoritate, literis, ac pietate. Qui, si haberet Christiana Respublica, ut ille Rex Homericus ait, decem tui similes συμφράδμονες, non dubitarem, renasci aliquando Christum. Sed hæc aliàs. Cætera Dominicus coràm. Hujus officium, qui te visurus abit, Reverend. p. tua probabit, cujus salute, ne suam quidem, quæ est hominis dexteritas, qui candor, antiquiorem habet, studia ejus pro benignitate tua Reverend. p. tua adjuvabit ac provehet. Dignus est, & quia bonus, & quia tuus est; quem Reverend p. tua tueatur. Feliciter valeat eadem p. tua. Wittembergæ. Kal. Augusti 1620.

R. P. T.

Deditissimus

Philippus Melanchthon.

r) Non vidit autem has literas Episcopus. Obiit enim secundâ Augusti hujus anni Nissæ. Ideo Lutherus gloriatur, Episcopum hunc optimum in fide Evangelica mortuum esse.

r) Tom. 2. epist. Luth. pag. 7.

ULRICUS ZASIUS Jurisconsultus, quid in Luthero laudârit pariter, & desiderarit: loquatur illius ad hunc epistola Friburgo Kal. Septemb. scripta: s) *Si animi mei affectum, Martine, Theologorum Phœnix (lubet ultra epistolare filum molliùs scribere) si, inquam, affectum declarare tibi pergam; nihil secius, quàm Sardos venales exhibeo: ita in te omnia mea, non dico, afficiuntur, sed vel ardent: didici abs te, si quid boni in me sit, quod vel nihil, vel exiguum est, omnia prorsus accepta referre Deo. Indulgentiarum vim, quam à trecentis, & amplius, annis, nemo deprehendit, ita mihi clarè depinxisti: ut non solus ego, sed ipsissimi Romanistæ, in ordinem redactas esse, consiteri cogantur. De pœnitentia, de Confessionis veritate, de decem præceptorum spirituali medulla, quid poterat tuis opusculis esse, vel verius, vel fundatius? taceo minutiora. Et una à te epistola ad Galatas tradita, præsentibus & posteris utilis esse poterit: in qua tu loca abstrusa, clarissimè elucidas: ut non aliter quam fide, non ex operibus legis justificemur, & quod lex peccatum potiùs augeat, quàm adimat: nec aliter impleatur lex, nisi destruatur: multaque id genus & rara & insignia, & ut verbo dicam, unus es, qui doctus & integer Theologus dici merearis. Te sequuntur passim docti omnes: ex te pendet jam non quota pars Christiani orbis. Sunique, quod ausim ex veritate dicere, ex doctissimis, qui eam sortem nullo argento commutarent, quod te non legissent. Equidem cupercm potiùs extremâ laborare inopiâ, quàm tua non vidisse. Quo tamen nomine non est, quod tibi glorieris, sed DEO (hoc enim tu ipse doces) qui ex te salutem nostram operatur.*

s) Extat inter epistolas Schwebelianas. p. 10.

Sed, si æquo pateris animo, vereor esse in te, quæ desiderentur. Amore enim victoriæ Eckianæ (quem certè subtrivisse videris) nimium Sedis Apostolicæ authoritatem attenuare, quibusdam judicaris, quos tamen licet nec approbem, nec improbem, quando id genus controversiæ non est mihi satis perspectum: habeo tamen vel ego, de quibus nonnihil subsistam. Tot enim ætates, quæ summam Pontifici Romano potentiam prærogarunt, & sanctos viros convellere, nisi fortissimis agatur rationibus, non est tutum: & esset in jure nostro, si ulla tibi ejus esset authoritas, hæc ratio invicta. Quæ enim diutissimè sunt justa visa, nefas putamus everti contendere. Sed tamen dubito, non affirmo, tuam clariorem expectamus elucidationem. Si ita tibi libeat: Si hominem exiguum, auditorem tuum eâ notâ digneris. Sin minus, tamen brevissimis ad me literis scribito: ut intelligam, te meis nugis non offendi, qui alioquin omnia tua, tanquam veritatis oraculum, amplector, & me eis, prout Deus dederit, confirmo. Vale. Plura scripturum nuncius præpedit, qui jam itineri intentus, negat diutius præstolari posse. Alio tamen tempore plura. Præsentium exhibitorem, juvenem integrum, devotum, doctum, & tui amantissimum, fac ex humanitate complectare: famulus Joannis de Schœnavv fuit, viri nobilis, devotissimi, & qui totus ex tuis pendet præscriptis, assiduus & lector & imitator tuarum præceptionum, qui etiam à decem annis Taulero studuit, & qui ductu præstantissimi Theologi Brisgoici fovetur. Brisgoici, inquam, cui nihil, post sacras literas, nisi Lutherana sapiunt, illic te juvenis ille colere didicit.

Mi dulcissime Martine, nolito moveri, ex syncc-

sinceritate purissimi amoris ad te scribo, verius, ne pulcerrimæ tuæ doctrinæ hac odiosâ & exoticâ concertatione, quam fortè sustinere non possis, dehonestentur. Vale, decus Christiani orbis. Georgium Spalatinum, virum cum doctrina humanissimum, salvum jube, cui scripsissem, nisi nuncius festinasset. Sed proximè scribam. Melanchthona, hominem raræ eruditionis, omnes animæ meæ vires, saluta.

t) OECOLAMPADIVS, Ecclesiastes Augustanus, in cœnobium Salvatoris, prope Augustam concedit, factus ibi Monachus, cum metueret Reipublicæ à Lutheri scriptis; sed inprimis ut otium ei conservaretur ad studia sua Theologica. Antequam autem monasterium ingrederetur, studiis suis & fidei libertatem à fratribus stipulatus est. Subsitit in eo annum integrum, usque dum libertas verbi divini interdici cœpta.

t) Capito in vita Oecolamp. Et Oecolampadius ipse epist. ad amicum quæ extat lib. 4. epistolarum Zwinglii & Oecolampadii.

Hoc gravissimè in eo tulit Erasmus. Indicio est epistola ad Pirkhaimerum Nonis Septembr. scripta; ubi inter alia: *Quod scribis ab Oecolampadio factum, jam ex illius literis subodorabar futurum: Id sive judicio fecit, sive animi morbo, quando mutari non potest, precandum est, ut illi ac nobis quàm optimè vertat. Video res humanas sic undique corruptas; ut nullis unquam seculis, existimem plus licuisse impudentiæ, plus licuisse stolidizati, plus licuisse sceleri. Et nonnunquam libet aliquò profugere: sed vereor: ne, quocunque me vertero, sequatur molestia. Proinde tutius arbitror, mali remedium ab animo petere potiùs, quam à loco, aut vitæ instituto. Bene habet, quod Christus in tanta vitiorum caligine nobis Evangelicæ doctrinæ scintillas reliquit.*

u) WOLFGANGVS etiam Fabritius Capito ad Melanchthonem: *Oecolampadius noster*, inquit, *ad vitam monasticam secessit, ad monasterium Divi Altonis, quod ab Augusta tertium lapidem distat. Fecit inconsultè vir alioquin cautus & prudens, qui animum per se parum alacrem insuevo jugo oneravit, causa religionis, quasi Christus nostrâ mœstitudine fruatur, & cultus sit ingenuè Christianus refugisse hominum conspectum. Quamlibet infirmum corpus afflictet obstinato silentio, vigiliis, inedia: vitæ tamen exemplo pluribus, inter homines agens, profuisset. Totus paret jam pauculis mulierculis, quibus anxiè desudabit, se illis præbens promptum ad omnia, ceu discipulum præceptoribus, quibus, mi Philippe, opus est præceptore: & quas justiùs ferre, quàm exercere imperium dixeris: ut nihil aliud certè propter sexûs imbecillitatem. Est enim monasterium, cui se mancipant instituti, D. Brigidæ, ubi mulieres viris in caput habentur, ordine præpostero. At ferendum est, quando mutari nequeat.*

u) Epistola MS.

CASPAR Hedio Etlingæ in Marchionatu Badensi natus, Basileæ Theologiæ Doctor creatur, & summo apud Moguntinos templo præficitur, Evangelii lumine jam tum collustratus.

Quo loco Basileæ res Christi fuerit hoc anno, Capito narrat. x) *Hic*, inquit, *res semper in melius vergit. Theologi & Monachi nobiscum faciunt. Enarranti modo Matthæum operam dat auditorium frequentissimum. Lutherio quidam diraminantur. Sed receptior est opinio, quàm quæ ullâ vi queat evelli. Sunt qui me favoris Lutheriani reum agunt: tametsi sedulò dissimulo.*

x) Epistola MS.

Mense Aprili Wolffgangus Fabritius Capito, favore Ulrici Huttenii ab Archiepiscopo Moguntino in aulam vocatus est, Principis Concionator, & Consiliarius, quam ille conditionem ideo suscepit: ut Moguntiæ Christianismum plantaret, Sic enim ille ad Huttenum anni superioris mense Novembri: *Juris Pontificii, ut vocant, Doctoratum suscipiam: propter auctoritatem videlicet comparandam: scopum suboleseis, præ cæteris multis sacrosanctum. Licet interim sint aliqui, qui vitio vertunt, Theologum esse, & unà simul Civilem: quasi Theologus necesse habeat omnem exuere humanitatem.*

Ex Moguntia mense Decembri Capito iterum hortatur Lutherum ad modestiam, ubi inter alia, *Cupio*, inquit, *reflorescere Christum, armis an patientiâ reflorescat, compertum habes. Nata est Religio: aucta est: firmata est, ab innocentibus, ab imbellibus; tolerantiâ gladios furiosis è manibus excusserunt inermes. Quæ verò gens ab Hoplomachis cruentis candidam Religionem susceperit, non observavi. Quanquam haud ignorem veterem legem, cui nos videmur persimilimi, assertam esse manu sæpius: & à nostris tentatum interdum, non dico, quàm feliciter, neque quàm piè, quia interim decrevit res nostra. Idcircò vehementer deterres deditos tibi significantiâ præsidiorum & armorum, etiamsi intelligam fortè rationem consilii tui: quæ apud me prope alia est. Nam quod altè hæret, non semel evellitur, sensim est, & subinde labefactandum: ut tandem sequatur trahentis manum.*

y) SENATVS Tigurinus de consilio Zwinglii omnibus ditionis suæ concionatoribus mandat: ut, missis hominum commentis, liberè, doceant, quidquid autoritate Propheticarum & Apostolicarum literarum adstrui possit. Cives Tigurini concionibus & libello Zwinglii de discrimine ciborum mense Aprili edito moti, legem Papæ de vetito carnium esu perrumpunt. Hugo Episcopus Constantiensis per edictum publicum singulos, per legatos verò Tigurinos hortatur: in fide Romanæ Ecclesiæ ut maneant tantisper, dum Concilium celebretur. Zwinglius ad legatos se suaque defendit. Tigurini Episcopum orant: ut cogat synodum, in qua viri docti colloquantur, & quid populo credendum, definiant.

y) Ex Archivis Tigurinæ Ecclesiæ.

Fuit Zwinglio idem animus qui Luthero, fortis nimirum & intrepidus. Sic enim hoc anno ille de se: z) *Ego quod ad me attinet, dudum devotus expecto omne malum ab omnibus, Ecclesiasticis dico & laicis: hoc unum Christum obtestans, ut masculo omnia pectore ferre doceat, & me figulinum suum rumpat aut firmet, ut illi placidum sit. Si excommunicabor, memor ero Hilarii doctissimi & sanctissimi viri, qui è Galliis in Africam relegatus fuit: & Lucii, qui à Romana sede exturbatus cum multa gloria rediit: non quod me illis comparem, sed quod his*

his me sim solaturus, ut longè melioribus nobis, ita longè indignissima passis: & si forsan gloriari expediret, gauderem pro nomine Christi contumeliam pati.

z) Epistolâ ad Myconium.

aa) Inter primàs regiones, quibus Evangelii lumen affulsit, Frisia Orientalis fuit: in qua Princeps ipse Edsardus, primis Lutheri scriptis magno studio lectis & relectis, haustisque inde lucis primitiis, superstitiones abjecit: eadem scripta Lutheri venire in Bibliopoliis, lectitarique ab omnibus, quibus animus esset, sine metu ac discrimine ullo sivit: imò exemplo suo ad hoc ipsum præcipuos ex nobilitate patria, atque alios doctrinâ & judicio valentes, excitavit. bb) Primi Evangelii doctores fuère, apud Auricanos Henricus Brunius, apud Leranos Lubbertus Cantius, apud Nordanos Joannes Stephanus, apud Weneranos Joannes Sculto, quanquam hic deflexerit posteà, sed omnibus prælucens Georgius Aportanus apud Embdanos. Hic Suollis in ædibus Fratrum, uti nuncupant, cum minor annis esset, literis imbutus, deinde adultior in docendis bonis artibus ibidem in schola versatus aliquandiu: inde ab Edsardo vocatus, & instituendis filiis ipsius præfectus, cum veritatis primum lumen hausisset, exarsit studio: ut, quod ipse intelligeret verum, id alios quoque doceret: ideoque sacerdotium, ut sibi aditus ad suggestum pateret, iniit. Inde cum Embdanos doctrinæ cupidos, sed bonorum doctorum inopes videret, templis excluſus à Sacerdotibus, quibus odio erat, permissu Comitis, patenti in campo, concurrente magna multitudine, conciones habuit. Mox civium studio, ne quidquam obnitentibus sacerdotibus, in templum urbanum ductus, & in suggesto collocatus est, Principe, ut à senibus accepi, Bernhardo Campio, publicum munus gerente (scriba enim prætorii præfecturæ suburbanæ erat) qui apparitoribus stipatus, dabat operam, ne quid turbarum per sacerdotes conciretur, aut immodestè fieret à populo. Datus Aportano collega primus, Hermannus Henricus, ex sacrificorum oppidanorum numero, abjectâ idolomaniâ ad veritatem conversus. Reliqui sacerdotes sensim altaribus & suggesto amoti, quotquot eorum concedere aliò noluere, retentis censibus suis una cum civium parte, quibus Papatus nondum fastidio erat, apud Franciscanos exercitium religionis solitæ sustentabant. In quibus Poppo Manninga locum nomenque suum tenuit ad annum Christi 1530. & defuncto Unicone Ripperda, qui Hicconi Cankenio in honore successerat, Præposituræ census prioribus quoque adjecit. Nec aliter factum in tota regione, stetitque aut concidit Papatus, prout plebs, aut sacris initiati, huc illucque inclinarunt: quippe cum cogeret neminem, neminem loco moveret Edsardus, plebi verò libertatem in hac re, atque arbitrium omne relinqueret: nisi quam causam piam, quantum poterat, favore juvaret, atque hoc præstaret, ne quid immodestè aut turbulentè usquam ob religionem fieret. Denique sine imperio religionis forma, verbi divini vi, brevi tempore sub ditione Edsardi conversa est; superstitioque vetus aut privatis parietibus hic illicque, aut Monachorum Monachorumque cœnobiis concluſa.

aa) Ubbo Emmius histo. Fris. lib. 50.
bb) Idem Ubbo lib. 53. hist. Fris.

ANNVS CHRISTI M D XXI.

ANnus vicesimus primus Lutheri confessione coram imperio editâ: origine sectæ Anabaptisticæ: Henrici VIII. Anglorum Regis adversus Lutherum libro: & aliquot in Germania Ecclesiarum reformatione est insignis.

LVTHERVS ut à Cæsare audiretur, Fridericus Saxoniæ Elector effecit. a) Sexto igitur Martii literis Cæsaris, fidem publicam promittentibus, per Caduceatorem Casparum Sturmium, vocatur Wormatiam: comitantur eum Justus Jonas præpositus: D. Hieronymus Schurffius Jurisconsultus, & Nicolaus Ambsdorfius Theologus. b) Ex scholasticis unum sibi comitem adjunxit, Petrum Suavenium Danum, qui postea in aulam Regis Daniæ Christiani accitus, studia literarum & Ecclesiæ multùm juvit.

a) Cochlæus.
b) Eberus in intimationibus Philippi.

c) Erant qui hominem in itinere dehortarentur: Wormatiam ut ne ingrederetur: alii, qui exustione librorum ipsius jam damnatum Pontificiorum calculo crederent: alii, qui Joannis Hussi, alii, qui Savanorolæ exemplis terrerentur. Franciscus etiam à Sickingen à Cæsaris intimis rogatus, per Martinum Bucerum ad se invitat Lutherum, subinnuens: in arce sua Ebernburga commodiùs, quàm in strepitu Comitiorum causam ipsius posse disceptari. Quibus omnibus acriter Lutherus restitit, & non Ebernburgam sed Wormatiam quia à Cæsare esset vocatus, eò se iturum dixit: etiamsi sciret, tot sibi diabolos esse oppositos, quot sunt in omnibus urbis tectis tegulæ.

c) Acta Wormatiensia.

d) Venit Wormatiam XVI. Aprilis, quæ erat dies Martis post Misericordias Domini. Erantque tum nonnulli autores Cæsari: perinde ut cum Hussio, agendum cum Luthero. Sed Cæsar securitatem publicam minimè violandam censuit: & Ludovicus Elector Palatinus dixit: eam rem, si ita sieret, pertinere ad Germanici nominis labem & dedecus sempiternum. Bis comparuit coram Cæsare & Principibus: semel coram Trevirensi.

d) Bodinus, Sleidanus, Acta Wormatiens.

e) Coram Cæsare XVII. Aprilis ad duo respondere jussus est. Primùm. An librorum, qui nominabantur, se profiteretur autorem. Deinde, An quicquam in iis retractare, an omnia vellet tueri.

e) Acta Wormatiensia Sleidanus.

Scripta sua statim agnovit. Ad retractationis quæstionem priusquam responderet, veniâ Cæsaris noctem in consilium adhibuit. Decimâ octavâ igitur Aprilis, non unius generis libros esse à se publicatos, respondit: eorum alios de pietate & moribus: alios contra Papam & ejus doctrinam: alios contra privatos adversarios scriptos. Nullos se retractare posse: non primi generis: quia ipsi adversarii eos utiles & innoxios esse fateantur. Non secundi, non tertii generis, quamlibet calidiùs scriptos: ne tyrannidem Antichristi, & ejus asseclarum corroboret. Denique ex scripturis solis se revincendum offert.

Cæsar XIX. Aprilis missâ in Senatum epistolâ, se fidem Luthero servaturum, sed finito salvi conductûs tempore, proscripturum illum, significat.

Trevirensis XXIV. Aprilis primùm præsente Elector

lectore Brandeburgico, deinde privatim Lutherum tentat. Sed nihil ab eo extorquet, nisi repetitionem consilii Gamalielis. Dimissus Lutherus XXVI. Aprilis Wormatiâ abit. Fridbergâ scribit ad Cæsarem: Acta Wormatiensia repetit: confessionem suam inserit: gratias agit pro data fide publica: vim deprecatur. Ejusdem argumenti literas ad status Imperii exarat.

Cæsar VIII. Maji Lutherum proscribit: quem Leo Pontifex 28. Martii die cœnæ Domini iteratò excommunicârat. Omnium animi tum erant arrecti, quid illa Cæsaris & Pontificis fulmina essent effectura. Mirare hic mecum bonitatem juxta & sapientiam Dei. Lutherus Friderici Electoris prudentiâ ex oculis hominum abripitur, & in arce Wartberg, prope Isennacum absconditur: ubi menses decem circiter latuit.

LEO Papa Kal. Decembr. moritur. Cæsar in Hispaniam ob excitatas ibi seditiones vocatur: bello deinde Gallico implicatur. Et sic persequutionum venti sedati, & in turbido renascentis Ecclesiæ mari tranquillitas est facta. f) Falsus fuit Hieronymus Aleander, qui ad Marinum Caracciolum, legatum Pontificium, fertur dixisse: *Eia, mi Caracciole, si nihil adeo præclari his Comitiis effecimus: tamen certum est, nos magnam hoc edicto in Germania lanienam concitare, qua Alemanni ipsi in viscera sua sævientes, propediem in proprio sanguine suffocabuntur.*

f) Joh. Wolffius Tom. 2. Lection. memor..

g) De ipla proscriptione Cæsarea diversa diversorum (ut fieri solet) erant judicia: aliis zelum Caroli collaudantibus: aliis Propheticum illud identidem ingeminantibus: *væ terræ, cujus Rex puer est.* Erasmus quid de bulla Papæ & Cæsaris proscriptione senserit: epistola ipsius docet: in qua hæc leguntur: h) *Semper in hac fui sententia: tragœdiam hanc nullâ ratione melius consopiri posse, quam silentio. Idem sentiunt, qui sunt inter Cardinales & magnates cordatissimi. Prodiit sævissima bulla à Pontifice. Nihil aliud quàm exacerbavit incendium. Sequutum est etiam sæviùs Cæsaris edictum, qui totus in hanc rem propensus est. Ea res linguas quorundam & calamos coercet, at non mutat animos. Laudatur quidem pius Cæsaris animus: sed judicium hujus rei adscribunt iis, quibus eruditi non multum tribunt.*

g] Cochlæus in vita Lutheri.
h) Basileæ III. Non. Sept. 1522.

Erant qui dicerent: edictum Wormatiense plus profuisse Cæsari, quàm nocuisse Luthero. Nam ut edictum illud Papam Cæsari, à Gallo alienatum, ita Luthero multorum hominum corda conciliavit.

ORIGO fanaticæ Anabaptistarum sectæ huic anno debetur. i) Cum inter cæteras Martini Lutheri theses liber de libertate Christiana in lucem editus, toto orbe spargeretur, mox Germanicâ linguâ jactari omnium manibus cœptus, incredibili dictu est, quos plausus apud homines literarum ignaros excitârit. Is certè liber materiam vulgo ad memorabilem rusticorum seditionem, sed non bene intellectus, præbere visus fuit.

i) Lambertus Hortensius.

Nicolaus Ciconia (Claus Storch) Marcus Stubnerus, Martinus Cellarius, Thomas Müntzerus, primi hujus sectæ nominantur autores.

i) CICONIA vagabatur passim, seque imperitum literarum esse penitus simulabat, prædicans sibi divinitùs scientiam salutarem contingere. Is ex plebe imperita & simplice plurimos deceptos falsitate opinionis pernicioſæ complebat.

i) Camerarius in vita Philippi.

MARCVS literatus erat: & sibi à Deo hoc esse datum tributumque eximium, gloriabatur: ut ipse interpretando explicandoque scripta sacrarum literarum excelleret. Hunc apud se fovebat Wittembergæ Melanchthon, vel innatâ sibi bonitate: vel ut certiùs cognosceret: quid istud genus doceret.

MARTINVS Cellarius Suevicæ gentis, cum Philippo Melanchthone Tubingæ usum quendam habuerat: ideo Wittembergam venienti tradidit Melanchthon discipulos instituendos in privata Schola. Hunc Marcus amicum, socium & adjutorem nactus, cum patrocinio Andreæ Carolostadii, & favore Melanchthonis niteretur, demoliendum statim censuit, quicquid perperam in Ecclesiam introductum esset.

k) THOMAS Müntzer Saxo erat, homo (ut ajunt) illiteratus, sed, ut apparebat, in libello Lutheri de libertate Christiana egregiè exercitatus, & scripti interpres parum candidus, primùm Cygneæ Pastor inventoribus Ciconiâ & Stubnero cœpit res novas moliri: inde profligatus, Alsteti (oppidum est Ducum Saxoniæ in finibus Thuringiæ & Saxoniæ) concionatoris officium sibi arrogavit: ubi editis etiam libris errores suos in universam Germaniam disseminavit. Semel atque iterum cum Luthero Wittembergæ privatim contulit: sed pias Lutheri commonefactiones susque deque habuit. Alsteto igitur ejectus in superiorem Germaniam, & indè in Helvetiam proficiscitur, ubique seminibus furoris sui sparsis. Sed mox in Thuringiam reversus Mulhusium sibi delegit, ubi novam conderet Ecclesiam, Luthero frustra Mulhusinos monente, à lupo isto ut sibi caverent.

k) Lambertus Hortensis. Bullingerus de Anabaptistis.

l) De Ciconia & Marco quid factum sit, quique exitus vitæ eorum fuerint, non constat. Cellarius sectæ isti diu sanè adhæsit, cumque anno XXV in Prussiam venisset, liberam custodiam Principis jussu datus, multa scripsit de doctrina illa. Postea animadvertens, labascere partes, & spem se frustrari, Basileam se contulit, uxorem duxit, quietè vixit, sacra professus est, Latinoque nomine Cellarii in Græcum commutato, se Borrhaum nominavit. Leguntur commentarii ejus eruditi in Pentateuchum, & alios Bibliorum libros. Müntzerus, quod notum, in prælio captus, à Duce Saxoniæ ferro percussus est anno XXV. Hoc hominum genus nil nisi LIBERTATEM in ore habebat: Colloquia cum Deo jactitabat: in Ecclesiasticos & Politicos detonabat: omnia esse corrupta, ideoque instauranda, Ecclesiamque novam condendam, & illius cives denuo Baptismo initiandos, clamabat.

l) Camerarius. Bullinger. Hortensius.

m) HENRICVS VIII. Rex Angliæ dogmatum Lutheri commotus novitate, pulcrum simul & honorificum sibi futurum existimabat: si scripto aliquo eruditionem suam & cultûs divini piam curam omnibus faceret testatam. Hinc prodiit libellus ille, adeo profectioris ætatis, & exercitato aliquo Theologo dignior, quàm adolescente Rege (cui, quanquam maximè voluerit, non licuerit tamen in literarum studio ætatem terere) ut alii

Thomæ Mori, alii Fiſcherii Roffenſis, plurimi verò alterius alicujus ſummi viri opus id fuiſſe, haud ſine cauſa ſuſpicarentur. Ut ut fuerit, edito libello ſic reſpondit Lutherus, ut multi ſanè, qui ſanctum hominis zelum laudarent, modeſtiam tamen, ſpiritu ſancto dignam, in eo haud immeritò deſiderarent, regiæque dignitatis magis reverentem. Enimverò Papæ hæc Regis opera navata tam grata fuit: ut eum, ſucceſſoresque ſuos, honorifico titulo (Defenſores fidei) poſtea ſemper appellandos decreverit, quemadmodum antea Hiſpanus per Alexandrum ſextum Catholici, Gallus per alium, neſcio quem, Chriſtianiſſimi Regis nomine cohoneſtati ſunt, quæ omnia in hunc usque diem ab eorum ſingulis uſurpantur.

m) Annales rerum Anglicarum ad annum 1521.

Hactenus renaſcentis Evangelii doctrina intra Wittembergæ parietes concluſa videbatur. Etſi enim Lutheri ſcripta non ſolùm in Germaniam ſuperiorem & inferiorem, ſed in remotiſſima etiam regna fuerunt ſparſa: tamen rari cœtus alibi erant (Friſiam Orientalem excipio) in quibus abjecto Papiſmo Evangelium purè doceretur. A Comitiis autem Wormatienſibus, contra quàm Cæſar & Papa exiſtimârant, Eccleſiæ variis in locis ſunt cœptæ reformari.

n) WORMATIENSES, visâ Lutheri in Comitiis Imperii conſtantiâ, nil territi horribili Cæſaris edicto, concionatores Evangelicos vocant, quibus cùm aditus ad Pontificiorum templa intercluderetur, portatilem ſuggeſtum confici curant, & ad audiendum Dei verbum in aliis atque aliis urbis locis conveniunt. Quod ubi Lutherus reſcivit, anno viceſimo tertio ſcriptâ ad ipſos epiſtolâ conſolatoriâ, mirificè bonorum zelum confirmavit. Anno autem XXV. Pontificii territi metu ruſticani belli, liberum Evangelicæ religionis exercitium in omnibus urbis templis civibus permiſerunt.

n) Ex Archivis.

ERFVRTI jubar Evangelicum hoc ipſo anno exortum eſt: Lutherus in itinere Wormatienſi concionem ibi habet in æde Michaëlitana, Dominicâ Quaſimodogeniti, de verbis Chriſti, *pax vobis*. Facta eſt paulò poſt vis in ſacerdotum domos, quod Lutherus valde improbat epiſtolâ ad Melanchthonem ſcriptâ. o)

o) Tom. I. epiſtol. Luth.

p) Primi Evangelii præcones illius urbis laudantur, Doctor Joannes Langus, paſtor Michaëlitanus: Georgius Forchemius, qui propinato ſibi à Pontificiis veneno, obiit: Joannes Culſamerus, qui in ſuggeſtu veneno illito extinctus eſt: M. Petrus Geltnerus: M. Melchior Wedman: Juſtus Menius, paſtor ad D. Thomam. Totus ſenatus tum fuit Pontificius: tamen Miniſterium Evangelicum & reveritus eſt, & defendit. Papiſtici autem Doctores Evangelicos odio Cainico proſequuti ſunt, & promotionem etiam Magiſtrorum ſuſpenderunt, ne Lutheranorum filii gradu Magiſterii ornarentur. q) Crevit autem tantopere Evangelicorum ibi numerus: ut anno 1523. octo templa illis vix ſufficerent.

p) Ex Archivis.

q) Præfatio Langi in Catechiſmum Lutheri.

r) GOSLARIÆ (urbs eſt Imperialis in Saxonia) primus hoc anno puriùs Evangelium docere cœpit Joannes Kleppen in ſuburbio in templo ad S. ſepulcrum. Cui cum ſenatus à Clericis inſtigatus, & Cæſaris indignationem reveritus, ſilentium indixiſſet, prodiit Theodoricus quidam Smedeken Goslarienſis, & ſub dio, in loco quem vocant den Lindenplan, maximo hominum concurſu docuit. Sed captus à Senatu, & Epiſcopo Hildeſienſi miſſus, diuturniore carceris & vinculorum moleſtiâ fractus, turpem palinodiam cecinit anno 1523. VI. Octobris. Iterum igitur à civibus in publicum protruſus eſt Joannes Kleppen, & in æde D. Jacobi docuit ad annum usque 1524. quo Senatûs permiſſu in illa ipſa æde Joannes Weſſelus, vir doctus & eloquens, Evangelium liberè profiteri, & ſacramenta ſecundum Chriſti inſtitutum adminiſtrare cœpit.

r) Ex Archivis.

s) HALBERSTADII ſinceriorem Evangelii doctrinam primi tradiderunt. Joannes Weſſelius Brunſuicenſis, & Henricus Gebhardus Helmſtadienſis, ad S. Martinum. Quibus per Canonicos ejectis, duo Doctores Theologiæ, Eberhardus Widenſee, Præpoſitus D. Joannis & Valentinus Muſteus Carmelita, pro concione, & Widenſeus etiam in ſchola ſui Monaſterii, puriùs docebant. Et in ſenatu Henricus ſcriba Coſ. plurimùm ſuâ autoritate Evangelium adjuvabat. Hunc Prætor urbis, & Capitaneus Epiſcopi, captum in ſalinas ducunt, ubi capitis damnatus ægrè tandem ſe pecuniâ redemit. D. Valentino Muſteo, inſtinctu ſuffraganei & Capituli oppreſſo noctu & ligato virilitas exciſa eſt: qui, ſanato vulnere, Wittembergam profectus, in ea vicinia, Lutheri commendatione, functionem accepit. Eberhardus etiam ab Epiſcopo ad carcerem perpetuum damnatur. Sed in itinere noctu elapſus ea cuſtodiâ, Magdeburgam pervenit. Ubi ad S. Jacobum paſtor factus, fideliter propagationem Evangelii adjuvit donec ab optimo Principe Chriſtiano, poſtea Daniæ Rege, in Holſatiam vocaretur. Halberſtadii interea Henricus Winkelius, & poſtea Joannes Wimmenſtedius usque ad ann. 1529. inter varias perſequutiones Eccleſiam puriorem plantârunt.

s) Chytræus. Dreſſerus. Hamelmannus.

t) HAMBVRGI M. Ordo Stifelius, vel, ut alii, Stemmelius, paſtor ad S. Catharinam, primus hoc anno indulgentias vanitatis arguere, fidem juſtificantem hominibus commendare, deque legitimo clavium uſu, earundemque Pontificio abuſu diſſerere cœpit. Sed ætate, morbis, & Cleri perſequutionibus fractus, exacto biennio M. Stephano Kempe Eccleſiam erudiendam reliquit.

t) Chytræus. Hamelmannus.

u) WITTEMBERGÆ Auguſtiniani cœperunt omnium primi Miſſam privatam abrogare. Lutherus, ut & vacillantes erigeret, & peritiores confirmaret, confecit illis in Pathmo librum de abroganda Miſſa privata. Fridericus Elector totius Academiæ ſententiam ſuper hac re exquirit: quæ Principem orat: ut impietatem Miſſaticam non in uno ſolùm templo, ſed omnibus in locis aboleat, & verum uſum cœnæ juxta Chriſti & Apoſtolorum mandatum inſtituat, & adverſariorum calumnias omnes fortiter contemnat. Optima ſemper placuiſſe paucis.

u) Sleidanus.

x) BASILEÆ Wilhelmus Rœblinus Paſtor ad S. Albanum impugnat Romanam idolomaniam & in Chriſti morte vitam quærendam docet. Ideo ſacrificulorum inſtinctu in exilium pellitur.

x) Vrſtiſius. Chronico Baſilienſi.

y) In VALLE JOACHIMICA, quæ Boëmum agnoſcit

agnoſcit Regem M. Philippus Eberbachius, ſcholæ Rector, in ipſo ludo literario ad utriusque sexus homines conciones Evangelicas habet.

y) Chronicon Vallis Joachimicæ.

z) ANTVERPIÆ Jacobus Præpoſitus, Prior Auguſtinianus, Lutheri diſcipulus, biennium, & amplius, Chriſtum purè docuerat. Hoc autem anno ducitur Bruxellas, ubi mirè divexatus, metu ignis recantat, & in Flandriam dimiſſus, Chriſtum iterum prædicat, captus denuo. Brugas primùm, inde Bruxellas miſſus in carcerem conjicitur, ex quo ope fratris Minoritæ elabitur. Edidit ipſe hiſtoriam lapsûs ſui, in qua Bruxellas nominat macellum Chriſtianorum: literas etiam publicat ad auditores ſuos Antverpianos: quos rogat, ne lapſum ſuum doctrinæ, ſed humanæ imbecillitati adſcribant: nec ullius hominis, ſed ſolius verbi Dei autoritatem in negotio religionis reſpiciant. Hic Jacobus Bremæ Saxonum deinceps multos annos fructuosè Evangelium docuit.

z) Ex Germanica hiſtoria ab ipſo Jacobo ſcripta.

aa) In POMERANIA mutatio religionis alicubi gliſcere, & purioris Evangelii doctrinæ ſemina ſenſim ſpargi, ac inde in Livoniam & alias gentes propagari ex Collegio ſacerdotum Treptovienſi, per Epiſcopum diſſipato, primùm cœperunt. Florebat tum Treptoa ad Regum & Collegio ſacerdotum, & ſcholà literarum celebri, quam Joannes Bugenhagius, & Andreas Cnophius Cuſtrini ad Viadri & Wartæ conflinatus, regebant, quorum tantopere in docendo induſtria, dexteritas & fides celebrabatur: ut non ſolùm ex vicinis oppidis, ſed Livonia etiam & Weſtphalia exciti ſcholaſtici, eò confluerent. Accidit autem anno 1520. exeunte: ut inſpector Eccleſiæ, Otto Slutovius, ex patritia oppidi illius familia natus, cum Rectorem ſcholæ & collegas convictores aleret, librum Lutheri de captivitate Babylonica, recens ab amico Lipſiâ miſſum, proferret, & Rectori ſcholæ Joanni Bugenhagio, cujus præ cæteris ingenium & judicium limatius, & doctrina ac facundia in lectionibus & concionibus ſacris ſpectata probabatur, perlegendum traderet. Qui mox, paginis aliquot inter cænandum præluſtratis, præcipitatâ ſententiâ, *multos à paſſo Chriſto ſalvatore Hæreticos Eccleſiam infeſtaſſe, ac duriter exercuiſſe, ſed nullum, ejus libri autore, peſtilentiorem unquam extitiſſe*, pronunciat: commemorans, quæ adverſus recepta Eccleſiæ dogmata ab eo aſſererentur. Poſt aliquot dies libro attentiùs lecto & relecto, ac ſingulis accuratiùs penſitatis, reverſus ad Collegii ſodales, & palinodiam canens: *Quid ego vobis*, inquit, *multa dicam? Vniverſus mundus cæcutit, & in Cimmeriis tenebris verſatur. Hic vir unus & ſolus verum videt.* Ac ſingulis libri illius capitibus diligenter diſputatis ac defenſis, plerosque in ſuam ſententiam adduxit: ita ut Collegæ paſtores, Joannes Kyrichius, & Joannes Lorichius (qui ad extremam ſenectam Eccleſiæ illi deinceps ſervivit) cum Diacono, quí vicini cœnobii Belburgenſis frater erat, Chriſtiano Kettelhut, nec non Abbas ipſe, Joannes Boldewinus publicè Papatus præſtigias detegere, & à ſuperſtitionibus & abuſibus traditionum humanarum, ad dogmata & cultus verbo Dei mandatos, & à fiducia Miſſæ ac operum humanorum, ad unicum ſolius Chriſti meritum auditores traducere, magno zelo inſtituerant. Vt autem in articulis mutationum multa incommodiùs ac turbulentius, non tam doctorum, dextrâ veram doctrinam tradentium, quàm vulgi ſiniſtrâ accipientium, culpâ geruntur: ita tum quoque accidit: ut S. Antonii ſacrificulos per plateas uſitato more cum nolis vagantes injurioſiùs petulantes quidam juvenes, cœno injecto, tractarent, & ex æde S. ſpiritus ſtatuas, noctu ablatas, in vicinum puteum conjicerent. Quo comperto Epiſcopus Caminenſis, recens electus, Eraſmus Mandüvel, cui in Pomerania Orientali ſacrorum cura incumbebat, ſeditiosâ ſpecie offenſus & zelo avitæ religionis ardens, atrocem perſecutionem in multos ſacerdotes ac cives & ſcholaſticos movit: & in vincula multis conjectis, cæteri prænoniti fugâ ſibi conſuluerunt. bb) Ac Bugenhagius Wittembergam, abſente tum Luthero in Pathmo (Petrus Vincentius oratione de vita Bugenhagii affirmat, ipſum paulo ante iter Lutheri Wormatienſe Wittembergam veniſſe) conceſſit, & Pſalterium privatim legendo ſcholæ innotuit, & reverſo Luthero ſtatim in defuncti paſtoris D. Simonis Benckii locum ſuffectus eſt. Joannes Kyrichius, cum Chriſtiano Kettelhut, Sundium migravit. Andreas Cnophius cum Joachimo Mollero, adductis ſcholaſticis Livonis, Rigam ad Fratrem Jacobum, Canonicum profectus, mox ad miniſterium illius Eccleſiæ in æde D. Petri vocatus eſt, ubi exemplo paſtoris Treptovienſis, acriter in fœdas nundinationes, idola & mores ſacrificorum Pontificiorum invectus, doctrinam de Juſtitia fidei, ſeu remiſſione peccatorum, & vita æterna gratis, non propter ulla opera aut merita noſtra, ſed propter ſolum Chriſtum pro nobis paſſum & reſuſcitatum, credenti donanda, præcipuè urſit. Sed ad ritus publicos, & abuſus inveteratos aliquantiſper connivit, donec per ſecutos collegas, Sylveſtrum Tegetmeier, & alios, turbulentiùs quædam iſthic quoque in rebus Eccleſiaſticis adminiſtrata ſunt. Sic perſequutio Treptoviæ mota, in plures civitates ac gentes pios Doctores, inde ejectos, diſperſit.

aa) Chytræus.

bb) Tom. 3. Declamat. Philippi.

cc) In BELGIO Carolus Cæſar dira edicta contra ſectas, quas ſic vocant omnes & ſingulas edit, & quotannis ferè renovat, quorum vi imperante Carolo, in ſolo Belgio capite truncata, ſubmerſa, ſuſpenſa, defoſſa, exuſta, aliisque mortis generibus exſtincta ultra quinquaginta hominum millia ſcribuntur: primò plurimis ob leves admodum cauſas (nempe vel carnium eſum diebus certis vetitum: vel ſervatos aut lectos libellos, quorum tamen doctrinam non probarent.) Sacerdotibus quoque & Monachis ob ductas, fornicationis causâ, uxores, vitâ privatis.

cc) Meteranus lib. 2. Chronici Belgici.

JOANNES OECOLAMPADIVS quid in cœnobio deliteſcens de Luthero ſenſerit, judicium ejus ad amicum loquitur: dd) *Jam de Martino liberè loquor, ut ſæpe antehac: quod Evangelicæ veritati propius accedat quàm adverſarii ſui. Et poteritne humanus ſpiritus, vel ab auditu, vel à promulgatione Evangelii ſuis minacibus mandatis avertere? Mirum, cum meliora non offerant, quod omnibus Sole clarius eſt, condemnare tamen non verentur, quod improbare, quantum ſatis eſt, non poſſunt. Verè dicit En-*

cit Ennius:

Pellitur è medio sapientia, vi geritur res.

Viderint Episcopi, sive me damnent, aut parcant condemnanti. Non de omnibus, quæ scripsit Martinus, loquor: non enim omnia legi. Sed quæ legi, adeo immerito rejiciuntur: ut fiat etiam injuria sacris literis, quas ipse sinceriùs exponit: pleraque ab eo dicta tam certa sunt apud me: ut, si etiam cœlestes Angeli contradicant, non me sint à sententia mea depulsuri. Vbi articulos condemnatos legero; quid sentiam de quovis, libenter tecum agam.

dd) Ex chartis editis.

ee) Idem Oecolampadius præter conciones certas, quas edidit, scripsit etiam de confessione librum, quò magis piuin, hoc minùs ceremoniarum nundinatoribus ferendum. Hujus enim occasione Glapio Franciscanus, qui tum Cæsari Carolo à Concionibus, ingens viro periculum creavit. Qua de causa sollicitantibus amicis, & consentientibus fratribus in cœnobio, tutò discessit.

ee) Capito in Vita Oecolampadii.

ff) MARTINVS BVCERVS Selestadiensis, mense Martio, ætatis trigesimo, hortatu Francisci à Sickingen, & Vlrici Hutteni, relinquit Ordinem Dominicanorum, in quo vixerat annos quindecim, & ad Franciscum Sickingum se confert. Franciscus Friderico Palatino, Præsidi Senatûs Imperii eum commendat: cujus Ecclesiasten aulicum integrum annum egit, donec vacante parœciâ Landstallensi à Francisco volens revocatus fuit, aulæ supra modum pertæsus.

ff.) Epistola Buceri M.S. ad Capitonem.

ABSENTE Luthero in Pathmo, Monachi Augustiniani Wittembergenses Missam privatam abrogandam censent, idque ideo, quia execrabilis sit abusus cœnæ Dominicæ, quæ in Sacrificium propitiatorium commutetur: deinde quia non uno sed duodecim Apostolis præsentibus Christus, & Apostoli conveniente Ecclesiâ, Eucharistiam celebrârint: postremo quia in Missa una tantum species laicis porrigatur, contra institutionem Christi. Elector consilium Academiæ super hac re requirit: gg) Academici, Justus Jonas Præpositus, Joannes Dolcius, D. Andreas Carolostadius, D. Hieronymus Schurffius, D. Nicolaus Amsdorffius, Philippus Melanchthon, rationes Augustinianorum comprobant. hh) Elector decreta ipsorum ratâ habet: Missa privata primùm in monasterio, deinde in templo parochiali, tandem in templo arcis abrogatur.

gg) Acta exstant Tom. 2. Jen. Germ.

hh] Matheſius in vita Lutheri.

ii) Mutata deinde sunt & alia, de quibus Melanchthon: *Illud*, inquit, *commemorare hoc loco nolo, qui primi publicè præbuerint utramque partem cœnæ Domini, qui primi omiserint privatas Missas: ubi deserta sint primùm monasteria. Nam Lutherus de his materiis ante conventum, qui fuit in urbe Vangionum anno 1521. tantùm pauca disputaverat. Ritus non mutavit ipse, sed eo absente Carolostadius.* Idem Carolostadius templis imagines ejicit, confessionem auricularem tollit, symbola sacra laicis in manus dat, in foro non ex jure humano, sed ex lege Mosis pronunciandum esse contendit: edit librum de conjugio sacerdotum, & de votis monasticis rescindendis, vigesimâ quartâ Junii: qui liber etsi non per omnia Luthero probaretur, scripsit tamen: kk) *Sinendum esse Carolostadium, quia nolit fortè suum cursum remorari.* ll) Vastavit etiam Scholas, literarum cultum abjecit, & ad labores manuum cunctos hortatus est.

ii) In Vita Lutheri.

kk) Ad Georgium Spalatinum 15. Augusti.

ll) Bucholzerus Dreiserus.

ERASMVS offensus periculosis tumultibus & pernicioſis clamoribus, quibus negotium Evangelicum agebatur, aut potius turbabatur, cœpit trepidatione quadam nutare ac vacillare, & à causa Lutherana longiùs se removere atque subducere, & quasi in locum tutiorem extra telorum jactum secedere. Sentiebat autem, de rebus tam arduis censuram & judicium deferendum ac permittendum esse Ecclesiæ, quæ auditâ virorum aliquot piorum & eruditorum sententiâ, communi consilio ac deliberatione de dogmatibus statueret, decreta verbo Dei consenscientia conderet, controversias tolleret, & pacem Ecclesiasticam sanciret ac stabiliret. Ut itaque lectori ob oculos ponamus specimen sapientiæ hujus viri, vel secum luctantis, vel cum utraque parte quodammodò conflictantis, verba quædam ejus, ex epistolis, hoc anno scriptis, subjungemus, non ut lectori inde Erasmi de Religione sententiam (quæ vel perplexitatibus involuta, non mox cuilibet sese pandit, vel suâ quadam lubricitate elabi, mentemque legentis prætervolare potest) venetur ac discat: sed ut ex his de admirando illius ingenio, dum inter partes ferè medium sese gerere studet, conjecturam faciat, & dissidii inter ipsum & alios exorti fontes propius aspiciat. mm) Sic itaque ille hoc anno scripsit Petro Barbirio 13. Augusti. *Initio*, inquit, *dici non potest, quàm multi, qualesque viri Luthero faverint. Ego è pauculis pagellis degustatis visus sum mihi subodorari, rem exituram in tumultum. Et mihi sanè adeo est invisa discordia, ut veritas etiam displiceat seditiosa. Primus omnium admonui literis: ut rem Evangelicam Evangelicâ mansuetudine moderationeque tractaret &c. Equidem, ut mihi videre videor, esse quædam in Ecclesia recepta, quæ magno Christianæ religionis bono mutarentur. Ita nihil placet, quod hujusmodi tumultu geritur. Si communicato inter ipsos consilio, docti obsignatis libellis, utriusque ditionis Proceres admonuissent, quæ judicassent ad Evangelicæ doctrinæ sinceritatem attinere, fortassis & ipse fuissem unus, qui sedulo, quod potuissem, consuluissem. Nunc quid furiosius, quàm rem tantam maledicis libellis & clamoribus agi? Quo quidem in negotio primùm utrinque peccatum est. Meâ sententiâ, nimium calidis consiliis hinc atque hinc res gesta est, &c. Porro quod dicitur, Lutherum quædam hausisse è libris meis, mihi in manu non erat, præstare, ne quis scriptis meis inposterum abuteretur, quando hoc nec Evangelistæ, nec Apostoli præstare potuerunt. Scripsi eo seculo, quæ tum videbantur ad bonos mores conducere: fortassis quædam scripturus circumspectius, si præscissem exoriturum hoc seculum plus quàm Tragicum.*

mm) Epist. lib. I. epist. 2.

nn) Idem die 23. Augusti anno eodem. *Video tempestatem esse periculosissimam, in qua mihi sentio cursum sic esse moderandum: ut nec hominibus*

minibus adulando, Christi negotium deseram: nec me frustra in discrimen aliquod conjiciam. Lutherus veluti malum Eridis misit in mundum, cujus nullam omnino partem non turbatam video. Nemo non fatetur, vehementi quâdam Medicinâ fuisse opus Ecclesiæ, nimiùm collapsis moribus: sed video propemodùm usu venire, ut pharmacum parum dextrè adhibitum, morbi vim exacerbârit veriùs quàm expulerit. Atque utinam verum esset, quod Danorum Rex Christiernus, mihi simile quiddam dicenti respondit, ludens opinor, levibus pharmacis nihil agi, sed illud esse remediorum efficacium, ut primùm corpus omne concutiant. Ego certè nullum exitum video bonum, nisi Christus ipse temeritatem nostram bene vertat, quemadmodum ferunt Minervam Δυσβουλίαν Athenienſium bene fortunare solitam.

nn) Lib. 14. epist. 7.

Et ad Montioium: oo) *Nec cum Luthero, nec cum ullo Lutherano fœdus clancularium inii, & adeo non addidi cuiquam animos, ut omnes, quos potui, deterruerim ab instituto periculoso. Tantùm improbabam quorundam præcipites tumultus, præsertim apud populum, priusquam satis appareret, quorsum iret Lutherus. Nemo non fatetur, disciplinam Ecclesiasticam longè prolapsam esse à sinceritate Evangelica, populum Christianum multis modis gravatum esse, conscientias hominum variis tricis illaqueatas. His malis Lutherus bonis ac doctis videbatur remedium allaturus. Et passim faventibus omnibus, solus extiti monitor, ut stylum verteret, ac negotium tractaret Evangelicâ mansuetudine. Jactant aliqui, Lutherum quædam è meis libris hausisse. At quo pacto queam præstare, ne quis meis scriptis abutatur, cum plurimi sint abusi libris Evangelicis? Et tamen, si quis Deus mihi prædixisset, hoc seculum exoriturum, quædam aut non scripsissem: aut aliter scripsissem: non quod pernicioſa scripserim, sed quod non omnia quovis tempore rectè dicantur, &c. Nec technis quorundam, nec pollicitis, nec odiis aliorum unquam perpelli potui, aut potero, ut alius sim quàm Christianus. Male sit omnibus, qui gaudent dissidiorum vocabulis.*

oo) Lib. 17. epist. 26.

PARISIENSIBVS Lutheri libros damnantibus, opposuit Melanchthon scriptum publicum, cujus inscriptio hæc: pp) Adversus famosorum Parisiensium decretum Philippi Melanchthonis pro Luthero Apologia.

pp) Exstat 1. Tom. Lat. oper. Luth. Wittebergensium.

qq) Prodiit item liber à Melanchthone scriptus titulo Didymi Faventini, quo respondit Thomæ Placentino, id est Emsero.

qq) Exstat 2. Tom. operum Philippi.

Hoc anno primus Sacerdotum Bartholomæus Bernhardus Feldkirchius, Præpositus in oppido Kemberg, prope Wittembergam, duxit uxorem, & facti sui rationem Archiepiscopo Magdeburgico primùm, deinde Electori Saxonico publicis literis reddidit: quæ Tomo secundo Operum Lutheri lat. Jen. leguntur. Hunc sequuti sunt, Justus Jonas, Præpositus Wittebergæ, Joannes Bugenhagius, Andreas Carolostadius, cui facetus quidam Morio, Epithalamii loco, ut opinor, scripsit novæ Missæ nuptialis formulam, multo sale respersam.

Leo Decimus, Kal. Decembrib. moritur, violentiâ, ut creditur, toxici consumptus, ætatis 46. celebrandus iis virtutibus, quæ à Christianis ne nominari quidem debent. Actius Sincerus Sanazarius lusit in ejus obitum hoc districho:

Sacra sub extrema, si fortè requiritis, hora
Cur Leo non potuit sumere? vendiderat.

Sub finem anni nova super indulgentiis tragœdia oritur. Albertus Archiepiscopus Moguntinus post obitum Tecelii novas indulgentiarum Papalium mensas Halæ Saxonum erigi jusserat. rr) Lutherus rei indignitate commotus, ex Pathmo vigesimâ quintâ Novembris non solùm acerbas, sed etiam minaces literas ad Albertum scribit, in quibus ipsum hortatur: ut idolum illud veniarum Papalium removeat, ni alia graviora velit experiri. Deinde, ut missos faciat sacerdotes illos, qui vitandæ scortationis ergo matrimonium vel inierunt, vel inire velint. Ni fecerit, ea se de ipso aliisque Episcopis divulgaturum, quæ perpetuo mallet silentio sepulta.

rr) Epistola Germanica exstat Tomo I. oper. Luth. Jen. Germ.

Commendavit tum Melanchthon hanc ipsam causam Capitoni, Alberti concionatori & Consiliario dignissimâ lectu epistolâ hac: ss) *Mittuntur ad vos optimi & sanctissimi hominis, Lutheri, literæ, quibus, quod à te fieri oportuit, officii Princeps tuus admonetur: eas quia contemnent, opinor, nonnulli apud vos, non enim ignoro, quid de Luthero sentiat mundus, referre putavi, quod in rem esset Principis tui, tecum privatim commentari. Modis omnibus efficiendum est tibi, ne contemnatur Lutherus, & ut ejus hoc tempore literæ apud tuos valeant: id quod abs te impetrabit pietas cum erga Evangelium, tum erga Principem tuum. Primùm enim, si Lutherus, id quod multi sentient, divinitus missus est, qui mundum ad Evangelium revocet: cavendum est: ne non tam Lutherum, quam illum, cujus hic Ἀπόστολον agit, contempsisse videamini. Sibi factum interpretatur Christus, quicquid acciderit minimo ex suo grege. Pharisæos καὶ Νομικούς, qui Baptistam aspernati erant, Dominus quæritur, consilium Dei sprevisse. Quid si idem his causetur, ubi contentus fuerit Lutherus? Scio hunc partim stultum, partim malum videri mundo, sed oportet Εὐαγγέλιον stultitiam esse Gentibus, scandalum Judæis. Negare non potestis, quin Evangelium doceat: id reiicitis, si Lutherus rejicitur. Nec ignoro, te acerbitate offendi. Sed quid, si divinitus accendatur? εὐαγγελίσασθαι. Obsecro vide, qui rerum ac temporum status sit, quo sale opus sit istis tam pinguibus Dominis. Nunc tibi contigit qui saliat, vos ne conculcabitis? Paulus cavere præcipit, ne Spiritus extinguatur: quod ne à vobis præstetur, adnitere. Pluribus hæc agerem, nisi & Fabritio & Theologo scriberem, ut videri hæc quoque nimis multa possint. Deinde, quod privatim ad Principem tuum pertinet: proscindetur acerbissimo scripto, nisi dextrè responderitis. Hoc ut prematur, quantillo incommodo efficere potestis. De indulgentiis, credo, agitur, quæ cum jamolim deploratæ sint, minimo negotio abrogari possunt. Nam vel hinc Lutheri candorem æstimes,*

mes, qui præter indulgentias nihil attingit. Quid enim si commoveat reliquam vitiorum ac impostrarum ὃ ἄρχοντ& Camarinam, id quod jure queat. Cedite hoc uno loco recta monenti tanto cum commodo vestro, si consultum vultis τῇ τῦ ἐπισκόπυ ἀξιᾷ. Ego hactenus sedulò præstiti, ne quid contra vos ederetur, & porro præstare cupio, modò recta velitis. Vale. Wittemberga, fab Brumam.

ss) ex autographo.

Favebat Fabritius Evangelio tacitè quidem, sed impensè, & Cardinalem Moguntinum ad favendas Lutheri partes pertrahere satagebat. Hujus igitur suasu Archiepiscopus Albertus demisse respondit Luthero vigesimâ primâ Decembris: summa responsi erat: tt) gratiosè se literas Lutheri accepisse, existimareque, illum causam ampliùs non habere de se conquerendi: acturum se vitam Christiano Principe dignam, idque tum suarum, tum aliorum precum interventu, quandoquidem agnoscat, solius Dei gratiæ hoc esse: non diffiteri se, miserrimum se esse peccatorem, qui quotidiè peccare & errare possit; adeoque peccet & erret. Scire etiam, absque gratia Dei nihil in se boni esse, imò se fœtidum stercus esse: fraternas admonitiones se ferre posse: Luthero denique propter Christum bene velle.

tt) Exstat Germanicè Tom. I. operum Luth. Jen.

uu) Addidit his literis Capito suas quoque, alteras ad Philippum, alteras ad Lutherum. Philippum hortatur, curet, ne suboleſcentem spiritum Alberti Lutherus lacessendo extinguat: se autore Principem hactenus clam cum Luthero feciſſe, illique vires atque autoritatem confirmasse: si quid ille peccet, magis peccare amore religionis, & studio ad verum cultum, quam malitiâ: videre ipsum, Lutherum non solùm non contemptum, sed illi habitum honorem, tanquam Evangelistæ, cujus reprehensionem ambabus, quod ajunt, amplectantur.

uu) Ex Bibliotheca Capitonis.

xx) Lutherum graviter monet: ne nominatim magnatum Ecclesiasticorum vitia notet: quia id sit facturus sine exemplo, multaque præter verum necessariò ficturus, cum vel spiritus hominis nesciat quæ sunt in homine: quod si pergat aliorum inservire affectibus, experturum, Moguntinos quoque esse homines, quod sibi seriò dictum putare debeat, ne in necessitatem inducat pusillos, ut animum exasperent. Hoc Capitonis responsum, quo animo acceperit Lutherus, sequentis anni historica docebunt.

xx) Ex Bibliotheca Capitonis.

ANNUS CHRISTI MD XXII.

IN hujus anni historia Ecclesiastica duo, mihi quidem commemoranda, lectori verò observanda. Nempe, quid Pontificii contra Evangelium: quid Deus pro Evangelio fecerit.

Quæ Pontificii contra Evangelium hoc anno moliti sunt: hæc habe. Adrianus Pontifex Romanus Principes Imperii Norimbergæ conventum celebrantes, per legatum adversus Lutherum incendit. a) PRINCIPES Norimbergæ edicta contra Lutherum cudunt. ADRIANVS P. P. ultimo Novembris BREVE, quod vocant, sive literas ad Senatum Bambergensem scribit, quibus illum à Lutheri doctrina dehortatur, &, ne vendi, multò minùs imprimi libros ipsius sinat, monet.

a) De his Sleidanum lege.

b) Idem ADRIANVS Erasmum Roterodamum hortatur, ut contra Lutherum stylum stringat.

b) Epistola exstat lib. 23. epist. Erasmi.

c) FERDINANDVS Austriæ Princeps latam adversus Lutherum anno superiori sententiam vehementer urgebat, & in Ducatu Wirtembergensi, quem tunc tenebat, gravissimum proposuit edictum XXVI. die Novembris, ac præmium delatoribus constituit, & passim in suis provinciis graviter in eos, qui Pontificiis legibus non parérent, animadvertit.

c) Sleidanus lib. 3.

d) HENRICVS Junior, Dux Brunswicensis: GEORGIVS Dux Saxoniæ: PHILIPPVS Episcopus Frisingensis & Naumburgensis, contra Lutherum & ejus libros publicis programmatibus fulminant.

d) Leguntur illa Tom. 2. Germ. operum Luth. Jen.

e) LVDOVICVS Rex Hungariæ & Bohemiæ Vratislavienses vi armata in obedientia Papæ & cultu doctrinæ Pontificiæ retinere annititur.

e) Curæus.

f) HVGO Episcopus Constantiensis Senatum Tigurinum interpellat, & cujusmodi querelas audiat de Zwinglio, qui novum doctrinæ genus invexerit, ostendit. (ad jurisdictionem enim illius Ecclesiasticam Tigurini pertinebant.) Idem Hugo deinde literas dat ad Collegium Canonicorum, in quibus etiam erat Zwinglius, & de novis doctoribus, qui perturbent Ecclesiam, multa loquutus, hortatur ut ab illis diligenter sibi caveant. g) Cum apud Tigurinos nihil proficeret literis suis, in conventu Badensi de Tigurinorum inobedientia conquestus est, & omnium pagorum Helveticorum opem, ad tutanda sua de religione publicata mandata, imploravit. Mox igitur Vrbanus Wys, pastor in pago Wiflitzbach, prope Badenam, qui de nova fide suspectus erat, capitur, Episcopo Constantiensi mittitur, à quo diu in carcere est detentus. Atque hoc est initium persequutionis Evangelii, à pagis Helveticis susceptæ.

f) Sleidanus.

g) Ex indicio CL. Casp. Waseri, Theologi Tigurini.

Erant in urbe Tigurina tres Monachorum familiæ, Augustinianorum, Franciscanorum, Mendicantium. h) Hæ ad Senatum accusant Zwinglium, quod illius concionibus in contemptionem adducerentur, rogant, hujusmodi sermonibus Zwinglio interdicat, ne par pari cogantur reddere: & ut sibi ex Thoma & Scoto deinceps quoque liceat concionari, de quo Senatus recusavit.

h) Bullinger Chronico M.S.

ERASMVS ad Jodocum, Senatus Mechliniensis Præsidem: i) *Ego*, inquit, *& hic* (Basileæ) *& istic partim dictis, partim epistolis, multos alienavi à factione Lutherana. Nec ulla res magis dejecit Lutheranorum animos, quàm quod palam editis libris declaravi: me adhærere Pontifici Romano, & Lutheri negotium improbare.*

i) Basileæ pridie Idus Julias 1522.

k) ADMINISTRATOR PRAGENSIS ad Ludovicum Regem Ungariæ & Boëmiæ accusat religionis innovatæ Joannem à Saulhausen, Tetschini Dominum.

k) Ex impresso.

l) In Boëmiæ quoque conventibus erant, qui Ponti-

Pontificis & Ecclesiæ Romanæ autoritatem suaderent recipiendam: alioqui dissidiorum & offensionum nullum esse futurum finem.

l) Sleidanus.

m) ANTVERPIÆ Frater Henricus Sutphaniensis propter professionem Evangelicam in vincula coniicitur: mulieres vi illum liberant, monasterio expelluntur Fratres, alii aliis locis captivi tenentur, alii, negato Christo, dimittuntur. Vendita omnia vasa monasterii, templum & monasterium ipsum clausum: Sacramentum cum pompa in templum B. Virginis translatum, tanquàm è loco hæretico, susceptum honorificè à Domina Margareta: cives aliquot & mulieres vexatæ & punitæ.

m) Lutherus Tom. 2. epist. pag. 95.

Hæc contra Evangelium. Pro Evangelio quæ Deus fecerit, videamus.

MARTINVS Lutherus Philippum Melanchthonem, per novos Prophetas nonnihil turbatum, erigit epistolâ, in qua docet, quomodo eorum vocatio & Spiritus probari debeat, antequam audiantur: n) *Non probo*, inquit, *tuam timiditatem, cum & majori tam spiritu, quam eruditione polleas, quàm ego. Ac primùm cum testimonium perhibeant de seipsis, non statim audiendi sunt, sed juxtà consilium Joannis, spiritus probandi. Habetis consilium Gamalielis differendi, nihil enim adhuc audio ab eis dici & fieri, quod Satanas non queat præstare vel æmulari. Tu autem ex meâ parte hoc explores, an vocationem suam possint probare. Neque enim Deus unquam aliquem misit, nisi vel per hominem vocatum, vel per signa declaratum, ne ipsum quidem filium. prophetæ olim ex lege & ordine prophetali jus habebant, sicut nos modo per homines. Prorsus nolo eos recipi, si nudâ revelatione sese vocatos adserant: cum nec Samuelem quidem vellet loqui DEVS, nisi per authoritatem consciam Heli. Hoc primùm ad publicam docendi functionem pertinet. Jam verò privatum spiritum explores etiam, quæras, num experti sint spirituales illas angustias, & nativitates divinas, mortes, infernosque. Si audieris blanda, tranquilla, devota (ut vocant) & religiosa, etiamsi in tertium cælum sese raptos dicant, non approbabis. Quia signum filii hominis deest, qui est* Δοκιμαστὴς, *probator unicus Christianorum, & certus spirituum discretor. Vis scire locum, tempus, modum colloquiorum divinorum? Audi, sicut leo contrivit omnia ossa mea. Et projectus sum à facie oculorum. Et repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit. Non sic loquitur majestas, (ut vocant) immediatè, ut homo videat, imò non videbit me homo & vivet. Et stellam parvam sermonis ejus non fert natura. Ideo n. per homines loquitur, quod loquentem ipsum ferre non possumus. Nam & virginem turbavit Angelus, sic & Danielem, sic & Jeremias queritur, corripe me in judicio, & non sis tu mihi formidini. Et quid plura? Quasi Majestas possit cum vetere homine loqui familiariter, & non prius occidere, atque exsiccare, ne fœteant odores ejus pessimi, cum sit ignis consumens. Etiam somnia & visiones sanctorum sunt terribiles saltem postquam intelliguntur. Tanta ergo, & ne Jesum quidem audias glorioſum, nisi videris prius crucifixum.*

n) Tom. 2. epistolarum Lutheri fol. 41. b.

Eundem Lutherum ita Deus in Pathmo animavit: ut nec Principis sui indignationem, nec Cæsaris proscriptionem, nec Norici conventus edicta moratus, Wittebergam reverteretur. Epistola, quâ Saxoniæ Electori reditum suum excusat, cum admirabilem fidei Lutheri πληροφορίαν, & pectus verâ pietate ardens, & instinctu ac impetu planè divino velut ἐνθουσιασμῷ ad gloriam Dei, & Evangelii Christi propagationem inflammatum, & omnia pericula præ pietatis & Evangelii amore, magno & excelso animo contemnens, demonstret, digna esse visa est, quæ hoc loci apponeretur. o) *De meâ causâ*, inquit, *C. V. novit, aut si ignorat, nunc cognoscat, me Evangelion non ab hominibus, sed tantùm de cælo per Dominum nostrum Jesum Christum habere: ita ut meritò potuerim, (ut deinceps faciam) me Dei servum & Evangelistam profiteri. Quod autem ad causæ cognitionem me obtuli, & aliorum judiciis subjeci: id non, quod ego de meâ doctrinâ quidquam dubitarem, sed modestiæ causâ feci, ut alios invitarem. Postquam vero video, nimiam modestiam meam vergere ad detrimentum Evangelii: & Satanam, cum vix palmum ei cedo, totum campum velle occupare: cogor, conscientiâ meâ urgente, alias rationes inire. Satisfeci, ut spero, C. V. quod hoc anno cessi, tantùm ut C. V. gratificarer. Nam diabolus bene scit, non metu aut diffidentiâ hoc à me factum esse. Cum enim Wormatiam ingrederer, ita animo constitutus eram: ut etiamsi scivissem tot Diabolos, quot in omnibus ædium tectis tegulæ sunt, in me intentos collimare: tamen lato & alacri animo in medium eorum insiliissem.* Et postea. *Redeo Wittebergam munitus præsidio multo sublimiore & firmiore, quam ab Electore Saxoniæ mihi præstari possit. Neque in animum unquam induxi, a C. V. defensionem petere. Imo judico C. V. plus à me præsidii & tutelæ habituram esse, quam mihi præstare. Præterea si scirem C. V. velle & posse me tueri, planè non redirem. Huic causæ nullus gladius consulere, aut opem ferre potest. Solum Deum hic gubernare & agere oportet sine ulla sollicitudine & auxilio humano. Itaque in hac causâ, qui firmissimè Deo fidit, is fortissimè se & alios defendit. Cum igitur videam C. V. adhuc valde imbecillâ fide præditam esse, nullo modo tantum tribuere C. V. possum, ut ab illa me defendi aut liberari ex periculis posse statuam. Ego C. V. animam, corpus, & fortunas, omnis damni & periculi expertes in hac meâ causâ servabo, sive id credat C. V. sive non credat. Sciat etiam C. V. & nihil dubitet, longè aliter in cælo quàm Norimbergæ de hoc negotio conclusum esse, videbimus enim, eos, qui se jam putant Evangelion totum devorasse, & extinxisse, nondum Benedicite absolvisse. Longè alius & potentior Princeps est, quam Dux N. cum quo mihi negotium est. Is me, & ego ipsum mediocriter novi. Si crederet Illustrissima C. V. tum magnalia, & gloriam Dei videret. Cum autem nondum credat C. V. nihil etiam eorum vidit. Deo gloria & laus in æternum.*

o) Tom. 2. operum Germ. Jen. pag. 57.

Causas sui ad Wittembergenses reditûs Lutherus ipse commemorat. p) *Vocatus sum*, inquit, *literis*

teris Ecclesiæ & populi Wittembergensis: deinde, me absente, Satanas irruit in gregem meum, & eas excitavit turbas, quæ præsentiam meam necessariò requirunt: præterea metuo, ne qua magna seditio in Germania oriatur, quam conjunctis cum Ecclesia precibus aut avertere, aut aliquandiu differre cupiat. q) Ad Melanchthonem literis octavâ Epiphanii hujus anni scriptis, aliam causam narrat. *Para mihi*, inquit, *hospitium, quia translatio* (Bibliorum) *me urgebit ad vos reverti.*

p) Epistolâ ad Saxoniæ Electorem.

q) Tom. 2. epist. p. 44.

Rediit autem Wittebergam feriâ quintâ post ESTO MIHI, sextâ Martii.

Absente Luthero in Pathmo Theologi & Professores Wittembergenses, Justus Jonas, Andreas Carolostadius, Melanchthon, Nicolaus Ambsdorfius, D. Schurffius, D. Dolcius, Missam privatam abrogârant, idola removerant, cœnam sacram sub utraque specie celebrârant, confessionem auricularem, preces ad sanctos, discrimina ciborum, & id genus alia sustulerant. Lutherus domum reversus ilico scribit ad Spalatinum, &, quantopere sibi mutatio ista displiceat, ostendit. Damnare se, ait, Missam Papistarum tanquam *βδέλυγμα*, imagines, quæ colantur, leges denique Papæ, de Confessione auriculari, de jejuniis, festis, invocatione sanctorum: sed damnare hæc omnia per verbum prædicatum, non abrogationem violentam.

A Dominica deinde Invocavit usque ad Reminiscere singulis diebus singulas conciones habet: & quos anno superiori in libello de abroganda Missa privata ob abrogatam Missam collaudârat, eos publicè perstringit, usus inter alia his verbis: Derhalben haben alle die geirret, die dazu geholffen und verwilliget haben, die Mess abzuthun, nicht dass es nicht gut gewest, sondern dass es nicht ordentlich geschehen. Du sprichst: es ist recht, aus der Schrifft. Ich bekenne es auch, wo bleibet aber die ordnung, dann es ist in einem Frevel geschehen, ohn alle ordnung, mit aergernüss des Nechsten. Und wann es nicht so ein böss ding were um die Mess, wolte ich die wieder aufrichten. Dann ich weiss euer fürhaben, kan aber dasselbige nicht vertheidigen, vor den Papisten und andern unsinnigen Köpfen wüsst ichs gleichwohl zu vertheidigen, aber vor dem Teuffel wüste ichs nicht zu suchen. r) Hoc est: *Quamobrem omnes illi errârunt, qui operâ suâ, aut consilio Missarum abolitionem juverunt. Non quòd hoc impium fuerit patrare, sed quòd non recto ordine factum est. Tu quidem objicis, hoc rectum esse, ipsâ scripturâ etiam patrocinante. Hoc sanè & ego fateor: at ubi interim ordo locum habet? Nam hæc ausu temerario & præcipiti citra omnem ordinem, atque cum proximi offendiculo acta sunt. Quod si non ita abominanda res esset Missa, rursus eam instituere vellem. Nam vestrum factum propugnare & excusare commodè non possum. Coram Papa & inflatis illis turgidisque capitibus facilè quidem pro vobis causam dicerem. Sic enim istis dicere vellem: Quid scis, an hoc recto spiritu vel secus actum sit, quando opus per se bonum est? Atqui Diabolo vos purgare non ita proclive mihi est.*

r) Tom. 7. oper. Luth. Latin. Wittemberg fol. 274.

s) Concione secundâ docet: impiam Missam non per bipennem, sed Evangelii prædicationem abrogandam, quemadmodum ipse Indulgentias everterit Verbo, quod *Verbum se dormiente aut cum Philippo suo atque Amsdorfio Zythum Wittembergicum bibente Papatum ita laborare fecerit, ut nullus unquam Principum, aut Cæsar ipse tantum ei derogaverit.*

s) Ibid. fol. 275.

Concione quartâ inter res liberi usûs refert simulacra. Sie sollen abgestellet seyn, sagt er, wann sie angebetet sollen werden, sonst nicht, wiewohl ich wolte, sie weren in der gantzen Welt abgethan von wegen des Missbrauchs. t) Hoc est: *Idola, si quis ea adorare velit, abolenda sunt: alioquin autem ferenda. Quanquam optarem ex toto orbe ea esse profligata, propter eorum abusum, quem certè dissimulare non possumus.* Et paulo post: Man kans nicht läugnen, dass die Bilder bœse seyn, wegen ihres Missbrauchs, noch haben wir sie nicht zu verwerffen. Dann es sind viel menschen, die die Sonne und Sterne anbeten, wolten wir darum zufahren, und die Sternen vom Himmel werffen? Hoc est: u) Quanquam verum sit, & inficias ire nequeamus: idola noxia esse, quod iis multi abutuntur, ob id tamen nobis non licet ea damnare. Nam multi sunt homines adeo vecordes, ut Solem & stellas adorent: nosne igitur & hæc cœlo deiiciemus?

t) Ibidem fol. 277. b.

u) Ibidem fol. 278.

CAROLOSTADIVS, cujus præcipua nominis, absente Luthero, fuerat auctoritas & celebritas, concionibus istis aculeatis offensus, actiones suas publico scripto contra Lutherum defendere voluit: x) *Rogat illum privatim supplex Lutherus: ne quid contra se edat, ne ipse cogatur invitus mutuis carnibus congredi. Carolostadius nihil se contra Lutherum scribere penè sanctè dejerat, quanquam sexterniones aliud loquerentur, qui tum sub manu Rectoris & Judicum cognoscebantur, & libelli etiam editi per Rectorem inhibebantur.*

x) Tom. 2. epist. Lutheri pag. 60. & 61.

Hæc fuerunt initia dissensionis illius inter Lutherum & Carolostadium, quæ postea in bellum Eucharisticum exiit.

Judicatum est tunc à viris prudentibus, utrumque privatæ studio gloriolæ plusculum indulsisse, & idcirco Lutherum, cum videri vellet modum agendi Carolostadianum tantùm damnare, doctrinam non item, turbine tamen affectuum eò abreptum fuisse, y) ut RES NIHILI vocaret communionem sub utraque specie, Missam, abolitionem imaginum, & id genus alia, utque etiam ea auderet dicere *inordinatè esse facta*, quæ deliberato Theologorum & Jurisconsultorum Wittembergensium consilio facta, & à Principe Elector fuerant approbata. Nec difficilè fuerit ex ipsorummet scriptis hoc divinare. z) Hoc enim nomine Carolostadius Lutherum accusat, *quod omnes alios suæ auctoritati quasi mancipatos velit, neque iis permittere, ut aliquid vel scribant, vel faciant, se non præeunte.* Lutherus contra: *Ille* (de Carolostadio loquitur) *cupiebat fieri subitò novus Magister, & suas ordinationes in populo*, PRESSA AVTORITATE MEA, *erigere.*

y) Tom. 2. epist. pag. 56.

z) Carolost.

2) Caroloſt. libello germanico de execrabili Eucha iſtiæ abuſu pag. 1. Tom. 2. epiſt. pag. 56.

Fuerunt è diſcipulis Martini, quibus minimè ille probaret, quod odio Caroloſtadii Pontificios ritus & elevationem etiam Papiſticam aliquam multos annos retineret, quam tamen a) *faſſus eſt, eſſe nervum illius perſuaſionis impiæ, fingentis, ſacrificulos offerre Chriſtum pro vivis & mortuis, & hac oblatione mereri ſibi & aliis remiſſionem peccatorum*

a) Melanchthon epiſtolâ ad Prædicatores Franciæ apud Manlium.

Eodem tempore Lutherus conflixit cum fanaticis hominibus, Nicolao Storck, Thoma Müntzer, & aliis novorum Prophetarum anteſignanis, qui jactabant arcanas revelationes Angelicas, & colloquia cum Deo: baptiſmum quoque parvulorum primi impugnabant. Hæc fuerunt ſemina doctrinæ Anabaptiſtarum, ſparſa per Prophetas illos, qui ex urbe Cygnæa Wittembergam, abſente Luthero, venerant, & non ſolùm Caroloſtadium b) ſed etiam Melanchthonem nonnihil turbârunt, teſte graviſſimo viro Joachimo Camerario.

b) Vita Philippi.

c) POSTHÆC librum edit Lutherus adverſus falſò nominatum ordinem Epiſcoporum. In eo graviter invehitur in Epiſcopos, quod Evangelii doctrinam damnent & perſequantur: neque tamen toties ab ipſo ad controverſiarum diſceptationem provocati, puram Evangelii doctrinam refutare, neque Pontificios errores defendere poſſint. Tyrannide nihil ipſos effecturos: neque ſe vel Papæ excommunicatione, vel Cæſaris præſcriptione moveri, ut veritatis Evangelicæ profeſſionem abjiciat: ſed potius Evangelicam doctrinam ſubinde latiùs in orbe terrarum propagaturum: idque tantò animoſiùs, quantò ipſi magis fæviant: neque oppreſſum iri Evangelion, etiamſi ipſum occidant: Deum autem ipſos, ſi inſanire perrexerint, graviſſimè punieturum.

c) Sleidanus.

d) Hoc libro lecto, Epiſcopi, Abbates, Monachi, totaque procuratorum Antichriſti multitudo, conſpiratione factâ, ab Electore Brandeburgico petiverunt: hunc, aliosque Lutheri libros congeſtos ignis flammis abſumeret. Idem ſacerdotes Magdeburgenſes, Comitem à Stolberg, Cardinalis abſentis vicarium, rogârunt.

d) Philippus Eberbachius ad Hedionem epiſtolâ MS.

Reſpondit etiam Wolfgango Fabritio Capitoni, qui ſæpius Luthero moderationis autor fuerat, & cujus ſuaſu Archiepiſcopus Moguntinus amicam ad Lutherum epiſtolam dederat, neſcio quid non de ſe pollicens. e) *Quantùm*, inquit, *literæ Cardinalis tui animum meum erexerunt, tantùm literæ tuæ dejecerunt, mi Fabriti. Dejicit fortè & vultum tuum exordium hoc triſte & ingratum Sed tuâ culpâ, qui & fidem & autoritatem literis Cardinalis tàm intempeſtivâ Rhetoricâ ademeris. Inter multa enim, quæ me moverant, hoc erat unum, quod ſcribis, eum juvandarum Evangelii partium diverſam à nobis iniiſſe rationem. Hoc enim quid aliud eſt, quàm tuam aut noſtram rationem damnabilem eſſe: cum neceſſe ſit, miniſterium ſpiritus ſibi ipſi quàm minimè pugnare? Paulus enim iisdem veſtigiis incedentem Timotheum Corinthiis commendat. Atque ego quidem pro meo in te candore verbum hoc diverſitatis tuæ aliqua ἐπιεικείᾳ leniiſſem, niſi tu ipſe tuus interpres ſic coëgiſſes intelligendum, Evangelium tunc promoveri, ſi Principibus conniveatur, parcatur, eorum facta excuſentur, &, ut tua verba ſonant: ne procaces ad pugnam provocemus. Hæc tua ratio eſt, quæ juxta noſtram rationem pulcra adulatio, & veritatis Chriſtianæ abnegatio eſt, & ipſiſſima προσωπολημψία, quam ſcripturæ ſic deteſtantur ut nihil vehementiùs. Ego nec inimicis optârim hunc amicum probari, & tantum abeſt, ut optem hac tuâ ratione juvari Evangelium, ut nihil vehementius deprecer. Et faxit Chriſtus, non ut nihil promoveas, ſed ut ſervet te nobiſcum, ne noceas. Manſuetudinem & benignitatem Chriſtianam exigis, ſed quid Chriſtianis & adulatori? Res aperta eſt, & ſimpliciſſima, Chriſtianiſmus, rem ſicut habet, cognoſcit, ita fatetur. Male valere volunt etiam Gentiles eos amicos, qui vitiis amicorum blandiuntur; & veritas Chriſti vitiis & impietati ſimul blandiri poterit? Nos autem noſtram quoque rationem exponemus, & cum fiducia ſub judicium tuum, & totius orbis proponemus nihil veriti, quod ſcribis, offendi vulgi judicium mordacitate. Quem autem non offendebat Chriſtus, aut quem non arguebat? Et ſi ſpiritus veritatis arguit, non blanditur. Arguit vero non aliquot, ſed totum mundum. Igitur nos ſic ſapimus, omnia prorſus eſſe reprehendenda, arguenda, confundenda, nihil parcendum, nihil connivendum, nihil excuſandum, ut medio ſtet campo libera, & aperta, & pura veritas. Porro aliud eſt eos, quos corripueris ſummâ manſuetudine ſuſcipere, tolerare, juvare. Hoc jam ad charitatis & officii exemplum pertinet, non ad miniſterium verbi. Nam & Chriſtus cum acerrimè omnes argueret, tamen optat gallina illis eſſe, & ſub alis illos colligere: Charitas eſt, quæ omnia ſuſtinet, omnia ſuffert, omnia ſperat. Fides verò, ſeu verbum prorſus nihil ſuſtinet, ſed arguit, devorat, ſeu ut Jeremias dicit, evellit, deſtruit, & diſſipat. Et maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter. Aliud eſt, inquam, mi Fabriti, vitium laudare vel extenuare: & aliud, benignè & ſuaviter curare. Primùm enim dicendum eſt, quid rectum & non rectum erit: deinde ubi id auditor ſuſceperit, tolerandus, & ut Paulus ait, infirmus fide ſuſcipiendus. Tua verò ratio id efficit, ut nunquam veritas cognoſcatur, & tamen interim blanditiâ & fictâ humanitate præſumatur vitium ſanari.*

e) Tom. 2. epiſt. Luth. p. 57.

f) Ad Boëmos deinde tertio Kalendas Auguſti dat literas, quibus graviſſimè eos ad conſtantiam in agnita veritate cohortatur: & ne vanâ ſpe pacis ab Evangelica puritate ad Papam Antichriſtum rurſus deficiant: dehortatur, ne reos ſe faciant innocentis ſanguinis Joannis Huſſi & Hieronymi Pragenſis. Quod autem ſectæ illis exprobrantur (erant enim in Boëmia Papiſtæ, Huſſitæ, ſive Calixtini, & Fratres, falſò nominati Picardi) reſpondet, infinito plures ſectas eſſe inter Papiſtas, & quomodo huic malo rectè conſulatur, docet.

f) Extat. epiſt. Tom. 2. epiſt. Luth. pag. 85.

MENSE Julio Lutherus Henrico Regi reſpondit calamo

calamo asperiore: cujus scripti vehementiam non omnes amici Lutheri probârunt. Erasmus ea de re ita: *Si Lutherus collaudato pio Regis studio rem solidis argumentis fortiter peregisset, non violatâ regiâ dignitate, rectius opinor consuluisset suæ causæ.* Idem. *Quid invitabat Lutherum, ut diceret in libello adversus Regem Angliæ: Veniatis, Domine Henrice, ego docebo vos? Certè Regis libellus Latinè loquebatur, nec ineruditè.*

Ut autem Lutherus in Saxonia, ita Zwinglius in Helvetia negotium Christi cordatè egit. Ac primùm causam suam ad Senatum Tigurinum contra Episcopi Constantiensis legatos defendit: deinde cum in Eremum divæ Virginis ad festos Visitationis dies ad concionandum cum M. Conrado Schmidio, & M. Leone vocatus fuisset, scripsit ibi amicam ac piam paræneſin ad communem Helvetiorum civitatem: g) ne Evangelicæ doctrinæ cursum impediant, nec licitis sacerdotum connubiis sese offendi patiantur. Scripsit ibidem suo & Fratrum nonnullorum nomine supplicationem ad R. D. Hugonem Episcopum Constantiensem: h) quâ illum rogant: ne se induci patiatur, ut quicquam in præjudicium Evangelii promulget: neve scortationis scandalum ultrà ferat, sed presbyteris uxores ducere permittat, aut saltem ad eorum nuptias conniveat. i) Subscripserunt M. Balthasar Trachselus, Pastor in Ardsuitia: M. Georgius Calybeus, Pastor Wimigensis: M. Wernerus Steiner, Pastor ex Tugio: M. Leo Judæ, Pastor Eremi, sed designatus pastor D. Petri Tiguri: M. Erasmus Schmid, Canonicus Tigurinus: Simon Stumpfius, prædicator in Honeck: Jodocus Kilchmeier Canonicus Lucernensis: Huldricus Pistoris, pastor in User: Caspar Megander, Nosocomii Tigurini, Joannes Faber, & Huldrichus Zwinglius, summi templi Tigurini pastores.

g) Extat Tom. I. operum Zwinglii pag. 110.

h) Tom. I. Zwinglii oper. pag. 110.

i) Chronicon Bullingeri.

Idem Zwinglius vicesimâ secundâ Augusti hujus anni ad Paræneſin Episcopi Constantiensis ad senatum Præposituræ Tigurinæ (Capitulum vocant) missam, k) respondit Apologetico, quem Archetelem nuncupavit, hoc est, principium & finem, idque ideo, quod speraret initium & finem, hoc est, summam controversiæ, inter ipsos hoc moderato scripto compositum iri. Monet eo libro Episcopum; ne aurem accommodet veritatis oppugnatoribus: & respondet ad LXIX. Articulos, in Parenæsi Episcopi comprehensos: denique offert se ad uberiorem in colloquio aliquo declarationem.

k) Extat To. I. oper. Zwinglii pag. 124.

l) VRATISLAVIENSIBVS, ut & aliis purioris doctrinæ cultoribus in ipsa Regis Ludovici aula susciavit Deus patronum, Illustrissimum Principem Georgium, Marchionem Brandeburgicum, magnum aulæ Regiæ magistrum: qui cum jam tum veritatis Evangelicæ gustum haberet, in benigniorem partem interpretatus est, quæ ad Regem Ludovicum deferebantur, querelas.

l) Curæus. Crantzheim.

Hic igitur annus initium est reformationis Ecclesiarum in Silesia. m) Nam & Lignicii sub Duce Friderico circa Pentecosten Fabianus Eckelus, Sebastianus item Schubartus Evangelium prædicarunt: & Carolus Dux Munsterbergensis & Oscensis scriptis ad Lutherum literis, n) quid de Papa & ejus bratis fulminibus, quibus Georgius Podiebracius, ex quo Carolus ortus, percussus fuisset, sentiret non obscurè significavit. Jucundum autem Christiano homini spectaculum est, quasi coram cernere certantem Christum cum Antichristo. Quicquid enim Papa, quicquid Cæsareani molirentur contra Evangelium, id omne Christus in Evangelii commodum convertit. Bulla Papæ, fulmen Cæsaris, non consternârunt, sed animârunt homines ad Evangelium amplexandum.

m) Crantzhemius.

n) Extant T. 2. Germ. operum Luth. Jenens.

E NOBILITATE Germanica acerrimi fidei orthodoxæ propugnatores erant, Ulricus Huttenus, Franciscus à Sickingen, Hartmundus à Cronberg. Huttenus multa pro Luthero contra Papam scripsit.

o) Franciscus à Sickingen Theodorum ab Hentschuchsheim, socerum suum, erudit literis, quæ publicatæ, de communione sub utraque specie, de Missa, de Monachis, de invocatione sanctorum, de abrogatione imaginum. Joannes Schwebelius præmittit præfationem, quâ ait: Mirum esse rerum conversionem in hoc tempore: olim à sacerdotibus Laicos didicisse legem Domini: nunc sacerdotibus à Laicis discendum esse. Olim Episcopos gladio verbi usos fuisse ad salutem animarum: nunc eosdem uti gladio corporali ad opprimendum Dei verbum.

o) Ex chartis impressis.

Hartmundus à Cronberg, ut superiori anno ad Leonem Papam, ita hoc ad cives Cronebergicos, & Monachos Mendicantes, Luthero argumenta suggerente, scribit, gravissimeque omnes & singulos ab idolomania Pontificia dehortatur.

ARGENTINÆ vir optimus Matthias Zellius extitit, qui Pontificis autoritatem ausus fuit contemnere, & doctrinam populo Argentinensi explicare Domini nostri Jesu Christi. Magnam Resp. Argentinensis eo nomine fortitudinis & constantiæ laudem merita est. p) Nam undique Pontificiis, ut videbatur, Religionis tum hostibus circum circa cincta, ad pericula quæ expavescere debebat, non extimuit, & cum posset intercedere, noluit: & Zellium passa est, propter innocentiæ & simplicitatis existimationem, in eo, quod bene cœperat, perseverare: & de re ipsa cogitans, quanti momenti ipsa esset, periculorum non maximam rationem habuit. Adversabatur enim huic instituto, quantum potuit, Wilhelmus Episcopus, ex familia Hohensteniorum Comitum: unà cum toto Canonicorum Collegio primariæ ædis: cum omnibus totius urbis, Canonicorum, & Abbatissarum & Monachorum collegiis, quorum interpellationibus dimoveri se de statu suo Argentinenses minimè siverunt. Urbes etiam vicinæ, clientes Archiducum Austriæ: ut Haganoa, Schledstadium, Weissenburgum, cæteræque in Alsatia, hoc exemplum aversabantur. Marchiones Badenses, vicini, & his proximi Palatini Comites, majorum suorum atque parentum ceremonias deserendas non esse ducebant. Tota Lotharingia minabatur, rusticana etiam seditio hunc metum augebat. Et tamen perstitit Respublica, & pericula subire maluit, quàm luci veritatis fenestras suas claudere.

p) Joh. Sturmius Antipappo 4. pag. 3.

q) PRIMVS igitur in concionibus Ecclesiæ erat Matthias Zellius, cui sese non longo intervallo Symphoria-

phorianus adjunxerat, presbyter ætate grandis, pastor in æde Martini, quæ illo tempore in foro piscario erat, cui tum adhuc firmâ & recenti memoriâ liberior fuerat initio vivendi ratio, in conviviis hilaris, in rebus periculosis omnium primus. Ubi Rhenus erat altissimus, ibi pede sinistro dimidio extra marginem pontis posito, dextro toto præposito, absque ulla vertigine stabat. In æde primarii templi supra primam fornicem cursu in transennam insiliit, & stans atque erectus, subjectas plateas intuebatur, absque ulla non solùm vertigine, sed etiam vertiginis metu. Hic vir ex primis fuit, qui doctrinam Evangelii amplexus, non absque multorum, propter vitæ mutationem, admiratione: ita, ut quibus primis annis fuerat familiaris, ad se plerosque attraxerit: quos hujus exemplo motos, pœnitere vitæ anteactæ statim cœperat. Populares hi magis concionatores erant, quàm literati: sed insignis in Matthia probitas: quibus sese paulo pòst applicabat Antonius Firnius, pastor tum ad D. Thomam: qui primus in urbe ista sacerdos uxorem duxit. Neque longè ab hoc initio aberant Martinus Bucerus, Capito, qui apud Cardinalem Moguntinensem intra cancellos Consiliariorum primas tenebat, & Doctor Caspar Hedio, summi templi Moguntini pastor, qui, simul ac Argentinam anno vicesimo tertio venerunt, firmiora cœperant fundamenta poni Evangelicæ Ecclesiæ.

q) Sturmius ibidem pag. 6. 7.

r) AVGVSTÆ Vindelicorum Joannes Froschius, Theologiæ Doctor, Carmelita, inter primos fuit, qui Evangelium sincerè prædicarent.

r) Gastarus, Henningus.

s) NORIMBERGA Andreas Osiander primam concionem puriorem habet die Dominico 23. Februarii de semine.

s) Bucholzerus.

t) Ibidem GALLVS KORN, Monachus Franciscanus, cum gustum religionis veræ haberet, nec id dissimularet in concionibus, in odium Fratrum venit. Aperienti autem forte Cyprianum occurrit dictum Apostoli: *Denuntiamus vobis, fratres, in nomine Jesu Christi, ut vos subtrahatis ab omni fratre ambulante inordinatè.* 2. Thess. 3. 6. Perculsus hoc effato, cum sensum illius ex Ambrosio didicisset, Monasterium deseruit 12. Junii.

t) Ex ipsius Confessione.

u) FRANCOFURTI ad Mœnum, Dominica Invocavit Hartmannus Ibachius, exul Christi, in Cœnobio S. Catharinæ, Amando ab Holtzhausen, & Joanne Froschen, Patriciis, Scabinis & Senatoribus, dictique Cœnobii patronis (connivente Senatu) curantibus, Evangelium purè docere cœpit.

u) Ex Archivis.

x) WEISSENBURGI (oppidum est in Alsatiæ & Palatinatûs confinio) Henricus Mothererus Pastor evangelizat, à quo Martinus Bucerus, qui impetratâ à Francisco Sickingensi propter tumultus belli aliquantisper se cedendi veniâ, Wittebergam cogitabat, invitatus, dimidiumque ibi annum subsistens, ad D. Joannem prædicavit. Sed à Vicario Spirensi uterque inde pulsus est. Bucerus sub initium anni 1523. Argentinam venit, editâque summâ eorum, quæ Weissenburgi docuerat, in veritate Evangelica animos civium mirificè confirmavit.

x) Ex Actis publicis.

y) HALAM Suevorum de consilio D. Joannis Isenmanni vocatur Joannes Brentius ex Academia Heidelbergensi, ubi in contubernio Realium Matthæum Evangelistam in frequenti auditorio explicârat, hausto sincerioris doctrinæ lacte ex pectore Lutheri anno 1518. Heidelbergæ de Justificatione disputantis. Specimen pro publica concione edit VIII. Septembris. Nec quicquam in eo, nisi grandior ætas, desideratum. Natus enim tantùm erat annos viginti tres. z) *Etsi igitur juvenis erat: tamen gravitate, vitæ sanctimoniâ, morum integritate, quodque officium sibi demandatum, ad quod divinitus erat vocatus, fideliter, & cum autoritate faceret, tantum per Dei gratiam effecit, ne quis propter juventutem eum contemneret, sed ut omnium non solùm ora & oculos in se converteret, verùm animos etiam verbo Dei inclinaret, quò pristinis erroribus & doctrinis Scribarum & Pharisæorum, quos secum hactenus aluerant, valedicerent, qui & ipsi paulo pòst partim injussi, quòd sua execrata sacra in vacuo theatro, ab auditoribus & spectatoribus destituti, facere erubescentes, in alia se contulêre loca, partim verò conversi, partim etiam morte sunt abrepti. Magna autem in concionibus popularibus usus est prudentiâ & modestiâ, initio cum haberet adversarios vehementissimos, inter quos præcipui erant Guardianus, Theologiæ Licentiatus, & Lector Monasterii ordinis Minorum, qui conspirantes sæviebant importunis suis clamoribus, & Sophisticâ errores suos defendentes. Quæ cum indesinenter facerent fulminando, & virus suum evomendo, Dominicis & festis diebus, matutinis concionibus in magna populi frequentia: à prandio multò confluebant frequentius, sperantes Ecclesiasten suum eâdem usurum vehementiâ in suorum dogmatum defensione, & par pari relaturum. Verùm ille prudenter dissimulabat ad tempus, & suo more docere pergebat, doctrinæ Christianæ fundamenta jaciendo, meritumque Christi unici redemptoris fide apprehendendum, sedulò & fideliter inculcabat: deinde ubi commoda se offerebat occasio, brevissimè & modestè, perspicuis sacræ scripturæ testimoniis adversariorum dogmata & clamores, hæc pugnare cum illis, ostendens, ita ut tandem plerique Papisticam idolomaniam, dogmata & superstitiones detestarentur. Interea ipse quoque Missam celebrabat, sed non pro defunctis offerebat, verùm tantùm Angelicam, quam sic vocant, legebat Missam.*

y) Herbrandus in vita Brentii.

z) Verba Herbrandi.

a) In regione GREICHGÆA, ad Neccarum sita, hoc & superiori anno 1521. errores & idola Pontificia primi voce Evangelii taxare & abolere cœperunt, Erhardus Snepffius, qui in oppido Gutebergа, sub ditione & patrocinio Theodorici Gemmingen, & postea Wimpinæ, semina veræ Evangelii doctrinæ sparsit: M. Bernhardus Grublerus, Gemmingæ: M. Martinus Germanus Furfeldæ: & Joannes Gallus Solisfeldiæ. Hos sequuti sunt Wolffgangus Busius, Gemmingensis Ecclesiæ Pastor, & collega ipsius, Franciscus Irenicus, qui Germaniam descripsit. Docuerunt eodem tempore in vicinis oppidis M. Joannes Rudolphi, & Matthæus Chytræus, Davidis Pater, Menzingiæ: Nicolaus Trabantius Flehingæ:

hingæ: & postea Joannes Sideroerates, Brettæ: Georgius Junior, M. Petrus Erberman, & Thomas Rana, in oppido Eppingen. M. Melchior Hipporius (qui primùm Academiæ Regiomontanæ initia docendo adjuvit) in oppido Bischoffsheim.

a) Chytræus oratione de Greichgæa.

b) BREMENSIS civitas inter cæteras Saxoniæ inferioris urbes, prima mutationem Religionis admisit, ubi hoc anno, rogatu Henrici Esichii Senatoris, Eberhardi Speckhanii, & aliorum Patriciorum, permissu Senatûs, Henricus Sutphaniensis, Monachus Augustinianus, recens Antuerpiâ ex aduersariorum manibus elapsus, primùm in sacello prope S. Ansgarium, deinde in templo Ansgarii biennium concionatus est. Conticescebant enim Canonici, quod in loco sacro per tumultum civis quidam vulneratus, eoque templum interdicto Ecclesiastico subjectum esset. Quàmprimum autem Clerus animadvertit, Henricum sibi plausum populi conciliare, rogarique ut maneret, indignari cœpit, & primò Magistratum, ne in urbe ferret hæreticum, qui doceret contra Ecclesiam, & cum hoc illi non persuaderet, Archiepiscopum Christophorum, ut se interponeret, precibus fatigare: Archiepiscopus monachum sibi tradi per legatos frustra postulabat, tandemque ut eum condemnaret, Concilium provinciale Buxtehudæ indicebat: Henrico doctrinæ suæ defensionem ex sacris literis offerente, & emendationem pollicente, si erroris convinceretur.

b) Chronicon Bremense.

c) MAGDEBVRGÆ Melchior Miricius, Theologiæ Doctor, Augustinianus, & alii purius docere, & Pontificias invocationes Sanctorum, fiduciam operum humanorum, vota Monachorum, sacrificia Missæ privatæ, purgatorium, taxare hoc anno cœperunt.

c) Chytræus.

d) SERVESTÆ Anhaldinorum Dominicâ Cantate Martinus Lutherus in Augustinianorum Monasterio, (Nosocomium hodie est) primam concionem habet Evangelicam. Ab hoc tempore celebris hæc urbs Papatui valedixit.

d) Ex Archivis Anhald.

e) MILTEBVRGI ad Mœnum sub ditione Moguntina Joannes Draco Carlstadius Theologiæ Doctor, Christi crucem & gloriam volentibus annuntiat, non sine fremitu sacrificulorum missaticorum.

e) Ex Actis publicis.

f) In POMERANIA cum deferbuisset persequutio Treptoviæ mota, & Princeps Bogislaus, & si edictum Wormatiense in Pomerania ordinibus promulgaverat, tamen exsecutionem non admodum, severè urgeret, dehortantibus eum Valentino Stoientino, & Jacobo Wobeser & aliis piis ac eruditis Consiliariis, qui puriorem doctrinam amabant: STETTINENSES omnium primi Wittebergâ Doctores Evangelicos, Paulum à Rheda Quedliburgensem, & M. Nicolaum Curiensem accersiverunt. SVNDII etiam, Christianus Kettelhut, Treptoviâ pulsus, taxare Religionis Pontificiæ vanitatem & superstitiones cœpit. Sic connivente Bogislao, Evangelii semina, paulatim in Pomerania, extremo vitæ illius tempore, spargebantur. Ipse Noribergam ad Comitia profectus, etsi Ferdinandus, Caroli Imperatoris frater & locum tenens, denuò controversiam cum Marchione cognoscebat: tamen re non compositâ rediit, ac in itinere cum Electore Saxoniæ Friderico egit, ut filio suo Barnimo, sororis Friderici & Henrici Lüneburgensis filia, Anna, connubio jungeretur. Interea Sundii quidam ex fece vulgi & opificum, invito & repugnante Senatu, imagines ex templis seditiosè ejecerant, & Sacerdotes ac Monachos omnes unà die ex urbe fugârant. Et in Belbugiensi cœnobio Monachi ipsi superstitiones veteres abjecerant. Itaque in patriam reversus, & à sacrificulis incitatus, Abbatem captum postea ex ditione proscripsit (qui prope Wittebergam deinceps in oppido Belzig pastoris officium gessit) & cœnobium una cum reditibus omnibus suo præfecto administrandum tradidit. Id primum initium occupandi Monasteria in Pomerania fuit. Sundensibus etiam graviter ob injuriam, non religioni solum & Ecclesiæ, verùm etiam sibi, patrono illatam, comminatus est. Sed statim in tabem lentam & lethalem incidit, quâ prid. Kalend. Octobr. extinctus est: duobus filiis, Georgio & Barnimo relictis, qui in gubernatione ipsi successerunt.

f) Chytræus.

STOLPÆ verò (quam Eoæ Pomeraniæ metropolin ad fl. ejusdem nominis sitam, bonorum ingeniorum feracem, honestâ gubernatione, civium frequentiâ & commerciis, & Ecclesia & schola benè constitutâ, hoc tempore florere cernimus) prima purioris doctrinæ semina sparsit Petrus Suavenius, vir nobilis, in ea urbe natus, & Luthero familiaris & charus, qui in privata ad forum domo, civibus aliquot literatis & scholæ præceptoribus Pauli ad Romanos epistolam interpretatus est. Ab hoc excitati scholæ moderatores, studia sacrarum literarum non modò apud Scholasticos urgebant, verùm etiam concionibus, in schola habendis, plurimos ad purioris doctrinæ studium invitabant.

g) LIVONICÆ civitates, Riga, Derbatum & Revalia Pontificiæ religionis ritus mutare cœperunt, autore emendationis Ecclesiæ Rigensis primò Andreâ Cnophio Custrinensi: quem Trepoviæ in Pomerania Joannis Bugenhagii, Scholæ Rectoris collegam, & persecutione Mandweliana inde ejectum, Rigam venisse, & mox ad ministerium Ecclesiæ D. Petri vocatum, modestè initio doctrinam de Justificatione peccatoris gratuita per & propter solum Christum pro nobis passum & resuscitatum, auditoribus inculcasse, & abusibus cum hac doctrina pugnantibus graviter taxatis, ritus tamen ipsos nondum mutasse, paulò antè commemoravimus. Accessit autem postea collega turbulentior, Sylvester Tegetmeierus, qui Rostochio, ubi Ecclesiæ Dei Jacobi minister fuit, nuper effugerat, & adeundæ hæreditatis fraternæ causâ Rigam profectus, exeunte hoc anno, in æde Divi Jacobi docere cœpit, & majore impetu Pontificiorum superstitiones & idola palàm coarguit ac detexit: adeo ut vulgo abominationi esse cœperint, & paulò post statuas omnes è templis ejicerent, & lapides sepulcris impositos removerent: ut solent inprimis mutationum articulis multa inconsideratiùs & turbulentiùs geri. Quare Lutherus ad Rigenses scribens, gravissimè monet, religionem veram & pietatem Christianam, in fide, rectè Deum agnoscente, & propter unicum Servatorem nostrum JEsum Christum, non propter ulla externa opera aut merita propria, sed Deo placere, & æternam

ternam salutem consequi statuente: in charitate seu officiis dilectionis erga proximum à Deo mandatis: in spe salutis, non succumbente cruce & afflictionibus, fidei confessionem comitantibus: non in externorum rituum humanorum observatione aut abolitione, quæ libera sit extra casum scandali, & ædificationi veræ pietatis servire debeat situm esse.

g) Chytræus.

h) SCAPHVSII Sebastianus Hoffmeister, Minorita, D. Theologus, in templo Franciscanorum magno zelo contra abominationes Missæ fulminat, &, quod chartæ nuper in Bibliotheca quadam inventæ, manuque ipsius scriptæ, testantur, auditoribus suis hæc axiomata diligenter inculcavit.

Christi præsentiam corporalem non esse, nec esse posse secundum scripturam post ascensionem illius in cælos.

Carnem & sanguinem Christi non percipi corporaliter in pane & vino Sacramenti.

Christum nullo loco tanquam corporaliter præsentem, esse adorandum.

Carnem & sanguinem Christi spiritualiter fide percipi.

h) Ex indicio Jo. Conradi Cochii Theologi Scaphusiani.

Docuit de his & aliis magno populi concursu & applausu, & nonnullos ex urbis concionatoribus in sententiam suam pertraxit. Accusatus idcirco à sacrificulis, decreto Senatûs mittitur Basileam, doctrinæ suæ consensum à viris doctis petitum: sed malè ibi à nonnullis acceptus, re infectâ rediit, habuitque in animo Wittebergam proficisci; à quo consilio Tigurini & Sangallenses ipsum revocârunt, tùm itineris periculum, tum corporis ejus imbecillitatem causati. Apologiam igitur doctrinæ suæ, scripturæ dictis munitam, confecit: sed propter infensissimos sibi sacrificulos apud Senatum parum effecit: nec ad docendi munus amplius est admissus. Fremente populo Abbas cœnobii ordinis Benedicti, quod est intra urbis mœnia, ex Bavaria vocat virum doctum & eloquentem, Erasmum Ritterum, qui doctrinam Evangelii oppugnaret, & errores Romanæ Ecclesiæ defenderet. Is ut populum demulceret, Missam vernaculâ linguâ celebravit: sed populus eo non contentus, plenam Cœnæ Dominicæ restitutionem flagitabat.

i) In oppido S. GALLI Benedictus Burgarerus & Wolffgangus Weterus, concionatores, lectis Lutheri de indulgentiis disputationibus, & aliis libris, illuminati, & Joachimi Vadiani Medici Acta Apostolica in ipsorum gratiam enarrantis, divino zelo, confirmati, rejecto Papa Christum profitentur.

i) Historia reformationis Sangallensis MS.

BERNATIBVS Bertholdus Hallerus, Helvetius, Zwinglii discipulus (qui postquam Coloniæ gradum Theologiæ primum adeptus esset, Canonicus simul & concionator Bernæ constitutus est) Christum prædicat, sed timidiusculè. Zwinglius igitur per literas illum confirmat, & modum agendi cum Bernensibus ostendit. k) *Tu* inquit, *quod à me requiris, ipse strenuè exsequere: ut ursi tui ferociusculi, auditâ Christi doctrinâ mansuescere incipiant. Quod negotium summâ lenitate adgrediendum puto. Nec enim apud tuos sic agere convenit, ut apud nostros: tuorum enim aures etiamnum teneriores cum sint, non sunt protinus tam mordaci vero radenda: quod & Christum sensisse puto: cum vetuit margaritas ante porcos dissipari, qui fortasse in te conversi, magna te sævitiâ discerperent, ac in perpetuum Evangelium Christi horrerent. Palpandæ igitur sunt hæ feræ lenius, & ad earum insultum paulisper cedendum, donec patientiâ nostrâ, intrepidâque pectoris constantiâ superatæ, cicures reddantur. Dedit & Petrus aliquid, cum dixit: Sed nunc scio, fratres, quia ignorantes feciſtis: dedit Paulus, dum Galatas lacte, non solido cibo aluit. Cesserant omnes Apostoli sævitiæ, dum non pervicaciter Senatui obstrepuerunt, vibicibus etiam lividi: Sed à prædicatione non cessarunt: sic rogo, fias omnia omnibus, ne tecum Christus explodatur: serva nobis Christum apud tuos, & te nobis, Christoque.* Ex Tiguro 4. Kal. Januar.

k) Tom. 1. operum Zwinglii p. 415.

l) DANTISCI Monachus quidam, Alexander dictus, in monasterio, ubi hodie Gymnasium, irradiatus luce Evangelii, à Senatu & civibus in templum Marianum translatus est.

l) Chronicum Schützii.

m) ISENNACI in Thuringia duo Monachi, unus Franciscani, alter Carthusiensis ordinis, abusus & errores Pontificios publicè perstringunt, & Missam idololatricam, confessionem auricularem, inutilem, invocationem Sanctorum frivolam esse, docent.

m) Chronicum Thuringiæ MS.

n) VIENNÆ Paulus Speratus, nobilis Svevus, in templo Stephani docet: & abusus Pontificios liberè refutat. Inde pulsus Iglaviam venit, Moraviæ urbem.

n) Rabus lib. 4. Martyrologii.

MOGVNTIÆ quotidiana Evangelii incrementa audiebantur, quæ per D. Casparum Hedionem, concionatorem in primaria æde, per Capitonem, & alios, spiritus operabatur, ac fovebat. Quanquam Oecolampadius modestiam Hedionis tacitè reprehendere videtur: quando sic scribit ad Hedionem o) *Quam gratiam, vel quem locum apud adversarios inveniant veritas & pietas, tute ipse, non dubito, experiris: cum illorum putida ulcera tangis vel extremo digito, teneris adhuc impendio parcens. Sed tu vide sis, an Evangelici sermonis libertati ad amussim hæc tua respondeat modestia.*

o) lib. 1. epist. Oecolamp. & Zwinglii.

Ad constantiam eundem Hedionem inflammat epistolâ ipso die Parasceves hoc anno exaratâ dignissima, quæ hic apponatur: p) *Salve, Hedio Charissime, Declamavimus hodie uterque, tu ad Ecclesiam gravem, ego ad unum & alterum, quo robore Christus hostibus suis ierit obviam: quod nobis modestiæ, patientiæ, ac longanimitatis exemplum retulerit. Verùm quid profuerit, vel ad ravim boare? hoc faciunt & qui ultimæ regni cælorum classis sunt. Enitendum nobis, ut infractus sit animus, si quando bella ingruant, & sævire cæperit solutis vinculis Lucifer. Usque in hunc diem non nisi exilii præludia experti sumus: nempe ægrè ferunt quidam homunculi, parvæ autoritatis, minorisque Christianismi, libertatem Evangelicam, cui parum assveverunt: nondum ventum ad sentes, flagella, crucem, fel, atque cætera. Paremus animos, imò oremus, ut quacunque horâ nos*

vocârit

vocârit Christus, non cessemus, & ne verbo quidem; certi, felicitatem præcipuam vitæ hujus, periclitari nomine Christi. Sat scio, nihil opus apud te ejusmodi inhortatione: sed patere, ut me interim confirmem.

p) Lib. 4. epist. Oecolampad. & Zwingl.

ULMÆ Joannes Diebolt Evangelizat, & habitas ibi conciones, unam de Dei verbo, alteram de tribus libris, scripturæ, naturæ, conscientiæ, divulgat: docetque, Christum esse patronum nostrum, & conscientiam hominis quietari per fidem Christi & spem divinæ misericordiæ.

q) WILÆ Imperii oppido Diepoldus quidam hoc anno docebat:

Virginem Mariam non esse Mediatricem, nec cæteros Sanctos.

Christum esse Mediatorem.

Nullum esse purgatorium.

q) Crusius.

Sed monitus Senatus à Regiis moderatoribus è Stutgardiâ, illum removit, ægrè id ferente, & pauca ad altaria offerente, plebe.

Legi epistolam ad Senatum populumque Wilensem à Theobaldo à Bellican die omnium Sanctorum hujus anni scriptam, quâ profitetur, se primum fuisse Wilensium Evangelistam, eosque porrò instruit, & ad constantiam hortatur. Est igitur Theobaldus is ipse, quem Crusius cum vulgò Diepoldum vocat.

In oppido CREILSHEIM ADAM WEIS docebat, cujus hæc sunt ad Casparem Hedionem de statu Ecclesiæ illius verba: r) *De ministerio verbi sic accipe. Si tam molestus ac ingratus essem populo meo, quàm sum mihi ipsi, non rectè succederet, at Christo autore dici vix potest, quanto ardore, quàm intentis auribus ac animis avidissimè verbum Domini excipiant, quàm volentes ducantur, demiror ipse, at sequacissimè, hujus, utut rectè vocas, plebeculæ etiam lacrymis excipio piam facilitatem, qua tàm imperitum, & ineloquentem me ferunt: spero optima omnia fore: fastidiunt & tàm citò veterem concionandi ritum, suspectæ & jam hominum traditiones, Christus paulo familiarior eis fit, hactenus ignotus fermè, Paulus Aristotelem è suggesto pepulit. XVI. Martii.*

r) Ex Epistola MS.

s) COTBVSII Lusatiorum Doctor Joannes Griesmann, Minorita, Evangelium docet in Monasterio, & inde sequenti anno Wittebergam profectus, summam doctrinæ Evangelicæ Cotbusianis à se præpositæ, typis divulgat.

s) Ex Germanicis pagellis.

t) ARNSTATVM cum fortè venisset Caspar Guethell Augustinianus Islebiensis, rogatus à civibus in foro aliquot conciones habet, quas in sequenti anno Wittembergæ publicat, Gunthero Comiti Schwartzburgico & Arnstati Domino inscriptas.

t) Ex pagellis auctoris.

DELPHIS Hollandiæ quis fuerit Ecclesiæ status, loquatur epistola Friderici Canirmii, hoc anno ad Casparem Hedionem Moguntiam missa. Sic autem illa: u) *Multa moliuntur adversarii per mandata, epistolas, legationes etiam, sed infatuat Dominus consilia Ahitophel & fit, ut monte parturiente nascatur ridiculus mus, tantum scio, si vel semel liceat in publico concionari, res monachorum, (quæ hic infestissimæ sunt veritati) planè ad nihilum redituras, cum magna ex parte labefactatæ sint pauculis in gymnasio nostro sermonibus à me habitis. Sed expectanda patienter voluntas ac beneplacitum Domini, qui cum videat, usque adeò fervere nos, consultò dissimulat auxilium, ne nostris conatibus aut laboribus quidquam arrogemus, si omnia simpliciter cadant, cum non tam habeat rationem vocandorum, ut ad gratiam perveniant, quàm jam vocatorum, ut in gratiâ permaneant, sed ubi viderit nos cessare, imò desperare salutem Israel, ac totis animis inde pendere, ut ipse solus operetur jam in medio terræ: tum demum ex improviso aderit Ecclesiæ suæ, qui insperata feret auxilia: ut tantum Deo sit laus & gloria, Amen. Erasmum indies magis frigescere, & quantum ego judicare possum, retractare latenter, quæ videatur olim liberius vel dixisse vel scripsisse, ægerrimè fero, & agnosco puerilem metum, qui plus veretur hominum gloriam quam Dei. Cæterùm tales Nicodemi apud nos in magno sunt numero, sed qui firmius starent haud dubiè si detur publicare gloriam Christi, quo uno fortificantur ægrè conscientiæ.*

u) Ex autographo in reliquiis Bibliothecæ Hedionis.

In aula FRANCISCI à Sickingen Missam repurgat Oecolampadius: qua de re ipsummet audire juvat: x) *Quoniam Franciscus à Sickingen, Clarissimus Germaniæ Eques, & Imperatorii exercitus Capitaneus, me accersivit, ut familiam suam in templo Christiane instituerem, imo jam pridem instituxam sermonibus spiritualibus pascerem: nihil tam muneris mei putavi, quàm ut illi lex Evangelica, familiaris, cognita, & in promptu esset, unde postea, per se ipsam ad vera sinceraque Christianismi studia tenderet, nempe pacem, mansuetudinem, modestiam, charitatem, pietatem, & ante omnia egregiam in Deum fiduciam. Et per dies quidem quadragesimæ, quibus aderam, nihil obstabat, quin lectum Latine Evangelium mox interpretari possem, & familiariter ad pietatis studia inhortarer. At post pascha id minus commodum fuit: nonenim familiæ vacat: ut multam temporis partem in templo transmittat, alio vocantibus negotiis. Et sunt, quibus, quantumvis parva illic mora, fastidium parit. Plerique, ut fermè ubique mos est, amant quotidiè audire, imo videre sacrum: imò audire non intellecta nostra murmura, & spectare ceremonias, adesse benedictioni, & interim perfunctoriè sese Deo commendare: atque ita se, illo, quo hæc observant, die, satis pios esse putant. Quod sanè exigui fructus est, & credo plerisque interim conducibilius, vel arare, vel texere vel ligna incidere, vel aliud quiddam operæ. Templum enim Christianis totus orbis est: & nusquam non orare, & Deum colere, spiritu & veritate, (ut scilicet coli vult) atque etiam preculis labiorum & laudibus convenit. Templa Christianorum maximè extructa sunt, ut in eis commodiùs ad audiendum verbum Dei & mysteria celebranda conveniretur: non adeo propter preces & cantilenas. Tametsi nunc nullis non tumultibus, (ita enim à Prophetis cantus querendum dicuntur)*

dicantur) verbum Dei cedere, & esse loco postremo cogitur. Itaque de ea re cum Francisco Decurione & patrono egi, ut quotidianâ aliquâ sacrâ lectione in templo sui pascerentur: visumque est ipsi (ut acris est judicii) nec non & nobilibus & clarissimis viris, Diethero à Talburg, & Hartmundio à Cronberg: quos tu scis, quam verè Christiani sint: visum, inquam, est eis, esse in rem rudium & piorum, si invertatur vulgaris ille mos, quo solemus Dominico tantum die verbum Domini annuntiare, & per integram hebdomadam Missas habere: ut potiùs omnibus diebus annuntietur verbum Domini, & solis Dominicis ac festis diebus fiat sacrum, siquidem utroque potiri non datur. Quæ sententia & mihi probabatur. Attentata tamen est via alia per me nempe ut Epistola, Evangeliumque vernaculo nostro idiomate legatur. Posse autem & licere hoc Pauli testimonio docebam: & ita semper affore pabulum verbi Dei, & non defore sacrum, neque plus solito temporis insumi. Non est repugnatum, sed assensum ab omnibus quorum intererat. Ebernburgo mense Junio.

x) lib. 1. epist. Oecolamp. & Zwingl.

De hoc suo hospitio Oecolampadius hoc eodem anno ita ad Hedionem: y) *Curarum plenus sum, nec dulcis hic mora, nec abitio decreta. Imo manendum & agnoscenda hospitalitas, quoad evocer, (utinam id brevi fieret) ad conditionem quantulamcunque honestam, ne tam fugere quàm irasse existimer. Hic enim in petra sementem facio.*

y) Lib 4. epist. Oecolamp. & Zwingl.

z) GEORGIVS Comes Wertheimicus, Ecclesias ditionis suæ reformaturus, petit à Lutherò Evangelistam, stipendio annuo centum aureorum, & convictus in mensa sua promissa.

z) Tom. 2. epist. Luth. p. 92.

In HUNGARIA sparsa de correctione abusuum, & emendatione doctrinæ Pontificiæ fama, incredibilem in multis accendit ardorem, non modò ad ipsam veritatem amplexandam, sed etiam ad videndum Lutherum, ex quo cœlestis doctrina feliciùs hauriri, & studium veritatis puriùs cognosci posse judicabatur. Itaque hoc anno, Rectore Academiæ Philippo Melanchthone, primus omnium Martinus Cyriaci de Leutsoria, ad Lutherum Wittebergam se contulit: quem anno 1524. Dionysium Lincium Pannonium, & Balthasarem Glebam Budensem, atque inde alios atque alios subsequutos fuisse, ex publicis Academiæ matriculis constat.

ANNUS CHRISTI MDXXIII.

ANNO vicesimo tertio doctrina Evangelii non solùm latiùs propagata, sed multorum etiam fidelium persequutione, & nonnullorum morte fuit obsignata.

Ad latiùs propagandam doctrinam Evangelii duobus hoc anno mediis Deus usus est: dispersione Fratrum Sickingensium, & mitigatione Edicti Wormatiensis.

a) Vixerant eodem penè tempore in aula Franciscì à Sickingen, Joannes Oecolampadius, Martinus Bucerus, Caspar Aquila patritius Augustanus, Joannes Schwebelius Pfortzhemensis. Francisco verò infelici bello implicato, in quo septimâ Maji periit, ex aula illius, tanquam Academia quadam, Bucerus Weissleburgum, & inde Argentinam, Oecolampadius Basileam, Aquila Isennacum, Schwebelius Bipontum concesserunt, & veluti novi Apostoli singuli singulas eorum locorum Ecclesias reformârunt.

a) Vita Schwebelii.

b) In Comitiis porrò Noricis absente Cæsare, sextâ Martii Edicto Wormatiensi, singulari Senatusconsulto fuit derogatum. Legato enim Pontificis Adriani Principes incusanti, quod ex formula decreti Cæsareani non fuerit de Luthero sumpta pœna: postulanti deinde consilium, quomodo malum hoc sanari possit: respondent Principes: de Luthero non sumptam pœnam: quia omnes Ordines gravissimè conquerantur de Curia Romana, & plerique Lutheri libris atque concionibus ita jam sint eruditi: ut, si decretum illud adversus illum valere debeat, plurimi id sic interpretaturi sint, quasi id eò fiat, ut oppressâ veritate, & exstincta Evangelii luce, manifesta vitia, quæ tolerari aut dissimulari diutius nequeant, defendantur. Consilium suum hoc esse: ut per liberum Concilium, in Germania primo quoque tempore celebrandum, controversiæ Religionis dirimantur. Interim

Nullos novos libros edendos.
Evangelium purè juxta probatas, & ab Ecclesia receptas interpretationes docendum.
Ab Episcopis deligendos homines idoneos, qui concionatores exorbitantes leniter castigent.
Sacerdotes, qui uxores ducant, juxta leges Pontificias multandos.

b) Acta Comitiorum Norimbergensium Germanicè edita, cum præfatione Lutheri 1518. Wittebergæ.

LUTHERVS datis ad Principes literis, invehitur in corruptores mandati. Cæsarei, & decretum Noribergense, quod alii aliter accipiebant, pro se interpretatur. Et primum quidem *de novorum librorum prohibitione* non se recusare, scribit, modò non intelligatur de libris scripturæ, quorum editio prohiberi nequeat. Per *interpretationes ab Ecclesia receptas*, non Thomæ aut Scoti, sed Hilarii, Ambrosii, Cypriani, Augustini, à plerisque intelligi: sed Patribus quoque longè præferenda Biblica scripta. *Deligendos ab Episcopis idoneos concionum censores.* Rectè id quidem, sed illos viris doctis carere, sophistis non item. Postremum *de multandis sacerdotibus*, qui vel uxores ducunt, vel ordinem suum deserunt, nimis durum esse, &, si purè sit docendum Evangelium, omnino mitigandum. Titulus literarum est: wieder die verkehrer des Käyserlichen Mandats, Martinus Luther.

CÆSAR per literas cum Principibus de facto hoc Decreto iracundiùs expostulavit, & per legatum prorsus id infringere connisus est.

Sed nec Cæsaris & Pontificis rigor, nec Principum moderatio cursum Evangelii remorari potuerunt. *Longè* enim *aliter in cælo, quàm Norimbergæ de hoc negotio fuisse conclusum*, scribit Lutherus ad Fridericum Saxoniæ Electorem. Itaque certatim Principes & civitates Pontificiæ religionis mutationem admiserunt.

c) FRIDERICVS I. Rex Daniæ ministris Evan-

gelicis,quos in regno jam tum à Christierno vocatos & defensos reperit, liberam concionandi potestatem facit, & Monachis conjugium secundum Dei verbum permittit. Historia compendiosa Regum Daniæ, per Erpoldum Lindenbruch edita, refert hæc ad annum 1524. his verbis: *Fridericus coronatus doctrinam Ecclesiæ, à D. Martino Luthero repurgatam, publicè in templis proponi mandat Anno Christi M D XXIIII.*

c) Chronicon Daniæ Huitfeldii.

d) CHRISTIERNVS Rex Daniæ, regno pulsus, cum Elisabetha conjuge, Caroli V. sorore, exulat Wittembergæ, & Lutherum diu concionantem audit.

d) Sturmius. Chytræus.

e) LVDOVICVS Comes Palatinus Rheni Bipontinus, Dux Bavariæ, feces fermenti Papistici ex Ecclesiis Palatinatûs Bipontini, Joannis Schwebelii ministerio expurgat, Missificos omnes eliminat, nihil moratus vicinorum Episcoporum minas.

e) Vita Schwebelii.

f) ALBERTVS Marchio Brandeburgicus Magister ordinis Marianorum Teutonicorum in Borussia Orientali post Comitiorum Noribergensium exitum, consilia emendandæ religionis Pontificiæ, & instituendæ purioris doctrinæ, cujus ab Andrea Osiandro, qui Noribergæ tum publicè docere cœperat, semina imbibit, primum suscepit, & per Georgium à Polentia, Episcopum Sambiensem, ipse ex Borussia abiens, pertexuit, itaque ex Academia Wittebergensi doctorem pium, gravem, eruditum & moderatum, *Joannem Brismannum*, Cotbusii in Lusatia natum, Lutheri familiarem & amicum, evocat; qui exeunte anno Regium montem appulit, & inter varias ac multiplices Commendatorum, Sacerdotum, & aliorum Pontificias persuasiones pertinaciter retinentium, adversationes & insidias magno & constanti animo, & pietate ac prudentiâ singulari, emendationem Ecclesiarum paulatim provexit: donec accedente publicâ Principis autoritate, & ordinum cæterorum approbatione, forma doctrinæ & rituum certa & æquabilis, ubique in illius partis Borussiæ Ecclesiis constituta est. Hujus laboris socios & collegas fideles & præclaros habuit *Paulum Speratum*, qui anno 1524. & *Joannem Polyandrum*, qui anno 1525. eò venit. Qui tres οἰκισταὶ seu conditores & lumina Ecclesiæ Prutenicæ, ab erroribus & idolis Pontificiis repurgatæ, præcipua, conjunctis animis & consiliis, summa cum pietatis, constantiæ, moderationis, & prudentiæ laude annos amplius viginti Ecclesias illas, puritate doctrinæ, & disciplinæ sanctitate & concordiâ florentes & tranquillas rexerunt & conservârunt.

f) Chronicon Saxoniæ Chytræi.

g) Joannes Breismannus vigesimâ septimâ Septembris Regiomonti in summo templo Kneiphofii, in veteri autem urbe Dominus Amandus Dominicâ Adventûs concionem Evangelicam primam habuêre.

g) Chronicon Hennebergii.

h) JOHANNES Princeps Anhaldinus favere jam tum cœpit Luthero: ideoque per Doctorem Hieronymum, & Franciscanum quendam Lutherum monuit, ut purgaret se ab ignominia, quâ à Ferdinando Austriaco Norimbergæ fuisset notatus, quod novo exemplo doceret, Christum esse semen Abrahæ.

h) Tom. 2. Epistolarum Luth. pag. 121.

CAROLVS Sabaudiæ Dux sincerioris religionis studiosissimus esse ferebatur. Quod cum Lutherus ex Annemundo Cocto, Equite aurato Gallo intellexisset, septimâ Septembris hujus anni Sabaudum per literas, in quibus fidei suæ confessionem breviter repetit, in pietatis zelo confirmavit. In harum fine, i) *Macte*, inquit, *Princeps Illustrissime, & heros generosissime, suscita eam, quæ in te cœpit ardere, scintillam, & fac ut ignis egrediatur de domo Sabaudiæ, ceu de domo Joseph, & sit ei tota Gallia quasi stipula, & ardeat sanctum illud incendium Christi, imò flagret, ut verè tandem Francia possit dici ab Evangelio regnum Christianissimum, quod hactenus ab impio in Antichristum, propter effusum sanguinem, officio, impiè dictum est Christianissimum. Anno 1523. 7. Sept.*

i) Tom. 2. epist. Luth. pag. 159.

k) De LIVONIA sic Lutherus ad Spalatinum vicesimâ quintâ Januarii: *M. Livoniæ ex me petiit per nuntium & per Cancellarium, eruditum virum, ut libellum ad suos populos scriberem de re Christiana, aluntque ibi verbi prædicatorem, & gaudent se Evangelion habere. Sic à Judæis transit Christus ad Gentes, & de lapidibus fiunt filii Abrahæ quem sui repotes persequuntur.*

k) Tom. 2. epist. p. 128.

l) Eosdem LIVONOS Lutherus epistolâ salutat, quâ gratulatur illis patefactam Evangelii Christi doctrinam, cujus oppressionem plerosque in Germania Tyrannos pertinaciter moliri queritur, ejusdemque generis persequutiones atrocissimas ipsis quoque expectandas præmonet, ad quas sustinendas ut sese præparent, animumque obfirmatum habeant, atque in agnita veritate Evangelica fortiter perseverent, graviter ac piè cohortatur, de fide justificante, & tandem vera ratione bonorum operum, breviter & perspicuè eos erudiens.

l] Tom. 2. epist. Luth pag. 122.

m) WOLFGANGVS JONERVS Abbas Capellæ, qui ex Zwinglii concionibus errores Pontificiæ religionis agnoverat, scholam in cœnobio instituit, cui præficit M. Henricum Bullingerum, octodecim annorum juvenem, qui & ipse veritatis Evangelicæ gustum, ex scriptorum Lutheri & Melanchthonis lectione Coloniæ perceperat.

m) Stumpfius lib. 6. Simlerus in vita Bullingeri.

n) ABBAS HIRSCHFELDENSIS hoc anno permisit quibusvis liberum exitum, tam Monachis quàm Monialibus. Pastor Hirschfeldensis defunctâ uxore primâ, duxit secundam.

n) Tom. 2. epist. Luth pag. 140.

In SILESIA plenior Evangelii lux affulsit Vratislaviensibus, & Lignicensibus.

VRATISLAVIÆ Canonicus erat Joannes Hessus Norimbergensis, Theologiæ Doctor, vitæ inculpatæ, doctrinæ eruditæ, eloquentiæ raræ.

Cum igitur ab obitu Oswaldi Wimleri pastoratus ad D. Mariam Magdalenam quadriennium vacasset, pro more temporum illorum de obtinendo eo nonnullis coram politico Magistratu contendentibus, senatus moræ pertæsus, consentiente populo universo, probante Jacobo à Salza Episcopo, decimo nono Junii Joanni Hesso, vocatione solenni, Ecclesiæ Magdalenanæ gubernationem commendat. Is vigesimâ quintâ Octobris Dominicâ XXI. Trinitatis primam ibi concionem habet in maxima populi frequentia.

Adria-

Adrianus Papa ægerrimè hoc tulit, & datis ad senatum literis à proposito eum revocare conatus est. Sed frustrà. Senatus enim facti sui causas reddidit gravissimas, editâ Apologiâ, quæ quia vivam habet descriptionem & statûs Ecclesiastici sub Pontifice Romano, & Pontificis in illo, necessariò hic inserenda & à posteritatis oblivione fuit vindicanda. Sic igitur illa:

SENATVS POPVLVSQVE VRATISLAVIENSIS *piis lectoribus salutem in Domino. Non ambigimus, viri Christiani, qui & corde & ore Christum profitemini, quin vobis (etiam sine ullo nostro encomio) summè placeat novi pastoris nova electio, cum inprimis vestræ professioni conveniat, niti & exemplo & doctrina Apostolorum, quæ sanè & basis & fundamentum veræ fidei, eo vobis commendatior esse debet, quod à spiritu sancto profecta est, signata sphragismate sanguinis Christi & electorum Dei. Verùm cum multi sunt quibus post hujus mundi honores & carnis voluptates nihil quicquam divini aut sancti pensi est, ne illis ansa relinquatur improbandi hoc nostrum adeo laudabile ac frugiferum institutum, breviter ejus consilii rationes explicabimus: ne, si fortè plerique firmamentum roburque rei non acceperint, aliquî ex eis tyrannide & majestate adversariorum in sensum non verum traducantur: tum etiam, ut inter nos mutua dilectio conservetur, quam alioqui, scissâ in diversas partes Ecclesiâ, labefactari necessum esset. Primùm ergo non immeritò nos, quibus summa Reip. concredita est, vehementer commovit animi, quod ædes Divæ Magdalenæ tot jam annis sine sponso & parocho consenuit & eviluit, quam adeo pro uno sponso multi appetivere, ut etiam illis ad tribunal sæpè deventum est, atque ita alii alios mutuo semper ejicerent contendentes de animarum nostrarum salute, nihil secus atque ii, qui tesseris colludunt, porro utrique fortunam sine virtute experiuntur. Quod contendendi studium ab Ecclesiæ præfecto alienissimum esse debet. Oportet enim Episcopum inculpatum esse, tanquam Dei dispensatorem, non præfractum, non iracundum, non vinosum, non percussorem: non turpiter lucro deditum, non ambitiosum, cum ea dignitas non ambitione sed consensu Ecclesiæ comparetur, & non nummario pretio, sed oneroso honore constet, iis artibus denique parandum sit verum sacerdotium, quod nisi coactus aliquis ritè capessere non potest, ut in C. de Ep. & Cl. Le. si quenquam Divus Leo Augustus super acceptando sacerdotio sanctissimè statuit hisce verbis, tanto & Christiano Principe non indignis. Nemo gradum sacerdotii venalitate pretii meretur, quantum quisque mereatur, non quantum dare sufficit, æstimetur. Profecto enim quis locus tutus, & quæ causa poterit esse excusata, si veneranda Dei templa pecuniis expugnentur? quem murum integritatis aut vallum fidei providebimus, si auri sacra fames penetralia veneranda proserpit? Denique quid cautum esse poterit, aut securum, si sanctitas incorrupta corrumpitur? Cesset altaribus imminere prophanus ardor avaritiæ: & à sacris adytis repellatur peculare flagitium. Ita casus & humilis nostris temporibus eligatur Episcopus, ut locorum quocunque pervenerit, omnia propriâ vitæ integritate purificet, non pretio sed precibus ordinetur. Antistes tantum ab ambitu debet esse sepositus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profectò enim indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus. Qua de re haud ita longius standum nobis esse duximus illorum disceptationibus, qui tam importunè sacerdotia quærunt, ac passim aliorum injuria sese consecrant, ne scilicet illos expectando interim status nostræ salutis periclitaretur. Proinde aliquot jam annis non aquè Evangelium hic annuntiatum est: quippe alii pro Christi Evangelio Thomam, Scotum, Aristotelem, Christianis auribus summa cum indignitate instillarunt: alii loculis & marsupio consuluerunt, prædicando non gratuitam fidei, sed pronundinam fiduciam operum: alii item in operculum suæ carnis & impietatis sacras literas detorserunt: quo factum est, ut multi nesciant quam viam sequantur, atque ita dubii errent, ut navis in medio mari gubernatore destituta. Quod malum ne indulgentia nimia, aut irritando tanquam excetra illa Lernæa vires acquireret, aut latiùs serperet, summa cum diligentia è nostrorum animis tollere, & adusque vivam radicem avertruncare studuimus: quærendo scilicet nobis & Ecclesiæ nostræ eum pastorem, qui incredibili fiduciâ & alacritate verbum Domini, & imperveſtigabiles ab humana prudentia divitias ejus & communionem mysterii, quod erat absconditum à seculo, ideo nobis decantabit secundum spem nostram, quam in illum habemus repositam in Domino, qui omnibus innocentiâ vitæ & modestia charus est, qui antea à Reverendissimo D. Episcopo nostro ad Evangelizandi munus, & nunc quoque à nobis unanimi consensu vocatus & accensus est, ac electus in Domino juxta consuetudinem ab Apostolis vulgatam, & Ecclesia, quæ in Christo est, receptam. Siquidem Ecclesiæ est vocare & eligere pastorem: Episcopi autem, sive presbyteri, manus imponere. Nunc cum ipsa electio canonicè & debitè celebrata sit, ac secuta judicium & eulogium Reverendissimi nostri Antistitis, qui summâ curâ nos ad amorem præsentis pastoris invitavit, atque primus illi calculum ac suffragium suum detulit ad annunciandum Evangelion de Christo, non passus, uti sub modio tam bona lucerna perderetur, aut ipse talentum, quod à Domino accepit, intra terræ penetralia, ceu parum fidelis servus infoderet ac reconderet: verum in verbi ministrum nobis eum constituit: quæ Evangelizandi functio inter reliqua Ecclesiæ munia prima & maxima est. Proinde cum in maximis nobis datus esset magister, minoribus quoque eum Ecclesiæ officiis, quæ de jure parochiali dicuntur, præfecimus: rati, par ac debitum esse, minima illi concredere, qui in maximis esset fidelis, cum etiam non liceat alium habere verbi ministrum, alium dispensatorem mysteriorum Dei: ita enim scinderetur & ordo & dignitas sacerdotii. Nam quid magis absurdum esse queat, quàm eum habere dispensatorem mysteriorum Dei, qui ita institutus esset, ut verbum ministrare non possit? Quomo-*

Quomodo autem aliquis dispensaret mysteria, quorum cognitionem per verbi scientiam non habet? cum ne in mechanicis quidem rudis adhuc opificii admittatur. Ad hæc ita constituit Deus, æquitatis legem dispensans: ut in corpore nostro alia sunt membra quæ regunt corpus, atque omnibus moribus ejus præsident, alia item sunt quæ regunitur ac obsequium rectoribus præbent, in Ecclesia quoque alii gubernarentur ac regerentur, quibus hoc utilissimum est, ut verbo & opere rectorum ad id quod expedit, imbuantur, alios verò pastores dedit & doctores, ad perfectionem Ecclesiæ, eos scilicet, qui præ cæteris virtute animi præditi familiariùs Deo assistant, & id officii in Ecclesia gerant, quod anima in corpore; ut utraque pariter compaginata, & sibi invicem mixta, in quo quid deest & in quo abundat, velut in membrorum diversitate consonantia facta, per spiritum perfectum & integrum atque aptum ad omnia corpus existat, & dignum, quod Christum habeat caput. Ergo idem ex scriptura & verbi minister, & dispensator mysteriorum Dei (hoc est, ut Paulus ait, alios dedit Pastores & Doctores) esse debet, atque in iis totum sacerdotium comprehenditur potiùs quàm in supercilio Ephot, cidari, tiara, anelabri atque aliis non eo usque exigendis ab Ecclesia Christi. Justè igitur verè pium ac Christianum hominem D. Joannem Hessum, Theologiæ Doctorem in parochum nobis elegimus, ad ministerium verbi ante vocatum ab Episcopo, commisimusque ei curam & vivorum & mortuorum: ut vivos immarcescibili fructu verbi Domini pascat ac nutriat: defunctos verò in Domino pie sepeliat, non, ut prædecessores parochi, quibus una opera erat inhiare lucro. Nam sive nasceretur, sive moreretur aliquis, omnes erant tributarii, & vectigales parocho, ut etiam multa millia gratiarum ac indulgentiarum nomina, remissionem peccatorum præ se ferentia, atque id genus alia pastorum commenta taceamus. Quod verò omnium miserrimum, mortui plus vivis censebantur: ut credibile sit, poëticum illum Charonta in transportandis multis mitiorem fuisse, quàm nostros parochos in sepeliendo. Cum autem sine iis nundinationibus cum suis Diaconis & hypodiaconis verus pastor sese de nudis Ecclesiæ reditibus sustentare non possit, ut sæpè nostris auribus inter concionandum inculcavit sinceriter nobis in Christo dilectus eximius vir, D. Magister Joachimus, qui aliquot jam annis sive per locationem, sive per aliam rem quampiam dictæ parochiæ præfuit, atque ita inter concionandum nos admonuit, ut augeremus censum Ecclesiæ, ne cogeretur eam egestate & penuriâ rerum deserere: consilium quæsivimus, ne ita perpetuum & vivi & mortui vectigales & in prædam essemus: & ut sine hoc censu pastorem quoque nostrum honestè ac liberaliter, pro persona & dignitate sacerdotii alere possimus, quo is modo in salutem nostram occupatus sit, non autem turpibus illis rationibus: tot hodiè, tot heri, tot nudius tertius funera, atque utinam etiam aliquid in crastinum, perendie, & sic deinceps. Quam rem adeo indignam ad sacram & augustam Regiam Majestatem D. Ludovicum, Hungariarum & Boëmiæ Regem, Dominum nostrum Clementissimum, tum per legatos, tum per literas retulimus, & summis laboribus & precibus obtinuimus: uti pro nobis Maximus Rex apud summum Pontificem intercederet, quo is jus eligendi & præsentandi pastorem Ecclesiæ nostræ nobis conferret, quod & ipsum à sua sanctitate, tantâ humilitate, quanta par est, nos expostulavimus. Ad quam postulationem neque Regiæ Majestati, neque nobis quicquam responsi datum est. Cum alioqui nobiscum Summus Pontifex de Lutheranismo (negotio non identidem periculoso) satis copiosè per longum Breve ageret, Ecclesiæ verò nostræ rei ad salutem animarum nostrarum vel maximè necessariæ, prorsum non commeminit. Sentientes itaque apud Romanum Pontificem, nec Regiæ Majestatis, nec nostras preces valuisse, non oscitanter, nec imprudenter ad præsentem electionem accessimus, & pastorem nobis elegimus, quem tanquam obedientes filii, primùm Vicario in spiritualibus generali, deinde Episcopo coràm constitutum, ac iterum Vicario generali præsentavimus, quo eum juxta morem hujus diœceseos, in possessionem Ecclesiæ solenniter investirent. Sed & hic repulsam passi sumus, non quod hunc nobis negarent pastorem, aut de ejus integritate dubitarent, quem tantopere, & tot titulis paulò antè commendaverant, & in verbi ministrum præfecerant: sed quod illorum indignationem veriti sunt, qui unà inter sese pro ea Ecclesia contendunt & dilitigant. Nos autem nihil minus eundem electum nostrum in possessionem parochiæ instituimus. Ordinata proinde in statum optimum re Ecclesiæ & pastorali, ne identidem animarum nostrarum cura, atque antehac sæpe factum est, ulli sub pensione, vel alia Simoniaca conditione locanda veniret, ac subindè multi, in extremis constituti, negligerentur, neve essent nobiscum partità munia sacerdotii, quod utique unum & simplex esse par est, perinde ejus Christus unus, & auctor & magister est: Vos omnes obtestamur in Domino, ne quis vestrum nobis malè vertat, tantæ rei tam subitam mutationem, multis etiam non auditam seculis. Neque mirum, si vobis res nova, (licet in Christi Ecclesia semper fuerit usitatissima) videatur, qui nati estis & coaluistis sub imperio conductitiorum pastorum: quorum artificio in Ecclesia Dei omnia Sacramenta venalia facta sunt, tanquam ab illis ipsis vita æterna emenda esset, quam quisque secundum æstimationem suam licitatus est, neque satis esset eam per fidem dono & planè gratuito accepisse à Christo Jesu, qui fallere nec potest, nec didicit. Horum profectò pastorum impostoras & præstigias inhibistis à teneris, nescientes adhuc lac Apostolicum, & dulcedinem Evangelicam. Si qui autem sunt, qui nobis calumniari non desinent, Spiritu fortitudinis in Domino illorum sycophantias toleravimus. Nam ab auditione mala non timebit justus, qui, si homines timeret, Christi servus non esset, sed quid sollicitamur, ac si hæc nostra electio ulli non placeat? cum secundum scripturam & consuetudinem Ecclesiæ celebrata sit, cujus Ecclesiæ & caput & sponsus est Jesus pro nobis crucifixus, qui ait: qui mecum non est,

est, contra me est: & qui mecum non colligit, spargit. Nunc si Deus pro nobis, quis contra nos. Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est qui justificat, quis ille qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis. Exultate ergò & gaudete nobiscum, qui pro parte Evangelii statis, cum in commune vobis seritur ac metitur, gratias agentes Deo, quod nobis de eo pastore prospexerit, qui & Episcopo nostro, & nobis juxta charus est, & piè exercitatus in sacris literis, cui satis mercedis erit, excolere vineam Domini, & nos lucrifacere Deo per verbum Jesu Christi. Cæterùm abstinebit à spoliandis tum vivis tum mortuis. Nostrum autem, imò totius communitatis erit, & illius curam vicissim agere liberè, non coactè, & pro sepultura & aliis officiis mittendo in gazophylacium, ut cujusque pietas & facultates tulerint. Nam qui Evangelio servit, etiam de Evangelio vivat: duplici enim honore dignus est, ut ait Apostolus.

o) LIGNITII jussu Principis Friderici Valentinus Crautwald publicè epistolas Paulinas exponit.

o) Crantzheimius Chronologiâ Germanicâ.

GOLDBERGÆ ejusdem Principis cura illustris scola erigitur, professoribus Wittembergâ evocatis Valentino Trocedorffio, & M. Joanne Helmerico.

E BOEMIA profecti ad Lutherum legati Fratrum, quos vocant, fidem illi suam de sacramento Eucharistiæ exposuerunt: de quibus ita ille ad Nicolaum Hausmannum: p) *De Pighardis jam non malè sentio, auditâ eorum, præsentibus ipsis, fide circa Sacramentum Eucharistiæ. Bohemos, qui parvulos communicant, non probo, quanquam non in hoc hæreticos censeo.* Et ad eundem alibi: q) *Pighardi sic de sacramento sentiunt, quod Christus sub pane non sit corporaliter, quomodo aliqui dicunt, se vidisse ibi sanguinem & puerulum, &c. sed spiritualiter seu sacramentaliter, hoc est, qui panem accipit visibiliter, verè accipit naturaliter ejus sanguinem, qui à dextris patris sedet, sed invisibiliter. Ultra hoc non possum eos damnare. Deinde quod non adorant, ad idem referunt, quod non sit ibi visibiliter, ut visiones habent, sed invisibiliter, hoc est ad dexteram patris.*

p) Tom. 2. epist. Luth. p. 133.

q) Tom. 2. epist. Luth. p. 167. b.

In GALLIA gratia Evangelica annunciabatur hoc anno publicè Gratianopoli & Meldis.

GRATIANOPOLI in Delphinatu Petrus Sebevilla religionem puriorem docet, quem Zwinglius decimâ tertiâ Decembris die per epistolam monet: ut in Galliis Christianâ armaturâ munitus in publicum prodeat, sublatâque, instar tubæ voce, Evangelium Christi, invitis omnibus puppis & Papis prædicet. r) *Christus*, inquit, *Classicum cecinit, impressionem in Pharisæos, Scribas & hypocritas facturus. Quis dexteram ad prælium non armabit? Leo rugiet, inquit Propheta, quis non metuet? Christo per ministros suos detonante, quis ex hostibus non pavebit? imò dispeream, si non in totis castris illorum trepidatur: adeò vertuntur, rotantur, ambigunt, ut quid consilii sequuturi sint, nondum exploratum habeant. Nam si Christi gregem mactare per seductos Principes cæperint, verentur, ne sic aperiatur fenestra, ut in se quoque paulò post irruatur. Si verò scripturâ obsistere tentent, conscii sibi violentiæ, quam ei faciunt, toti frigent ac concidunt. Quid igitur in ignavos non irruimus, uno illoque satis forti verbi DEI præsidio fulti? Is enim Antichristum interficiet spiritu oris sui. Stat à nobis Christus, quis contra nos? Simus licet Samia vasa, nemo tamen confringere nos poterit, quandiu nobis Dominus adest: aderit autem ex verbi sui certâ promissione, quâ pollicitus est, se nobiscum mansurum usque ad mundi consummationem: jussitque securos esse, cum ad Reges & Principes illius causa trahamur: daturum enim esse sapientiam & eloquentiam, cui omnes adversarii non poterint resistere. Quid igitur adhuc cunctamur? Victoria in manibus est, an eam decerpere piget?* & paulò pòst: *Non modò cum Antichristo sed cum universo simul orbe certamen tibi subeundum est, si quidem cœlestia ambis: ea enim solis eis eveniunt, qui terrena negligunt. Antè omnia igitur opus est, ut te ipsum abneges, ac quotidiè moriaris. Id autem tuopte Marte non poteris: ad unam igitur Dei misericordiam confugiendum, & illic flagitandum, ut vias tuas dirigat, mentem illustret, cor excitet, ut illius gratiâ nihil non tum audeas, tum, quo pacto fieri oporteat, scias. Proderit & illud, Evangelium Christi prædicare molienti, ut rejectis omnibus præsumptis opinionibus & doctrinis, hoc consilio ad literas verè sacras accedat, ut eas præceptorem habiturus sit, non discipulum.*

r) Lib. 4. epist. Oecol. & Zwingl.

s) MELDA, oppidum est in Galliis, decem à Parisiorum Lutetia milliaribus. Ejus Episcopus hoc anno fuit Guilielmus Brissonnettus, qui cum doctrinæ purioris esset admodum studiosus, idoneos etiam doctores populo præfecit, exclusis Monachis. Lutetiâ Jacobum Fabrum, Guilielmum Farellum, Arnoldum & Gerardum Ruffum vocavit, qui magnâ alacritate populum erudiêre. Quum autem hoc nomine periculum Episcopo crearent Theologi Sorbonistæ, non præstitit constantiam, & ab incœpto destitit. Tamen multorum animis religio implantata, & cum doctores pariter & auditores nonnulli inde fugati in alia atque alia Galliæ loca se recepissent, mirabili Dei consilio, unius Ecclesiæ destructio, multarum fuit ædificatio.

s) Sleidanus. Raymundus de Remund.

t) HAMBURGVM M. Stephanus Kempe Franciscanus hoc anno venit, ingenio & facundiâ & magnitudine animi M. Ordonem Stifelium superans, qui à præfectis Cœnobii Mariæ Magdalenæ ad docendi Evangelii munus in eo templo vocatus, inter acerrimos cum Sacrificulis conflictus, magno concursu & applausu civium triennium ferè solus æstum & laborem diei sustinuit, donec Joannes Zegenhagius, Magdeburgo ad Ecclesiam D. Nicolai, & paulo pòst Joannes Frizius Lubecâ, ad parochiæ D. Jacobi gubernationem vocati, fideliter in Evangelii propagatione Stephanum adjuverunt.

t) Chronicon Saxoniæ Chytræi.

HALAM Suevorum Joannes Isenmannus Halensis à Senatu vocatur, ut defuncto pastori succedat. Is non solùm eadem cum Brentio docebat, sed impias Papismi cæremonias abrogare incipiebat. In odium igitur multorum incurrit: præsertim cum Brentius hucusque Missas celebrasset. Ibi tum Brentius publicè se excusavit, rationem sui consilii exponens in hanc sententiam: u) *Optimi auditores, audio quosdam vestrûm nostris actionibus offendi: & quidem verum est, ego quoque aliquoties Missam hîc apud vos celebravi, sed non per omnia sacrificulorum more, impietate horrendâ, sacrificii scilicet pro vivis & defunctis oblatione, omissâ: idque propter vos à me factum est. Nam cum primùm huc à vobis essem vocatus, in profundum idololatriæ vos immersos reperi, ideo aliquid erat faciendum: & ad vos in lacum descendi, ut vos educerem, & liberarem paulatim erudiendo, & nonnihil etiam, exemplo Apostoli, ad tempus cedendo & simulando. Jam verò rectiùs ex verbo Dei à me estis instituti, & horrendam Missæ abominationem, & cœnæ Dominicæ prophanationem intelligitis. Ideò abroganda.*

u) Verba Herbrandi in vita Brentii.

x) Cæterùm Missa anno demum 1527. abrogata est: nisi quod Joannitæ missificârunt usque ad 1534 annum: ad quos multi patritii exiverunt: donec & hæc Missa silere jussa est, templo concluso: ut 1540. omnis Missa in ipsorum ditione extra urbem.

z) Crusius.

y) AUGUSTÆ Joannes Speiserus Theologiæ Doctor, Parochus Augustanorum cœpit verbum Dei concionari sincerius, tanto concursu & fructu, ut meretrices quoque ejus concionibus motæ, ad meliorem frugem redirent, ac prostibulo, quod tunc publicè prope Geggingensem portam tolerabatur, deserto, aut honesta conjugia quærerent, aut aliò inde diffugerent. Sed rediit Speiserus ad Pontificios, & miserè periisse dicitur.

y) Achilles. Gallarus. Henningus.

LVTHERVS ad Augustanos consolatoriam mittit epistolam, quæ exstat Tom. 2. Germ. Jenens.

ESLINGÆ Imperii oppido Michaël Stifelius discipulos Christo colligit, quibus cum Parochus Pontificius articulos aliquot opponeret, Lutherus per epistolam Eslingenses docuit, quomodo articulos psychotyranni sui deberent confutare.

ARGENTINAM hoc anno veniunt Martinus Bucerus, Weissenburgo, Caspar Hedio & Wolffgangus Fabritius Capito Moguntiâ: tria non solùm Ecclesiæ Argentinensis, sed orbis Christiani lumina. De his Nicolaus Gerbelius ad Joannem Schwebelium mense hujus anni Decembri ita scribit: z) *Evangelio mirificè prodest Hedio. Nam sinceritate vitæ, & gravitate docendi reliquorum sententias corroborat. Neque hactenus atrocioribus odiis res acta, sive quòd accesserit Hedio, sive quòd actum esse de rebus suis timeant, nescio. Bucerus Colossensem epistolam profitetur, Latinè modò, & Germanicè, accurrentibus, ligonibus, terdonibus, Danistis, omnisque generis hominibus. Hesternâ die Capito Præpositus noster innumerabili conveniente turbâ Colossensium epistolam enarrare cœpit ad S. Thomam. Interim Papistæ in caligas & calceos &c. Non credis, quantum autoritas Capitonis in populo efficiat. Deus incrementum det; ego optimè spero.*

z) In epistolis Schwebelianis.

In eadem urbe Kal. Decembribus Senatus mandat concionatoribus omnibus & singulis, ut Evangelium liberè & publicè prædicent: & auditoribus Dei ac proximi amorem implantent: mittant autem scommata in alios jacta, & omnia ea, quæ vel scandalo esse infirmioribus, vel ad seditionem commovere animos possint.

a) LANDAVII Imperii oppido Joannes Baderus Pastor Ecclesiæ variorum errorum Pontificios coarguit, & rejectis hominum commentis, solius Dei jussa auditoribus suis proponit.

a) Acta Baderi.

b) ISENNACI Doctor Jacobus Straus Kal. Januariis concionari, & non ita multò post idola demoliri, Missam Latinam abolere, & vehementi spiritu contra errores Pontificios detonare cœpit. Itaque à Decano & Capitulo aliquoties ad Joannem Saxoniæ Ducem est acculatus. Docuit ibi in tertium annum.

b) Chronicon Thuringiæ MS. Idem Acta Jacobi Straus & Capituli in Archivis Ecclesiæ Isennacensis.

c) VINARIÆ disputatio habita fuit de quæstione: *An Missa sit Sacrificium?* Conclusum quod non.

c) Chronicon Thuringiæ MS.

d) WITTEMBERGÆ Lutherus formulam Missæ & communionis edit: in qua omnes ritus usitatos, introitum ex Psalmis, Kyrie, collectam, Epistolam, Sequentiam, Evangelium, Symbolon, Concionem, Preces, Præfationem, Sanctos, Præcationem Dominicam: Verba cœnæ: Elevationem: Agnus Dei: Gratiarum actionem retinet. Canonem verò Missæ, transformantem cœnam Domini in sacrificium pro vivis & defunctis prorsus omittit. Hæc fuit prima reformatio rituum Missæ & communionis, etsi Carolostadius tale quid etiam ante hoc tempus ausus fuerat. Revocata item est in usum Confessio auricularis, & privata absolutio, quam Carolostadius aboleverat.

d) Acta. Chytræus Bucholcerus.

Ad Fridericum Saxoniæ Electorem vir quidam doctus libellum scribit Germanicâ linguâ, quo docet: tres esse capitales errores, quibus in Papatu Christiani fuerint seducti.

1. *De libero arbitrio, quod revera sit servum arbitrium.*
2. *De meritis operum, quæ potius sint fidei.*
3. *De traditionibus hominum, cum in solo Dei verbo fuerit acquiescendum.*

Nicolaus Ambsdorffius præfationem præfixit libello isti, quâ demonstrat è scripturis: *Papam esse Antichristum.*

Hoc eodem anno publicabatur & alius libellus, suppresso autoris nomine, in quo docebatur, quàm horribiliter doctrina Christi, de castissimo Dei cultu, precatione, depravata fuerit in Papatu: dum à vero Deo ad venerationem creaturarum homines sunt avocati.

Hujus generis complures alii libelli Germanicâ linguâ prodierunt hoc anno, quibus velut è profundo somno sensim suscitabantur, qui in idolomania Pontificia indormierant.

In HELVETIA Basileæ, Bernæ, Tiguri, in oppido Sangalli circa religionis negotium hæc facta.

e) BASI-

e) BASILEÆ Senatus Lectores Theologiæ ordinarios constituit, Joannem Oecolampadium, & Conradum Pellicanum: f) & quoniam Antonius Zanckerus, Pastor ad S. Martinum, officii sui munia obire tum non potuit, Curatorum Ecclesiæ illius rogatu Oecolampadius vices illius supplevit: qui inter alia epistolam Joannis Apostoli Catholicam primam interpretatus est, quam anno 1524. typis descriptam, Christophoro Basiliensium Episcopo nuncupavit.

e) Vita Pellicani.
f) Urstisius.

g) BERNÆ Magistratus 15. Junii edictum publicat in causa Religionis, cujus summa: Cum discrepantes de fide sententiæ audiantur pro concione, & alii in alios fulminent, velle Magistratum, ut concionatores ad unum omnes Evangelium, hoc est, doctrinam à Deo revelatam, & quæcunque ex scriptis Propheticis & Apostolicis defendi possint, in clara luce suorum auditoriorum enuntient. Quicquid autem scripturis sacris adversatur, sive illud à Luthero, sive ab aliis dictum, scriptumve sit, ne attingant. Seditiosa ne loquantur: Qui secus fecerint, iis pœnam justam decretam.

g) Ex mandato ipso.

h) TIGVRINI cum Zwinglii sui doctrinam passim ut impiam traduci intelligerent: ministris omnibus suæ ditionis mandant: ut ad 29. Januarii diem, dissidii religionis causâ Tiguri conveniant: fore enim, ut omnes ibi, quantum satis est, audiantur. Constantiensem quoque rogant Episcopum per literas amanter ut aut ipse veniat, aut è suis aliquem eò mittat. Quum igitur ad constitutum diem venissent frequentes, adesset etiam Episcopi Vicarius, Joannes Faber, consul verba facit: & quoniam de doctrina sit ortum valde grave dissidium, idcirco decretum hunc esse conventum, ait, ut si quis omnium sit, qui contra Zwinglii doctrinam aliquid habeat, liberè illud nunc proponat. Zwinglius jam antè certis locis atque thematis doctrinam suam incluserat, numero ad LXVII. & ut instructi venirent omnes ad eum conventum atque disputationem, evulgârat. Nunc ergo cum finem sermonis consul fecisset, rursus illa proponit, & ad congressum eos invitat. Ibi Faber posteaquam suæ missionis causam explicasset, conatur persuadere, certamen hoc non esse hujus loci, verùm ad Concilii notionem pertinere, quod brevi sit futurum. Urgente autem Zwinglio, & postulante, si quid habeat, ut ne dissimulet, ille scripto se refutaturum ipsius dogmata, profitetur. Post multa utrinque commutata verba, cum ex omnibus nemo prodiret amplius in aciem, dimisso conventu Senatus per suos fines edicit: ut traditionibus hominum omissis, Evangelium purè doceatur, è veteris & novi Testamenti libris.

h) Sleidanus.

LEO Judæ sub initium Februarii præficitur templo Petrino, nuptias celebrat decimâ nonâ Septembris, cum hoc eodem anno primi Sacerdotes uxores duxissent Wilhelmus Rublinus, & Joannes Faber. i) Jam ergo non in urbe tantùm, sed & in agro annuntiabatur Christus, qui & antea quoque non à paucis fuerat prædicatus parochis. Ecclesia autem ita verbo veritatis imbuta est: ut maxima eius pars iam non tantùm contemneret abusus & superstitionem, quæ nondum erat deposita, sed cuperet etiam omnia ea, quæ cerneret præter & contra scripturam verbi Dei in templis Dei vigere usurparique, penitus abiicere atque conculcare. Id cum intelligeret Magistratus, ne quid rursus præpropere & immaturè, parumve religiosè geri videretur, denuò in urbem alteram convocat Synodum. Ad hanc vocati sunt Episcopi, Constantiensis, Curiensis, Basiliensis unà cum schola sive Universitate Basiliensi, vocati sunt confœderati omnes: sed non venerunt omnes, neque quenquam miserunt Episcopi. Nihilominus posterior hæc priore multò fuit celebrior. Confluebant enim docti & clari viri non pauci, confluebant Ecclesiarum antistites & sacerdotes plus minus DC. Fiebat è scripturis collatio, & præcipuè disputabatur continuis tribus diebus, de tollendis ex Ecclesia imaginibus, & de abroganda Missa Papistica. Iterumque vicit veritas, ac exactis aliquot diebus, soluta est Synodus. Utriusque disputationis acta inveniet lector ad finem Tom. 2. operum Zwinglii.

i) Bullinger in prima ad Joannem Cochlæum responsione cap. 29 Verba Bullingeri.

MONIALES Psalmorum libros Latinos de manibus deponere, habitum religiosum exuere, & Monasteriis valedicere cœperunt, contractoque matrimonio, factæ sunt matresfamilias. Leonhartus Köppen, civis Torgensis, feriâ tertiâ Paschatis, 7. Aprilis novem Moniales, genere nobiles, ex Monasterio Nimptschen extractas, Wittebergam adduxit, inter quas fuit Catharina à Boren, postea nupta Luthero.

VRATISLAVIÆ primus Hieronymus Rachemeis uxorem duxit, Reginam Nimbisiam.

ARGENTINÆ Parochus S. Thomæ idem fecit, qua de re hæc leguntur Nicolai Gerbelii ad Joannem Schwebelium verba: k) *Hodie apud nos mira & inaudita res acta, mi Joannes. Nam quæ Christiana sunt, rara apud nos hactenus fuêre. M. Antonius, Parochus olim S. Stephani, nunc S Thomæ, aliquot annis scortillum apud se habuit, elegans sanè & non vulgari formâ: hanc diebus superioribus uxorem duxit, ductamque è suggestu palàm populo vulgavit. Hodie verò 21. Aprilis, cum hæc scribimus, subque hanc horam, in templi foribus apud D. Laurentium, per M. Matthiam Zellium, habitâ concione ad plebem, in matrimonii commendationem, publicè introducitur, ducentibus sponsam duabus honestissimis matribusfamilias: sequentibus verò omnis generis hominibus, mirificeque applaudentibus. Est autem hora diei 8. qua ingens hominum multitudo ad rem novam, inauditamque accurrit: fremunt Papistæ: exultant Christiani. E media plebe acclamat unus: Er hat ihm recht gethan, Gott geb ihm tausent guter Jahr. Tu, crede, multos hunc secuturos esse.*

k) Centuria epistolarum ad Schwebelium.

SIC igitur doctrina Evangelii hoc anno fuit propagata. Recognosce nunc mecum, Lector, quomodo fidelium accusationibus, divexationibus, morte denique fuerit confirmata, obsignata.

ACCUSABANTUR, Fridericus Elector Saxoniæ, Lutherus, Zwinglius, Pellicanus, civitates, Augusta, Argentina, Norimberga: Concionatores item, Norimbergenses, & Argentoratenses.

l) FRIDERICUM Saxoniæ Electorem Adrianus Papa publico scripto (Bullam vocant) graviter accusat neglecti officii in puniendo vel ejiciendo Luthe-

Luthero: Monet, rogat, obsecrat, ut vel tandem id faciat. Ni pareat, gladium Pontificium & Cæsareum experturus.

l) Bulla exstat Tom. 2. oper. Luth. Jen. Germ.

m) LVTHERVM ad conventum Noricum accusabat legatus Pontificius, quod Mahometo esset similimus, siquidem, ut ille per polygamiam, ita hic per dissolutionem votorum castitatis frena laxet cupiditatibus: quod statum Ecclesiæ convellat, & idcirco ne quidem auditus damnandus sit: quod denique, ut nunc in Ecclesiasticos, ita paulo pòst in politicos sit sæviturus. Cui quid responsum, supra retulimus.

m) Acta Comitiorum.

n) Accusabant eundem ad Electorem duo potentissimi Reges, Henricus VIII. Angliæ, & Ludovicus, Hungariæ & Boëmiæ Rex. Quibus nihil aliud ab Electore responsum, quàm, Lutherum in concilio prius audiendum, quàm damnandum.

n) Tom. 2. oper. Luth. Germ. Jen.

ZWINGLIO in publicis Helvetiorum Comitiis, Bernæ celebratis, crimen hoc intentabatur, quod pro concione dixisset non semel: Helvetios, qui cum exteris iniissent fœdus, Christianorum sanguinem vendere, & vesci carnibus humanis. o) Quod ubi ille, legatis Tigurinorum domum reversis, rescivit, ilicò per apologiam se purgavit.

o) Vide oper. Zwingl. Tom. 1. pag. 147.

p) CVNRADVS PELLICANVS, Joan. Kreis, & Joan. Lutnart, ut propter fidem novam monasterio ejiciantur, Provincialis Setzgertus à Senatu Basiliensi petit. At ille decernit: si hi ejiciantur, omnes ejiciendos. Erant autem numero quadraginta.

p) Vita Pellicani.

q) Legatis CIVITATVM Imperii Hispaniam missis, Cæsar liberaliter respondit: sed Pontificem apud se questum ait per literas de Augusta, Argentorato, Norimberga, quasi doctrinæ Lutheri faveant, nec suis & Pontificiis edictis obtemperent. Cui illi, nihil à suis præternitti diligentiæ, quò ipsius voluntati satisfiat.

q) Sleidanus.

r) NORIMBERGENSIS Ecclesiæ Ministros legatus Pontificius in conventu Norico accusaverat, tanquam impia docerent, & ut in vincula conjicerentur, postulabat. Principes autem existimare se dicunt, falsò quædam ad ipsum esse delata: illos etiam in honore esse, ac placere populo: si quid in eos admittatur, fore, ut sic illud omnes accipiant, quasi consultò fiat, veritatis opprimendæ causà, quæ quidem res motum excitare queat. Se tamen delecturos esse, qui de re tota perquirant inposterum, & quod æquum est, statuant.

r) Sleidanus.

ARGENTINENSES Concionatores, Zellius, Capito, Firnius, non uno modo exagitabantur.

s) MATTHIAS Cellius à patrono fisci Episcopalis hæreseos accusabatur. Is justo volumine publicato, in quo summam religionis & fidei suæ complexus est, innocentiam suam defendit.

s) Exstat illud seorsum. Insertum est etiam Martyrologio Ludovici Rabi.

CAPITONI Præposito Thomano tria intentabantur crimina: quod adscribi se in civitatem Argentinensium voluerit: quod publicè concionatus sit: quod in oculis urbis totius cum Pontificiis super Religionis negotio differere unicè cupiverit. t) Is editâ Apologiâ Germanicâ, respondet. CIVEM *se factum*, & Prælatorum multorum exemplo, & salvo jure Episcopi: idque ideo, quod omnis anima potestati civili subjecta esse debeat, & æquum sit, ut, qui iisdem cum civibus gaudent commodis, onera quoque cum iis portent. Cumque sibi insidientur nonnulli è clero, jure se ad Magistratûs urbici patrocinium confugisse. AD CONCIONANDUM se protractum, tum dissidio civium, quorum alii Matthiæ Cellio, concionatori Evangelico, alii Pontificiis doctoribus adhæserant, tum rogatu multorum, sinistro denique plurimorum de se judicio, quasi Evangelii ipsum suppudeat. Postremo AD DISPUTATIONEM publicam prius non provocasse, quàm Matthias Cellius hæreseos, ipse Capito & hæreseos, & nequitiæ à pastore quodam pagano fuisset damnatus.

t) Apologia Germanicè exitat.

ANTONIUM FIRNIUM Parochum S. Thomæ, quod uxorem, & quidem primus duxisset, ab officio removet Capitulum Thomanum. Antonius Senatûs opem implorat. Idem faciunt cives nonnulli per libellum supplicem, in quo indignissimum esse conqueruntur: improbari honestum conjugium, scortationes & fœdas libidines probari.

DIVEXATI ob professionem Evangelicam fuêre plurimi.

MILTENBERGA ditionis Moguntinæ est oppidum ad Mœnum. u) Audierunt ejus incolæ Doctorem Joannem Draconem Karolostadium, sinceræ fidei præconem, annum integrum, & quidem magnâ devotione. Fremit & frendet, quicquid est sacrificulorum in oppido: accusatur Joannes ad præfectos Moguntinos: à sacrificulo quodam etiam excommunicatur. Sed sacerdos ille periculum vitæ vix effugit, à Joanne adversus furentem populum defensus. Præfecti Miltenbergensibus mandant, si vitam, si bona salva velint, Pastorem dimittant. Parent illi, Diaconum Evangelicum retinent. Abit Draco, & cum eo, metu plebis, omnes sacrificuli urbem deserunt, securitatem vitæ à Præfectis petentes. Illi oppidum vi armatâ invadunt, Diaconum capiunt, civibus lectionem pomorum sarcasticè mandant, lectione Bibliorum interdicunt, & impositio præsidio omnes ad Papisticarum ceremoniarum usum cogunt. Qui ad capiendum Diaconum in viduæ cujusdam domum missus erat satelles, in ejus amplexus irruens, Diaconus, *salve*, inquit, *mi frater: frater enim verò meus es: en adsum, transfode me, vel suffoca me.* Cui satelles, quasi cœlitus immutatus: Domine, à me quidem nihil mali exspectes. Cumque rustici accurrissent, Diaconum perempturi, illorum quoque impetum satelles ille prohibuit. Milteberga igitur prima inter Germaniæ civitates propter Evangelium vim passa est.

u) Rabus in Martyrologio Germanico.

x) Lutherus Miltebergenses epistolâ consolatur, argumentis: quod ferant ista in causa Dei: quòd momentaneæ sint afflictiones, & quidem corporis bonorumque fortunæ non animi: quòd vindicta optima sit Christianorum, gloriari in cruce: quòd etiam in illis adimpletum illud: *Ex ore infantium & lactentium fundasti virtutem, ut aboleres inimicum & ultorem.* Denique quod sub pœna capitis & bonorum Miltebergensibus interdictum

dictum erat colloquiis de Dei verbo, consulit illis, ut qui fortes spiritu sunt, mandatum illud floccifaciant: qui infirmiores sunt, tacitè in Domino gaudeant, Deumque rogent: ut animet se quoque ad publicam veritatis professionem.

x) Epist. legitur T. 2. oper. Luth. Jen. Germ.

y) Eosdem Miltenbergenses epistolâ plenâ spiritu Erfurto missâ solatur D. Joannes Draco Carlstadius, primus illorum Evangelista. Proponit illis consideranda: voluntatem Dei: osculum crucis sponso Christo apud sponsam suam solenne: σταυροφόρον Christum ipsum: crucem perpetuam Evangelii prædicati & crediti sociam: baptismum in conformitatem crucis & gloriæ Christi: persequutionis fructum: fidelitatem Dei, non onerantis nos supra vires: preces multarum Ecclesiarum pro ipsis.

y) Exstat seorsum edita.

HARTMVNDVS à Cronberg, capto oppido Cronberg à Ludovico Electore Palatino, Richardo Trevirensi, Philippo Hassiæ Landgravio, in exilium pellitur. Solatur autem seipsum Epistolâ ad Argentinenses: quod præviderit hanc Evangelii sortem: quòd Dei voluntate, quòd innocens denique, quippe propter solam Evangelii professionem, hæc talia patiatur. Lutherus feriâ quartâ post Invocavit (verbis ipsius utor) ad Georgium Spalatinum, *D. Hartmannus Cronbergius*, inquit, z) *junctus Alberto Comiti à Mansfeld, nobiscum est, & utrumque in monasterio prandio excepimus, vir tanta passus, adhuc satis firmus in fide stat.*

z) Tom. 2. epist. Luth. pag. 116.

JOANNES OECOLAMPADIVS de se, & ULRICO Hutteno ad Hedionem 21. Januarii hoc scribit: *Sunt hic* (Basileæ) *ex Sacerdotibus & Theologis, qui de me pessimè loqui cupiunt: nec desistunt, ubi clam conveniunt. Tantùm machinati, ut Hutteno non fuerit tutum diutius hic agere: unde & nudius tertius hinc discesit: quorsum autem, nescio.*

a) ARSATIVS Sehoverus juvenis à Theologis Ingolstadianis squalore carceris & mortis propositæ metu ad canendam septimâ Septembris palinodiam, adactus fuit. Quam rem indignissimè tulit nobilis fœmina, Argula de Grumbach, & per literas super ea cum Bavariæ Duce expostulavit. Arsatius pœnitentiâ ductus, è monasterio, in quod detrusus erat, profugit, Wittebergam venit, lapsum confessus absolutus, & in Prussiam missus est, ad docendum Evangelium, unde reversus in Ducatu Wirtembergico 1536. Lenbergæ, & postea Winedæ ad annum usque 1542. docuit, editâ Postillâ, & fidei suæ confessione.

a) Historiam habet Ludovicus Rabus in Martyrologio Germanico Lib. IV.

b) JOANNES VOIGT Monachus Franciscanus Vinariæ in Thuringia propter purioris doctrinæ professionem duriter à fratribus suis tractatur.

b) Rabus ibidem.

c) JOANNES APPEL & FRIDERICUS FISCHER, Canonici & Consiliarii Episcopi Würtzburgensis, quod uxores duxissent, & Evangelio favissent, incarcerantur, & post trium mensium captivitatem, interveniente Cæsarei regiminis petitione, ægrè ab Episcopo dimittuntur.

c) Rabus ib.

CASPAREM HEDIONEM antequam Argentinam abiret Moguntiæ cum fratribus nonnullis Pontificii acerrimè prosequuntur. Joannes Reiffenstenius Hedionem ad Constantiam hortatur divino hoc epistolio: d) *Gratissimum mihi est, quod Sacerdotes Papistici te, Eberbachium, M. Andream, usque adeo persequantur. Eâ enim ratione palàm fit, doctrinam vestram esse Evangelium, atque adeo ipsum Christum, quanquam hæc tantum præludia sint futuræ vestræ persequutionis. Vos viros esse decet, tantoque libentius, quantò promptius innocentissimus ille Christus, cujus Evangelium vos prædicatis, amarissimam mortem, pro omnibus nobis pertulit. Faxit itaque Dominus, ut filii sui dogmata prædicatorum sanguine stabiliantur. Quid enim aliud vobis exspectandum est, doctrinam Christi profitentibus, nisi crux Christi? Hæc hæc vera est benedictio, quâ benedicit Dominus suis, hanc Martinus sitit, nec dubium, quin sensurus sit. Quod superest, vos admoneo, ut magno & infracto animo in vinea Domini laboretis. Dejicite verbi gladio opera illa Papistica, Missas, indulgentias, caterasque cauponationes Monachorum, sacerdotum Baal. Prædicate fidei justitiam, quæ non ex nobis, sed ex Deo est. Erigite magna fiduciâ signum illud Jonæ, quo solo omnes justificamur, quoque omnia aliâ Pharisæorum signa pessundantur. Neque hæc tam liberè admoneo, quod verear, ne prædicetis Evangelium, sed ut alacriùs subinde liberiusque prædicetis, nec more Erasmico tergiversemini, ac per cuniculos vos volvatis, ut ne intelligentes quidem intelligant. Veritas enim fuco non indiget.*

d) Ex Bibliotheca Hedionis.

e) PAVLUM SPERATVM, nobilem Svevum, qui Augustæ, Herbipoli, Salzburgæ & Viennæ constanter & intrepidè Pontificios abusus taxârat, ex Iglavia urbe ad dicendam causam evocatum, Episcopus Olomucensis in tetrum carcerem condit, ex quo divinitus elapsus, Wittebergam venit, ætatis 40.

e) Chytræus. Dresserus.

Nobiles virgines Misnicæ, numero tres, Hanna à Draswitz, Milia ab Olsnitz, & Ursula à Feylitzin ex aula Friburgensi Ducis Saxoniæ Henrici ob lectionem librorum Lutheri ejiciuntur. f) Has Lutherus, monitu Nicolai Ambsdorffii, epistolâ solatur.

f) Tom. 2. epist. Luth. pag. 137. b.

g) HENRICVS Sutphanienſis, Bremensium Evangelista, ut tanquam Cæsaris captivus (Antverpiâ enim, vim metuens Papicolarum, profugerat) sibi dedatur, Margareta Austriaca à Bremensibus postulat.

g) Ibidem p. 152.

h) FRANCISCVS LAMBERTVS Monachus familiæ Franciscanæ, qui superiore anno Avinione Tigurum profectus, cum Zwinglio de invocatione sanctorum contulerat: & vi veritatis victus, cucullum exuerat, Wittembergæ hoc anno exulat, & liberalitate Principis Electoris tantisper sustentatur, dum ductâ ibidem uxore, Argentinam se recepit.

h) Tom. 2. epist. Luth. Chronicon Bullingeri MS.

ACCVSATIONES & divexationes audivimus hactenus. Nunc virgas & mortes fidelium intuebimur.

i) JOANNES Clericus Meldenſis, quod ſchedulam Meldis affixerat valvis ſummi templi ejus urbis contra indulgentias, à Papa miſſas, in qua ſcripſerat, eum eſſe Antichriſtum, virgis cæditur, & impreſſâ in fronte notâ ignominiosè afficitur. Mater hæc videns, animum ei addit, exclamatque: *vivat Chriſtus, ejusque inſignia.* HENRICVS Voes, & JOANNES Eſch, Monachi Auguſtiniani Antverpienſes, ſub inquiſitore Jacobo Hogoſtrato Dominicano, ob Evangelii doctrinam Kal. Julii Bruxellis exuſti, primam martyrii gloriam in Germania meruêre. Hiſtoriam vir quidam doctus, qui incendii ſpectator fuit, eleganti complexus eſt epiſtolâ, quam, quaſi de novo primis Germaniæ Martyribus poſt annorum nonaginta quatuor decurſum, parentaturi, lectori pio meditandam ſubjicimus: Sic igitur autor: *Exhibitum fuit nobis hiſce diebus ſpectaculum, miſerabile dicerem, ſi ij quorum miſerebat ſpectatores, miſeri ſibi, & non beatiſſimi viſi fuiſſent. Si vacat, & labitum eſt audire, accipe paucis rei ſummam. Ex cœtu illo Auguſtinenſium, qui ex civitate Antverpiæ Vilfordiam captivi perducti fuerunt, tres numero in hæreſi ſua perſtiterunt, cæteris palinodiam canentibus. Nihil non tentatum eſt, ut ii eandem, quam fratres cecinerant, canerent cantionem. Ubi viderunt ſe, quibus id negotii datum erat, cum omnia agerent nihil agere, decrevere nimiùm pertinaces extremo tradere ſupplicio, tranſportantur Bruxellam, aſſervantur in carcere diligenter. Conveniunt eodem M. N. Lovanienſes: Fama quia nulla ferè diem ſupplicii præceſſerat, paucos alios aliunde huc pertraxit. Pridie Viſitationis Deiparæ Virginis concurritur in forum. Conveniunt ordines Mendicantium tres, neque enim plures, uti noſti hic ſunt, præeunte vexillo crucis, veluti ſolent, cum ſolenni pompa incedunt. Conſidentibus ordine jam ſacræ Theologiæ Profeſſoribus, Abbatibus, mitris & gemmatis pedis conſpicuis, qui loco Epiſcoporum aderant, & aliis nonnullis in pulpito. Nam pulpitum erectum erat peramplum ante Baſilicam, quam vulgo Senatorium domum vocant. Sub horam undecimam ducitur per forum è tribus natu minimus, qui, ut annis ab aliis ſuperabatur, ita doctrinâ & facundiâ præſtabat. Ductus intrò, inibique paululum moratus, prodit in pulpitum, indutus ſacerdotali panopliâ. In medio collocata erat menſa, inſtar altaris ornata & inſtrata, ante hanc flexis genibus procumbit: ibi omnes, veluti ſtupentes, oculos defixêre in eum. Nullam trepidationis, aut perturbati animi ſignificationem cernere licuit. Atergo conſiſtens concionem incipit Minoritarum Gardianus, ex adverſo ceremonias, aperto codice, auſpicatur Epiſcopus. Horam totam, dum hic ceremonias peragit, ille concionatur, eodem corporis habitu, vultuque eodem juvenis durabat. Ego cum concionatorem præ turba intelligere nequirem, quod & aliis accidebat, totus intendebam in reum. Quod verum eſſe conſtat, quorſum diſſimulemus? Vultus compoſitus & placidus, non modò mortis contemptum, verum etiam ſummam modeſtiam ac manſuetudinem præ ſe ferebat. Precationibus & ſacris contemplationibus intento aſſimilis videbatur. Poſtea juſſus nunc hoc, nunc illud facere, mirum quàm promptè, quam non gravatè paruerit. Ferunt dixiſſe obiter, ſe fore obedientem usque ad mortem. Iis peractis ceremoniis, ubi ex ſacerdote factus fuiſſet, quem vulgus laicum, aut ſecularem vocat, mutato veſtitu intrò abit. Pòſt prodeunt duo reliqui, facie horridiores, nimirum barbati: cum juvenis ille, quem memoravi, mento non eſſet hirſuto, ſed formâ mirum in modum decenti & ſatis venuſtâ: ſed prodeunt vultu eandem conſtantiam & alacritatem atteſtante. Quid multis? Et his adimitur ſacerdotium, ac Monachatûs ſacramentum: ex ſacris prophani effecti, relinquunt pulpitum. Pòſt paulùm educuntur duo, primus ille, & alter è poſterioribus. Itur ad ignem, qui in eodem, ubi hæc acta ſunt, foro, parabatur. Interea dum ducuntur, dum exuunt ſeſe veſtibus, multa audiebantur ex illis, quæ argumenta clariſſima omnibus fuiſſent ſanarum & piarum mentium, & veluti geſtientium cum Chriſto conjungi ſoluto corpore, niſi perſuaſum fuiſſet, hæreſeos eſſe convictos. Subinde teſtificati ſunt, ſe mori Chriſtianos, ſe credere in ſanctam Catholicam Eccleſiam. Ajebant, hunc eſſe diem, quem diu exſpectaſſent. Jam veſtibus nudati, relicto tantùm induſio, ſtetêre diu, magis ipſi palos amplectentes, quàm alligati. Ignis lentiùs ſuccendebatur, id conſilio factum ſit an caſu, equidem affirmare non auſim. Quid? inquis, non langueſcebant tam diuturnâ morâ vexati? non demittebant animos jam fumo ſubvolante, mox flammâ ſubſequuturâ? Quod ſi ex geſtibus, fronte, oculis, denique ex toto vultu judicare convenit, quæ omnia veluti loquuntur, & non rarò certiùs & meliori fide animum aperiunt quàm lingua: fiducia, conſtantia atque alacritas, quæ ſummæ fuerant ſemper, incrementum ſumere videbantur: tum potiſſimum emicabat neſcio quæ hilaritas, adeo ut multis ridere viderentur. Præter alia recitabant ſymbolum fidei, & canticum Eccleſiaſticum: Te Deum laudamus, idque alternis dicebant. Alter dum ignem ſuccendi ſub pedibus aſpiceret, ajebat, videri ſibi roſas ſubſterni. Tandem exorta flamma vocem utriusque intercepit. Ego ſemper ab ejusmodi ſpectaculis naturâ abhorrui, & lubenter abſtinui, neque hic ſpectator eſſe potuiſſem, niſi ipſi, de quorum capite agebatur, mihi, qui otioſus in tuto ſpectabam ſcrupulum omnem ſuâ magnanimitate & vultûs hilaritate ejeciſſent. Tertius productus non fuit, id quare factum ſit, compertum non habeo. Quidam hunc reſipuiſſe narrant, verum quando ad populum reductus non fuit, publicè recantaturus, omnibus id perſuaderi non poteſt. Quidam ſuſpicantur, clam necatum. Utut ſe res habet, diu latere non potuit. Poſtridie cum dies eſſet ſacer Divæ Virgini, Minorita hic in concione populum admonuit: ut, ſi fortè rogaretur ex ipſis, quis fuiſſet exitus eorum, quos concremari vidiſſent, dicerent, obiiſſe in fide erronea Lutheri: accepiſſe ex quibusdam, dictitans, ſe, in extremo momento defeciſſe eos ab erroribus, quod quidem precibus quorundam, & D. Virginis beneficio, quæ miraculum edidiſſet, factum

factum ajebat. Idem ferè asseverabat Lovanii, nam redierat eò M. N. Nicolaus Egmondanus, narrans à prandio in concione, se hora undecima literas accepisse à probo & optimo viro Francisco ab Hulst, cui provincia à Cæsare demandata est investigandi & persequendi hæreticos, quibus significari ajebat, Augustinianos illos, hæreseos damnatos & exustos, rediisse cum jam flamma submoveretur, rejectis erroribus, ad saniorem mentem. Quod quia constanter hoc negant, quotquot proximè ignem astiterunt, tacuisse fortassis præstiterat, nisi si quis id ex abundantia charitatis, quæ omnia sperat, factum existimet. Bene vale. Bruxella sexto Idus Julii.

i) Historia Ecclesiastica Gallica. lib. 9. 6.

LVTHERVS hos Monachos ob confessionis constantiam, cantico, quod in multorum est ore, celebravit, & ut sui temporis primos martyres canonizavit. Et sanè mors illorum fuit vita Ecclesiæ. *Bruxellæ*, inquit Erasmus, k) *duo Augustinenses publicitus affecti sunt supplicio. Quæris exitum? Ea civitas, antea purissima, cæpit habere Lutheri discipulos, & quidem non paucos. Sævitum & in Hollandia. Quid multis? Ubicunque fumos excitavit nuntius* (Alexandrum intelligit, quem & διπλωματοφόρον nominat, vi bullæ Lutheri libros incendentem) *ubicunque sævitiam exercuit Carmelita, ibi diceres factam hæreseon sementem.* Et alibi. *Bruxellæ primùm exusti sunt duo. Tum demùm cæpit civitas favere Luthero.* l)

k) Lib. 26. epist. 18.

l) Lib. 21. epist. 7.

Obiit hoc anno Adrianus Romanus Pontifex, non sine veneni suspicione, decimâ tertiâ Septembris, & obiit (quemadmodum Guicciardinus loquitur) *parvâ sui sive ob temporis, quo regnavit, brevitatem, sive quod rerum esset imperitus, opinione relictâ, & cum totius Curiæ incredibili voluptate.*

Hic Pontifex dubium posteris reliquit, simulatène an leriò Romanæ Ecclesiæ reformationem meditatus sit. Qui in benigniorem sententiam inclinant, ut m) Vergerius, n) Pontanus Isacius, & alii, non credunt, hominem Hollandum à Batava simplicitate ita repente deflexisse: credunt autem ejus legato in conventu Norico ingenuè Romanæ Curiæ peccata confitenti, emendationem pollicenti, gravaminum, quibus Principes se à Pontificibus Romanis gravari putent, catalogum poscenti. Moventur & eo, quod Papæ Adriani successores tum omnem illam Adriani legationem, tum centum illa gravamina inter hæretica scripta rejecerunt, grave supplicium comminantes omnibus, qui illa legerint, aut domi habuerint. Nec dissimulant, hanc rem fatum acceleraſſe Adriano, quippe qui suspectâ morte vix secundum Pontificatûs annum ingressus, obierit, & cujus tumulo Romæ in æde quam Teutonum vocant, hæc verba inscripta legantur: *O in quæ tempora optimi cujusque virtus incidit!* Qui contrà sentiunt, Sleidanus, Balæus, Lydius, &c. Pontificum hanc ajunt esse technam, quando Concilium & notionem causæ tardare volunt, ut liberaliter & prolixè polliceantur, quò spatium intercedat comparandi Regum gratias, & alia tentandi. Nec abludit ab his Erasmus. *Huic*, ait in epistolâ quadam, (Adriano puta) *per certum hominem significavi, me libenter communicaturum quod videretur, modo liceret impunè. Exegit, ut id facerem brevi. Non offensus est, sed tamen non respondit. Undè facilè divinavi, non idem illi placere, quod mihi videbatur expedire.* Mens Adriani quæ fuerit, Deus novit.

m) Annotationibus ad Catalogum Hæreticorum Romæ editum anno 1559

n) In vitis Pontificum Lydii.

FRANCISCVS à Sickingen o) Eques Germanus, Lutheranæ hæreseos capitaneus à nonnullis dictus, infelici bello implicitus, quod gesserat anno superiori contra Archiepiscopum Trevirensem, obsidetur à Palatino, Trevirensi, & Hasso in arce Landstall, decussoque ex bombardarum ictu tramite, læditur, & septimâ Maij, ætatis anno 42. moritur, salutatus paulò antè quàm animam ageret, à tribus Principibus, hostibus suis. Mira hinc Pontificiorum tripudia, miræ ovationes subortæ. Videbatur p) enim Franciscus Brutus quidam esse, qui Germaniam ab Episcoporum tyrannide esset vindicaturus. Sed desertus fuit ab iis, qui se polliciti erant adversus quosvis illi opem laturos esse: nec audiit Lutherum, genus hoc bellorum planè improbantem.

o) Caspar Sturmius. Caduceator, Historiâ Germanicâ debellati Francisci.

p) Chytræus.

VLRICVS q) quoque Huttenus, acerrimus Lutheri patronus, Nobilis Francus, mense Augusto in insula lacûs Tigurini, Helvetiis Uffnort dictâ, quæ Eremi Abbatem Dominum agnoscit, apud Joannem Schneckum, felicem παραλύσεως curatorem, moritur ætatis 36.

q) Bullinger Chronico MS. Camerarius in vita Melanchthonis.

ANNVS CHRISTI MDXXIV.

AD subvertendam Evangelii doctrinam omnes hoc anno machinas adhibebant politici æquè ac Ecclesiastici.

E Politicis, Cæsar, Imperii Principes in conventu Norico, Ferdinandus, solus, & cum confœderatis, Henricus VIII. Rex Angliæ, Ludovicus Rex Ungariæ & Boëmiæ: Duces, Bavarus & Lotharingus: Metenses, Diethmarsi, Antuerpiani, Duodecim denique Pagi Helvetiorum, in opprimendo Evangelio toti fuerunt.

a) CÆSAR per Joannem Haunartum Principibus mandat: ut edictum Wormatiense de exterminandis Lutheranis magno studio servent.

a) Sleidanus.

b) PRINCIPES Imperii Noribergæ congregati, se, quantum ejus præstare possint, facturos pollicentur. Quod ubi Lutherus rescivit, dentato scripto de Germaniæ cœcitate conquestus est, oblatam sibi salutem repudiantis.

b) Acta Conventus Norici.

c) FERDINANDI Austrii permissu Viennæ Caspar Tauberus civis Viennensis, constans Christi confessor, capite truncatur, mense Septembri.

c) Martyrologium Rabi.

Idem Ferdinandus d) M. Jacobum Otterum ex oppido Kenzingen, quod supra Argentinam trans Rhenum aliquot milliaribus situm, mense Julio pellit: expulsum concionatorem centum & quinquaginta

auditorum ad proximum pagum comitantur honoris atque pietatis causâ, ibique per aliquot dies morantur: postea ad uxores liberosque redituri, ingressu oppidi prohibentur. Navibus igitur Argentinam descendunt. Interim Friburgo, & Enisshemio advolans manus armata, oppidum occupat, Evangelii reos in vincula quæstionesque conjicit. *Ferunt*, inquit Gerbelius, e) *hesterno die Archigrammatèum, illic strenuum virum, capitis supplicio punitum: quod contra decretum Ecclesiæ, Bullam Pontificis, & Cæsaris Mandatum, proximis mensibus utramque partem* εὐχαριστίας *sumpserit. Quindecim adhuc superesse dicunt, eodem supplicio puntendos.* Argentinæ feriâ 4. post Ulrici.

d) Nicolaus Gerbelius ad Schwebelium.

e) Epistolâ ad Schwebelium.

Idem FERDINANDVS, f) Cæsaris frater, Campegius, Salisburgensis, Bavari fratres, Tridentinus, Ratisbonensis Episcopus, itemque Episcoporum, Bambergici, Spirensis, Argentinensis, Augustani, Constantiensis, Basiliensis, Frisingensis, Passaviensis, Brixinensis, legati, à conventu Noribergico Ratisbonæ conveniunt, decernuntque:

1.) *Ex Cæsaris & Leonis X. judicio, secundum Wormatiense edictum, Lutheri doctrinam, ut hæreticam, damnandam.*
2.) *Edictum illud per fines suos servandum.*
3.) *In Missa nihil mutandum.*
4.) *Traditionum Pontificiarum violatores multandos.*
5.) *Lutheri libros non vendendos.*
6.) *Qui Witteberg æ discant, domum revocandos.*

Qui mirantur, inter Germaniæ Principes, solos ferè Bavaros Pontificiæ doctrinæ tam constanter adhæsisse, causam in hunc conventum rejiciant, astutiâ Campegii institutum; ut, quod in generali Principum conventu non potuit, in particulari perficeret.

f) Sleidanus.

HENRICVS Anglorum Rex Erasmo Roterodamo persuadet, ut stylum stringat adversus Lutherum. Prodit igitur mense Octobri *Diatribe de Libero Arbitrio.* Invitus in hanc arenam descendit Erasmus. g) Testatur ipse ad Emserum. *Quid meâ Diatribâ civilius? Quid profecit tamen, nisi quod Lutheranos excitavit ad majorem insaniam? Id non ignarus futurum, tamen moremgessi Regi & Cardinali Angliæ* (Wolsæo) *Pontifici* (Clementi) *& doctis aliquot amicis: non tacens interim, quid esset sequuturum.* Et ad Melanchthonem h) clariùs: *Miraberis*, inquit, *cur emiserim libellum de libero arbitrio. Sustinebam triplex agmen inimicorum. Theologi & bonarum literarum osores nullum non movebant lapidem, ut perderent Erasmum, cum, quòd attacti essent libris meis, tum quòd collegium illud florentissimum invexerim Lovanium, eamque regionem totam infecerim linguis ac bonis literis, sic enim illi loquuntur. Hi Monarchis omnibus persuaserant, me juratissimum esse Luthero. Itaque amici, videntes me periclitari, spem præbuere Pontifici & Principibus, fore ut aliquid ederem in Lutherum. Eam spem & ipse pro tempore alui. Et interim isti, non expectato libello, cœperant me libellis lacessere. Nihil igitur restabat, nisi ut ederem, quod scripseram, alioqui & Monarchas habuissem infensos, quibus visus fuissem dedisse verba, & isti tumultuosi clamassent, me metu premere, & atrocius aliquid expectantes impotentius sævissent. Postremò quoniam epistola Lutheri jam est in manibus, quâ pollicetur, se cohibiturum calamum in me, si conquiescam, viderer ex pacto non edere. Adhæc qui Romæ profitentur literas Ethnicas, ipsi* ἐθνικώτεροι, *mirè fremunt in me, invidentes, ut apparet, Germanis. Itaque si nihil edidissem, præbuissem ansam & Theologis & Monachis, & illis Romanensibus figulis, quorum Alpha, ni fallor, est N, ut facilius persuaderent Pontificibus ac Monarchis, quod persuadere conabantur. Postremò hos furiosos Evangelicos habuissem iniquiores. Nam ipse rem tractavi modestissimè: & tamen quod scribo, non scribo adversus animi sententiam, quanquam ab hac quoque libenter discessurus, ubi persuadebitur, quod rectius est.*

g) Epistolarum libro XVIII.

h) Epistolarum lib. XIX.

In hac Διατριβῇ sive collatione præmonet Erasmus: non expedire ad pietatem, materiam hanc altius scrutari, & quærere de præscientia Dei contingenti: An purè passivè se voluntas hominis in spiritualibus habeat, nec ne? An omniâ merâ necessitate faciamus; Deinde tacitè confert veterum Patrum, qui liberum arbitrium agnoverunt, multitudinem, cum novorum Doctorum, qui servum arbitrium prædicant, paucitate, laudatàque veterum pietate, eruditione, miraculis, novorum autoritatem non sine sarcasmis minuit. Tum postquam definivit *liberum arbitrium*, quod sit *vis humanæ voluntatis, quâ se potest homo applicare ad ea, quæ perducunt ad æternam salutem, aut ab iisdem avertere*, recenset loca sacræ scripturæ, quæ ipsi visa sint liberum arbitrium statuere: diluit ea, quæ ex adverso stare videntur: incommoda & absurda enumerat, quæ consequantur, si semel funditus tollatur liberum arbitrium: placere sibi ait, sententiam illorum, qui *nonnihil tribuunt libero arbitrio, gratiæ plurimum:* docet, hac sententiâ receptâ, nihil perire eorum, quæ Lutherus piè quidem & Christianè disseruit, de summa charitate in Deum, de abjicienda fiducia meritorum, operum & virium nostrarum, de tota fiducia transferenda in Deum & illius promissa.

Lutherus i) quid de libello hoc senserit, ex epistola ipsius ad Spalatinum videre est. Sic autem ibi: *Incredibile est, quàm fastidiam libellum de libero arbitrio: nec dum ultra duos quaterniones ejus legi. Molestum est, tam erudito libro respondere, tam eruditi viri.* Feriâ tertiâ omnium Sanctorum.

i) Tom. 2. epist. pag. 238.

LVDOVICI Ungariæ & Boëmiæ k) Regis, juvenis bonitate abutebantur Pragenses in Boëmia, & Budenses in Ungaria. Pragenses decretis, carceribus & exiliis in Lutheranos, & Fratres, (quos Picardos vocant) hoc anno sæviebant. Et persuasus ab illis Rex Ludovicus Carolo Duci Münsterbergensi, Georgii Podiebracii nepoti, Boëmiæ gubernatori mandabat: ut omnes Lutheranos & Picardos in exilium projiceret. Budenses l) in Ungaria Georgium quendam, Bibliopolam, unà cum libris

bris Evangelicis exusserunt.

k) Boemiæ piæ lib. XII.

l) Tom. 2. epist. Luth. pag. 243.

DVCIS BAVARIÆ tyrannidis meminit Lutherus m) epistolam ad Lambertum Thorn. Et alibi: *in Bavaria*, inquit, *multùm regnat crux & persequutio verbi, etiam non palàm seminati.*

m) Tom. 2. epist. Luth. p. 236. b. Sleidanus.

Dux LOTHARINGIÆ Antonius facto decreto, quoniam doctrina Lutheri damnata sit à Pontifice Romano, & à Cæsare, & à celeberrimis Academiis, mandat suis, ne quis pro concione aliquid ejus generis doceat. Item, qui libros habent ullos à Luthero scriptos, intra certum diem exhibeant: iis, qui non parebant, pœnam constituit.

n) METIS Joannes Clericus, qui superiori anno Meldis in Gallia virgis cæsus fuerat, extra urbem simulacra fregit, quæ postero die homines superstitiosi erant adoraturi. Capto manus dextra amputata est, nasus forcipibus tenacissimis avulsus, duoque ejus brachia cum mamma utraque eodem instrumento dilaniata fuerunt. In maximis tormentis pronuntiavit illum versum Psalmi 115. *Simulacra eorum sunt argentum & aurum, opus manuum hominum.* Tandem igne consumptus est.

n) Acta Martyrum Crispini. Historia Gallica.

o) DIETHMARSI Henricum Sutphaniensem, Priorem Augustinianorum Antverpiæ, & Lutheri auditorem, cum Evangelium Bremæ docuisset biennium, & Meldorffium in Dietmarsiam fuisset vocatus, ibique aliquot conciones habuisset, noctu captum miserabili morte & magno cum cruciatu interfecerunt.

o) Martyrologium Rabi. Lutherus Tom. 2. epist. p. 258.

p) ANTVERPIÆ in ipsa urbe magno populi concursu Augustinensis quidam Evangelium docebat. Quod cum ipsi interdictum esset, populus nihilominus quâdam die Dominicâ convenit eum in locum, ubi scaphæ & naves conficiuntur. Non veniente autem Augustinensi illo, juvenis quidam Nicolaus, in navem littori proximam, unde melius audiri posset, ascendit, & Evangelium de quinque panibus & duobus piscibus piè explicavit. Postero autem die sacco indutus propter metum populi, subitò in profluentem conjectus est.

p) Acta Martyrum.

q) HELVETIORVM Pagi duodecim XXVI. Januarii in conventu suo Lucernensi decernunt: Pontificiam religionem retinendam: reliquias Sanctorum à nemine ridendas: qui contra fecerint, Magistratui esse deferendos.

q) Chronicon Bullingeri. Sleidanus.

r) Vigesimâ primâ Martii Tigurum veniunt eorundem Helvetiorum legati, articulos bene multos Tigurinis proponentes, rogantesque, ut missâ reformatione Ecclesiarum suarum, in majorum decretis persistant. Qui iidem, si Tigurinis grave sit jugum Pontificum, Episcoporum, Abbatum &c. operam se daturos promittunt, ut gravamina ista tollantur. Quibus humaniter & benignè dimissis, Tigurini scriptum ad Helvetios mittunt, in quo protestantur, multa de quibus accusentur (ut de contumeliis Virginis Mariæ, & similia) in ipsorum ditione non fieri: quæ autem mutata sint in melius, ea reprehensionem non mereri, quia talis reformatio cum verbo Dei minimè pugnet: neque se ab Episcopis, ad quorum jurisdictionem Ecclesiasticam Helvetii pertineant, neque ab Academia Basiliensi, ullius erroris esse convictos. Respondent etiam speciatim ad singula accusationis capita: Et se per conscientiam suam non posse aliter agere, nisi error demonstretur: idque ut fiat ab ipsis, ab Episcopis & ab Academia Basiliensi, ante finem mensis Maji, vehementer orare: eum enim terminum sese expectaturos.

r) Chronicon Bullingeri.

HÆC Politicorum in Evangelicos hoc anno fuit sævitia. Non minore in eosdem adhibuerunt Ecclesiastici, Papa, Cardinalis Lotharingus: Archiepiscopi, Moguntinus, & Rigensis: Episcopi Danici, Spirensis & Argentinensis, Provincialis item Augustinianorum, Conradus Trögerus.

s) PAPA Clemens VII. ad Comitia Noribergensia, hoc anno continuata, Cardinalem Campegium mittit: qui absentem Fridericum Saxoniæ Electorem Papæ & suis literis, amanter admodum scriptis, hortatur: ut populi licentiam & sacrarum legum atque ceremoniarum mutationem graviter & masculè ulciscatur. Deinde Principes ipsos in Comitiis rogat, ne ullam in Religione innovationem fieri patiantur, dissimulans, sibi de responso Principum superiori anno legato Adriani Pontificis dato, quicquam constare, nisi quod privatim ad se scriptum, sub titulo Principum delatum sit, quod ille existimet, odio privato à quibusdam adversus Romanam Rempublicam confectum.

s) Sleidanus.

t) CARDINALIS LOTHARINGI jussu Joannes Castellanus Thornacensis, Doctor Theologus, (qui in Campania, in regione Partensi, in Urbe Vicensi, Episcopi Metensis sede, tandemque Metis magno zelo Evangelium docuerat) in itinere interceptus quartâ Maii carceri mancipatur, in quo crudeliter novem menses habitus, duodecimâ die Januarii anni sequentis ab ordine sacerdotali degradatur, ab urbis Vicensis magistratu vivus crematus est.

t) Franciscus Lambertus, præfatione in Micheam & Oseam Prophetas.

u) ALBERTVS Archiepiscopus Moguntinus ut superioribus annis Halberstadii & Miltenbergi, ita hoc anno Halæ Saxonum in cives Evangelicos sæviit.

u) Tom. 2. epist. Luth. pag. 181.

x) JOANNES Blanckefeld Berlinensis, Archiepiscopus Rigensis, Jurisconsultus celebris, & Revalensis ac Derbatensis in Livonia Episcopus, Casparo defuncto succedit, & à civitate Rigensi missis in urbem internunciis, & confirmatione privilegiorum generali, juramentum subjectionis debitum exigit. Cùm autem religionis emendatæ, qualem civitas expetebat, mentionem nullam in specie faceret, ac insuper duo templa & παραικίας civitatis sibi suisque reddi flagitaret, re infectâ illi dimissi sunt. Paulò pòst Kakenhusiam Archiepiscopus Rigensis arcem & opidum ingressus, contra fidem civibus datam pastorem Bernhardum Bruggemannum, & collegam illius Paulum Bloshagium, & scholæ moderatorem Gisebertum Schosserum, idola Pontificia improbantes, oppido pellit, & non ditione modò suâ, sed & urbe Riga, nondum ei subjecta, iis interdicit. Lemsaleæ postea ministro Ecclesiæ pio, ac erudito, ejecto, nobilitatem diœcesis omnem juramento sibi astringit. Hinc ad Rigensem civitatem legatos, juramentum fidelitatis ac subjectionis debitum flagitantes, denuo

mittit. Quæ ſimpliciter reſpondet, niſi de religione & doctrina Evangelii inſtaurata, quam privilegium & ornamentum civitatis præcipuum ac ſummum cenſeant, & de templis omnibus rectè ſibi cautum ſit, non poſſe ſe jusjurandum, quod flagitet, dare. Cùm enim videant, Archiepiſcopum omnes ingenii ac potentiæ ſuæ nervos, ad extirpandam funditus puriorem religionem, quam ipſi vel cum vitæ periculo retinendam ducant, intendere, parum ſe de Archiepiſcopi gratia, amore & fide ſibi poſſe polliceri aut concordiam ſperare. Quod ſi in fidem ejus conceſſerint, perpetuas animorum diſtractiones, inimicitias, bella & clades, atque adeo interitum animæ & corporis, bonorum & fortunarum omnium ſuarum, totiusque urbis exitium ſequuturum ſe prævidere: cui occaſionem præbere inconſideratâ juramenti præſtatione non decreverint. Sic gravius etiam exacerbato Archiepiſcopo civitas Rigenſis, à Magiſtro ordinis, Waltero Plettenbergio auxilium & defenſionem contra Archiepiſcopum petit, eumque ſolum Dominum ſe agnituram eſſe profitetur: (antea enim Rigenſes Archiepiſcopo & Magiſtro ordinis ex æquo juramentum fidelitatis præſtare, & provocationes à ſententiis Senatûs ad utrumque pariter fieri ſolebant.) Is receptis in tutelam Rigenſibus initio ſequentis anni, urbem illuſtri & ſolenni pompâ de novo ingreditur. Quâ occaſione primùm reformatæ religionis liberè in tota urbe exercendæ privilegium ab hoc Livoniæ Magiſtro, illiusque deinceps ſucceſſoribus, impetrârunt. Canonici verò Rigenſes benevolentiam & fidem ſuam erga civitatem Rigenſem multis verbis prædicantes, cum partem urbis quam tenebant, ſe ſuo ſumptu munire velle, & omnia ſumma polliciti eſſent: paulatim præmiſſis omnibus ſuis fortunis, ex urbe diſcedunt, & machinas ac tormenta ex turribus ac mœnibus detracta clam ſubducere conantur. Quâ eorum perfidiâ animadverſâ, Senatus omnes eorum domos, molendina, agros, & fundos urbi vicinos occupat, & ſuis civibus colendos diſtribuit, & partem illam urbis aggeribus & vallis cinctam firmiſſimè munit, concella tamen Canonicis liberâ urbem ingrediendi, & hoſpitio civium utendi, cùmque illis commercia exercendi facultate. Graviſſimè autem exacerbatus his Rigenſium actionibus Archiepiſcopus, & cum Magiſtro ordinis, cujus patrocinio illi nitebantur, ſimultates & odium immane exercens, cum Moſchis conſilia communicare adverſus Livoniæ Magiſtrum, in vulgo ſpargebatur. Itaque univerſâ nobilitate, collegiis & populo adverſus eum inflammato: publica Livoniæ Comitia Wolmariæ inſtituta ſunt, in quibus ſuam innocentiam omnibus ordinibus Archiepiſcopus demonſtrare conabatur. Sed tandem communi conſenſu res eò deducta eſt, ut deinceps Archiepiſcopus cum omnibus ſuis ſuffraganeis Epiſcopis, collegiis, juribus, ſeſſione, &c. Magiſtro ordinis ejusque ſucceſſoribus ſe perpetuò ſubjiceret: ac deinceps nihil vel jure vel armis, inſcio Magiſtro, contra Rigenſes ſe moliturum promitteret. Ut enim ob communicata cum Moſcho adverſus Livoniam conſilia, præſentiſſimum vitæ & famæ periculum declinaret: conditiones omnes, ab ordinibus propoſitas, ſe, accepiſſe apud ſuos oſtendit.

x) Chytræus.

y) DANICI EPISCOPI, qui in ſenatu regni præcipuum & ſummum locum obtinebant, curſum Evangelii in Dania ad aliquot annos intercluſerunt. Etſi enim Fridericus Rex ut exemplo multos in regno iſto ad pietatem invitavit, ita autoritate regiâ eos defendit, qui puriora religionis ſemina primi ibi jecerunt: tamen per Epiſcoporum refragantium ſibi potentiam Eccleſias reformare, & idola, Antichriſti inſignia, abolere non potuit.

y) Nicolaus Hemmingius, præfatione epiſtolarum Pauli commentationi præfixâ.

SPIRENSIS z) Epiſcopus Joannem Baderum, Concionatorem Landavienſem per Vicarium ſuum excommunicat, quod auricularem Confeſſionem, purgatorium, Miſſas pro vivis & mortuis, invocationem Mariæ, vota monaſtica, diſcrimen dierum & ciborum, &c. ex ſcripturis auſus fuerit impugnare. Literæ excommunicationis Dominicâ Cantate Spiræ valvis ſummi templi ſunt affixæ. Baderus per Notarium publicum confecto ſcripto ab excommunicatione iſta illegitima, atque ideo nulla, appellat ad Concilium, quod brevi celebrandum eſſe in Germania Principes Imperii nuper in conventu Norimbergenſi decreverant.

z) Acta Germanicè edita ſunt an. 1524.

ARGENTINENSIS a) Epiſcopus quàm ſubdolè prædicationi Evangelicè in urbe Argentina inſidiatus ſit, ex Capitone libet audire: *Epiſcopus Argentinenſis ſupremæ autoritatis eſt, quam tuetur dexteritate quâdam in rebus agendis, ut in Eccleſiaſtico rarâ & ſingulari. Adhæc ſibi aliquis eſſe videtur, & nihil iniquius fert, quàm ſe negligi. Jam verò creſcente Chriſto ſuæ putat æſtimationi fieri detrimentum, quòd hinc cadit inanis formido de Epiſcopali ſtomacho, terribili quodammodo, dum ſtultitia & error vulgum poſſideret. Is negotium fecit maritis Sacerdotibus, quos pro templis palàm devovit diris, idque tum, cum omnia tuta ſperaſſemus. De induſtria enim quiddam placiditatis præ ſe tulerat, ut ſic incautos, & quod ajunt, in utramque aurem dormientes opprimeret. Summa conſilii fuit, inter ſe cives committere, dum pars fulmen iſtud Epiſcopale horreret, pars magnificè contemnerent. Sub idem tempus à Senatu per dolos Canonici ad D. Petrum impetrârunt, ut à Parochia illorum providendâ me abſtinere juberent. Præterea via inſtituta fuit, quâ maritos fratres ex urbe deturbandos omnes putaſſent, inprimis autem Bucerum. Subornatus eſt Comes de Lynigen ſenior, qui mihi præſenti toties manus inferre tentaret, dictis priùs in os multis contumeliis atrociſſimis, idque intra urbem, intra ædes Papiſtici Prælati. At nos omnibus ex his periculis Chriſtus eripuit. Nam ubi Epiſcopus excommunicationem publicaſſet, nos intra eandem noctem appellationem fratrum nomine effinximus. Poſtridiè appellatum eſt præſente Notario, mox excuſa omnia prodierunt. Quo remedio, populus ne quid ſuper excommunicatione diſceptaret, cavimus: expectârat enim noſtram in ſe vicisſim ſententiam Epiſcopus, quâ ſe cum complicibus damnaremus, quæ res ad manifeſtam deſiſſet ſeditionem. Talia ſunt ingenia, hæ artes Epiſcoporum, tranquillos inter ſe committere. Quartâ die ejus hebdomadæ mihi per Senatum Parochia renunciatur, qui mihi videbar Senatûs autoritate pridem ingreſſus.*

Statim

statim fit rumor, ejiciendos verbi præcones, concurritur, quiritatur, incusantur vulgo sacerdotes, jaciuntur convitia etiam in senatum, sed ab extrema tantùm plebe. Proceres aliqui à minis ægrè temperabant, quin sacerdotibus pessima quæque si nos excludi contingeret, denunciarent. Tot rebus simul conclusis tamen adnitor omnia expedire, do negotium iis quos gratos populo noram, verbis tranquillis plebem ab inquietudine contineant, me esse curaturum apud Senatum, ne quid Evangelio decedat, nec rem tam esse deploratam, ut imperitis videri possit: rescindi sæpius levi momento sententias æquiores, & perspicuum satis, Curtisanos tanti non haberi, ut in illorum gratiam Senatores velint posthabere suos cives in causa tam pia, atque alia id genus. Quibus peractis studia paulisper continuimus, quoad super certioribus consiliis dispiceremus. A consilio igitur agendi apud Senatum facultatem impetro. Statuitur dies sabbathi. Interea ecce nova tragœdia. Capitulo meo S. Thomæ datur spes, ut ferebat, à Senatu, Bucerum non fore tutum apud templum Aureliæ, quod maritus. Ibi curâ nostri opus fuit, ne quid hinc incommodi. Porro Comes de Lynigen crudelia magis commovit, sed aliunde, ut videtur, incitatus. Nam ut eram causâ conficiendæ componendæque litis ad illum admandatus, die Jovis ejus septimanæ, placidè, satis respondit, & rem perduxit in diem posterum. Iterum me sisto intra curiam Domini ab Henneberg. Tum ille mox iracundè multa, Domino ædium cum nepote & tota familia inspectante, infandis contumeliis petitum & clamoribus furiosis audiendo defatigatum interficere admolitus est, nemine omnium prohibente, quoad me Deus tandem eriperet. Periculum, mihi crede, fuit anceps. Sed præter animi formidinem vultum non mutavi, iisdem fortiter vestigiis inhæsi, recordatus in eodem articulo, omnes capitis mei capillos numeratos, casurum aut evasurum, ut patri visum esset: qui filio nihil incommodi velit, neque quàm velit, illi posse quicquam incommodius accidere. Appetebat sabbathum, magnâ libertate ago cum Senatu, rejectis adversariorum argumentis, quæ conjicere oportuit. Magnum erat omnium silentium, ut fit, dum quisque sibi deploratâ causâ cavet. Deliberârunt itaque in horam prope quintam, neque sine Deo deliberarunt. Nam qui nudius quartus Parochiâ me abdicârent, illi iidem iterum addicunt, ad natalem usque Johannis Baptistæ: nam aliter mihi addicta non erat. Præterea convenerat cum Parochiis omnibus Christianè providendis. Nec tamen interim, dum parochiis potiti sumus, eluctati sumus, ut liberè ab adversariis Christum liceat asserere. Mira mutatio: Curthisanis, qui missis undique literis nos pridie expulsos gloriati sunt, vultus mœrore concidit. Piis ex dispensatione mens erecta. Civium & Senatûs concordia factâ, quæ tamen revera nec dum disputa fuerat. Propter excommunicationem Episcopi nemo sacrificulus, nulla mulier commota est: tam commodè cecidit appellatio. Senatus agit causâ mei cum Comite, neque aliud captamus, quàm utcunque diluerim objecta crimina: omnia mihi salva, sed inquieta satis, etiam post fatalem illam septimanam, in quam tanta negotia simul inciderunt. Jam expectamus interdictum novum Imperii, vaticinium Cæsareum, vim Cacodæmonis universam, quæ spero inania concident, & in nervum erumpent. Nam propiùs, si perget, cum Episcopo agemus, siquidem ultima experturus videtur, & nos ceu cum devoto hoste decernemus.

a) Capito epistolâ ad Ambrosium Blaurerum 4. Maji.

CVNRADVS TRÆGER b) Provincialis Augustinianorum, ut Ecclesias Helveticas & Argentinensem turbaret, centum paradoxa Argentinæ edidit, & Friburgi Uchtlandiæ disputanda proposuit pro Traditionibus hominum contra Traditiones Dei: tacitè, ut multi opinabantur, opposita disputationi Zwinglii de verbi Dei autoritate.

b) Ex Actis.

INTER has tot & tantas doctrinæ purioris persequutiones mirabilis negotii Evangelici successus est conspectus.

FRIDERICI c) Daniæ Regis laudatissimis conatibus etsi, ut supra dictum, Episcoporum potentia obstabat, ita tamen favit Deus, ut non solùm præcipuæ civitates, Haffnia, Malmoja, Ripæ, & aliæ non paucæ, verum etiam tota ferè diœcesis *Vibergensis*, freta Regis patrocinio, abjecto Papismo d) Evangelismum amplexarentur. Hemmingius celebrat etiam Magnum Gbie Dominum de Krenkerup, qui, secundum Regem primus in regno Danico revocatæ doctrinæ autor fuerit, per literas à Luthero rectè instructus, & patrocinio suo primos Evangelii præcones contra vim aliorum defenderit.

c) Chronicon Huitfeldii Danicum.

d) Præfatione Commentarii in Epistolam ad Romanos.

In LIVONIA e) *Evangelion*, inquit Lutherus, *oritur, & procedit, præsertim apud Rigenses feliciter quorum literas ac legatum nuper suscepi, sic mirabilis est Christus. Sed & Episcopus tandem unus Christo nomen dedit & Evangelizat in PRVSSIA, nempe Sambiensis, quem fovet ac erudit Joannes Brismannus, quem illuc misimus abjecto cucullo: ut & Prussia regno Satanæ valedicere incipiat.* f) Episcopus iste fuit GEORGIVS de Polentia, cui Lutherus commentarium suum in Genesin inscripsit, quique hoc ipso anno civibus Braunsbergicis petentibus concionatorem Evangelicum misit Christophorum quendam, eumque per Illustrem D. Petrum Burggravium & Baronem à Dhona, Capitaneum Braunsbergensem, populo præsentavit, additâ hac clausulâ, in sua ad Capitaneum epistola: Wir versehen uns, es soll, ob Gott wil, christliche liebe und alles guts darauss entstehen. Dienstag nach Jubilate.

e) Epistolâ ad Spalatinum Tom. 2. epist. p. 183.

f) Ex Archivis.

REGIOMONTI g) in Borussia, feriâ tertiâ post Invocavit, statuæ in templo cathedrali per pueros & senes dejectæ, & tabulæ altariorum ablatæ sunt, idque de consilio Pauli Sperati.

g) Chronicon Hennebergeri.

MEGAPOLITANVS h) Ducatus gubernabatur hoc tempore ab Henrico & Alberto fratribus, MAGNI Ducis Megapolitani filiis. Uterque hoc anno à Luthero petunt Evangelistas, alter per Joannem Loser, alter per Priorem Sternbergensem. i) Etsi autem Albertus Papisticam religionem in sua Ducatûs parte retinuit: tamen Henricus cum filio Magno

Principe

Principe literatiſſimo in ſua ditione Eccleſias reformârunt, operâ M. Gerhardi Oemekenii, & aliorum uſi. Mortuo autem Alberto Henricus ſuos ex fratre nepotes Joannem Albertum & Ulricum piè, inſtitui voluit, qui defuncto patruo Henrico, totum Ducatum à reliquiis fermenti Papiſtici repurgarunt. Floret hodie Joannis Alberti ex filio Joanne Nepos, JOANNES ALBERTVS, orthodoxæ doctrinæ ſtrenuus propugnator.

h) Luth. Tom. 2. epiſt. pag. 205.

i) Ex Archivis.

WISMARIÆ k) in Ducatu Megapolenſi primus taxare, abuſus Pontificios & regnum Antichriſti revelare cœpit Henricus Mollenſius, quem Albertus Dux Megapolitanus Magni filius, maritus novus, celebratis paulò ante Berlini cum Joachimi I. Electoris Brandeburgici filia Anna nuptiis, aulicum Eccleſiaſten ſecum adduxerat, eumque toto Quadrageſimæ tempore, & in feriis Paſchæ concionari in templo Georgii, & Sacerdotum ac Monachorum hypocriſin retegere ac redarguere ſinebat. Huic conſona, ſed majori cum libertate & facundiâ, in Franciſcanorum cœnobio, Henricus Neuerus cuſtos ſeu inſpector vicinorum in tota provincia ejusdem ordinis cœnobiorum, paulò ante electus, in feriis Paſchæ magno hominum concurſu & admiratione, ac Principe ipſo, cum recens ducta conjuge conciones illius frequentante, prædicare incipiebat, ac quò acerbioribus odiis ſuorum Monachorum & patrum ordinis expoſitus erat, eò ardentiore zelo ac conſtantiâ curſum prædicationis ſemel ſuſceptæ urgebat, præſertim cum aulæ & civium plurimorum, ac ſenatorum etiam aliquot patrocinio tectus eſſet.

k) Chytræus.

MAGDEBVRGÆ l) Melior Mericius, Eberhardus Widenſee Doctor, & Johannes Fritzhans, edunt publicè themata octodecim adverſus traditiones Pontificias, vota monaſtica, ſacrificium Miſſæ, primatum Papæ, purgatorium, vigilias, juſtificationem operum, &c. eaque ad diſputandum proponunt. Sed nemo Pontificiorum diſputationis aleam ſubire voluit. m) Conſul igitur Nicolaus Sturm, & plurimi cives ſincerioris doctrinæ cupidi, Lutherum Wittenbergâ evocant. Is, cum Auguſtinianorum templum anguſtius videretur, ad D. Joannem docuit: & paucos dies ibi moratus, cum conſilium de emendatione Religionis ſuum Conſuli & delectis civium expoſuiſſet: Nicolaum Ambsdorffium ſe ipſis miſſurum paſtorem oſtendit, cui non ſecus ac ſibi ipſi omnibus in rebus confidere poſſent. Ambsdorffius igitur de ſententia Lutheri Magdeburgenſes Eccleſias piè & præclarè à ſe inſtitutas, cum quidem collegam fidum Doctorem Eberhardum Wydenſejum aliquandiu haberet, doctrinæ ſuæ voce & conſiliis ſalutaribus, totos octodecim annos rexit, donec Naoburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus crearetur.

l) Hamelmannus parte ſecunda hiſt. Eccleſiaſt.

m) Chytræus.

BREMAM n) autore Henrico Sutphanienſi, qui biennium jam ibi docuerat, Jacobus Præpoſitus, Theologiæ Licentiatus, Auguſtinianus Antverpienſis, qui ex Belgico ſe ad Lutherum contulerat, vocatus in templo Mariano, & paulo pòſt Joannes Timannus Amſterdamus, vir eloquens, in æde Martini paſtor conſtitutus eſt: qui anno 1525. demum Pontificias Miſſas, in omnibus parochiarum & monaſteriorum templis, ſolo cathedrali excepto, abo-leverunt.

n) Chronicon Bremenſe. Chytræus.

BRVNSWIGÆ o) non ſine magnis motibus, qui triennium ipſum durârunt, doctrina Papæ abjecta, doctrina Chriſti fuit admiſſa. Minoritis hoc anno Concilium ibi celebrantibus, & propoſitis publicis propoſitionibus, invocationem ſanctorum, & ſacrificium Miſſæ tueri conantibus, non ſolùm viri docti, ſed cives etiam aliquot ſe acriter oppoſuere. Monachi eorum nomina deferunt ad Unionem (ſic enim vocabatur conſiſtorium Eccleſiaſticorum Prælatorum, in quo erant decem Prælati, ut Abbas Ægidianus, duo Decani, ad S. Blaſium, & ad S. Cyriacum in ſuburbio, & deinde ſeptem paſtores, Unio ad Senatum urbis. Is plerosque, qui accuſati, ejicit, lectione librorum Lutheri omnibus interdicit, in libros novi Teſtamenti à Luthero verſi, oſtiatim inquirit. Tamen hoc ipſo anno Joannes Copmannus Sacellanus ad D. Virginem, & Conradus Trutenbellius graviter pro concione contra Pontificios diſputant, civibusque amorem Evangelii inſtillant. Novæ igitur turbæ. Præſides Unionis volunt Sacellanos remotos: cives volunt retentos. Senatus nolens reluctari Unioni, diſcedit ex urbe. Cives illum revocant, obedientiam promittunt in omnibus: modò Evangelii libera prædicatio concedatur. Redit Senatus: Dominicanos & Minoritas, diſputationem cum concionatoribus detrectantes, ejicit: Præſidibus Unionis, dimiſſionem concionatorum petentibus, reſpondet: culpam hujus rei ipſis præſtandam, quod otioſi ventres ſubſtituerint ſibi, quos modò accuſent Sacellanos. Si nunc illos amotos velint, perdituros eos & ſe, & urbem, & Senatum.

o) Ex Archivis.

EIMBECCA p) urbs eſt Ducum Brunſvicenſium in Grubenhagen. Hanc benigno oculo adſpexit hoc anno Deus, miniſterio M. Erneſti Burmeiſteri, & D. Godeſchalci Croppii, aliorumque, & indulgentiarum Papalium vanitatem, & gratiæ Jeſu Chriſti efficacitatem populo commonſtrans.

p) Hamelmannus.

Incidit in hunc annum & COMITATVS HOYENSIS q) Eccleſiarum reformatio, quam Jodocus Comes inchoavit, & quatuor filii ipſius Albertus, Ericus, Otto, & Fridericus, ultimi iſtius ſtemmatis Comites, continuârunt. Legerat Jodocus Comes in ſummo mærore ſuo ſubmiſſos ſibi à ſocero Comite Wolfgango de Gleichen, Lutheri & Melanchthonis libros, contuleratque de iis cum aulico concionatore, ſacrifico & confeſſore ſuo Conrado Drudekeno, quem inſtigatus ab Erneſto Duce Luneburgenſi Wittebergam miſit, accerſitum virum aliquem eruditum, qui Monachos Terminarios, & alios miſſificos compeſcere poſſet. Lutherus miſit Adrianum Boxſchotium Antuerpienſem, qui Antuerpiæ cucullum exuerat & Wittebergam profectus fuerat, virum in Latina lingua facundum, & in Belgico ſermone ſuavem, qui de voluntate Comitis templum ingreſſus Neoburgi, (quod eſt ampliſſimi Comitatûs primarium oppidum) Monachum in Lutherum ex ſuggeſtu fulminantem, ita adortus eſt: *Ego ad hoc vocatus ſum ab inclyto Comite Hoyenſi, Domino Jodoco, ut te & tuos mendacii arguerem: ideo dicta perverſe monache, idque palàm coram tota Eccleſia hac, ubi, quando, & quibus*

quibus in locis erravit Lutherus? Obmutuit Monachus, & clam de suggestu descendens aliò profugit, nunquam in Comitatum istum reversus. Adrianus proximâ concione suggestum conscendit, disputatione publicâ se Pontificios errores confutaturum, Lutheri dogmata probaturum, edicit. Sed Monachis disputationem refugientibus Comes Jodocus per hunc Adrianum Missas, Vigilias, invocationes sanctorum, & totum abominationum Pontificiarum chaos abolet, Adriano Ecclesiæ in oppido Hoya pastore declarato, Cyriaco Hesso ab Alberto Mansfeldico Comite ad se misso aulici concionatoris, M. Jodoco Crammio à Duce Luneburgico misso, urbici pastoris Neoburgii, officio demandato.

q) Hamelmannus.

CELLÆ r) in aula Ernesti Ducis Luneburgensis Evangelium hoc anno docebat Gotsaligus quidam, cui Lutherus epistolâ quâdam gratulatur de conditione ista, ac monet, ut pusillanimitatem conjugis Ernesti Margarethæ, sororis Electoris Friederici Saxonis ferat, dum illa verbum ferat & non persequatur.

r) Tom. 2. epist. Luth. p. 136.

MELTZÆ s) (duobus ab Antuerpia milliaribus) quidam parochus fuit, qui sæpiùs in patentibus locis & campis propter audientium multitudinem concionabatur, cumque illi sermo de Missa esset, *nos quidem*, inquit, *sacrificuli, Juda proditore sumus deteriores. Is enim Christum Dominum vendidit & tradidit. Nos verò eum vobis vendimus & non tradimus.* Erat & Antuerpiæ & in finitimis locis hoc tempore magnus numerus hominum omnis generis qui tum primùm aliquem verbi Dei gustum capiebant.

s) Acta Martyrum.

t) In ditionem JHEVERENSEM sincerioris doctrinæ facem intulit hoc anno primus, Henricus Cramerus Esensis, pastor in urbe Jheverana, multum adjutus autoritate Romeri, Zedichii, Quæstoris & Consiliarii Jheverensis.

t) Hamelmannus.

ANNÆBERGÆ u) in Misnia Fridericus Myconius die Palmarum docere cœpit Evangelium. Die igitur passionis Domini ibidem excommunicatur, in monasterio Franciscanorum, Myconius publico scripto ad Rempublicam & cives Annæmontanos edito, Deo gratias egit, quod ex Ægyptiaca servitute liberatus sit: lætaturque, quod Dominicâ Palmarum Christum Hierosolymam ingredientem sit comitatus: hortatur denique Annæmontanos: ne metuant Papistas, & si Magistratus eos persequatur, quid facto opus sit, indicat.

u) Vita Myconii.

x) CYGNEÆ in Misnia cœpit hoc anno exaudiri cœlestis tuba renascentis Evangelii, ex qua urbe ἔξαρχος Fridericus Myconius ad Annæmontanos ea scripsit quorum modò mentio facta.

x) Vita Myconii.

y) GOTHAM vocatus Myconius, Cygnæâ pulsus, ad gubernandas Ecclesias Thuringiacas annos 22. ibi docet.

y) Vita Myconii.

VRATISLAVIÆ Doctor Joannes Hessus vigesimo die Aprilis theses ad disputandum proposuit, quibus comprobaturum se promisit:

Soli Deo esse inhærendum.

Missam non esse sacrificium, sed solum meritum Christi.

Blasphemos esse in Deum, qui conjugio interdicant Sacerdotibus.

Disputavit in templo S. Dorotheæ ipsum octiduum, & interrogantibus quibusvis respondit.

Lutherus z) ad Spalatinum: *Uratislaviæ disputatio Joannis Hessi processit feliciter, frustrà resistentibus tot legatis Regum & technis Episcopi.*

z) Tom. 2. epist. Luth. p. 205.

LIGNICII a) Silesiorum in templo S. Joannis cœna Domini sub utraque specie exhibetur. Idem fit in altero urbis templo primario. Joannes Werner aulæ concionator designatur.

a) Crantzhemius.

NORIBERGÆ, cum Georgius Pesler ad S. Sebaldum, & Hector Pömer ad S. Laurentium Præpositi biennium & amplius Evangelium docuissent, & de abusibus Papisticis populum erudiissent, hoc anno abrogârunt.

Abusus missaticos.

Missam pro defunctis.

Cantum, salve Regina &c.

Salem & aquam consecratam.

Matutinas & Complectorias cantiones.

Et facti sui rationem ex sacra scriptura publico scripto divulgârunt 21. Octobris. Titulus scripti est: Grund und ursach aus der heiligen Schrifft, wie und warumb bey der Pfarr-kirchen zu Nürnberg Pröbste die missbräuche bey der heiligen Mess, Jahrtag, geweihet saltz und wasser, samt etlichen andern Ceremonien abgestellt, unterlassen und geändert haben.

NOERDLINGÆ, b) quæ Imperii civitas est, Evangelium hoc anno puriùs annunciatur, verbi præcone Theobaldo Billicano.

b) Crusius.

ARGENTINÆ c) Magistratus ubi satis diu omnia spectasset, omnia considerasset: ubi animadvertit hominum, qui concionatores sequebantur, copiam, & in concionibus, frequentiam: cùm sentiret mores civium emendari, & magis quàm antea mitescere: cùm pars etiam Senatus non minima doctrinam hanc amplecteretur: libertatem in omnibus suis templis Evangelii concessit: locum scholis apud Dominicanos dedit: stipendia decrevit: qui cœnobia deserebant Monachi, iis jus civitatis dedit: uxores ducere concessit: qui in cœnobiis reliqui erant, iis pecuniam annuam, dum viverent, constituit: facultates Ecclesiasticas cœnobiorum Quæstoribus commisit: quæ adhuc integræ conservatæ, aut pauperibus, aut ministris Ecclesiæ, pro multitudine & proportione, & functionibus distribuuntur.

c) Joh. Sturmius Antipappi quarti parte primâ.

Theologi d) Argentinenses fundamenta & causas susceptæ à se mutationis rituum Missæ, seu cœnæ Domini, Baptismi, dierum festorum, imaginum, cantionum in publicis Ecclesiæ congressibus, ex sacris literis edito libro, quem Friderico Palatino dicârunt, exeunte anno 1524. exposuerunt: cui subscribunt Wolffgangus Capito, Caspar Hedio, Matthias Zellius, Symphorianus Pollio, Theobaldus Niger, Joannes Latomus, Antonius Firn, Martinus Hag, Martinus Bucerus. e) Iidem communi nomine commonent Pagos Helvetios: quàm impia sint paradoxa à Conrado Trægero ad disputandum proposita: in quibus Ecclesia scripturæ, hominum commenta verbo Dei præferantur.

d) Chytræus.

e) Acta publica.

CASPAR HEDIO contrarias aliquot Theses Cunrado opponit: Bucerus ad paradoxa prolixè, respondet. Capito virulentam commonitionem Cun-

radi ad Helvetios, superiori oppositam confutat. Omnes Cunradum ad disputandum in urbe Argentina provocant. Senatus contra vim omnem atque pericula ipsi cavet. Sed Trægerus varia causatus, tandem, quod cupidè velit, id sibi facere per Episcopum non esse integrum, ait.

f) Tanta autem statim fama erat Theologorum Argentinensium, Capitonis inprimis & Buceri: ut Jacobus Faber Stapulensis & Gerardus Rufus clàm è Gallia profecti, Capitonem & Bucerum audirent, & de omnibus doctrinæ præcipuis locis cum his differerent, missi à Margaretha Francisci Regis sorore, Navarræ Regina. Atque ita Evangelica vitis in Gallicis Ecclesiis aliquid etiam germinis ex urbe Argentina accepit. Cæterùm multos cives Argentinenses in fide vera hoc anno confirmavit Doctoris Sebastiani Meieri Revocatio. Fuerat is ante hoc tempus Concionator ad Franciscanos Argentinæ, & Papista Papisticè docuerat. Illuminatus autem spiritu, hoc anno ad inclytam Argentinensium Rempubl. libellum typis descriptum mittit, quo retractat quæ docuerat.

1. De Missa quod esset sacrificium, quo nos Deo aliquid offerimus.

2. De pœnitentia, quod tres ejus partes, contritio, confessio, satisfactio.

3. De Papa: quod sit caput Ecclesiæ; interpretari scripturam ex suo ingenio possit: reservare sibi peccata possit quæ velit &c. &c.

4. De indulgentiis: quod septem, & plurium annorum pœnas in purgatorio sustinendas tollant.

5. De purgatorio, ad quod stabiliendum abusus sit scripturæ dictis Matth. 5. & 18. & 12. & 1. Cor 3.

6. De sanctis, quod invocandi: quod illorum intercessione à peccatis abstineamus; à morbis liberemur.

7. De libero arbitrio, quod in hominis potestate sit, bona vel mala operari.

8. De bonis operibus, quòd sint meritoria vitæ æternæ, & quòd sit meritum congrui, digni, & condigni, ex lacunis scholasticorum.

9. De votis monasticis, quòd sint alter Baptismus, in quo de novo regeneretur homo, unde & nova nomina, velut in baptismo fieri solet, monachis & monialibus imponantur.

10. De Ecclesiasticis: quòd jure divino non teneantur tributum & vectigalia solvere: nec à Magistratu politico possint capi, aut carceribus includi.

f) Sturmius Antipappo quarto.

Hæc omnia retractat, & ex verbo Dei convellit, nihil veritus voculas malevolorum & calumniatorum. Præfatio scripta est Bernæ Helvetiorum VI. Septembris hujus anni.

BASILEÆ g) Joannes Oecolampadius magno zelo, nec minore fructu in propagando Christi regno laborat, quem frustra Joannes Cochlæus, missis Stutgardia literis, amplissimis promissis à veritate agnita avocare conatur. Adjungunt se Oecolampadio M. Wolfgangus Weissenburgius, Marcus Bersius, Frater Joannes Luthardus, Frater Thomas Geierfalck, primi reformatæ doctrinæ apud Basilienses præsones. Hoc ægerrimè ferebant sacrificuli, ideoque detonabant in ipsos diris & maledictis, hæreticorum pessimorum pœnas eos commeritos esse clamitantes. Senatus igitur Basilienses omnibus ditionis suæ concionatoribus mandat: ut eloquia Dei, non hominum populo proponant, à convitiis & maledictis abstineant, edicti violatoribus severas pœnas minatur.

g) Urstisius.

Februario h) mense venit eò Guilielmus Farellus, ex Gallia profugus. Is contra traditiones humanas publicè disputaturus, à Vicario Episcopi, & Rectore Academiæ impeditur. Senatus verò urbicus Farello, quod themata ejus Evangelio viderentur conformia, liberam disputandi, aliis liberam opponendi facit potestatem: editum à Vicario & Rectore Academiæ mandatum, quo & auscultatione & oppositione interdicebatur, in autoritatis suæ imminutionem accipit, contra decretum suum peccaturis usu molendinorum, furnorum, & mercatûs interdicit.

h) Ex Act's disputationis Germanicè editis.

Erant autem articuli à Farello ad disputandum propositi, tredecim, quorum summa ista:

1. A Christo perfectam vivendi regulam nobis præscriptam.

2. Matrimonium incontinentibus esse licitum.

3. Discrimen ciborum, vestitûs, ceremoniarum, esse Judaicum.

4. Periculosas esse preces multorum verborum.

5. Sacerdotum esse prædicare verbum Dei.

6. Mandata Dei non esse inconsilia convertenda.

7. Qui non liberè Evangelium docet, illum Christi pudere.

8. Qui non fide justificari se credit, illum seipsum Deum facere.

9. Sacrificandum soli Deo.

10. Laborandum manu bene valentibus.

11. Jejunia hypocritica & idola fugienda.

12. Judaicis ceremoniis renunciandum.

13. Videndum, ut Christus nobis alluceat, sit omnia fore pacata.

i) Disputatæ sunt hæ Theses in magna hominum frequentia 15. Februarii. Sed non multò pòst Vicarius Episcopi & Academiæ Rector vi & factione suâ Farellum Basileâ exegerunt.

i) Urstisius. Oecolamp. lib. 4. epistolarum.

Hos Evangelicorum persequutores perstringit Oecolampadius epistolâ, quam mense Junio hujus anni Christophoro Episcopo Basilienſi inscriptam, suis in primam epistolam Johannis Demegoriis præfixit. Vindicat ibi Evangelicos à crimine seditionis, novitatis, contemptus Patrum, & tandem *nostram*, inquit, *doctrinam innoxiam esse opinor, bonam partem plebis, quæ audit, testificaturam. Tantum lupi nos odêre, qui inclamari timent, quò Christi oves vobis concreditas, impunè deglubant. Esto autem, quod illorum autoritatem confirment supercilioſi quidam è Senatu Universitatis Basilienſis, qui publicis edictis, aliisque machinationibus nobis in rebus piis negotium fecerunt impiè: eandem tamen quem illi, merentur fidem. Verus est enim syncretismus. Traducitur quippe & illorum insciti toto orbe, quod Evangelium ne à limine quidem rectè salutârint, & feliciter neque docuerint,*

rint, neque docere potuerint: cumque de clave glorientur scientiæ, ipsi in regnum scripturæ nec intrent, nec alios intrare sinant. Jam nemo est, qui non improbet in eis, quod ad reddendam rationem fidei publicè semper terga verterint provocati. Nemo dignam Theologis crediderit excusationem, quâ Romanæ Sedis obedientiam prætexuerunt, contemptâ fratrum & plebis exspectatione.

Consimilem, imò illustriorem Evangelicorum Apologiam idem Oecolampadius commentariis suis in Danielem præposuit.

LICHSTAL oppidum est ditionis Basilienſium. Evangelizabat in eo M. Stephanus Stœr, quem ob ductam uxorem alii ridebant, alii convitiis proscindebant.

Auditores k) id ægrè ferentes, petunt à Senatu Basilienſi, pastori suo potestatem faciat, factum suum publicè in urbe Basilienſi ex Scripturis defendendi. Senatus annuit. M. Stephanus omnibus templis & monasteriis affigit hæc themata:

1. *Conjugium nulli hominum ordini in scriptura prohibitum est.*
2. *Adulterium & scortationem omnes leges omnium ordinum hominibus prohibent.*
3. *Vitandæ libidinis & scortationis causâ extra matrimonium, conjugium omnibus hominibus mandatum est.*
4. *Scortatio nullum hominum ordinem minùs decet quàm Ecclesiasticum, idque propter scandala.*
5. *Publicus scortator secundum legem Dei verè est excommunicatus, & idcirco non idoneus ad munus sacerdotale.*

k) Acta disputationis Germanicè editæ.

Dies disputationi dicta decimâ sextâ Februarii: confluit maxima hominum turba: surgit Stephanus, rationem reddit, cur uxorem duxerit: themata sua scripturæ dictis firmat: postremò, si quis vel ab Episcopo, vel à Capitulo, vel ab Academia, ad opponendum missus sit, obsecrat, ut se erroris ex scriptura convincat. Altum ibi silentium. Compellat igitur sacrificulos præsentes. His quoque tacentibus Oecolampadium rogat, suum super thematibus istis judicium exponat. Is, se idem hactenus docuisse, affirmat. Idem se sentire Conradus Pellicanus, Professor Theologus, Hartmundus à Cronberg, Nobilis exul, M. Wolffgangus Weissenburgius, M. Bonifacius Wolffhartus, aliique profitentur. M. Stephanus, dissolutis eruditè argumentis contra matrimonium Sacerdotum à M. Bonifacio ex mente Pontificiorum præpositis, magno cum honore ad Ecclesiam & uxorem suam rediit.

OECOLAMPADIVS l) qui hactenus vicariam operam Ecclesiæ Basilienſi præstiterat, creatur Pastor, ad S. Martinum. Jubet igitur Diaconum infantes linguâ vernaculâ baptizare: Cœnam sacram utraque specie, assensu Senatus, distribuit missaticum sacrificium: purgatorium, & id genus aliàs Pontificias traditiones pro concione ex scripturis sanctis refellit. Unde sensim Missa, circumitiones cæteræque Papisticæ cerèmoniæ corruerunt.

l) Urstisius.

Etsi igitur Capito & alii nonnulla purioris doctrinæ semina audientium animis aliquot annos ante injecerant, Oecolampadius tamen jure primus Basilienſium Apostolus nominatur: cui in Ecclesiæ illius gubernatione ordine successerunt, Oswaldus Myconius, anno 1532. Simon Sulcerus, anno 1552. Joannes Jacobus Grynæus λόγῳ καὶ τρόπῳ Theologus, anno 1586. quem nos mense Majo proximo, ætatis annum septuagesimum septimum agentem, cupidè invisimus, cupidiùs vidimus, cupidissimè de variis iisque ἀξιολόγοις rebus loquentem audivimus.

TIGVRINI m) cum quinquennium à Zwinglio fuissent informati, visum est Magistratui reformationem aggredi. Hoc igitur anno mense Junio processiones inhibitæ, è præcipuis urbis templis tumbæ Martyrum sublatæ: idola in urbe, & quàm latè patet ditio ipsorum, ablata, & flammis abolita. Catharina de Cimmern Abbatissa, tradito cœnobio in manus Consulis, viro nupsit, honestis reditibus annuis à Magistratu dotata. In hoc cœnobio aluntur nunc & instituuntur à fido præceptore aliquot adolescentes.

m) Stumpfius lib. 6.

Vicesimâ Decembris Præpositura quoque reformatur, è cujus bonis Pastores, Professores, Ludimagistri modò aluntur.

Zwinglius n) secundâ Aprilis hujus anni uxorem duxit: Annam Reinhartam, viduam nobilis viri, Joannis Maieri. n) Waserus.

CONSTANTIÆ ad lacum Bodamicum Joannes Zwiccius evangelizat. Ambrosius Blaurerus paræneſin Germanicam ad Senatum urbicum scribit. Hunc ad concionandum Wolffgangus Capito hortatur. *Paræneſin*, inquit, *tuam mirabundus legi. Quod si ad verbum dicendum te demitteres, quid præstares, ob'ecro? Neque est quod jures, seu parum suffecturus causeris. Sub tali provincia nemo vocatus deficiet, cum divinitus adjuvetur. Gaudeo denique ausuros vos innovare foris, quæ verbo in cordib. piorum instaurata nostis. Nam evanescit Spiritu, si, quæ asseverat, cessas re præstare, etiamsi cunctatione tuâ magnum argumentum præbes incomparabilis tuæ prudentiæ. Nobis tamen hic multa præter spem, præter consilia acciderunt: profuit, inquam, à Matthia Zellio præsertim totam sentinam abominationis Pontificiæ motam, me inscio. Nam posteaquam rescirem exploratis auditorum animis, facilè animadverti, eò loci nos redactos, ut necesse esset, aut progredi fortiter, quamvis exitum prævidere non potuimus, aut referre gradum non sine dejectione piorum, qui frigent, qui enecantur, ubi nos duces languere senserint. Perge igitur bonis avibus & auspice Christo. Sine Deo enim præsente nihil moliri continget.*

SCAPHVSIANI o) qui anno superiori disputationi Tigurinæ interfuerant, cum domum reversi Abbati & reliquis Canonicis indicassent, ex omnibus præsentibus neminem unum fuisse, qui sacræ scripturæ locis, & idoneis argumentis, themata Zwinglii refellere posset: & Abbatem & Erasmum Ritterum ad oppugnandum Evangelium è Bavaria vocatum, ita immutârunt, ut, quod antea oderant Evangelium, amarent, & de Ecclesiæ reformatione seriò deliberarent. Oecolampadius de reformationis modo consulitur: Senatus, ut autoritatem suam interponat, rogatur: Abbas & reliqui monachi monasterio egrediuntur, abjiciunt cucullos, ducunt uxores, privatas instituunt familias, decimas, & omnes Ecclesiæ reditus Magistratus po-

teſtati & adminiſtrationi committunt hac conditione, ut vitæ neceſſaria ad vitæ dies ſuppeditentur. Idem fecit Abbatiſſa cum ſororibus ſuis, ordinem relinquunt, Magiſtratui omnia tradunt, ducunt vitos, fiunt verè matres, quæ ante ſic dicebantur. Inter has fuit nobilis virgo, poſtea mater optimi & doctiſſimi viri Joannis Conradi Cochii qui hodieque Scaphuſianos pane vitæ cœleſtis cibat. Eraſmus, qui priùs Evangelii doctrinam oppugnaverat, Evangelium nunc magno zelo propugnat, cui collegæ adjunguntur doctiſſimi viri Wolffgangus Biderman Rotvilanus, M. Beatus Gerinus Tigurinus, Benedictus Burgoverus San-gallenſis. Imagines, picturæ, ornatus Papiſticus, altaria ad tempus fuêre relicta. Conſultiùs enim viſum iſta priùs ex animis, quàm oculis hominum tollere.

o] Ex Archivis Eccleſiæ Scaphuſiani.

SANGALLENSIBVS p) veritatem cœleſtem demonſtrat Joannes Kesler Wittembergà domum reverſus, & Wolffgangus Ulmian, nuper monachus Curienſis. Eosdem in veritate iſta mirè confirmant Leo Judæ Tigurinus, & Sebaſtian Hoffmeiſter Scaphuſianus Eccleſiaſtes, qui illac tranſeuntes rogatu civium ſunt concionati. Non ita multò pòſt de voluntate Senatus per certos homines ſtatuæ nocturno ſine turba ſunt ablatæ. Quæ præterea in commodum pauperum, & Eccleſiæ decorem ordinata ſunt, de iis legere licet librum Joannis Kesleri *de ritibus & inſtitutis Eccleſiæ Sangallenſis.*

p) Hiſtoria reformationis Sangallenſis Germanica MS.

In MONTE BELLICARDI Guilielmus Farellus vineam Domini plantat, Baſileâ exactus. q) Fuit hic Farellus zeli in promovendo Evangelii vehementiſſimi. Eraſmus in Epiſtolis Phallicum nominat, & ſcribit, ſæpe ab Oecolampadio, etiam literis, ſæpe à Pellicano etiam fuiſſe objurgatam illius vehementiam. Et ita eſt. Oecolampadius enim tertiâ Auguſti literis exaratis ad Farellum, revocat illi in memoriam monita Baſilienſia: r) deinde hortatur illum, ut Chriſtum etiam vitâ exprimat, exemplo videlicet docendi. Rurſum decimâ nonâ Auguſti hujus anni aliis literis ad moderationem hominem revocat, in quibus legantur iſta: *Evangelizatum non maledictum miſſus es: laudo zelum, modò ne deſideretur manſuetudo. Vinum & oleum in tempore ſuo infundendum. Evangeliſtam non tyrannicum legislatorem præſtes.*

q) Lib. XVIII. epiſtolarum.

r) Exitant epiſtolæ lib. 4. monumenti inſtauratæ religionis pag. 916. & 956.

WALDSHUTUM oppidum eſt Auſtriaci dominii ad Rhenum. In eo Balthaſar Pacimontanus fructuoſè hactenus Evangelium docuerat. Cives igitur aliqui Tigurinorum exemplum imitaturi cogitabant & ipſi de reformatione: quibus alii refragabantur. Ferdinandus Auſtrius civibus mandat, quieti ſint, nihil innovent: ni pareant, dira minatur. Tigurini cives nonnulli ſuo in oppidum adventu animos Waldshutenſium recreant. Sed ſtatim domum revocantur, vel quòd Balthaſar s) Anabaptiſtica deliria ſpargeret, quod ſcribit Zwinglius: vel quòd Senatus Tigurinus à Ferdinandicis Lucernæ violatæ confœderationis hæreditariæ eſſet accuſatus, quam cauſam Bullingerus adfert. t) Quanquam utrumque fieri potuit.

s) Epiſt. ad Cunradum Somium.

t) Chronicâ MS.

Erasmus u) ſcribit ad Henricum Stromerum: *Tigurinos omnes divos ejeciſſe è templis, Waldshutenſes etiam è vitreis feneſtris privatarum ædium.*

u) Lib. XIX. Epiſt.

CÆTERVM hoc anno VBIQVITAS in Gallia nata, BELLVM SACRAMENTARIVM in Germania ortum eſt.

Nativitas x) VBIQVITATIS ita habet. A Berengarii inde tempore usque & ulteriùs multò ultra quingentos annos præſentia corporalis corporis Chriſti in cœna, tribus tanquàm columnis fundata eſt: 1. falſâ interpretatione τὸ ῥητὸν. 2. tranſubſtantiatione per virtutem magicam verborum. 3. duplicitate corporis Chriſti, viſibilis & inviſibilis. Joannes Gerſon Academiæ Pariſienſis Cancellarius, intelligens, futilia hæc eſſe omnia, ſub tempora Concilii Conſtantienſis realem communicationem naturarum primus omnium dogmaticè introduxit. Docuit enim, Chriſtum, quatenus creatura eſt, non poſſe corpore ſuo uno & eodem tempore in plurib. & diverſis locis eſſe, à divina tamen natura, in unam perſonam cum ipſo unitam humanam naturam accipere hanc prærogativam, & hanc ei communicari, ut in cœna ſaltem ſua (& in hac quidem tantùm & ſola) ſimul eſſet in pluribus, omnibus nimirum cœnæ ſuæ locis. Quæ propriè non eſt πανταχοσία, ſed πολυτοπία. Hoc autem anno MDXXIV. Jacobus Faber Stapulenſis, quam Gerſon ex unione perſonali realem idiomatum communicationem in omnibus cœnæ locis ſibi finxit, eam pari ratione & eâdem operâ in omnia mundi loca introduci poſſe judicavit, & ſic Ubiquitatem Pariſiis in Sorbona primus aſſeruit, & accuſante quodam Natali Beda poſtero anno MDXXV. à Sorbona propter hoc dogma Ubiquitatis, & realis idiomatum communicationis è Gallia relegatus exulavit apud Margaretham Navarrenam. Hæc eſt celebris illa Ubiquitas, quam è Gallia relegatam Lutherus in Eccleſias Germaniæ reduxit (in Sole etiam & in pane tabernæ piſtoriæ corpus Chriſti eſſe docens) Brentius excoluit, Jacobus Smidelinus multis etiam invitis obtruſit, unde Apoſtoli Ubiquitatis cognomen meruit.

x) Esromus Rudingerus de origine Ubiquitatis.

SACRAMENTARIAM cauſam Andreas Bodenſtein, Sacramentarium bellum Martinus Lutherus primus commovit.

ANDREAS BODENSTEINIVS, y) Caroloſtadius extra Helvetiam in ſuperiore Germania & ditione Septemvirali Saxoniæ, cum Archidiaconus adhuc eſſet Wittembergæ, offendi ſe ſermonibus quibusdam Lutheri de Euchariſtia, oſtendit, illic potiſſimum, quibus dicebatur Chriſtus in pane ſacro Cœnæ eſſe tantus, quantus in cruce pependiſſet. Ac tum primum abalienari nonnihil animi inter ipſos cœperunt.

y) Esromus Rudingerus de origine Ubiquitatis.

Cum autem z) εἰκονομαχία ipſius à Luthero improbata eſſet, indignè ille id ferens, hoc 24. anno Wittebergam reliquit, ita ut ſimultatem ſibi cum Wittebergenſibus eſſe fateretur, & præ ſe tamen ferret ſtudium de dubiis ſuis cum Luthero aliisque differendi, ſeque, ſi ſcrupuli ſibi eximerentur, cum iis denuo conjungendi. Recepit autem ſe Orlamundam, quod Thuringiæ oppidum eſt, per Eccleſiam loci illius legitimè vocatus ad a) Paſtoratum, ubi Iconomachiâ ſuâ novas dediſſe turbas judicaba-

dicabatur. Revocatus ab Academia Wittebergam ad ordinarium munus obeundum in schola & Ecclesia, stitit se; promisitque de reditu, si Orlamundani assentirentur. Rebus autem ad Salam Thuringiæ in pejus ruentibus, decreto Electorio Lutherus primùm Jenam, deinde Orlamundam venit.

z) Camerarius in vita Philippi.

a) Acta Orlamundensia.

JENÆ XXII. Augusti horâ septimâ matutinâ concionatur Lutherus contra fanaticum Spiritum Munceri. Ejusdem spiritus ait esse εἰκονομαχίας & Sacramentarios. Interest concioni Carolostadius: pungi se arbitratur, quippe qui primus quædam notasset & reprehendisset, quæ Lutherus de cœna sacra docuisset. A concione igitur Lutherum convenit in hospitio, cui insigne *niger ursus*; ibi post multos non gravissimos inter ipsos sermones habitos, Lutherus datâ arrhâ ad scribendum publicè contra se de sacra cœna Carolostadium provocat, & belli sacramentarii, quod, prô dolor, adhuc durat, imprudenter initium facit. Narratio Germanica de congressu Lutheri & Carolostadii Tom. 2. Germanico operum Lutheri Jenensium inserta est: quam etsi mendaciis mixtam cum veritate scribit b) Lutherus: tamen non negat se pactum fuisse cum Carolostadio: de cœna sacra disputare. Sed affirmat id etiam c) alibi. Quin imò d) gloriatur: se Prophetas illos, qui dudum mussitârint, aureo nummo ad pugnam elicuisse, cujus facti necdum se pœniteat.

b) Tom. 2. epist. pag. 234.

c) Tom. 2. epist. pag. 203.

d) Initio lib. 2. contra cœlestes Prophetas.

e) ORLAMUNDAM 24. Augusti venit Lutherus: à Carolostadio Pastore loci ne quidem salutari vult: cum auditoribus autem ejus de εἰκονομαχίᾳ disceptat, & illis factum suum ex verbo Dei defendentibus, objectaque ex eodem verbo refellentibus, penè confusus inde abiit.

e) Historia exstat Tom. 2. oper. Luth. German. Jenens.

f) Non ita multò pòst Carolostadius Lutheri instinctu, & Joannis Friderici Saxoniæ Ducis jussu Thuringiæ finibus exigitur. Jubetur loco cedere Martinus Rheinhardus, prædicator Jenensis, qui Acta Jenensia & Orlamundensia ediderat: mittitur in exilium Egranus.

f) Lutherus contra cœlestes Prophetas.

g) Carolostadius literas Orlamundæ scribit, alteras viris, alteras fœminis, quæ publicè vocatis per campanas lectæ sunt, omnibus simul flentibus. Erat autem subscriptio talis: Andreas Bodenstein unverhört, und unüberwunden, durch Martinum Lutherum vertrieben, h. e. nec auditus nec convictus per Lutherum ejectus. h) *Vides*, ait Lutherus ad Ambsdorfium, *quòd ego, qui martyr debui fieri, eò perveni, ut martyres ipse faciam. Vix credas, quàm latè serpserit jam etiam dogma Carolostadii de Sacramento.*

g) Tom. 2. epist. Luth. pag. 236.

h) Tom. 2. epist. pag. 237.

Desertâ i) Thuringiâ Carolostadius rectà petit Argentinam, ubi in suas partes pertraxit Ottonem Braunfelsium, quem & solùm ibi allocutus est. Inde tendit Basileam: ubi libellos quos perbreves de Cœna Domini confecerat, re cum nemine communicatâ, solis Anabaptistis ejus loci conscriis, edendos curavit. k) Erasm. ad Henricum Stromerum 4. Idus Decembr. *Carolostadius hic fuit, sed vix Oecolampadio salutato. Edidit sex libellos: duo, qui excuderunt, nudius tertius conjecti sunt in carcerem jussu Magistratûs, ob id potissimum, quòd ut audio, doceat, in Eucharistia non esse verum corpus Domini. Hoc nemo fert. Indignantur laici sibi eripi Deum suum, quasi nusquam sit Deus nisi sub illo signo. Docti commoventur verbis scripturæ sacræ, & Ecclesiæ decretis. Hæc res excitabit nobis magnam tragœdiam, cùm tragœdiarum plus quam satis sit.*

i) Ibidem pag. 247.

k) Lib. XIX. epist. pag. 604.

Summa doctrinæ Carolostadianæ de Cœna sacra hæc est: corpus Christi nec esse nec comedi in cœna oraliter, sed celebrari ibi corporis pro nobis traditi, & sanguinis pro nobis fusi, memoriam. Tropicam igitur locutionem in verbis institutionis agnoscit, & vocabulum τοῦτο non refert ad ἄρτον (cum hoc masculini, illud neutrius generis sit) sed ad ipsum Christi σῶμα sive *corpus*, ut hæc sit verborum Domini sententia: *accipite, edite panem hunc in mei memoriam, hic enim sedet corpus, quod pro vobis traditur.* Addit, ad tropum necessariò confugiendum esse; ne cogamur asserere, panem pro nobis crucifixum esse: carnis esum, quod tamen falsum, in scripturis mandatum esse: carnem, quod item falsum, aliquid prodesse: corpus ipsum, quod etiam falsum, in usu Cœnæ frangi & pro nobis tradi. In libello, quem inscripsit, von dem wiederchristlichen Missbrauch des Herren Brodt und Kelch, hoc est; de abusu panis & calicis Domini minimè Christiano, impugnat etiam erroneum dogma, quo jubentur homines remissionem peccatorum in Sacramento quærere. Docet: frequentandam Cœnam sacram, ut annunciemus ibi mortem Domini: annunciationem mortis Dominicæ ex memoria Christi: memoriam Christi ex vera dijudicatione corporis traditi, sanguinis fusi, fluere: dijudicari corpus, non panem, sive Sacramentum, quando discernimus corpus & sic sanguinem Christi ab aliis corporibus & sanguinibus: discretionem corporis & sanguinis Christi fieri, quando consideramus, corpus Christi pro nobis in mortem traditum, sanguinem pro nobis fusum: qui hæc non considerant, eos fieri reos corporis Christi æquè ac latrones, à quibus occisus est, præsertim quando tales de pane Domini edunt, & de calice bibunt. Itaque hominem seipsum probare debere, an scil. Christi mortem rectè secum pensitet, & talis sit, qualem Christus esse vult. Negat etiam, sacramentum esse arrabonem, arram, & pignus redemptionis per Christum, siquidem, quod solius Christi & Spiritûs S. proprium est, id pani & vino minimè sit tribuendum, nec usquam scriptura testetur, per panem & vinum conscientias tranquillari: quin contra Apostolus, præcipiat: hominem priùs se probare, & sic de pane sacro edere debere, quæ probatio supervacanea esset, si homo per Eucharistiam de remissione peccatorum suorum certior redderetur.

SENATUS l) Tigurinus rei novitate turbatus, cavebat, ne publicè libelli Carolostadii in urbe sua venderentur. At Zwinglius & Oecolampadius multò antè in verbis cœnæ tropum inesse agnoverant, quàm viderent, quibus verbis cum expedirent. Itaque Zwinglius pro suggestu hortatus est

Senatum, ut libellos illos, sicuti & alios, ab omnibus legi pateretur, totamque Ecclesiam ad lectionem eorum incitabat, ut eò magis esset ingenua veritatis victoria: Carolostadio idem accidisse dicens, quod tyroni, cui animus & arma ad pugnandum non desunt, sed armorum peritia. Qui nescit quæ corporis pars, quibus armis munienda sit, galeam pectori thoracis loco præfigit, armillis crura tegit, ocreis tempora: ex thorace clypeum facit, &c. Ita Carolostadium veritatem quidem agnoscere: sed quia troporum vim non habeat perspectam, verba non recto ordine collocare atque disponere.

l) Lavaterus histor. Sacrament.

Oecolampadius verò hinc inde scripsit ad amicos, ne Carolostadium propter libellos suos infamarent. Tametsi enim non assequutus esset quod voluisset: tamen rei summam improbandam non videri.

Anabaptistæ m) quoque, tametsi Zwingsii sententiam, quam non ignorabant, nequaquam probarent, Carolostadii tamen probabant, & libellos ejus longè lateque spargebant. Et Balthasar Pacimontanus Pastor in Waltshut, vir eloquens, quem Thomas Muncerus, ex Thuringia eò veniens, corruperat, Oecolampadio tantum non gratulatur, quod illi non displiceant libelli à Carolostadio super Eucharistia editi. n) *Tametsi*, inquit, *non est assequutus quod voluit, id tamen res est, quod scripsit. Hanc sententiam jam pridem libens ex te evulsissem: sciebam etenim, aut fortè divinabam, te à nobis nihil dissidere. Verùm tum semper respondebas mihi sub quodam velamine, & quidem non incircumspectè: nam ita postulabat temporis opportunitas. Sed nunc est hora, quâ palam & super tecta prædicamus, quæ antehac mussitabamus in penetralibus.*

m) Zwinglii operum Tom. 2. p. 244. b.

n) Epistolâ 1. Lib. 2. epistolarum Zwinglii & Oecol.

Mox ut Carolostadii libri prodierunt, Zwinglius Epistolam scripsit ad Matthæum Alberum, Reutlingensium Ecclesiasten, quem cum fratre quodam de Eucharistia disceptationem instituisse intellexerat: in qua scribit: hactenus longè à scopo fuisse aberratum: Carolostadii sententiam Leoni Judæ, fratribus aliis & sibi non improbari: sed offendi multos tum obscuritate verborum, tum scommatis intempestivis, Tigurinos imprimis suos eo, quòd ab ea via, quam ipse ingressus fuisset nonnihil Carolostadius abhorreret. Deinde docet: edere Corpus Christi, nihil aliud esse, quàm credere corpus Christi pro nobis esse mortuum, idque demonstrat:

1. *Ex sexto capite Johannis, ubi de spirituali manducatione agitur, cujus in cœna sacra institutum sit signum.*
2. *Ex verbis institutionis, ubi EST exponit per SIGNIFICAT: quia Cœna Domini sit signum corporis Christi pro nobis traditi: id quod evincant verba addita: Hoc facite in mei memoriam.*
3. *Ex verbis Lucæ: Hoc est novum Testamentum in meo sanguine. Ergo non ipse sanguis.*
4. *Ex verbis Pauli 1 Cor. 10. qui manifestè docet, quod, qui panem edunt & poculum hauriunt, cum reliquis fratribus in unum corpus coalescant; quod quidem corpus Christi sit, eò, quod corpus Christi, hoc est, quòd carnem auctoris sui pro se mactatam, & sanguinem ejus pro se fusum esse credant.*

In calce adjurat Alberum per omnes vivos & mortuos, ut ne cuiquam mortalium hanc epistolam communicet, nisi quem constet in fide Christi Jesu sincerum esse. Tiguri 16. Novembris 1524.

ARGENTINENSES o) quoque Theologi, Wolfgangus Fabritius Capito mense Octobri, & Martinus Bucerus, cui cæteri ministri omnes subscripserunt, mense Decembri hujus anni, publicis scriptis docuerunt: mittendas esse contentiones, & cogitandum de usu sacræ cœnæ, h. e. ut Capito loquitur, fidem nostram pane & vino Domini per memoriam carnis & sanguinis illius tantùm pascendam: vel, ut Bucerus nomine omnium Pastorum loquitur: panem ibi edendum, vinum bibendum, & illico ad spirituale deveniendum, memoriam mortis Christi. Sic enim edendum panem, vinum bibendum, ut traditionis corporis & sanguinis semel factæ recordemur, atque ita spiritualiter, vereque carnem illius edamus, sanguinem bibamus.

o) Agenda Ecclesiæ Argentinensis anno 1598. edita.

LVTHERVS successu doctrinæ Carolostadianæ perturbatus mense Decembri ad Amsdorffium scribit: p) *Nobis nihil est, nisi unde humiliemur. Nam Carlstadii venenum latissimè serpit, accessit ejus sententiæ Zwinglius Turegi, & Leo Judæus, aliique multi constanter asserentes, in sacramento esse purum panem, sicut in foro, &c.*

(p Tom. 2. epist. p. 246.

MELANCHTHON verò quasi divinans, in literis ad Joachimum Camerarium: *Ego*, inquit, *rem committo Christo. Et spero adhuc constanter, eum ἀποκαλύψειν καὶ περὶ τούτου τὸ πράγματος τὴν ἀλήθειαν*, hoc est, patefacturum esse etiam ista de re veritatem.

Erant hoc tempore, qui renascentibus Ecclesiis Evangelicis consultum esse putabant: si coactâ Synodo de ceremoniarum in omnibus Ecclesiis conformitate certi quid decerneretur. A quorum sententia abhorrebat Lutherus. q) *Mihi*, inquit, *non satis tutum videtur, Concilium ex nostris cogi pro unitate Ceremoniarum statuendâ. Est enim res mali exempli, quantumvis bono zelo tentata, ut probant omnia Ecclesiæ Concilia ab initio. Ita ut & in Apostolico Concilio ferme de operibus & traditionibus magis quàm de fide sit tractatum, in posterioribus verò nunquam de fide, sed semper de opinionibus & quæstionibus disputatum, ut mihi Conciliorum nomen penè tam suspectum & invisum sit, quàm nomen liberi arbitrii. Si una Ecclesia alteram sponte non vult imitari in externis istis, quid opus est Conciliorum decretis cogi, quæ mox in leges & animarum laqueos vertuntur? Imitetur ergo altera alteram liberè, aut suis moribus sinatur frui, modò unitas spiritûs salva sit in fide & verbo, quantumvis sit diversitas & varietas in carne & elemento mundi.*

q) Tom. 2. epist. p. 243.

CASPAR r) Schwenckfeldius Nobilis Silesius Kal. Januarii edidit librum inscriptum Jacobo Episcopo Vratislaviensi, quem hortatur, ut puram Evangelii doctrinam amplectatur. Sed eo tempore adhuc sensit cum Luthero.

r) Bucholcerus.

Idem

Idem undecimâ Junii scribit ad Fridericum Lignicensem s) Ducem de abusu Evangelii, ad securitatem carnis.

s) Crantzhemius.

LUTHERUS Dominicâ XX. Trinitatis die nono Octobris deponit cucullum Monasticum.

Idem hoc anno edidit,

Psalterium Davidis Germanicè.

Librum contra seditiosos.

Epistolam ad Principes Saxoniæ adversus Iconomachos & Enthusiastas.

Librum de exaltatione Benonis, cùm ossa Benonis Episcopi Misnensis more solenni Misnæ effossa, exaltata atque collocata essent in tumbam marmoream, XIV. Maji: quæres aliis religioni fuit, aliis joco & risui.

THOMAS Müncerus Stolbergensis & Concionator Allstetensis edidit scripta quædam adversus Lutheranos, quibus meram effudit rabiem. Liber adversus Lutherum ab eo scriptus, dedicatus & nuncupatus est Christo, Principi, ut ipse loquitur, Illustrissimo, &c. Item Lutherum flagellat, quod Enthusiastico spiritu careat, & nihil nisi carnalia sapiat. Idem ad Melanchthonem scribit epistolam feriâ quintâ post Annunciationis, cui hæc verba inseruit: *Non in solo pane vivit homo: sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Videte, de ore Dei, & non ex libris proficiscitur. Testimonium quidem verbi veri ex voluminibus est. Nisi enim in corde oriatur, verbum hominis est, damnans scribas versipelles, qui furantur oracula sancta Jeremiæ 23. Nunquam eis Dominus loquutus est, & ipsi usurpant verba ejus. O charissimi, operam navate, ut prophetetis, alioqui Theologia vestra non valebit obulum. Considerate Deum vestrum è vicino, & non à longè.*

Idem hoc anno edidit protestationem suam unà cum Apologia de fide & baptismo, ex quibus apparet, eum fuisse hominem fanaticum, qui semina doctrinæ Enthusiastarum sparsit, & incautos homines prodigiosis *κενοφωνίαις* fascinavit & dementavit.

ANNUS CHRISTI M D XXV.

CURSUM doctrinæ Evangelicæ etsi multa sunt hoc anno remorata, tamen sparsa illa subinde latiùs, & ut à multis hostibus oppugnata, ita non paucorum constantiâ quasi de novo fuit confirmata.

Cursum Evangelii remorata sunt in Germania & extra Germaniam, bellum rusticanum & Sacramentarium: in Helvetia & Moravia secta Anabaptistica: in Silesia, secta Schwenckfeldica: in Boëmia, Apostasia Caroli Ducis Monsterbergensis: quibus adde, si placet, nuptias Lutheri, alienissimo tempore celebratas.

BELLUM RUSTICANUM multùm nocuit Evangelio. Nam qui in Suevia coïerant rustici, Articulorum Magistratibus propositorum primo liberam Evangelii prædicationem sibi concedi armatis precibus postulabant. Et qui motus in Thuringia plebejos rusticosque susciavit Thomas Müncerus, præco fuerat Evangelicus, sed ab Evangelio Christi ad somnia Diaboli, & à somniis ad seditiones publicas dilapsus. Hinc passim in Germania Pontificiorum in Evangelicos auditæ voculæ: *Hinc novæ doctrinæ, hinc Evangelii Lutheranici fructus?* a) In Gallia etiam clarissimam Reginam, Francisci Regis captivi matrem, quidam in hanc sententiam pertrahere conatus est, ut obstaret doctrinæ Evangelii, tanquam pacis turbatrici. *In Germania enim omnia esse mixta, neminem audire Principum imperia, & turbata prorsus esse omnia.*

a) Zwinglius præfatione commentario de vera & falsa religione ad Franciscum Galliarum Regem, præfixâ.

b) LUTHERUS ut scandalo huic occurreret, glisciente adhuc dissidio, antequam plebeji arma sumpsissent, edito scripto, omnes à seditione, velut flagitiosissimo scelere, non solùm externo facto, verùm etiam verbis & cogitationibus fugiendo, dehortatur. Deinde articulis agricolarum respondens, præcipuè sibi postremum caput, quòd verbo Dei meliora edocti, cedere veritati cupiant, probari ostendit. Postea ordine cum verbo Dei plerosque pugnare ostendens, concludit: etsi omnia postulata justissima essent: tamen per seditionem & arma, sceleratè adversus Magistratum sumpta, rapi non debere, & gravissimas pœnas, præsentes ac æternas, in proposito perseverantibus, comminatur.

b) Sequentia scripta Lutheri reperiuntur Tom. tertio operum ejus Germ. Jen. Summa verò eorundem Latinè legatur apud Sleid. lib. V.

Eodem tempore ad Principes & Nobilitatem scribit: Ipsos Principes esse seditionis hujus causam, Ecclesiasticos inprimis, quippe qui Evangelii sinceram prædicationem impediant, & opprimere atque eradicare cupiant ex subditos oneribus intolerabilibus, & exactionibus injustis gravissimè premant: quas opes iniquè corrasas, postea luxu turpissimè profundant. Itaque necesse esse, ut à persequutionibus Evangelii, & ab injusta oppressione subditorum desinant: &, quæ emendanda sint, corrigant, nisi gravem Dei iram, & vindictam experiri, & impendens à subditis suis exitium incurrere velint. Et monet Principes præterea: ut omnia pacis media priùs quærant, quàm armis decernant: incertos enim esse belli eventus & arma faciliùs sumi quàm deponi.

Tandem utrisque sigillatim commonefactis, communem illis epistolam scribit: & quòd malam utrique causam tueantur, monet, ut ab armis discedant, & disceptatione causam finiant. At rusticis nihilominus progredientibus, & non Pontificiis solùm, sed Nobilitati bellum facientibus, Lutherus alio evulgato scripto, hortatur & instigat omnes, ut velut ad commune restinguendum incendium, sic ad istos conscleratos latrones trucidandos accurrant. Qui libellus, ut nimis acer, à multis vituperatus, sed à Luthero prolixè fuit defensus.

Prodibant passim & alia Evangelicorum scripta in Germania, quibus retundebantur eorum clamores, qui motuum & seditionum causam in renati nuper Evangelii doctrinam conferebant. Inter alia, nihil novi esse, Evangelici docebant, doctrinæ puræ adscribi, quod hominum peccatis promeritum sit. Romanos temporibus Apostolicis universales calamitates sibi immitti, propter religionem Christianam, putasse; cum tamen ipsi essent reipublicorum incommodorum, & malorum illices, apud quos Deus sperneretur, statuæ adorarentur; id quod ex Tertulliani Apologetico, ex Cypriano contra

Deme-

Demetrium, ex Auguſtino de civitate Dei, ex Oroſio denique clarum ſit.

c) PHILIPPUS quoque Melanchthon à Ludovico Electore Palatino ſuper articulis Ruſticorum conſultus, confutationem articulorum illorum ſcripſit, & conſilium adjecit. Incendium hoc Ruſticorum non aquâ ſed ſanguine multorum millium in bello hoc cæſorum, reſtinctum eſt.

c) Exſtat confutatio 2. Tom. oper. Luth. Germ. Wittebergæ editorum fol. 97.

BELLUM SACRAMENTARIUM continuarunt Saxones, Helvetii, Suevi.

In SAXONIA Lutherus Caroloſtadium, Joannes autem Bugenhagius Eccleſiæ Wittebergenſis Paſtor, Zwinglium, publicis ſcriptis adoriuntur.

Lutherus ſtatim ſub initium anni reſpondet ad libellos Caroloſtadii, libro, quem inſcribit, *Contra cæleſtes Prophetas* (Prophetas enim tum Wittebergæ nominabant Anabaptiſtarum primitias, de revelationibus arcanis & ſpiritu prophetico gloriantes, Ciconiam, Müncerum, Cellarium, & qui his familiaris fuerat, Caroloſtadium) Librum illum Lutherus in duas ſecat partes: primâ de imaginibus, Caroloſtadio, & Miſſa agit, affirmaque Imagines in veteri Teſtamento prohibitas eſſe, non in novo: Caroloſtadium à ſe non fugatum: Miſſæ nomen etiam ab Apoſtolis, ſacramento tributum, & alia: Alterius materies eſt Euchariſtia: ubi primùm exaggerat expoſitionem Caroloſtadianam pronominis τοῦτο, HOC: deinde reſpondet ad Caroloſtadii argumenta: aitque verba, *quod pro vobis traditur*, hunc habere ſenſum, *corpus quod in pane editis, paulò pòſt, quando non edetur, pro vobis tradetur.* Et ſicut non ſcriptum eſt, *accipite corpus & edite*: ita nec ſcriptum eſſe: *accipite panem & edite.* Dictum Chriſti, *Caro non prodeſt quicquam*, non de carne Chriſti, ſed de ſenſu carnis, qui mors eſt, Rom. 8. eſſe intelligendum. Fractionem eſſe diſtributionem corporis: ſanguinem Chriſti, qui pro nobis effuſus, nunc ſedere ad dextram Dei: ſed efficaciam illius effuſionis eſſe perpetui temporis. Denique neſciri, quomodo panis fiat & ſit corpus Chriſti. Verbis Chriſti inhærendum.

JOHANNES BUGENHAGIUS Pomeranus epiſtolam Latinè & Germanicè edit de cœna Domini, in qua pro orali manducatione pugnat contra Zwinglium, argumentis: quod Zwinglii doctrina nova ſit: ex ſomniis probetur: Evangeliſtis nullibi EST pro SIGNIFICAT uſurpetur: dictum, *caro non prodeſt quicquam*, non de carne Chriſti, ſed de carnali intelligentia accipiendum: ſecundum Paulum 1. Cor. 10. communicetur corpus & ſanguis Chriſti: & indigni rei fiant, non panis ſed corporis 1. Cor. 11.

In HELVETIA Zwinglius & Oecolampadius cauſæ ſacramentariæ à Caroloſtadio motæ, patrocinium ſuſcipiunt, repudiata tamen violenta interpretatione Carlſtadiana particulæ HOC: quam Carlſtadius ipſe abjecit Zwinglii & Oecolampadii ſcriptis lectis.

ZWINGLIUS d) rogatu Italorum & Gallorum, ut ipſus fatetur, ſummam doctrinæ Chriſtianæ libello eo complectitur, quem *de vera & falſa religione* inſcripſit: in quo ſuam quoque de Euchariſtia ſententiam explicat: nempe eſſe eam gratiarum actionem, & communionis gratulationem eorum, qui mortem Chriſti annunciant. Deinde multis probat, Chriſtum capite ſexto Johannis non loqui de manducatione ſacramentali: Tum ex ſcriptura locos adducit, in quibus negari non poteſt, vocem EST, pro SIGNIFICAT, eſſe poſitam: Poſtremò evidenter demonſtrat, etiam in verbis cœnæ EST pro SIGNIFICAT neceſſariò accipi: & coronidis loco ex Patrum teſtimoniis manducationem oralem deſtruit, ſpiritualem adſtruit. Hoc Commentario (e) Zwinglii non pauci ſic moti ſunt, ut, cùm ante nihil de hac ſententia audire vellent, poſtea mitigati, eam diligenter perpenderint.

d) Exſtat Tom. 2. oper. Zwinglii.

e) Lavaterus.

Quia vero Zwinglio feſtinanti quædam in hoc Commentario exciderant, ideo menſe Auguſto Subſidium de Euchariſtia ſcripſit: in quo novis argumentis tropum ſtabilit in verbis cœnæ, & ſex objectiones adverſariorum diluit. (f) Triumphare videtur hìc Zwinglius hoc argumento:

f) Vide Tom. 2. operum Zwinglii.

Si propria eſſet locutio HOC EST CORPUS MEUM, corpus aut pro corpore Chriſti naturali & patibili, aut pro corpore glorioſo, aut pro corpore myſtico, nempe Eccleſiâ, acciperetur.

At non pro corpore naturali & patibili.

1. *Sic enim edi non poſſet niſi dentibus: à qua manducatione ipſe Chriſtus avocat Johann. 6. Caro non prodeſt quicquam.*
2. *Et ſic diſcipuli aliter ediſſent quàm nos: tum enim nondum erat in cruce cæſus.*
3. *Quomodo potuiſſet corporaliter edi, qui in cruce corporaliter debebat extendi?*

Nec pro corpore glorioſo:

1. *quia ſic diſcipuli aliter ediſſent quam nos.*
2. *quia à reſurrectione adſcendit cælos.*

Nec pro corpore myſtico, *quod eſt Eccleſia:*

Quia ſequitur: quod eſt traditum.

Ergo.

Tandem vigeſimâ tertiâ Octobris (g) Zwinglius reſpondet epiſtolæ Joannis Bugenhagii. Docet autem: ſententiam ſuam de cœna novam non eſſe, ſed fuiſſe Chriſti, Apoſtolorum, Patrum. Scriptores cùm tropis utantur, non addere Commentarium, quo tropos exponant: ſe vidiſſe quidem, tropum ineſſe verbis cœnæ, ſed in qua voce, non vidiſſe, donec epiſtolam Batavi cujusdam legerit: Dictum Chriſti, *Caro non prodeſt quicquam*, non loqui de carnali intelligentia: quia contextus aliud urgeat, & qui ſtatuit, *carnem prodeſſe*, is duas ſalutis vias ſtatuat: Denique κοινωνίαν apud Paulum non paſſivè accipi, ideo communionem rectiùs verti quàm communicationem; ſenſum eſſe: Poculum cui benedicimus, eſſe ſymbolum & proteſtationem, quod habeamus communionem in ſanguine Chriſti, hoc eſt, quod Chriſtiani ſimus, ſive ſocii Chriſti, cœtus ille, qui eſt corpus Chriſti, & cujus Chriſtus eſt caput. Verbis illis, *reus erit corporis Chriſti.* Paulum non velle aliud, quàm, Chriſti inſtitutum prodi ab eo, qui non eâ mente accedit, qua oportet. In Epilogo deprecatur certamina cum Evangelicis fratribus: monet, ut & Pomeranus & alii à convitiis ſibi temperent, ac cauſam ſolis ſcripturis & rationibus, non clamoribus tribunitiis agant: ſat hoſtium habituros ſe in grege Pontificio: concluditque, *Non poſſe ex integro Antichriſtum profligari, niſi & errore Conſubſtantiationis profligato corruat.*

g) Exſtat reſponſio Tom. 2. operum Zwinglii.

OECO-

OECOLAMPADIUS Basilex cum collegis nonnullis idem docebat quod Zwinglius. Cum igitur passim audiret Carolostadianus, & ab amicis etiam rogaretur, ut publico scripto sententiam suam de Eucharistia explicaret, libellum hoc anno edidit *de genuina verborum Domini,* HOC EST CORPUS MEUM, *expositione:* in quo originem manducationis oralis refert ad Petrum Lombardum Sententiarum consartiatorem, quem & ipsum, scribit, errorem suum Rapsodo alii, uti Damasc. vel Gratiano, affricare posse. Lombardum enim distinctione 10. l. 4. proscindere & insectari tanquam insanos hæreticos, qui asserunt, Christum eo tropo dixisse, *hoc est corpus meum,* quo Paulus dixerat: Petra est Christus: nec animadvertere Lombardum, se hæreseos hac ratione arguere præcipuos & antiquissimos Doctores, qui in hac sententia fuerint: Deinde diluit argumentum: *Quæ captum transcendunt, non sunt viribus humanis indaganda. Ergo de sacramentis nihil inquirendum.* Ac probat sacramenta non esse ex genere ἀκαταλήπτων & incomprehensibilium. Nec esse in Eucharistia quòd vel miraculum sit, vel captum hominis excedat. Diluit calumnias concionatorum, qui vociferantur, negari ab iis Evangelia & Deitatem Christi, & totum Christianismum everti, qui oralem manducationem carnis Christi negant. Docet etiam, non fuisse grave Spiritui sancto, ita moderari verba, ne alicubi ansam seducendi accipere potuissent, sed αἰνιγματικώτερα nonnulla esse voluisse, ut videntes non videant, & ἀποκάλυψις misericordiæ Dei donum cognoscerétur. Tandem transit ad statum causæ, probatque, verba cœnæ Dominicæ, *hoc est corpus meum,* eodem tropo dici, quo illa Apostoli, Petra erat Christus. Neque enim insolutam, nec ignotam scripturæ hanc esse expositionem, cùm nihil alienius sit Synusiastarum interpretatione: tropum necessariò hic statuendum: absurda infinita sententiam contrariam consequi: Patres ad unum omnes stare à tropo: Postremò aliis atque aliis sacræ scripturæ dictis sententiam suam tam eruditè tuetur, contrariam tam fortiter refellit: ut Erasmus Roterodamus sexto nonis Octobris hujus anni ad Michaelem Budæ, Episcopum Lingonensem, non dubitârit scribere, quæ subjungo: h) *Exortum est novum dogma, in Eucharistia nihil esse præter panem & vinum. Id ut sit difficilimum refellere, fecit Joannes Oecolampadius, qui tot testimoniis, tot argumentis eam opinionem communiit: ut seduci etiam posse videantur electi.* Qui idem à Senatu Basilienſi sententiam super hoc libello rogatus respondit: i) *legisse se Oecolampadii libellum, &, suo judicio, esse doctum, & artificiosè compositum, Christianum etiam dicere velle, si quid Christianum dici posset, quod adversatur decretis Ecclesiæ, à cujus judicio periculosum sit recedere.*

h) Lib. XX. epist. p. 741.
i) Urstisius.

Cæterùm ad k) Melanchthonem scribit Oecolampadius: Augustinum sibi primùm vellicasse aurem, & revocasse à sententia, in qua ante fuerat. Antequam verò Dominus eum respexit, ut scribit ad Bellicanum, supra modum religiosus erat, ac planè superstitiosus, adeo ut etiam spiritui in se loquenti contradiceret. Quoties enim seriem verborum institutionis cœnæ Dominicæ apud Evangelistas legebat, aliam in cortice medullam subesse, in animum incidebat, quod tamen levi certamine refutans cogitabat, ut plerique alii: Num tu aliis vis sapientior esse? Credendum est, quod alii credunt. Sæpenumero seipsum accusabat, quid in aliorum pectoribus lateret, non cogitans, Tu ne solus tam abjectus es à facie Domini, ut illic repugnes, ubi ferè nemo? Sæpe antiquorum Doctorum lectione infirmitatem suam vincere conabatur, sed principio non occurrebat, quo juvaretur. Crebrò erat obvium: *corpus Domini & sanguis Domini:* sed *qualiter* corpus, *qualiter* sanguis rariùs explicabatur, & valde obscurè. Pendens itaque ab aliorum judicio, parum rectè sentiebat. Tandem se motâ authoritate hominum veritas ei fulgidior affulsit, ut ultra Papisticam sententiam inferre opus non esset. Suam verò hinc inde cum amicis contulit. Integrum jam annum fermo de cœna Domini per ora omnium volarât, priusquàm quicquam hac de re evulgasset.

k) Lavaterus.

Misit Oecolampadius libellum suum Fratribus per Sueviam Christum annuntiantibus, rogavitque ne sibi succenserent ob veritatis indagationem: scriptum suum judicarent, at non secundum faciem: charitatem primo loco commendatam sibi habeant, addito hoc epiphonemate: *Error condonari potest, modò fides adsit in Christum. Discordiam, neque si sanguinem fundamus, expiabimus.*

Hac occasione arreptâ duodecimâ Octobris ad Oecolampadii libellum respondent doctores Suevici numero quatuordecim, Halæ congregati, edito libello, cui titulum fecerunt l) *Syngrammatos,* quod à pluribus conscriptus esset. Afferunt in isto libello argumenta 1. contra tropum, 2. pro literali sensu, 3. pro præsentia corporali. Estque sententia Suevorum: Quemadmodum ad serpentem æneum sanationem attulerunt verba illa: *Qui percussus aspexerit eum, vivet:* ita verba cœnæ, *Hoc est corpus meum* ad ferre ad panem corpus, & ita in pane jam corpus realiter existere. Scripserunt inter alios Erhardus Snepfius Wimpinensis, & Joannes Brentius Halensis Ecclesiæ minister, qui Syngrammatos auctor fuisse creditur.

l) Utrumque scriptum conjunctim est editum Basileæ 1526.

His Oecolampadius statim ac eodem hoc anno Antisyngramma opposuit, in quo ostendit ille ministris Suevicis, ipsos quæ evertere studerent, argumentis suis propriis incogitantissimè stabilire & asserere.

ZWINGLII de Suevorum syngrammate judicium in calce epistolæ ad Theobaldum Billicanum legitur hoc: *Nihil hac tempestate in lucem prodisse video, quod commendatione esset indignius, cùm propter vim, quæ in eo libro sacris literis fermè toties intentatur, quoties adducuntur, ac immodicum fastum: tum propter novum exemplum, ac immodestiam. Oecolampadium virum innocentissimum, ac omnis tum pietatis, tum eruditionis specimen, adeo impurè tractant, à quo plerique tamen hauserunt, quæ in linguis sciunt, ut non objurgatione, sed execratione dignum sit, hoc pacto ἀντιπελαργεῖν.*

m) LUTHERUS ubi rescivit Carolostadium Argentinæ adhærere, prolixam ad Argentinenses scribit epistolam, qua illis lucem doctrinæ Evangelicæ gratulatur, eosdemque ad constantiam & concordiam, & ad tolerandas calumnias, injurias & insectationes

ctationes hortatur: inprimis autem, à Carolostadii veneno sibi caveant, monet, renovatâ memoriâ colloquii Orlamundici, quo in loco Carolostadiani etiam vitæ suæ essent insidiati.

m) Tom. 3. oper. Germ. Jen. Et Tom. 2. epist. Luth.

n) Contra, Argentinenses Gregorium Caselium, Hebraicæ linguæ Professorem, Wittebergam mittunt, rogatum, ut ne Lutherus charitatem fraternam & unionem Ecclesiæ propter controversiam Eucharisticam violet, Zwinglium & Oecolampadium, viros doctos & integros pro fratribus agnoscat: de cœna scribat & edoceat, quæ vera esse credat. Quibus Lutherus per Caselium respondet: pace nihil esse optabilius: silere autem perpetuò, non esse integrum: responderi non posse, si damnari non liceat: & damnandi verbum pro convitio rapiatur: se à modestissimis illis, ut carnivoram, & esculenti Dei, impanatique cultorem traduci: consilium Argentinensium sibi non probari, quod fideles avocandi sint, à quæstione corporis & sanguinis præsentis, & solo verbo & fide sint exercendi: alterutros esse Satanæ ministros, vel ipsos, vel se, ideo hic nulli consilio aut medio locum esse: rationes, quæ pro tropo adferantur, nullas esse. o) Probandum, verbum *est*, non alicubi in scripturis, sed in isto loco pro *significat* accipiendum. p) In illo, *Petra erat Christus*, Paulum non de corporali, sed de spirituali loqui, siquidem addatur: *bibebant de spirituali petra.* Manifestum etiam lapsum esse in illo: *agnus est transitus Domini.* Hanc enim phrasin nusquam in scriptura haberi. Per Christum igitur se rogare fratres, ut ab hoc errore abstineant.

n) Tom. 2. epist. Luth. pag. 302.
o) Notat Zwinglium.
p) Notat Oecolampad.

CAROLOSTADIUS sub initium hujus anni vagabatur passim per superiorem Germaniam, & tandem consedit Rotemburgi ad Tubarim, tumultuans more suo, ut loquitur de eo Lutherus, imaginibus. q) Sedato autem tumultu rusticorum cùm ministri Evangelici Rotemburgenses r) securi percuterentur, & ingens civium numerus, erutis luminibus, ad extremam mendicitatem redigeretur, elapsus Carolostadius per sportam de muro Rotemburgensi, dimissus est.

q) Tom. 2. epist. p. 280.
r) Erhardus Schneppius in Confessione sua.

In his angustiis positus, libellum efficit, quo se diligenter ac solicitè purgat, & ab iis, qui ipsum inter seditionis authores ponant, injuriam sibi fieri demonstrat: & scriptis literis valde orat Lutherum, ut hunc libellum edat, & suam innocentiam tueatur, ne indictâ causâ vitæ ac bonorum discrimen sibi sit adeundum immerenti. s) Lutherus editâ epistolâ, tametsi graviter à se dissentiat ille, tamen, quòd in his difficultatibus ad se confugiat potiùs quàm ad alios, qui ipsum in se concitârint, nolle se spem illius atque fiduciam fallere, dicit, præsertim cùm hoc etiam proprium sit hominis Christiani. Rogat igitur Magistratum, & in universum omnes, quandoquidem & crimen intentatum à se removeat, & notionem non recuset, & legitimo judicio parere velit, ut hoc ipsi concedatur. Hoc enim esse plenum æquitatis & officii. Pòst hæc Carolostadius alterum mittit Luthero libellum, quo profitetur, ea quæ de cœna Domini scripserit, non definiendi, sed disputandi, & veritatis eruendæ causâ scripsisse. Lutherus excusationem accipit: t) monet tamen homines, quoniam ipsemet dubitare se testetur, nec certum quid definiat, ut ab ejus opinione sibi caveant, aut, si fortè & ipsi dubitent, eòusque differant, donec, quid certò sequantur, appareat. Nam in iis, quæ nobis credenda sint, minimè hærendum, aut vacillandum esse: verùm adeo certam cognitionem esse comparandam, ut potiùs quàm à sententia discedamus, millies mori non recusemus. Atque in hoc quidem sui ipsius immemor fuit Lutherus, quippe qui initio reformationis, ad Leonem Papam & Episcopum Brandeburgicum scripserat, u) *inter propositiones suas de indulgentiis esse quædam, de quibus dubitet, nonnulla ignoret, aliqua neget, nulla pertinaciter asserat.*

s) Extat Tom. 3. oper. Jenen. Germ. pag. 108.
t) Extat Tom. 3. oper. Germ. Jen. pag. 155.
u) Vide supra ad annum XX.

De Carolostadio sic tum fuit judicatum: aut seriò illum ad Lutherum ista scripsisse, aut simulatè. Si seriò, improbandam esse adhibitam priùs ab illo in defendenda thesi, de qua dubitaret, vehementiam: sin simulatè, levitatem ingenii culpandam. Quicquid sit, per Lutherum ab Electore Saxoniæ tandem impetravit, ut fide publicâ in Saxoniam sibi redire liceret. Quin antequam Elector assensisset, apud Lutherum in monasterio, nemine, nisi Wolffgango, Lutheri famulo, conscio, Carolostadium latuisse, sunt qui affirmare non dubitent. x)

x) Erasmus Alberus contra Carolostadianos.

INTEREA Argentinenses Theologi, quamvis moderatissimi, tamen hæreseos nomine passim traducebantur, inprimis Norimbergæ. Wolffgangus igitur Capito 18. Novembris ad Andream Osiandrum scribit: *Audio quibusdam in causa esse, cur adversa de nobis suspicentur, quod imperiosis factionum capitibus non subscribamus. Ecquid, hoc, obsecro, rei? Num decet Christi professores ab humano pendere die? Coram Deo tibi atque Domino nostram profiteor fidem. Credimus Christum Jesum pro nobis crucifixum, per quem Dominus salutem orbi promisit ac præstitit: hoc unum prædicamus omnes & omni tempore. Rebaptizatores non recipimus, qui ad elementum aquæ vim Christianismi alligant, contra verum scripturæ sensum. Deinde Christum, qui est via & veritas, tenemus in materia Eucharistiæ. Sunt enim, qui articulum fidei faciunt, dicentes: corpus Christi corporale verè in pane & vino esse. Rursum qui necessarium ajunt, ut nudum credamus panem. Neutrum recipimus, quia uterque puritatem fidei inficit, concordiam Ecclesiarum scindit, laqueos ponit animis simplicium, januam novæ tyrannidi aperit. Nam sunt scripturæ mysteria haud rapienda protinus ad necessitatem credendi. Mihi liberum est, quod tibi, tanquam peritiori articulus esse poterit. Scio, si quid amplius fuerit necessarium, Dominum esse revelaturum. Regulam fidei certam retinebimus mordicus, & perstabimus in libertate, ad quam nos Christus redemerit.*

HÆC y) Evangelicorum certamina jucundum animi pabulum erant Pontificiis, qui se Zwinglii & Oecolampadii adversariis jungebant, eos collaudabant, in precio habebant, ac tantum non ignoscebant eis, quicquid etiam jacturæ hactenus ab eis fecissent.

y) Lavaterus.

In HEL-

In HELVETIA z) rem Christi plurimùm hoc anno remorata est secta Anabaptistica. Cum enim superioribus annis Thomas Müncerus venisset in Helvetiam, corrupit Balthasarem Hubmaierum Pacimontanum, disertissimum Walshutensium Evangelistam, Felicem Manzium, Cunradum Grebelium, Tigurinos & plures alios. Balthasar circa Pentecosten hujus anni edit librum de Anabaptismo, quo multos seduxit. a) Zwinglius Nonis Novembribus ei publico scripto respondet. Manzius & Grebelius inhiabant in Reformatione Ecclesiæ Tigurinæ Canonicatibus & professionibus linguarum. Voti sui cùm per Zwinglium non statim fieri possent compotes, amore in odium converso, Zwinglii actiones vituperârunt, multa in illius reformatione, præsertim restitutionem Anabaptismi desiderantes. Senatus glisceuti malo occursurus, die decimâ septimâ Januarii Zwinglium & Manzium cum assecIis in Curiam vocat: Manzius rationibus Pœdobaptismum oppugnat, quòd pueri non sint baptismi capaces, mysterium non intelligant: fide careant: & quod Apostoli nullos infantes baptizârint. Zwinglius ordine ad singula respondet eo modo quem expressit libro de baptismo Senatui Sangallensi dedicato. Finito colloquio, Senatus edicit, ut omnes quieti sint. Anabaptistæ contra, Deo magis quàm hominibus obediendum, clamant. Vicesimâ igitur Martii de voluntate Senatûs Zwinglius iterum cum illis congreditur. c) Anabaptistæ cum disputationibus nihil profici viderent, & non deessent, à quibus Evangelii doctrinam prorsus exterminatam volentibus, in furore suo confirmarentur, ad alia conversi, veritatem dogmatis sui se sanguine suo obsignaturos, vociferabantur. Itaque hinc inde in urbis angulis aliquos rebaptizabant, per compita etiam clamabant: *Væ Tiguro, væ Tiguro! Age pœnitentiam, Tigurum: brevi interibis.* Magistratus, ne quid Respublica detrimenti caperet, alios in carceres conjicit, alios proscribit. Novæ hinc audiri querelæ, *qui puro puto Dei verbo vel stare vel cadere velint, illos carceribus & exilio multari.* Rogatu igitur Zwinglii Senatus ad solennem disputationem, mensis Novembris die sextâ habendam, Anabaptistas vocat. Comparent. Triduum disputatur. Tandem prosilit Anabaptista quidam, & Zwinglium per Deum vivum adjurat, ut sibi veritatem dicat, (persuaserat enim sibi Zwinglium in conscientia convictum tacitè favere Anabaptismo) Cui Zwinglius: Ego verò faciam. Dico te rusticorum seditiosorum in ditione Tigurina esse Principem. Ad quæ verba Anabaptista obmutuit, cæteri riserunt.

z) Chronicon Bullingeri MS.
a) Tom. II. operum Zwinglii exitat, Chronicon Bullingeri MS.
b) Tom. II. operum Zwinglii fol. 57.
c) Bullingerus de Anabaptistis.

Disputatione finitâ Senatus Felicem Manzium, Grebelium, & cæteros Anabaptistarum patriarchas in curiam vocat, & iis Anabaptismo graviter interdicit. Qui cùm se minimè obtemperaturos præ se ferrent, in custodiam quidem ducti, sed statim fuêre dimissi, cum comminatione pœnæ severioris. Edictum etiam promulgat Senatus die Andreæ Apostolo sacrâ, quâ Acta disputationis paucis repetit, Anabaptistos victos esse, confirmat: subditis igitur mandat: ut Pœdobaptismum retineant: ab Anabaptismo sibi caveant. Omnia frustra. Sancitum igitur, ut deinceps Reipublicæ pœnas præsenti morte penderent, qui vel Anabaptismum professuri vel hujus Professores hospitio accepturi, aut quo, quo modo essent adjuturi.

BASILEÆ d) hoc anno Oecolampadius quoque cum Anabaptistis congressus est. Cumque passim isti de victoria ab Oecolampadio reportatâ gloriarentur, edidit ille Germanicè colloquii cum Anabaptistis habiti Acta.

d) Acta colloquii.

WALSHVTI e) Balthasar Hubmeier, Pacimontanus, primus illorum Evangelista, Anabaptismum strenuè hoc anno propagabat calamo & voce: atque ut in casses suos, quos vellet, pertraheret, simulabat, se Ecclesiam istam desertûrum, quippe qui ibi sementem in petra faceret. Noverat autem, se effictim ab auditoribus suis amari. Accurrit igitur magna multitudo, denuò tingitur: comminuuntur baptisteria. Cives nonnulli à novitate ista abhorrent: dissidium animorum oritur, quod Austriacis oppidum sine sanguine, & Episcopo ordinario imperium Ecclesiasticum sine vi restituit, religione Pontificiâ postliminio illuc reducta.

e) Historia reformationis Sangallensis.

Balthasar ex oppido elapsus, f) *Tiguri apud viduam quandam subiit. Senatus ubi id rescivit, suspicatus hominem idem monstrum alitarum, quod reliqui Catabaptistæ, eò quòd clam in urbem irrepsisset, stringi hominem jubet, ac in prætorio liberâ custodiâ servari. Pòst tertium verò, quartum, aut nescio certò, quem diem, jubet subito Engelhardum, Leonem, Myconium, Sebastianum, Megandrum, alios, & me adesse: ubi venimus, exponunt, qui à Senatu adhoc constituti fuerant: quomodo Balthasar dudum ad se literas dederit, quibus pollicetur, se Zwinglium suis scripturis superaturum de Baptismo. Quid multa? Congrediuntur. Ibi objicit cæcus homo, quod ante annos aliquot de Catechumenis docendis tradideramus in 67. Conclusionum: non enim intellexerat, nos istic in hoc esse, quod pueri etiamnum æquè atque olim fidei rudimenta doceantur: quod ipse ad Baptismum retulit, parum prudenter: quasi dixerim meum esse consilium, ut mos non tingendi infantes postliminio reducatur, cùm ego de more imbuendi pueros fidei rudimenta locutus sim. Ubi se hac parte videret erravisse, blandulus fuit. Processimus post multam conflictationem, in qua Testamentum istud perpetuum agnoscere noluit. Ventum est ad caput secundum Actorum, ex quo probavi, Christianorum liberos inter principia censos esse ad Ecclesiam: cumque multa responsaret, ad claram atque disertam responsionem eliciebam, ut diceret: anne concederet pueros istos in Ecclesiam fuisse, nec ne: at ne quicquam, omnia tentabam. Ibi ingenuè fateor, cùm & istum locum 1. Corinth. 10. Patres nostri omnes in Mosen baptizati sunt &c. admoverem ad compellendum eum, ut agnosceret pueros contineri, etiamsi eorum nulla prorsus mentio fiat: illeque nollet dicere, vel non, vel etiam, me vehementiùs invexisse in hominem: sed non aliâ re, quàm quod Catabaptismo suo miseros cives suos traxerit in dissidium, quod jam ipsos perdiderit. Hoc ad magnum temporis modum ubi duravit, sic homo redargutus ac superatus, artem novam orditur: postulat, ut Leo, Myconius, & Sebastianus sibi*

denitur,

dentur, ut cum illis ſolis conferat: ſperabat arrogans homo, iſtos ad ſe blandiloquentiâ ſuâ pertracturum. At ubi neque ſic videt procedere conſilium, eosdem iterum impetrat, ac poſt multas verſutias huc deſcendit, ut dicat, ſe recantaturum. Id autem Senatus non cogebat, niſi non voluiſſet ab urbe abire: nihil enim gravius ſtatuebat in eos, qui Catabaptiſmi cauſam deſerere noluiſſent, quàm quod relegaret. Veniunt interim legati Imperatorii, poſtulantes hominem ad ſupplicium: qui eis breviter negatus eſt, per legem, quâ cavetur, ut qui ob aliquam noxam civis in nervum conjiciatur, ob eam ſolam reus fiat. Sic peccavit in hominem iſtum Senatus, defendit ab impetitione Cæſaris, tanquam civem. At hîc ſuccurrit, eum fuiſſe in nervo, antequam in liberam cuſtodiam ſit poſitus: utcunque res habeat, liber tum erat, cum congrederemur, diúque poſtmodum in Pratorio liber adſervatus fuit. Scribitur ergo revocationis forma, non ex præſcripto Senatûs, aut quorumcunque, ſed ſuâ ipſius manu. Cumque ipſam in templo, cui Abbatiæ nomen eſt, prælegiſſet, finito ſermone, quem nos ad populum habueramus, protinus abnegat revocationem coram totâ concione: occaſionemque dicendi nactum eſſe putans, multa adducit contra Baptismum infantium, & Catabaptiſmum munit. Hic fama conſtans fuit (ſed ego divinationem arbitror) clam cum hoc doctum eſſe, quo motus aliquis fieret: ſpem enim habebant, me protinus, abſoluto ſermone, abiturum. Conjicitur denuo in nervum, tenetur iſtic menſem, aut longiùs. Ibi tandem ſic ait: Dicit ſe prorſus ignorare, quod revocationem vitiaverit: ac ſi aliter ſit locutus quàm promiſerit, ſe aliquid à Dæmone paſſum eſſe. Concinnat novam revocationem. Nos ad amicos ubique adcurrere, orare, ut miſericordia homini impertiatur, deturque Senatus: datus eſt. Offerentique ſeſe ad palinodiam decretum per miſericordiam, ut diſertam revocationem faciat: quâ factâ, ocyus è finibus faceſſat. Hic ego, ego inquam, Engelhardum, Leonem, Megandrum, coëpiſcopos adeo, ac oro, ut pro homine precibus apud Senatum velint nobiſcum intercedere. Nam ſi protinus poſt revocationem ejiciatur, periculum imminere homini tam ab Helvetiis noſtris, quàm à Cæſare. Audivit Senatus preces noſtras, ac poſt revocationem quàm ex animo facere ſimulabat, cum nihil minus eſſet, ſpatium latendi immerenti dedit, donec occaſione inventâ tutus abire poſſet. Quâ datâ, per Senatorem quendam, virum in Evangelio Chriſti fidelisſimum, allegatus eſt clam, ut ejus abitionem ne cives quidem ſenſerint. Vide, mi Petre, quo candore ſimus hominem perſequuti, quâque perfidiâ nobis reſponderit. Nam ut primùm Conſtantiam venit, apud miniſtros verbi ſic nos calumniatus eſt, victoriamque ſuum de Catabaptiſmo jactavit, ut neſciam, an nullos in odium noſtri traxerit. Tam incauti ſunt quidam ad hypocriſis deprehenſionem. Nos omnia diſſimulavimus. Abiens bonos iſtos viros ſic movit, ut 10. aureis eum donaverint: quum ipſe plus auri ſecum aut cum uxorcula habeat, quàm omnes iſti argenti. Sic abutuntur noſtrâ ſimplicitate, qui pietatis ſimulatione quæſtum faciunt. Nos dexteritatem ſpectamus in homine, ac mediocritatis ſtudium: In eo autem homine (falli cupio) nihil quàm immoderatam rei gloriæque ſitim deprehendiſſe viſus ſum ipſe mihi.

Cæterùm Balthaſar iſte dimiſſus in Moraviam venit, Anabaptiſtis ſe aſſociavit, ubi cum novos motus ſuſcitaſſet, captus & cum uxore Viennam ductus, ipſe quidem igne exuſtus, uxor verò ejus aquis ſubmerſa periit.

f) Zwinglius epiſtolâ ad Petrum Gynoræum.

SANGALLENSIS Eccleſia per Anabaptiſtas variè fuit exercita. Anno 1524. venit eò Laurentius quidam, diſcipulus. Cunradi Grebelii, & Joannis Kesleri auditorium ingreſſus, prælegentem VI. caput D. Pauli ad Romanos, publicè interpellavit, errorisque argüit de Pœdobaptiſmo, hoc argumento: quod perinde eſſet, infantem, ac felem baptizare, cum inſcitia rerum divinarum in utroque ſit eadem. Cui reſponſum à Keslero: magnum eſſe diſcrimen inter bruta animantia & infantes. Hos enim ad vitam æternam creatos, bruta animantia non item. Horum eſſe fœdus gratiæ, illorum non item. Laurentius alterum Lectorem San-gallenſium Wolffgangum Ulmian privatim aggreſſus, veneno ſuo infecit. Hic Ulmian hoc anno 1525. Scaphuſii incidit in Cunradum Grebelium ipſum, à quo in Anabaptiſmo ita confirmatus fuit: ut non niſi in Rheno nudus ſubmergi, atque ita more Apoſtolico baptizari vellet. Domum reverſus jactat revelationes divinas in itinere ſibi factas; rogatus à civibus, ut in templo illas exponeret, renuit, forum, aut quemcunque alium locum delegit: in templo (nondum dum remota erant omnia idola) veritatem nec dictam, nec dici poſſe, ait. Objectum, *ab uno*, magnis precibus à Senatu locum illum obtentum: levitatis fore, eum deſerere. *Ab alio*, Apoſtolos, non coëgiſſe homines in certo loco convenire, ſed gaviſos fuiſſe, ſi audiri poſſent, ſive in ſynagoga, ſive in templo, coram Diabolo & inferno: eosdem per verbum prædicatum Diabolos & idola ejeciſſe, non per Diabolos & idola ejectos fuiſſe. Hæc omnia nihil ille moratus, cum ſuis in civium ædibus, in pratis, in montibus conventicula celebrat: reliquos pro Ethnicis habet. Quæ prima fuit Evangelicorum in oppido San-gallenſi ſciſſio.

Ulmian, propter ſeditioſas conciones captus, oppido ejicitur: anno autem 1527. cum quinque aliis Walſeæ cum quinque aliis in conſtanti fidei Anabaptiſticæ profeſſione à Pontificiis eſt occiſus.

Venit mox in oppidum San-gallenſe Grebelius ipſe, concionatur ibi Dominicâ Palmarum: venit eò & Hippolytus quidam ruſticus facundus, multa propter Evangelium paſſus: is per feſtos paſchatos dies de inſigni Anabaptiſmi fructu diſſerit: multos ſectæ adjungit: exacto octiduo domum reverſus à Suitenſibus captus, & vivus, geſtibus moriendi alacritatem teſtantibus, eſt crematus.

Videbantur ſibi Anabaptiſtæ parvam Hieroſolymam inveniſſe in oppido San-gallenſi. Apoſtolos igitur imitaturi in omnem terram egreſſos, quotidie manè & ipſi in vicina loca egrediebantur, paſtores Evangelicos auditoribus ſuſpectos reddebant, loco movebant: &, ne propter imperitiam literarum autoritas ſua vileſceret, exordiebantur conciones ſuas à dicto Chriſti: *Gratias ago tibi, pater, Domine cæli & terræ, quòd hæc occultaveris ſapienti-*

pientibus, & intelligentibus, & ea detexeris infantibus. Deinde proteſtabantur, nihil ſe loquuturos, niſi quod divinitus ſibi eſſet revelatum. Tum vitæ integritatem præ ſe ferebant: frugales in victu: viles in veſtitu: in ſermone parci: in diſputatione autem ſupra modum erant vehementes: parati mori potius quàm cedere. Juſtitiam operum urgebant majore zelo quàm Papiſtæ: qua re conſcientiæ Evangelicorum plurimùm perturbabantur: ut qui non ita pridem didicerant, in fidei juſtitia vitam quærendam.

Laboranti Eccleſiæ Sangallenſi ſuccurrit Zwinglius libello de Baptiſmo edito. Oppoſuit ſe quoque Anabaptiſtis Joachimus Vadianus, Reipublicæ Medicus. At illi à defenſione theſeos de Anabaptiſmo progreſſi ſubinde longius in alios atque alios errores in fide & vita delapſi ſunt.

Venit ad Sangallenſes Joannes Denkius Bavarus, Norimbergenſis dictus, quod aliquando ludum literarium Norimbergæ gubernaſſet. Is in ea erat hæreſi: neminem hominum, neminem etiam Diabolorum in æternum perditum iri: ſiquidem *Deus velit omnes homines ſalvos fieri*: & Chriſtus dicat: *unum paſtorem & unum ovile futurum.* Vir fuit doctus, demiſſi animi, Hebraicæ linguæ peritus: qui Prophetas cum Ludovico Hetzero in Germanicam linguam tranſtulit. Reſipuit tandem, converſus ab Oecolampadio, quo præſente peſte quidem, ſed piè obiit Baſileæ 1528. Rediit etiam eò Antonius Kursner, qui docebant, Chriſtiani veri nomen tueri neminem poſſe, niſi qui publicè peccata ſua confiteretur, abuſus dicto Apoſtoli Jacobi: *Alii aliis peccata ſua confiteantur.* Cœperunt igitur plurimi enormia ſua delicta profiteri, alius furta, alius adulteria, alia alius, non ſine admiratione audientium, non ſine ſtomacho conjugum, maritis talibus nihil non imprecantium.

Hunc proximè excepit Anabaptiſta alius, Aurifaber dictus, qui fretus enunciato Servatoris, ſed Nicodemicè accepto: *Niſi fiatis ut parvuli, nequaquam ingrediemini regnum cælorum*, monebat homines pasſim in pagis, præſertim in ditione Abbatis-Cellæ: ut pueris ſe moribus, geſtibus, ſermone conformarent. Vidiſſes ridiculas puerorum & puellarum imitationes: fœminas præſertim, exilientes manibus plaudentes, nudas in terra ſedentes, luſitantes.

In ipſo oppido ad S. Gallum Magdalena Mollerina, virgo erat caſtis moribus. Illa rebaptizata venditabat, ſe modò pro Chriſto ipſo, ſecundum illud: *Eritis ſicuti Dii:* modò pro meretrice illa magna, Antichriſtum paritura, de quo Apoc. XII. ſcriptum eſſet. Sedit nuda in conſpectu ſuorum, & ſurgens. Qui ingredi vult in regnum Dei, me, ait, ſequatur. Anabaptiſtæ illam ſequuntur: foris non inveniunt: paulò pòſt comparet madida ad umbilicum usque in lecto collocata pòſt bihorium horrenda eloqui incipit: proculdubio Spiritu Pythonis à Marone ſexto Æneidos celebrato agitata.

Non multò pòſt Anabaptiſtæ omnem vitæ prioris rationem immutârunt. Quos antea quælibet veſtis paulo cultior, quælibet cœna lautior, quilibet ſermo hilarior tantopere offenderat: ii nunc utuntur veſtibus Phrygiis, acu pictis, ſcutulatis, holoſericis & bombycinis: in vino quærunt commeſſationes & ſcorta: &, quod planè Diabolicum, turpiſſimis factis nomen, voluntatem, juſſa Dei prætendunt. Erat qui honeſtiſſimi civis filiæ pudicitiam eripuerat: voluntatem Dei prætexebat. Thomas quidam fratrem Leonhartum in præſentia parentum decollabat: Abrahæ, Iſaacum imolaturi exemplo ſe defendebat. Ad hæc atrocia facinora, cum connivere Magiſtratus ampliùs non poſſet, edictis & pœnis hominum iſtorum petulantiam compreſſit.

Atque hæc de Anabaptiſtis Helveticis.

g) In reliqua Germania cum nullibi tuti eſſent, MORAVIA venali illos hoſpitio excepit. Illuc catervatim confluxit quicquid è plebe & infima multitudine fraudibus, dolis, & impoſturis ſuis irretitum tenebant Anabaptiſtæ. E Bavaria eò profecti Jacobus Hutterus, & Gabriel Scherdingus, primi Eccleſiæ Anabaptiſticæ in Moravia conditores celebrabantur. Hi conſiliorum ſuorum miniſtros habebant, quibus in provincias vicinas, Sileſiam, Poloniam, Auſtriam, Boëmiam, miſſis, colligebant maximam hominum multitudinem, qui bonis ſuis divenditis, & in manus Gabrielis, Hutterique traditis, duriſſimam in Moravia ſervitutem ſervierunt. De Huttero quid factum, ignoro. Gabriel Moraviâ ejectus, in Poloniæ finibus obiit: quatuor è primariis doctoribus emiſſariis, Glogoviæ capite multati ſunt: Hutterianorum reliquiæ hodieque in Moravia durant, ſed quæ Gabrieliſtas damnant.

g) Annales Sileſiæ Joachimi Curæi.

SILESIACAS Eccleſias ex alto ſuperſtitionum Papiſticarum ſomnio vix expergefactas illicò turbabat Caspar Schwenckfeldius, nobiliſſimo genere in Ducatu Sileſiæ Lignicenſi natus, ad reſtinguendas incendii Sacramentarii flammas non aquâ ſed oleo allato. Negabat ille, corpus & ſanguinem in pane & vino eſſe: ſed verba inſtitutionis ita interpretabatur: *Corpus meum eſt hoc*, id eſt, cibus animæ, panis cœleſtis, qui eſt ipſemet Chriſtus: cum tamen Chriſtus, ut panis cœleſtis, non ſit κοινωνία Chriſti, quod dicitur manifeſtè de pane facto: & non benedicamus Chriſto, quod manifeſte dicitur de calice. Negabat idem: *naturam Chriſti humanam eſſe creaturam;* tum quod originem à Deo traheret, tum quod deificata eſſet caro Chriſti: qui contra ſentiunt, *Creaturiſtæ* illi vocabantur. *Scripturam, ſive verbum Dei*, ajebat *literam mortuam eſſe, in qua neque vita eſt, neque ſalus.* Qui ſecus docebant, eos Vocaliſtas & Literaliſtas nominabat. De juſtificatione idem ſentiebat, quod poſtea Andreas Oſiander: horum enim ſententiæ ſunt eædem, modi tantùm loquendi diverſi. Fides ipſis eſt ipſe Deus inhabitans. Præterea multus erat in commendatione novæ vitæ, in deteſtatione malæ: ardentes ad Deum preces creberrimè fundebat, vitam agebat ſobriam & caſtam, adeo ut magni nominis Chronologus Abraham Bucholcerus ſæpe dixerit: *Schwenckfeldio non defuiſſe cor bonum, ſed caput regulatum.* Dementabat multos magnificis iſtis verbis, quæ ſemper illi in ore: Erleuchtung, Offenbarung, Vergöttung, innerlicher geiſtlicher Menſch. Hoc eſt: *illuminationis, revelationis, deificationis hominis interioris & ſpiritualis.* Sic faſcinavit Valentinum Crautwaldium & Joannem Sigismundum Wernerum, Paſtores & Profeſſores Lignicenſes. A Friderico Duce Sileſiæ in exilium abire juſſus anno 1527. oberravit paſſim in ſuperiori Germania, Argentinæ (ubi Capitoni impoſuit, qui libellum ejus quendam præfatione ornavit) Ulmæ, (ubi cum Martino Frechto co-

to coram Senatu de doctrina sua conflictatus est,) Augustæ (ubi clam conventus egit & concionatus est,) Norimbergæ, & hinc inde in Nobilium, Baronum, Comitum aulis. Scripsit multos Tractatus, plurimas epistolas Germanico idiomate; Refutatus à Theologis in Helvetia, Suevia, Hassia, Saxonia, Silesia, à Luthero autem anno 1545. planè rejectus. Summam omnium dogmatum Schwenckfeldii, eorundemque confutationem Lector reperiet in Joannis Wigandi Schwenckfeldianismo, cujus vitulâ Schlüsselburgius in Catalogo suo Hæreticorum aravit. Obiit Caspar in Suevia anno milesimo quingentesimo sexagesimo primo, ætatis septuagesimo primo, errorum suorum fautoribus hinc inde in claris familiis Nobilium & Patriciorum relictis. De discipulis ejus in Silesia hoc invenio in chartis meis Abrahami Bucholceri, qui sæpe cum illis congressus est, judicium. *Schwenckfeldiani ter sunt miseri: nec se nec alios intelligunt. Non se: quia non intelligunt se dicere pugnantia, & quod non sit firma consequentia in eorum ratiocinationibus. Non alios, idque non tam naturali sua tarditate ingeniorum, quàm eò, quòd tenentur irretiti suis quibusdam Enthusiasticis laqueis, unde se extricari summam putant impietatem.*

BOEMICI h) Regni gubernator Carolus Dux Münsterbergensis Lutheri doctrinæ faverat hactenus. At in conventu Pragæ acto circa finem Januarii hujus anni, Romanam fidem profitetur, Lutherum damnat. Idem fecerat paulò ante i) Gallus Caherus Administrator, ex summo Lutheri amico summus ejus hostis factus. Horum usi auctoritate Pontificii, vicesimâ quintâ Januarii hos articulos condunt:

1. *Compactata* (sic vocârunt capita quædam, secundum quæ inter Calixtinos & Pontificios res componeretur, quæ Synodus Basilienses approbavit & confirmavit) *ab omnibus approbata & recepta, à nemine violentur, aut alio sensu depraventur, sine contentione observentur.*
2. *Si quidem Compactata ob unitatem, pacem ac fraternum amorem colendum recepta approbataque sunt, velut & pactum pristinum tabularum regni confirmatum habet & nos repudiatâ omni hæresi observantes ritus & ceremonias antiquitus receptas in celebratione S. Missæ pro filiis S. Ecclesiæ sine æmulatione, ob concordiam declarati sumus, nullus hæreticorum factiones promoveat.*
3. *Statuimus, ne posthac quis quenquam hæretico aut Schismatico nomine, aut quâvis ignominiâ & injuriâ lædat, aut quoquo modo offendat: imò apud Regem instabimus, ut is autoritate suâ summo Pontifici nos commendet, quatenus possimus inter alias nationes pro veris Catholicæ Ecclesiæ Matris filiis recipi & publicari.*
4. *Quod Parochias & Ecclesias attinet, hæc secundum priorem contractum, ut tabulæ Regni habent, maneant.*
5. *In hoc quoque convenimus, ut verbum Dei à solis sacerdotibus & Diaconis, ritè ab Episcopis ordinatis, prædicetur, cum permissione sui Prælati: hoc tamen & laicis non prohibetur, ut in ædibus privatis Biblia legant familiæ, sine omni additione seu expositione.*
6. *Quantum ad ordinationem Diaconorum & sacerdotum, quorum penuriam sentimus, Regem rogabimus, ut apud sedem Apostolica nobis obtinere dignetur: ut studiosi ab Archiepiscopo & Episcopis, tam sub una quam sub utraque specie, sine dilatione ordinentur.*
7. *Volunt, ut Apostolica sedes & Rex hæc omnia ratificent & confirment, ne quis posthac quicquam labefactare præsumat. Pikhardorum dogmata & conventicula omnino abjiciunt, damnant, & execrantur.*

h) Boëmiæ Piæ lib. VII.

i) Ibidem.

k) Prætendebatur autem decreti severitati, quod fratrum religio sola obstaret reconciliationi Boëmorum cum Romana Ecclesia, & paci ac tranquillitati, quæ exinde Regno contingeret, cum Papa, quò minus pacta Basilienses confirmarentur, hoc unum objiceret: esse plures diversasque sectas in Boëmia. Hæc quasi procella adversæ fortunæ Fratres afflixit non multò diutiùs anno uno. Nam post calamitosam & deplorandam mortem Ludovici Regis, qui anno sequente commisso prælio infelice cum Solimanno Turcarum Imperatore & cum copiosissimo atque instructissimo exercitu, omnibus rebus impar congressus, fusis profligatisque suis, in fuga interiit: Post hujus igitur obitum rebus omnibus in Boëmia mirificè conturbatis, cum aliæ curæ hanc de exagitandis. Fratribus reprimerent: neque cogitationes de Regno solicitos jam Proceres de religione esse sinerent, rursum ante occlusa templa Fratrum conventibus erepta, aperire & occupare licuit, quibus liberè usi sunt, nemine quidem penitùs prohibente, sed multis tamen difficultatibus & adversis sese offerentibus usque ad annum ferme Christi MDXLVIII.

k) Camerarius de Ecclesiis Fratrum in Boëmia & Moravia.

INTER impedimenta, quæ propagationi doctrinæ Evangelicæ hoc anno objecta sunt, nuptias quoque Lutheri retulimus. Scripserat is superiori anno ad Spalatinum, cum rumor de conjugio ejus sparsus esset: l) *Se quidem in manu Dei esse, sicut creaturam, cujus cor mutare ac remutare, occidere & vivificare possit singulis momentis & horis: hoc tamen corde quo hactenus fuerit, & modo sit, non fore uxorem ut ducat: non quod carnem suam aut sexum non sentiat, cum neque lignum neque lapis sit, sed quod animus alienus sit à conjugio, cum expectet quotidie mortem & meritum hæretico supplicium.*

l) Tom. 2. epist. p 245.

Ecce m) autem dum Lutherus de Catharina à Bora, virgine Vestali Doctori Glacio, Pastori Orlamundico, collocanda deliberat, venit Catharina ad Nicolaum Amsdorffium, conqueriturque, se de consilio Lutheri D. Glacio contra voluntatem suam nuptiis locandam: scire se Lutherum familiarissimè uti Amsdorffio: itaque rogare, ad quævis alia consilia Lutherum vocet. Vellet Lutherus, vellet Amsdorffius, se paratam cum alterutro honestum inire matrimonium: cum D. Glacio nullo modo. Hoc ubi Lutherus intellexit, audissetque ex D. Hieronymi Schurfii ore: *Si Monachus iste uxorem duceret,*

ceret, risuros mundum universum & Diabolum ipsum, facturumque ipsum irritas actiones suas universas: ut ægrè faceret mundo & Diabolo, ut parenti etiam hoc suadenti gratificaretur. n) Catharinam sibi uxorem ducendam censuit: Mensis igitur Junii die XIII. inopinato duxit Lutherus Boream, cum nullo amicorum eâ re priùs communicatâ, sed vespere ad cœnam invitato Pomerano & pictore Luca, & Jurisconsulto Apello solis, peregit consueta sponsalia.

m) Ex narratione Germanica Ambsdorf. quæ reperitur in reliquiis Bibliothecæ Friderici Widebrami.

n) Melanchr. epist. ad Camerarium.

Factum hoc amici pariter & hostes Lutheri improbabant. AMICI, non quòd nuptias ipsas damnarent, sed quod hoc tempore celebratas nollent: madente adhuc universâ Germaniâ Rusticorum sanguine: lugente adhuc Friderici Electoris obitum tota Saxoniâ. Inter hos erat & magnus ille Joachimus Camerarius: cui curæ erat ut omni probro careret Lutherus. Hujus in solatium judicium super nuptiis. Lutheri suum exponit Melanchthone pistolâ Græcâ: quæ in Romanum sermonem conversa ita habet: o) *Possit fortasse aliquis mirari, illum hoc infelici tempore, bonis & honestis viris ubique graviter laborantibus, non modo non affici simul dolore, sed videri propemodum nihil penitus curare ea mala, quæ ante oculos versantur: cum interea etiam existimatio ipsius deminuatur, dum maximè opus est Germaniæ excelsitate animi & dignitate ipsius. Atque ego rem hanc sic gestam esse arbitror. Est vir iste nequaquam ex iis, qui homines oderunt & congressus fugiunt. Quotidianæ autem vitæ illius usum non ignoras. Unde cogitare te cætera, quàm me scribere, melius, ut opinor, fuerit. Itaque mollitum fuisse quodammodo generosum & magnum animum ipsius, non est mirandum: præsertim cum nequaquam culpandum aut reprehendendum sit. Nam si quid vulgo fertur aliud indecentius, id mendacium, & hanc calumniam esse, perspicuum est. Ego etiam naturam arbitror ipsum coëgisse, ut fieret maritus. Estque vita ista humilis illa quidem, sed sancta, ac si qua alia: & nuptiæ honoratæ in sacris scripturis perhibentur. Quod autem in re intempestivum & inconsultum inest (in quo maximè delicias obtrectandi & accusandi studium adversariorum faciet) videndum ne nos conturbet. Isto enim sub negotio fortasse aliquid occulti, & quiddam divinius subest, de quo nos curiosè quærere non decet, neque curare nugas deridentium & convitia facientium quorundam, à quibus neque pietas ad Deum, neque ad homines virtus exercetur. Quoniam verò ipsum Lutherum quodammodo tristiorem esse cerno, & perturbatum ob vitæ mutationem, omni studio & benevolentiâ consolari eum conor. Neque ausim sanè ego tanquam erratum seu lapsum istud factum condemnare: tametsi Deus multa veterum sanctorum nobis errata seu lapsus exhibuerit, quia vult nos exquirentes verbum ipsius, non adhibere in consilium dignitatem personamve hominis, sed verbum ipsius tantùm. Rursum verò maximè is impius est, qui propter Doctoris erratum seu lapsum condemnat ipsam doctrinam. Verùm ego (quemadmodum dixi) non existimo quicquam hac in parte commissum agendo, quod defendi nequeat, aut omnino accusari debeat. Præterea multa habeo, quæ argumento præclarè sunt, Dei amante esse hunc pietate præditum: ut contumelioši, & maledici in Lutherum, nihil aliud, quàm opus efficiant Sycophantarum & scurrarum, undique coacervantium ea, de quibus impudens lingua accusationis veluti viatico instrui possit. Erit etiam, meo quidem judicio, ne inutilis quidem casus iste ad demissionem quandam pertinens, cum altè sustolli & efferri semper sit periculosum, non solùm sacerdotio fungentibus sed cunctis mortalibus. Nam actionum felicitas occasionem dat pravitatis elati animi, non modò, quemadmodum orator inquit, dementibus, sed interdum etiam sapientibus. Ad omnia, alia vita aliam quoque victûs quotidiani rationem constituet, secundum proverbium. Ista ad te exposui verbosius, ne eventus inopinatus nimis te perturbaret, & tristitiâ afficeret. Scio enim, tibi boni nominis Lutheri celebritatem curæ esse.*

o] Epistolæ Philippi ad Camerar.

HOSTES non solùm tempus decantati Hymenæi notabant, sed nuptias etiam ipsas incestas esse confirmabant, quibus Monachus cum Vestali copularetur. Itaque Henricus VIII. Anglorum Rex responso ad epistolam, quâ Lutherus, suasu Christierni Daniæ Regis, illum oratione demissâ placere studuerat, inter alia ei exprobrat incestum matrimonium, quo vix ullum designari possit turpius flagitium. Et Doctor Conradus Collinus Prior Colonienſis peculiarem tractatum contra hoc Lutheri matrimonium edidit, cujus titulus fuit: *Eversio Lutherani Epithalamii.* Hieronymus Emserus, Theologorum Pontificiorum illâ ætate facilè primus, & Duci Saxoniæ Georgio à sacris, virulentum mordaxque epithalamion in Lutheri nuptias lusit: quod apud Cochlæum in vita Lutheri legere est.

Quin nec ab impudentibus mendaciis sibi temperarunt, & Lutherum ejus criminis reum peregerunt, à quo ipsum chronologia nativitatis liberum absolvit. Erasmus ipse, quod mireris ad Danielem Manchium, Ulmanum, Romæ in familia Cardinalis Campegi agentem, sextâ Octobris hujus anni Basileâ ausus fuit hæc scribere: p) *Lutherus, quod felix faustumque, deposito Philosophi pallio, duxit uxorem, ex clara familia Bornæ, puellam eleganti formâ, natam annos viginti sex, sed indotatam, & quæ pridem desierat esse Vestalis. Atque ut scias auspicatas fuisse nuptias, pauculis diebus post decantatum Hymenæum nova nupta peperit. Jocatur ille in Crisim sanguinis: verum ea crisis Orco dedit agricolarum plus minus centum millia, &c.*

p) Epistola exstare scribitur in Bibliotheca Nobilis viri Philippi Cratzii, Præpositi Moguntini.

Lutherus etsi ob inopinatam vitæ mutationem & varia ista hominum de se judicia, nonnihil perturbaretur: tamen ubi se collegit, ad Michaëlem Stifelium q) scribens, *Tu*, inquit, *pro me ora, ut genus vitæ novum benedicat mihi Deus & sanctificet. Nam vehementer irritantur sapientes inter nostros. Rem coguntur Dei fateri, sed personæ larva tam meæ quàm puellæ, illos dementat, & impia cogitare & dicere facit. Sed*

Dominus

Dominus vivit, qui major est in nobis, quàm ille, qui in mundo est, & plures nobiscum sunt, quàm cum illis. Et ad Georgium Spalatinum feriâ sextâ post Trinitatis: r) *Os obstruxi infamantibus me cum Catharina Borana, mi Spalatine, si processerit ut epulum paretur pro testimonio conjugii mei istius, te non modò adesse oportebit, verùm etiam cooperari, si quid ferinæ necessarium fuerit. Tu interim nobis benedicito & bene precare. Sic me vilem & contemptum his nuptiis feci: ut Angelos videre, & omnes Dæmones flere sperem. Nec dum mundus & sapientes agnoscunt opus Dei pium & sacrum, & in me uno faciunt id impium & Diabolicum, quo nomine magis placet, meo conjugio illorum judicium damnari & offendi, quotquot ignorantiam Dei habere pergunt. Vale & ora pro me.* Et iterum ad Stifelium die Michaëlis: s) *Mi Michaël, fortis esto in Domino frater charissime, & roborare in potentia virtutis ejus. Si meum conjugium est opus Dei, quid mirum, si in illo caro offendatur, offertur etiam in carne ipsius divinitatis & creatoris, quam ipse pro salute mundi in precium & cibum dedit: si non offenderetur mundus in nobis, ego offenderer in mundo, metuens ne non esset divinum quod gerimus. Nunc illo offenso & impatiente in me, ego ædificor & consolor in ipso, ità fac & tu.*

q) Tom. 2. epist. p. 294.
r) Ibid. pag. 294.
s) Ibid. pag. 300.

Sic igitur impeditus est cursus Evangelii hoc anno per bellum rusticanum & sacramentarium: per Anabaptistas, per Schwenckfeldium: per Apostasiam Ducis Mönsterbergensis & Administratoris Pragensis: per nuptias denique Lutheri. Ejusdem Evangelii publicos hostes se declararunt, Aloisia Francisci captivi Regis mater: Clemens Papa: Henricus Rex Angliæ: Andreas Critius Episcopus Plocensis, deinde Gnesnensis Archiepiscopus.

ALOISIA summam rerum administrabat in Gallia, dum filius Rex Franciscus in Hispania captivus detineretur. Illa retinenda Pontificis causâ sæviebat in Lutheranos, deque hoc suo in Ecclesiam animo Pontifici literis & internuntiis significabat.

CLEMENS VII. t) datis literis ad Senatum Parisiensem (vulgo Parlamentum vocant) *ex illa se cognovisse dicit, quemadmodum & per Galliam serpere jam incipiant impiarum hæresium mala, & ipsi prudenter atque provide quosdam delegerint, qui dent operam, ut in eos, qui fidem atque veterem religionem oppugnare conantur, animadversio fiat. Hos ipsos ad eam rem delectos autoritate suâ se comprobare etiam. In hoc nimirum tanto tamque gravi tumultu, quem Satanæ malitia & satellitum illius furor atque malitia excitârit omnibus elaborandum esse ut salus omnium communis conservetur, quandoquidem hæc rabies non religionem modò sed omnem principatum, nobilitatem, leges, ordinesque confundere atque permiscere cogitet. Se quidem nulli parcere nec labori neque curæ, ut medicinam huic malo faciat. Ipsos etiam, quorum virtus atque prudentia sit ubique memorabilis, debere in hoc esse totos, ut non solùm vera & recta fides verùm etiam istius regni salus, & ipsorum ordinis dignitas à domesticis periculis & calamitatibus custodiatur, quas hæc perniciosa & pestifera hæresis ubique disseminet. Ipsos quidem hortatione non indigere, qui suæ sapientiæ documenta jam ostenderint: sed tamen pro suo, quod obtineat, munere, proque ea quâ complectatur ipsos, benevolentia, voluisse hoc etiam addere. Nam & placere sibi vehementer, quæ adhuc egerint, & hortari, ut imposterum simili animo & virtute pro gloria Dei, & pro totius regni salute contra impiam hanc hæreticorum pestem, diligenter excubent. Hoc & Deo fore longè gratissimum, & apud homines etiam maximis laudibus celebratum iri: se quoque suam ipsis operam omnem in eo communicaturum esse.* Hæ literæ XX. die Maji Româ scriptæ Senatui redditæ sunt Lutetiæ XVI. die Junii.

t) Ibidem.

REX ANGLIÆ u) cum Aloisia Gallia sub Augusti exitum fœdus pangit: cujus hoc primum caput erat: ut & Turcarum impetus, & pestifera Secta Lutherana profligaretur, à qua non minus periculi sit, quàm à Turcis.

u) Sleidanus.

Idem Rex, quo esset in Religionem reformatam animo, abundè expressit Responso ad Lutheri epistolam, cujus, ut & ipsius Responsi regii summa vel propter anni hujus historiam necessariò hoc loco recitanda est: Fuerat Lutherus x) nonnihil subodoratus de proposito Regis in uxore Catharina repudianda & alia ducenda, idque per Christiernum profugum Danorum Regem, qui illum coram & per literas non desiit rogare, ut amanter ad eum scriberet, & illius prædicatâ humanitate spem fecerat, forè, ut leniter tractatus puriorem doctrinam reciperet. Et ille quidem animo prævidens, quod hujus divortii ratione mox sequutum est, haud difficulter acquievit. Scripsit itaque ad eum, idque demissè admodum, & in hanc sententiam. y) Non se dubitare, quin graviter illum offenderit edito libello, sed id factum esse non tam suâ sponte quàm aliorum impulsu. Quod verò nunc ausit his literis interpellare, summâ ipsius humanitate fieri, quæ valde prædicetur à multis; deinde quod libelli contra se scripti non ipsum esse autorem, & à sophistis hoc insidiosè fuisse captatum intelligat. Hic autem per occasionem de Eboracensi Cardinali loquutus, Angliæ pestem nominat. Audire etiam se magna sanè cum voluptate, ipsum & fastidire genus illud perditorum hominum, & ad veri cognitionem animum adjicere. Quâpropter orat, ut sibi factum illud condonet, utque meminisse velit, cum sit mortalis, non oportere inimicitias esse immortales. Quod si jubeat, velle se peccatum hoc suum profiteri palàm, & ipsius virtutem alio celebrare scripto. Pòst hortatur, ut calumniatorum voces defugiat, qui se vocent hæreticum: nam doctrinæ suæ caput hoc esse, quemadmodum fide per CHRISTVM nos oporteat fieri salvos, qui nostrorum scelerum pœnam collo, cervice & corpore toto sustinuit, qui pro nobis mortuus ac resuscitatus, cum patre in sempiternum regnat. Hanc esse Prophetarum & Apostolorum doctrinam, eo posito fundamento, docere se, quæ sint charitatis officia, quid invicem nos oporteat alterum alteri præstare, quomodo sit obediendum Magistratui & Evangelii professioni omnis accommodanda vita. Si quid in ea doctrina sit impietatis &

tis & erroris, cur eum non demonstrent adversarii? cur se nec auditum neque convictum damnent atque proscribant? Quod si Pontificatum, & ipsius omnem clientelam reprehendat, eò facere, quòd illi diversum à CHRISTO & ab Apostolis doceant, quæstûs & emolumenti causâ, quò videlicet reliquis omnibus imperent, & in summis delitiis helluentur: hunc enim in scopum cogitationes illorum omnes atque facta dirigi: hoc etiam vulgo notum esse atque testatum, ut nec ipsi quidem negare possint. Quod si mores emendarent nec alieno cum dispendio & injuria vitam hanc ignavam ducerent atque turpem, facilè posse dissidium sedari. Germaniæ Principibus ac civitatibus non paucis dogmata sua probari, qui beneficium hoc Dei reverenter agnoscant: cupere se plurimum, ut & ipse in eo numero censeatur. Quod verò Cæsar & quidam alii contra se moliantur, non esse novum: Davidem multis ante seculis prænunciâsse futurum, ut Reges atque populi contra Dominum atque Christum varia meditentur, & imperium ejus projiciant. Sibi quidem ad ejusmodi scripturæ loca respicienti, mirum etiam videri, ullum esse Principem, qui faveat Evangelii doctrinæ. Postremo loco responderi sibi benignè petit. Acceptâ hac Lutheri epistolâ acerbè Rex respondet, inconstantiam & levitatem illi objiciens. Libellum quoque suum defendit, & multis viris bonis atque doctis pergratum esse dicit. Quod Cardinali Eboracensi (reverendo Patri) convitium fecerit, non in eo se mirari, qui nec à Divorum, nec ab hominum abstineat contumelia. Sibi totique regno perquam utilem esse ac salutarem Cardinalis operam, & cum antehac illum valde semper dilexerit, nunc demum esse majori benevolentiâ complexurum, postquam eum ipse criminetur. Nam illum inter alia hoc etiam utiliter & magna cum fide atque diligentia præstare, ne quid ipsius lepræ contagionis & hæresis in suo regno disseminetur & adhærescat. Post exprobrat, quòd incestum matrimonium cum sanctimoniali virgine contraxerit, quo vix ullum possit designari turpius flagitium. Hanc suam responsionem Rex publicè typis evulgandam curavit, magnopere dolente Luthero, & amicos incusante, qui ejus rei autores sibi exstitissent: iis gratificatum adeo demissè scripsisse se, dicens, nunc autem intelligere, quantum erraverit. Idem sibi accidisse in Cardinale Cajetano, Georgio Saxoniæ Duce, & Erasmo Roterodamo, quibus omnibus aliorum hortatu amanter scripserit, nec aliud sit consequutus, quàm quod eos ferociores reddiderit. Stultè factum à se, qui pietatem in aulis Principum invenire se posse putet, qui Christum quærat, ubi principatum Satanas obtineat, qui Joannem Baptistam inter purpuratos investiget. Cùm igitur placido & amico scribendi genere nihil proficiat, aliam rationem inituram esse deinceps.

x) Annales rerum Anglicarum.

y) Epistolâ exstat Tom. 2. epist. pag. 290.

Et sanè mirè exagitata fuit Lutheri ad Anglum epistola ab ejus adversariis, præsertim verò à Cochlæo & Eccio. Hic enim utramque epistolam, Lutheri puta & Regis, Ingolstadii edidit, cum virulentis epithalamiis in nuptias Lutheri, Joannis Hessi Vratislaviensis, & Urbani Regii Augustani, Theologorum.

ANDREAS CRITIUS Episcopus Plocensis ad Sigismundum I. Poloniæ Regem orationem hoc anno habuit, quâ ipsum vehementer hortatus est, ut hæresi, quam sic vocat, Lutheranæ, omnes vias in suo Regno præcludat. Misit illam typis descriptam non sine auctario carminum ad denigrandum Lutherum compositorum ad Erasmum Roterodamum: z) qui collaudatâ Episcopi poësi & eloquentiâ, quid sibi de oratione ipsa videretur, non aperuit.

z) Lib. XVIII. epist. Erasmi.

NON officientibus tot impedimentis, non obstantibus tot hostibus, religio purior non solùm plura loca occupavit, sed etiam in iis, quæ superioribus annis occupaverat, incrementa minimè contemnenda sumpsit.

Occupavit, Regnum Sveciæ, Landgraviatum Hassiæ, Marchionatum Lusatiæ, magnam partem Rhetiæ: Comitatus, Hanovicum, Altenburgicum, Tecklenburgicum: Dominium Esense: urbes præterea, Northusam in Thuringia, & Haganoam in Alsatia.

a) SVECIÆ Rex Gustavus ab Erxen religionem Pontificiam in Evangelicam vertit, svasore M. Olao Petri Sveco, Academico Wittembergensi. Svasor Holmiæ in primaria æde sepultus est, cujus Ecclesiasten Rex designârat, ante suggestum. Rex sine ullo rerum motu tantam rem incepit & perfecit, temporis momento penè. Nam Antistites in Regiam accitos qui opibus validi erant, comprehendit, & statim per conquisitores horum cohortem ac clientes in verba sua adegit sacramento. Ipsos pòst è custodia & Regno emisit. Quibus patria erat charior quàm religio Pontificia, tulit hos, sed non in veteri, at moderatiori fortuna.

a) Typotius de Regno Sueciæ.

b) PHILIPPVS Hassiæ Princeps Gulielmi Medii & Annæ Megapolitanæ filius, Ludovici nepos, superiori anno ad ludos indictos Heidelbergæ profecturus, non longè Francofurto obviam factus erat Melanchthoni, è patria Wittembergam redituro, & ad quæstiones quasdam sibi responderi scripto postulârat. Hoc autem anno, die Lunæ pòst Oculi cum Joanne Saxoniæ Electore & Joanne Friderico, Electoris filio, Creutzbergæ de religione colloquutus, amore religionis purioris ita incensus est, ut, referente Duce Joanne Friderico, palàm dixerit: c) malle se fortunas & vitam hanc perdere, quàm agnitam Evangelii veritatem deserere. Nicolaus Herborn Guardianus Marpurgensis Landgravium per epistolam hortabatur: à fide Romana ne recederet: causas proponebat has:

Fidem neque salvum neque pium facere.
Mariam revera intercedere pro nobis ad Deum.
Laicis, inprimis rusticis, Evangelii mysteria non esse revelanda.

d) Huic publico scripto Landgravius respondebat: assertioni primæ Guardiani reclamare scripturæ dicta & exempla, contestantia: *justos fide vivere & vixisse.* Assertioni secundæ refragari effatum Apostolicum: *unus Deus & unus mediator Dei & hominum Jesus Christus.* Assertioni tertiæ repugnare sententiam Evangelicam, quæ *omni creaturæ* vult Evangelium annunciari, & nullum personarum respectum apud Deum esse, evincit.

b) Camerarius in vita Philippi.

c) In fragmento Epistolæ tum edito.

d) Ex responso Landgravii.

In MARCHIONATU LVSATIÆ mutationem religionis urbs elegans GORLITIVM, & huic vicina LAVBA admiſerunt. e) Vigeſimâ ſeptimâ Aprilis pagorum Gorlicenſis territorii Paſtores conventum in urbe egêre, in quo plerique omnes unanimi conſenſu ſe Præſulis Miſnenſis obedientiæ ſubtraxerunt, ita ut in poſterum nec tributum ei penderent, nec jurisdictionem ſeu autoritatem ejus agnoſcerent. Pertinuit enim utraque Luſatia ad Miſnenſis Epiſcopi adminiſtrationem ſeu diœceſin. Unde etiamnum Budiſſinenſis Decanus ſe Epiſcopatûs Miſnenſis per ſuperiorem & inferiorem Luſatiam adminiſtratorem vocat. Gorlicenſibus in repurganda ipſorum Eccleſia, & impiis ac ſuperſtitioſis ritibus abrogandis primus operam navavit ſuam M. Franciſcus Ænobarbus (Rotbart ſive Rupert) Gorlicius, coriario patre natus, Sprottavienſium antea Diaconus, Georgio Roslero Conſule. Is cum ſuperioribus annis fuiſſet remotus, revocatur hoc anno intercedentibus nonnullis opificum collegiis, & venit Gorlicium permittente Senatu quintâ Aprilis. Mox abrogantur multi ſuperſtitioſi ritus: Eccleſiaſtici nolente volente Senatu. Viridibus non abluuntur altaria, ut priùs moris erat. Die palmarum non producitur aſinus cum ſuo idolo. Soteriis non circumgeſtatur in templo Salvator, panit tamen conſecratus in ſepulcrum Chriſti reponitur. In Vigilia Paſchatis non conſecratur ignis, nec in ſequente nocte imago reſurgentis & triumphantis Chriſti circumgeſtatur per domum publicam novi fori, in qua ſal venditur. Die Dominicâ Paſchatis inſtituitur confeſſio Evangelica in ſacello, quod vocant D. Georgii, & confitentur homines circiter ducenti: apud ſummum altare circiter triginta.

e) Annales Gorlicenſes.

Proximâ Dominicâ poſt Paſcha, qui fuit dies vicesimus tertius Aprilis de ſuggeſtu Paſtor ſignificat, ut ſi quî poſthac ſub utraque, quod vocant, ſpecie communicare velint, vel populari idiomate baptizari ſuos cupiant, id liberum ipſis futurum. Ac utrumque tum factum fuit. Sunt præterea abrogatæ hoc anno proceſſiones quotannis ſervari ſolitæ: abrogatæ item fuêre Miſſæ & Veſperæ pro defunctis. Sacerdotes raſuram amplius non admiſerunt: nec die aſcenſionis Domini Chriſti imago per tholum funibus attracta fuit, ſed pro iſtis nugis habita eſt à meridie concio: denique pauci obſervârunt veteres ritus.

M. Franciſco Ænobarbo primo præconi Evangelico Gorlicenſium ſucceſſerunt ordine in Eccleſiæ gubernatione: M. Nicolaus Zeidlerus, Wolffgangus Suſtelius, M. Leonhartus N. Sprottavienſis. M. Joannes Petzſteinius, M. Othmarus Epplinus. M. Caſpar Wirtwein. Samuel Janchius, Balthaſar Theodorus, M. Elias Theodorus, Martinus Mollerus, Gregorius Richterus vir literato orbi de editione Axiomatum Oeconomicorum, Politicorum, Eccleſiaſticorum, notiſſimus.

f) RHETI in his temporum & certaminum de religione difficultatibus imitati vicinarum aliquot urbium in Helvetia exemplum, ſuperioribus annis mandârant & ipſi Sacerdotibus ſuis, ut miſſo Thoma, Scoto, Ariſtotele, & omnibus hominum commentis ea tantummodò docerent populum, quæ ſacris literis eſſent conſona. Hoc mandato animati, quos tyrannidis Pontificiæ metus hactenus continuerat, Evangelium liberè profitentur, brevique tempore ita crevit illorum numerus: ut hoc anno cum Joanne Comandro (Dorffmann) Curienſi Paſtore ad S. Martinum, recenſerentur 41. Doctorum Evangelicorum in Rhetia. Non ferendum ſibi hoc eſſe arbitrati ſunt Abbas S. Lucii, & Decanus cum Capitulo Curienſi. In conventu igitur ante feſtum natalis Chriſti diem Curiæ celebrato Ordines Rhetorum confœderatos adeunt, Joannem Comandrum, ejusdemque in profeſſione Evangelii ſocios hæreſeos graviter accuſant: ut qui,

Sacramenta convellant:
Miſſam contemnant:
Scripturam ſanctam miſerè diſcerpant:
Ceremonias Eccleſiæ, jejunia, confeſſionem auricularem, ſacrificia, & id genus alia nullo loco habeant.

f) Chronicon Bullingeri MS.

Atque ut hæreticos iſtos functionibus ſuis moveant, enixè petunt. Ordines Joannem Comandatum ad ſe vocant, accuſationis capita illi proponunt: ad ea ut reſpondeat, mandant. Comander reſpondet: ſe fratresque ſuos mandato Ordinum de ſolo Dei verbo prædicando obſequutos, ſemperque paratos fuiſſe, quibusvis volentibus rationem doctrinæ ſuæ reddere: ſtare ſe & nunc coram Ordinibus ſuo & quadraginta fratrum nomine, & per Deum, per judicium ſupremum, per pacem denique, veritatem & concordiam rogare, Ordines accuſationi fidem ut ne habeant, ſed Chriſtiano colloquio diem deſtinent, & de rei ſummâ parte utrâque auditâ pronuncient. Placuit hoc Ordinibus confœderatis. Dies Dominica, quæ Epiphania proximè ſequitur, diſputationi dicta, de qua anno ſequente agemus.

g) HANOVLÆ Comitatûi ſyncerioris religionis lucem intulit PHILIPPUS Reinhardi VII. ex Catharina Schwartzenburgica filius: quem Carolus V. Imperator & ſuperiori & hoc anno à pio reformandæ Eccleſiæ propoſito per certos homines fruſtra eſt dehortatus. Primum Evangelii præconem aluit Hanovia M. Adolphum Arbogaſtum, Argentinâ à Capitone & Bucero ſibi ſubmiſſum: cui paulò pòſt laborum ſocius adjunctus eſt Philippus Enneobolus Laudenburgo ab Illuſtri Comite Philippo Hannoviam vocatus: qui M. Adolpho fidum ſanè in Evangelii propagatione collegam, & adverſus Evangelicæ doctrinæ tum ibidem adhuc ſubſiſtentes hoſtes animoſum πρασάτην, quà concionando quà conſcribendis etiam Theologicis tractatibus (ut Catecheſis hujus approbat) ſe præbuit: in eoque maximè elaboravit, ut Paſtores hujuſce Comitatûs, & doctiores quoſcunque alios ad Evangelii agnitionem ac profeſſionem pertraheret.

g) Annales Hannovici MS.

h) ALTENBURGICO in Comitatu antiquiſſimo Chriſtophorus & Antonius Comites Altenburgici & Delmenhorſtani lectione ſcriptorum Lutheri, & locorum communium Philippi Melanchthonis, cantilenis item Germanicorum Pſalmorum à Luthero vulgatorum plurimùm oblectati, hoc anno initium fecerunt emendationis Eccleſiarum in Phriſia Butiada, Paſtoribus primis M. Edone Bolingo in Eſensham: Edone Jolrico in Rodenkirchen: Joanne Hechlero in Twiſchenan, & Hermanno Criſpino in Edewech Ammerlandiæ: repugnantibus conatui laudatiſſimo tum matre Comitum Dominâ Annâ, viduâ,

duâ, tum fratribus natu majoribus Joanne & Georgio.

h) Hamelmannus.

i) CONRADUS Comes TECKLENBURGICUS & Lingensis, Dominus Redensis de consilio Philippi Hessorum Principis, affinis sui hoc ipso anno inter Westphaliæ Comites primus Evangelium amplexus est, usus in reformatione Ecclesiarum operâ Joannis Pollii, poëtæ tum celebris, & ab Eobano Hesso commendati.

i) Hamelmannus.

k) In Domino ESENSI regnabat Balthasar Nobilis Dominus in Esens & Witmundæ, qui licet puriori doctrinæ esset addictus, propter hostes tamen, à quibus infestabatur, Ecclesias suas reformare non ausus est. Hoc verò anno M. Joannes Visbeckius Pastor in Burhave (qui ad Septennium studuerat Wittembergæ) Richardus Hicko Pastor in Dunum, & Mammo Folckhardus Pastor in Ardorp, mutuis se cohortationibus ad aggrediendam reformationem incenderunt, quodque fœliciter exorsi sunt, id Enno Comes Orientalis Frisiæ Domini Balthasaris ditionem invadens, perque eam totam Ecclesias renovari curans, absolvit.

k) Idem.

l) NORTHUSÆ Thuringorum Blasius Michaël consulem agebat & Pharmacopolam. Ad hunc mittebatur quicquid primis παλιγγενεσίας Ecclesiæ annis Lutherus scribebat. Cives in pharmacopolio frequentes convenire, libellos Lutheri legere, de iis inter se conferre, & agnitis erroribus Papatus emendationem Ecclesiæ suæ optare. Non defuit optatis Magistratus, sed Laurentium Sussium, monasterii Augustiniani ibidem Priorem ad docendum Evangelium vocat, eique Ecclesiam Petrinam commendat.

l) D. Sigefridus Saccus præfatione concionibus funebribus suis præmissâ.

m) HAGANOÆ in Alsatia Wolffgangus Fabritius Capito Argentinâ evocatus confortat fratres in Evangelica doctrina, & Dominicâ Palmarum cœnam sacram secundum Christi institutionem civibus suis distribuit: (erat enim Haganoënsis) idem ipso die Paschati sacro in maxima hominum, rem novam videre cupientium, frequentia, sine sale, sine oleo, sine aliis ceremoniis Papisticis, horâ 3. pomeridianâ baptizat Wendelini Rihelii filiolum Josiam, cui pater consultò hoc nomen indi voluit in memoriam beneficii divini: quòd, sicut regnante Josia liber legis inventus, & secundum illum sincerus Dei cultus restitutus est: ita nascente Josia filiolo suo liber Biblicus in Papatu quodammodo amissus, iterum repertus, & vera salutis doctrina Germaniæ restituta sit.

m) Ex Autographo Wendelini Rihelii descriptum.

HÆC igitur loca sunt, quæ religio orthodoxa hoc anno occupavit. Eadem religio in aliis locis, quæ proximis superioribus annis illustravit, incrementa minimè contemnenda sumpsit.

n) ALBERTVS Marchio Brandeburgicus relicto ordine creatur primus Dux Prussiæ à Sigismundo Rege Poloniæ, & Ducatum illum hæreditarium accipit, qui antea ad fratres Ordinis Teutonici pertinebat: ita is, qui antea erat Magister Ordinis, jam salutatur Dux Prussiæ. o) Hic Albertus cum è Silesia in Borussiam reversus, & summâ omnium ordinum lætitiâ esset exceptus, convocatæ Nobilitati & civitatibus universis, in hoc pacis negotio à se toto triennio Acta, diligenter ac ordine perscriptâ, prælegi mandavit. Cui, finitâ recitatione, gratias solennes, nomine totius provinciæ, Georgius à Polentz, Episcopus Sambiensis egit: ac è vestigio Episcopæ seu diœceseos suæ universæ politicam administrationem, cum omni Nobilitate, oppidis, & terris sibi subditis, prolixâ oratione Principi resignat, quod Episcopo Ecclesiæ Evangelion, non politica imperia & regna hujus mundi, sed ministerium docendi Evangelii, & necessaria vitæ alimenta, tantùm tribueret. Princeps toto provincialium cœtu teste vocato, quod se non petente aut sollicitante, Episcopus sponte ac liberrimo arbitrio, de Episcopa ipsi cederet, lætus eam accepit: altero Episcopo Erardo Pomesaniensi tacito astante, qui usque ad vitæ exitum gubernationem suam retinuit. Tam felices autem fuerunt vineæ Domini plantatores in Borussia, qui illuc à Luthero fuerant missi: ut intra triennium omne ferè doctrinæ Papisticæ lolium exstirpârint. Polonorum Regem audiamus testem.

n) Funccius.

o) Chytræus.

Sigismundus primus Joanni Dantisco, apud Romanum Pontificem Oratori.

Cùm inducie cum Magistro Prussiæ exspirarent, ageretque cùm Summus Pontifex tum Cæsarea Majestas, Serenissimusque Dominus Rex Hungariæ, nepos noster apud nos de induciis prorogandis: ad quas subditi nostri nequaquam consentire voluerunt, judicantes, eas bello fore nociliores: proindeque nos ad prosequendam rem nostram armis institueremus: venit ad nos id sentiens ipse Magister cum Illustribus Marchione Georgio, & Friderico Duce Lignicensi, transegitque nobiscum coram de tota controversia, præstito nobis debito suo, & datis illi per nos in feudum terris, quas prius ante libellum novissimum possedit. De religione verò nihil inter nos est actum: tum quia interesse nostra non videbatur: tum quòd etiam Ordinis institutores non fuerimus: tum verò quòd ferè in tota ditione Ordinis prorsus de tota religione Catholica sit actum & deploratum. Proindeque abusi sumus ea conditione depravati temporis in rem pacis, cum res aliter transigi nullo pacto potuit. Proinde si qui isthic hos actus nostros in re Prutenica suggillare vellent, habes quo innocentiam nostram tueri possis. Nam nos Ordinis curatores non sumus, sed hereditarium jus nostrum duntaxat semper exegimus. Religio Catholica nobis semper cordi fuit: pro qua nequaquam dubitamus vel sanguinem nostrum profundere: tantum abest, ut illi nostrâ operâ vel consensu quicquam esset per hanc transactionem detractum. Anno 1525.

Prutenico isto Evangelii successu Lutherus animosior factus, Albertum Cardinalem, & Archiepiscopum Moguntinum literis hortatur: ut exemplum hoc sequatur: uxorem ducat: de benedictione divina certissima quæque sibi polliceatur: Deinde Georgio à Polentis Episcopo Sambiensi Deuteronomium à se explicatum dedicat: in qua dedicatione memorabilia hæc eloquitur: p) *Non te laudamus, cum dona Dei in te tollimus, sed insigne illud miraculum gratiæ Dei extollimus, quam in te valere, regnare, & triumphare videmus*

& audimus cum gaudio. Ut quemadmodum pastor, sicut Amos loquitur, eruit ex ore lupi extremum auricula aut duo crura, sic te unicum & solum inter omnes Episcopos orbis elegerit Dominus, & liberaverit ex ore Satanæ, quod dilatavit sicut infernum, & devorat omnes. Nihil enim videmus in cæteris Episcopis (quanquam esse inter eos sperem aliquot Nicodemos) nisi quod subversis Cæsare ac Regibus & Principibus fremunt & insaniunt contra resurgens vel potius oriens Evangelion, & denuo impleant illud Psalmi secundi: Adstiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus. Quo provocant simul, ut & Deus in eis impleat quod sequitur: Habitator cæli videbit, & Dominus subsannat eos. Tunc loquetur ad eos in ira sua & in furore suo conturbabit eos. Tibi verò ea singularis planè & mirabilis gratia donata est, ut non modò verbum susciperes & crederes, sed pro Episcopali autoritate etiam palàm & publicè confessus doceres, docerique per tuam diœcesin curares, liberaliter his, qui in verbo laborant, provisis, videntibus impiis, irascentibus ac dentibus suis frementibus, & tabescentibus frustra. Hæc scilicet gratia Dei in te collata, quemadmodum Paulus cum Macedonibus facit ad Corinth. non fuit mihi silentio transeunda, sed omnibus modis evulganda, prædicanda, cantanda, ad gloriam Dei, ad profectum Evangelii, ad incrementum fidei, ad solatium infirmorum, & eorum, qui apud nos varia patiuntur in variis locis, ad erectionem pusillorum, denique etiam ad terrorem & ignominiam hostium verbi, & idolorum istorum in loco Pontificum sedentium, qui præter tyrannidem nihil sciunt, neque possunt in misero populo præstare. Nec sum veritus, quod hac prædicatione onerem te odio & invidiâ cæterorum Pontificum, Regum & Principum, aut etiam in periculum vitæ traham, quandoquidem hodie nullum flagitium par est huic uni & summo sacrilegio, scilicet Evangelion Dei confiteri, ob quod jam multi sanguinem fuderunt constantissimè, inter quos inprimis lucent Henricus & Joannes Bruscella per sophistas Lovanienses exusti, & post eos Henricus noster Sutphanius Bremensis Evangelista, non uno igne, nec uno genere mortis per Diethmarianas bestias occisus. Quid nos maneat, Deus novit: si tamen digni fuerimus, ut socii illorum facti, & ipsi patiamur contumelias ob nomen Domini. Non, inquam, huic periculo te exponere sum veritus, certissimè persuasus, quod is, qui te honoravit verbo crucis, simul roborabit etiam spiritu crucis, triumphabitque in carne tua, non modo blasphemias nominis & odia & furores potentium in mundo, sed etiam vires & violentiam (si opus fuerit eas ferre) Satanæ cum toto suo regno; scimus enim, quod major est is, qui in nobis est, quàm is, qui in mundo est. Ad hæc, ut gratia & donum hoc Dei cumulatius esset, addidit Dominus, & curavit benignitate suâ, ut Principem terræ haberes Evangelio studiosissimum, heroëm illum inclytum Adelbertum ex Marchionibus Brandeburgensibus, Magistrum magnum Prussiæ, cui donatum est eodem spiritu, ut cogitet, quæ Principe digna sunt, ut verbis Prophetæ utar, ita fit ut utriusque vestrum præsidio Christianissimo populus Prussiæ, qui fortè nunquam Evangelion habuit, nisi opertum vel adulteratum, nunc lætè currens & fructificans audiat clarissimum & purissimum, inennarabili beneficio Dei. Nam ego puto: Evangelion ad Germaniam usque ad hoc seculum nunquam pervenisse revelatum, & luce suâ coruscum: licet non dubitem, Dominum semper novisse suos ubique terrarum, etiam in mediis Sodomis & Gomorrhis servare. Et vide mirabilia: ad Prussiam pleno cursu plenisque velis currit Evangelion, quò non vocabatur, ubi nec quærebatur, in Germania vero superiore & inferiore, quò ultro venit & accessit, omni furore & insaniâ blasphematur, repellitur, fugatur, ut in hoc impleri videas sortem illam egregiam Evangelii, de qua Paulus dicit Rom. 10. Inventus sum à non quærentibus, palàm apparui his, qui me non interrogabant. De Israël verò dicit: Tota die expandi manus meas ad populum incredulum, & dicentem mihi, qui ambulat vias non bonas.

p) Tom. 2. epist. Luth. p. 286. & 287.

Hæc de Ducali Borussia. Regiæ Borussiæ urbs primaria Dantiscum Doctorem Bugenhagium Ecclesiæ Wittembergensis Pastorem vocat per legatum ad Ecclesiæ suæ instaurationem. Lutherus quid de hac vocatione senserit, epistola ipsius ad Georgium Spalatinum docebat. Sic autem illa: q) *Venit ad Principem hic D. Johannes, Pastor unus Dantiscensis populi, postulaturus favorem Principis prò vocando illuc Pomerano nostro. Rogo itaque ut illi adsis, sicut poteris. Quamvis enim eum virum hic manere velim, tamen in re tanta & causa verbi cedendum arbitror. Quis scit, quid Deus velit ibi per ipsum operari, ne fortè tam insignem vocationem Dei non intelligamus, & impediamus: audies mira ex ipso, quæ in Dantisco operatus est Christus. Ego sic vocatus non auderem reniti, sed irem statim.*

q) Tom. 2. epist. Luth. pag. 279.

r) NORIMBERGÆ mense Martio die Cunigundæ in curia præsente Senatu & multis civibus colloquium inter Evangelicos Ecclesiæ Ministros, quorum dux erat Andreas Osiander, Pastor ad S. Laurentium, & quatuor concionatores Papisticos in totidem monasteriis reliquos, institutum est: cujus hic exitus fuit, ut conciones & ceremoniæ monasteriorum deinceps intermitterentur, & omnes sacerdotes, & Monachi cives fierì, & onera civium, instar cæterorum, subire cogerentur.

r) Chronicon Norimbergense MS.

s) FRANCOFURTUM ad Mœnum ab Archiepiscopo Moguntino mittebatur Theodoricus quidam Ursellanus, qui sub larva Lutheranici concionatoris Papismum debebat defendere contra Ibachium, præconem Evangelii. Olfecit hoc Dionysius Melander Monachus Franciscanus, & hoc anno publicè ipsi, ejusque successori Joanni Schallio contradixit. Melandro conjunxit se Joannes Bernhardi ab Algesheim, monachus Dominicanus. Uterque Papatum fortiter impugnavit. Ortâ in urbe seditione paulò ante Pascha cives Missam & omnes abusus Pontificios tolli volunt. Senatus igitur Melandrum & Joannem ordinarios Evangelii Doctores renuntiat, & Pontificiis edicit: si patrocinio suo salvi esse velint, ut horum concionatorum contra missaticum sacrificium doctrinam ex Dei verbo confu-

confutent. Quod cum illi non possent, multùm licet confirmati à Moguntino; templa S. Bartholomæi, Leonardi, & Mariæ Montis Evangelicis cessere.

s) Ex Archivis.

VRATISLAVIÆ nobilissimum templum ad D. Elisabetham à fermento Pontificio repurgatur, idque ministerio Ambrosii Moibani. Fuit hic Ambrosius patriâ Uratislaviensis, qui cùm in omni disciplinarum genere esset exercitatus, Viennæ artium Magister, Wittembergæ Theologiæ Doctor creatus est, carus Luthero, Melanchthoni, Camerario, aliis. Munus docendi Ecclesiam Elisabethanam subiit ætatis anno trigesimo primo. A Jacobo Episcopo Uratislaviensi, cui se stitit, hæc audiit verba: *Ito, & doceto Evangelium Domini nostri Jesu Christi in nomine patris, filii & spiritûs sancti.*

Hessus igitur & Moibamus primi erant Uratislaviensium Evangelistæ, qui magnâ dexteritate & prudentiâ abusus Pontificios populo detegebant: ad obedientiam erga superiores subditos, ad vitæ innocentiam singulos invitabant: idque tanto cum fructu, ut sine ullo tumultu cultus imaginum, processiones, vigiliæ, Anniversariæ, Fraternitates, peregrinationes ad sanctos, leges de cibis vetitis, de monachis, monialibus, & id genus alia Papatûs βδελύγματα uno quasi labefactata motu corruerent, & paulò pòst Evangelium in novem templis, quorum septem extra, duo intra urbis mœnia sita, prædicaretur. Moibamus decimo quinto Maji, Hessus octavâ Septembris, uxorem duxit.

Vratislaviensium exemplum urbes & oppida alia pleraque in Silesia sequuta sunt. Multum juvit propagationem veræ doctrinæ in Silesia, prudentia & moderatio clarorum Episcoporum, Jacobi à Saltza, qui anno 1522. electus, & Balthasaris à Promnitz, qui Jacobo anno 1539. demortuo successit. Uterque enim à persequutione Evangelicorum abhorruit. t) Etsi autem ex jure Canonico notum est, qualem vel in clericos suos, vel in laicos etiam in causis vel spiritualibus vel civilibus, habuerint potestatem Episcopus, Suffraganeus, Propositi, Decani, Archidiaconi, Scholastici, Cantores, &c. silentio tamen hoc non est prætermittendum: reformatione Religionis factâ, ejusque *αὐτονομία* sive libertate concessâ, Ecclesiasticam jurisdictionem contra Augustanæ confessioni addictorum religionem, fidem, ritus & ceremonias suspensam, juraque Episcopalia ad Principes territoriorum & Status tanquam fiduciarios possessores translata esse ac depositа, adeo quidem, ut ipsi etiam clerici iis tanquam Magistratui ordinario subjecti sint, nec aliorum jurisdictione constringantur & obligentur. Quæ quidem Ecclesiasticæ potestatis jura, ut pro statu Ecclesiæ optimo administrent & gubernent, duobus ferè mediis utuntur; quæ ordinis sunt; per superintendentes, qui censuræ morum, & exercendæ disciplinæ præsunt, totiusque Ecclesiasticæ eutaxiæ curam gerunt; quæ verò sunt legis diœcesanæ, & jurisdictionis in foro Ecclesiastico, per Consistoria exsequentes. Interim Episcopus, Abbates, & Prælati suam religionem, ceremonias, possessiones, vectigalia & jura libera ferè hucusque retinent: neque quò minùs illis pacatè uti frui possint, ullâ ratione impediuntur, si paucas Ecclesiasticas Præfecturas, & quædam id genus alia bona sacra excipias, quæ Principes ac civitates nonnullæ sibi sumpserunt, eaque in ministerii, scholarum, egenorum, & similes pios atque utiles usus converterunt.

t) Silesiographia Nicolai Henelii.

ARGENTINÆ Sigismundus Comes Hoënlojus, Decanus Ecclesiæ collegiatæ Argentinensis edito scripto Germanico clerum suum graviter hortatur ad lectionem scripturarum, & vitam clericis dignam: profitetur, nihil sibi æquè in votis esse, ac hoc, ut Ecclesia illa celebris, totusque Clerus reformetur, & verus Dei cultus restituatur.

TIGURI ut anno superiori Idola remota, ita hoc anno Missa fuit abrogata. Historiam ex Zwinglio ipso audire placet. u) *Cum ad undecimam diem Aprilis coram senatu Diœcesiorum, is est senatorum ducentorum, de abolendis, Missâ & panis ac vini adoratione, ageremus: & ibi Scriba quidam (qui albus an ater sit, non est hujus instituti dicere) fortè surrexisset, atque ad hunc modum quæritaretur; Equidem Patres conscripti non eo sum ordine aut loco, ut mihi coram vobis verba facere liceat, dummodò causa ageretur quantumvis magna, quæ ad Rempublicam attineret: cum autem hîc animarum salutis cardo vertatur, ipsaque fides periclitetur, cujusque esse arbitror, ut in medium adducat quid sentiat? Ego igitur firmiter credens in isto pane verum corpus, ac verum sanguinem edi, testor, me in hac esse opinione, neque me patiar ab ea divelli, speroque de vobis, Patresque conscripti, quod nullo pacto sitis me ad Zwinglii opinionem adacturi. Et tu Zwingli, inquit, sophistarum versutis acerrimè obstitisti, nunc vero, ut planè dicam quod sentio, videris nos denuo sophistarum cavillis circumscribere. Multa denique alia, quæ ad hanc rem facerent, questus esset, ut illi videbatur scitè ac graviter. Cumque nos ad ea, quæ responsione digna videbantur, puta, Tiguri neminem unquam ad fidem fuisse compulsum, neque ad ullam rem: neque sophisticum esse, si hanc vocem EST, per SIGNIFICAT quisquam exponat (hoc enim sophisticum esse dixerat) cùm inquam respondissemus ad ea, quæ roboris aliquid habere videbantur: istæque jam ad hæc arma se converteret: Ego sic credo, sic sonant verba: hoc est corpus meum: EST est verbum substantivum, ideo alius intellectus esse nequit, quàm quod panis sit caro, & similia, quæ carnis cupidi objectant. Tum Henricus Engelhardus, olim Pontificii juris Doctor, nunc verò pauperis Christi discipulus, vir gravi judicio, ausculta, inquit, paulisper: ego abunde ostendam tibi ex sacris literis, panem corpus Christi esse non posse: quia panis neque est corpus Christi naturale, neque glorioſum, neque mysticum* (rationes supra expositæ in mentione libelli Zwinglii, quem subsidium de Eucharistia inscripsit.) *Post conflictationem istam tum scriba habitam, statuit Senatus, ut a prandio Senatores quatuor cum Henrico Engelhardo, Leone, Megandro, Myconio, atque nobiscum conveniant, quo res tanta graviter ventilaretur. Id verò ad hunc usum maximè fiebat, ut quibusdam obstrepentibus undique satisfieret. Deliberabatur aliquandiu variè, sed omnis deliberatio hunc exitum accepit, ut sequenti die duodecimo Aprilis ad Senatum universa causa iterum referretur. Cùm ergo duodecimâ Aprilis die ad Senatum rediremus, atque*

atque ut Missa in universum aboleretur, ageremus, prodit denuo scriba iste, atque eandem cantilenam canit. Additque me quidem sic docuisse, ut ista vox EST in præsentibus Christi verbis pro SIGNIFICAT posita sit, at agrè scripturæ testimoniis probaviſſe ad hunc modum accipi debere: Nam isti sermones: Semen est verbum Dei, Luc. 18. &, Ager est mundus, inimicus homo est Diabolus, &c. Matth. 13. ad hoc propositum nil faciunt, Christus enim hic parabolice loquutus sit, non etiam istic, cum dicit: Hoc est corpus meum. Cui breviter respondimus: Christum ista dixisse post finitam parabolam, quando tropicè quidem, sed tamen non amplius parabolicè loquebatur; differre enim tropum & parabolam: cumque missâ contentione è Senatu nos recepissemus, sequutum est Senatûs decretum totius Ecclesiæ nomine ad hunc ferme modum:

Eucharistiâ, Deo volente, juxta institutionem Christi, Apostolorumque ritum posthac utiminor. Infirmis ac in fide adhuc rudioribus fas esto hac vice tantummodò vetere more uti. Missa in universum sic abolitâ, antiquata & ablegata esto, ut ne crastino quidem die repetatur.

Mox quod felix faustumque sit, gratulata est tota Ecclesia, præter paucos, ne quid atrocius dicam, vel imbecilliores vel rudiores, qui in hanc lucem etiamnum aciem dirigere nequibant. Restabat adhuc haud minimus conatus, quo scil. exempla proderemus, quæ nulla cum parabola conjuncta forent. Cœpimus ergo cogitare omnia, omnia revolvere, attamen nihil aliud exemplorum occurrebat, quàm quod in commentario proditum est, aut quod occurrebat, erat illorum simile. Cum vero tredecima dies adpeteret (vera narro, adeoque vera, ut celare volentem conscientia cogat effundere, quod Dominus impertiit, non ignorans, quantis me contumeliis, risibusque exponam.) Cum inquam tredecimâ Aprilis lux appeteret, visus sum mihi in somno multo cum tædio denuo contendere cum scriba, sicque obmutuisse, ut quod verum sciens, negante linguâ beneficium suum perloqui non possem: qui me angor, ut solent nonnunquam somnia fallaci ludere nocte (nihil enim altius quàm somnium narramus, quod ad nos attinet, tametsi leve non sit quod per somnium didicimus, gratia Deo, in cujus solius gloriam ista prodimus) vehementer turbare videbatur. Ibi ἀπὸ μηχανῆς visus est monitor adesse (ater an albus, nihil memini, somnium enim narro) qui diceret: Quin, ignave, respondes ei, quod Exodi 12. scribitur. Est enim Phase, hoc est, transitus Domini. Protinus ut hoc phasma visum est, expergefio, & è lecto exilio. Locum apud Septuaginta primùm undique circumspicio, ac de eo coram tota concione pro virili differo: qui sermo ubi acceptus est, quemadmodum paulò pòst dicemus, omnibus sacrarum literarum candidatis, qui adhuc nonnihil propter parabolæ obstaculum hærebant, omnem nebulam discussit. Factumque est, ut tribus istis diebus, cœnæ Domini, Parasceves, & resurrectionis, tantum Pascha Christi celebratum sit, quantum ipse nunquam vidi, eorumque numerus, qui ad allia ollasque Ægyptias respectarent, opinione longè minor esset.

u) Tom. 2. operum Zwingl. p. 247. in subsidio de Eucharistia.

Patroni oralis manducationis corporis Christi, narratione istâ occasionem sibi oblatam esse putabant, Zwinglium & doctrinam ejus suggillandi. Jactatæ enim passim voces istæ:

Zwvinglius in somnio primùm doctrinam suam didicit.

Zwvinglius nescit, à quo spiritu doctrinam suam acceperit.

Zwvinglio malus Dæmon doctrinam suam revelavit.

Quibus ab amicis Zwinglii responsum: injuriam fieri fratri suo, & contra historiæ fidem ista in eum confingi. Nam ante hoc somnium edidisse Zwinglium epistolam ad Matthæum Alberum: edidisse item libellum de vera & falsa religione, & in utroque scripto suam de cœna Domini sententiam exposuisse: Deinde nullius spiritûs à Zwinglio mentionem fieri, sed monitoris tantùm, qui & homo esse potuerit, quemadmodum Ananias Paulo astiterit Act. 9. n. Proverbium, *albus an ater sit nescio*, in hac ipsa narratione à Zwinglio de Scriba quoque fuisse usurpatum, & vim ejus vel ex Erasmi adagiis notam esse: Præterea tantum abesse, ut Zwinglius fassus sit, à malo Dæmone sibi doctrinam de cœna esse patefactam, ut contra palam profiteatur, *Dominum sibi hoc impertiisse*, quod in somnio didicit, & *se per conscientiam id celare non posse:* Quod & inde evidens sit, quod monitor Zwinglii ipsi digitum intendit ad Dei verbum, eumque in veritate ex scripturis confirmat, id quod spiritus malus nunquam facit: nec sequi, somnium divinum non esse, etsi nescierit, utrum monitor albus an ater fuerit, si quidem noctu album ab atro nemo discreverit. Fuit etiam non nemo, qui istis Zwinglii adversariis in aurem insusurraret: meminissent quid Lutherus, pronuntiaturus, Romanum Episcopum esse Antichristum, de se scripserit: x) *Mitto ecce acta mea acutius quàm speraverit Dominus legatus, edita, sed longè majora parturit mihi jam animus:* NESCIO VNDE VENIANT ISTÆ MEDITATIONES. *Res ista necdum habet initium suum, meo judicio, tantum abest, ut finem sperare possint Romani Proceres. Mittam ad te nugas meas, ut videas, an rectè divinem: Antichristum illum verè, juxta Paulum in Romana curia regnare.*

x) Tom. 1. epist. Luth. pag. 124.

y) Hoc eodem anno Tiguri lectio Biblica plurium linguarum in choro summæ ædis est inchoata, decimâ nonâ Junii. Zwinglius ab hoc voto exorsus est: *Omnipotens, sempiterne, ac misericors Deus, cujus verbum lucerna est pedibus nostris, & lumen semitarum nostrarum, aperi & illumina mentes nostras: ut oracula tua piè & sanctè intelligamus, & in illud, quod rectè intellexerimus, transformemur, quò majestati tuæ nulla ex parte displiceamus, per Jesum Christum, Dominum nostrum, Amen.* Lectum deinde est à studioso quodam caput Biblicum, Latinè, quod idem mox Joannes Ceporinus Hebraicè, Zwinglius Græcè ex septuaginta interpretibus, postremò Pastor quidam Germanicè, legerunt & interpretati sunt. Quo facto, habitis iterum precibus, cœtus est dimissus. Sed iste legendi

gendi & interpretandi Biblia ordo postea mutatus, & ratio lectionum Theologicarum ad consuetudinem aliarum Academiarum fuit conformata. Floruerunt autem Tiguri post Joannis Ceporini & Zwinglii obitum professores Theologi, Conradus Pellicanus, Theodorus Bibliander, Petrus Martyr, Josias Simlerus, Joannes Wolfius, Guilielmus Stuckius, Joannes Jacobus Frisius, Marcus Beumlerus. Hodie Scholæ Tigurinæ cathedram ornat vir eruditæ doctrinæ & plurium linguarum cognitionis laude clarissimus Caspar Waserus, qui pro amicitia nostra singulari, proque suo in Rempublicam Christianam studio, multum me in historiis Tigurinicis juvit.

y) Chronicon Bullingeri MS.

z) Tigurinorum exemplum imitati vicini VITODURENSES, abjecerunt & ipsi imagines, destruxerunt altaria, Missam, & quæ illi affinia, abrogarunt.

z) Stumpfius lib. V.

FORCHEMII, oppido Episcopi Bambergensis, Evangelizabat Joannes Crusius, qui paulò pòst captus & quinquaginta florenis multatus, Episcopatu ejectus est. a) Cæterùm rem me Theologiæ studiosis non ingratam facturum existimo: si, quibus ritibus, in administratione Baptismi & cœnæ Domini Ecclesiæ nonnullæ, sub initium renati Evangelii usæ sunt, paucis indicàro.

a) Annales Suevici.

NORDLINGENSIS Ecclesiæ Pastores in libello quem inscripserunt: *Renovatio Ecclesiæ Nordlingensis* de suo baptizandi ritu hæc habent: *Tingimus pueros, tingimus profectioris ætatis, non arcemus ab Ecclesia, qui pueros ad tingendum non offerunt, sed tantum manuum impositione & deprecatione Ecclesiæ Christo mediatori & servatori nostro commendant. Nullam ætatem præcepit baptismo Christus, sed neque ullam vetuit. Baptizare jussit discipulis in nomine patris, filii & Spiritus S. Mat. ult. Asportari jussit infantes, increpans discipulos, qui prohiberent, pronuntians horum esse regnum cælorum. Nunc autem nemo arbitror, arcebit à baptismo, qui regnum cæleste donat, ut injurium sit, dogmate rem vitiare per sese liberam. Et dum concilia tractamus, non ita repudianda esse arbitramur quæ Patres dicunt, ut etiam spiritum sanctum negemus. Placuit Carthaginensi Concilio baptismus infantium, liber, placet & nobis neminem cogimus, sed neminem etiam repellimus, in re nec præcepta, nec vetita. De oleo quo baptizandi unguntur, de sale, quo initiantur, de orationibus, quibus adjurantur, librum facimus, ut vel ungantur, vel non ungantur &c. Neque protinus exclamamus, perdi animas unctione, eo quod Christus non perceperit. Non perditur ritibus anima, infidelitate perditur.*

b) Consimilem ferè ritum servavit Pacimontanus Walshuti. Sic enim ille ad Oecolampadium hoc anno: *Loco baptismatis ego curo convenire Ecclesiam, inducens infantulum, ac linguâ vernaculâ interpretor Evangelium: Oblati sunt parvuli, &c. Matth. 19. Subinde impositio nomine orat tota Ecclesia flexis genibus pro parvulo, illum commendans in manus Christi, ut huic sit propitius, & oret pro eo. Si verò sunt parentes adhuc infirmi, qui volunt omnibus nervis baptizari prolem, hanc baptizo, in opere infirmus sum cum infirmiusculis ad tempus, dum eruditantur melius: sed in verbo non cedo illis in minimo apiculo.*

b) Lib. 2. epist. Oecol. & Zwingl.

c) Oecolampadio supra modum placebat hic ritus, ideoque optabat, ut omnibus arrideret. Tum enim *nondum illi occurrerant loci in scripturis, qui cogant ad asserendum pædobaptismum. Sed nec video*, inquit, *quid prohibeat. Et durum fuerit infantibus salutis subsidia negari.*

c) Ibidem.

Consuetudinem communionis sacræ in Ecclesia NORDLINGENSI tum observatam Theobaldus Billicanus describit. *Convenimus*, ait, *ad docendum, ad audiendum verbum Domini, atque hic cognitionem cælestium beneficiorum exercemus, ut sunt mortificatio veteris Adæ, vivificatio interioris hominis, communicatio spiritûs regenerantis & formantis nos, consolatio conscientiæ per Christum, spes futuræ vitæ cum Christo, charitas in fratres, in amicos, inimicos. Porrò & ad psallendum & ad Deo gratias agendum communiter confluimus, tum communicamus pane & vino Domini, non coacti, sed volentes, ferentes immensis laudibus & spiritualibus hymnis gloriam gratiæ Dei patris in Jesu Christo factam, qui remisso peccato, purgatos sacrificio Christi sui fecerit nos communiter hæredes regni cælestis & cives suos. Ita memoriam Christi celebramus, & charitatem, ut cives regni Christi decet, fovemus, ut communicantes uno pane & uno poculo, corpore & sanguine Domini, confiteamur & cognoscamus nos regni cælestis unanimes hæredes. Si qui non communicant immensa, tamen bonis cælestibus, justitiâ Dei & charitate communicantes, non arcentur à consuetudine: quanquam malimus omnes in Domino fratres juxta Christi verbum etiam in externa cœna accumbere.*

d) ARGENTINÆ hoc anno Forma celebrandæ cœnæ Dominicæ excusa est, in qua inter alia & hæc leguntur: In dargebung des Brodts und des Kelchs des Herrn, spricht der Diener also: GEDENCKT, GLAUBET, VERKüNDIGET, dass CHRISTUS FUR EUCH GESTORBEN IST: hoc est: in exhibitione panis & calicis Dominici, Minister verbi ita alloquitur sumentes: *Mementote, credite, annuntiate, Christum pro vobis esse mortuum.*

d) Pappus in Agenda Ecclesiæ Argentinæ anno 1598.

e) TIGURINORUM ritus hujusmodi est: Finitâ concione mensa templo infertur, & mundâ mappâ sternitur. Huic imponitur canistrum pane infermentato plenum, catini & pocula lignea, quæ vino implentur. Accedit ad mensam Pastor Ecclesiæ cum Diaconis, & totum cætum ad attentionem excitat. Mox alter ex Diaconis subjicit institutionem cœnæ Domini ex epistola ad Corinthios: alter verò recitat partem capitis sexti Joannis, ut ex verbis Domini omnes discant: quomodo Christi carnem edamus verè, & sanguinem ejus verè bibamus. Mox recitato symbolo fidei, Pastor admonet, ut quisque seipsum examinet & exploret: ne indignè accedendo corporis & sanguinis Domini reus fiat. Postea omnes se in genua demittunt, & pastore præeunte, orationem Dominicam

cam dicunt. Quâ absolutâ pastor panem infermentatum accipit in manus, & spectante fidelium cœtu altâ voce, magna religione recitat institutionem cœnæ Dominicæ: deinde panem ministris distribuit & poculum porrigit. Qui panem in catinis & vinum in cyathis circumferunt, & Ecclesiæ exhibent. Quisque in manus sumit quod traditur à ministris, edit, & proximè assidenti offert partem ejus quod accepit, similiter etiam poculum porrigit. Interim verò dum de pane Domini edunt & de poculo ejus bibunt, unus ex Ecclesiæ ministris prælegit ex Evangelio Joannis dulcissima illa colloquia Domini, quæ abiturus cum discipulis habuit, à pedum ablutione initium faciens. Si catini & poculum ad mensam redeunt, Ecclesia iterum in genua procumbit, & Deo gratias agit pro beneficio redemptionis Christi. In Ecclesiis autem agri Tigurini, minister omnia solus recitat, & ad mensam singuli accedunt. Hunc ritum multæ Ecclesiæ in Helvetia & Rhetia postea imitatæ sunt.

e) Lavaterus.

f) WITTEMBERGÆ hoc anno exeunte demum linguâ Teutonicâ celebrare Missam, & cœnam Domini administrare Dominicâ XX. pòst Trinitatis cœperunt. Cùm paulò ante Lutherus tanquam Orpheus Germaniæ verus, summam doctrinæ Christianæ, & partes Catechismi omnes, & præcipuorum Symboli articulorum ac Festorum historias, preces ad Deum, consolationes & gratiarum actiones, Germanicis carminibus seu odis numerosè & conciunè sententias rythmis inclusas verbis elegantibus, & congruente sententiis ac verbis harmoniâ seu vocis modulatione, eundem in animis motum & adfectum, quem sententiæ ac verba requirunt, in animis canentium inprimente, edidisset, ut à vulgo etiam literarum rudi, facilius disci doctrinæ Christianæ summa, & preces, ac consolationes divinæ, & fideliùs memoriâ retineri ac propagari possent, ac in mentes & corda audientium, adjutæ numeris ac harmoniis Musicis, altiùs penetrarent, & pios motus & adfectus verbis respondentes, in eis accenderent ac inflammarent.

f) Chytræus.

Porrò quam Reges, Principes, Comites, Urbes, amplexæ sunt hoc anno religionem puram, abolitis Papisticis, introductis Evangelicis ritibus: ejus veritatem aliquot Martyres sanguine roborârunt.

g) JACOBUS PAVANAS Bolonienſis superiori anno propter religionis sinceræ professionem captus, metu mortis palinodiam cecinerat. Hoc verò anno resumptis novis viribus cùm fidem puràm, præsertim de cœna Domini, palàm doceret, ex voto suo vivus crematur Lutetiæ summa cum animi alacritate, fidem faciens proverbio, *Vir fugiens denuò pugnabit.*

g) Historia Gallica.

h) WOLFGANGUS Schuch, Germanus in oppidum Lotharingiæ à S. Hippolyto denominatum venit, Christum docet, Pastor Ecclesiæ declaratur: Quadragesimæ observationem, Imagines atque Idola, Missamque adeo ipsam abolet. Accusatur populus ad Ducem Lotharingiæ defectionis: Dux se urbem flammâ & ferro vastaturum minatur. Wolffgangus primùm epistolâ se purgat ad Ducem: deinde suâ sponte se Nanceum confert fidei confessionem editurus, & cives S. Hippolyti periculo iberaturus. Sed statim in carcerem durum & gravcolentem detruditur, pòst ad ignem damnatur: qua sententiâ auditâ orsus est psalmum centesimum vigesimum secundum: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* In ipsis flammis psalmum quinquagesimum primum cecinit, obiitque die decimâ nonâ Augusti. Memorabile est: Judicem Ecclesiasticum hujus Schuchii & ejus assecłam, Abbatem clari loci paulò pòst subitaneâ morte exstinctos fuisse. Ipse Dux Antonius Lotharingus aulicis suis persuadere conabatur: satis esse ad salutem, scire *Pater noster, & Ave Maria.*

h) Acta Martyrum.

i) In HELVETIA Suitenses sacrificulum quendam, quod ex Scripturis Papatum impugnasset, itemque nautam quendam Eberlinum Bolthium, quod de Baptismo & cœna sacra, paulò aliter ac Monachi in Papatu loquutus esset, combusserunt, utrique Anabaptismi hæresi affictâ.

i) Chronicon Bullingeri

JOANNES PISTORIUS (Germanis Beck) Wordensis Hollandis sacris initiatus, quod uxorem duxisset, indulgentias Wordæ tum gratis propositas, contempsisset, Missæ officium neglexit, captus, & Hagam Comitis ductus, diuque & multùm ab inquisitoribus vexatus, tandem mense Junio constanti fide & patientiâ martyrii coronam in mediis flammis meruit. Historiam conscripsit Guilielmus Gnapheus Hagensis Germanicè reperitur apud Ludovicum Rabum.

k) MECHLINIÆ Bernhardus quidam Carmelita propter Evangelii liberam professionem combustus est.

k) Tom. 2. epist. Luth. pag. 293.

l) MATTHIAS WEIBELIUS Martiscellæ in Algovia natus & Campoduni in schola ab Abbate illius loci erectâ educatus, sexennium sacerdotis officio functus erat in templo Montis propè Campodunum: atque illustratus Evangelii luce, doctrinam de gratuita justificatione hominis coram Deo, & consequente ex ea sanctificatione, idolomaniam item Papatûs auditorio suo patefecerat: hoc autem anno à Pontificiis captus, vulneratus, & septimâ Septembris de arbore suspensus, vitam lætus finiit.

l) Ludovicus Rabus.

m) FELIX ULSENIUS, juvenis pius ac integer, Evangelii assertor capitur à Gubernatoribus provinciæ Enshemensis in Alsatia, captus miserè torquetur. Capito Petrum Wickram Pastorem in Ensheim rogat, fratris laborantis patrocinium suscipiat.

m) Epistolâ Capitonis.

LUTHERUS hoc anno scripsit librum de abominatione Canonis Missæ, de quo id semel monendus est Lector, Lutheri libris de abroganda Missa contradixisse (ut autor est Cochlæus) plurimos ex Catholicis Theologis: in Anglia, Joannem Episcopum Rôffensem: in Germania, Joannem Episcopum Viennensem: in Gallia, Clichtonæum: in Hispanis, Quintanam: in Bavaria, Eccium: in Marchia, Mensingum: sermone Germanico, Dietebergium Emserum, Cochlæum, plurimosque alios.

Idem Lutherus hoc anno epistolam scripsit ad Christianos Antverpiæ congregatos, quam multis nominibus Lectori commendamus. Nam & historiam habet de novis Prophetis Antverpiæ tum exortis:

ortis: & confessionem manifestam distinctionis voluntatis Dei occultæ à revelata, & præterea retusionem calumniæ, quod is Deum autorem peccati faciat, qui Deo volente peccata fieri agnoscit. Epistolæ ipsissima verba hæc sunt:

OMNIBUS CHRISTIANIS

Antverpiæ Martinus Lutherus

n) *Gratiam & pacem à Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo, Christianæ charitatis solicitudine compulsus, amici in Christo charissimi, has ad vos literas non potui non scribere. Relatum est enim mihi, isthic etiam apud vos spiritus erroneos suboriri, qui suâ vesaniâ doctrinam Christianam impedire & commaculare moliuntur, id quod & alibi ab ejus farinæ hominibus cœptum est. Ita ut, quantum in me est, officii mei esse putem, vos monere fideliter, ne meâ taciturnitate aut silentio ullius sanguinis seducti jactura mihi imputetur, cui consiliis aut monitis auxilio esse potuissem in tempore. Quamobrem vos obsecro, amici charissimi, qui hactenus præter sedulitatem & fidi pectoris officia, quibus magno meo cum periculo Christianæ Reipublicæ commodare & prodesse semper studui, in me aliud observastis nihil, velitis & hanc amoris erga vos mei amicam admonitionem, candidè susceptam, boni consulere. Neque enim meum in hoc sed vestrum quæro cùm compendium tum salutem. Cum meæ utilitatis rationem habiturus, compressis digito labellis, tacere potuissem, & quietus esse, aut aliam venandæ utilitatis inire viam. Multo tempore hactenus sub Papistica tyrannide varias & graves impostrarum seductiones perpessi sumus, à spiritibus tumultuantibus & nocturnis adornatas: quos credimus & putavimus pro demortuorum animabus in igne purgatorio constitutis cruciatos, & opem implorantes obambulare. Cujus erroris techna Diabolica exorto Evangelii lumine jam detecta est, & falsa reperta, adeò ut neminem posthac esse opinor dubitantem non hominum animas, sed Spirituum malignorum esse spectra, quæ fictitiis responsis hominum simplici credulitati imposuerunt, multis idololatriis per totum mundum hac fraude erectis. Ubi verò sui tumultûs, nullam posthac apud homines esse rationem, καὶ ὀδένα λόγον animadvertit Diabolus, patefactâ nequitiâ, novæ impostoræ novo excogitato dolo aliud aggreditur, cœpitque in membris suis, hoc est, hominibus impiis tumultuari & insanire, variamque & multiplicem, cùm doctrinam tum fidem comminisci. Hic supervacaneum Christianis baptismum esse affirmat: ille εὐχαριστίας Sacramentum pernegat. Est qui alium mundum inter hunc & supremi diei adventum confinxit & excogitavit. Nonnulli docent, Christum non fuisse Deum. Nec desunt qui fidei justificationem adimunt, operibus nostris adscribentes. Partim hoc dicunt, partim verò aliud. Nec ullus est Morychus adeò stupidus, ἢ ὅτῳ τε ἡ ἀπαίδευτος, qui non quicquid probè adpotus somniavit, protinus à Spiritu S. sibi suggestum esse contendit, & mox Propheta esse laborat. Exempli gratiâ unus hic mihi producendus est. Hi enim Spiritus multum mihi facessunt negotii. Nullus est, qui non velit Luthero esse doctior. Et nemo est, qui non de me prostrato victoriæ palmam auferre cupiat. Et ô utinam essent, quod esse contendunt, & ego nihil essem. Inter cætera sic dicebat ad me quidam: se missum à Deo cæli & terræ conditore ad me, magnificis & sesquipedalibus verbis utens, quanquam satis quoque rusticis. Breviter, hoc se à Deo accepisse in mandatis, ut illi libros Mosaicos legerem. Dum ego ex eo quærebam ejus mandati signum, respondet, hoc scriptum esse in Evangelio Joannis. Hic ego primo statim gustu perspectam hominis stultitiam fastidiebam, jubens eum alio redire tempore, hoc enim temporis punctum non ferre, ut libri Mosaici legantur. Ita mi Domine, inquit, cælestis pater, qui suum pro nobis effudit sanguinem, dirigat nos per viam rectam ad filium suum Jesum. Ecce Prophetarum circumforaneorum vesaniam. Nam, nisi me fallit animus, hic clarè perspicis, quales ii sunt Spiritus, ita superbè se venditantes, & jactantes, neque tamen Christum nec Deum satis intelligentes, sed furiosorum in morem loquentes. Ejus ordinis homines miseros & vecordes per annum non paucos audire cogor, alia enim ratione Diabolus me divexare nescit. Hoc itaque dico. Hucusque orbem terrarum Spirituum tumultuantium καὶ ἀσωματικῶν pro animabus hominum se venditantium fuisse refertissimum: hoc verò ætatis mundum esse Spirituum σωματικῶν tumultuantium, & pro meris Angelis cælestibus sese venditantium, plenissimum. Quamobrem Christianum confidentem esse oportet, nec consternari animo, emergentibus indies sic diversis sectis & hæresibus, nec aliter animatum cogitare, quam quod in diversis locis, ut hactenus, spirituum tumultuantium excitarentur turbæ. Non potest non tumultuari Diabolus, quo certum habeant homines, eum adhuc esse in vivis ac regnare. Mundus verò sui tumultûs scena est. Tumultuantis tragœdiæ histriones sunt Prophetæ furiosi. Si parum successerit tumultus in Angelis extra corpus à se excitatus, succedat ille in vesanis & distortis insanientium Prophetarum capitibus & cerebris expergefactus. Vult esse tumultus S. Paulus: ait enim, oportet hæreses esse, ut probati manifesti fiant. Sub regno Papistico omnia erant tranquilla ab hujusmodi sectis & hæresibus, siquidem fortis & armatus compositâ pace custodiebat atrium suum. Porro ubi jam fortior venit, & superatum imbecilliorem exegit atrio, juxta doctrinam Evangelicam, furere cœpit, & tumultuari invitus emigrans. Ita quoque amici charissimi, subortus etiam inter vos Spiritus corporeus & tumultuans, qui vos pertubare, atque à vera cognitione in suam tenebricosam & fallibilem opinionem perducere statuit. Proinde moniti vobis prospicite. Porrò quo melius ejus observare, & cavere queatis offutias & perfidiam, nonnullos articulos ab ipso perperam assertos, subiiciam:*

1. *Omnem hominem habere Spiritum S.*
2. *Spiritum S. nihil aliud esse, quàm nostram rationem & intelligentiam.*
3. *Omnem hominem credere.*
4. *Non esse inferos aut condemnationem, sed solum corpus damnari.*
5. *Omnem animam vitam æternam possessuram.*

6. Ductu naturæ doceri nos illud proximo facere, quod ab illo nobis fieri velimus. Et hanc voluntatem esse fidem.

7. Adversus legem non peccari concupiscentiis, quatenus concupiscentiis voluntate non consenserimus.

8. Spiritum S. non habentem nec peccatum habere, eo quod ratione careat, quam Spiritum S. vocat.

Omnes ii articuli, excepto septimo, magnâ temeritate sunt asserti, nec digni confutatione aut responsione. Et non malè feceritis, si hunc Spiritum juxta doctrinam suam contempseritis. Neque enim dissimilis est etiam aliis nonnullis sursum ac deorsum incertâ sede vagantibus, nihil pensi habentibus, quid doceant aut asserant, sed gaudent famigerabiles per ora virûm volitare, & esse mundo fabula, ut laudentur & celebrentur passim ab omnibus. Sed & Diabolus ipse harum sectarum autor nihil aliud quærit perinde, quam quòd excitatis hominibus seditiosis, vos impedizos à vera doctrina abducat, aut non permittat horum furiis obstantibus eandem vos exercere: veluti aliis spectris homines frequenter deceptos totâ viâ aberrare fecit: non secus quoque hic Spiritus suis vobiscum agit articulis. Quamobrem cautè agentes date operam, ut omnia nova & insolita, animarum saluti parum conducentia, missa faciatis. His enim spectris homines otio deditos illaqueare statuit. Quanquam vester Spiritus dum apud me erat, omnes hos pernegabat articulos, tametsi de aliis convincebatur testimonio. Sed & inter loquendum suomet judicio se prodebat sorex, & aliquot confitebatur, sic ut pro vero testari possim, me Spiritum inconstantiorem, mendaciorem, impudentiorem, & petulantiorem vidisse & audivisse nunquam: ut qui eodem tempore & uno ore idem dicat & perneget, & aliud stans, aliud sedens comminiscatur: præterea ita ambitiosum, & nominis avidum, ut haud sciam an uspiam miserius gloriæ mancipium inveniri possit, præter gloriam & nominis celebritatem nihil ambiens, quodque dignus sit habitus nostro colloquio, cuique voluptati sit suum quoque fimum fœtere, qui mos multorum nunc est, nec dissimilium. Potissimum verò hic acriter depugnabat, Dei præceptum esse bonum, & Deum peccata habere nolle. Quæ res nunquam mihi venerat in dubium, nec satis erat, tametsi nos quoque id ipsum affirmaremus. Huc verò adduci non poterat, quod DEUS, quanquam peccatum detestaretur, & huic inhibendo præceptum dedisset, peccatum tamen nihilominus fieri permitteret. Eam permissionem citra voluntatem Dei non posse fieri. Quis enim adigit eum, ut permittat fieri peccatum? Quin etiam qui possit permittere peccatum, si nolit permittere aut consentire? Hic vertice cælum perrumpere tentabat furiosus Propheta, volens indagare, unde nam DEUS peccatum non volens, fieri tamen consentiret aut permitteret: putabatque Majestatis divinæ abyssum se haud dubiè exhaurire posse, qua nam ratione hæ duæ diametro repugnantes in DEO voluntates constare possent. Hic neminem audire volens, pertinaciter contendebat, alteram tantùm voluntatem in DEO esse. Quid verò suâ pertinaciâ monstri aluerit, satis indicio sunt articuli superiùs positi. Nec dubium est, quin me falsò apud vos delaturus sit, ac dixissem, DEUM velle habere peccata. Cujus criminationi sic responsum volo, mihi injuriam fieri, atque eundem, ut aliâs portentum, ex mendaciis & sycophantia consutum, & hic impudenter mentiri. Ita dico, DEUM datis in hoc præceptis peccata inhibuisse, & hanc voluntatem satis liquere, & nobis cognitu necessariam esse. Quid verò fiat, ut homines peccare permittat, ut peccatis perpetrandis consentiant, nos scire non voluit: alioqui palàm fecisset, si adeo ejus consilii nos voluisset esse conscios. Atqui & ipse Paulus hæc scire noluit scribens Rom. 9. ô homo, tu quis es, qui ex adverso respondebis DEO? Quamobrem oratos vos volo, fratres, ut aversemini Spiritum hac sublimi quæstione de occulta DEI voluntate vos molestantem, & impugnantem dicentes: putasne parum esse, quod DEUS manifesta voluntatis suæ in præceptis expressè nos voluerit esse conscios? Quid itaque tu nos infatuas eò nos inducendo, quod scire nefas, adeoque interdictum est, nec possibile cognitu, & in quo tu vesane nobiscum ex æquo cæcutis & hallucinaris? Qui hæc fiant, DEO committenda putamus, sufficit nobis, DEUM peccata detestari: qui verò peccatis consentiat, missum faciendum est. Servus heri sui arcana explorare, multò minùs nosse debet, sed quid præcipiat herus, effectum reddere. Multò minùs fas est miseram creaturam sui creatoris, divinæ nimirum Majestatis pervestigare mysteria. Videtis nunc optimi amici, qui Diaboli sint conatus, quæ consilia, quæ rerum novandarum studia, quibus unum hoc molitur, ut non necessariis & utilibus, cognituque impossibilibus articulis hominum levium animos occupet atque detineat, à vera via alienos. Proinde, videte, ut id, quod scitu est utile, & vobis necessarium, atque à Deo præceptum, amplectamini, posthabitis, nugis futilibus non ædificantibus, & nihil, perinde atque contentiones producentibus, juxta sapientis viri consilium: quod supra ingenii tui captum est, ne perquiras, sed mane in iis, quæ à Deo tibi præcepta sunt. Tota vita opus est Christo rectè perdiscendo, & ejus præceptis cognoscendis, etiam nullis aliis rebus intentis. Quibus probè jam cognitis ad scrutanda mysteria animum deinceps applicabimus, quæ Diabolicus hic spiritus nequicquam movet aucupandæ gloriolæ gratiâ. Regressi igitur in viam discite, quid Paulus Romanos docuit, cujus prologum ejus epistolæ à me præfixum inspicientibus perspicuum fiet, qui sit ordo sacras literas perdiscendi, & quem locum scrutanda mysteria obtineant. Vos ineptè garrulos & futiliter loquaces devitate. Gratia Christi sit vobiscum. Orate vos quoque pro me, fratres, Amen.

n) Tom. 2. epist. Luth. pag. 281.

Occiderunt hoc anno duo renovatæ Ecclesiæ sidera, FRIDERICUS Saxoniæ Elector & ELISABETHA Caroli V. Imperatoris soror, Regina Daniæ.

FRIDERICVM tria admirabilem fecerunt: *pietas*, quâ motus Academiam Wittembergensem condidit: *magnitudo animi*, quâ oblatam Imperii coronam

ronam Francofurti, respuit: *prudentia*, quâ usus est initio motuum Ecclesiasticorum, quando doctrinam Lutheri neque defendit, neque aboleri passus est, nisi errorum convinceretur. Obiit autem quintâ Maji, sexagesimo tertio ætatis anno, in ipso tumultu rusticano. Melanchthon, qui sæpè dicere solitus fuit, Fridericum Electorem selegisse florem ex omnibus virtutibus, memoriam ejus gratæ posteritati erudito epigrammate commendavit:

Ante petet cursu Boiemica rura supino,
Unde in Saxonicos desluit Albis agros:
Inclyta quàm possit meritorum fama tuorum
Occidere in populis, Dux Friderice, tuis:
Aurea viderunt hæ gentes secula, regni
Dum tibi Saxonici sceptra tenere datum est.
Pace frui placidâ campique urbesque solebant,
Horrenda extimuit Classica nulla nurus.
Bella alii ferro, sed tu ratione gerebas,
Et sine vi victi sæpe dedêre manus.
Ingenio claros meruisti sæpe triumphos
Militeque haud ullo fixa tropæa tibi.
Et pacis studiis, florere, ac artibus urbes
Contigit auspicio, Dux Friderice, tuo.
Fovisti spretas hac tempestate Camœnas,
Unicus & studiis præmia digna dabas.
Namque tuo sumptu flavum schola condita ad Albim est,
Ut vitæ verum traderet illa modum.
Hic Evangelii primùm doctrina renata,
Detersò cæpit pura nitere situ.
Induit hîc veros vultus, iterumque colorem
Accepit tandem Relligio ipsa suum:
Et cum Germani sumpsissent arma tyranni.
Contra Evangelium, sanctaque jussa Dei.
Doctores tibi cura pios defendere soli,
Et latè Christi spargere dogma fuit.
His tibi pro meritis gratâ præconia voce
Posteritas omnis, virque puerque canent.
Nulla tuas unquam virtutes nesciet ætas,
Non jus in laudes, mors habet atra tuis.

o) Vivente adhuc in his terris Friderico, à Pontificiis Ecclesiasticis æquè ac Politicis crebris hoc sermonibus fuit usurpatum: *Moriente Friderico, morituram quoque doctrinam Lutheri.* Sed istos falsos fuisse, duorum & nonaginta annorum experientia nos docet.

o) Lutherus Comment. in Psal. 118.

ELISABETHA, cujus heroica virtus & fides in rebus mariti Christierni II. Daniæ Regis adversis, eximia & illustris fulsit (Nam illi fida exilii comes esse, quàm in Dania sola regnare maluit) Gandavi decessit decimâ nonâ Januarii. De qua Lutherus ad Joannem Agricolam ista: p) *Regia illa mulier, & verè Regina, Elisabeth Danorum Regis uxor excesit è vivis, ut ipse mihi scripsit Christiernus Rex, sed magnâ fide excesit, acceptâ cœnâ Domini legitimo ritu Christi, nec persvaderi potuit licet fortiter tentata per Proceres, ut in Papæ fidem rediret. Scilicet Christus etiam aliquando Reginam voluit in cælum vehere.* Cornelius Scepperus hoc illi epitaphium scripsit:

Dania me coluit, pulsam Germania vidit,
Primum ortum dederat terra Brabantia priùs.
Nulla harum potuit morientem cernere, sed quæ
Ganda habuit mentem, nunc quoque corpus habet.

p) Tom. 2. epist. p. 311.

q) In ANGLIA quadraginta minoris notæ monasteria, Cardinale Volsæo petente, & Papa Clemente annuente, hoc anno diruta, & reditus illorum duobus Collegiis à Cardinale nuper exstructis addicti sunt. Negotium hoc (ut nonnulli animadverterunt) tanquam aurum Tholosanum, omnibus qui illud attigissent, aut perniciem, aut saltem maximas calamitates attulisse creditur. Papa post biennium captus, & ludibrium orbis factus est. Volsæus in turrim Londinensem jamjam condendus, non tam obiit quàm interiit, cum semetipsum detestatus esset, quod Regi potiùs quàm Deo studuisset placere. Ex ministris autem quinque quorum opera hîc usus est in tot piorum hominum donariis intervertendis, evenit postea, ut duobus duello decertantibus alter alterum occideret, & homicida suspendio plecteretur, tertius in puteum se dederit præcipitem, ac spontaneâ morte submersus perierit: quartus homo opulentus ad eam egestatem devenerit, ut victum ostiatim emendicare ante obitum cogeretur, alius denique Doctor quidam Alanus, qui autoritate inter cæteros præcipuè pollebat; quo tempore Archiepiscopus Dublinensis in Hibernia agebat, ab inimicis crudeliter confossus periit. Utinam his & similibus exemplis edocti, discant homines res semel Deo consecratas timidè attrectare! Si istos justitia divina tam severè puniit, qui bona Ecclesiæ dicata, sed parum sanctè administrata, ad usus haud dubiè meliores converterunt, hoc tamen non spectantes, sed pravis ducti cupiditatibus; quid illis putabimus imminere, qui res Ecclesiasticas, quâcunque data occasione sine delectu diripiunt & expilant, semet tantùm locupletandi gratiâ?

q) Annales rerum Anglicarum.

Finio heic primam Annalium Evangelii renovati Decadem, beati Melanchthonis votum tetrasticho inclusum repetens:

Te maneat semper servante Ecclesia Christe,
Insertosque ipsi nos tua dextra tegat.
Tres velut in flamma testes Babylonide servas,
Rex ubi præsentem Te videt esse Deum.

FINIS.

ABRAHAMI SCVLTETI ANNALIVM

Evangelii pasſim per Europam decimo quinto ſalutis partæ ſeculo renovati

DECAS SECVNDA;

ab
Anno MDXXVI.
ad
Annum MDXXXVI.

Exodi XIV, 13.

State, & videte magnalia DEI.

Heidelbergæ
Impenſis viduæ JONÆ ROSÆ,
Typis Joh. Georgii Geyderi, Acad. Typogr.

Anno cIↃ IↃc xx.
Cum gratiâ & privilegio S. Rom. Imp. Vicariatus ad duodecennium.

Reverendiſſimo in Chriſto Jeſu Patri
ac Domino

D. GEORGIO ABBOTO,

ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI, ANGLIÆ
TOTIVS PRIMATI AC METROPOLITÆ

Obſervantiam & cultum.

STATE, ET VIDETE MAGNALIA DEI, ait vir DEI Moſes, inclamans populum Iſraëliticum, inter æſtuantis maris fremitus, & frendentis Pharaonis impetus titubantem. Nimirum incendere voluit Iſraëlem, ad contemplandam DEI in eludendis quidem callidis Ægyptiorum conſiliis ſapientiam, in evertendis autem fortiſſimorum equitum Pharaonicorum turmis potentiam. Quo alio proloquio exordiar Annalium Evangelicorum Decadis ſecundæ Dedicationem hanc, quàm ut non Iſraëlitico, ſed orbis Chriſtiani populo univerſo, adeoque maximis, minimis, medioxumis DEI filiis accinam hoc ipſum: STATE, VIRI CHRISTIANI, ET VIDETE MAGNALIA DEI, quæ in repurganda Eccleſia ſua per decennium hoc ſpectanda nobis propoſuit.

Vaſtis Conſiliis Pontifex Maximus & Imperator Carolus novum Iſraelem ſupprimere conantur. Teſtes actiones Pontificis Bononienſes, teſtes literæ Cæſaris Bononiâ ad Germanos datæ: Verum Pontificis æquè ac Imperatoris conſilia Jehova fecit irrita: contra quem nec Pontificum valent nec Cæſarum conſilia.

Evangelicos ille Italiæ & Galliæ domitor Carolus, armatâ potentiâ ſuâ in Comitiis Auguſtanis terret, & ni mandatis pareant, extrema quæque minitatur. Sed omnes minæ, omnia contra Evangelium expedita arma in rubri maris undas concidunt. Decernitur SPIRÆ; ut nihil innovetur ab iis, quibus edictum Wormatienſe ſemel placuiſſet. Decernitur in COELO ut contra Wormatienſe & Spirenſe Edictum religionis puritas in Anhaldinatum, in Ducatus, Wiirtembergicum, Pomeranicum, Brunſvicenſem, in urbes quin etiam Imperii præcipuas introducatur.

Iſraëlitæ ex Ægypto euntes nunc hos nunc illos inveniunt perſequutores: Majores noſtri è Babylone Romanâ exeuntes proditores, lictores, carnifices in nullo non orbis Europæi angulo invenerunt. Illi in deſerto ſe deſertos à DEO conqueri non potuêre: Hi, dum laniantur, confodiuntur, mactantur, comburuntur, de præſente DEI gratiâ lætantur, de futurâ cœli gloriâ ſibi gratulantur.

Tantarum rerum memoriam his pagellis, pagellas autem ipſas Pietati tuæ, Venerande præſul, inſcripſi, ut per claritatem nominis tui in orbem terrarum, & cum iis benefacta DEI Eccleſiæ præſtita, eant.

Quan-

Quanquam aliæ quoque, eædemque æquissimæ ac justissimæ mihi sunt hujus nuncupationis causæ. In hujus enim Decadis annos incidit memorabilis illa Ecclesiæ Anglicanæ mutatio, quam desperasset ætas præterita, admiratur præsens, obstupescet futura. Henricus octavus Rex negotium dat doctissimis viris, ut Biblia sacra in linguam Anglicam convertant: idem omni cum Pontifice Romano commercio subditis suis interdicit, Ecclesiæ Anglicanæ caput supremum se publicè renuntiari jubet: Episcoporum designationem sibi reservat: provocationes ab Archiepiscopo ad Papam fieri consuetas, ad se transfert, adeòque omni Pontificem Romanum dominatu in Imperio suo exuit. Thomas Cranmerus, Archiepiscopus Cantuariensis designatus, novo exemplo, eâ lege juramentum summo Pontifici præstat, ut disertim protestetur, nihil se contra legem DEI, nihil contra Regem Angliæ illustrissimum, nihil contra Rempublicam Anglicanam facturum: quemadmodum videre est ex Protestatione ejus à benedictæ memoriæ viro, D. Roberto Abboto, Episcopo Sarisburiensi, Antilogiæ suæ adversus Apologiam Andreæ Cretensis capite sexto inserta. Idem Thomas Archiepiscopus, decreto Synodi publico, Legati sedis Apostolicæ titulum, qui antecessores delectârat, abjecit, Primatis & Metropolitani totius Angliæ, assumpsit.

Hujus beati Thomæ cum successor sis, venerande præsul, non in cathedrâ solùm, sed quod majus est, in orthodoxa doctrina, & quod maximum, in pietate minimè fucata: eccujus alius nomen debui Decadi huic præscribere, quàm dignitatis tuæ? Accipe igitur opusculum hoc, præsul venerande, ab eo absente, quem ante octennium præsentem benevolè es complexus, ab eo qui tua in Ecclesiam & Rempublicam Anglicanam merita agnoscit, deprædicat, & sic diutissimè felicissimèque vale Angliæ tuæ decus & ornamentum. Perscriptum Pragæ anno à Christo nato supra millesimum sexcentesimo vicesimo, mensis Augusti die vicesimo quarto, Natali meo quinquagesimo quinto.

Qui Rev. Dignitatem Tuam

Reverenter colit
ABRAHAM SCVLTETVS D.

ANNALIVM EVANGELII
PASSIM PER EVROPAM RENOVATI.
DECAS SECVNDA.
ANNUS M D XXVI.

ANno à Christo nato millesimo quingentesimo vicesimo sexto:

1. *Contra Evangelium conspirarunt Reges, Principes, Episcopi: omnes de spe conatuque suo divinitùs depulsi.*
2. *Inter Evangelicos & Pontificios colloquia publica de religione habita sunt in Rhetia, Helvetia, & Hassia.*
3. *De libero hominis arbitrio, Lutherus & Erasmus, de Eucharistia Saxones, Svevi & Helvetii, horumque socii Argentinenses, summâ contentione pugnârunt.*
4. *Ecclesiæ novæ nonnullæ repurgatæ, ex repurgatis nonnullæ pleniùs sunt reformatæ.*
5. *Exiliis & martyriis inmotuerunt Ecclesiæ Dei, quos Vatiniano odio prosequuta est Synagoga Satanæ.*

Contra Evangelium conspirarunt Cæsar & Gallus in Hispania, Principes & Episcopi in Germania.

In HISPANIA inter Cæsarem & Gallum captivum transactum est mense Januario Madriti, die decimo quarto. In pacis formula commemoratur & hoc: a) *Cæsarem atque Regem eò potissimùm spectare, ut & christianæ religionis hostes & secta Lutheranæ extirpentur hæreses.*

a) Sleidanus l. 6.

Consilia hæc potentissimorum Monarcharum confregit præpotens Deus. Gallus enim domum reversus, iniquas esse, quas pactus erat, pacis conditiones ratus, cum Pontifice & Veneris fedus facit contra Cæsarem. b) Pontifex ut suam à Cæsare secessionem palliaret, petulante & protervâ epistolâ Cæsarem iniquitatis accusat. Cæsar contrà Pontificis & malitiam & figmenta detegit: hortatur eundem ad pacem: concluditque, sibi & Pontifici de Lutheranorum sectis & erroribus comprimendis esse cogitandum.

b) Sleidanus ibid.

Per ipsum igitur Pontificem commissi inter se Reges halcyonia ecclesiæ vel inviti concesserunt.

c) CÆSAR etiam, ut injuriam sibi à Clemente Pontifice illatam ulciscereturr, nominis Pontificii autoritatem per omnem Hispaniam abolet: exemplo ab Hispanis ipsis posteritati relicto: posse Ecclesiasticam disciplinam citra nominis Pontificii autoritatem conservari.

c) Thuanus lib. 1. hist.

In GERMANIA Comitia Imperii absente Cæsare mense Junio celebrantur.

FERDINANDUS Cæsaris frater idemque legatus, Pontificii item Principes & Episcopi deliberandum censent: *quomodo religio vetus conservari, nova exterminari possit?* Recitantur & literæ Cæsaris, quibus præcipit, ut in suis singuli ditionibus in religionis negotio Edicti Wormatiensis mandato obtemperent ad Concilium usque.

Contrà, civitates præsertim superioris Germaniæ Edicti Wormatiensis exsequutionem scripto exhibito deprecantur: simultas inter delectos, qui diversæ religionis erant, gravis oritur: Saxo & Hessus abitum parant. Majora igitur mala metuentes Ferdinandus, Richardus Archiepiscopus Trevirensis, alii, tale cudunt decretum:

d) *Ad constituendam religionis formam & retinendam tranquillitatem opus esse legitimo vel Germaniæ, vel publico totius orbis concilio, cujus intra annum fiat initium; & ne qua mora vel impedimentum interveniat, legationem mittendam esse ad Cæsarem oratum, ut quamprimum Concilium procuret. Ad religionem & edictum Wormatiense quod attinet, placuit, ut interea, dum ex iis conciliis alterum habeatur, ita sese gerant omnes, in sua quisque provincia, quò sui facti probabilem rationem Deo & Cæsari quoque reddant.*

d] Sleidanus lib. 6.

Sic igitur & hæc tempestas disjecta est.

In hoc conventu factum est initium fœderis Evangelici, quod anno undecimo pòst Smalcaldicum ab oppido, in quo confirmatum, est dictum. Cum enim periculum maximum videretur imminere Evangelicis, Saxo & Landgravius legatos civitatum primariarum ad se vocant, eosque de fœdere appellant. Qui nullum quidem ejus rei mandatum se habere, sed diligenter suis esse renuntiaturos, ajunt.

Hæc Comitia prima fuêre, in quibus Concionatores Evangelici Saxonis & Landgravii publicè auditi sunt, frustrà principibus Pontificiis, id ut ne fieret, interpellantibus.

DE RELIGIONE colloquuti sunt publicè Pontificii & Evangelici in Rhetia & Helvetia.

e) RHETI, rogatu Evangelicorum ministrorum, disputationi de religione publicæ diem indixerunt Dominicam Epiphania Domini proximè sequentem Iliunci. Joannes igitur Comander Pastor ad S. Martini Curiæ Evangelicus Theses conscribit, & evulgat de iis fidei capitibus, in quibus cardo controversiæ inter Pontificios & Evangelicos verti putabatur. Erant illæ numero octodecim, & quidem istæ:

1. *Ecclesia Christi ex Deo nata est: Deum igitur audiat oportet, alium nullum.*
2. *Ecclesia Christi non condit novas leges sine Deo, sed observat leges sponsi sui Christi.*
3. *Auricularis igitur Confessio, & alia Ecclesiæ præcepta eatenus nos obligant, quatenus verbi divini autoritate nituntur.*
4. *Doctrina de purgatorio non est à Deo.*
5. *Prohibitio conjugii & certorum ciborum est à Diabolo.*
6. *Qui donum continentiæ non habet, ei connubii jus est, quocunque in vitæ genere agat.*
7. *Imaginum cultus V. & N. Testamento damnatur.*
8. *Frustrà colitur Deus traditionibus hominum.*
9. *Episcoporum est concionari: Non, gladium politicum vibrare, & ampla bona possidere.*
10. *Ecclesiastici omnium ordinum in temporalibus politico magistratui subjecti esse debent.*
11. *Christus Jesus unicus & solus est N. Testamenti summus Sacerdos.*
12. *Idemque unus Mediator inter Deum & homines.*
13. *Sacrificium illius unicum est & æternum.*
14. *Missa est contumelia in passionem Christi.*
15. *Missa est ignota toti Scripturæ: Eucharistia in sacrificium recens commutata.*
16. *Erroneum & à Scriptura alienum est: in pane Eucharistiæ esse corpus Christi substantialiter.*
17. *Cœna Domini quatenus memoriale est & gratiarum actio pro passione Christi, sublata & loco ejus fictitium Missæ sacrificium est substitutum.*
18. *Interrogantibus de decimis respondari sumus & ipsi.*

Varia autem impedimenta huic disputationi objecta sunt: nec comparuerunt omnes confœderati dicta die.

e) Acta Publica. Chronicon Bullingeri.

Vicarius enim Episcopi Curiensis, Abbas S. Lucii, alii item Pontificii nullum non lapidem movebant, ut ad publicam veri investigationem non deveniretur. Sed Comander ad trium confœderatorum Rhetiæ Ordinum decretum provocans colloquium postulat. Ordines disputandum censent. Vicarius legatos Tigurinorum vult excludi. Illi, interesse Reip. & Ecclesiæ suæ, ajunt, ut intersint. Admittuntur tandem, ut auscultatores, non colloquutores.

Congrediuntur Vicarius Episcopi & Abbas S. Lucii cum Comandro: de Ecclesia & purgatorio paucis disputant: de sacramentis multum contendunt. Ordines pertæsi altercationum istarum disputationi finem imponunt. Protestatur Comander, sibi respondendi ad accusationes Abbatis facultatem præcidi.

A disputatione Comander Evangelicam veritatem disseminare pergit. Idem faciunt alii Rhetorum Evangelistæ. Missa Curiæ, & maxima parte ditionis confœderatorum Rhetiæ vilescit, Evangelium virescit.

HELVETIORVM pagi duodecim BADENÆ disputationem instituunt eo ipso tempore, quo ordinum Imperii conventus Spiræ cogebatur. f) Occasio erat ista: Tigurini Helvetiis confederatis monentibus, ut novam religionem abiicerent, responderant aliquoties: se, si erroris convincerentur, parituros. Helvetii igitur Joannem Eccium, Ingolstadiensem Theologum invitant in disputationem solemnem cum Zwinglio. Eccius anno millesimo quingentesimo vicesimo quarto ad legatos Helvetiorum Badenæ congregatos scriptum virulentum mittit, in quo Zwinglium hæreseos accusat, petitque ab Helvetiis locum & tempus disputationis publicæ designari, se Zwinglium maximorum errorum reum peracturum confirmans. g) Zwinglius Responsionem Apologeticam ad eosdem legatos mittit, cujus summa est: Eccium inhumaniter & impiè agere. Si Zwinglius hæreticus sit, decuisse Eccium monere ipsum vel literis, vel coràm, & hæreseos convincere, non inauditum ad alios magistratus traducere. Se paratum esse coram auditoribus suis cum Eccio disputare, sed judicem neminem alium agnoscere, nisi Dei verbum.

f) Chronicon Bulling. MS.

g) Extat Tom. II. oper. Zwinglii.

Eccius

Eccius huic Zwinglii Responsioni Epistolam opponit multis calumniis intertextam, in qua à legatis Helvetiorum Frauenfeldæ conventum celebrantibus petit: ut vel Lucernæ vel Badenæ communi Helvetiorum decreto disputatio instituatur. h) Zwinglius super hac re consultus Senatui Tigurino respondet: Eccii institutum perniciosis & clandestinis insidiis non carere. Nam Episcopos Constantiensem & Basiliensem hactenus ab omni disputatione de religione refugisse. Præterea, nihil sibi rei unquam fuisse cum Eccio, &, si quid esset, Tiguri se conveniendum, ubi doceat. Quod si Eccius Tigurum nolit, se justioribus causis ea declinare loca, in quibus pridem hæreseos sit condemnatus. Mortem & interitum suum quæri, non disputationem. Denique indignam fore suam conditionem; si unicuique mortalium ibi locorum à se respondendum esset, ubi accusatoribus collubitum esset.

h) Tom. II. oper. Zwinglii.

Senatus Tigurinus & Diœcesii Joannem Eccium Tigurum vocant, fide publicâ promissâ VI. Novembris anni 1524. Eccius nec venit, nec respondit: sed anno 1525. rursum se disputationi offert, & jam non Zwinglium solum, sed Oecolampadium etiam accusat. Cui Zwinglius hoc anno 1526. 15. Januarii respondet. Tandem pagi duodecim Badenæ decernunt, omninò disputandum. Zwinglius eò vocatus venire renuit, quod multis illi nominibus locus esset suspectus, qui quinque pagis, Lucernatibus, Uriis, Switziis, Underwaldiis, & Toggiis paréret: qui se inauditum declarassent hæreticum: libros suos Vulcano consecrassent: in defensionem fidei Papisticæ ante colloquium conspirassent. Bernam, Tigurum, vel S. Galli civitatem sibi nominari vult, ubi paratus sit fidem suam adversus quoscunque tueri.

Tigurini quoque, etsi duodecim pagi Zwinglio fide publicâ caverent, per legatos tamen suos causas multas expostuere, cur Zwinglium eò mittere nollent: & doctos omnes Badenâ Tigurum vocarunt.

Venerunt autem Badenam primi nominis Theologi Pontificii, Faber, Eccius, Marnerus. Legatos verò mittebant, Constantiensis, Basiliensis, Curiensis, Lausannensis, Episcopi.

Ab Evangelicis missi comparuerunt, Joannes Oecolampadius, Bertholdus Hallerus, Wolffgangus Wissenburgius, aliique nonnulli Basiliensium, Schaphusianorum, Mülhusinorum, Sangallensium concionatores.

Themata Joannes Eccius defendenda promulgavit ista:

1. *Verum Christi corpus & sanguinem adesse in Cœna Domini.*
2. *Pro vivis & mortuis in Missa verè offerri.*
3. *Virginem Mariam reliquosque Divos pro intercessoribus esse invocandos.*
4. *Divorum imagines non esse tolendas.*
5. *Post hanc vitam esse purgatorium.*
6. *Infantes in peccato originali nasci.*
7. *Baptismum Christi, non Joannis, tollere peccatum originis.*

Congressi sunt Eccius & Oecolampadius, quorum ille confidentiæ, hic Christianæ in disputando modestiæ laudem meruit. Scribit Wolffgangus Capito i) *Evangelicos clamoribus non rationibus, in hoc colloquio fuisse obrutos.* Sie wären überschrien, aber nicht überdisputiret: & provocat ad Acta, quæ à Pontificiis cupit edi.

i) Libro germ. contra Fabri patefactiones novas.

k) Postquam aliquot dies disputatum: admoniti sunt utriusque partis Theologi, ut disertim profiterentur: utrum Eccii Thematibus, an confutationibus illorum Oecolampadianis subscriberent? Mira ibi animorum scissio deprehensa. Major pars approbavit Ecciana: Nonnulli Oecolampadiana. Erant, qui clam se subducerent, ne quid definire cogerentur. Cunradus Werlius, Diaconus Scaphusianus, Dominorum suorum judicio se staturum dixit: Er wolte halten, was seine Herrn hielten.

k) Urstisius.

l) Conclusum tandem à novem pagis: Zwinglium renovatæ doctrinæ in Helvetia coryphæum, quod ad dicendam causam non comparuisset, & cæteros, qui in colloquio non resipuissent, excommunicandos, perinde ut Lutherus à Carolo V. Imper. & Leone Papa fuisset excommunicatus: Religionem autem Pontificiam in ditionibus suis firmiter retinendam.

l) Bullingeri Chronicon.

Actionis hujus iste fuit exitus, ut Basileæ, Bernæ, Tiguri, animi hominum magis magisque distraherentur. m) Etsi enim Basiliensium nonnulli. Oecolampadius, Jacobus Immelius, M. Wolffgangus Weissenburgius, & alii, publicè protestarentur: se in disputatione ista non deprehendisse: quinque priora Themata, (nam de posterioribus duobus actum non est) in sacris literis esse fundata: tamen Basilienses alii, D. Ludovicus Berus, præpositus Petrinus; Augustinus Marius, summi templi concionator: Joannes Silberbergius Medicus & Jurisconsultus, Joannes item Satlerus sacræ Theologiæ Baccalaureus formatus, Papistis se associarunt.

m) Urstisius.

n) BERNÆ ad tristem motum spectare videbantur omnia: cum civium alii Evangelio per Bertholdum Hallerum prædicato faverent: alii decreto Badensi parendum esse statuerent. Interventu septem pagorum res ita composita est: ut urbis & ditionis Bernensis universi incolæ à veteri religione se non recessuros jurarent.

n) Chronicon Bullingeri.

TIGURI Evangelicam religionem Ecclesiasticorum Pontificiorum aliqui amplexabantur, aliqui aversabantur, qui magistratui politico parere renuebant. His igitur imperatum est: ut concionibus Evangelicis interessent, & decimâ septimâ Maji Consulem Tigurinum Henricum Walderum, perinde ut alii cives promissâ obedientiæ fide, magistratum suum agnoscerent.

Atque hæc de disputatione Bernensi. HASSIACA sequitur, quam laudatissimæ memoriæ Princeps, Philippus Hassiæ Landgrav. Homburgi Hessorum instituit: quam totius Hassiæ reformatio subsecuta est. Ut igitur Hassi imprimis gratâ memoriâ reformationis hujus beneficium deinceps prosequantur, & alii cum illis, paucis mirandæ hujus rerum Ecclesiasticarum conversionis in Hassia historiolam, clarissimorum virorum fide perstringam.

o) PHILIPPUM igitur Hassiæ Landgravium, de ecclesiarum in ditionibus suis emendatione deliberantem, Melanchthon hortatur, ut discrimen ve-

ræ ac neceſſariæ doctrinæ, & rituum ſuâ naturâ ἀδιαΦόρων, diſciplinæ ac ordini ſervientium, accuratè ſervet, & non tantùm doctrinam fidei, ad veram agnitionem Dei, juſtitiam & æternam ſalutem neceſſariæ, verum etiam timoris Dei, dilectionis, operum charitatis & cultuum Dei verorum, populo proponi curet; & doctrinæ puritate reſtitutâ, vetères ritus ac cerémonias omnes, quotquot ſervari absque impietate poſſunt, retineat. *Mihi enim*, inquit, *non modò inutiliter, ſed contra charitatem fieri videtur ab iis, qui publicas Ceremonias abolent, quæ tolerari poterant. Hinc enim Paulus ad Corinthios: Circumciſus aliquis vocatus, non accerſat præputium. Si cætera Pauli religiosè ſervantur, audiamus etiam in hac parte. Itaque latinas cantiones, ſacras veſtes, & hoc genus, puto ferendas eſſe. De Miſſa ita judico, in ſingulis parochiis unam tantum feſtis diebus eſſe faciendam, & quæcunque ex veteri ritu ſine impietate retineri poſſunt, Wittebergenſis eccleſiæ exemplo, ſervanda eſſe. Cantiones etiam Horarum Canonicarum de Chriſto, non de ſanctis, nullo modo prohibendas eſſe duco, nec in monaſteriis, nec in aliis templis. Inprimis igitur rogo V. C. per Chriſtum, ut quantum fieri piè poteſt, pacis publicæ causâ, veteres ceremonias conſervet. Nunquam enim mores & ritus ſine magno ſcandalo novantur: & Chriſtianiſmus in ritibus minimè eſt ſitus, ſed in timore Dei, fide in Chriſtum, charitate erga proximum, & obedientia erga magiſtratus. Quæ utinam tam ſedulò docerent concionatores, quam ſtrenuè vociferantur in Papam. Cogitet etiam V. C. quidvis potiùs faciendum eſſe, quàm arma capienda Evangelii negotiorum causâ certe diſſipat Deus gentes, quæ bella volunt. Id cœptum eſt anno ſuperiore in ruſticano tumultu. Hæc ſcripſi copioſius, quòd videam paſſim multos eſſe, qui vel ad vim patrandam, ut C. V. ita & alios principes incitare ſtudent, vel ad irritandos animos eorum, quos ſanare potius oporteat. Chriſtus V. C. conſervet & gubernet, Amen.* Hæc Melanchthon.

o) Chytræus Chronico Saxoniæ.

Philippus autem Haſſiæ Landgravius menſe Octobri hujus anni Homburgi Synodum cogit: in qua per Franciſcum Lambertum Avinionenſem Gallum Theologum, Paradoxa ſequentia voluit proponi, de quibus publicè diſſereretur.

JESVS

PARADOXORVM FRANCISCI LAMBERTI AVENIONENSIS, AD ECCLESIARVM REFORMATIONEM IN SYNODO HESSIACA AB EO PROPOSITORVM ET ASSERTORVM.

TITVLVS PRIMVS.

Omnia reformanda, quæ deformata ſunt, & per quid.

PARADOXA.

1. *Nihil rectum, niſi quod Dei verbo congruit: quòd ipſum ſolum ſit certiſſima omnis rectitudinis norma.*
2. *Idcirco Dei Eccleſiam ſolo ejus verbo regi neceſſe eſt, ne non recta ſit.*
3. *Et quidquid in ea deformatum eſt, ad ſolam ejusdem verbi regulam eſt reformandum.*
4. *Vana autem eſt omnis reformatio, quæ aliòqui fit.*

TITVLVS II.

Per quos reformanda ſint, quæ deformata ſunt.

PARADOXA.

1. *Epiſcoporum Eccleſiæ, id eſt, miniſtrorum verbi Dei, eſt docere Eccleſiæ reformationem ex ipſo verbo.*
2. *Principum autem & magiſtratuum eſt, exequi quod illi docent, & id quidem manu forti: exemplo Joſiæ 4. Reg. 23. & 2. Paral. 34.*
3. *Porrò ipſis Principibus & Magiſtratibus omnis anima ſubdita eſt, etiam Epiſcopi ac clerus totus. Rom. 13.*
4. *Proinde eorum eſt, cohibere illorum furorem, qui ex clero contra Dei verbum inſaniunt.*
5. *A Diabolo autem ſunt, univerſæ cleri exemptiones & privilegia, pugnantque in crucis verbum ex diametro.*

TITVLVS III.

Qui judices in fidei cauſis.

PARADOXA.

1. *Eccleſiæ eſt judicare & decernere ex verbo Dei, de fidei cauſis, quòd claves habeat.*
2. *Principum autem & magiſtratuum fidelium eſt, agere ut Eccleſiæ ſanctè decreta ſerventur.*
3. *Cum ergò eſt de verbo Dei contentio, audiat Eccleſia & judicet.*
4. *In his nullus, neque etiam Eccleſia ipſa poteſt judicare aut decernere, niſi ex Dei verbo.*

TITVLVS IV.

De Eccleſia Dei & Sathanæ Synagoga.

PARADOXA.

1. *Eccleſia congregatio eſt.*
2. *Eccleſia Dei eſt congregatio eorum, quos unitidem ſpiritus, una fides, unum baptiſma, unus Deus, unus advocatus & mediator, unumque verbum, quo ſolo paſcuntur, reguntur, & vivant. De hac Eccleſia habes Pſal. 149. Laus ejus in Eccleſia ſanctorum.*
3. *Omnes in quibus hæc non ſunt ſpectant ad malignantium Eccleſiam, de qua Pſal. 25. Odivi Eccleſiam malignantium: quæ Apoc. 2. & 3. Sathanæ Synagoga à Chriſto vocatur.*
4. *Hæc ſola eſt ſponſa Chriſti, immaculata per ſponſum; ex ſe tamen, donec in mortali carne eſt, peccatum habet. Proinde in Canticis dicit: Nigra ſum, ſed formoſa. Cantic. 1. Nigra quidem ex ſe, formoſa verò ex ſponſo.*
5. *Cæterum quia peccatum per ſponſum eidem non imputatur, tota immaculata eſt.*

TITVLVS V.

De Clavibus Chriſti & Eccleſiæ ſuæ.

PARADOXA.

1. *Claves domus Davidis habet Chriſtus. Apoc. 3. quas Eccleſiæ tradidit, Matth. 18. & Johan. 20.*
2. *Domus Davidis Eccleſia eſt, quæ & thronus ipſius.*

ipsius Davidis, regnumque cœlorum vocatur.

3. Claves illius sunt ea, quibus aliquid aperit & claudit, solvit & ligat.

4. Christi potestas, quâ in Ecclesiam recipit, & ab ea pellit, clavis est.

5. Ecclesiæ potestas, quâ ex Christi verbo judicat & decernit, hoc est, solvit & ligat, aperit & claudit, clavis est.

6. Solvit & aperit, quos ex Dei verbo solutos, & ad Christi unionem pertinere judicat.

7. Ligat verò & occludit, dum ex eodem verbo aliud decernit.

8. Spiritus Christi, qui in ipsa Ecclesia est, alia est clavis, quâ Dei scriptorum mysteria aperiuntur.

9. Hac solvit seu aperit Ecclesia, cùm per Dei spiritum, sensum Domini ex carne seu litera scripturæ docet.

10. Ligat verò seu claudit, cùm impiis ipsum Dei sensum non revelat, sed eundem sub litera absconditum sinit.

11. Evangelium Christi est tertia clavis regni ejus.

12. Hac solvit & aperit Ecclesia, dum illud nuncians credentes servat.

13. Sic Paulus aperuit oculos cæcorum, ut converterentur à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum, remissionemque peccatorum acciperent. Actor. 26.

14. Claves Ecclesiæ, quas alioqui homines excogitarunt, sunt fictitiæ, nullæ, calcandæ, & nec jota quidem unum ex omnibus Dei eloquiis pro se habentes.

TITVLVS VI.

De vero sacerdotio.

PARADOXA.

1. Præter Christianorum sacerdotium, sola Aaronis & Melchisedech sacerdotia à Deo sunt.

2. Ea etiam sola Christiani sacerdotii figura fuerunt.

3. Cæterùm unius Melchisedech sacerdotium typus fuit sacerdotii personæ Christi.

4. Post Aaronis sacerdotium, nullum à Deo fuit externè institutum.

5. Post legis pontifices, Ecclesiæ unicus ac solus pontifex & caput est Christus.

6. Omnes utriusque sexus, qui in veritate, non in hypocrisi fideles sunt, sacerdotii & unctionis Christi facti sunt participes.

7. Sacerdotium Christianum fuit ab initio, sicut Ecclesia, fides ac Christianismus.

TITVLVS VII.

De jugi Ecclesiæ Dei sacrificio.

PARADOXA.

1. Juge veri Israëlis & templi Dei, id est, Ecclesiæ sacrificium, est perpetua crucifixio & mortificatio veteris hominis, ut in Christo renovetur.

2. Hæc est hostia munda, quæ non solum Hierosolymis, sed in omni loco offertur. Malach. 1.

3. Dum fideles sic carnem suam mortificant, Christiano sacerdotio funguntur.

4. Christiani enim sacerdotii juge sacrificium est ipsa mortificatio, quâ sancti se ipsos offerunt Deo in hostias acceptissimas.

5. Hoc juge sacrificium, hanc ve sanctam hostiam, abstulit seculis multis, & aufert etiam hodie factio Antichristianæ hæreseos, suas interim execrabiles hostias & abominationes in loco sancto statuens, juxta Danielis vaticinium. Daniel 9. & 11.

TITVLVS VIII.

De Eucharistia & Missa.

PARADOXA.

1. Christus semel pro nobis semetipsum obtulit, factus nostræ pacis hostia desideratissima.

2. Hujus sacrificii commemoratio Eucharistia est, non iteratio.

3. Impiè ergo atque sensu nimium hæretico à nonnullis Christus denuò sacrificari in ipsa Eucharistia dicitur.

4. Impius quoque est Canon Missæ, in quo toties inculcatur sacrificii vox.

5. Impiè etiam, & præterea malignè & stupidè nimium à nonnullis exponitur hic locus, Hoc facite, pro, Hoc sacrificate.

6. Eucharistia est gratiarum actio, ac memoria omnium quæ Christus in carne pro nobis fecit.

7. In ea visibiles substantiæ, ejus qui invisibiliter adest, signa sunt.

8. In ea etiam Christum Deum & hominem, non nostrâ authoritate, aut aliquot vocum adjuratione (ut de nobis quidam obloquuntur) sed suo decreto (quod est ipsissimum verbum suum) præsentem adoramus.

9. Usus ejus est, communio fidelium in commemorationem omnium operum regis & capitis nostri Christi.

10. Abusus ergo execrabilis est reservatio ejus in armariis & arcellis, delatio ad infirmos, & alia id genus.

11. Abusus quoque est missatio hactenus consueta.

12. In Missa Dei sermo habendus est, non peregrino idiomate, sed vulgari, ut eodem plebeculæ consolentur.

13. Missatio pro vivis & defunctis, & pro quavis necessitate, aliena est à Christi instituto, adeoque impia & exterminanda.

TITVLVS IX.

De falso & carnali sacerdotio.

PARADOXA.

1. Sacerdotium sacrificulorum, unctorum atque rasorum, nihil minus quàm sacerdotium Dei est.

2. Est nimirum purè fictitium, carnale, & à Sathana excogitatum, ut hac ratione Christiani sacerdotii gloriam exinaniret, fructumque & veritatem illius evacuaret.

3. Simile per omnia est sacerdotio, ab impio Hieroboamo, prophanis vitulorum aureorum, atque excelsis excogitato. 3. Reg. 12.

TITVLVS X.

De statuis & imaginibus seu idolis.

PARADOXA.

1. Statuæ sive imagines licitè habentur, si nullus omninò cultus eisdem exhibetur.

2. Ubi autem coluntur, exterminandæ sunt.

3. Sic licitè habebatur serpens æneus ab Israëlitis, antequam ab eis coleretur: qui necessariò ab Ezechia ablatus est, dum colere-

tur 4. Reg. 18.
4. Cultus imaginum ipsissima idololatria est.
5. Proinde Exod. 20. & Deut. 5. Dominus interdixit, ne fiant aut habeantur.
6. Non est autem omnium, easdem exterminare, sed Principum ac Magistratuum.
7. Prophetæ enim eas prædicabant auferendas: sed ab Ezechia, Josia, & aliis piis regibus ablatæ sunt. Dominus mittat novum aliquem Josiam.

TITVLVS XI.

De ministris Ecclesiæ Dei, illorumque autoritate, & quid illis fideles debeant.

PARADOXA.

1. Ministros habet Ecclesia Episcopos & Diaconos: nullos præterea legimus.
2. Episcoporum primum, summum & necessarium ministerium est docere verbum Dei.
3. Eis, dum sani sunt, ipsum ministerium obmittere, & aliis committere haudquaquam licet, nisi major Ecclesiæ utilitas ad id urgeat, in tempus.
4. Adjutores verò & cooperatores etiam in ipso verbi sancti ministerio admittere possunt.
5. Aliud eorum ministerium est dispensare sacramenta, quod aliis committere licet.
6. Cæterum Episcopi sunt, non larvæ illæ prodigiosæ, sed sinceri ministri verbi Dei.
7. Ipsi cum eorum familiis ali debent ab his quibus evangelizant, qui ad id sunt compellendi à magistratibus.
8. Qui verè fideles sunt, non opus habent ut ad id à magistratibus urgeantur, scientes, quòd juxta Dei præceptum, non sit claudendum os bovi trituranti.
9. At impia pseudofidelium multitudo, nullius indigentis & laborantis vult habere rationem, sed solùm ad id nititur, ut sitim avaritiæ suæ quocunque modo exsatiet, aliis interim ad avaritiam imputans, si exigunt, quod etiam Deus eis præcipit dari.
10. Episcopi, Domini & Principes esse, ac leges fidelibus condere nequeunt.
11. Qui non administrant verbum Dei, nihil minus quàm Episcopi Ecclesiæ Christi sunt.
12. Diaconorum ministerium est, fidelium eleemosynas dispensare egenis.

TITVLVS XII.

De impio cœlibatu, & sacro conjugio.

PARADOXA.

1. Cœlibatus bona res est, si sit in fide & veritate.
2. Porrò spurcus ille cleri cœlibatus, à Christi doctrina est alienissimus.
3. Proinde execrabilis est constitutio, quâ ministris ecclesiæ, monachis ac monialibus, sacrum conjugium est interdictum.
4. Impollutus est sacri conjugii thorus, universis honorabilis, etiam monachis ac monialibus.
5. Quibus etiam, si se non continent, necesse est, ut relicto claustro, matrimonium contrahant.

TITVLVS XIII.

De purgatorio.

PARADOXA.

1. Purganda sunt corda nostra à peccatis.
2. Hoc nullo igne fit, præterquam igne Spiritus Dei, ex fide.
3. Ergo Ecclesia sola, in qua est fides, purgatorium est.
4. Purgatorium nimirum locus est purgationis peccatorum, qui præter Ecclesiam nullus est.
5. In ea fit, ut omnia sint fidelibus in purgationem, ob fidem.
6. Vanum ergo & fallax est, purgatorii illius prodigiosi figmentum.
7. Nec spiritus hominum fidelium, sed dæmonia sunt, qui apparent, & missas ac alia, ut à purgatorio illo eripiantur, requirunt.
8. Quod autem sapè aliquid veri dicunt, faciunt maligni spiritus, ut facilius credatur impostoris eorum.

TITVLVS XIV.

De Ceremoniis.

PARADOXA.

1. Ceremoniæ post Christum liberæ sunt, modo non sint contra verbum Dei, nihilque justitiæ ac salutis eisdem tribuatur, & necessariæ haudquaquam putentur.
2. Hæ pro infirmis & parvulis habendæ sunt, ut aliquid inde consolentur, donec grandescant in Christo Jesu.

TITVLVS XV.

De aqua, pane & fructibus superstitiosè benedictis, ac cunctis similibus.

PARADOXA.

1. Quia superstitiosa aquæ & aliorum benedictio à divinis eloquiis non habet autoritatem, & eis aliquid tribuitur ac fiditur: impia est, & nullatenus in ecclesiis ferenda.
2. Tantum enim derogat veræ fidei, quantum aliquid fidei ab ea exigitur.
3. Idem judicium est de universis quibus fiditur: ut sunt numeri precularum, habitus, & alia externa.

TITVLVS XVI.

De consecrationibus & unctionibus templorum, altarium, & hominum.

PARADOXA.

1. Præter Hierosolymitanum templum, nullum à Deo legimus alicubi institutum.
2. Fideles viva Dei templa sunt: & Ecclesia templum est: cujus illud Hierosolymitanum typus fuit.
3. Præterea altare fidelium jam non lapideum est, sed spirituale; nempè Christus, petra spiritualis.
4. Item fidelium consecratio non fit oleo aut chrismate, sed spiritu Christi.
5. Ergo figmenta sunt hominum, & propterea dimittenda, universæ consecrationes templorum, altariorum, cœmiteriorum, &c. item unctio chrismatis in baptismo.
6. Abusivè quoque fidelium tabernacula Dei templa vocantur.

TITVLVS XVII.

De sepulturis.

PARADOXA.

1. Impium est putare, sepulturam aliquid facere ad salutem.
2. Idem enim prorsus est; vel in agro, vel in quocunq

quocunque cœmiterio sepeliri.

3. *Qui loco fidit, perit.*

TITVLVS XVIII.

De confessione divini nominis, deque psallendi ritu.

PARADOXA.

1. *Confessio divini nominis, est fidelis professio veritatis ejus.*
2. *Ad eam primum spectat ministerium verbi sancti: deinde confessio verbi ipsius coram his qui exigunt: tertiò psalmodia.*
3. *Ultimum spiritu & mente implendum est: alioqui non confessio est, sed derisio.*
4. *Porro in Ecclesia non nisi linguâ illis qui adsunt notissimâ est psallendum, nisi sit interpres.*

TITVLVS XIX.

De Baptismo.

PARADOXA.

1. *Baptismus signum est, quo quis admittitur in consortium fidelium, profitentium veritatem mortis ac resurrectionis Christi.*
2. *Hujus officium est, fideli quoad vixerit signare, quòd cum Christo mortuus est carni & sanguini, ut Deo vivat.*
3. *Baptismi signum ab hominibus traditur, fides verò à Deo.*
4. *Baptizandi sunt fidelium parvuli, & qui inter eos sunt muti, aut rationis expertes.*
5. *Non enim sunt minùs capaces spiritus Jesu Christi, quam adulti.*
6. *Denique externa res est, ideoque non prohibenda: quin potiùs hoc signo ascribendi sunt filiis ecclesiæ, & illis à Deo spiritus Christi est petendus.*
7. *In baptismo non est quærenda unctio chrismatis pigmentarii, sed spiritus Christi.*

TITVLVS XX.

De cultu Dei vero & falso.

PARADOXA.

1. *Deus sola fide, & his quæ ex fide sunt, verè colitur & adoratur.*
2. *Non potest cultus Dei ex fide esse, quod ille non instituit.*
3. *Neque vult Deus nostro instituto coli, sed suo.*
4. *Ergo falsus Dei cultus est, quem Antichristi absque Dei verbo excogitarunt.*
5. *Verè Deum colit, qui de eo juxta eloquia sua in omni bonitate ac perfectione sentit, atque ex ea fide ipsum precatur, laudat, confitetur, &c.*
6. *Alioqui frustrà colitur: imò non Dei cultus, sed hypocrisis est.*

TITVLVS XXI.

Solum Deum invocandum, per unum advocatum & mediatorem Jesum Christum.

PARADOXA.

1. *Deus solus est omnis boni fons & principium.*
2. *Ipse enim gratiam & gloriam tribuit: & in eo solo est auxilium nostrum.*
3. *Ergo nullus præter eum, pro gratia, gloria, aut auxilio invocandus est.*
4. *Orandi igitur non sunt sancti, qui dormiunt, pro iis; sed is, qui eos sanctificavit.*
5. *Neque mediatores & advocati esse possunt: quòd hoc solius Christi sit.*
6. *Denique mortui sunt, à quibus nihil quærendum est, Deo prohibente: magis autem orandum, ut benè vivamus, & cum illis quandoque simus.*
7. *Quod autem viventes pro invicem orare, & se mutuò juvare debent, jussio Domini est, qui fidem & charitatem vult hac ratione exerceri: quo exercitio sancti dormientes haudquaquam egent.*

TITVLVS XXII.

De fide & justitia ac fructibus ejus, deque libertate fidelium.

PARADOXA.

1. *Fide non historicâ solâ, sed quâ Deo credimus & verè fidimus, justificamur; non ullis operibus etiam legis Dei.*
2. *Minus ergo operibus à nobis excogitatis, quantumlibet speciosa videantur.*
3. *Fides nunquam est inefficax, sed facit ut sponte lex Dei servetur.*
4. *Fructus fidei ac justitiæ, quæ est ex ea, sunt operâ ex fide.*
5. *Liberum facit fides ab omnibus prapedientibus, ut liberè Deo & proximis inserviamus.*
6. *Non tamen proinde liberi sumus à magistratuum obedientia: quin potiùs illis magis Dei verbo subjicimur.*
7. *Permittenda sunt fideli opera externa libera: ut jejunia, cibi, vestes, &c.*
8. *Nimirum fieri non potest, ut fidelis hac libertate abutatur.*
9. *Proinde qui abutitur, infidelis est.*

TITVLVS XXIII.

De Monastice.

PARADOXA.

1. *Ecclesia Dei sectas nescit: quod unita sit uno spiritu, uno Deo, uno mediatore, uno verbo, &c.*
2. *Ergo sectæ non sunt de Ecclesia, sed ab eadem alienissimæ.*
3. *Et Monachismus ad Ecclesiam Dei nihil pertinet.*
4. *Et quisquis ipsum admittit, ab Ecclesia apostatat.*
5. *Ad eam enim pertinere nequit, qui abjecto puro Dei verbo, vult hominum traditionibus regi & vivere, ac secundum illa colere Deum: sicut fit in Monastice.*
6. *Monachismus est contra charitatem: quòd faciat ut quærantur quæ sua sunt, non quæ proximorum.*
7. *Monachismus est ociosa, perniciosa, & merè pharisaica vita.*
8. *Vota Monastices sunt execrabilia, ideoque illicita & irritanda.*
9. *Monastice non habet pro se unum jota ex divinis eloquiis.*
10. *Monastice est contra libertatem Christianam: de qua 1. Cor. 7. Empti estis precio magno, nolite fieri servi hominum.*
11. *Obedientia namque, pauperies, ac castitas, quæ vovent, sunt contraria Christianæ obedientiæ, paupertati ac castitati.*
12. *Mendicitas eorum est rapacitas.*
13. *Mendicitas Minoritarum est etiam contra eorum regulam: cùm tùm solùm liceat eis mendi-*

mendicare, cùm ex labore manuum nihil reperiunt.

14. *Coguntur passim miseri negare Dei verbum, & contra conscientiam sacrificare, & alia impiissima agere, ad imperium Principum Phariseorum.*

15. *Possidentium thesaurizatio est ea, quæ maximè est Dei verbo interdicta.*

16. *Hæc à Deo maledicta est. Esai. 5. Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, &c.*

17. *Reseranda igitur universa claustra à magistratibus, & ex eis fidelium scholæ erigendæ.*

18. *Juvenes sani & fortes cogendi sunt ad labores, & ut qui nesciunt discant, alioqui non manducent.*

19. *Habenda verò est ratio senum & infirmorum, ut charitas exigit.*

Hæc Paradoxa publicè affixa sunt Homburgi: quò convenit ingens ex omni Hassia multitudo: adfuit quoque Illustrissimus Princeps ipse, & per Cancellarium suum potestatem omnibus fecit, adversus Paradoxa ista disputandi; atque iis quidem, qui Latinè vellent, cum Francisco Lamberto; contra iis qui Germanicè vellent, cum Adamo Cratone Fuldensi. Uterque istorum themata promulgata Franciscus Latino, Adamus Germanico sermone explicuêre, nemine contradicente, nisi Nicolao Herborn Minoritâ, Guardiano Marpurgensi, & M. Joanne Sperbero: qui in disputatione illa confusi, desertâ Hassiâ, aliò se receperunt. A disputatione Landgravius è Monasteriis & Cœnobiis Monachos & Moniales exire jubet: reditus Monasteriorum ad Academiam Marpurgensem, ad quatuor item Nosocomia transfert: idola è templis ejicit: Ecclesiis singulis fidos pastores præficit, Adamo Cratoni supremâ doctrinæ, rituum ac disciplinæ Ecclesiasticæ inspectione commissâ.

DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO

Lutherus respondet Erasmo, Erasmus Luthero.

Lutherus Diatribæ seu Collationi Erasmi de Libero arbitrio opponit librum de servo arbitrio.

In hoc libro docet:

Libertatem voluntatis nullam esse, hoc est, hominem nihil boni, non dico agere & perficere, sed ne velle quidem posse, antequam in Christum credat.

In Christum autem non posse illum credere, nisi à Deo foris vocetur per verbum, intùs ad Christum trahatur per Spiritum. Ideoque fidem non hominis opus, sed purum putum Dei donum esse.

Neminem hominum mereri posse, quin nec se præparare, ut fide à Deo donetur. Itaque penes Deum esse, cui fidem dare vel denegare velit.

Deum ab æterno constituisse, cui fidem dare velit cui non. Vel, Deum ab æterno aliquos homines elegisse, quos fide in Christum donare & per Christum salvare velit: aliquos reprobasse, quos constituerit in incredulitate relinquere & ita damnare.

Deum in electione sua ad nulla hominum merita, sed ad voluntatem suam solam respexisse.

Nostrum non esse, inquirere in illam voluntatem Dei, cur aliquos elegerit, aliquos reprobârit. Item, cur primos parentes labi, nosque omnes in peccato nasci permiserit. Ad summam, non scrutandam esse arcanam Dei voluntatem, sed in verbo patefactam. Et, discrimen arcanæ & revelatæ voluntatis in Deo non ab hominibus excogitatum, sed in Dei verbo esse fundatum.

Deum nihilominus summè bonum & justum esse, etsi eos condemnat, qui judicio rationis damnationem non sunt meriti: nosque hanc Dei justitiam in vita demum æterna plenè intellecturos.

In hac quoque vita aliquo modo intelligere nos posse, Deum esse justum, etsi videatur immerentes damnare: siquidem plenum jus habet in omnes creaturas, & homines liberâ voluntate damnationis rei fiunt.

Præscientiam Dei falli non posse. Itaque nec fieri posse, ut vel electus in incredulitate moriatur, vel reprobatus credat.

Nec tamen cogi homines ad malum aut bonum, sed volentes non coactos eos facere bonum aut malum, prout ipsi vel boni sunt vel mali.

Præscientiam tamen Dei non nudam esse, sed Deum efficaciter omnia in omnibus operari.

Doctrinam de servo hominis arbitrio & infallibili Dei præscientiâ utilem esse ad firmandam fidem & comprimendam superbiam spiritus.

Non tamen inquirendum in arcanam Dei voluntatem, utrum electi simus nec ne? sed agendam pœnitentiam credendumque: quæ duæ sint notæ electionis.

Refutat etiam Erasmum, qui in sua Diatriba scripserat: hanc Lutheri doctrinam,

in scriptura non contineri:
Scripturæ esse contrariam:
Principiis & de sapientia & justitia Dei contradicere.

Hoc Lutheri *Servum arbitrium* avidissimè tum fuit acceptum, cujus rei testes sunt creberrimæ editiones ejus temporis, quæ ex officinis librariis, Wittebergensibus, Augustana, Noribergensi & aliis certatim prodierunt.

p) Lutherus ipse tanti fecit hunc librum: ut de eo tamquam invicto gloriatus sit, & ad Wolffgangum Fabricium Capitonem anno 1537, nona Julii scripserit: q) *nullum se agnoscere justum suum librum, nisi fortè de servo arbitrio & Catechismum.* Eundem librum in precio magno habuerunt germani Lutheri discipuli, Brentius, Herbrandus, Cyriacus Spangenberger, Flacius Illyricus, Heshusius. Christophorus Lazius primus fuit, quod ego sciam, qui anno 1568. Flacii dogmata libellis aliquot oppugnans affirmaret: Lutherum tandem *servum suum arbitrium* revocasse. r) Quem Lazium falsi postulat Flacius, aitque *hac assertione Lutherum & omnes ecclesias evangelicas accusari, quasi quinquaginta retrò annis non pro veritate, sed pro mendacio contra Pontificios tanta contentione pugnarint.* s) Joannes etiam Wilhelmus Dux Saxoniæ præfatione Corpori doctrinæ Thuringico præmissa, *Audivimus*, ait, *aliquos publicis scriptis Luthero revocationis notam in doctrina de Eucharistia & servo arbitrio impingere. Nimirum hoc agit Diabolus: ut alios subinde*

inde atque alios Fidei articulos evertat, quos divino zelo vir Dei Lutherus ad finem vitæ constanter adsertos nobis reliquit.

p) Adversus Angliæ Regem.
q) Autographum hujus epistolæ est Argentinæ.
r) Libro germ. de peccato orig. contra Lazium.
s) Anno 1570.

Anno 1586. Tübingenses Theologi in Colloquio Mompelgardensi & à servo arbitrio Lutheri & à se ipsis discesserunt: quorum discipuli Ægidius Hunnius, Georgius Mylius, & alii nonnulli Lutherum propter servum arbitrium erroris & calumniarum reum peregerunt. Hodie omnes ferè Ubiquitarii in illa sententia sunt: Lutherum revocasse servum suum arbitrium, quibus anno proximo millesimo sexcentesimo decimo sexto Lutheranissimus Theologiæ Doctor Conradus Schlüsselburgius publicè contradixit, fortiterque confirmavit: Lutherum nunquam librum, quo de agimus, revocasse. Mussitant quidem nonnulli: revocationem illam factam Commentario Lutheri in Genesin cap. XXVI. At, inquiunt alii, Lutherus ibi tantùm damnat abusum doctrinæ de prædestinatione & præscientia Dei, vocesque sceleratas, ut vocat, eorum, qui sic loquuntur: *Si sum prædestinatus, sive benè sive malè egero, salvabor. Si non sum prædestinatus, damnabor, nulla ratione habita operum.*

t) Apologia Danielis Hoffmanni p. 57.

Contra has impias voces disputat, & sic disputat, ut non neget hypothesin: *hominem scilicet aut prædestinatum, aut non prædestinatum ad salutem, electum aut rejectum*: sed consequutionem docet esse nullam, imò sceleratam, impiam & diabolicam. Et tantum abest, ut doctrinæ, quam tradidit de servo arbitrio, quicquam ibi deroget, ut multò magis eam confirmet. Ait enim expressè: *Sic igitur in libello de Servo arbitrio & alibi docui: esse distinguendum, quando agitur de notitia vel potius de subjecto divinitatis. Aut enim disputandum est de Deo abscondito, aut de Deo revelato. De Deo, quatenus non est revelatus, nulla est fides, nulla scientia, nulla cognitio: atque ibi tenendum est quod dicitur: Quæ supra nos, nihil ad nos. Ejusmodi enim cogitationes, quæ supra aut extra revelationem Dei aliquid sublimius rimantur, prorsus diabolicæ sunt. Retineat Deus sua decreta & mysteria in abscondito: non est cur ea manifestari nobis tantopere laboremus. Mosi cupienti videre faciem Dei, responsum est: posteriora mea tibi ostendam, faciem autem meam videre non poteris. Sic Deus præscientiam & prædestinationem suam egregiè manifestat, sed non ista via rationis carnalis. Si Christum audieris, & in nomine ejus baptizatus fueris & diligas verbum ejus, tum certò es prædestinatus & certus de tua salute.* Et multis interjectis: *Hæc*, inquit, *studiosè & accuratè sic monere volui: quia post meam mortem multi Meos Libros* (nota, non tantùm servum arbitrium) *proferent in medium, & inde* (nota, non ait, inde colligent errores, sed) *errores & deliria sua* (non, mea) *confirmabunt. Scripsi autem inter reliqua: esse omnia absoluta & necessaria: sed simul addidi: quod aspiciendus sit Deus revelatus, &c.* Probat igitur doctrinam ibi traditam, sed improbat abusum.

Vix prodierat servum arbitrium titulo Lutheri: quando Erasmus illicò edidit *Hyperaspisten Diatribæ* adversus servum illud arbitrium Lutheri. Hoc in libello respondet ad eam partem, qua Lutherus pugnarat cum præfatione Diatribes: reliqua se per otium elucubratiora daturum promittit.

u) Melanchthon ad Camerarium: *Ecquid unquam legisti scriptum acerbius, Joachime, quam Erasmicum ὑπεράσπιστὴν? Est is planè aspis.*

u) Epist. ad Cam. p. 39.

Sunt tamen, qui existimant, Melanchthonem lectis Erasmi de libero arbitrio libris suam de servo arbitrio & prædestinatione sententiam mutasse. Et sanè si editiones Locorum Communium Philippi posteriores cum prioribus conferas: Melanchthonem in posterioribus & à se & à Luthero recessisse, deprehendes. Itaque quando Lutherus scribit sub initium libri de servo arbitrio: *Erasmi argumenta conculcata & prorsus protrita esse per Philippi Melanchthonis de Locis Theologicis invictum libellum, suo judicio, non solùm immortalitate, sed canone quoque ecclesiastico dignum*; respicit Lutherus priores locos, in quibus hæc leguntur Melanchthonis verba: *Postremò libertatem homini adimit divina prædestinatio. Eveniunt enim omnia juxta divinam prædestinationem, tum externa opera, tum interna cogitationes in omnibus creaturis.* Et allatis ad hoc diversis scripturæ testimoniis subdit: *Abhorret ab hac sententia judicium carnis, sed amplectitur eam judicium spiritus. Neque enim vel timorem in Deum, vel fiduciam in Deum certius aliunde disces, quàm ubi imbueris animum hac de prædestinatione sententiâ.*

EVCHARISTICA CONTROVERSIA exercuit Saxones, Suevos, Helvetios horumque socios Argentinenses. In SAXONIA Lutherus mense Januario epistolam scribit ad Reutlingenses, qua in Zwinglium & Oecolampadium invehitur.

x) Mense Octobri Micaëlem Stifelium Eslingensium Evangelistam, & Joannem Froschelium Augustanum Concionatorem ob constantiam fidei in tuenda manducatione corporis Christi orali dilaudat.

x) Tom. 2. Epist. Luth.

Idem Syngramma Suevicum vernaculâ linguâ Witembergæ typis descriptum magnifica præfatione ornat: in qua Zwinglius & Oecolampadius perstringuntur. y) De Sacramento denique Corporis & Sanguinis Christi sermonem publicat: in quo docet:

y) Exstat T. 7. operum Luth. Lat. Witteb. f. 335.

I. Hæresin esse, non credere, corpus & sanguinem Christi esse in pane & vino: & si quis illaqueatus sit hac hæresi, ei tantis per abusu Cœnæ sacræ abstinendum, dum inde se expediat.

II. Adversæ partis fundamenta præcipua in eo verti: quod manducatio corporis Christi oralis videatur
Absurda:
Non necessaria.

Quorum utrumque prolixè annititur confutare.

III. Cor hominis subtilius esse pane. At Christum per verbum prædicatum voce ministri in cor venire, multò magis igitur in panem.

IV. Per

IV. Per manducationem corporis Christi in pane hominem certiorem reddi de remissione suorum peccatorum.

SVEVICORVM Theologorum non una & eadem erat de Eucharistia sententia, Joannes quidam Landspergius edito libello germanico, Academiam Witembergensem supplicibus verbis rogabat: ut Sermonem Lutheri de Sacramento corporis & sanguinis Christi hoc anno publicatum, cum ejusdem sermone die Corporis Christi anno millesimo quingentesimo vicesimo quarto habitum conciliaret: z) cùm Lutherus urgeat hîc quidem spiritualem, illic corporalem manducationem carnis Christi.

z) Hic sermo exitat in tertia parte Post.

Idem Landspergius in προσφωνήσει ad Witembergenses conqueritur de LVTHERI convitiis in alios sparsis: docet. *à Spiritu Dei illa non proficisci: metuere se quoque ait, ne qui primi Evangelium agnoverint, primi illud amittant, si à spiritu caritatis & concordiæ deserantur.*

Cùm autem Witembergenses nihil responderent, edidit Landspergius aliud scriptum germanicâ linguâ, in quo oralem manducationem prorsus evertit, ut ipse loquitur: Er habe ihr das garaus gemacht.

VLMÆ Conradus Somius, AVGVSTÆ M. Micael Cellarius eadem quæ Zwinglius docebant. Contrà ANDREAS ALTHAMERVS Norimbergæ, THEOBALDVS BILLICANVS Nordlingæ, VRBANVS RHEGIVS Augustæ calamos in Zwinglium & Oecolampadium stringebant, studium hoc ipsorum passim in epistolis ad amicos suis mirificè comprobante Luthero. a) BRENTIVS quoque admonitus à Bucero; ut vicinos fratres auctoritate sua intra officii metas contineret, edito responso Bucerum & ecclesiam Argentinensem in quibusdam accusat.

a) Tom. II. epist. Luth.

HELVETII suam de cœna sacra sententiam contra Saxones & Suevos nonnullos tuendam duxerunt.

Ac JOANNIS quidem OECOLAMPADII Apologetica hoc anno conjunctim edita sunt: nempe,

De dignitate Eucharistiæ sermones duo.

Ad Theobaldum Billicanum: Quinam verbis Cœnæ alium sensum inferant.

Ad Ecclesiastas Suevos Antisyngramma.

SERMONE primo de dignitate Eucharistiæ probat:

I. Non se honorem suum sacramentis negare sed asserere,
fidei sinceritate,
veritate sine hypocrisi,
innocentia, caritate.

II. Non se sponsum Christum auferre Ecclesiæ: nec spiritualem cibum: sed proferre hunc potius.

III. Falsum esse, quod quidam clament; in Ecclesiis Helveticis nihil esse præter panem & vinum.

Neque enim, inquit, *ibi est vulgaris panis, sed à Christo nobis commendatus: & sacratissimum sanctissimi corporis signum. Et ubi memoria passionis servatur, audet quis dicere, nihil adesse præter panem & vinum? Denique caritatis fedus est in Cœna nostra, admirabile & ipsum.*

SERMONE secundo respondet adversariis, qui dicere audebant: Helvetios Judaismum sapere: & minus esse religionis & divini cultus in ecclesiis ipsorum, quàm apud Judæos ipsos.

Ad THEOBALDUM mirum quàm amicè scribat; Aggreditur autem demonstrare ex Matthæo, Marco, Luca, Paulo, Joanne: verba Christi Cœnam instituentis nullam aliam pati interpretationem, quàm hanc: *Panis est memoriale corporis Christi.* Unde concludit: se non inferre verbis Christi sensum peregrinum.

Inter alia contra oralem sanguinis Christi bibitionem & hoc argumento utitur. *Sanguinem non solùm hominis, sed & animantis bruti, ab ipsis Noæ temporibus usque ad Apostolos, edi vel bibi non fas erat. Et Apostoli ipsi, ita dictante charitate, à sanguine abstinendum sanxerunt: ut Judæorum infirmitati aliquid tribueretur, donec in unam ecclesiam hi qui ex circumcisione, cum his qui incircumcisi coalescerent. Propterea nec agni sanguis in votum Judæis patribus commendatus. Nihilominus autem sanguis in signum datus. Unde appositè Christus ad eam figuram respiciens sui quoque sanguinis pandit mysterium, dicens: Hic est sanguis meus: Quasi dicat: Vidistis signum in postibus & superliminaribus, nempe agninum cruorem, qui cruoris olim effusi indicium. At nunc ad poculum istud convertite oculos! Hoc enim non est sanguinis agni prisci, sed mei memoriale. Ille in Ægypto effusus: meus in cruce effundetur. Quia enim sanguis non est potabilis, & pro agno panem subjeci, in vini specie, quod bibere poteritis, anxiam sanguinis mei memoriam consecro.* Ibidem verba illa. Quod pro vobis traditur, ita explicat; ut τὸ *Quod* interpretetur per *Quatenus; Iuxta Hebraismum*, inquit, *Quod non ineptè pro* QVATENVS *redideris.* Et de sanguine. *Quæ necessitas*, inquit, *urget, ut colligam: Hoc est figura vel memoriale sanguinis qui effusus est: Ergò memoriale sanguinis effusum est. Cur non ut oportebat: Ergo memoria sanguinis, quatenus effusus est, vino significatur?* Postulat etiam ab adversariis, ut utilitatem aliquam corporis proferant. *Dicitis*, ait, *consolationem conscientiæ. At si qua est, ex memoria mortis & cæterorum beneficiorum Christi est: alioquin eo usu fraudarentur ii, qui cœnæ nunquàm adesse possunt.*

ANTISYNGRAMMA quod attinet: summam Syngrammatis suevi ipsi sub finem libri aperiunt, quando scribunt: *Nos diligenter collatis rationibus cogimur à spiritu verbi fateri: panem Cœnæ esse verum corpus* CHRISTI *neque tropicum neque hydropicum, sed illud ipsum, quod pro nobis traditum est: non detrahentes interim Christum à dextris Patris, sed donum corporis & sanguinis verbo commissum & conservatum & per verbum ad panem advectum, summa animi gratitudine suscipientes.* Summam autem ANTISYNGRAMMATIS responsum ad hæc Oecolampadii continet; primò. *Hoc est*, ait, *apud vos α & ω ut renuntiemus sensui, ubi Christus non jussit, ubi nullus articulus fidei monet, ubi nulla scriptura cogit. Breve profectò compendium ad statuendos quantoslibet errores.* 2. Fundamen-

damentum posuistis, quod non oportebat: Nempe in externa vi verbi tantam vim collocatam. Vnde haud mirum, si supervacaneus habeatur internus ille magister Christus: quod est revera supra arenam ædificare.

ZWINGLIVS non pauca & ipse hoc anno edidit in causa Eucharistica. Mense enim Martio respondit epistolis Theobaldi Billicani & Vrbani Rhegii, eorumque pro orali manducatione carnis Christi argumenta dissolvit. Mense Februario evulgat claram & brevem expositionem verborum Cœnæ: ubi primùm agit de falsis verborum Christi expositionibus: deinde eas refutat: tum genuinum verborum Christi sensum profert: tandemque ad objectiones respondet. Atque hic primus liber est, qui germanicè in hac causa à Zwinglio scriptus est. Mense Julio Norimbergenses hortatur: ut lectione suorum & Oecolampadii librorum civibus suis non interdicant. Mense Augusto, respondit Zwinglius publicè ad scriptum amici cujusdam non vulgaris, ad se privatim missum, de causa eucharistiæ. In qua responsione inter alia scribit: *Quod nos à veri adsertione ad hunc modum terres, quòd qui hanc rem unquam aggressi, extincti sint, parum moves: nondum nos piget Christine & ipsum nostri coram patre angelisque suis pigeat. Is quoque mortuus est, non pro veritate modò, sed ipsa veritas. Quid tibi Apostolos objectem? quum innumeri sint, non modò ex Christianis, sed ex philosophis ac gentibus, ausi oro veritate mori, neque ideò quòd occisi sunt, verum non fuit id, quod docuerant: sed sunt ista ultima carnis subsidia, cum veritatem nequit ferre vel superare, jam ad manus spectat: ferrum acuit, omnia miscet. Ego verò dudum didici, pium hominem terreri his non debere, beatumque fore qui in hoc mundo proscinditur. Quantò enim plus contumeliarum pro Christo tulerimus, tantò nos major manet gloria. Dominum oro ut me confortet, rari enim admodum fuerunt, qui ad finem perseveraverint. Quòd porrò mones, ne meæ scientiæ nimium fidam, nescio quomodo debeam accipere: Nam si fidei certitudinem intelligis per scientiam, sic ei fido, ut sciam veritatem superaturam esse, etiam ubi ossa mea in favillam fuerint redacta. Tametsi videam nonnullos sic armis fidere, ut nihil non sibi polliceantur. Occiditur quidem Christus, sed brevi resurgit, ac de hostibus triumphat. Sin verò scientiam pro eruditione accipis, non ignoro, mihi eam adeò mediocrem evenisse, ut ei fidendum non sit. Fuerunt multò plurimi, qui ut eruditione nihil polluerunt: ita fide ac veritatis scientia adeò clari fuerunt, ut nunc inter superos non aliter luceant, quàm in firmamento astra, &c.*

Mense Octobri scripsit Zwinglius epistolam ad Eslingenses: quæ impressa quidem extat Germanicè, sed in ejus operibus non habetur, in qua ita dicit: *Non papistæ tantùm, sed & illi qui evangelici videri volunt, ministros quoque verbi, nedum sedentes, in ecclesia loqui prohibent. Hoc verò magnas dissensiones alit: econtrà dum omnia dogmata examinantur, sed quæ bona sunt recipiuntur, concordia retinetur. Liberè vobiscum loquar. Concionatores quidam ab initio hujus controversiæ de sacramento corporis & sanguinis Christi, magna confidentia in palæstram descenderunt, & quia præstantes viros videbant à suis partibus stare, insolenter gloriati sunt, se corporalem Christi in cœna præsentiam, defendere posse. Postquam verò Deus hos quoque hallucinari passus est, ne in cordibus suis dicerent;* Mea sapientia hæc facta sunt: mea prudentia hæc veritas primùm proposita est: (*certum enim est multos nimium sibi tribuere, & videri velle quòd omnia soli fecerint*) *& hanc veritatem per viles & contemptos homines, tam perspicuè & firmiter protulit, ut magni illi, verbo Dei eam oppugnare non possint, vertunt se ad illa præsidia, ad quæ se pontifex & caro semper convertit. Vehementius clamant quàm ipse Papa;* hæreticos esse, Suermeros, nebulones, doctrinam eorum non esse audiendam. *Convertunt se ad violentiam, ad quam se Papa convertit, dicentes;* magistratum debere totis viribus illis obsistere. *At si nostra opinio tam manifestè falsa est, cur hoc faciunt? an fideles, per oppida & regiones, judicio carent? Quod si judicio præditi sunt, cur non potestas ea legendi eis permittitur, quæ per fideles evangelii ministros proferuntur? Sin verò falsa est, eò citiùs eam repudiabunt. Breviter, etiam abjectissimi verba in ecclesia, non contemnenda: sed audienda & judicanda sunt. Hoc enim pacem nutrit & concordiam. Accipite exemplum nostræ ecclesiæ, si vos non offendit, in qua nolumus ferre Anabaptismum, sed volumus etiam infantibus, qui non minùs ad fœdus Dei pertinent, quàm nos, baptismum conferre. Quidam se valde opposuerunt, & hac de re quædam scripta evulgarunt. Ibi nostra ecclesia ad hunc modum se gessit. Scripta cùm Anabaptistarum, tùm aliorum quoque etiamnum concedit publicè prostare. Doctrina ipsorum septies publicis & liberis colloquiis confutata est. Atque sic Anabaptismus sublatus & pædobaptismus defensus fuit, atque pax inter nos constituta quam aliàs consequi nunquam potuissemus. Illi itaque discordiæ autores sunt, qui id quod verum esse vident, quodque confutare non possunt, ideò odiosis clamoribus traducunt, quòd altiùs ab initio aquas ingressi sunt, quàm ut nunc pedem reflectere possint. Nam si controversiæ ex verbo Dei ortæ, in ecclesia liberè audiantur & judicentur, Deus ecclesiam suam non deserit. Non enim Deus est discordiæ, sed pacis & tranquillitatis. Atque sic unaquaque ecclesia veritatem cognoscet & amplectetur. Hoc papistæ intelligere & concedere nolunt. Ubicunque enim verbum Dei ad hunc modum tractatur, non amplius præcipere possunt, ut ipsorum arbitratu intelligatur: sed judicium ecclesiæ permittitur. Illorum exemplum sequuntur fanatici, qui carnem & sanguinem Christi carnaliter manducari asserentes, interim omnes alios accusant, quòd sint fanatici. Videte enim quæso fratres, quanam effugia quærant, si dicamus eandem nos vobiscum fidem profiteri, nempe fiduciam in mortem domini nostri Jesu Christi, id quod est comedere carnem ejus, & sanguinem ejus bibere; respondent, alium quoque esum esse carnis ipsius. Manducari enim corporaliter, & tamen spiritualiter. Etenim si dicamus,* carnem corporaliter comesam non prodesse, *inquiunt,* hoc fit spiritualiter, & tu non intelligis, infidelis es, Suer-

es, Suermerus, hypocrita, seditiosus. *Quòd si dicamus*, num Christus duo corpora habuit, unum corporale, alterum spirituale? *iteratis clamoribus Suermeros nos vocant; & dicunt*, corpus Christi essentiale spiritualiter comedimus. *Si dicamus*; idem nos quoque facimus, posita in mortem ejus fiducia, *iterum inquiunt*, Non satis est. Oportet eum etiam corporaliter, substantialiter, carnaliter, & tamen spiritualiter manducare. *Si respondemus*: duplex itaque erit corporalis esus corporis Christi, unus, quando in eum confidimus, alter quando carnem ejus corporaliter spiritualiter manducamus: *& postulamus ab eis, ut duplicem hanc manducationem scripturis confirment, statim furere incipiunt, & omni præsidio destituti, obmutescunt. Videte quæso quinam furiosorum & fanaticorum more agant. Non ex verbo Dei asserimus*, Christum edere, idem esse, quod in ipsum credere, neque ipsum manducari à quoquam corporaliter. *Etenim de naturali suo corpore dixisse*: Me non semper habebitis, &: Iterum relinquo mundum, & vado ad patrem, &c. *Ipsi absurdum hoc commentum afferunt de corporali manducatione, quæ nihilominus sit spiritualis, quam tamen verbo Dei probare non possunt, quemadmodum neque hoc, quòd Deus corporalem manducationem aliqua promissione ornaverit. O quàm libenter sextum caput Joannis huc torquerent, sed non possunt: quia jam pridem confessi sunt, & rectè quidem*, illo in loco de corporali manducatione non tractari. *Videte quæso quinam sint fanatici, nosnè qui tam evidentem sensum ex verbo Dei proferimus, & corporalem manducationem refellimus: an illi qui talem sensum verbis pingunt, quem nullæ mentes capere & credere potuerunt, quique nihil sit præter inane figmentum. Certè qui dicunt corpus manducari corporaliter & nihilominus spiritualiter, sunt fanatici vel Suermeri, si nomen hoc rectè intelligo. Furunt enim propter rem quam non intelligunt: nihilominus tamen omnibus persuadere volunt, se rem benè intelligere, quam alii non assequantur. Quemadmodum impostor ille ad nobiles quosdam dicebat, se templum ipsorum egregiis picturis exornasse, quæ ab illis duntaxat conspici possent, qui legitimo toro nati essent. Nobiles quia spurii haberi nolebant, omnes dicebant se picturam illam videre. Idem fit in hoc negotio, si magni illi doctores tragicis clamoribus contendant, illos non esse Christianos, sed fanaticos, qui corporalem præsentiam non credunt, singuli volunt in numero Christianorum haberi, & dicunt se credere quod tamen revera non credunt, &c.*

HELVETIORUM socii Argentinenses Theologi non defuerunt suæ causæ, Bucerus inprimis & Capito.

b) Bucerus enim accusationibus Brentii Apologiam opponit, qua fidem ecclesiæ Argentinensis de Cœna sacra exprimit, docetque: Lutheri de carnali & physico manducationis modo doctrinam crassam esse; siquidem totum negotium Cœnæ Dominicæ vertatur in fide passionis Christi, signis interim panis & vini adhibitis: ut hac altera ceremonia ad confitendam fidem nostram Ecclesiæque unitatem alendam & fovendam uteremur.

b) Apologia ministrorum Ecclesiæ Argentinensis.

Capito, quomodo præfationi Lutheri, syngrammati Suevico præfixæ occurrendum sit, Zwinglio suasit epistolâ per Joannem Fabrum Constantiensis Episcopi vicarium editâ. Sic autem Capito ibi: *Luthero velim responderi argumento tali per Oecolampadium, quale ex ipso cognosces. Nimirum ut rejiceret causam in Dominum nos eo modo tentantem, cum libera professione, quanta Deus per illum præstitisset, ut supra hominem propemodum crederetur. Proinde clementer huic malo mederi Dominum, postquam eum reliquit in tali errore, & permittit ad tantam oblivisscentiam caritatis recidere: ut tradat Satanæ, & Satanam dicat, quos deberet lege caritatis pro fratribus agnoscere.*

c) Idem Capito ad concionatorem Philippi Hassiæ Landgravii decimo quarto Octobris scribit ista: *Patientia & charitate superiores sumus, non solùm causâ. Nam Christi & Dei, non nostra est. Zwinglii & Oecolampadii modestia naturalis & spiritus est, eoque perpetua. Lutheri ardor fluxæ carnis, quam satis nec dum novit.*

c] Ex autograph.

Contentiones hæ quorsum exituræ essent, videbant prudentes multi & ingemiscebant. Erant etiam viri nonnulli pii, qui ista renascentis ecclesiæ vulnera iis sanare remediis tentarent, quæ non omnibus probarentur: Bucerus, Leo Judæ, Pellicanus.

Bucerus, dissuadente Zwinglio, germanicam Lutheri Postillam sermone Romano donans, Tomo quarto uno & altero loco, quæ verbo Dei parum consentanea videbantur, brevibus Notis indicabat: Præfationi etiam ad Fratres in Italia suam de cœna Domini sententiam inferebat. *Nostra*, inquit, *fides est: ut juxta doctrinam Pauli, quotiescunque comedimus panem Eucharistiæ & vinum bibimus, mortem Domini annunciemus, donec veniat: hoc est, expendamus, confiteamur & prædicemus: quod Christus corpus suum & sanguinem pro nobis redimendis in cruce Patri obtulit: quod verâ fide facientes, verè spiritum nostrum carne & sanguine Christi pasci, vegetari & roborari scimus.*

Idem Bucerus Joannis Bugenhagii Pomerani Enarrationes Psalmorum vertit in linguam germanicam: & hac occasione in psalmum CXI. de Eucharistia quædam disseruit, quæ ad conciliandas partium sententias facere videbantur.

LEO JUDÆ Tigurinus Theologus ut realis manducationis corporis Christi assertoribus viam muniret, quò ab errore suo commodè discedere possent, d) (sic enim factum Zwinglius excusat) germanicâ linguâ libellum edit, quem inscripsit, *Doctissimi Erasmi Roterodami ac Martini Lutheri opinio de cœnâ Domini nostri Jesu Christi, per Ludovicum Leopoldum.* Argumentum libri est: Erasmum & Lutherum ante motum bellum sacramentarium in spirituali Christi & præsentia & manducatione omnia posuisse.

d) In Exegesi.

CUNRADUS Pellicanus rogatus ab amicis, quænam Erasmi, quo Basileæ familiarissimè usus fuerat, de cœna Domini esset sententia, respondit: Erasmum solùm agnoscere Christi manducationem per fidem.

Verùm his doctissimorum virorum consiliis non conti-

contigit, quem optarunt, exitus.

Lutherus enim & Pomeranus, insignem se à Bucero accepisse injuriam rati, publicè de ea hoc anno conquesti sunt.

e) Lutherus quidem Idibus septembris epistolâ ad Joannem Secerium Typographum Basiliensem: in qua præfationem illam Buceri diram & sacrilegam appellat, & annotationibus virulentis opus suum crucifixum queritur. Pomeranus verò Apologiâ editâ, qua perfidiæ accusat Bucerum, quod de Eucharistia quædam psalmicis suis Enarrationibus intertexuisset. JUSTUS etiam JONAS præpositus Witembergensis germanicum Lutheri de Eucharistia libellum ad waldenses scriptum latinè interpretatur, & causam interpretationis hanc sibi ait fuisse: ut falsi argueret eos, qui Lutherum aliquando aliter de Eucharistia sensisse confirmabant. Verba ejus præfatione ad Joannem Ruelium Consiliarium Mansfeldicum sunt ista: *Cum quidam eorum, qui nunc de Eucharistia docent, negantque ibi sub pane esse corpus Christi, incredibili teneantur studio hujus doctrinæ quam latissimè spargendæ, & tot libris editis non mediocriter turbent Ecclesias: interim eo quoque evaserunt: ut incipiant judicare alienas conscientias, & quasi ipsi de sua sententia plus quàm certi sint, fortiter pronuntiare, neminem hactenus constanter credidisse, aut credere hoc potuisse, esse scilicet sub pane corpus Domini, adeoque Lutherum ipsum & illius sectatores diversum sensisse & sentire, ausint profiteri. Qui novi Doctores ut admonerentur, quàm multum sibi sumant, & quàm periculosa arrogantia illi judices se alienæ conscientiæ constituant: verti è germanico librum Lutheri ante triennium ad Waldenses fratres editum & conscriptum tunc, cum Lutherus etiam (ut non est usque adeò præ illis neophytus) minimè oscitanter versaretur in illo Eucharistiæ negotio expendendo & reducendo in viam, si fortè errarent, Waldenses fratres. Ex quo satis apparet: quemadmodum hodie sentit, sic & tunc sensisse Lutherum: cùm ne suspicari quidem posset, illam factionem exorituram.*

e) Alii ad annum 1527. referunt hanc epistolam.

ERASMVS quàm ægrè tulerit, ψευδωνύμῳ Leonis scriptum illud fuisse sparsum, non dissimulat epistolâ eâ, quam vocatus ad disputationem Badensem ad legatos Helvetios perscripsit, quam integram lubet apponere.

Fortissimæ Helvetiorum Nationi in Concilio Badensi Erasmus Roterodamus S. D.

Cum mihi non deesset animus unicè propensus ac promptus ad id, quò me cùm vestra omnium voluntas, quibus ex animo benè volo, præsertim eodem non minùs amanter quàm instanter vocante inclyto hujus urbis senatu, cui nihil non debeo, tùm ipsius negotii pietas invitabat, Domini & amici mihi semper observandi: tamen ut nihil aliud fuisset, hæc valetudo plus quàm vitrea, & ad quamvis levem occasionem periclitans, justiorem quàm ipse vellem præbuit occasionem, quò minus isti cœtui vestro liceret interesse. Quanquam absque me spiritus Jesu suggeret cordibus vestris salutifera consilia, ut omnes sitis unanimes in sana doctrina Ecclesiæ Catholicæ. Unum tamen erat, de quo pietatem vestram per literas admonere visum est, videlicet quod ea res non minùs vestra omnium referat, quàm mea. Sparsus est ante paucos dies libellus, cui titulus: Erasmi & Lutheri opinio de cœna Domini, *de quo difficile sit pronunciare, utrum plus habeat stultitiæ an malitiæ. Quum in singulis paginis iteretur nomen* Erasmi, *ipse, qui scripsit nusquam est ausus apponere nomen suum, nisi quod in calce subjicit nomen fictitium, quod ipsum statim argumentum est malæ conscientiæ. Deinde vehit me magnificis laudibus, hoc est, afficit honorifica contumelia, sic laudans prudentiam & eruditionem meam, ut persuadere conetur quasi faveam dogmati, quod jam olim damnatum est ab ecclesia catholica, quasi societas erroris valeat contra veritatem. At planè stultissimis argumentis conatur persuadere, me aliud celare in corde, quàm velim profiteri, cujus rei causam vult videri timiditatem. Præterea colligit è libris meis loca quædam impudentissimè depravata, & ad suspicionem detorta. Sed hujus scriptoris stultam insaniam, brevi libello edito depingam, fortassis intra sex dies. Nunc ne quem in ruinam trahat nominis mei fumus, quem artifex ille conatus est oculis simplicium offundere, illud modò vobis, Domini, testatum esse volo, me non recusare, quò minùs habear omnium hæreticorum princeps, si in meis lucubrationibus, quas scripsi plurimas, vel unus locus inveniri queat, qui de eucharistia secus sentiat, quam hactenus nobis præscripsit ex authoritate divinarum scripturarum ecclesia catholica, aut si quisquam mortalium audivit me probantem opinionem Wiclevitarum, quam nunc renovant quidam. Hoc mihi satis est apud homines. Testor autem Deum, qui solus novit corda hominum, atque hunc mihi precor iratum, si unquam in animo meo desedit sententia, quæ pugnat cum ea, quam hactenus magno consensu defendit ecclesia catholica. Quid aliis revelatum sit, ipsi viderint. Mihi nullæ rationes hactenus persuadere potuerunt, ut discederem à præscripto ecclesiæ. Nec hic metus est humanus, religio est ac metus iræ divinæ. Isti impudenter objiciunt timiditatem, quum ipsi non audeant suis libellis nomen suum adscribere, & fortes sibi videntur, quòd famosis furiosisque libellis, ac subinde novis opinionibus miscent orbem dissidiis.* Si dissentit, *inquiunt*, cur non scribit contra? *Quasi consentiat quisquis non scribit in adversum, aut quasi desint qui scriptis repugnent. Sunt isthic in concilio, qui viderunt quod exorsus eram scribere adversus opinionem Carolostadii, noveruntque causam, quamobrem quod cœperam intermiserim, nec is ignorat causam, qui hujus libelli fuit vel author vel instigator. Qui tales emittunt libellos plus quàm famosos, sine loci, typographi, authorisque vero titulo, nec famosos tantum, verùm etiam dissidiorum & hæreseon disseminatores, etiam apud ethnicos puniebantur capitis supplicio. Et quod apud illos erat capitale facinus, nunc quorundam lusus est, qui sibi videntur evangelicæ doctrinæ propugnatores. Habetis magnifici domini, animi mei sententiam bonâ fide declaratam. Proinde si quis ob sceleratum illum libellum impegerit, mihi non poterit imputare. Meo sum officio functus. Cæterùm vestræ justitiæ fuerit, curare ne levibus*

bus ac fatuis impune sit ad istum modum ludere, cum periculo tum vitæ, tum famæ alienæ, non sine pernicie reipublicæ. Precor ut dominus Jesus benè fortunet quod agitis, domini mei semper amplectendi. Datæ Basileæ, idus Maji. A. MDXXVI.

Hanc epistolam curavit Erasmus Germanicè vertendam, & utraque lingua descriptam, per proprium nuncium misit ad conventum Badensem, ut publicè recitaretur, id quod factum est: & paucis pòst diebus emisit libellum apologeticum, quem in epistola promittit. Putarat autem, Pellicanum ejus libelli autorem fuisse, cui respondet.

Idem ERASMUS acerrimè cum Pellicano expostulat de responso à Pellicano aliis dato de sententia Erasmi in causa Eucharistica, *Christum sibi parum propitium precatus, si ista sententia umquam insederit animo suo: in Eucharistia nihil esse præter panem & vinum, aut non esse ibi verum corpus & sanguinem Domini. Legi in sacris literis, Hoc est corpus meum. Nusquam legi: Hoc non est corpus meum, sed figura corporis mei. Neque verò ratiocinationem illam aliquid ponderis habere: Sic accipi possunt hæc verba. Igitur etiam sic accipienda sunt. Nec quenquam Patrum palàm loqui: ibi non esse corpus & sanguinem Christi.*

Novæ igitur scribuntur Apologiæ à Bucero, à Leone Judæ, à Pellicano.

Bucerus ut illatum sibi perfidiæ crimen dilueret, mense Martio anni insequentis ad querelas Lutheri & Pomerani respondet: ubi inter alia affirmat: *multa millia Christianorum persuasissimum habere, Lutherum pridem abundè esse confutatum & à quolibet sacræ scientiæ tyrone confutari posse.* Rejicit etiam Syngramma Suevicum Lutheri præfatione commendatum, & *Lutherum scripturâ ac rationibus nondum prodiisse* scribit. Ac quoniam Pomeranus divulgata Confessione fidei suæ omnino probare voluit: Bucerum sententiam suæ contrariam in suas Psalmorum Enarrationes intulisse, Bucerus anno 28. 4. Septembris præfatione Commentario in Sophoniam præfixâ, rem ab ovo repetit, ac perfidiæ crimen quo adspergebatur, in Pomeranum ipsum retorquet. Verba ejus subjicio. *Biennio hinc verti in lingvam popularem nostram Pomerani in Psalmos Enarrationes, simulque adjunxi, quæ pro fore lectoribus sperabam. nam datis ad me literis, ille non solum permiserat, sed jusserat etiam, ut operi adderem, demerem, mutarem, ut non minùs meum, quàm suum esset Psalterium. Id ita præstiti, ut nemo, qui in his judicare potest, non agnoscat, perutilem operi accessionem per me factam. Hac occasione, cùm & ipse in Psalm CXI. de Eucharistiâ aliqua tractasset, ego quoque nonnulla de eâ disserui, inter cætera verò, contra vulgarem, & ipsi quoque damnatam, panis Dominici adorationem, neque verbulum admiscui, quod vel cum veritate, vel cum sententia ejus pugnet. Ipse autem, nescio quo spiritu actus, diram contra me Apologiam, accusans perfidiæ, edidit. respondi illi, ut me & illum, & Ecclesiam Christi decere arbitratus sum. summa fuit, me capitis velle dare pœnam, si quid etiam contra suam sententiam scripsisse me eo loco posset convincere, quanquam id licuisset, quia ita tra-*

ctare eum librum jusserat, ut non minùs esset meum quàm ipsius. Jam in sua confessione, volens probare, me illius sententia contraria scripsisse, adducit mea, quali fide, ego nullius Turci, aut Scythæ, nedum illius, aut ullius Christiani, scripta adducere vellem. Refutans equidem vulgarem adorationem, inter cætera sic scripsi: Christus quidem, porrecto discipulis pane, dixit, hoc est corpus meum, sed jussit eum edere, & direxit ad corpus suum quod pro ipsis tradebatur in mortem, quo istuc crederent, & ipsum internè perciperent, ac spiritualiter manducarent. *his continuò subjunxi:* Dann sust das lyplich kein nutz, ja vil mer schad ist, *hoc est,* Alioqui id quod corporale est, non utile, sed potiùs damnosum est. *Hæc mea verba adducens Pomeranus, particulam,* sust, *id est,* alioqui, *omisit, nam non faciebat ad calumniam. Ego. n. nihil dixeram, quàm sine spirituali manducatione, corporalem non inutilem modò, sed & noxiam, iaque & ipse scribit. Quid verò audirem, si tam non bonâ fide scripta illius adduxissem? Simili fide postea scribit, me dicere;* Christum jussisse panem edere, qui non sit suum corpus: *quod si non solùm in communi illo nostro Psalterio, sed in ullo scripto meo invenerit, jam me volo ipse morti addixisse. Ubi autem hic pudor? ubi vel Ethnica fides? Quanta, quæso est hæc tentatio viri, meâ quidem opinione minimè mali! Post hæc iterum suam cantilenam canit, pani, accedere verbum, quod Evangelistæ memorant dictum discipulis, sed nolo hic tractare causam Eucharistiæ, abunde jam aliis libris tractatam, quanquam respondebitur proprio libro, vel per me, vel per alium, & Confessioni Pomeranicæ: tantùm qui Christi sint, & nobis alteram aurem servent. Monueram etiam hominem in Apologia mea, quando multis in locis Psalmorum germanum sensum non fuisset assecutus, ut non abjuraret ejus castigationem. Nam scripserat, se nunquam illud facturum melius, sed sic permissurum, ut sit memoriale illius insignis doni Dei, quo dederit ei, ad finem usque Psalmorum, absque alio duce, perrumpere. Hanc mihi nunc admonitionem invertit, quasi calumniatus sim, quod dixerit, insigne opus Psalmorum, tum quod quædam retractarit, quorum neutrum in mea Apologia legit, ut demirari satis nequeam, hominis incogitantiam, dicam, an quid aliud? Sed vel merita crimina regerere quid ædificet? Dominus ostendat illi suum errorem, tollat supercilium & confidentiam, donetque mentem sanctæ concordiæ paulo studiosiorem.*

f) Conqueritur etiam Bucerus de acerba Lutheri epistola, Commentario in Matthæum anno millesimo quingentesimo tricesimo edito, aitque se voluisse fratribus per Italiam fidei nostræ reddere rationem præfatione in Tomum quartum Postillæ germanicæ Lutheri à se versæ in latinum sermonem, & ex ratione illa, quòd *omnia miracula corporalia sint visibilia*, concludisse: Christum igitur non realiter & corporaliter panem fecisse suum corpus: quia non videatur. Lutherum autem vocem *corporalia* omisisse, & asseruisse, se ita argumentatum: Quædam miracula sunt visibilia. Ergo omnia: atque hinc collegisse ironica ratiocinatio-

natione: Christum regnare, falsum esse, eò quòd non sit miraculum visibile. Tandemque subjunxisse ditum hoc Epiphonema: *His spiritibus credat doceri veritatem, si quem perire delectat.*

f) In caput XXVI.

g) LEO JUDÆ contra epistolam Erasmi libellum edebat, quò profitebatur, se scripti illius autorem esse, quod attestatur epistola: nec novum esse dicebat, ut libri absque nomine interpretis edantur: se alia quoque convertisse in linguam germanicam, quibus non metu, sed humilitatis potius gratiâ nomen suum non præfixerit: se non esse mendacem, non nebulonem, sed illum potius, qui seditiosum illum Dialogum, qui *Julius* inscribitur, non appositio suo nomine publicaverit. (Erasmum notat) Probabat deinde: se nihil posuisse in suo illo libello, quod non de verbo ad verbum in Erasmi libris inveniatur.

g) Lavaterus historia sacra.

PELLICANUS ad expostulationem Erasmicam respondet, quid & quomodo dixerit, & quædam Erasmi scripta si non solam, certè præcipuam commendare manducationem spiritualem.

Sic igitur de libero hominis arbitrio, sic item de Eucharistia hoc anno certatum est.

Cæterùm Ecclesiæ quædam novæ repurgatæ, quædam ex repurgatis pleniùs hoc eodem anno sunt reformatæ. Puriùs Evangelium doceri cœpit in Ducatu Silesiæ Saganensi & Jegerndorfensi, in ditionibus item Marchionum Brandeburgicorum Franconicis.

h) In Ducatu Silesiæ Saganensi primi Concionatores Evangelici auditi sunt in pagis, Eckersdorff, Dietersbach, Kuna & Greiffenhaim. Quod ubi Georgius Saxoniæ Dux, cui tum Ducatus iste parebat, rescivit: præfecto Ducatus Sigefrido à Nechern mandavit: operam daret, ne quid ibi detrimenti religio Pontificia acciperet.

h) Chronicon Silesiæ germ.

JEGERNDORFENSEM Ducatum GEORGIUS Marchio Brandeburgicus à Georgio à Schellenberg Nicolai Troppaviensis & Ratiborensis Ducis genero emerat.

Is, qua fuit in Deum pietate, totam ditionem ab idolomania Papistica repurgavit, anno, ut habet liber Ecclesiæ Leibschützensis, millesimo quingentesimo vicesimo quarto, ut alii volunt, hoc vicesimo sexto.

Initia repurgatæ Ecclesiæ in ditionibus MARCHIONUM Brandeburgicorum FRANCONICIS quæ qualiaque fuerint, nemo nos docebit melius, quàm Marchio GEORGIUS literis iis, quas hoc anno, mense Majo, Jegerndorfio Onolsbacum ad CASIMIRUM fratrem, & Consiliarios ejus perscripsit: quas, quia GEORGII Marchionis in promovendo Evangelio zelum loquuntur, apponendas eâ quâ scriptæ sunt linguâ duxi.

GEORG Marggraff in der Schlesien
Hertzog, &c.

Unsern günstlichen Grufs zuvor, edle und liebe getreue, Wir schreiben hieneben unserm lieben Brudern Marggraff Casimirn &c. aus rechter brüderlicher und christlicher Lieb, aus mercklichen und beweglichen ursachen, wie ihr aus inliegender abschrifft vernemen werdet, und dieweil dann unser entlich gemüth und meinung ist, dafs solchem unserm zimlichen, christlichem gesinnen volg geschehe, so befehlen wir euch ernstlichen und bey den pflichten, damit ihr uns verwandt seydt: Ob jemand were, der gnanten unsern Bruder zu ychtig anders bewegen, dafs ihr getreulich darvor seyn, und gemelten unsern lieben Bruder dahin weisen wolt, sich angezeigter unser christlicher weifs und ausschreiben gemefs zu halten, daran thut ihr uns gut gefallen, als wir uns auch gäntzlich zu euch verlassen wollen, wiederumb zur billigkeit genediglich zu erkennen. Datum Jegerndorff Sambstag nach Bonifacii, Anno domini 1526.

An Herrn Hansen von Schwartzenburg.
&c.

An Herrn Hansen von Schwartzenburg, und andere Marggräfl. Casim. zu Brandeb. Räthe zu Onoltzbach samptlichen und sunderlichen.

FReundlicher lieber Bruder, wiewol ewr Liebe, und Wir, als die miteinander regierenden Fürsten, dieweil wir kein Gewalt und nichts anders haben, denn allein aus Göttlicher Verleihung, vergangener Zeit, als wir drauffen bey E.L. in unser beder Fürstenthumb und Landen gewest seyn, gantz Christlicher und billicher Weifs befohlen haben, dafs allenthalben in unser beder Land das heilig Evangelion und Wort Gottes lauter und rein gepredigt werden soll, und nichts das dawider ist, damit alle menschliche Satzung, die Seel und Gewissen belangend, ausgeschlossen seynd, mit dem weittern Christlichen und auch billichem Erbieten, dafs wir bede miteinander regierende Fürsten, ob den reinen Predigern des Göttlichen Worts getreulich handhaben, und wieder nichts seyn noch thun wöllen, das das heilig Evangelion und Wort Gottes nach rechtem Verstand mit sich bringt oder zuletst, das ist nu die gottlosen Misbräuch in der Kirchen abzustellen, recht besserlich Gottesdienst aufzurichten, für der Priester bübisch Leben, wo sie sich nit enthalten können, nach der Lehr des heiligen Apostels den Ehelichen Standt anzunehmen, und dergleich mehr zu thun, das das heilig Evangelion und Wort Gottes mit sich bringt und zuletst &c. So werden Wir doch auf unser fleisig nachfrag und erkundigung lautter bericht, dafs nicht allein das Wort Gottes in unserm Fürstenthumb an allen Orten, sonder auch zu Onolzbach in der Stadt nit lauter gepredigt, und dem Prediger im Stifft seines ärgerlichen, gottlosen Predigens, Menschentandt und Fabeln gestadt, sonder dafs auch Herren Hansen Ruerer Pfarrer in der Stadt, und ander recht Christlich und Evangelisch Prediger verhast und verfolgt, dafs auch unterstanden wird E.L. zu bereden, dafs die obgemelt unser Christlich und an ihm selbst zimlich erbieten widersprechen, und anders teutschen sollen, dann wie der Buchstab klärlich anzeigt, gleich als hetten wir die Wort, dafs wir bede wider nichts seyn noch thun wöllen, was das heilig Evangelion mit sich brecht oder zuletst, allein auffs predigen gemeint, über und wider das wir doch selbst offentlich ausschreiben mit stattlichen räthen beschlossen, auch erstlich unser beder unterthanen in den städten auff dem gepirg, auch folgend gemeiner Ritterschafft zu Onolzbach mehr denn einmal, in unser beder gegenwertigkeit gelesen, abgeschrifft davon geben, und am lezten offentlich in druck aufsgehen lassen, das wir dann nit allein in unsern, sonder auch in andern landen bey allen

christlichen herzen ehr ruhm und lob haben.

Darumb und dieweil solch unser offentlich ausschreiben an ihm selbst christlich und billich ist, auch fern von uns und allen Christen seyn soll, zu befehlen das wort Gottes allein in einem schein lautter und rein zu predigen, und doch zu verhindern demselben mit der that zu folgen, dann nit die, so Gottes wort hören, sondern dasselbig thun, werden seelig, also, dass die seeligkeit in der that oder vollziehung des Göttlichen worts, und nit allein in worten stehet; So ersuchen wir demnach E. L. brüderlich bittend, und durch Christum unsern Herrn vermahnend, E. L. wölle all gottlose Prediger in unser stadt zu Onolzbach abstelken, Herren Hansen Ruerer, und ander Christlich Prediger von unser beder wegen handhaben, und in gnedigen befelch halten. Auch darob seyn, dass sie ihr ehrlich competenz haben, und nit allein nicht verhindern, sonder auch darob seyn, und mit fleiss darzu helfen, dass alle gottlose missbreuch abgestellt, und meniglich zugelassen werde, sich dem Göttlichen wort gemess zu halten, unangesehen einiger menschlicher forcht, ungunst, oder ichts anders, damit wir als recht gottfürchtig fürsten erfunden werden, und uns nit auffgelegt werden mögt dass wir unser öffentlich ausschreiben und erbieten unchristlicher weis handeln, oder dasselbig allein zu einem schein, und nit aus rechtem Christlichen gemüth und glauben gethan haben, dann dabey gedencken wir mit der hülff, gnad und sterck des allmächtigen Gottes zu bleiben, auch unsere underthanen mit der hülff Gottes zu behalten, und also Gott in allweg mehr denn allen creaturen gehorsam zu seyn. Des versehens, E. L. sollen sich auch zu keinem andern bewegen lassen, das wöllen wir wiederumb in brüderlicher lieb und treue verdienen. Datum &c. ut suprà

Georg, &c.

An meinen gnedigen herrn Marggraff Casimir.

Speraverat Casimirus Marchio Brandeburgicus Georgii frater, de religionis negotio in Comitiis Spirensibus certi quid definitum iri. Quæ cùm illum spes fefellisset, mense Octobri i) scriptum promulgat, quo quid in Ecclesiis suis fieri velit, dum Concilium vel universale vel nationale celebretur, vel dum ipse aliud statuat, subditis ditionum suarum edicit. Summa est: *per ministros legitimè vocatos verbum Dei ex solis scripturis canonicis docendum: neque veterem neque novam religionem vituperandam: Missam Latinâ linguâ celebrandam, non intermissis tamen cantionibus Germanicis: Sacramenta non vendenda, sed gratis dispensanda: in usurpatione uniius vel utriusque speciei subditis suis ita versandum, ut nec Cæsarem nec Deum offendant: auricularem confessionem retinendam: infantes, prout voluerint parentes vel compatres, Latino vel Germanico idiomate in nomine Dei tingendos: jejunia solita continuanda, sed libertate conscientiarum salvâ: festos sanctorum dies celebrandos:* & id genus alia. Ex quibus patet Marchioni Casimiro non admodum cordi fuisse emendationem doctrinæ in suis Ecclesiis, siquidem mixtum quid ex Evangelismo & Papismo doceri voluit. Verùm illi proximo anno 1527. vicesima prima Septembris Budæ Hungarorum defuncto successit frater GEORGIUS, qui in gubernatione tùm suarum, tum Alberti ex fratre nepotis ditionum, hoc unicè egit: ut religio vera ubique efflorescceret, Pontificia succo favoris sui destituta exaresceret.

i) Exstat german. apud D. Hortlederum.

Pleniùs reformatæ sunt hoc anno Ecclesiæ Suecicæ, Borussiacæ, Frisicæ: Tigurina, Capellensis, Bremensis, Norimbergensis.

k) In SVECIA rex GOSTAVUS, ipse præcipuas regni provincias circumiens, turbas ab imperitis pastoribus, intempestivâ rituum mutatione, & clamoribus de doctrina absurdis, excitatas sedavit, & suâ voce sacerdotes, ne sine discrimine opera omnia damnarent, sed legis ac Evangelii, fidei ac operum doctrinam, veræ pietati necessariam, distinctè ac moderatè traderent, nec festos dies suo arbitrio abolerent, nec fanaticorum more tumultuarentur, hortatus est. Cùm enim superiore anno rex Gostavus Malmogiæ in Scania cum Friderico Daniæ rege convenisse: fanatici quidam doctores, Anabaptistæ, ac nominatim Melchior quidam Rincus, & Cnoperus Dolling, ex Germania cum Hollandis trajicientes, templum D. Joannis Stockholmiæ occuparant, & concitatâ plebe, statuas, imagines & organa ex templis tumultuosè ejecerant, & alia petulantiæ, in mutationibus non necessariis, exempla ediderant. Quos redux Gostavus in carcerem conjectos, postea ex regno proscripsit. Cumque passim in regno, ex Holmensi illa mutatione, scandala & tumultus commoveri intellexisset: visitationem illam ecclesiarum adjuncto sibi Olao Petri Theologo, primæ expeditionis suæ itinere, simul suscepit. Upsaliam verò reversus in Filii Dei Genethliis, cùm vehementissimè emendationi illi doctrinæ archiepiscopus & Canonici refragarentur, Disputationem de præcipuis Fidei Christianæ articulis publicam in Collegio instituit, cui ipse præsedit: Pontificias partes Doctore quodam Petro Gallio; Evangelicas, M. Olao Petri defendente.

k) Chytræus Chronico Saxoniæ.

Tandem (1527. 18. Martii) convocatis ad festum S. Erici Upsaliam omnibus regni ordinibus, publicè consilium suum de Religionis emendatione, & abusuum ac superstitionum abolitione, & vera Doctrina ac cultibus Dei veris in toto regno instaurandis exposuit, & episcoporum aliorumque ecclesiasticorum prædia & opes immoderatas, luxui ac fastui & seditionibus concitandis potiùs, quàm veræ pietati servientes, relictis illorum ordini alimentis ac sumptibus necessariis, ad communes Reipublicæ usus, & gubernatoris ac Regis fiscum, transferri petivit.

Huic verò emendationis parti acerrimè Episcopi & cæteri ecclesiarum præsides adversati sunt, qui per Petrum Gallium, & Georgium Turonis ecclesiæ Upsalensis præpositum, in consessu ordinum regni contendebant, Privilegia, libertates & opes, à Cæsaribus, regibus & principibus olim donatas clericis, literisque confirmatas, non debere neque posse, nisi sub perpetuâ excommunicatione, æternâque condemnatione, ullo pacto rescindi vel infringi. Econtra regis Gostavi & aliorum nomine disputabatur, veros ecclesiæ ministros, Docentes præcipuè, duplici honore, honestis vitæ alimentis, & reverentiâ dignos esse: sed desides reliquos ventres, qui nec Deo nec hominibus vel verbis vel factis inserviunt, publico stipendio

dio æquaquam alendos esse. Ad hæc, quæ iniquè vel non satis consideratè ab uno rege vel principe sint designata, illa jure ab eorum successoribus posse & debere corrigi atque emendari. Denique nullum in sacris literis apicem esse, qui ecclesiæ ministris Politicam potentiam, tantasque opes, annuosque reditus tribueret: quibus incitati ac freti adversus legitimos magistratus, ac reges suos, perpetuas ferè seditiones proximis centum annis concitassent, & assiduis ferè tumultibus ac bellis regnum turbassent. Pontificiis igitur sacræ scripturæ authoritatem frustrà quærentibus, conclusum est; *clericorum privilegia atque libertates in regum esse potestate, ut ea pro temporum & ecclesiarum conditione, vel amplificare ac tueri, vel succidere & imminuere, salvâ veræ religionis ac doctrinæ & cultuum Dei puritate, queant.*

Cùm autem pertinaciter adversari regis Gostavi instituto episcopi ac prælati, eorumque complices non desinerent: eumque passim in toto regno & apud exteros, tanquam hæreticum, & regiâ Majestate indignum, traducerent: & seditiones in Dalacarlia, personato quodam Nicolao Stur tanquam Stenonis Stur Gubernatoris filio subornato, & in Westgothia, tuendæ Religionis avitæ prætextu, accenderent, rex Gostavus, non cedens, nec fractus tot adversariorum odiis ac molitionibus, contra animosior ibat: & excelsâ magnitudine animi, nulla pericula, quæ gravissima mutantibus usitatas superstitiones proposita sunt, adire & sustinere recusans, Religionis emendationem constanti pectore nihilominus urgebat. Personatum Nicolaum Stur, qui à paræciis aliquot Daliæ, Orsa, Mora, Lixando, & Nidrosiensi etiam archiepiscopo, juvabatur: Dalii fraude ex Christiana Stenonis vidua, quæ obiisse filium significabat, cognitâ, sponte deseruerunt. Atque is in Norwegiam profugiens, cùm Marstrandi aliquandiu latuisset, Rostochium delatus est, ubi Senatus, regis Gostavi literis admonitus, captum capite truncavit. Petrus cancellarius olim episcopi Arosiensis, & Canutus ejusdem ecclesiæ præpositus, ob crimen læsæ majestatis ante triennium ab officio depositi, cùm itidem Dalios ad seditionem frustra sollicitassent, & ad Nidrosiensem archiepiscopum prætendentes se ob Lutheranæ hæreseos detestationem in exilium ejectos, profugissent, retracti ex Norwegia, ferente sententiam regni senatu, rotis impositi sunt.

Cùm magnâ frumenti inopiâ & fame regnum premeretur, quam in multis provinciis plebs ab episcopis & sacerdotibus edocta, Religioni emendatæ imputans, tributa annua regi pendere recusabat: rex aliquot millia Tinnarum in Livonia coëmpta, & in Sueciam transvecta, semitalero singulas vendidit.

Interea nihilominus collecto exercitu ad Arosiam ducit, datisque inde ad Dalacarlos literis, denunciat, ut sibi ad paræciam Tuna, vel armati ad prælium, vel inermes ad veniam petendam, sese sistant. Vbi militum coronâ cinctos, gravissimè objurgat, quòd prioribus seditionibus clementer condonatis, mox novam temerè moliti sint. Sed aliquibus se excusantibus, & veniam cunctis petentibus, Senatu regni intercedente, de autoribus seditionis supplicium sumptum, cæteris suppliciter deprecantibus vita condonata, & novum fidelitatis juramentum præstare jussi sunt. Postea Helsingis ac Gestritiis erratorum veniam petentibus, culpa omnis condonata, & pauci antesignani in custodia detenti, impunè dimissi sunt.

Joannes Magni, archiepiscopus Vpsaliensis à Gostavo objurgatus, quòd ecclesiarum emendationem, superioribus comitiis decretam, non exequeretur; convasatis occultè rebus omnibus, & antiquissimis regni literis & annalibus collectis, Dantiscum, ac inde in Italiam Venetias, & tandem Romam commigravit, ubi Gothorum Historiam, quæ extat, conscripsit, & in Hospitali S. Spiritus tandem, patriâ nunquam iterum visâ, decessit.

Tandem igitur Gostavus, in comitiis regni Arosiensibus, finire consilia, de Religionis ac ecclesiarum constitutione, jamdiu agitata volens: gravissimè in consessu ordinum regni, de episcoporum adversus se injuriis, desidia, & malitia, per Cancellarium conqueritur. Admonitos à se episcopos desides, neque curam gregis sibi commissi ullam gerentes, ut Evangelion prædicent, ecclesiam ipsi doceant, & cæteris officii sui partibus fideliter fungantur; hanc gratiam referre, ut Hæreseos eum vicissim apud plebem passim insimulent: & suâ impietate & malitiâ seditiones adversus regem passim concitent. Nimiam verò eorum potentiam, reditus & opes amplissimas, occasionem neglectionis officii proprii, & luxus atque fastus indecori, & seditionum adversus regem concitandarum instrumenta esse; Plebem denique superstitionibus exhauriri. Hæc quàm primùm corrigi ac emendari petebat. Quod nisi fieret, se Gubernationi regni, quam hactenus gessisset, renunciaturum esse. Itaque disertè & categoricè ab episcopis, regnique Senatu, responderi urgebat.

Cùm autem episcopos plerosque ac cæteros ipsis addictos Pontificios, nihil omnino de sua potestate & reditibus, in quorum justa possessione essent, cedere velle, nec gubernatoris regni inopiam sublevare, Gostavus intellexisset: vehementer commotus, Regnum illis in conventu publicè resignavit, & pro prædiis, quæ in regno haberet, hæreditariis, precium sibi persolvi, & impensas in liberationem regni à se factas restitui flagitans, in arcem rediit.

Postridiè Episcopis ac cæteris ordinibus inter se rixantibus, & M. Magno electo Stregnensi suadente, ut regi potiùs obtecundarent, quam regnum, quod sese mediocriter recolligere cœpisset, hostibus rursus dilaniandum prostituerent, denique procerum consensu institutâ vernaculo sermone inter D. Petrum Gallen & M. Olaum, de potestate ecclesiastica, disputatione, quò longius est progressum, tantò plures ab episcopis descisscere & regis cœperunt partibus adjungi.

Tertio demum die, plebejis urgentibus, ne senatus regni & episcopi novorum tumultuum auctores essent, sed regi nihil iniquum postulanti obtemperarent: vel si patriam in discrimen objicerent, sese futuros vindices, minitantibus, & nobilitatis magnâ parte ac civibus eidem sententiæ adstipulantibus: tandem pontificii suffragiis superati, communi omnium nomine, ad regem placandum mittunt regni Cancellarium & M. Olaum, qui frustra ad regis genua provoluti, lacrymantes redeunt, & regem in sententia persistere, nec dimoveri posse referunt. Itaque iterum alii & rursum alii mittuntur,

tuntur, qui tandem impetrant, ut postridiè se ad conventum descensurum promitteret. Adveniens, maximâ observantiâ ab omnibus ordinibus exceptus, & humilimis omnium precibus rogatus, ne regni molem à sese rejiciat, actionem inchoavit, atque inter reliqua ordinationem ecclesiasticam attingentia, concluſum est, ut episcopi atque prælati arces atque feuda regi traderent, & honestis contenti stipendiis viverent, Mulctæ fisco regio cederent. Regni quoque proceribus, ipsorum prædia, quæ vel donata, vel oppignorata, vel vendita Ecclesiis & Monasteriis fuerant, inde usque à Caroli regis constitutis ordinationibus legitimè recuperare concessum, jure suo hæreditario priùs coram judicibus & rege ipso demonstrato, & pro divenditis numerato precio. Hisce factis constitutionibus, reliqui episcopi arces atque feuda sponte resignarunt, excepto Joanne Brascio Lincopense, qui arce Munkebodâ, ut vivus frueretur, petiit: sed sponsores interponere coactus est, se simulatque domum rediisset, arcem regis commissariis traditurum, neque in perniciem regis vel regni quicquam machinaturum. Regi verò aliquando pòst in Ostgothiam venienti, splendidum convivium exhibuit, eoque jam hilari existente, ut sponsores ejus unà cum ipso liberi essent, impetravit, multaque de Gotlandia locutus, ne cum politica jurisdictione ecclesiastica quoque in Gotlandia insula, regno Sueciæ iniquè præriperetur, utile ipse censet, ut ab episcopo annuatim visitatio instituatur, atque hoc sibi munus concredi petit, eoque illi commisso, & rege Ostgothiam relinquente, aurum, argentum, nummos & quascunque res pretiosas poterat ex Ostgothorum templis atque cœnobiis corrasit, Sudercopiâ solvit, & post absolutam in Gotlandia visitationem, quemcunque exoptans ventum præter eum, quo in Sueciam reveheretur, Dantiscum appulit, atque Poloniæ in monasterio Lenda extinctus est.

l) In BORVSSIA Ducali publicatur Ordinatio Ecclesiastica, de ritibus, ceremoniis, administratione Sacramentorum, proclamatione novorum conjugum, pœna adulterii, feriis, funeribus, synodis: quam mense Decembri superioris anni in comitiis provincialibus Georgius Sambiensis, & Erhardus Pomesanienſis, Episcopi, Regiomonti Alberto Duci obtulerant, à quo ut & ab omnibus ordinibus fuit approbata. Lex ibi inter alias sancitur, ut matres, quæ infantulis suis vel per ebrietatem vel per incuriam cum vitæ illorum dispendio incubuissent, quod dicitur frequenter fieri, publicè pœnitentiam agant.

l) Ex ordinatione ipsa.

m) Vicesimâ nonâ Octobris Albertus Dux Borussiæ Apologiam edit oppositam insimulationi Theodorici à Cleen, Magistri Ordinis Teutonici per Italiam & Germaniam: quâ Albertus ostendit; se jure ordinem deseruisse, qui non à Deo sed hominibus institutus sit: communi Christianorum ordini & fraternitati contrarius sit: leges etiam contineat præceptis Dei minimè convenientes.

m) Acta à D. Hortledero edita.

In FRISIA Orientali proficiente Evangelii doctrina sub ditione Edsardi, & concidente Papismo, mirum quàm ægrescerent sacerdotes, & tota natio cucullatorum. A quibus excitatus Laurentius quidam monachus Dominicanus, Groningæ in claustris Jacobæorum Priorem agens, homo vanitatis pariter & impudentiæ pariter, jactabat apud suos, in Frisiam Edsardo parentem se iturum, & hæreses exorientes levi operâ dissipaturum. Jemgumum enim, quod insigne forum est in agro Reidano, in ripa Amasi situm, cogitabat, quò ingens rasorum frequentia quotannis, medio mense Junio, die eo qui Vito sacer est, velut ad solennem conventum confluere solet. Quò cùm veniisset, stipante gregalium catervâ, suggestum conscendens, pro more suo impudentiore in doctrinam reformatam invectus fuit; nec quidquam pensi habuit, quid diceret, dum modò malediceret. Sed aliquot Ecclesiarum ministri aderant ibidem, puritatem doctrinæ amantes, qui famâ Laurentii excitati, ex voluntate suorum isthuc se contulerant, & dissentem eum, ac dogmata sacra auscultabant infectantem. Hi vanitatem frontemque ejus mirati (nec enim quidquam, quod pondus rationum authoritatemve divinam haberet, in medium attulerat) indigneque ferentes, veritatem conspicuam impunè proscindi, coram tota multitudine in os ei contradixerunt, ac manifestæ falsitatis assertiones ejus convictas apud omnes, quibus sana mens erat, in pudorem dederunt, quanquam assertor ipse, pudere nescius, inter imperitos & sui similes triumphum caneret.

Postridie eodem loci è suggestu dixit Reinerus Monetarius, Laurentii comes, & ipse monachus Jacobæus, Laurentium propemodum vanitate atque impudentiâ superans, cui studium erat, ea quæ pridie à Priore suo disputata fuerant, tueri. Quem cùm patienter audisset, petulantissimè se jactantem, fumosque fundentem, Henricus Ecclesiastes Oldershemius, vir pietate fervens, & insigniter facundus, concione jam finitâ, multitudinem compellans, clarâ voce ait: Si quis defensionem veritatis, contra monachorum mendacia & vanos errores, audire cupit, me sequatur: progressusque è templo, sequente magno hominum numero, patenti in campo coronâ factâ, è loco paulò supra terram edito, concionem habuit valdè suculentam: ac licet pulsatis, magnâ vi, nolis, & clamoribus concitatis, turbare eum rasorum natio summo studio niteretur, constanti tamen animo in cœpto progressus peroravit. Ac plebs, oratione delectata, Henricum & Ecclesiastas alios enixè rogavit, ut docendi causâ sæpiùs isthuc ventitarent. Nam ea vicinia, culpâ suorum sacerdotum, in sordibus Papismi tuni temporis adhuc hærebat. At Laurentius hac concione vehementer commotus, irâ plenus, ut ignominiam deleret, themata pauca conscripsit, jactavitque, Oldershemum se iturum, & de his contra Henricum, & quosvis alios, à se dissentientes, isthic publicè disputaturum, si de fide publica ab Ulrico Dornumano, qui Oldershemi habitabat, sibi caveretur. Quâ sine morâ impetratâ (erat enim Ulricus, ut rebus gestis & genere clarus, ex amita Edsardi prognatus, ita studio aperiendæ propagandæque veritatis divinæ inprimis fervidus) venit ipse Oldershemum cum parastata suo Reinero, trahens secum ex agro Reidano, Papismo adhærentes, antistitem cœnobii Jemgumani, ordinis Joannitarum, quem Commendatorem vocant, sacerdotesque primarios, Jemgumanum, Hatsumanum, Ditsumanum, cum aliis nonnullis inferioris notæ: è quibus tamen quosdam tacitè cum parte meliore sensisse, memoriæ traditum est. Interea verò eodem celeriter excitaverat Ulricus suarum partium

Theo-

Theologos complures: inter quos erant, Georgius Aportanus Emdanus, Joannes Stephanus Nordanus, Lubbertus Cautius Leranus, Fridericus N. Peusumanus, Wibo Petcumanus. Qui cum adessent, atque his se junxissent Oldershemii duo, Albertus & Henricus, in templo ejus loci, præsente ipso Ulrico, & cum eo Herone Hiccohis filio, quorum in ditione Oldershemum & proximi aliquot vici erant, populusque audiendi cupidus templum compleſſet, initium à precibus ad Deum fusis factum, præeunte verbis Henrico Oldershemio. Tum Laurentius verba facere orsus, ut à se actionis periculum & onus amoveret, præsidis locum sibi & Ulrico popoſcit, cum potestate judicandi, cæteros actores esse voluit. Sed cùm repulsam tulisset, ac dictum ei esset, soli Dei verbo in hâc re judicium permittendum, jam latino sermone loquens postulavit, ut populus laicus (sic enim dicebat) ab actione submoveretur. Et quamvis ab Aportano refutatus instaret denuò, sacrasque *συζητήσεις* profanis imperitorum auribus non prostituendas contenderet; tamen nihil impetravit. Demùm hoc egit ut astiti suo Reinero partes dicendi tribuerentur. Sed hinc quoque rejectus in arenam certaminis tandem ipse descendere necesse habuit: excipiente verò presse, & errores crassos aperiente Aportano, licet strenuè suppetias ei ferret Reinerus, tamen turpiter ubique concidit, & vanitatem suam, aut potius vesaniam in theatrum productam cunctis præsentibus deridendam propinavit. Sic colloquium solutum, confusique omnes, qui vel interfuerant actioni, vel de ea audiverunt, papani: cæteri verò in fide confirmati, multi hactenus dubii ac hæsitantes, reformatis adjuncti: papismus magis magisque totâ ea regione fœtere cœpit. At Laurentius, ne non monachum se demonstraret, ubi domum revertit, in concionibus ad populum dejeravit, latè se vicisse, adeoque os obturasse omnibus adversariis: eos, dixit, Mariam *θεοτόκον* vilis scorti instar habere, cœnæ Dominicæ sacramentum minoris quàm elixum caput porci æstimare, Christum Deum non statuere. Quæ cum cognovisset Ulricus Dornumanus, ad frenandum os tam naviter impudens, & exultans mendacium reprimendum, ad Senatum populumque Groninganum, cui ipse notissimus erat, literas dedit, atque ordine & eventu colloquii accuratè expoſito hortatus eosdem est, ut id genus hominum, tam projecti pudoris, tam mendax, improbum, animis exitiale è civitate exturbent. Sed surdis fabula. Cucullatos enim tangere sub principe Geldro, & superstitione adhuc in urbe dominante, nemo audebat: & quicquid tale pro tuendo religionis papanæ statu à rasis verticibus committebatur, id quanquam notorii flagitii & non ferendæ improbitatis esset, tamen iis facile condonabatur, atque adeò zeli quoque nomine à popello erroribus fascinato ornabatur. Apud eos autem, quibus aliquid rectæ mentis erat, ista superstitio cum hujusmodi patronis suis vilescebat, & tantùm non etiam iis locis ubi regnum tenere videbatur, fœtere incipiebat. Sic enim judicabatur, tantam libidinem ac licentiam mentiendi iisdem in animis cum pietate habitare simul non posse, & sine dubio vitiosum id esse, quod talibus patrociniis opus haberet. Atque hoc ipsum primum judicium multos porrò ad inquirendum in rem ipsam, & invenſendum verum stimulabat. Quâ ratione fiebat, ut Laurentiana & Reinerana ingenia dum fulcire papisum talibus modis impensius volebant, latius cum in ruinam traxerint, Ulricus autem vir magni bonique nominis, ut veritatis notitiam cum sincerâ pietate promoveret, acta colloquii hujus ipse descripsit, epistolamque dedicatoriam ad juniores comites Edsardi filios cognatos suos narrationi præmisit: in calce verò themata quædam papanis oppoſita, imprimis de justificatione nostri, de unico mediatore ac redemptore hominum, & capitibus similibus subjecit, ac demum coronidis loco insectationem universi ordinis cucullatorum non vitâ minus improbâ quam doctrinâ impia probrosi superaddidit, omniaque Witebergam missa typis excudi curavit, eodem adhuc fluente anno quo res fuit gesta. Quâ sanè curâ, ut aliud adsecutus nihil sit ob stili ruditatem (armis enim quàm literis major erat) popularium suorum multos hæsitantes excitavit, ut papismo abjecto viam veritatis sequerentur. Hic fructus jactantiæ Laurentianæ fuit. Erat isto tempore in cœnobio Dominicano apud Nordanos Monachus literis apprimè excultus, Henricus Resius. Is in libris sacris, & scriptis patrum assiduus, & ipso certamine, quod de religione erat, excitatus, ac Lutheri, Melanchthonis, Zwinglii, Oecolampadii lucubrationibus editis adjutus, verum etiam videre cœperat: & jam in concionibus superstitiones impias, & crassos errores in papismo grassantes molestè taxabat, in sodalitio tamen gregalium suorum, & cuculla manebat. Oden verò Germanicam de mysterio eucharistiæ elegantem concepit, & mox à colloquio Oldershemio in vulgus edidit, ut in hâc quoque doctrinæ parte lucem aliquam mentibus affunderet, quæ quidem ita placuit, ut usus ejus in Ecclesiis statim reciperetur. Atque eam oden comitatus est in lucem exiens brevissimus tractatus de eodem illo mysterio à Georgio Aportano conscriptus, & per capita aliquot digestus, quo obviam itum idolomaniæ, & aliis superstitiosis, & cum analogia fidei pugnantibus opinionibus, quæ tum vicinis in regionibus in scenam prodibant. Resius autem jam satis confirmatus & de relinquendo ordine certus, ut majore cum fructu hoc faceret, capita aliquot doctrinæ ad subruendum à fundo papismum comparata conjecit in chartam, & copiâ ab Edsardo Comite libentissimè impetratâ Emdæ, Nordæ, Auricæ, adeoque passim celebrioribus locis totius regni templorum valuis curavit affigi. Simul verò omnibus eruditis, quibus papismus adhuc sapiebat apud nostrates, denunciavit, ista se publice disputantem tueri paratum esse contra quosvis dissentientes, ac oppugnare volentes, invitavitque ad faciendum periculum cunctos, quibus animus esset, aut qui pontificiam religionem asserere se posse quoquo modo arbitrarentur. Ecclesiarum quoque pastores orthodoxos, quibus per munia ministerii sui id liceret, ut actioni interesse, & discutiendis errorum tenebris operam conferre vellent, obsecravit. Diem & locum actioni dixit Calendas Januarias anni sequentis, apud Nordanos in fano cœnobii sui. Exitus disputationis hic fuit: ut Resius omnium, qui hostes non erant, judicio victor existimaretur, papana natio confunderetur. Pluribus hæc persequitur Ubbo Emmius rerum Frisicarum historiæ libro quinquagesimo quarto: quem, si placet, vide.

n) TIGU-

n) TIGURINA ecclesia novo scholæ Lectore ornatur hoc anno, Conrado Pellicano, qui de consilio Jacobi Meieri Consulis Basilienſis, tum quod tardius procederet Basileæ reformationis institutum, tum quod ibi inter Fratres Minoritas dissentientes non satis tutus esset, vocationi Tigurinæ assensit,& primam lectionem habuit Kalend. Martiis. Obtigit autem ei prælegendum Caput XV. Exodi. Itaque ita exorsus est: Gratia Dei me ereptum ex Ægypto fecit transire mare rubrum, ut nunc mihi cum sanctis liceat canere canticum illud fororis Mosis, & dicere cum gaudio: Cantemus Domino: gloriosè enim honorificatus est. Decimo septimo Martii deposuit cucullum, & vestibus communibus usus est: ætatis 48.

n) Vita Pellican.

o) CAPELLÆ, in Helvetia Bullingerus superiori anno paucos instituerat. Hoc verò anno abrogatur Missa: Cœna Domini ritè juxta institutionem Christi ab Abbate, Monachis totaque ecclesia celebratur, tollitur etiam cantus ille Monachorum à plerisque non intellectus.

o) Vita Bulling.

p) BREMÆ, Canonici Stephaniani sibi ipsis silentium imponunt. Cum enim in ipsorum templo Hermannus quidam, vir doctus & puriori religioni addictus, esset sepultus: Canonici propter templum ab ipso contaminatum conticuerunt.

p) Chronicon Bremense.

q) NORIMBERGÆ monasterium Augustinianorum & Fratrum virginis occluduntur: Monachorum alii ad S. Ægidii, alii in Carthusianorum domum relegantur: nonnulli rusticis informandis in pagos mittuntur.

q) Chronicon Norimb. MS.

EXILIIS porrò & MARTYRIIS innotuerunt hoc anno Ecclesiæ Dei, quos Vatiniano odio prosequuta est Synagoga Satanæ.

JACOBUS Faber Stapulensis Galliâ profugus Argentinæ exulat, sed mutato nomine, quemadmodum Comicus ille senex Athenis, ut jocatur in re minimè jocosa Erasmus lib. 18. epistolarum.

r) DANTISCI ab anno inde 1522, aliquot Concionatores Evangelium docuerant. Hoc autem anno astu Pontificiorum accitus in urbem Rex Poloniæ Sigismundus concionatores urbe expellit, pontificia sacra restituit.

r) Chronicon Schutzii.

MARTYRES hoc anno celebrati fuere in Hollandia, Anglia, Germania, Boëmia.

Martyrum Hollandicorum meminit Erasmus in volumine Epistolarum paginâ sexcentesimâ septuagesimâ octavâ.

In ANGLIA quid Joanni Randallo acciderit, Joannes Foxus memorat: s) *Habuit*, inquit, *Cantabrigiæ in Collegio Trinitatis Joannes Randallus, adhuc tyrunculus, tutorem Vuierum pro more ætatis illius, cui ob studium divinarum literarum, & sincerioris religionis non suspectus modò, sed & exosus esse cœpit. Atque ut hoc nemini tum non compertum fuit, ita an ab illo posteà suspensus fuerit, quia nullâ adhuc pervestigatione in lucem venit, certum non habeo, quod dicam: Verùm enim verò res in hunc modum habuit. Adolescens studiosus vix dum annum egressus vigesimum, aliquandiu inter suos desideratus, tandem post quatriduum ob cadaveris padorem, effracto ostiolo, suspensus suomet cingulo repertus est, intra musæolum suum, eo quidem modo: ut faciem haberet in sacrum Bibliorum codicem obversam, ac digitum porrectim locum scripturæ sacræ designantem, ubi de prædestinatione tractabatur. Singulari profectò res ea, & exquisito artificio non caruit veteratoris, quisquis erat hujus minister sceleris, nempe ut quum miser adolescens prædestinationis metu in desperationem actus videri posset, tum cæteri hoc deterriti exemplo juvenes, ab omni divinarum rerum pervestigatione, ceu re periculosâ, abarcerentur.*

s) Parte I. histor. cod.

t) IN GERMANIA Joannes Huglinus Lindavienſis & Petrus Spenglerus: ille igne crematus, hic aquâ suffocatus, de veritate Evangelica testati sunt. Huglinus Mersburgi, jussu Episcopi Constantiensis ad palinodiam invitatur, quam cum canere nollet, surgens vicarius Episcopi in Consistorio, in hæc erupit verba. *Autoritate Reverendissimi Patris & Domini, Domini Hugonis Episcopi Constantiensis, hunc hominem hæreticum, & sanctæ matris Ecclesiæ adversarium, Catholicæ fidei expugnatorem, damnamus, proiicimus & conculcamus, atque indignum sacris ordinibus privari & degradari præcipimus.* Dictum factum. Huglinus Politico Magistratui ab Ecclesiasticis à politico magistratu flammis commendatur, ad quas jamjam iturus, canticum Angelorum, Mariæ virginis & Ambrosii lætâ voce cecinit. u) Petrus Spenglerus pietatis & doctrinæ nomine Episcopo Constantiensi charus, lectis Evangelicorum libris deplorare cœpit cœcitatem Papistarum, & sacrificulis lectionem Bibliorum commendare. Accusatus ea de causa ad Episcopum Constantiensem, dolo captus, Friburgum Brisgoiæ ductus, tandemque regimini Ensheimio traditus, dignus judicatur, qui (ni errorem revocet) aquis immersus pereat.

t) Chronicon Bulling. M.S.

u) Martyrologium Rabi.

x) In BOEMIA Nicolaus Tornarius & Clara vidua sexagenaria, propter negatam corporalem Christi sub pane & vino Cœnæ Dominicæ præsentiam, igni adjudicati, constantissimè mortem oppetierunt. Mense Decembri, die Mercurii ante Festum S. Thomæ Apost.

x) Ex Archivis.

ANNVS CHRISTI M D XXVII.

VICESIMO Septimo anno *fervent bella Anabaptisticum & Sacramentarium, magno Ecclesiarum Evangelicarum malo.*

REGNVM *Papæ minuitur: regnum Christi amplificatur: Deo potentissimos Evangelii hostes inter se committente.*

EVANGELICIS *molesti sunt Erasmus & Islebius.*

Nonnulli Christi, confessores quidem benedictam, persequutores vero maledictam mortem obeunt.

ANABAPTISTÆ furunt Wormatiæ ad Rhenum, in Silesia, Bavaria, Helvetia, Suevia.

Wormatiæ docebat Evangelium Jacobus Cautius. Hunc Anabaptistico veneno infecerant Ludovicus Hetzer & Joannes Denckius sectæ illius coryphæi,

phæi, dum Wormatiæ Prophetas majores & minores ex Hebraico in vernaculum sermonem transferunt. Cautius septem Articulos publicè ad disputandum proponit, de quibus decimâ tertiâ Junii interrogantibus rationem redditurus sit. Erant autem Articuli isti.

I. *Verbum quod eloquimur, audimus, scribimus, non est vivum & æternum Dei verbum, sed tantùm testimonium & signum interni, ut externo etiam satisfiat.*

II. *Nullum externum verbum vel signum vel sacramentum nulla etiam externa promissio ejus est efficaciæ; ut internum hominem consolari & confirmare possit.*

III. *Pædobaptismus non est à Deo, sed directè contra Deum & Dei doctrinam per Jesum Christum filium eius nobis propositam.*

IV. *In Cœna Domini non est essentiale corpus & sanguis Christi. Necdum rectè illa Wormatiæ celebrata est.*

V. *Quicquid in veteri Adamo cecidit & mortuum est, id in secundo Adamo Jesu Christo longè abundantius resurget & reviviscet, idque ordine justo.*

VI. *Jesus Christus Nazarenus nulla alia ratione pro nobis passus est aut satisfecit, nisi insistamus vestigiis ejus, & quam ille trivit, eamus viam, & mandato Patris obediamus, perinde ut filius, quisque suâ mensurâ: Qui aliter de Christo loquitur, sentit aut credit, is ex Christo idolum facit: id quod omnes Doctores Theologi & Pseudo-evangelici cum toto mundo faciunt.*

VII. *Vt externus esus de pomo vetito, neque Adamo neque posteris eius nocuisset, nisi accessisset interna edendi cupiditas: ita sine interna obedientiâ & summa cupiditate æternæ voluntati obtemperandi corporalis Jesu Christi passio, non est vera satisfactio & reconciliatio cum Patre.*

His Articulis Ulricus Preu & Joannes Baro, Jacobi Cautii in ministerio sacro collegæ, totidem contrarios vigesima septima Junii opponunt. Argentinenses quoque Theologi Cautii Articulos refutant. Joannes verò Cochleus hac occasione usus ad Consulem & Senatum Wormatiensem scribit, eosque hortatur, ut missâ Lutheri secta, quæ in tot alias scissa sit, ad Romanæ Ecclesiæ gremium redeant.

SILESICORVM & Bavaricorum Anabaptistarum meminit Lutherus epistolâ ad Joannem Hessum Uratislaviensis Ecclesiæ Pastorem: a) *Monstra*, inquit, *de quibus ad me scribis Christus noster misericorditer compescat, & misereatur miseris istis hominibus Satanæ captivis. Similia geruntur in Bavaria: nec ferro nec igne possunt cohiberi: deserunt uxores, liberos, familias, & facultates. Sic furit Satan hac hora velut novissima. Mihi non videtur, ut Magistratui prodas. Prodent seipsos: & tunc Senatus urbe eos migrare præcipiet. Est in omnibus illis Münceri spiritus reliquus, deperdendis impiis & regnaturis in terra piis 27. Januarii 1527.*

a) Tom. II. epist. Lutheri p. 327.

b) In HELVETIA non uno in loco tumultuabantur Anabaptistæ. BASILEÆ disputabat cum illis Oecolampadius de pædobaptismo. c) de magistratu, de juramento, aliis. Acta sunt edita. In urbe & ditione Tigurina rebaptizabat non paucos Felix Manzius, de quo suprà, idque contra Magistratus mandatum. Cujus jussu sub finem anni superioris captus, & quintâ Januarii huius anni immersus in præterfluentem interiit. Ad navim abiturus Deum collaudavit, cuius veritatem morte sua obsignaturus esset. Anabaptismum enim clarissimis verbi Dei testimoniis niti: Et hujusmodi fidelium mortes à Christo ipso prædictas fuisse, asserebat. A matre & fratre animabatur ad constantiam: ipse jam jam moriturus clarâ voce cecinit psalmica illa: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

b) Bullingeri Chron. MS. c) Idem.

In SVEVIA Ulmensibus & Augustanis vel maximè molesti erant Anabaptistæ. Zwinglius ad Cunradum Somium Evangelistam Ulmensium d) *Dolet mihi*, ait, *fideles à Catabaptistis esse seductos. Sed bono animo esto: redibunt, si rectè tractentur. Nam apud nos multi, cùm eos audissent, inter initia nonnihil patiebantur: nam & plurimos in acerbissimum odium nostri traxerant mendaciis, quiritationibus, & quæ ante omnes eis est propitia, hypocrisi. Nos autem cùm veritatis scuto tecti, omnes ipsorum ictus constanter aut exciperemus aut elideremus, tandem apparuit, ubinam eos calceus urgeret. Errones sunt: mulierculas imò viros quoque circumveniunt, ut quicquid abstrusissimè reposuerint, depromant. Hinc illis nihil deest, qui nusquam diu esse possunt. Nusquam enim tuti sunt. Uberrimus ergo hic quæstus est, granaïloquentiâ victum parare. Suspenduntur simplices eorum sermone, haud aliter quàm Phæaces ad vafri Ulyssis narrationem oscitarunt. Efficient, ut aliquandiu rem Christianam remorentur: at nihil solidi ad maturitatem perducent. Perditi enim & nequissimi quique ad ipsos desciscunt, & ubi negotium non vident succedere, deficiunt à secta, & deinde universum Christi negotium contendunt fabulam esse.*

d) Tom. II. epist. Zwingl. & Oecolamp.

e) AUGUSTÆ Langemantelius de Cuneo patritius Anabaptistas suscipit, & ideo in villam suam Leutershoven à Senatu relegatur. Stephanus Agricola, Urbanus Regius, Joannes Froschius & Micaël Cellarius Evangelici concionatores jussu senatus in Senaculo disputant contra Anabaptistas, quorum antesignanus erat Jacobus Pellifex Waldshusanus. Supra centum utriusque sexus tenebantur captivi. Inter hos Ludovicus Hetzer cum pluribus civitatem ejurantibus dimissus: cæteri, alii aliis acrius, puniti sunt.

e) Gassarus, Henningus.

BELLUM SACRAMENTARIUM maximis viribus ab utraque contendentium parte gestum est.

Lutherus librum emittit de Eucharistia, quo ostendere conatur: *Quod verba Christi, Hoc est corpus meum, firma stent & immota, contra fanaticos Sacramentariorum spiritus.*

In hoc libro lectorem subinde hortatur Lutherus; ut omnium argumentorum scopulis devitatis, huic uni, Christi scilicet verbis simplici fide apprehensis, innitatur; idque pro ratione sumit, de quo controvertitur, verba nimirum Christi, quorum verum sensum utrum Lutherus tueretur, an Zwinglius, quærebatur. Ubiquitatem corporis Christi ex pronuntiato Domini, *Nemo adscendit in cælum, nisi qui descendit, &c.* adstruit. Substantia pa-

tia panis in Eucharistia an maneat vel non maneat, parum referre ait. Scribit & hæc:

Non esse necesse: ut corpus Christi adsit in pane, sicut vinum est in dolio: omnia esse in speculo: arbores esse in seminibus: Levi fuisse in lumbis Abrahæ, *quæ Marcionem olent.*

Carnem Christi pertinere ad dictum: Quod è spiritu natum est, spiritus est. Christi enim carnem non esse ex carne, sed ex spiritu sancto genitam. *Quod Schwenckfeldium sapit.*

Nostra corpora physicè percipere corpus Christi in Eucharistia.

Figuram apud Tertullianum intelligi Mathematicè de longo, lato, denso & rotundo, *contra apertissimam Tertulliani mentem.*

Verba Scripturæ, *Comedite festinantes: Est enim phase Domini*, non de agno, sed de die intelligenda esse, quia dies ille sit pascha & transitus Domini, non agnus.

Verba Pauli, *Petra erat Christus*, non de visibili & corporali petra, sed ipsomet Christo accipienda esse.

Corporalis manducationis fructum esse hunc: ut os, gula, & corpus, quæ corpus CHRISTI manducant, inde vitam æternam consequantur.

Huic Lutheri libro responderunt Oecolampadius & Zwinglius. Oecolampadius libello suo hunc præscripsit titulum: *Secunda justa & æqua Responsio ad Martinum Lutherum.* Inter alia demonstrat capite decimo octavo: nec se nec Zwinglium unquam docuisse vel scripsisse: fideles nudis duntaxat signis in sacramentis participare.

Zwinglius XII. Kal. Julii Responsionem suam ad Joannem Saxoniæ Ducem Electorem mittit. Responsionis illius initio Lutherum compellans, f) *Te verò*, ait, *iræ adfectu correptum furere & insanire, non equidem negare poteris, si modo librum tuum, quem tu ipse conscripsisti, probe perlegeris. Tanta enim convitiorum copia, & perversarum opinionum multitudo ex charitatis fonte & diligenti animi consideratione vel præmeditato studio proficisci non potest. Omnia enim omnium illorum scripta percurrito, qui unquam ex animi amarulentia scripsere, & vide, an aliquem invenire liceat, qui tam licenter omnes rationis limites transilierit, quam abs te hoc in libro factum est, in quo totus tibi excidisse videris. An ergo hanc animi impotentiam spiritum esse putabimus? An hic tibi contradicere nefas erit? &c.* Toto deinde libro docet: verba HOC EST CORPUS MEUM, veterem ac unicum sensum perpetuò retinere; & Lutherum ultimo suo scripto nec suum nec Pontificis Romani sensum confirmasse.

f) Tom. II. oper. Zwingl. fol. 378.

Idem Zwinglius in causa sacramentaria hoc anno edidit.

g) RESPONSIONEM ad libellum Jacobi Struthionis: in qua inter alia affirmat: *Cœnam sacram non esse institutam, ut fides dilatetur aut augeatur: (res enim externas internum hominem aliqua in re juvare, vel fidem augere non posse.) Sed potiùs gratiarum actionem & mortis Jesu Christi commemorationem.*

g) Tom. II. operum Zwingl. fol. 298.

h) EXEGESIN amicam, hoc est, expositionem negotii Eucharistici ad Lutherum, Februario mense. Respondet ibi ad sex scripta à Luthero edita, in quibus ipse reprehensus fuerat, antequam nominatim contra Lutherum quicquam scripsisset.

h) Idem fol. 324.

Nempe,

Ad Syngramma Suevicum à Luthero valdè commendatum.

Ad Epistolam ejus ad Hervagium.

Ad ea, quæ adversus Carolostadium & fanaticos scripserat.

Ad libellum de adoratione sacramenti, Boëmis inscriptum.

Ad epistolam ad Argentoratenses.

Ad epistolam ad Reutlingenses scriptam.

Deinde verborum Domini veram intelligentiam aperit: Lutheri errata detegit: de confessione & imaginibus pauca annectit.

i) APOLOGIAM ad sermonem Lutheri contra Suermeros, mense Aprili.

i) Ibidem fol. 367.

Hæ virorum in Theologia principum contentiones rem Evangelicam magnopere afflixerunt. Nam quæ vix dum renatæ erant Ecclesiæ, eæ in partes contrarias distrahebantur, aliis Lutheri, aliis Zwinglii sententiam amplexantibus. Erant, qui desertâ Hierosolymâ postliminio redirent Babylonem. Erant, qui suspensis animis exspectarent, ecquid tandem de summa rei Theologi essent definituri. Ridebant mali: gemebant boni. Pontificiis interim in Italia, Gallia, Germania, edictis, ferro, aqua, flammis in eos grassantibus, qui quod corpus Christi scriptura affirmat esse in cœlo, negarent esse in pane.

Præterea ex controversia hac sacramentaria nova hoc anno oriebatur controversia de Persona Christi, quæ hodieque multos bonos turbat. Cum enim Oecolampadius & Zwinglius præsentiam corporis Christi in pane impugnarent, & rationum à corporis Christi veritate & in cœlos subvectione deductarum vinculis Lutherum tenerent constrictum; iste ut se quoquo modo expediret, ad ubiquitatem confugit, & primus in Germania docuit: k) *etiam ante ascensionem in cœlum corpus Christi simul in cœlo & terra, imò ubique locorum fuisse.*

k) In libro: quod verba Christi adhuc firma stent.

Cui Zwinglius hoc ipso anno contradixit. *Responsione orthodoxa & Christiana ad Joannem Saxoniæ ducem:* ubi ostendit, in scriptura observandas esse phrases de Christo, quæ veræ sint per communicationem idiomatum, quam ipse ἀλλοίωσιν vocat: quando alterutrius naturæ proprietas tribuitur Personæ in concreto, ut Scholastici loquuntur.

HÆC certamina etsi non paucos sapientes & præcipuæ autoritatis viros à causa Evangelica tum alienarunt: nihilò tamen minus, Deo Evangelii cursum urgente, & mentes piorum flectente, plures subinde ad eam aggregati sunt, potentissimis Evangelii hostibus non sine numine inter se commissis. Captâ enim Româ & Pontifice Clemente in carcerem conjecto, Anglus & Gallus contrà Cæsarem conspirantes nova Ecclesiæ halcyonia vel insciis parant.

l) Mul-

l) Multi igitur ITALI, multi GALLI in his motibus lucæ agnitionis Evangelicæ sinceriòris irradiati, deserto Papa Christo nomen dederunt.

l) Bucerus præfatione in Matthæum.

m) MARIA Regina Hungariæ Ludovici Regis vidua Lutheri scriptis delectatur: cui Lutherus celebrem illum hymnum scripserat, qui in psalmicis libris Germanicis hodieque legitur, ingratum Pontificiorum auribus.

m) Sturmius Elencho priore pag. 81.

n) Joanni Friderico electoris Saxoniæ filio desponsa fuerat Cæsaris soror Catharina, natu minima, confectis atque signatis ea de re literis. Quum autem religionis incidisset in Saxonia mutatio, discessumque idcirco fuisset à pactis, Cæsaris legato Haunarto apertè dicente; *non esse fidem servandam hæreticis:* in matrimonium Joannes Fridericus hoc anno duxit Sibillam Joannis Ducis Clevensis filiam.

o) Hac occasione Fridericus Miconius Ducem Saxoniæ sequutus, *Dusseldorpi* Christum publicis in concionibus non sine vitæ discrimine est confessus.

n) Sleidanus. o) Vita Miconii.

p) In extrema Saxoniæ, boream versus, provincia, Albi & Eydoro fl. & Balthico ac Britannico mari intercepta, Christianus HOLSATIÆ dux, qui Patre Friderico Daniam gubernante, ducatum patrium administrabat, primam Ecclesiarum inspectionem & abusuum Pontificiorum emendationem publicam susscipit: commendata rerum Ecclesiasticarum & visitationis curâ præcipuâ Eberardo Widenseio Theologiæ Doctori, quem Magdeburgâ princeps evocarat: & Hermanno Tastio, Pastori Flensburgensi, quibus ex Nobilitate Joannes Rantzovius, aulæ magister, Joannes Reventlon, & alii adjungebantur. Eodem tempore in SCANIA etiam, Anconæ & sparsim alibi in regno Daniæ, puræ Evangelii doctrinæ semina spargi cœperunt.

p) Chytræus.

JOANNES Elector Saxoniæ, cùm dissoni multorum clamores Tribunitii, in prima illa cum pontificiis συμπάξει, passim extitissent: q) Inspectionem Ecclesiarum in tota ditione sua instituit, ut idonei pastores ac doctores populo præficerentur, qui rectè Ecclesias de omnibus fidei Christianæ capitibus docerent, & obedientiam ac reverentiam erga magistratus, & studium piæ pacis & tranquillitatis publicæ, in auditorum animis accenderent. Eius visitationis occasione, summa doctrinæ certa, de omnibus articulis ad alendam pietatem, & veri timoris Dei, fidei, obedientiæ erga Deum & magistratus, dilectionis proximi ædificationem, & consolationem in cruce, necessariis, omissâ peregrinarum & inutilium ecclesiæ opinionum & controversiarum, quæ vel non intelliguntur, vel ad pietatem parum conducunt, agitatione, à Philippo, qui unus ex inspectoribus fuit, Germanicè in libello *Visitationis Saxonicæ* comprehensa est, ad quam toties se, velut ad explicatam & salutarem doctrinæ utilis & necessariæ formam, in tanta primarum disputationum & opinionum varietate & confusione, Philippus ipse postea refert.

q) Idem.

r) Propter hunc libellum ad defectionem ab Evangelio se sollicitatum fuisse, Melanchthon ipse scribit: *Faber*, inquit, *ex Bohemia ad me scripsit, hortaturque ut deficiam à causa, habiturum me defectionis præmium conditionem aliquam apud Ferdinandum regem. Et interpretatur me labascere, quia in libello Inspectionis Ecclesiarum fui ἐπιεικέστερος, in quo tu vides nihil aliud me scripsisse, quàm quod passim tradidit Lutherus. Et tamen quia sine asperitate verborum scripsi, judicant isti, scilicet homines acuti, me dissentire à Luthero.*

r) Ad Camerarium epist. pag. 105.

s) PHILIPPVS Hassiæ Landgravius, cùm superiori anno ecclesiarum emendationem instituisset: Scholam quoque adjungendam esse judicavit, quæ seminarium esset ecclesiæ, in quo lux veræ & salutaris Evangelii doctrinæ, detersis pontificiorum aliarumque sectarum tenebris ac corruptelis, clara & illustris ad posteros conservata propagaretur, & aliæ bonæ artes, utiles tùm ad explicandam cælestem doctrinam, tùm ad omnem reliquam vitæ gubernationem, traderentur. Hanc enim causam conditæ Scholæ princeps in diplomate fundationis explicat.

s) Chronicon Schafferi. Chronicon Saxoniæ Chytræi.

t) In FRISIA Orientali Henricus Resius Nordæ Pontificios ad publicam disputationem provocarat anno superiori, Calendis Januariis hujus anni habendam: qui cùm venerunt, in magna hominum omnis generis frequentia (nam ex omni regione multi omninò utriusque religionis, præsertim viri eruditi, sacerdotes, monachi, Ecclesiarum ministri, isthuc confluxerant, ac plebs Nordana magno numero in fanum cœnobii concurrerat) præsentibus Jeltcone Iderhovio, arcis Berumanæ præfecto, & Egberto Aurifabro, consule Nordano, qui pro Comite dabant operam, ne quid indecenter aut turbulentè fieret. Ipse Resius, cucullum indutus, suggestum ascendit, dictisque ad Deum precibus, themata sua clarâ voce recitavit. Eo facto & exposito breviter consilio suo, ad disputandum modestissimis verbis eos, qui aderant, provocavit. Deinde silentio subsecuto, quiescentibus cæteris, tandem se commovit Gerardus Synellius, in cœnobio virginum apud eosdem Nordanos Abbas, homo literarum cultu insignis, cujus extat Carminum liber, infartus poëmatis aliorum autorum, editus anno æræ Christianæ 1512. & Hicconi Cankenio Dornumano dedicatus, omnibus fervidior in fulciendo Papismo: & pauca de se præfatus, conatus fuit themata convellere. Sed tam appositè & solidè ei respondit Resius, ac sacrâ authoritate traditiones ac doctrinas hominum tantâ evidentiâ confutavit, ut Synellium temerarii conatus sui in conventu tam illustri cœperit pœnitere. Et cum hic post pugnam non longam conticesceret, cæterorum nemo periculum certaminis, ob judicia hominum, qui aderant, ausus est rursum subire. Resius omnium, qui hostes non erant, judicio victor est existimatus: Papana natio confusa. Ille verò cùm peroràsset breviter, gratias Deo egisset, spectante omni multitudine, in suggesto cucullum posuit, ac monachismum cum toto Papismo abjecit. Secuta congratulatio bonorum, qui eum ex suggesto descendentem exceperunt, inter quos Joannes Aportanus fuit, & Joannes Stephanus, pastor Nordanus, cui & Rhodio, poscente Ecclesia, collega datus est. Hoc eventu latiùs adhuc Papana religio in Frisia Orientali, gaudente Edsardo, corruit, vix jam ut reliquiæ hic extra monastica claustra apparerent. Cætera sub ditione Edsardi, & quæcunque ad Orien-

tem Amasi., proximis mensibus quieta fuêre.

t) Ubbo Emmius hist. Fris. libr. 50.

FRIDERICUS Dux Silesiæ, Princeps Lignicensis reformationis Ecclesiarum suarum Apologiam edit, quæ in appendice Germanica Annalium Silesiæ Curæi legitur. Idem confessionem Theologorum suorum de Eucharistia publicat, cum fide Helvetiorum per omnia ferè congruentem. u) Scholam quoque illustrem Legnicii aperit, ad quam viros doctissimos ex Academiis vicinis evocat.

u) Chronologia Crantzhemii.

x) BERNÆ Evangelium subinde magis magisque efflorescebat in hoc tempore. Etsi enim superiori anno reformatam religionem abjurarant: Bertholdus tamen Hallerus in urbe, & alii hinc inde in ampla Bernatum ditione perrexere Evangelicam gratiam profiteri, primo Magistratus mandato de puro puto Dei verbo prædicando freti: Magna fit ad Ecclesiam accessio. Magistratus juramentum superioris anni revocat: primum edictum renovat; ut præter scripturas canonicas veteris & novi Testamenti nihil quicquam populo proponant, omnibus & singulis verbi ministris mandat, propridie Ascensionis Christi.

x) Chronicon Büllingeri MS.

Franciscus Colbius Bernas jam circa annum 1512. ibi concionatorem egerat, offensus autem mercenariâ civium suorum militiâ urbe excessit, Norimbergæ Carthusam ingressus, Biblicæ lectioni & vitæ sanctitati totum se consecravit. Hic ubi de novo hoc Bernensium edicto audiit, in patriam reversus concionatorum in numerum hac conditione fuit cooptatus, ut veritatem veteris & novi pacti populum doceret. Præstitit hoc pari cum Hallero & Sebastiano Meiero (cujus in Apocalypsin Commentarius exstat) fide. Dissidia religionis augescunt. Aliis, superioris anni fœdere & disputatione Badensi standum, contendentibus, aliis contra pertendentibus: iniqua esse omnia fœdera contra Deum inita: nec dum sciri, quid Badenæ actum sit, quandoquidem Acta non publicentur.

Bernates Lucernam mittunt, qui disputationis Badensis acta sibi communicari flagitent. Frustrà. Respondebatur enim curam edendi acta commissam esse Thomæ Murnero, monacho Franciscano, qui postea etiam illa edidit, inde Bernates si velint habere posse. Ferunt hoc ægerrimè Bernates, & suspicati id quod erat, Pontificios non optimè stetisse Badenæ, aliam disputationem sua in urbe decernunt, edito scripto, y) Decembris die 17. ad eamque finitimos convocant Episcopos, Constantiensem, Basiliensem, Sedunensem, Lausannensem, & ut ipsi veniant, suosque secum adducant Theologos, monent: alioqui mulctam denunciant earum possessionum, quas in suis finibus haberent. Deinde suæ ditionis homines Ecclesiasticos conscribunt, & ut in actione tota, veteris ac novi Testamenti scriptura sola pondus & authoritatem habeat, edicunt, & omnibus undecumque venturis eò fide publicâ cavent: hanc quoque legem statuunt, ut modestè, sine conviciis & injuriis omnia fiant, & liberè suam quique sententiam dicant, & ita pronuncient, ut à scribis excipi possint cujusque dicta: quidquid ibi decretum fuerit, ratum atque firmum esse per suam ditionem omnem jubent. Et, ut quibus de rebus agendum esset, constaret, eoque venirent omnes paratiores, themata promulgant, numero decem, quæ ipsorum Ecclesiæ ministri, Franciscus Colbius, & Bertholdus Hallerus profitebantur, & sacris literis confirmare se velle dicebant. Ea verò sunt ejusmodi.

I. *Veram Ecclesiam, cujus unicum sit caput Christus, ex Dei verbo nasci, in eoque permanere, neque vocem alterius audire.*

II. *Hanc ipsam Ecclesiam non condere ullas leges extra verbum Dei. Traditionibus igitur hominum, quæ titulum habeant Ecclesiæ, sic demum obligari nos atque teneri, si cum verbo Dei consentiant.*

III. *Solum Christum pro totius mundi peccatis fecisse satis. Ergò, si quis aliam salutis viam aut expiandi peccata rationem esse dicat, hunc abnegare Christum.*

IV. *Corpus & sanguinem Christi revera & corporaliter sumi, testimonio scripturæ probari non posse.*

V. *Missæ ritum, ubi Christus Patri cœlesti pro vivis atque mortuis repræsentatur atque offertur, adversari scripturæ, & contumeliam facere sacrificio, quod Christus pro nobis impendit.*

VI. *Solum Christum, ut intercessorem & humani generis advocatum ad Patrem, invocandum esse.*

VII. *Quòd sit ullus ab hac vita locus, quo purgentur animæ, in sacris literis non reperiri. Precationes igitur & Ceremonias illas omnes & exequias anniversarias, quæ mortuis impenduntur, & cereos, atque lampades, & id genus alia, nihil omnino conferre.*

VIII. *Statuam aut imaginem ullam proponi cultus causâ, repugnare sacris literis: proinde si quidem eo animo sint in templis erectæ, tollendas esse.*

IX. *Matrimonium non esse vetitum ulli hominum ordini, sed fornicationis vitandæ causâ, mandari cuilibet atque permitti sacris literis.*

X. *Cùm scortator omnis verè sit & testimonio Scripturæ separatus ab Ecclesiæ communione, sacerdotum ordini minimè omnium convenire cœlibatum impurum atque turpem.*

y) Sleidanus.

z) BASILEÆ Senatus perpetuis concionantium altercationibus tandem fractus, decrevit in re Missaria, ut intra mensis spacium utrinque libellos offerrent, quibus suæ quique rationes redderent doctrinæ: Pontificii, quare Missam suam asserant piam utilemque vivis ac mortuis in remissionem peccatorum: Evangelici verò, quare eam ut abominabilem & pernicioſam execrentur. Augustinus igitur Marius, consensu capituli, Missaticum sacrificium scripto defendit. Oecolampadius contrà, ejusque collegæ armatam (sic enim illam vocat Oecolampadius) orationem parant, quâ docent, se justis de causis Missam appellasse βδέλυγμα sive abominationem. Senatus negotium hoc difficilimum ad Concilium deferendum esse judicat: cives quiritantur, in una eademque urbe diversis populum sermonibus distrahi: petunt, ut Senatus huic malo in tempore medeatur: vicesimâ igitur septimâ Octobris Senatus decernit, permittendam utrique parti & concionum & fidei suæ libertatem, salvâ concordiâ animorum civili. Dum ita luctantur Basileenses, Wolf-

Wolfgangus Fabricius Capito epistolâ eos solatur, lectu minimè indignâ.

z) Vrstisius.

Capito fratribus Basileensibus.

Gratia Domini nostri Jesu Christi sit vobiscum in Domino fratres charissimi. Oravit hic frater, ut vobis ascriberemus salutem, ac interim, si quid ad rem videretur, commonefaceremus. Utrumque suscepi, & præsto, quatenus Dominus adest & ocium suppetit. Principio verò non possumus non judicare vos beatissimos, qui accepto verbi gustu, de vetustate carnis, adflictionum beneficio repurgamini. Privatis enim sermonibus quietum spiritum hausistis, quo carent, qui usu verbi luxuriantes, inani ecio noxiaque tranquillitate torpent. Facilius enim est sine aquis servare pisces vivos, quam spiritum tueri alacrem, inter pacem hujus seculi: quod affirmat, qui negat sibi illum esse discipulum, qui sublatâ cruce præeuntis vestigia sequi cessat. Discipuli meliore conditione non sunt Magistro: illum ipsum sunt persecuti: & nos igitur jure persequentur. Sic est ratio: ut nos mundum, & ille nos vicissim exosos habeat. Pari affectu alteri in alteros, sed exitu atque consilio dispares sumus. Illi quidem odio gloriæ Dei extimulati perniciem nobis admoliuntur: nos autem impulsi studio sanctificandi nominis Domini, id oderimus in istis tantùm, quod miseris mortem conciliat, & conditori creaturam vitiat, adeò felicitatem æternam pro subitariis illecebris, si ita ordo operum Dei fert, exoptamus sedulò. Quid igitur? Ignominiâ notamini publicâ? Sed in splendidam istud gloriam facit, quæ inter electos Dei sempiterna manebit. Auferuntur facultates, & fortunis omnibus spoliamini? Verùm centuplum accipietis & vitam illic æternam possidebitis. Exulatis patria & infami interim supplicio caditis? At in cælo solida est patria vobis, ubi vita fruemini immortali: adeoque cum Christo, qui tyrannos morte suâ vincunt, citiùs alibi triumphant, quàm corpus vel edacissimis flammis possint hinc absumere vel etiam diligentissimi carnifices. Nam quod de dormitione sanctorum scribitur, ad corporis otium pertinet. Ergo tantum abest, ut affligamur, constanti morte confessorum nunciatâ, quod animo gaudiis exuberanti prædicemus in illis gloriam ac potentiam Domini, etiamsi plurimi transmittantur quotidie ad Christum. Nam videmus inde confirmari addubitantium pectora. Quanta itaque testificatio est exaltati Christi, quod qui nomine fidei præstant, per magistratum contumeliæ causâ insigniantur notâ aliquâ, cujusmodi gloriæ loco meritò habetur. Pauciores autem vobiscum perimuntur, quod ita Domino visum est, ut stabiliantur ceu lenibus pluviis ac sementis mollioribus plantulæ, in arbores maximas prodituræ. Neque dubito quin hæc Dei munera vobiscum, quàm ego spiritu minore præditus vel prædicare sustineam, augustiora reputatis: postquam desævicente persecutore rebusque deploratis quisque soleat in Deum promptus confugere, quàm qui pace affluens, dotibus amplissimis præditus, vel summo conatu possit. Videor enim videre in abdito cordis vestri vivam assurgere indies experientiam de clementia Dei erga vos, quia quotidie in acie consistitis: sicut experientia Dei præsentis exoritur certissima, quoties providentia patris aut ab insidiis liberat, aut è discrimine surripit, aut eximit humanum timorem fortiori illo divino judicio. Maximè verò dum in gustu malorum, sed major sensus consolationum: qui tum purissimus elucet, ubi electi cor excesserit omnia elementa, quali dote vos prædisti estis, qui tantâ concordia in Eucharistia gloriam Christi intelligitis. Interea date operam, ut precibus à Domino efflagitetis, ne quid vos adversus rationem gloriæ Dei & analogiam fidei amplecti sinat. Nam variis undique libellis piorum simplicitas modò sollicitatur: ut omninò opus putem cautiore sententiâ, quæ est, ut spiritus, num ex Deo sint, probemus: In qua & mirificè ancillabitur libellus Martini Borrhai, cui titulus est, De operibus Dei, *quem oro ut accuratè & devotè perlegatis, id ex eo lecto amplexuri, quod spiritus calculo suo in animis vestris comprobat. Nam cautio sit maxima, ne quid foris præ nobis feramus, cujus dogmatis non simus intus certissimi, alioqui enim sine fide conaremur, quod jaxè peccatum est. Ex fratre Guithelmo, qui has pertulit, modum ac profectum Ecclesiæ nostræ intelligetis, quem vobis, qui hic Domino servimus, diligenter commendamus. Dominus vos servet. Amen. Argentinæ. Septembr. Anno 1527.*

In oppido BISCHOFSHEIM, quod in Greichgoia situm nobilissimæ Helmstediorum familiæ paret, præconem Evangelii hoc tempore agebat Nicolaus Renneisen Benshemensis Palatinus. Is epistolam ad Hebræos ad populum interpretatus, Missaticum sacrificium solidis scripturæ rationibus confutat. Ad articulos etiam falsò sibi impositos scripto respondens, totum idolomaniæ & superstitionum Pontificiarum chaos validissimis argumentis disjecit. Germanicè omnia edita sunt à Theologis Heidelbergensibus, multis post obitum Nicolai annis, videlicet an. 1563. idque ideò, ut intelligerent nostri homines, quæ nunc Dei beneficio in Ecclesiis Archi-Palatinis sonat doctrina, eam jam tum sub initium renascentis Evangelii in his terris sub nobilissimarum familiarum patrocinio fuisse doctam: de cœna præsertim sacra, de qua hæc leguntur Nicolai verba: a) Diss Nachtmal soll aller Christen menschen übung seyn, in der gedechtnüss des Leidens und sterbens Christi, so lang als die welt stehet. b) Item: Christus hat diss Sacrament zur gedechtnus seines todes gestifftet, an welcher gedechtnus die Christen menschen ihren glauben üben sollen: also dass ein jeglicher mensch für sich selbst festiglich glaube, dass der leib Christi für ihn in den todt gegeben, und sein blut zur verzeihung seiner sünde vergossen sey, ihme darumb lob und danck von hertzen sage. c) Item: Wie man den sterbenden das Nachtmahl reichen solle, nemlich gantz, in Zeichen und Worten, und solle sie alda mit ganzem fleiss erinnern des leidens und sterbens Christi, welches ein einiger trost sey eines sterbenden menschen, so er mit dem glauben dran hafftet, und alle sein vertrauen von ganzem herzen drauff stellet. d) Item: Das Brodt im Nachtmahl ist seines getödteten leibes Sacrament, und der wein ist seines unschuldigen, vergossenen bluts

Sacrament. Und wie der getödtete leib Christi und sein vergossen blut sampt mit einander ein einiges volkommenes und gantzes werck sind unserer erlösung, also seynd auch des Herrn brodt und wein sampt mit einander ein einiges vollkommenes und gantzes Sacrament.

a) pag. 73. b) pag. 200. c) pag. 92. d) pag. 85.

e) AUGUSTÆ Urbanus Rhegius, NORDLINGÆ Theobaldus Billicanus, lectis Zwinglii & Oecolampadii de cœna Domini libris, Lutherum deserunt. Et Urbanus quidem, scriptâ suâ manu ad Zwinglium epistolâ, testatur se ab ipso stare. Billicanus verò ad Oecolampadium, & coram Petro Gynoræo, homine & pio & docto, confessus est, se contra sententiam Helvetiorum nihil posse. f) Nec diffitetur hoc Lutherus ipse: *Urbanus Rhegius*, inquit, *minari dicitur in me scripta. Scilicet Oecolampadium & Zwinglium tantos viros (ut sentit) non vult offendere: sic mutatus est ab illo.*

e) Tom. 3. epist. Zwinglii & Oecolampadii p. 588.
f) Tom. 2. epist. p. 330.

EVANGELICIS hoc anno molesti fuêre Erasmus & Islebius.

ERASMUS secundum Hyperaspistæ librum emittit adversus Lutherum: de quo hæc sunt ejus ad Joannem Vergaram verba: g) *Absolvimus secundum Hyperaspistæ librum, quod facere non poteramus, nisi priùs diligenter perlectis Lutheri scriptis, in quibus tantum est scommatum, sannarum, convitiorum, gloriarum, insultationum, ovationum ac triumphorum, ut me minimo minus tædio enecarint, & priusquam chartæ calamum admoverem. Prorsus illic sensimus ἀλμυρὸν λόγον, ut habet proverbium, nec ullum absinthium amarulentius.*

g) Libr. XX. epist. 14.

LUTHERUS ad Michaëlem Stifelium, *Erasmus*, ait, *viperinas duas Hyperaspistes vel Hyperaspides potiùs in me peperit* h) Melanchthon quasi intermedius epistolâ ad Erasmum, i) *Utinam*, inquit, *non esset tam atrox certamen inter vos susceptum. Neque satis enim habuit fortasse tuæ dignitatis rationem Lutherus. Et tu vicissim illum mirificè deformasti, quem quidem virum ego meliorem esse judico, quàm qualis videtur facienti de eo judicium ex illis violentis scriptionibus ipsius. Plus pro futura erant Ecclesiæ utriusque vestrum studia, si ad sananda hæc dissidia conferrentur. Et faciat Christus, ut consilescat hæc inter vos contentio, ὃς ἔδει ἀγωνοθέτας εἶναι, ὑ τῶν διχοστασιῶν, ἀλλὰ τῶν καλλίσων ἐπιτηδευμάτων.*

h) Tom. 2. epist.
i) Epist. Philippi ad Camerarium, pag. 90.

k) Rursum Erasmus Martino Bucero causas exponit per epistolam, cur. se non adjunxerit Evangelicis. *Colligis tu quidem mille conjecturis, cur Ecclesiæ vestræ non dederim nomen. Verùm scito, primum ac potissimum omnium, quod me ab isto consortio revocavit, fuisse conscientiam, cui si persuaderi potuisset, à Deo proficisci quod agitur, jam olim in vestris castris militarem. Proximum est, quòd videam in isto grege multos alienos ab omni syncerita te Evangelica. Mitto rumores & suspiciones, de compertis experimento loquor, atque adeò meo malo compertis, nec in vulgo tantùm, verùm etiam in his, qui videntur esse aliquid, ne dicam proceres. De ignotis non est meum judicare, mundus latè patet. Novi quosdam optimos, priusquam huic professioni sese addicerent, quales nunc sint nescio: certè aliquot comperi factos deteriores, nullum meliorem, quantum humano judicio perspici potest. Tertium quod animum meum deterruit, est ista tanta inter primores negocii dissensio. Ut enim omittam prophetas & anabaptistas, qui amarulentis libellis inter se conflictantur Zwinglius, Lutherus & Osiander? Principum sævitiam nunquam probavi, sed hanc quorundam mores irritant, quum oportuerit sanctitate commoditateque morum commendare Evangelium, si apud vos esset quod jactatis.*

k) Lib. XIX. epist. fol. 651.

l) De Luthero ita judicat hoc anno ad Georgium Saxoniæ Ducem: *Ego profectò nunquam satis demirari potui hominis spiritum & ingenium. Si malo perversoque spiritu ducitur, quid unquam exortum est exitiabilius ecclesiæ catholicæ? Sin bono, in multis desidero fructus evangelici spiritus, ne dicam in omnibus. Sin mixto, qui potest duorum spirituum tantus esse vigor in eodem pectore? Multa quidem irrepserunt in vitam Christianorum vitia, jam non ferenda, quædam sic abierunt in consuetudinem, ut pro virtutibus habeantur. Itaque piis hominibus multa displicent, quæ mutata vellent, si citra tumultum orbis fieri queat, cujus animi scio Cæsarem esse. Sed Luthero displicent omnia. Verùm ista factio, etiam si nemo scriptis oppugnet, etiam si Pontifex & Cæsar conniveant, ultro dissipabitur. Tanta est inter ipsos discordia, ne commemorem mores hujus populi, quem nobis gignit hoc Evangelium, minimè Evangelicum. Superest, ut principum autoritate pollens sapientia, sic coherceat seditiosam Lutheranorum licentiam, ne altera ex parte surgat periculosius incendium: de malis monachis loquor.*

l) Lib. XVIII. epist. fol. 570.

In causa Eucharistica lusit more suo. Cùm enim Bilibaldus Pirckeimerus Senator Norimbergensis secundam hoc anno responsionem ad Oecolampadium edidisset: Erasmus postridie Lucæ ad Bilibaldum scribens, m) *Nunc*, inquit, *ad epistolam quâ veluti θριαμβευθεὶς de Oecolampadio, cujus negotii me judicem esse noluisti: nihilo secius tamen licuit ex ea summam capere voluptatem, non tantùm ob id quòd lepidissimis scateat jocis, sed quòd te quoque hilariter vivere declaret. Ex ea didici, quòd nesciebam, me rursus ab illo attactum. Opinionem illius longè meliorem nunquam dixi. Illud inter amicos dixi, me posse in illius sententiam pedibus discedere, si probasset eam autoritas Ecclesiæ: sed adjeci, me nullo pacto ab ea posse dissentire. Ecclesiam autem voco totius populi Christiani consensum. An idem dixerint Hypocritæ, quorum meministi, nescio. A me certè sine fuco dictum est & ex animo, nec unquam de Eucharistiæ veritate vacillavi. Quantum apud alios valeat autoritas Ecclesiæ, nescio: certè apud me tantum valet, ut cum Arianis & Pelagianis sentire possim, si probasset Ecclesia, quod illi docuerunt. Nec mihi non*

non sufficiunt verba Christi, sed mirum videri non debet, si sequor interpretem Ecclesiam, cujus autoritate persuasus credo scripturis canonicis. Fortasse plus vel ingenii, vel roboris est aliis: ego nulla in re tutiùs acquiesco, quàm in certis Ecclesiæ judiciis, Rationum & argumentationum nullus est finis.

m) Libr. 30, epist. 8.

JOANNES Agricola Islebius Philippum Melanchthonem flagellabat, quòd in visitatione Saxonica docuisset, pœnitentiam à timore Domini incipi. Fama de hac dissensione subitò longè lateque sparsa est. Convenerunt igitur Torgæ Lutherus, Philippus, alii, ubi dissidii illius fama sepulta est, ut loquitur Lutherus. n) Melanchthon ad Camerarium: o) *Reprehendit*, inquit, (Islebius scilicet) *quòd docerem inchoari pœnitentiam ab amore justitiæ, quòd de legis prædicatione urgenda nimius sim, quòd alicubi male detorserim scripturas, quod quibusdam locis Christianam libertatem læserim. Facit me bis Papistam. Sic ego audio apud amicos. Nolo autem te hac dissensione quicquam moveri. Dabit mihi, ut spero, Deus hanc mentem, ne quid faciam, quod augere discordias Ecclesiasticas possit.* Erupit autem undecennio post ulcus Antinomicum, quod jam tum sub Islebii pectore latebat reconditum.

n) Tom. II. epist. pag. 363.

o) Libr. epist. ad Camerar. pag. 112.

Porro BENEDICTA MORTE obierunt hoc anno nonnulli constantes Christi confessores;

Leonhardus Cæsar,
Georgius Carpentarius,
Joannes Reichel,
Georgius Wincler,
Wendelmut vidua Wurdensis,
Martha mulier Boëmica.

p) LEONHARDUS cognomento Cæsar, cùm Wittembergæ literis operam daret, certiorque esset factus à fratribus de adversa patris valetudine, atque illicò se in patriam recepisset, Rappam Bavariæ oppidulum, Passaviensis Episcopi mandato captus hæc doctrinæ capita defendebat:

1. Solam fidem justificare.
2. Duo tantùm esse Sacramenta, Baptismum & cœnam Domini.
3. Missam non esse sacrificium, neque prodesse vivis aut mortuis.
4. Confessionem delictorum esse consilii, non præcepti.
5. Solum Christum satisfacere pro peccatis.
6. Votum castitatis non obligare.
7. Scripturam non loqui de Purgatorio.
8. Nullum esse discrimen dierum.
9. Mortuos non esse intercessores.
10. In rebus divinis non esse liberum hominis arbitrium.

p) Sleidanus. Rabus. Acta Martyrum. Lutherus Tom. 3. Jen.

Productus in judicium, volebat hæc ad populum explicare copiosiùs, sed prohibitus fuit. Erat in consessu reliquorum Eccius. Agebantur autem omnia Latinè, ne populus intelligeret: ipse verò linguâ populari differebat, nec ab eis impetrare potuit, ut idem facerent. Tandem Episcopi voce damnatus pro hæretico, mensis Augusti die decimo sexto crematus est, jubente Bavaro principe Guilielmo: cujus jurisdictioni traditus fuit à condemnatione. Nam Episcopus, ne sacra scilicet polluere, vel prophanus, &, ut ajunt, irregularis fieret, de vita illius atque sanguine non pronuntiebat. Ultimæ morituri voces erant: *O Domine Jesu, patere mecum, sustenta me; da mihi robur.* Et rursum, in ipsa flamma. *O Domine Jesu, ego sum tuus, conserva me.* Memorabile est, quod refert Rabus, ductum unà fuisse sacrificulum facinorosum ad supplicium, qui identidem has voces ingeminarit: *Ego ne quidem dignus sum, qui tibi in hac pœna associer, justo injustus.*

q) GEORGIUS Carpentarius Monachii Bavarorum octavâ Februarii ustulatur religionis nomine. Accusabatur enim, quòd non crederet:

1. Sacrificum posse homini peccata remittere in auriculari confessione.
2. Hominem posse Deum cælo evocare.
3. Deum inclusam esse in pane altaris.
4. Baptismum posse per se hominem salvare.

q) Acta Martyrum.

Rogatus à nonnullis piis fratribus, ut in ignem conjectus signum aliquod constantiæ suæ daret, respondit; *Hoc signum fidei meæ certissimum vobis esto, quòd usque dum os aperire, aut certè hiscere licebit, Deum laudibus celebrare, & servatoris nostri nomen profiteri nunquam intermittam.* Id quod & fecit.

r) JOANNES Reichel Evangelista Strigensis oppidi in Silesia, D. Joannis Fabri clandestinis consiliis de arbore suspenditur in prato, quod vocant Judæorum, vicesimâ secundâ Martii.

r) Chronologia Crantzhemii Germanica.

s) GEORGIUS Winclerus Concionator Evangelicus Halæ Saxonum ex Archiepiscopatu Magdeburgensi ab ArchiEpiscopo Moguntino Aschaffenburgum vocatus ad reddendam fidei suæ rationem, libens comparuit. Sed remissus, & equite uno comitatus, duobus ab Aschaffenburgo milliaribus in sylva quadam à latronibus ære conductis impetitus, & multis vulneribus confossus, sanctam animam Christi manui commendavit.

s) Tom. 1. oper. Lutheri Germ. Islebiæ excus.

t) WENDELMUT vidua Wurdensis decimâ quintâ Novembris Hagam Comitis captiva ducitur, & constanti fidei suæ confessione editâ, vigesimâ ejusdem mensis die ibidem crematur.

t) Rabus libr. 4. Martyrologii Germ.

In Boëmia mulier quædam MARTHA nomine, quæ anno fermè integro in carcere fuerat detenta, die Barbaræ igni adjudicata est. Causa mortis ejus proclamata: Primò, quòd blasphemaverit Sacramentum altaris, hoc est, non crediderit corporalem præsentiam in pane naturalis Christi corporis, sed Christum adscendisse ad cœlum, & sedisse ad dextram patris, indeque venturum ad judicandum vivos & mortuos affirmarit. Secundò, quòd à Joanne Kalencio fuerit rebaptizata. Combustus cum eâdem calix ligneus, quo prædictus Joannes Kalencius in administratione Cœnæ Dominicæ usus erat.

Morte MALEDICTA perierunt hostes nonnulli Evangelii: Lovanii Nicolaus Ecmondanus Carmelita vomitu præfocatus: Vincentius Dominicanus tympanite cruciabili malo: Coloniæ Jacobus Hogestratus, qui in morte dicitur nonnullis verbis prodidisse parum sinceram conscientiam.

ANNUS

ANNVS CHRISTI MDXXVIII.

ANnum vicesimum octavum nobilitarunt
Disputatio Bernensis: & hanc sequuta
Illustrium aliquot Ecclesiarum reformatio:
Reformatarum aliquot Ecclesiarum incrementa.
Continuatio belli Sacramentarii.
Sanctorum nonnullorum pericula, exilia, carceres, mortes.
Evangelicorum nonnullorum σφάλματα
Quæstionum aliquot Theologicarum erudita enodationes.

BERNENSEM disputationem quibus poterant modis impedire conabantur Pontificii. a) Nam Lucernates, Urani, Suicii, Untervaldii, Tugiani, Glareani, Friburgenses, Soloturii, rogati ut & suos Bernam mitterent, & aliis, qui per ipsorum fines iter facturi essent, publicè caverent, prolixo scripto gravissimisque verbis Bernates hortantur, ut ab instituto desistant. Commonefaciunt eos initi fœderis atque pacti. Repetunt quoque disputationem Badensem, cujus ipsi fuerint imprimis & authores ac laudatores: neque licere ulli populo, dicunt, aut provinciæ, formam religionis atque doctrinæ mutare: sed hoc ad totius orbis pertinere concilium. Orant, ne tantum in se facinus recipiant, nec à paucis aliquot externis in errorem abduci sese patiantur: sed in ea religione permaneant, quam ipsi, quam ipsorum parentes atque majores observârint, in quâ tantam nominis gloriam adepti sint, in qua suos fines ad eum modum amplificarint, in qua toties fuerint victores. Æquum esse ut hoc ab ipsis impetrent: sin minus, tum illud quod de tuto itinere petant, non se posse polliceri: sed ubi de personis cognoverint, judicium atque delectum esse facturos. Illis quidem, qui nuper ad actionem Badensem, interpositâ fide vocati non venerint, & partim diffidentiâ, partim contemptu quodam emanserint, nolle se cavere deinceps. Adhæc, neque se quenquam eò mittere, neque suis, ut eò proficiscantur, velle concedere.

a) Sleidanus.

Respondent Bernenses masculè: *rem Christi, salutem animarum, pacem Reipublicæ hic agi: ideoque à pio proposito se non posse ullis rationibus revocari.* Repetunt etiam superiora postulata de mittendis legatis, de itinere tutò præstando peregrinis.

b) Scribit deinde Imperator ad Bernates, & ut ab incepto desistant, hortatur. Cui illi: *plerosque ad disputationem jam convenisse: dissidia religionis fieri indies majora: Orbis Christiani reges ea non componere: officii igitur sui esse se existimare, de veritate inquirenda laborare, quo fine disputatio instituta sit. Ne in malam partem accipiat, Imperatorem rogant.*

b) Urstisius.

Denique Thomas Murnerus monachus, divulgato scripto convitiis & scommatibus refertissimo, idem consilium de habenda disputatione oppugnavit.

Cum hac viâ non succederet, aliâ Satan rem aggressus est. Nimirum quam avertere non potuit, in gloriam & desertam reddere voluit disputationem. Clamabant enim celebriores ejus Duces & Satrapæ: infandum facinus Bernates parare, qui de religione disputationem publicam instituant, quam idcirco nemini adire fas sit.

c) Nihil his omnibus commoti Bernates pergunt, & ad diem præscriptum, qui septimus erat Januarii dies, actionem inchoant. Episcoporum, quos antè diximus, nemo venit: Basileenses autem, & Schafhusiani, & Tigurini, & Abbacellenses, & Sangallii, & Mülhusiani, & Rheti quoque finitimi suos mittebant: item Argentinenses, Ulmenses, Augustani, Lindavii, Constantienses, Isnenses. d) Vocatus est Andreas Althamerus, qui scripserat conciliationem locorum scripturæ in specie pugnantium, & inter alia, loca quæ cum corporali Christi præsentia in cœna Domini pugnant, conatus erat conciliare: adhæc quædam de Sacramento in lucem emiserat. Disputandi libera ei facta est copia, & volens passus est se à Pontificia parte deligi, ut oratoris munere in suggestu fungeretur, carnalemque Christi in cœna præsentiam defenderet. Hinc à nonnullis, sed falsò, ad Pontificios defecisse credebatur. Conradus Somius Ulmensis Ecclesiastes, publicè Zwinglii sententiam probabat, dicens, se idem Ulmæ docuisse, & Eccium Bernam vocasse, cui respondere paratus sit ex sacris literis. In reditu, Tiguri loco Zwinglii, in magna populi frequentia concionem habuit. Acta hujus disputationis publicè exstant, quorum summam succinctè alicubi complexus est Martinus Bucerus, quam in gratiam lectoris appono. e) *Quanquam ab hoste veritatis nihil prætermissum sit, quo disputationem Bernensem desertam redderet, aderat tamen ingens numerus omne genus hominum; multi docti & pii, quicquid nebulo ille scribax, qui plenam mendaciis epistolam, de hac disputatione nuper invulgavit, tam gravis testis, ut adscribere nomen suum non sit ausus. Ordinatis igitur præsidibus, viris doctissimis juxtà ac gravissimis, quorum partes erant, leges disputationis tueri, ut ex scripturis tantùm, & ut par erat, graviter atque religiosè ab omnibus proposita axiomata excuterentur; constitutis item quatuor juratis scribis, qui singula ultro citroque dicta, summâ fide exciperent, disputandi facultas omnibus oblata est. Primum itaque axioma quod inter cætera, Christum unicum esse Ecclesiæ caput Bechtoldus Hallerus vir piè doctus simul & prudens, quo ministro Evangelion Bernæ feliciter plantatum est, diuque rigatum, scripturis communitum, adversariis per scripturas, si possent, impugnandum exposuit. Prodiit ergo tandem, cum ab omnibus ferè illi, ut nihil verius est, assensum esset, Alexius Grad Dominicalis, tum Nonnarum illic à confessionibus, & quidquid uspiam scripturæ de dignitate, vel Petri, vel Apostolorum habent, in hoc produxit, ut probaret, Pontificem Romanum caput Ecclesiæ habendum. Quàm verò dextrè hæc & fortiter, vel hinc licet lector conjicias. Cephas dicebat se in vocabulariis legisse, caput significare, igitur Petrum caput fuisse Ecclesiæ, quem Cephas Dominus cognominasset. Non viderat enim, quod ipse Evangelistæ, cephas petram significare testatus est. Eandem post hunc cantionem cecinerunt parochus Cellæ Abbatis, admodum vocalis, & cedere vero nescius, ac aliquidam. Sed dum scriptura apertè adeò summos etiam in Ecclesia, & nominatim Cepham, nostros esse*

esse adfirmat, nos verò Christi non illorum, plantantem quoque & rigantem nihil esse, facile tueri fuit, unum Christum Ecclesiæ suæ caput esse, à quo solo nimirum regeneratur & gubernatur, nullâ creaturâ quicquam potestatis in animos sanctorum, quæ sola verè spiritualis dicitur, habente, &c. Dum verò ista tractantur, advenit Tregarius Provincialis Augustinianorum, vetus noster antagonista, neque excitus convitiis, ut nugivendus ille, cujus memini, in Epistola sua vanissima sparsit. Nam cùm V. Capito & ego, pridie quàm disputari cœptum esset, à clarissimo Bernatium senatu orassemus, ut denuò hunc & Murnerum vocarent, miserant hi continuo, quòd nihil prius haberent, quàm disputationi suæ accersere quoslibet nominatissimos prædicati sibi Evangelii hostes, nuncium ad Senatum Friburgensem & Lucernanum, secundò evocatum illos, quibus præter summam securitatem, etiam sumptus promiserunt, si fortè illos essent caussaturi. Nos quoque eodem nuncio illis scripseramus, modisque omnibus, ut advenirent, flagitaveramus. Lucernanus verò Senatus rescripserat: Murnerum quidem paratum fuisse, ut veniret, sed se prohibuisse eum: idem respondit Murnerus nobis. Tregarius autem advenit, tandemque prodiens præfatus fuit, se neque Episcopi neque magistratus sui nomine, sed suo disputaturum, velleque, ut quicquid disputaret, catholicæ Ecclesiæ suæ nequaquam fraudi esset. Quæ verò disputando adduxit, omnia huc torsit, ut persuaderet, non esse Bernatium quicquam de religione, & dogmatis ab Ecclesia receptis statuere, sed Conciliorum responsa ipsis & omnibus expectanda. Id autem nequaquam certis scripturis, ut acta testantur, sed ex eo conatus fuit probare, quòd Evangelia essent judicio Ecclesiæ recepta, ac ipsa ideò fidei, omnisque doctrinæ judex audienda. Ecclesiæ autem nomine Concilium intelligebat: cæteros omnes ajebat posse errare, ideoque doctrinæ arbitrium nullis aliis permittendum. Tum adducebat, quòd Boëmi in multas essent sectas scissi, & quod nobis in quibusdam cum Luthero non conveniret. Hæc hominis commenta, & antea nota nobis, facile fuit rejicere, cùm satis piis constet, justum suâ, non Conciliorum & Pontificum fide vivere, eoque oportere non solùm singulas Ecclesias, sed singulos quoque homines per se scire, quæ Deus jubeat, quæque promittat, præsertim ut vel hæc cognoscant, à Christo sibi omnia expectanda, omneque pietatis studium in dilectione proximi consumendum. Jam cum his ex diametro pugnant dogmata & institura Romanensium universa idque tam apertè, ut vel puero liqueat, sacras tantùm literas legenti: Quæ ratio sit in his consulta expectare Conciliorum, quæ tam rarò coëunt, & ejusmodi jam aliquot seculis cojerunt: ut minùs insanum sit è pumice aquam, quàm ab illis doctrinam petere pietatis. Passim exstant scripturæ, neque desunt qui eas fideliter populis proponant: reliquum, ut fide percipiantur, non modò Conciliorum, sed nullius omninò creaturæ est. Solus siquidem pater per Christum spiritum donat, qui in omnem veritatem inducit: & donat iis, quos ad id ante conditum mundum delegit, non qui audierint Concilia. Quod interim scripturas non ad eundem modum omnes in omnibus accipiunt, in causa est, quòd non pariter omnibus spiritus donatur, quòd multi etiam hypocritæ filiis Dei semper admixti sunt, quòd denique soli Christo suo hunc honorem pater dedit, ut sit infallibilis sanctorum magister: alios quamlibet sanctos & doctos oportet, ut se esse homines alicubi prodant, quòd electi discant ab uno Christo in omnibus pendere. Denique ubi filii Dei sunt, ubi regnum Christi, ibi ut omnia turbet, Satanas unicè laborat; de iis enim, quos jam in potestate sua habet, quid esset sollicitus? Adhæc visum est patri cœlesti, suos per sectas probare. Proinde tam non evincit apud Pontificios esse veritatem, apud nos verò errores; quòd illis multis in dogmatis convenit, apud nos paucos doctrina vana variet, & cooriantur schismata: quàm non probat veritatem habere Machometanos, & Apostolos sectatos fuisse mendacia; quòd illi multò plures quàm Pontificii, in Alcorano multis jam seculis consentiunt; hi autem tam raris Ecclesiis eandem de ceremoniis Mosaicis sententiam non potuerunt approbare. Evangelion thesaurus est vitæ æternæ: pauci electi, quibus ille donetur: hos ergo paucos ut turbet, Satan totis viribus laborat. Reliquæ multitudini non est curæ religio, fucum tantùm volunt: qualiscunque igitur eis obtigerit, in eo facilè consentiunt. Contra hæc cùm nihil posset scripturis Tregarius, & lex disputationis non permitteret alia ingerere (quia ad inquirendum quid doceret scriptura Dei, non quid ferrent commenta hominum, instituta erat disputatio) jactabat ille, non satis sibi esse ad disputandum libertatis, esseque venenum præsentissimum, velle scripturis tantùm scripturas explicare: quasi verò id non in omnium scripturarum explicatione observetur, & ipse laturus esset, si quis in suo Mari magno, aut alia quapiam Bulla, vellet suo arbitratu quippiam interpretari, quod non ex ipsius Bullæ verbis posset evincere? Quæ igitur impudentia, postulare ut in scripturis Dei alia, quàm ex ipsius scripturæ verbis petita interpretatio admittatur, cùm quæ Dei sunt, nemo noscat, nisi spiritus Dei? Sed quia quærebatur illi occasio è pugna dilabendi, neque præsides disputationis, neque clarissimus senatus hominem exorare potuerunt, ut ex scripturis disputaret. Ibi verò nos, V. Capito & ego à præsidibus obnixè oravimus, ut permitteretur ei objicere quidvis; nos tantùm responsuros ad ea, quæ è scripturis visus fuisset contra nos jaculari: sed obstabat lex disputationis, & senatus videns quæri ansam extrahendi tempus, id permittere nolebat. Tum autem oravimus Tregarium multis, & duos ex præsidibus intercessores adhibuimus, ut, si nostra aliis quàm ex scriptura ductis rationibus se confutaturum speraret; quanquam ex scriptura, docente, quicquid bonum & verum est, abundè possit confutari, quicquid malum & falsum est: ut illas conscriberet, nos daturos operam, ut excuderentur: tantùm in præsens vellet axiomata proposita, ex scripturis, si posset, oppugnare. Nam in primis duobus axiomatis continebatur, quicquid contra eum nos quidem habebamus, nempe de authoritate Ecclesiæ & Conciliorum. Sed cum scripturis

ris valeret, quantum sua paradoxa, & quæ disputata ab ipso acta referent, testantur, frustra hominem oravimus: quo satis testatus est, id se non potuisse, eoque nostra vera, & juxta scripturas esse. Quicquid glorietur vel ipse, vel alii, & quicquid mentiatur ille, cujus memini, ἀνώνυμος scriptor Epistolæ. Post hæc ergo propositum secundum axioma fuit, continens Ecclesiam nulla dare præcepta, quæ non ex verbo Dei manent. Contra hoc, cum iis, quos nominavimus, quidam cognomento Litera, ludimagister Zofingensis, impudentior nescias an indoctior, utrumque certè insignitè, quanquam aliàs homo appareret minimè malus: & Ægidius quidam sacrificus, ad contentionem natus, & alii nonnulli, quæcunque scripturæ memorant de traditionibus Apostolorum, de jejuniis, precibus, cœlibatu, & id genus, fortiter objecerunt: sed quia ex iis omnibus non potuerunt probare, jus unquam hominibus factum, ut hæc ad certa loca, tempora & personas adstringerent tum ex iis institutis conscientiam ligarent, concedereque coacti fuerunt, esse doctrinam Dæmoniorum, cibis aliquibus interdicere, à connubio arcere, Axioma nihil moverunt. Et nos enim jejunandum esse, precandum, & castè vivendum, docemus: sed quia spiritum dare, sine quo nihil horum rectè sit, nemo nisi Christus potest; non possunt de iis, alia quàm ipsa scriptura habet, ab Ecclesia quidem Christi, præcepta dari: vivit enim illa & agit omnia spiritu sponsi sui. Ad eum modum & contra tertium, quòd omnem peccatorum expiationem, totumque salutis meritum Christo uni tribuit, iidem produxerunt quicquid scriptum est de bonis operibus, & promissa illis mercede: sed dum evincere nequiverunt, aliquid hujus à nobis esse, sed fateri eos oportuit, omnia esse opera spiritus Dei in nobis, nobis gratuitò donati; neque hoc ab eis Axioma labefactari potuit. Quartum axioma, quod negat posse scripturis probari, in pane Eucharistiæ esse realiter corpus Christi, oppugnarunt saniores, qui cætera nobiscum faciunt. Protulerunt autem primùm id Dominum promisisse, cùm dixit; Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. Cùm autem ostenderetur, eo loci Christum de eo pane loqui, quem qui edit, habet vitam æternam, non de pane Eucharistiæ, quem multi edunt, qui in æternum vitæ Dei expertes sunt; objecerunt vulgatum illud Hoc est corpus meum: sed dum ipsi quoque faterentur, panem non idem fieri, quod corpus Domini, eoque non simpliciter, sed tropicos hæc verba accipienda, ut intelligas in pane corpus Christi esse: nec tamen hunc suum tropum possent scripturis evincere; non enim dixit Dominus, in hoc, sed hoc est corpus meum: relicto nobis hoc loco, adduxerunt illud: Panis quem frangimus, nunquid communicatio corporis Christi est? & eo valdè fidebant: sed cùm responsum fuit, fide & cultu constare κοινωνίαν, id est, societatem corporis & sanguinis Domini, sicut κοινωνὸς Dæmoniorum Paulus ibidem vocat, qui in cultu aderant idolorum, vescentes idolothytis, in quibus tamen non erant dæmones corporaliter; nihil habuerunt, quod objicerent contrà. Ipsi κοινωνίαν vertebant distributionem, eò quòd Paulus alicubi hoc nomine vocat societatem, quam sancti inibant, contribuendo, quod egentibus mitteretur Jerusalem: sed satis constat, id ne in his quidem locis pro distributione accipi. Hæc potissima eorum tela erant, quibus axiomatis nostri veritatem nihil commoverunt. Multò imbecillius pugnatum est contra Axioma quintum, quod missam negat esse sacrificium, & affirmat esse blasphemiam, quia apertè adeò illa cum omni scriptura pugnat, ut nullus illi queat prætextus excogitari. Nihilo feliciùs & reliqua impugnata sunt, quæ prioribus scilicet nituntur. Id legent & agnoscent ex actis, quicunque possunt cognoscere verum. Neque morabuntur, quo modo quidam Evangelii hostes jactant, facile nobis fuisse vincere antagonistas tam inermes. Primùm illi nihil minus quàm inermes se agnoscunt. Deinde si inermes fuerunt, stupa, non arma erunt, quicquid primi illi θεομάχοι, Eccius, Faber, aliique hujus monetæ, hactenus contra nos scripserunt: nam nihil eorum, quæ isti in magnifica eorum disputatione Badena, & aliàs hactenus produxerunt, illi præterierunt. Ad hæc satis fortiter, hoc est, clamosè & impudenter, horum tela torserunt: plerique enim Eccium Baden audierant. Postremo cur non venerunt armatiores? In tempore Eccius & alii, etiam ii, qui circa Eucharistiam dissentiunt, ad hanc disputationem vocati sunt. Sed quid facerent in luce sutores mendaciorum? Ubi scripturis, & non vi res agitur, sciunt isti nihil sibi victoriæ sperandum. Pietatis causam, præter Bechtoldum Bernatium Ecclesiasten, præcipuè defenderunt Huldrychus Zwinglius qui sic Tigurinam Ecclesiam per Evangelion genuit & educat Domino, ut plurimum sanè illi debeant, quotquot sunt Ecclesiæ per omnem ditionem Helvetiorum, quanquam & alias non parum sanctis scriptis juverit: & Joannes Oecolampadius pastor Ecclesiæ Basilicensis, qui & ipse de omnibus Christianis sacratissimis lucubrationibus perquàm egregiè meritus est. Quod enim Capito & ego contulimus præcipuè contra Tregarium & Alexium, cujus memini, fuit: quanquam illi, quos dixi, citra nostram operam & his satisfacere potuissent. Ne asymboli essemus, videbatur fratribus, & nos aliquas defendendæ pietatis partes agere. Hactenus Bucerus.

c) Sleidanus.
d) Lavaterus.
e) Præfatione Commentarii in Joannem.

De hac disputatione quid Pontificii ipsi senserint, docet epistola hæc Jacobi Monasterienſis, sacrificuli Soloturiensis, qui actioni interfuit.

Clarissimo viro Jureconsulto, Domino Sigismundo de S. Trudone, canonico & custodi insignis collegii apud S. Victorem Moguntiæ, Domino & fratri suo observando.

S. P. D. Mirarì te existimo, quidnam acciderit, quòd serò adeò ad vos scribam. Causam fuisse scito conciliabulum vel disputationem (disputationem dicere volebam) Lutheranorum vel potiùs Zwinglianorum hereticorum, Bernæ habitam. Utcunque enim negotia urgerent, præsertim canonicatus apud D. Mauritium, quem-

ante

ante bimestre tempus germanus meus militans inter latrones Romæ mihi impetravit (militum enim, quàm Cardinalium modò opera mihi utilior Romæ fuerat) utcunque inquam hæc & alia negotia me urgerent, subsistere tamen libuit, videreque, quo evasura esset rabies, & quàm curæ esset episcopis nostris ecclesia. Sed quid dicam? Querimur partim de dexteritate hæreticorum, partim de conniventia principum, permulti etiam fata incusamus. Sed quod equidem dicere soleo, verisimè in his hæreticorum comitiis comperi. Ruunt res nostræ solâ nostrâ inertiâ, & quia literatos nullos nostri Coryphæi alunt.

Effecerant quidam fidi nobis servatores Bernæ, & ii certè, apud quos hactenus summa rerum fuit, ut & episcopi, quibus est ecclesiæ in illorum ditione jurisdictio, additis etiam minis, ad suam disputationem vocarentur, sed nullâ aliâ spe, quàm ut eruditos illi adducerent, qui hæreticos confutarent. Sed quid? Nemo illorum vel ipse venit, vel eruditos misit. Gallos quosdam misit Lausanienſis: sed antequam congrederentur, revocavit eos. Venit post aliquot dies Augustinianus quidam frater; Provincialem salutabant, ac Trægerinum dicebant: sed loquentiæ aliquid, eruditionis ac eloquentiæ nihil in eo deprehensum est. Ubi enim scripturæ exigebantur, maluit abire, quàm disputare. Equidem in eo nihil vidi, quàm Monachum, eumque frontosum, licet alii nescio quid de eo prædicent. Clamosior alius, sed nequaquam doctior Dominicaster per dies aliquot strepuit ex scripturis, sed quàm feliciter, hinc conjice. Probaturus Pontificem quoque esse caput Ecclesiæ, adduxit id à Petro eum accepisse, qui ideò fuisset à Domino vocatus Cephas, caput: sic enim se legisse ajebat in Vocabulariis. Vide, quales habeamus propugnatores: & adhuc miramur, vulgò nos contemni, & passim multos à nobis desicere? Disputarunt præterea tres aut quatuor sacrifici cum quodam ludimagistro, quem Literam vocant. Non malus homo, ut videbatur, quique unus plus studii præ se ferebat defendendi ecclesiam & scripta patrum, quàm quotquot fuerunt in illis comitiis. Sed deerant vires. A Fabro nostro, Eccio, Rossensi, quæ tu scis, omnia, nequaquam tam firma aut arguta, ut oportebat, in Hæreticos congesta, diligenter proponebat. Sed prælatorum & Capituli Bernensium audi constantiam. Cùm uno aut altero excepto, nemo eorum non agnosceret blasphemos illos hæreticorum articulos, omnibus tamen subscripserunt singuli, idque in capitulo congregati, tantùm quòd indoctæ bestiæ nihil possent hæreticis objicere. Si cordati fuissent, vel mediocri dexteritate præditi, ita valebat adhuc factio nostra Bernæ, si nihil aliud, ut in annum usque potuissent disputationem extrahere. Sed sic decet nos pœnas dare contemptarum literarum, & neglectus studiorum. Horum verò insanum consilium sequuti sunt in ditione Bernatium monachi & sacrifici. Habent autem parochias 304. præter ditissima quædam cœnobia & collegia, fortè plus minus triginta, in fide Ecclesiæ perseverantia.

De hæreticis fortè cupis ut scribam: sed quid mihi & tibi causam ingeram doloris? Scribam de paucis. Facilis illis pugna fuit, cùm nulli instructi coràm starent antagonistæ. Ita paratos non vidi, quin si dextri homines adfuissent, & in scripturis versati: si non in omnibus illos vicissent (quis enim vinceret quovis Corinthio ære loquaciores? præsertim cùm nostra omnia non apertè ex scripturis probari possint) remorati tamen fuissent in dubio illorum conatus. O si vel unus Erasmus commissus illis fuisset! Vidi enim sæpe de responsionibus inter eos non convenire. Vidi anxiè alii alium, quid diceret, suggerere. Vidi de germano quorundam locorum sensu hærere. Ita instructo & dextro disputatori aptissimæ ansæ fuissent confundendi illos, authoritatisque adimendæ illis, atque ita vastationem, quam invexerunt, revocandi. Quanquam autem, si viros hæretici contra se habuissent, cautiùs & consultiùs sua egissent. Suntque admodum quidam eorum, qui ut solum Zwinglii vehementia, tantum irâ excitari potuerunt. Admodum enim ille continuò fervebat. Et usui nobis fuisset & decorum, atque authoritatem illius imminuissemus: Doctior tamen hæc bellua est quàm putabam. Nasutus Oecolampadius in Prophetis ille & Hebræa lingua præstare videtur: sed nihil illi ubertate ingenii & exponendi perspicuitate: tamen in Græcis, si non major, par illi. Quid nunc impostor Capito valeat, non potui dijudicare. Pauca enim loqvutus est. Plura Snaphanicus Bucerus, qui si eruditione & lingvarum scientiâ par esset Zvvinglio & Oecolampadio, nobis magis metuendus esset. Ita difficile commovetur bestiola, & satis luculenter sua proponit. Sed quid? Iniquissimè vides rem nostram comparatam coram exercitatissimis hæreticis. Unus & alter latravit sacrificulus, qui vigiliis canendis, non disputando, erant exercitati, & bonus ille ludimagister Litera sanè parum literata.

Quem autem eventum habuit disputatio? Indignum nostrâ diligentiâ. Cùm disputatio finita esset 25. Januarii, utriusque Senatus decreto consultum est, ut omnes aræ, statuæ, missæ, & quicquid cultus divini & Ceremoniarum est ecclesiæ in oppido Bernæ, & omnibus vicis & pagis ipsorum imperio subjectis, ubi non major populi pars id ferat, eliminentur, nec unquam recipiantur. O tempora, ô mores, ô nostram socordiam! Quàm facilè potuisset hoc malum caveri, si studiosorum quàm scortorum nostri episcopi amantiores essent? Sed dices: Nullane spes, hos nefariorum hæreticorum conatus refringendos? Certè perpauca. Nosti ferocitatem hujus gentis, quam nihil aliud subvertit, quàm quòd nemo adeò idoneus contra hæreticos prodire fuit ausus. Lucernani cum primoribus pagorum aliquot sedulò sanè navârunt operam: sediliorem certè quàm omnes episcopi ut ista impedirentur. Sed dum malis adeo defensoribus nostræ partes apparuerunt, rudis plebs nudos quoque veritate arbitrata est, vicitque pars major meliorem. Nam Tigurini omnia possunt apud illos, quos scis & exercitatissimos esse dolis, & incomparabili pertinaciâ. Quid nunc faciant alii? Senatum quoque Basilienſem scis metu plebis suæ, quem incantat Oecolampadius non tam eruditione

tione quàm hypocrisi suâ, nihil posse. Idem paulò pòst usu veniet & aliis. Unum equidem timeo, paulò pòst Helvetios æquè Pontificis excussuros jugum, atque excusserunt jam pridem Cæsaris. Et utinam Constantia & aliquot urbes Imperii non sequantur exemplum. Res Cæsaris ferè sic habent in Italia, & regis Hungarorum in Hungaria, sicut Saxonia, ut frustra in præsenti ab ipsis speremus hæreticos opprimendos. Nisi nos exscindi volumus, ad eas artes nobis confugiendum est, quibus primùm crevit ecclesia, eruditionem & mores aliquâ saltem specie laudabiles. Sed de his satis. Domino Zebelio da has legendas, & conjunctas his da Domino Leystro, hortareque ut rem meam amet diligenter. Dominum Rodolphum dic pensionem Lausaniensem ad Francofordium emporium expectare. Salutа amicos, & commenda me Domino Decano. Vale feliciter cum tua Hildegarde & pusione Julio. Solothuri 29. Januarii.

T. Jacobus Monasteriensis.

DISPUTATIONEM FINITAM secuta est & Bernensis & illustrium aliarum aliquot Ecclesiarum reformatio.

f) BERNENSES publico assensu missas, aras, statuas, & quidquid superstitionis contra verbum Dei invectum erat, simul tollendum in urbe & agro suo amplissimo decernunt: rituum sacrorum leges libello parvo describunt: Monasteria & Cœnobia in Scholas convertunt: reditibus cœnobii Interlacensis, Collegii Zovingensis, Monasterii Künigsfeldensis, Collegii denique Irregularium Canonicorum Bernensis in ludum literarium Dunensem, Zovingensem, Brugensem, Bernensem, translatis.

f) Caspar Megander Comment. in epist. ad Ephes. p. 131.

Neque verò externis signis dissimulant Christum ad se venisse. g) *Nam disputatione feliciter peracta, condonarunt vitam duobus, qui contra jus jurandum pomœria ditionis ipsorum ceu seditiosi & contemptores juris publici, irrupissent. Deinde reliquis de terra sua proscriptis, ad possessiones suas redeundi, dum velint, jus fecerunt, gravissimo hoc argumento usi: Ingredienti urbem nostram regi aut principi amico condonaremus meritos supplicium, modò ne quid mali publicè, ab iisdem in posterum timeatur. Et nunc rex regum & animorum princeps filius Dei, qui & frater noster est, ad nos accessit: cur adventum ejus, qui veniam adfert æternum exilium commeritis, ignoscendo in nos injuriis hominibus, non cohonestaremus? Id quod alius alii felicius, ut fit, subinde in familiaribus congressibus affirmabant, nobis calculo nostro tam piam sententiam adjuvantibus. Imitati sunt Saulem, qui devictis Ammonitis, iis qui majestatis læsæ rei essent, ignovit. Ne occidatur quispiam, inquit, hoc die, quia hodie fecit salutem Dominus in Israël.*

g) Capito in Hoseam p. 270.

h) Deinde Galliæ regi fœdus renunciant, & mercenariam illam prohibent militiam, eâ contenti pecuniâ, sicut etiam Tigurini, quam pacis colendæ causâ singulis pagis rex dependit annuam.

h) Sleidanus.

i) Postremò abolitæ religionis diem & annum aureis literis in columnam inscribunt: ut testimonium apud posteros exstaret sempiternum.

i) Idem.

Exemplum Bernatum sequuntur CONSTANTIENSES, GENEVENSES, SANGALLENSES, CLARONENSES, ARGENTINENSES, COMITATVS TOCCENBVRGICI INCOLÆ, ARBENÆ item & ALSTETTI cives, in valle Rheni, BASILIENSES nonnulli, alii.

k) CONSTANTIENSES jam antè quædam mutaverant, & quum scortationem, adulterium & suspecta vel parum honesta contubernia lege vetuissent, irati discesserant ab eis hi, qui dicuntur Canonici. Docebat ibi Ambrosius Blaurerus, honestâ familiâ natus, qui monasticæ professionis antè fuerat Alperspaci. Quum autem ingenio valeret, lectis Lutheri libris, alium animum induit, & post multam simultatem, relicto sodalitio, revertit ad parentes atque propinquos. Collegium autem illud est in finibus agri Wirtembergici, quem quidem principatum Ferdinandus Austriacus tum possidebat. Abbas igitur per eius regionis præfectum interpellat senatum Constantiensem, ut illum ad ordinem suum redire cogant. Blaurerus autem edito scripto rem omnem actam commemorat, & conditiones proponit, quibus redire vellet: sed hæ tales erant, ut eas repudiante Abbate, Constantiæ deinceps ille permaneret. Fuit hoc, anno 1523. Post disputationem verò Bernensem, imagines & aræ cum ceremoniis atque Missa Constantiæ fuerunt abolitæ.

k) Sleidanus.

l) GENEVENSES Allobroges in statuis removendis atque ceremoniis Bernatum sequebantur vestigia. Quapropter Episcopus atque clerus irati discesserunt ab urbe.

l) Idem.

m) SANGALLENSES biennio ante idola ex templo parochiali Laurentiano exturbarunt: in templo Magni, quòd juris sibi aliquid Abbas in illud vindicaret, reliqua erant. Hoc verò anno Bernensium, Constantiensium, aliorum, exemplo moti, S. Magni quoque templum purgant: cives fidei Pontificiæ in curiam vocatos, ut conciones Evangelicas audiant, monent: Monialibus ad S. Catharinam Christophorum Schapplerum Concionatorem Evangelicum ut audiant, imperant: Senatu movent, qui Evangelio adversantur: decimâ denique Junii omnibus sacerdotibus missatico sacrificio interdicunt. M. Adrianus Concionator Abbatis Sangallensis, qui multa contra Evangelicos publicè dixerat, re melius pensitatâ, palinodiam ipso die Christo natali 25. Decembris in templo Laurentiano canit, & Papisticos errores palam detestatur.

m) Historia reformationis Sangall. MS.

n) CLARONÆ, is est octavus pagus Helvetiorum, tres Ecclesiæ sustulerunt imagines.

n) Zwinglius Tom. 4. epist. pag. 943.

o) ARGENTINENSIS Ecclesiæ ministri hac etiam occasione, inter alios doctrinæ Pontificiæ errores, Missam quoque docebant esse cumprimis impiam, & ad summam nominis divini contumeliam pertinere. Quapropter & abrogandam, & rectum usum cœnæ Domini restituendum esse. Nisi Scripturæ sacræ testimoniis hæc demonstrent, nullam pœnam recusant. Quum autem Pontificii contrà docerent, exarsit contentio: quam Senatus, factâ collatione sententiarum, & aliquâ disputatione, finiri volebat. Et quum hoc impetrari non posset, edicit Pontificiis, quoniam alteros improbent, ac impia docere dicant, neque tamen causæ cognitionem admittant, ne posthac docendi mu-

nus usurpant. Episcopus autem crebris interea literis ac internunciis monet, & orat, Senatum, ut in veteri majorum religione persistant, neque doctoribus fidem habeant, & quanti sit res periculi, demonstrat. Senatus invicem orat, quod etiam annis aliquot antè fecerat, det operam, ut quæ pertinent ad verum Dei cultum, instituantur, cætera verò tollantur & antiquentur: hoc enim ipsius proprium esse munus. Ille verò, tametsi conventum atque diem aliquando condixerat ejus rei causâ, nihil tamen præstitit, & literis tantùm ab instituto deterrebat, & precibus nonnunquam intermiscebat comminationes. Quumque jam propè desperaret, Senatum Imperii, qui tum erat Spiræ, de quo sæpe diximus, orat, ut suam authoritatem interponant. Hi missâ legatione sub finem Decembris admodum splendidâ, petunt, ne Missam abrogent: nam neque Cæsaris nec ordinum esse, veterem & à majoribus acceptam religionem immutare, nisi vel per generale, vel totius nationis concilium. Quòd si nimis hoc esse longinquum videatur, differant saltem usque ad Imperii conventum jam brevi futurum, atque ibi sua postulata proponant: non se dubitare, quin æquum sint laturi responsum: legibus enim esse cautum, ne privato Magistratui liceat rescindere, quæ communi totius orbis consensu decreta sunt. Æquum igitur esse, ut hoc ab ipsis impetretur. Quòd si verò pergant, fore, quia vis in eo sit, ut & Cæsar, summus Magistratus & ipsius per Imperium legatus rex Ferdinandus, graviter hoc & permolestè ferant. Se quoque pro suo munere atque fide teneri, quicquid est ejus rei, perscribere Cæsari, ac simul adhibere, quæ oportet, remedia. Quod quidem inviti admodum faciant. Itaque rogare, ut diligenter hæc secum expendant, & rectè monentibus auscultent: hoc & Cæsari fore longè gratissimum, & ad ipsorum quoque laudem atque salutem pertinere. Senatus, ubi sui instituti rationem explicasset, legatos commodè abs se dimittit.

o) Sleidanus

Fuerat ibi paulò antè Hildesemus episcopus, & nomine Cæsaris idem postulaverat, hortatus, ut morem gererent, præsertim quum Cæsar etiam de nationis Germaniæ concilio cogitet. Nam alioqui fore, ut consilium sibi Cæsar ac reliqui ordines capiant. Ad hæc Episcopus Argentinensis aliquot senatores urbis, viros nobiles, privatim interpellat, suos beneficiarios: & missis literis ad singulos, quandoquidem fide sint ipsi & jure jurando devincti, graviter monet, ut abrogationem Missæ totis viribus impediant, neque comprobent. Senatus interim, quum jam supra biennium ea res ageretur, & Ecclesiæ ministri quotidianis concionibus vehementer instarent, cives etiam supplicarent, convocatis omnibus ex more, qui rebus arduis adhiberi solent numero trecenti, rem omnem ordine commemorant, & in utranque partem, multis in mediam adductis, quam si Missam aboleant, quid à Cæsare sit periculi, si non faciant, quantopere Deus offendatur, explicant, & cogitandi spacium ipsis largiuntur: & ut tributim collecti deliberent, petunt, quò deinde, quum rursus convenient, de communi voluntate atque consilio statuatur.

p) Mense Septembri in COMITATU TOGGENBURGICO statuæ dejectæ, & Evangelium prædicatum est.

p) Historia Sangall. MS.

q) Idem factum ARBENÆ in Turgovia quintâ Novembris: ALTSTETI in valle Rheni, trigesimâ Novembris.

q) Urstisius.

In urbe BASILEA cives nonnulli idem sibi, quod Bernatibus, licere existimabant. Ipso igitur festo die Paschatos, qui in 13. April incidit, finitâ Missâ in Martiniano & Augustiniano templis, cives nonnulli, magistratu inscio, imagines & idola tollunt, qui eam ob causam postero die carceribus sunt inclusi. Concurrunt igitur complures è civibus: Senatum rogant, tribules suos missos faciat, Pontificiorum in Evangelicos contumelias non ferat, & malis ex utriusque de religione contendentium partis concionibus quotidie pullulantibus vel tandem occurrat. Decernit igitur Senatus ad 15. Aprilis in templis, Martiniano, Leonhardino, Augustiniano, Franciscano, itemque in Nosocomio, imagines & idola per ministros à se nominatos & submissos demolienda: at in reliquis templis utriusque urbis, ubi Missa adhuc vigeat, à nemine violanda esse, nisi qui fortunarum & vitæ periculum subire velit.

RHETI quoque vicini Helvetiis populi, Bernensium & aliorum exemplo audaciores facti, nec missas, nec sacrificulos curabant amplius. Ideò Episcopus Curiensis Paulus Zieglerus, sede suâ desertâ, alio se recepit.

r) TIGURINI nihil non faciebant, quod ad promovendum Evangelii negotium in agro & urbe sua videretur pertinere. Præterquam enim quòd magno sumptu, majore periculo Zwinglium & alios Bernam miserant, cogunt etiam duas Synodos: in quarum prima in vitam & doctrinam Evangelicorum ministrorum inquirebatur: in altera monachi & sacrificuli examinabantur, & qui ad docendum idonei ecclesiis certis præficiebantur. Petunt item amanter à pagis reliquis: ut si qui in communibus præfecturis gratiam Evangelicam desiderent, iis fontes illius ne præcludantur. Denique cum Quinque pagi acerrimè puriori religioni adversarentur, & domi quoque nonnulli emendationi doctrinæ non admodum faverent, Senatu & tribubus movendos censent, quotquot Ecclesiæ reformatæ vel tacitis votis se opponerent.

r) Bullingeri Chronicon.

RENATA, Ludovici XII. regis Galliæ filia altera, Herculi Duci Ferrariæ nupta, ipsius Italiæ tenebras Evangelii luce reddidit illustres. Floruerunt in illius aula M. Antonius Flaminius, Marcellus Palingenius, alii Evangelii amici. Hæc RENATA, cum vidua in Gallia ageret, sæviente lanienâ illâ Galliçâ anno 1572. multos pios, & inter hos Danielem quoque Tossanum Theologum cum familia, hospitio excepit, liberalitate juvit, authoritate defendit.

Hos Evangelii successus in Helvetia & Rhetia invidit Ecclesiæ Satan. Itaque in utraque provincia nihil non movit, quod ad obscurandum orientis doctrinæ solem facere putaret. Haslenses, Briecenses, Underseenses adversum Bernenses, magistratum suum, excitat: qui tamen conspecto Bernensium exercitu præscriptas sibi pacis conditiones cupidè acceperunt.

CURIENSIBUS insidiabatur Joan Jacobus Marchio

chio Musæ, cùm quo colludebant, Zieglerus Episcopus Curiensis, & Schlegelius Abbas S. Lucii ibidem. Erat Marchioni frater, qui postea Papa creatus Pius V. nominari voluit. Is hunc in Episcopatum Curiensem intrudere unicè satagebat, Zieglero Episcopo fugitivo pensione annuâ numeratâ. Consilium rei expediendæ suggerit homicida dæmon. Marchio filiam elocat Wolfgango Theodoro ab Hohenempss: Nuptiarum solemnitas prætexitur, quâ Curiam Rhetorum Sponsa numeroso exercitu deducenda, à sponso excipienda, hacque occasione Evangelici opprimendi sint. Res, volente Domino, detegitur: Abbas S. Lucii capitur, quæstionibus subjicitur, aperit omnia, & morte suâ plurimorum piorum vitam conservat.

s) Cæterùm incidit quoque in hunc annum reformatio ecclesiarum in COMITATU DIEPHOLDIANO Westphaliæ. Fridericus enim Comes cottidianis conjugis Regensteniæ hortatibus permotus, ex vicina Osnaburga Patroculum Romelingium magna cum libertate & mira facundia ibi Evangelisantem, ad se vocat. Hujus Patroculi operâ emendatio religionis in omnibus Comitatus Ecclesiis est susceptа.

s) Hamelmannus.

REFORMATARUM aliquot Ecclesiarum incrementa nunc tango.

NORICARUM, & quæ MARCHIONUM BRANDEBURGICORUM sunt in Franconia, Ecclesiarum solemnis visitatio hoc anno instituta, eâque peractâ, leges Ecclesiasticæ præscriptæ sunt, quibus utræque deinceps gubernarentur.

t) MOMPELGARTI illustris & generosus princeps, Comes de Wirtemberg ac Mompelgardi, Joanne Baptistâ Piscatorio utebatur Concionatore aulico, qui epistolâ quâdam ad Oecolampadium hoc anno scriptâ fatetur: *Christum & verbum ejus Mompelgarti liberiùs, quàm credi possit, annunciari.*

t) Tom. I. epist. Oecolamp. & Zwingl. pag. 92.

u) BREMÆ Saxonum cœnobia Catharinæ & Joannis occlusa, Monachisque mandatum, ut à cæremoniis pontificiis abstinerent; clausum etiam est Vilhadi templum: denique cœnobium Augustinianum in gymnasium à Senatu conversum, & otiosis monachis artium & trium linguarum Professores, primusque Rector Joannes Oldenburgius substituti.

u) Chronicon Bremense.

x) FRANCOFURTI ad Mœnum florebat Dionysius Melander, Ad hunc Zwinglius, *Audio*, inquit, *summa cum voluptate, & te fideliter instare verbo, & Ecclesiam tuam Dei bonitate vehementer proficere: ei sit gloria, honor, & imperium in secula.*

x) Tom. I. epist. Zwingl. & Oecolampad. pag. 136.

y) BRUNSWICENSIS Reipublicæ civibus, perfectam doctrinæ & rituum Papisticorum emendationem continuatarum precum vi petentibus, Senatus tandem assensit; & de consilio Wittenbergâ evocati D. Joannis Bugenhagii gubernandæ deinceps Ecclesiæ rationem descripsit, singulisque templis doctores Evangelicos præfecit, summâ rerum sacrarum curâ M. Martino Gorolitio commendatâ: cui an. 1544. defuncto ordine successerunt, Nicolaus Medlerus, D. Joachimus Morlinus, D. Martinus Chemnitius, qui præclaram nominis sui memoriam ei operi impressit, quod contra Andradium Concilii Tridentini patronum eruditissimè scriptum reliquit.

y) Hamelmannus.

z) HAMBURGI hactenus inter varios cum Pontificiis conflictus Evangelium propagarant Stephanus Kempe Franciscanus, Joannes Zegenhagius, & Joannes Fritzius. Senatus etiam, ut Reipublicæ paci consuleret, ante biennium omnibus Pontificiis & Evangelicis Concionatoribus in Curiam convocatis mandârat, ut verbum Dei piè & sincerè juxta interpretationem scripturæ ab Ecclesia receptam docerent, nec mutuis convitiis inter se publicè ex suggestu certarent, sed si quis impiè crederetur docere aut vivere, eum ex lege Christi Matth. 18. præscripta, fraternè admonerent, denique ceremonias veteres in templis retinerent; ejectionem ex urbe comminatus iis, qui decretum hoc essent violaturi. Sed cùm aliæ subinde atque aliæ inter diversæ religionis concionatores controversiæ orirentur, tandem delecti civium, à Senatu petivêre: ut una tantùm religio, eaque verbo Dei maximè consentanea, in urbe exerceatur: ne contrariis doctorum sententiis publica urbis tranquillitas & civium concordia turbetur. Senatus igitur, cùm Evangelici pastores capita aliquot impiorum dogmatum à sex præconibus Pontificiis pro concione defensa consignassent, statuit coram se & civibus mense Aprili hujus anni in curia de iis esse disputandum. Disputationis hic exitus fuit, ut quinque clamatores, qui tueri sua ex verbo non poterant, urbe exire juberentur, alii Pontificiorum doctores sponte discederent. Vocatus igitur Joannes Bugenhagius Wittenbergâ, formam doctrinæ & rituum & vocationis ministrorum Ecclesiæ Hamburgensis descripsit, Scholamque in cœnobio S. Joannis erexit. Collegii Hamburgensis præpositus & Decanus, postquam urbem deseruére, graviter de mutatione illa in judicio Cameræ conquesti sunt: sed præter mandatum quoddam chartaceum nihil obtinuêre. Ordinatio Ecclesiastica Hamburgensis publicatur: Joannes Æpinus summus ejus Inspector non ita multò pòst designatur: Monasteria, dimissis non sine viatico Monachis, à Senatu gubernantur, & ærarium pauperum ad S. Mariam Magdalenam instituitur.

z) Chytræus Hamelmannus.

a) LUBECENSES cives urbe egredientes magnâ aviditate & concursu docentem audivêre, & errores Pontificios graviter refutantem Pastorem quendam quem Fridericus Daniæ rex in oppido Oldesloa Evangelium prædicare & Sacramenta ex lege Christi administrare jusserat.

a) Chronicon Lubecense Hermanni Bonni.

b) GOSLARIÆ hactenus in æde duntaxat Jacobi verbum Dei sincerè prædicatum, & Sacramenta legitimè administrata fuerant. In hoc verò tempore delecti ex omni civium numero quinquaginta Senatum de plena Ecclesiæ per omnes parochias reformatione admittendâ interpellant. Qui cùm civium petitioni tandem annuisset, Magdeburgo accitus Nicolaus Amsdorfius Theologiæ Licentiatus, mensem integrum ibi docendo multos Christo lucrifecit: rationem in regimine Ecclesiastico observandam præscripsit, cum Wittenbergensi & Magdeburgica congruentem: & Collegio Concionatorum universo Joannem Amandum, qui in Borussia Monachum

nachum egerat, præfecit.

b) Hamelmannus.

CONTINUATIO belli Sacramentarii affligit Saxoniam & Helvetiam, Frisiam & Silesiam.

E Saxonia emittit Lutherus Confessionem magnam de Cœna Domini: in cuius prima parte Zwinglium, in secunda Oecolampadium exagitat, in tertia fidei suæ confessionem edit, quam pro certa suæ mentis sententia, tam in vita, quàm post mortem, haberi jubet. In hac confessione inconsiderati sui fervoris non unum argumentum posteritati reliquit. Defendit Nicolaum Papam: reprehendit glossam juris Canonici: fundamenta tristium de persona Christi controversiarum, quæ hodieque exercent Ecclesias Evangelicas, stabilire annititur; sententiam suam de penetratione corporis Christi per dimensiones itemque de ubiquitate, superiori anno prolatam, latius explicare ausus. Docet enim, *accidens mutabile esse, si dicas, corpus Christi esse visibile:* docet, *Christi corpus per clausum monumentum, & per januas clausas & immotas atque inviolatas penetrasse, atque ibi sine loco seu illocale fuisse: omnia plena esse Christi, etiam secundùm humanitatem: corpus Christi ubique esse; humanitatem Christi esse extra omnes creaturas in Deo; esse ubicunque est Deus, esse Deum: dici posse non tantùm Christum fuisse in cœlo, cùm in terra versaretur, sed etiam Apostolos & nos omnes, qui in hac terra adhuc mortales sumus, quatenus videlicet in Christum credimus: Deum scire & habere plures modos alicubi essendi, & non tantùm illum localem: & tres modos essendi ex scholasticis doctoribus explicans, localem, definitivum & repletivum, explicatosque uni corpori Christi accommodare volens,* ita subjicit: *Itaque sic unum idemque Christi corpus tres modos alicubi essendi habet.*

c) Primum *modum corporalem & visibilem, sicut in hac terra versatus est, cùm locum occuparet secundùm magnitudinem suam. Hoc modo adhuc quando vult, uti potest: quemadmodum post resurrectionem fecit, & in extremo judicio denuò facturus est. Secundum istum modum non est in Deo, nec apud patrem, nec etiam in cœlo: ut insani Schwermerorum spiritus somniant, quoniam Deus non est corporalis locus.*

c) Corpori Christi tres modos essendi attribuit Lutherus.

Secundò *habet incomprehensibilem & spiritualem modum, quo locum non occupat; sed per omnes creaturas penetrat, quocunque vult; sicut meus visus (ut hoc crassum simile adducam) per aërem, lucem aut aquam penetrat, & locum non occupat; aut quemadmodum sonus per aërem, aquam vel parietem pervadit, nec etiam locum aliquem aut spacium occupat: item, sicut lumen & calor per aërem, aquam, vitrum, crystallum & similia penetrat, nec locum occupat: & ejusmodi alia multa. Hoc modo usus fuit, cùm per sepulcrum clausum exiret, & per clausas januas ingrederetur, & in pane & vino Eucharistiæ, & sicut creditur, cùm ex Maria matre nasceretur.*

Tertiò habet *divinum & cœlestem modum, quo una cum Deo persona est: secundùm quem certè omnes creaturas ipsi multo magis perspicuas & præsentes esse oportet, quàm secundùm alterum modum. Nam sic juxta istum modum potest esse in creaturis, & apud creaturas, ut ipsum tamen non sentiant, mensurent aut comprehendant, sed ut ipse potius eas præsentes mensuret atque comprehendat. Nam hoc esse seu hunc essendi modum corporis Christi, quo una cum Deo persona est, omninò tam longè atque procul extra omnes creaturas ponere oportet, quàm ipse Deus extra eas est: & rursus tam altè & propè in omnes creaturas ponere, quàm Deus in ipsis est. Est enim indivisa persona cum Deo; & ubi Deus est, ibi ipsum corpus esse quoque oportet, aut nostra fides falsa est.*

Denique in eodem libro dicit: *alterum modum essendi, nempè definitivum, secundùm quem corpus Christi in lapide fuit, & lapidem penetravit, omnibus sanctis in cœlo communem fore, quemadmodum jàm angelis & diabolis commune est.* Sic igitur *Lutherus* primùm sententiam suam repetit, confirmat & auget.

Deinde *ἀλλοίωσιν Zvvinglii* reprehendit, exagitat, execratur & damnat, negans, naturam unam pro altera accipi; negans, actiones Christi dividendas & separandas esse.

Tertiò, Zwinglio tribuit, quòd dexteram Dei certo loco includat.

Denique eodem libro docet: *regnum cœlorum esse in terra, item angelos esse in cœlo & terra, Christianos simul esse in regno cœlorum & in terra.*

Hæc & similia Lutherus in hoc libro.

Ad hanc Confessionem Lutheri prolixè responderunt, Zwinglius, Oecolampadius, Bucerus.

Zwinglius responsionem suam Joanni Electori Saxoniæ & Philippo Landgravio Hassiæ consecrat, & in proœmio illo non dubitat affirmare, Lutherum tot sententias absurdas & imbecilles in medium adducere, quibus ædificium illud suum superstruit: ut si veræ illæ essent & infallibiles, omnis Dei cognitio obscurior redderetur, omnis scripturarum autoritas in dubium vocaretur, ipsa denique Lutheri doctrina ab ipsomet expugnaretur simul & prosterneretur.

Oecolampadius in sua responsione demonstrat, primò, *non novum esse tropum metonymicum in scriptura:* deinde *eundem tropum necessariò verbis Christi tribui:* tandem *quas Lutherus moverat objectiones eas solide convellit.*

Uterque, Zwinglius & Oecolampadius conjunctim *ἀλλοίωσιν* à Luthero rejectam defendunt, & quid per hanc vocem intelligant, amplius declarant, ostenduntque se hac voce utentes, nihil aliud docere, quàm quod alii Theologi doceant. Nam quod illi communicationem idiomatum vocent, id se *ἀλλοίωσιν*, hoc est, permutationem vocare. Item, dextram Dei esse certum locum, & cœlum esse in terra, negant. Denique modum essendi definitivum corporis Christi, quem tradit Lutherus, etiam negant. Deinde utramque partem ad alterius partis verba magis quam sententiam attendisse, & ex quibusdam verbis obscurè, aut minùs propriè & commodè dictis, ut sub initia certaminum fieri ferè solet, de tota sententia collegisse, atque adeò incalescente contentione, verba quoque ipsa disputantium incaluisse, inprimis autem Lutherum

therum iræ & affectibus indulsisse. Nam in conventu Marpurgico Lutherus & Helvetii ita declararunt sententias suas de persona Christi & duabus naturis, ut facilè controversia omnis componeretur: qua de causa in Comitiis Augustanis articulus secundus de persona Christi non solum orthodoxè, sed etiam sine damnatione aut improbatione alterius partis est expositus.

Martinus Bucerus eleganti & festivo Dialogo, in quo Sebaldum & Arbogastum loquentes introducit, Luthero Germanicè respondet. Profitetur autem cap. 20 & 21. se Carolostadii & Silesiorum de cœna Domini confessionem, summam rei quod attinet, approbare: atque inter alia hoc in Luthero miratur, tropum ab ipso in cœna Domini non agnosci, qui tamen synecdochicè verba illa intelligenda esse existimet.

Et hæc quidem publice. Privatim controversia Sacramentaria in Saxonia renovata est inter Lutherum & Carolostadium. Redierat hic Wittebergam sub finem anni 1525 confederatque primùm Segrenæ, (quò an. 1526. Lutherum, Jonam, Philippum, ad baptisma filioli recens sibi nati invitarat) deinde Kembergæ oppidulo Wittenbergæ vicino. Receptus autem fuerat ab Electore hac conditione, ut quietè viveret, neminique litem super negotio Eucharistico moveret. Rogatus autem sæpius à Luthero & aliis, ut, argumenta, quibus suam de cœna Domini sententiam tueretur, proferret, cùm id sibi per Electorem integrum non esse respondisset, tandem impetratâ ab Electore veniâ, de summa causæ cum Luthero modestè cœpit differere. Vide Tom. 4. operum Lutheri Jenens. German. pag. 376 & seqq. ubi & hæc legitur Carolostadii ad Crautwaldium & Schwenckfeldium Silesios epistola.

Optimis & Clarissimis viris ac fratribus, Krautvvaldio & Schvvenckfeldio ad proprias manus.

Pax vobis à Deo Patre, per Jesum Christum. Multas scripsi viri clarissimi, ad vos literas, easque sepositi eâ spe, ut tandem occurreret nuncius opportunus, ac cùm non se ullus offerret, discerpsi. Jam autem Frater hic casu me appellat, & inter loquendum ait, se diversurum ad vos. Hoc ut audieram, rogavi, ut Epistolium parvum vobis adferre dignaretur, promittit. Itaque vobis breviter cursum nostræ conditionis indicare volui.

Posteaquam multis egissem, tandem Princeps annuit, ut cum Luthero ad satietatem scribam, sed id mecum pactus est antè Lutherus. Dedi argumentum, quòd nullus hominum excepto Christo, possit corpus Christi dare in cibum. Hoc Luthero mecum convenit quòd solus Christus det corpus suum in cibum: sed consequentiam negat: Ergo alii non dant, de hominibus autem locuti sumus. Concedit ergò solum Christum dare suum corpus: sed probari vult, quòd alii homines non dant. Quomodo hoc probem, ignoro. Deo laus, qui mihi sagittas acutas donavit: nihil dubito veritatem victuram. Sed, ut mihi videtur, Lutherus iterum me expellet, aut conabitur grævius malum inferre. De concordia nostrum omnium libellum scribam volente Deo: de Lutheranorum discordia scripsi. Brevi offeram multos libellos Lutheranos: sed vereor absque fructu. Vestri causâ vehementer anxius fui ob tyrannum illum: veritus fui, ne Princeps optimus Fridericus damni aliquid pateretur.

Lubenter vos inviserem, & quidem conferrem: nescio quid nostris mens præsagiat, metuentibus, ne in Silesiam me conferam. Volunt igitur hic esse me: sed nemo commovetur misericordiâ: omnia vendo, lectulos, tunicas, cantaros, & quicquid est supellectilis. Id sciunt, sed nullus miseretur: fortassis vellent, etiam me & liberos meos inediâ extingui.

De rebus aliis. Fama est, N. N. impetum facturum adversus quosdam Episcopos: quem fecisset, nisi fuisset precibus nostri Principis Electoris retardatus. De N. vestro fama non optima hic fertur. Ajunt quidam illi in animo fuisse, nos clanculò disperdere, sed impeditum dicunt à Turca. Hic enim maximo cum exercitu fertur esse in Krichisch Weissenburg. Si benè valetis, gaudeo: sin aliter, doleo. Si potestis, oro scribatis ad me: facite me (pro vobis etiam solicitum) de conditione vestra certum, maximè de Evangelii progressu. Utinam Princeps vester, imo meus, optimè valeret. Celerrimè scripsi & obscuriùs: nuncius mihi fuit ignotus.

Si mihi facultas esset, ego ad vos proprium nuncium diu antè misissem, eam præsertim ob causam, quòd de sævitia N. mirabilia feruntur. Fuit quidam nuncius mecum ex Nickelsburg, &c. Libellus Martini adversus vos emissus & nos, plenus est oblivionis beneficiorum Dei, plenus impietatum & blasphemiarum; toties incipit mihi ebullire stomachus, quoties inspicio. Inter omnia pessimè me habet, quod scribit: In cœna remissionem peccatorum ex calice bibimus. Oho! Valete in Christo Jesu feliciter. Date Kembergæ 17. Maji Anno MD XXVIII.

ANDREAS CARLSTADIUS,
Cupio præpositum vestrum ex animo salutare, & bene habere.

Cæterùm cùm Carolostadius sibi insidias strui metueret, migravit cum familia in Helvetiam, in qua Tiguri primùm, deinde Basileæ sacra docuit, ad annum Christi 1543. quo Basileæ, mense Decembri, die 24. obdormivit.

d) In FRISIA Orientali, amoto tum quietis & concordiæ custode Edsardo, principe raræ sapientiæ, contagionis aliquid pestilentissimi disidii, quod Germanicas Ecclesias eo tempore afflixit, sub novo imperio successoris, adhuc per ætatem incauti, qui annum à natali 23. agebat, & naturâ facilis erat ac mobilis, affricare Ecclesiis horum locorum Sathanas conatus est. Vicini quippe Lutheranarum homines præfervidi & contentiosi, videntes Ecclesias nostrates tranquillas & concordes, nec ignorantes, doctrinam hic vigere palato suo non placentem, ægrè id ferre, & blandè primùm eas sollicitare, dein, cùm sic nihil proficerent, allatrare, demùm cum toto doctrinæ genere acerbissimè traducere. Nam verbum Dei & Sacramenta vilia & nullo loco ab his haberi, clamabant: ipsi verò ὑπερβολαῖς Lutheri utebantur & insistebant supra modum, easque pro vehementia aut imperitia suâ faciebant sæpè deteriores: verbi & Sacramentorum vim in usu externo supra verum efferebant, *pixidiculas* ea *omnis gratiæ divinæ* vocitabant: denique ita loquebantur, ut operatum opus Papanorum in scenam reducere vel-

le vi-

le viderentur. Et supererant his locis homines Papismo adhuc dediti, quibus ista non parùm placebant. Nec deerat ex his, qui Papismum reliquerant, unus & alter, authoritate in populo valens, forsan etiam duo tresve è doctorum numero, quorum animi accusationibus hujusmodi Ecclesiarum innocentium abriperentur. Nam zeli & doctrinæ nomen accusatores habebant: & duæ res erant, quæ fidem aliquam conciliare posse videbantur. Etenim Anabaptismus quanquam tenuibus adhuc dum initiis in hac regione se proferens, qui stragem prioribus annis per Germaniam dederat, obtrectationis materiam contra innocentes præbebat. Et Andreas Carolostadius, quanquam privatus, & vitæ rusticæ se dare meditatus, odium tamen Lutheranorum omnium, & invidiam nominis Monetarii, tumultuumque rusticanorum, licet culpâ vacuus, quocunque veniret, secum trahens, hospitio hujus agri usus esse aliquandiu ferebatur. Hinc quippe calumniæ arcessebantur: hæc idonea putabantur ad invidiam Ecclesiis insontibus, sed in verba Lutheri non juratis, conflandam. Ob quæ Ecclesiastæ permoti, qui totâ regione consensum pristinum tuebantur, in quibus Emdani, Nordani, Auricani, Oldershemii, Jemgumani, Wenerani, Larletani, aliique in agro Amasano erant, confessionem fidei & doctrinæ suæ his de rebus conscriptam, & triginta tribus capitibus brevibus comprehensam ediderunt in lucem, fluente mense Novembri istius anni, quo Edsardus decessit. Voluerunt enim publico symbolo testari consensionem & innocentiam suam contra obtrectatores, & reprimere errores emergentes, & confirmare etiam suos, si qui nutarent. Confessioni in frontispicio hunc titulum præfixerunt: *Summa & confessio doctrinæ Ecclesiastarum in Frisia Orientali, ex qua videre licet, eos nec Sacramenta, nec Dei verbum contemnere, ut falsò iisdem impingitur.* Et paginâ versâ, hæc verba præmiserunt: *Summa doctrinæ, quam nos Ecclesiastæ in Frisia Orientali unanimiter docemus, parati quovis tempore rationem ejus ex Dei verbo reddere.*

d) Ubbo Emmius.

Summa verò illius hæc fuit: *Christum solum & unicum esse autorem, fontem, causam salutis nostræ; unicum inter Deum & homines mediatorem: ejus gratiâ & meritis tantùm remitti peccata, non operibus ullis nostris: & in illis, non in nobis spem ponendam: huc usum verbi & Sacramentorum referendum: non fingendum usum, non vim, non finem alium: esse ea à Deo instituta & demandata, utilia nobis, & nullo modo spernenda: sed justificare, aut salvos facere nos, aut Christo inserere non posse: solâ verò fide justificari nos, & Christi gratiæque ac meritorum ejus participes & salvos fieri: fidem autem gratuitum donum Dei, ejusque opus & effectum in nobis esse: ea ubi non sit, cætera nihil prodesse.*

Hac doctrinâ salvâ testantur iisdem, ob diversas interpretationes locorum quorundam in literis sacris nolle se cum quoquam pugnare, aut quenquam, etiam à vero aberrantem, condemnare; aliorum item condemnatorias contra se sententias, si quæ sint, fretos innocentiâ suâ, parum curare, expectantes verum & justum judicem Christum. Et huic confessioni adjecêre symbolum aliud multò brevius, ejusdem sententiæ, quod post recitationem Decalogi, & symboli Apostolici, in more fuit cùm alibi, tùm Emdæ & Nordæ, finitâ concione pronunciari, docens, totam salutem nostram ex solo Deo Patre, Filio, & Spiritu sancto esse, nihil hujus ex nobis. Et ne quid adhuc relinqueretur dubii, eodem labente anno submissa est explicatio ejusdem confessionis prolixior & plenior.

In SILESIA Fridericus Dux Lignicensis & Brigensis multorum vocibus impetebatur, quasi patronum ageret doctrinæ erroneæ de Cœna Domini. Convocatis igitur ditionum suarum pastoribus, mandat, ut sententiam de Eucharistia suam scripto comprehensam sibi offerant. Parent illi mandato. Dux confessionem typis describendam tradit Chalcographo. Ostendunt in illo scripto Theologi; *corporalem Christi in cœna præsentiam, pugnare cum scriptura veteris & novi testamenti, cum natura ac proprietate fidei ac verbi Dei, cum regno ac sacerdotio Christi gloria Dei institutione cœnæ, & ritu Apostolicæ Ecclesiæ.* In verbis cœnæ Dominicæ, *Hoc est corpus meum*, pronomen *hoc*, pro demonstratione spirituali accipiunt, per quam mentes fidelium ab externo ad verum cœlestemque cibum, nempè Christum, qui in cœlis est, perducantur. Hanc confessionem Lutherus manuscriptam nactus, in sua confessione de cœna Domini, cujus supra mentio facta est, vellicarat. Zwinglius itaque ab ecclesiæ Argentoratensis ministris ad se missam, Tiguri typis excudi curavit, quò ab omnibus legi posset, & judicari, qualisnam esset.

Prodit etiam Joannis Brentii Exegesis in Joannem, in cujus sexti capitis enarratione fusè de cœna Domini scribit, Zwinglium & Oecolampadium oppugnaturus. Summam sententiæ suæ his verbis ipsemet exponit: *Non quærimus, an panis substantia mutetur in corporis Christi substantiam? de his nugis disputant vani Papistæ: nec quærimus, an in pane ita carnaliter corpus Christi subsistat? quemadmodum ratio humana rudaci imaginatione in pane corpusculum quoddam imaginari solet: sed hoc quærimus, an pane & vino Cœnæ Dominicæ distribuantur & donentur fidei nostræ corpus & sanguis Christi? Hoc si comprobatum fuerit, manifestè deinde erit quare panis dicatur verè esse corpus Christi, non tantùm significare. Primùm igitur neminem opinor tam deploratæ fidei esse, qui eas inficias, corpus & sanguinem Christi esse dona nostra. Quòd si corpus & sanguis Christi nostra dona sunt: Ergo etiam pro ratione donorum distribuuntur fidei nostræ. At dona Dei dantur nobis credentibus, per verbum & verbi Sacramenta. Proinde ut corpus Christi nobis communicatur per verbum, ita etiam communicatur nobis pane Cœnæ per verbum. Nam hæc vera sacramentorum ratio est, quòd non sint nuda, vana & vacua signa, sed quòd veritas signata per ipsa distribuatur. Est enim homo duplex, internus & externus, spiritualis & carnalis. Itaque in sacramento offertur per verbum interno & spirituali homini, suum donum, h. e. spirituale; externo autem suum, hoc est, externum. Jam spiritualis non exatiatur signis, sed rebus; non impletur umbris, sed veritate. Proinde in sacramento exhibetur non solùm externo homini exter-*

externum signum, sed etiam interno homini res & veritas ipsa: pulchrâ scilicet dispensatione, ut externus homo habeat externa cognata, & spiritualis interna sibi convenientia. In sacramento enim non quæritur cibus duntaxat corporalis, sed etiam spiritualis. At caro & sanguis Christi sunt verè cibus & potus spiritualis: ac ideo sicut per verbum, ita per sacramentum fidei nostræ offeruntur corpus & sanguis, ut habeat externus homo sua externa, panem & vinum, internus vero sua interna & spiritualia, corpus & sanguinem in mysterio donata. Nam ut Baptismus duo habet, aquam & verbum; corpus in Baptismo aquam sensibiliter accipit, quâ lavatur; fides, verbum, quâ lavatur internus homo: ita & cœna Dominica duo habet, panem & vinum, & verbum. Corporis os accipit panem & vinum sensu: præter enim panem & vinum aliud non sentit. Os fidei accipit suo etiam sensu corpus & sanguinem: ita ut corpus habeat in sacramento corporalia signa, & fides dona spiritualia, hoc est, rem ipsam & veritatem. Ne itaque fidei, propter quam Dominus sacramenta dedit, voto non satisfiat omnino necessarium est, ut per sacramenta non solùm vacua signa dentur, sed etiam rerum veritas, quâ sola fides contenta sit. Et pòst: *Non itaque erit unquam admittendus in hac locutione ullus Tropus, per quem auferatur à pane corpus, & à vino sanguis, ne spiritualis homo in Cœna Dominica suis speratis bonis defraudetur. Proinde ut non erres, exige hanc totam locutionem: Hoc est corpus meum: non ad rationis argumenta, non ad illos tropos, qui tibi auferent à cœna corpus & sanguinem Christi, sed ad illos, qui tibi dona Christi præsentia relinquunt, ne cogaris à Cœna Domini magis esuriens in fide tua discedere, quàm accesseris.*

De hac Brentii confessione discrepantia doctorum hominum fuêre judicia, aliis eam orthodoxam, aliis heterodoxam esse existimantibus. Et sanè si verba spectes, ipsissimam Zwinglii & Oecolampadii sententiam eloquuntur: siquidem & Zwinglius scripsit, *corpus Christi adesse contemplatione fidei*: & Oecolampadius in Antisyngrammate; *Qui fide manducant, iis non tantùm indicatur res signo, sed per fidem obvenit, & obvenit quidem ipsum corpus, non ut in pane præsens sit, sed ut nostrum sit.* Itaque fuêre, qui adminiculo hujus Brentianæ expositionis ad veræ cognitionem sententiæ pervenirent.

e) Inter quos nomen profitetur suum clarus olim in Academia Heidelbergensi Theologiæ Professor Petrus Boquinus, qui non dubitat alicubi scribere: *Summam sententiam de cœna Domini, quam anno 1540. Aureliæ docens, post varias cogitationes, quæ me diu multumque anxium tenuerant, didiceram ex lectione Brentianæ Exegeseos in Joannem, me hactenus constanter retinuisse, novit, qui animorum nostrorum penetralia perspicit. Id ipsum testificatus sum Brentio, audiente Jacobo Andreæ, cùm essemus Maulbrunnæ.* Et edita est confessio Brentii de Cœna Domini Germanicè ex Syngrammate Suevico & Exegesi ejus in Johannem Heidelbergæ anno 1576. in qua ex collatione diligenti Brentii & Oecolampadii scriptorum demonstratur, ejusdem utrumque fuisse sententiæ.

Sed Joannes Brentius filius fluente anno 1582. scripto publico calumniarum eos reos peregit, qui authoritate patris sui errorem, quem vocat, Sacramentarium de Domini Cœna tueri & propagare conarentur. Judicatum igitur fuit, Brentium senem in Exegesi meliùs locutum fuisse, quàm sensisse: quanquam illud certum sit, neque in Syngrammate Suevico, neque in Exegesi Ubiquitatem corporis Christi pro fundamento realis existentiæ corporis in pane fuisse positam.

e) In refutatione Timothei Kirchneri anno 1576. edita Heidelbergæ.

Dissidium Eucharisticum quomodo componi posset, docebant hoc anno Jacobus Otherus & Martinus Bucerus.

Jacobus Otherus Evangelium piè docebat in oppido Steinaco ad Nicrum, quod Nobilissimorum Landschadiorum imperium agnoscit. Is hoc anno libellum edit de pia vita & morte: ubi & de Cœnæ Dominicæ usu agit, & inter alia scribit: *controversiam de Eucharistia esse meram λογομαχίαν: utramque enim partem fateri, Christum fide accipi per Verbum in Cœna sacra. Atque hoc sufficere fidelibus. Infideles judicium edere & bibere, etsi Christum in cruce pendentem, tantus quantus fuit, comedissent: siquidem panem Domini non aliter ac sus nucem myristicam, edant. Satis igitur esse, scire, Christum adesse: supervacaneas verò omnes quæstiones esse: An in, cum, sub, ante, retro panem sit corpus: per verbum namque fide acceptum ibi præsens esse.*

Bucerus: f) *Alteram partem, fateor, errare necesse est, eoque verba Christi à genuino ipsorum sensu detorquere. Dum autem utraque Christum unicum nostrum servatorem confitetur & praedicat, dum suis in cœna adesse agnoscit & celebrat, dum etiam cœnæ panem corpus ipsius non illibenter vocat, esse fatetur; quod quæso tantum est fidei, quod pietatis periculum; ut de modo, quo panis Christi corpus sit, dissentientes, tanto par sit furore blasphemare? præsertim cùm illi ipsi, qui pro corporali Domini in cœna præsentia digladiantur, de eò minimè constare sibi, editis libris fateantur, Pomeranus inprimis in Confessione sua.*

f) Præfatione in Sophoniam.

Non possum, quin memorem hoc loco quæ Martinus Bucerus epistolâ ad Joannem Comandrum aliquot pòst annis scripsit: se nimirum lectâ confessione magnâ Lutheri aliter atque antea de illo statuisse. Verba ejus sunt ista: g) *Habes jam, optime Comander, in quibus vel sententiam, vel docendi rationem mutarim: nec id pridem, vel tùm primùm, cum omnes cum Luthero articulos subscripsi, feci: statim ut Lutherus suam de sacra Cœna Confessionem magnam edidit, intelligere cœpi, eum nequaquam Christi localem in pane inclusionem, aut ullam cum elementis talem conjunctionem statuere, quæ indigna sit Christo, sive vero homine, sive in cœlis regnante. Porro si roges cùm non adeo nuper cum Luthero & Ecclesiis, quæ ipsum sequuntur, consenserim, & eam rationem de sacra Eucharistia disserendi, quam hic tibi perscripsi, amplecti cœperim, cur id non etiam statim profiteri voluerim, & testatum fecerim. Scito mi frater, in eo me habuisse rationem Ecclesiarum, & universim, & peculiariter Helveticarum. Cupiebam enim non novarum dissen-*

sionum

nium offendiculis Ecclesias rursus concutere, sed pacem solidam cunctisque approbatam afferre. Tùm in hanc consensionem optabam venire maximè Helveticas, cum quibus singularem consuetudinem Dominus nobis ab initio Evangelii restituti concesit. Tempore itaque opus fuit, dum fratribus atque Symmystis cùm consilium, tùm sententiam in restituenda hac Concordia approbaremus. h) Neque verò supposititia hæc putetur esse epistola. Idem enim Bucerus ann. 1545. decimâ sextâ Aprilis ad Joannem à Lasco scribit, se lectâ Confessione magnâ Lutheri, meditari concordiam cœpisse. Quæ quomodo & cum superioribus Buceri verbis, proœmio in Sophoniam insertis, & cum Dialogo ejus Arbogasto hoc anno edito, quomodo item cum colloquio Marpurgensi, in quo Bucerus Zwinglii partes defendit, quomodo denique cum enarratione Buceri in vigesimum sextum caput Matthæi anno 1530. edita, conveniant, alii viderint.

g) Fragmenta hujus epistolæ exstant in ordinatione Ecclesiæ Argentinensis, à D. Pappo anno 1598. edita.

h) Epistolarum Belgicarum Centur. 1. p. 28.

SANCTORUM nonnullorum pericula, exilia, carceres, mortes nunc tango.

In PERICULO magno versabantur Evangelici in Saxonia & Hassia: cùm sparsâ famâ & delato indicio conspirationis cujusdam ad eos vel coërcendos, vel in ordinem redigendos, qui ausi fuissent ritus pristinos religionis nostræ immutando veluti secessionem quandam facere, Electoris Saxoniæ & Philippi Hassorum Landgravii animi iracundia & dolore exarserunt: & conscriptis copiis bellum vicinis Episcopis ostenderunt, non intulerunt. Melanchthon ad Camerarium: i) *Ego gratias ago Deo, quòd non permisit nos probare belli consilium. Plus enim boni inscientes, quàm scientes fecimus. Nam quidam vehementissimè contendebant, ut sibi fides haberetur. Quanquam non dubito, nos nunc in maximo odio esse, quia existimo quosdam putare, tutius sibi fuisse, discepture armis quàm jure. Vide, mi Joachime, quanto in periculo versemur, irritatis inimicorum odiis, atque auctis vanitate indicii, alterius autem vel facilitate, vel incogitantiâ, vel etiam timore πιστεύσαντος illi. Quanquam illud quidem quid dicam? διαβεβαιῶν τὰ ἀδηλα, ut supra scripsi. Ego hac curâ pene absumor, cùm cogito, quanto scandalo onerata sit optima causa. Neque habeo quo me sustentem ἔξω τῶν δήσεων καὶ ἐυχῶν.*

i) Epist. ad Camerar. p. 105.

EXULABANT proscripti, constantes Christi confessores, Melchior Ambachius & Joannes Mantelius: quos secundâ Septembris hujus anni plenâ spiritu epistolâ recreat Oecolampadius: k) *Exilium vestrum*, inquit, *fratres charissimi, multas quidem causas habet, quæ & fortia in Christo pectora conturbare possent. Cogitare enim, oves fidissimis pastoribus destitui, dispersasque si non lupis exponi, certè mercenariis committi: videre etiam adversarios triumphantes, & de iniquitate gloriantes, spectare autem & infirmiores, jam exemplum vestrum imitari gestientes, ut papisticæ impietati renuncient; tamque subitò cunctabundos, & nescio quam similem expectantes occasionem: Hæc, inquam, considerare, cujus cor, modo Christianâ charitate imbutum, licet alioqui adamantinum sit, non commoverit? Ut taceam interim difficultates, pericula, ignominias, & tribulationes exulum, quæ nonnunquam ipsâ morte truculentiora apparent. Exilium enim quotidianas mortes secum adfert. At cùm fidelem scimus Deum, non ultrà quàm ferre possumus tentantem & omnia pro virium quas concedit mensura moderantem, non minorum consolationum sylvam accipimus. Spiritus enim Domini, qui vos in hanc luctam inunxit, & in hoc armavit certamen, tantum spiritus ac roboris sufficiet, ne deficiatis in afflictionibus, quas pro veritate toleratis. Silentium & proscriptio vestra longè vocaliùs in filiorum Dei cordibus clamabunt, quàm olim sonore concliones. Confessio hæc inviolabile eorum, quæ antea piè docuistis, signum erit. Habet sanguis Abelis suam vocem: habet & persecutio vestra suam linguam. Facessant igitur mœror ac pusillanimitas. Beatum est fieri conformes imaginis crucifixi, quem docemus. Oves suas Christus novit, & à luporum faucibus eripiet. Hypocritarum exultatio momentanea erit. Dominus enim gloriam suam alteri non dabit. Confidite igitur fratres, Christi est terra & plenitudo ejus; forsitan vos ad uberiorem messem ejecit. Scribam proximis nunciis & Tigurinis & Bernatibus fratribus causam vestram, si fortè alias vobis parochias præparaverit Dominus: tametsi Helvetii alienigenas indigenis suis non facilè præferant. Nihil tamen intentatum relinquemus. Interea haud dubito, Spiritus sanctus sine nobis propositi certaminis insigne brabeion commonstrans, suâ unctione consolabitur, quam vobis abundantissimam precor. Orate autem Dominum & pro me. Nam & nos sæpè vestro periculo proximi sumus. Valete. Basil. 2. Septembr. Anno 1528.*

k) Tom. 4. epist. Zwingl. & Oecolampad. p. 887.

l) In aula Saxoniæ Electoris exulabat Elisabetha Joannis Danorum Regis filia, Joachimi I. Electoris Brandeburgici conjux: quæ auxilio fratris Christiani Danorum Regis Berlino aufugit; metuens perpetuos carceres a marito sibi paratos ideò, quòd Eucharistiæ utraque specie esset usa.

l) Lutherus Tom. 2. epist. pag. 375.

m) Apud Lutherum exulabat Ursula Ducis Munsterbergensis filia, Georgii Saxoniæ Ducis consobrina, ex monasterio Friburgensi non sine miraculo elapsa; ægerrimè hoc ferente Duce Georgio.

m) Ibidem p. 390.

n) JUTERBOCUM oppidum est in Saxonia, Archiepiscopi Magdeburgensis imperio parens. Docebant ibi Evangelici præcones, & unus quidem Thomas Schneidwein ipsius Alberti Archiepiscopi authoritate. Elector nihilominus Brandeburgicus Alberti frater quadraginta equitibus stipatus eò contendit, concionatores dolo oppido evocatos capit, captos abducit. Populus adversus magistratum insurgit, cogitque Senatum abire repetitum concionatores.

n) Tom. 2. epist. Luth. p. 375.

MARTYRII coronam meruêre:
Dionysius Ryeux, Gallus,
Patritius Hamiltonius, Scotus,

Henricus Flander,
Georgius Scharerus, Germanus: &
Artifices duo in Boëmia.

In Gallia optimo Regi Franciſco perſuadent: o) omnia regni mala à damnata Lutheranorum hæreſi oriri. Decernitur igitur ſolemniter, quotquot peſtiferæ ſectæ favere deprehendantur, illicò à M. giſtratu politico, tanquam blaſphemos, ultimo ſupplicio afficiendos. Hinc multorum paſſim corpora, & cum illis ſincerior religio per univerſam Galliam incenſa. Primus vi hujus decreti Meldis, menſe Julio, die tertiâ, vivus uſtulatus fuit Dionyſius de Ryeux: qui inter primos in Gallia palàm aſſeruit, Miſſam certiſſimam eſſe abrogationem mortis & paſſionis Jeſu Chriſti.

o) Hiſt. Eccleſ. gallicè.

p) Patritius Hamiltonus, juvenis cùm egregiis naturæ & literarum ornamentis per ſe commendatus, tùm genere ipſo ac imaginibus multò commendatior, quippe ex regia natus familia ac proſapia, cùm in Academia Marpurgenſi publicam ſuſtinens profeſſionem in admirationem doctrinæ ſuæ doctiſſimos quosque convertiſſet; cœpit tandem flagrans pietate animus de repetenda patria cogitare, ratus videlicet, quod mens avidè deſiderabat, futurum ut eius doctrinæ lucem aliquam, quam foris percepiſſet, tanquam pius negociator, patriæ impartiret ſuæ. Itaque adjuncto ſibi ſodali, nihil cunctatus domum revertitur, pio quidem & perſancto conatu, ſed eventu non pari. Namque ingenuus adoleſcens in tanta ingenii ac doctrinæ luce, dum ſordes & tenebras ſuorum non ſuſtinet, inſimulatus primùm hæreſeos, deinde conſtanter ac impigrè cum Cardinale ejusque centuriis diſputans, conjuratione tandem oppreſſus adverſariorum, poſt latam condemnationis ſententiam, eodem die à prandio ad pyram exurendus, rege adhuc puero, pertrahitur: ubi graviſſimo ſanguinis ſui teſtimonio, veritatem Dei multorum in animis confirmatam ac infixam poſt ſe reliquit.

p) Foxus part. 1. hiſtor. Eccleſ. Anglic.

q) Henricus Flander ordinis Auguſtinianorum Monachus, propter verbum Dei in civitate Cortracenſi oppido Flandriæ captus, & inde Tornacum deductus eſt. Cumque illi oblata eſſet conditio per Officialem Epiſcopi Tornacenſis, ut, ſi vellet confiteri eam, quam uxorem duxerat, eſſe meretricem ſuam, vita ei conſervaretur: renuit ille, & in fidei confeſſione firmus perſtitit. Itaque ſacerdotali gradu atque ordine dejectus eſt. Quod cùm fieret, cum ſumma animi lætitia canere cœpit: *Te Deum laudamus:* & paulo pòſt ſupplicium ignis lætus pertulit.

q) Acta Martyrum.

r) Georgius Schürerus Salfeldenſis Germanus, monachus Franciſcanus, Radſtadii in Bavaria verbum Dei purè aliquandiu docuerat. Hæreſeos autem accuſatus, capite truncatur ibidem.

r) Rabus.

In Boëmia duo artifices Germani die S. Auguſtini, alter lagenarius, alter cingulorum artifex, Ille quod rebaptizatus, hic quòd Lutheranus eſſe diceretur, uterque verò odioſo Picardorum cognomine gravaretur, Proclamati blaſphemi, igne exuſti ſunt, conſtantiſſimè ad mortem usque fidem in Deum trinum in perſonis, unum in eſſentia confeſſi.

Meminerit hoc loco lector, Fratres unitatis & alios pios tum temporis retinctione fuiſſe uſos, non quòd Anabaptiſtarum erroribus patrocinarentur, ſed quòd nondum diſpicere poſſent, quomodo aliter ſe à mundo immundo ſegregare poſſent.

SPHALMATA & SCANDALA non reticenda, quæ ab Evangelicis nonnullis hoc anno orta, puta;

à Martino Luthero,
ab Urbano Rhegio,
à Theobaldo Billicano,
à Nicolao Minquitio.

s) Lutherus (qui, Melanchthone referente, nunquam magnopere videre ſtuduit, quid hominum judicio deceat, idque certo conſilio, vel fato quodam) ad Wenceslaum Lincum Norimbergenſem Eccleſiaſten, de federe Pontificiorum adverſus Evangelicos, epiſtolam miſit violenter ſcriptam: in qua Georgii Saxoniæ Ducis *excuſationem frigidam* vocat: & tantum non minatur Pontificiis; t) *ſi deinceps aliquid moliantur, ſe Deum oraturum, deinde principes moniturum, ut absque misericordia pereant, quandoquidem sanguisugæ inſatiabiles quieſcere nolint.* Epiſtola hæc ad Georgium Saxoniæ ducem perfertur. Is ad Electorem Saxoniæ Joannem exemplum mittit: quæſtionem in Lutherum decerni poſtulat: literas valdè minaces addit. Lutherus epiſtolæ ſuæ patrocinium planè Rhetoricum ſuſcipit libro, quem de literis arcanis furto ſublatis adverſus Georgium Saxoniæ Ducem edidit. u) Melanchthon ad Camerarium, *Deus*, inquit, *corrigat ejusmodi σφάλματα noſtra.*

s) Epiſt. ad Camer. pag. 103.
t) Exſtat epiſtola Tom. 2. epiſt. Lutheri pag. 387.
u) pag. 103.

Urbanus Rhegius, qui ſuperiori anno Zwinglii & Oecolampadii de Euchariſtia ſententiam amplexus fuerat, rurſum ſententiam mutat. x) Ideo Lutherus ad Wenceslaum Lincum ſcribit, *illum reſipuiſſe, & contra hoſtes Sacramentarios ſtrenuè certare.*

x) Tom. 2. epiſt. pag. 381.

y) Theobaldus Billicanus incipit totam Lutheranorum doctrinam condemnare, mirari verò Dionyſium, in quo nulla litera de juſtificatione. Quin ſcribere audet: *nec præceptorum, nec Sacramentorum rationem rectè traditam eſſe à Lutheranis; ac inſanire, qui Eccleſiam eſſe apud eos exiſtiment.*

y) Melanchthon epiſt. ad Camer. pag. 110.

z) Nicolaus à Minquitz in Marchia Brandeburgica collecto exercitu diripit oppidum Epiſcopi Lebuſienſis Furſtenwaldum, & violatis pacis publicæ legibus Evangelion novâ & magnâ gravat invidiâ.

z) Lutherus Tom. 2. epiſt. p. 383. & 384.

CÆTERUM ad quæſtiones quasdam Theologicas eruditè reſponderunt hoc anno Eccleſiæ repurgatæ Coryphæi per epiſtolas.

Ad quæſtionem, a) *An liceat Magiſtratui occidere Pſeudoprophetas*, reſpondet Lutherus: *Ego ad judicium ſanguinis tardus ſum, etiam ubi meritum abundat. Tum in hac cauſa terret me exempli ſequela, quam in Papiſtis ac Antichriſtis & in Judæis videmus: ubi cùm ſtatutum fuiſſet, Pſeudoprophetas & Judæos occidi, ſucceſſu temporis factum eſt, ut non niſi ſancti Prophetæ & innocentes occiderentur, authoritate ejus ſtatuti, quo impii Magiſtratus freti, Pſeudopro-*

doprophetas & hæreticos fecerunt, quosquos voluerunt. Idem sequutorum esse timeo & apud nostros, si semel uno exemplo licitum probari poterit, seductores esse occidendos, cùm adhuc apud Papistas videamus hujus statuti abusu innocentem sanguinem fundi pro nocente. Quare nullo modo possum admittere, falsos Doctores occidi: satis est, eos relegari: quâ pœnâ si posteri abuti volent, mitiùs tamen peccabunt, & sibi tantùm nocebunt.

a) Tom. 2. epist. pag. 381.

Ad quæstionem, b) *An de voluntate Dei imperscrutabili docendum*, respondet Lutherus: *Docendum est quidem de voluntate Dei imperscrutabili, ut sciamus talem esse: sed niti, ut comprehendas eam, hoc est præcipitium periculosissimum. Proinde ego soleo me coercere illo Christi responso: Tu me sequere, quid ad te, si illum volo manere: siquidem & Petrus de alieno opere Dei disputabat, quid de Joanne esset futurum. Et illo ad Philippum: qui dixit, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis: quem cohibuit dicens: Non credis, quod Pater in me, & ego in Patre: Qui videt me, videt & Patrem. Nempè & Philippus majestatem & secreta Patris videre voluit, quam esset promissionibus & præceptis Deus longè supra Christum.*

b) Tom. 2. epist. pag. 392.

Ad quæstionem de descensu Christi ad inferos Oecolampadius respondet: c) *Non esse specialem articulum fidei, sed juxta Hebraici sermonis proprietatem declarari antecedens, Sepultus est, ita ut verè mortuum non ambigamus.*

c) Libr. 1. epist. Zwingl. & Oecolamp.

ANNVS CHRISTI M D XXIX.

ANNUS vicesimus nonus, *multarum reformatione Ecclesiarum: duobus de Cœna Domini colloquiis: plurimorum Evangelicorum invictâ in variis tentationibus constantiâ est celebris.*

REFORMARUNT Ecclesias suas pleniùs, Argentina, Basilea, Schaphusium, Tigurum, Sangallum.

a) ARGENTINÆ Februario mense, die vigesimo, fit decretum, suspendi Missam oportere ac intermitti, donec adversarii demonstrent, esse cultum Deo gratum. Hoc decretum & in urbe ac foris, quàm latè patet ipsorum jurisdictio, Senatus valere jubet atque servari, & per literas deinde certiorem facit Episcopum; qui non absque gemitu maximoque dolore se illud accepisse, & cogi patienter ferre, & quod sui sit in eo muneris, facturum se rescribit.

a) Sleidanus.

BASILEÆ sexennium ferè docuerat Oecolampadius. Distracti igitur cives, alii Christi, alii Papæ præceptis standum censebant. b) Decrevit tandem Senatus, ut eadem esset per totam urbem doctrina, utque de Missis, quæ locis adhuc aliquot supererant, certo die palàm habitâ disputatione, per suffragia decerneretur, quid in eo fieri oporteret. Pontificii autem nihil seciùs urgebant suum institutum, & aliquantò etiam acerbiùs pro concione notabant adversarios. Et quoniam hoc illis erat impunè, plerique sic accipiebant, quasi primores illud non improbarent. Itaque delecti sunt è civibus, qui Senatui denuò supplicarent, & pacti memoriam renovarent. Hi post multam actionem petebant, ut ii Senatores, quorum hortatu Pontificii sic docerent, quoniam ea res non solùm ad decreti facti contemptum, sed ad turbam atque seditionem etiam pertineret, loco submoverentur. Quum id Senatus omninò recusaret, cives, hujus anni mensis Februarii die octavo, in æde Franciscanorum conveniunt, & re deliberatâ, rursus idem à Senatu, sed non tam demissè, quàm antea, petunt: simul publica civitatis loca sibi capiunt & occupant, sine armis tamen. Sub ejus diei vesperam, Senatus placere sibi respondet, ut ii, quos loco removeri postulent, deinceps quum de religione deliberabitur, non adsint; in cæteris verò locum & ordinem suum retineant. Eo dato responso, quum appareret paucos aliquot usurpare sibi summam rei, magis offensi fuerunt animi civium: quamobrem palàm testificantur, velle sibi capere consilium deinceps, non quidem religionis, verum sui juris vindicandi causâ. Mox armati turres atque portas occupant, & idonea loca præsidiis firmant, & excubias agunt, non secùs, atque in castris, quum ab hoste vicino periculum est, fieri solet. Postridie Senatus deliberandi spacium petit, & ad eos, qui nuper fuerant intercessores, causam rejicit. Cives illud non recusant, sed ut rei sint interea privati, suoque sumptu litem prosequantur volunt: ipsi verò, qui reipublicæ causam & posteritatis agant, sumptu publico. Senatus etiam alia quædam leviora illis largitur, quò sic offensionem mitigaret. Hoc ipso die, nonnulli cives, quibus erat mandatum ut per urbem circumirent, ac rebus omnibus providerent, in templum primarium ascendunt. Ex iis quidam hastâ suâ statuam alicujus Divi revellit, sic ut in terram delapsa confringeretur. Hac autem occasione in plures deinde manus injicitur: interventu verò sacrificorum, qui id ægrè ferebant, illi ne mandati fines præterirent, nullam movent ampliorem rixam, & abeunt. Quum ejus rei nuntius esset ad cives in forum delatus, & plenior multò, quàm res ipsa ferebat, ad templum è vestigio mittuntur armati tercentum, ut illis opem ferrent: nam esse in angustiis atque periculo dicebantur. Ubi ventum est eò, jam illi discesserant. Ne verò frustrà illuc itum esset, idola seu statuas ibi repertas demoliuntur, & progressi reliquis in templis idem faciunt. Ibi tùm è Senatu quidam accurrunt, sedandi motus causâ. Cives autem ad illos; Quod vos totum jam triennium deliberatis, an fieri debeat, illud nos, inquiunt, unâ perficiemus horâ, ne propter idola sit ullum posthac inter nos dissidium. Sic adeò Senatus eis omnia permittit, & loco moti fuerunt Senatores XII. absque ignominia tamen. In his erant Henricus Meltingerus, tùm Consul, Lucius Zieglerus, tribuum præfectus. Decretum etiam est factum, ut tam in urbe, quàm foris per ipsorum fines aboleatur Missa cum idolis omnibus. Ad hæc, ut in iis rebus deliberandis, quæ ad gloriam Dei pertinent, & ad reipublicæ commodum, Senatus in posterum adhibeat tribules numero ad ducentos sexaginta, quorum utatur consilio. Iis factis decretis, læti domum revertuntur cives, & in statuas tantùm omnis desiit iracundia. Tertiâ die,

qui nùm erat cinerum dies, ut Pontificii vocant, ſtatuæ ligneæ diſtributæ fuerunt in homines tenuiores, ut iis ad ignem uterentur: quum autem illi ſuper dividundâ prædâ rixarentur, ac pugnis etiam rem agerent, placuit exurendas eſſe. Novem ergo componuntur ſtrues ante primariam ædem, & inflammatæ cremantur. Ita nimirum caſus tulit, ut quo die Pontificii ſolent frontibus hominum invergere cinerem, quò ſeſe pulverem atque cinerem eſſe recordentur, ille ipſe dies, propter idola in cinerem redacta, civitati fuerit lætus atque jucundus. Februarii die XII. tribules illi, quos diximus, acta Senatus comprobant. Alterâ die per ſingulas tribus denuò juratur, & amicè diſceditur. Tigurini, Bernates, Solodurii, quum de turba eſſet ad ipſos perlatum, illicò legatos mittunt interceſſores. Quum autem hi venirent, jam ſedata res erat. Et hactenus quidem Sleidanus.

b) Idem.

Non moleſtum, credo, erit lectori, Baſileenſis Eccleſiæ renovationem ex ipſomet Oecolampadio audire, viro utique ſancto, & Eccleſiæ illius Apoſtolo celeberrimo. Sic autem ille: c) *Gratia & pax à Chriſto, mi frater. Iterum agendæ nobis ſunt Deo gratiæ, qui novos & graviores, in cruentos tamen Eccleſiæ noſtræ motus pacavit, in magnam Antichriſti confuſionem. Malo nodo ſuus cuneus obvenit. Vbi enim Eccleſia noſtra intellexit, proceres ſuos à Senatu auditos quidem, ſed non exauditos, imò repulſam paſſos quum petiiſſent authores ipſos non ſervatarum promiſſionum è Senatu penitùs amoveri: collecta in æde Franciſcanorum, & expendens, quid poſthac periculi, ſi Ariſtocratia in paucorum tyrannidem degeneraret, memorque ſecum ſuæ libertatis, & cogitans, quid gloriæ Chriſti, quid juſtitiæ publicæ, quidque poſteritati ſuæ deberet, jam non, ut morem habuit, obſecrare & precari, ſed poſtulare, & Senatum ſui officii admonere; miſſis ad illum delectis ſuis in Curiam. Et principiò ſine armis occuparunt Curias quasdam Zunfftiarum, bonâ hominum parte pervagante in foro & plateis, ne quid forte ab adverſariis inſidiarum ſtrueretur. Poſtquam autem dies inclinavit, & reſponſum datum eſt, nominatos quosdam in re quidem Evangelicæ egredi debere è Senatu, in cæteris autem cauſis poſſe aſſidere, plebs magis exaſperata eſt, contemptam nimirum ſe videns, conteſtataque eſt, ſe jam non Evangelii, ſed publicæ juſtitiæ tuendæ causâ adeſſe: intolerabilem ſibi poſthac tyrannidem: non detrectare tamen in aliis Senatus authoritatem. Et propterea mox totam armata forum occupavit, non quòd opprimere Dominos vellet, ſed ut tutò & ſine periculo negotium tranſigeret. Hoc ſciens Senatus, non multò mitior factus eſt. Ita etiam ſequens dies, alioquin Gentilium more infauſta ſacer, Eſcher-Mittwoche, Carniſ privia vocant, vidit plebem ferventem, & in armis Curias & forum occupantem, adverſariorum autem nullus ſe opponere auſus fuit. Conſul Meltingerus cum Oeglino Offenburger Senatore, clàm conſciensâ naviculâ, neſcio Senatu, elapſus eſt: quod illum ſibi parùm benè conſcium indicavit. Adhuc tamen Senatus ad poſtulationem plebis obſurdeſcebat, & ad arbitros quosdam, qui in hac cauſa pronuntiarent, provocabat: quod tamen plebs non detrectabat, hac ſcilicet conditione; ut plebs ex publico ærario litiget & accuſet, illi verò ſuo ſumptu rei ſint. Interim habita eſt magna portarum, turriumque vigilia: nec minor erat civium circumſpectio, quàm in medio hoſtium. Joannes Irmus plebis nomine apud Senatum oravit mirâ conſtantiâ & fide, & non minùs plauſibiliter apud plebem. Senatus itaque cunctando patientiam plebis frangere ſtudebat, & in minoribus petitionibus occupabatur: Nam quâ ratione & modo Thilamonius noſter (G. Tyllmannii) ſummo templo reſtitueretur concionator, & ſimilia cogitabant. Accidit autem, ut quidam armati perluſtrantes civitatem, ingrederentur templum ſummum, & cum Hellepardis quaſi per luſum aperirent, armarium idolorum, unumque idolum educerent, quod in multas partes ſtatim collapſum eſt, & occaſionem illis dedit & alia idola comminuendi, licet nihil ſe tale facturos cogitarent. Prohibere autem hoc cœperunt quidam Pontificii: unde noſtri contendere, nedum pugnare volentes, egrediuntur. Sed neſcio quis rumor aliis interim factū inſinuavit. Statim enim ex noſtris armati trecenti ex foro affuerunt, fortaſſe anxii de his, qui rem tantā affectarint: hi vi irruperunt in templum ſummum, & omnia idola deturbarunt: & deinde perrexerunt in templum S. Petri, Prædicatorum, & Albani, nec non Huldrici ſimiliterque in omnibus templis egerunt. Superveniebant Senatores, qui prohibebant: ſed non curabantur. Imò audiebant graviter: De quo vos per triennium deliberaſtis, nihil efficientes; nos intra horam omne abſolvemus. Qua vox cum ſimilibus ita eos terruit, cæterosque Senatores, ut jam prorſus nihil dubitarent, cedendum in hac parte plebi: unde mox omnia, ut poſtulata erant, obtinuit. Ejecti enim è Senatu duodecim: Meltinger Conſul hujus anni, Wilhelm Zieglerus tribunus plebis ſuperioris anni,* Juncker *Bernhardus Meyer, aliàs Baldinsdorff,* Juncker *Oeglin Offenburger. Ex Curia, id eſt, tribu Croci, Oberrieth frater Præpoſiti in ſummo templo, & Lucas Iſelin ſororius Ludovici Ben: Ex Curia Clavis,* Hans zum Brunn, Stathalter, *Franciſcus* Beer: *Ex Curia Vrſi, Andreas Epiſcopius, qui etiam ex Berorum familia, & Sylbergerus quidam vetulus, item Joan* Stoltz *& Thurniſen: omnes inſignes adverſarii. Decretum, ut poſthac communibus ſuffragiis creent ſcabinos, (quos vocant* Sechſer) *ſinguli in ſuis Curiis, & poſthac Diœceſium ſuffragio eligatur magiſtratus ſummus, & Senatores eius anni confirmentur. Decretum, ut eo ipſo die in civitate & agro Baſilienſi tollantur idola, abrogataque ſit prorſus Miſſa in omnibus templis ac domibus. Denique, quæ vel ad gloriam Dei, vel ad pacem Reipub. pertinent, cum Diœceſiis & ex plebe aſſumptis circiter ſexaginta optimatibus, diſponenda ſunt absque ulteriori cunctatione. Atque ſic his conditionibus plebs læta domum redit, ſub ipſum noctis crepuſculum. Hic multi fortaſſis, mi frater, noſtris varia crimina imponunt haud dubiè, ſed falsò. Nullinec obulum abſtulerunt: tantùm in templis ulti ſunt injurias quasdam, ita nimirum volente Domino. In die cinerum, cum idola ſecta diſtribui inciperent panperibus, quidam importuniùs illa petebant, ita ut vulnerarint ſe mutuò. Ea pro-*

lier-

oter visum est nostris, ut idolaomnia in cineres redigantur eo ipso die Cinerum. Accensæ sunt igitur pyræ novem in campo Monasterii. Tristissimum, me hercle, superstitiosis spectaculum! Sie hetten blut weinen mögen. *Et, ita sævitum est in idola. Ac Missa exspiravit præ dolore. Duodecimâ Februarii autem Diœcesii cum optimatibus Senatus consulta approbarunt, & conciliati sunt. Hodie in singulis Curiis plebei denuò obedientiam exhibebunt. Mox assunt Tigurinorum, Bernatium, Solodurensiumque legati. Sed in tempore venerunt, confecto scilicet divinâ ope tempestivè negotio. Vides, mi frater, ut res nostræ habent. Ipse tamen nescio, an magis quieti simus futuri. Ni fallor, plus laboris, plusque curarum nobis incumbet, quàm unquam. Adversarii me fonzem omnis hujus rei vocant. Sunt aliqui, abitionem parantes: ex quibus est Glareanus, homo ad maledicentiam & inepta scommata natus. Proficiscitur cum suis discipulis Friburgum. Ludovicus Berus ante mensem hinc abiit. Saluta fratres omnes, præsertim Bucerum ac Hedionem. Eusebius meus non tam valentulus est quàm procerulus, catharro penè enecatur ac tussi. Forsitan Dominus illum puerum adhuc ad se vocabit. Saluta & uxorem. Basileæ raptim 13. Februarii, anno Reformat. 1529.*

c) Epistola MS. ad Capitonem.

d) Hac renovatione factâ, Basileam deseruerunt Ludovicus Berus, Henricus Glareanus, homo (Oecolampadii judicio) ad maledicentiam & inepta scommata natus; e) Erasmus denique Roterodamus Hollandus, Turini in Pedemontio Theologiæ Doctor creatus: qui navim conscensurus, Bonifacio Amerbachio aliisque comitibus hoc valedixit Tetrasticho:

Jam Basilea vale, quâ non urbs altera multis
Annis exhibuit gratius hospitium.
Hinc precor omnia lata tibi: simul illud, Erasmo
Hospes uti ne unquam tristior adveniat.

d) Epist. ad Capitonem.
e) Uritisius.

f) Vocabantur tùm Heidelbergâ, ad professionem linguæ Hebraicæ quidem Sebastianus Münsterus, Græcæ verò Simon Grynæus, ad quem Oecolampadius inter alia: g) *Non gravet, quòd quidam hinc migraverunt: nisi fallor, brevi pœnitudine ducentur non parvâ: nos illis carere poterimus. Marius & Pelargus, autores malorum & tumultuum, ut aperti hostes Evangelii absunt: de quibus vindicavit me Dominus, cui ultionem permisi. Glareanus etiam ipse maledicentiæ morbo obnoxius, absens quàm præsens utilior erit. Quòd si & alii abscedant malevoli, tantò commodiùs habebit corpus, si ulcera purulentiam omnem excreverint. Nemo hinc vi exactus est: sed quoniam Christum hic regnare dolent, alibi degere malunt. Abiturus est & Erasmus; id facturus nimirum in gratiam principum, quibus devinctus est: sed non perpetuò aberit, ut opinor. Verùm in illos non respicimus, quandoquidem Academiam novam & feliciorem meditamur.*

f) Vita Münsteri.
g) Oecolampad. Tom. 4. epist. pag. 835.

Kal. Aprilis publicatur Ecclesiæ Basilienſis ordinatio.

h) SCHAPHUSII hactenus Evangelium annis aliquot fuerat prædicatum. Hoc autem anno mutantur ritus Papistici: abrogatur Missa: tolluntur idola: inter quæ & crassum illud, nescio quot pedes longum, quod magnum Schaphusianorum Numen (den grossen Herr Gott von Schaffhausen) nominarunt, flammis exustum est.

h) Stumpfius lib. 5.

i) TIGURINI mense Januario, edicto cavent, ne cives ad Missam alibi audiendam excurrant. Deinde nobis mândatis abrogant impios, profanos & diabolicos Bacchanaliorum ritus illos, quibus homines sexum mentiti, personis tecti turpia quæque patrarunt, & prætextu placentularum apud vicinos esûs convivia temulenta & saltationes ad intempestam noctem protraxerunt.

i) Bullinger Chronico MS.

k) SANGALLENSES huc usque pepercerant idolis in summa æde (im Münster) idque ideò, ne Abbatem emendatione rituum & doctrinæ in templo Laurentiano jam antè offensum magis exacerbarent. Hoc autem anno, vigesimâ tertiâ Februarii, re in Senatu magno benè priùs deliberatâ, frustrà deprecante Decano Monasterii, omnia altaria numero triginta tria demoliuntur, idola destruunt, destructis plaustra † quadraginta complent, extra urbem flammis omnia exurunt. Septima Martii Evangelici primam concionem in summo templo habuerunt, & loco Missæ impiæ cecinerunt viri, fœminæ, juvenes, senes, Psalmum quinquagesimum primum:

O Herre Gott begnade mich.

Ostentabatur olim in templo illo crux magna argentea inaurata, cui inclusæ dicebantur plurimæ sanctorum reliquiæ: qua de causa crux ista summâ præ aliis veneratione colebatur. Verùm in reformatione ista fraus Papisticorum sacrificulorum deprehensa est. Joachimus enim Vadianus Consul & qui cum illo, non reliquiis sanctorum, sed resinâ crucem refertam invenerunt.

k) Historia reformationis Sangall. MS. Stumpfius lib. 5.
†) alii habent 46.

Christophorus Schapplerus XLII. themata contra Papanam Ecclesiam proponit disputanda in oppido S. Galli.

Ad has Ecclesias nova non paucarum aliarum accessio facta est.

l) HERISOVIA in ditione Abbatiscellana pertinaciter hactenus Evangelio restiterat, inflammata à Josepho quodam Forero sacrificulo. Hoc tamen anno idola dejecerunt cives nonnulli, & à Constantiensibus Ambrosium Blaurerum disertissimum concionatorem impetrarunt, qui tricesimâ Maji primam eo loci concionem habuit.

l) Histor. Sangall. reform. MS.

m) EPISCOPICELLÆ (Bischoffszell) quintâ Februarii super religionis negotio deliberatur: vocantur sacrificuli, quibus mandatur, ut scripturis sanctis perlectis doceant, *an Missa & idola Deo probentur.* Respondent illi Senatui: *nec Missam, nec idola scripturæ authoritate posse defendi.* Abrogatur igitur Missa: ejiciuntur idola: Evangelium purè ex Dei verbo docetur.

m) Ibidem.

n) VESENENSES (die von Wesen) & SCHENENSES in Rhetia, qui Suitios & Glaronenses dominos

dominos agnoſcunt, emendationem doctrinæ & rituum admittunt, ſed minis Suiziorum territi ad priſtina ſacra redeunt.

n) Stumpfius libr. 10.

o) BREMGARTI Decanum Eccleſiæ agebat Henricus Bullingerus, M. Henrici pater. Is lumine Evangelii colluſtratus, ſub initium Februarii publicè revocavit, quæ Papiſta Papiſticè annis XXIII. docuiſſet, profeſſus ſe deinceps ex ſolis Scripturis auditores ſuos de via ſalutis informaturum. Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus. Henricus ſenior dimittitur. Mox rebus converſis Gervaſius Scholáſticus à Tigurinis, & M. Henricus Bullinger junior ludimagiſter Capellenſis à Wolfgango Jonero eò mittuntur p) Bullingerus primam concionem habet XVI. Maji quæ incidebat in feſtum Pentecoſtes diem: tantumque effecit: ut poſtridie juſſu Magiſtratus aræ & idola è templis ſublata fuerint, & edicta promulgata de emendandis moribus contra blaſphemos, adulteros, ebrios.

o) Chronicon Bullingeri MS.

p) Vita Bullingeri.

q) PROVINCIÆ LIBERÆ im Wagenthal mittunt legatos Tigurum, petitum concionatores Evangelicos: & menſe Majo die XXIV. in aliquot templis idola Vulcano conſecrant.

q) Chronicon Bullingeri.

r) Valedicebant hoc eodem tempore idolis & Miſſis DISSENHOFENSES, MELLINGENSES, FRAVENFELDENSES, DIETICKENSES, MONASTERIUM WETTINGENSE, COMMENDATOR HOTZKIRCHENSIS, ZURZACHENSES, apud quos Diabolus dicebatur reformationis primus autor fuiſſe: quòd familiæ cuidam hoc nomen eſſet, è qua vir bonus ortus primum in idola impetum fecerat.

r) Idem.

Et hæc quidem in Helvetia: in qua duodecimâ Decembris hujus anni FRAUENFELDÆ Synodus nationalis coacta eſt: cui & Zwinglius, & Joannes Zuiccius Conſtantienſis miniſter, & plurimi alii, magno Eccleſiarum Helveticarum bono, interfuere.

s) Extra Helvetiam Eccleſiæ ſuæ reformationem meditabantur ULMENSES in Suevia. Quartâ igitur Septembris Tigurum mittunt, petuntque ſibi communicari reformationis modum, & edicta in religionis emendatione edita. Vocant quoque Martinum Frechtum Heidelbergâ: t) cui hoc nomine Oecolampadius gratulatur epiſtolâ ad Simonem Grynæum: quòd Chriſtum Ulmæ piè doctu-rus eſſet.

s) Chronicon Bullingeri.

t) Tom. 4. epiſt. Zwingl. & Oecolampad. pag. 836.

u) MINDÆ Epiſcopus, Franciſcus Dux Brunſvicenſis, apud fratrem Henricum, in Guelforum arce deceſſit. Quo adhuc vivente, Albertus Nideſtè & ſedatè in templo D. Mariæ Mindæ docuerat, nec in externis ritibus quidquam mutarat. Mortuo autem epiſcopo, triginta ex civibus delecti Nicolaum Cragium, ex vicino Erici comitis Hojenſis oppido Stoltena, ad Eccleſiæ conſtitutionem evocant. Is zelum veræ religionis ardentem præ ſe ferens, in omnibus templis, Cathedrali excepto, docet, & veteres ritus ubique ſubitò abolet, & in canonicos ac monachos omnibus concionibus ex ſuggeſto fulgurat & fulminat. Quâ ſubitâ mutatione, & concionum novarum acerbitate, & populi concitati fremitu & minis, canonici territi ex urbe fugiunt, & in Cameræ judicio urbem accuſant, eoque rem poſt aliquos annos deducunt, ut Imperiali Banno Mindenſes ſubjicerentur. Cùm autem Nicolaum Cragium, omnia immoderatè agentem, Senatus ipſe tandem ejiceret: de conſilio Urbani Regii Gerardus Omichius eò vocatus, & paulò pòſt Urbanus ipſe aliquandiu in ea Eccleſia docuit.

u) Chytræus Chron. Saxon.

x) HANOVIÆ Comes Philippus M. Adolpho Arbogaſto, laborum ac moleſtiarum ſoli vix diutiùs ſuſtinendarum ſocium adjungit Philippum Enneobolum, Laudenburgo evocatum: qui ſanè fidum in Evangelii propagatione collegam, & adverſus Evangelicæ doctrinæ tùm in ibidem adhuc ſubſiſtentes hoſtes animoſum παραστάτην, quà concionando, quâ conſcribendis etiam Theologicis tractatibus (ut Catecheſis ejus approbat) ſe præbuit, in eoque maximè elaboravit, ut Paſtores hujus Comitatus & doctiores quoscunque alios ad Evangelii agnitionem ac profeſſionem pertraheret.

x) Ex Archivis Hanovicis.

COLLOQVIA de Cœna ſacra duo ſunt habita hoc anno, Haſſiacum & Danicum.

HASSIACUM inſtituit Philippus Haſſiæ Landgravius, conciliandi Saxones cum Helvetiis, & funeſtum ſuper Euchariſtia diſſidium tollendi ſtudio.

Hoc fine evocavit Marpurgum Wittembergâ Lutherum, Juſtum Jonam & Melanchthonem, ex Helvetia Zwinglium & Oecolampadium, Norimbergâ Andream Oſiandrum, Halâ Suevorum Joannem Brentium, Argentinâ Bucerum & Hedionem: ad quos & cæteros hæc exſtat pia Euricii Cordi ſupplicatio:

Inſignes verbi proceres; argute Luthere,
Suavis Oecolampadi,
Magnanimis Zwingli, piè Snephe, diſerte
Melanchthon,
Fortis Bucere, candide
Hedio, præcellens Oſiander, ſtrenue Brenti,
Amice Jona, acer Crato,
Et validâ plus mente valens quàm corpore
Meni,
Magne Dionyſi & Meconi,
Ac reliqui bona turba viri, quos inclytus heros
Princeps Philippus acciit,
Chriſticolæque ſuos urbes misêre miniſtros
Et præſules Epiſcopos:
Ut nova tollatis diviſæ ſchiſmata ſectæ,
Veramque monſtretis viam;
En cupido ſupplex vobis Eccleſia voto
Veſtros cadit flens ad pedes,
Atque per intima vos communis viſcera
Chriſti
Adjurat, obſecrat, monet:
Ut ſanctis ſtudiis ſuperi pro laude tonantis,
Et omnium fidelium
Querenda (hæc vobis incumbit cura) ſalute,
Tractetis hoc negocium:
Unde ratum judex decretum prædicet orbis
Sancto profectum ſpiritu.

Melanchthon Landgravio ſuaſit, ut Papiſtas adhiberet auditores: ne viderentur Lutherani & Zwingliani adverſus Pontificios conſpirare. Idem non conſultum eſſe duxit, ut Landgravius multum cum Helvetiis converſaretur, ad quos nimium propendere videretur.

Luthero

Lutherus quoque decimâ tertiâ Junii ad Landgravium ſcribit, rogatque re in omnem partem diligenter excuſsâ cogitet, utilis an inutilis talis congreſſus futurus ſit: cùm Zwingliani errores ſuos vix ſint agnituri; ipſe ſententiam ſuam abiicere non poſſit.

Perſtitit tamen in propoſito Landgravius. Zwinglius quintâ Septembris abit Tiguro. Huic ſe aſſociant, Baſileæ Oecolampadius, Argentinæ Hedio, Bucerus, Jacobus Sturmius vir magnæ in Repub. autoritatis: omnes clementer à Landgravio excepti.

Die Jovis poſt Michaëlis Marpurgum venit Lutherus, paulò ante meridiem, per principis conſiliarios honorificè & ipſe exceptus. A prandio ſalutarunt Lutherum Oecolampadius & Bucerus. Et cum Oecolampadio quidem Lutherus in atrio arcis perquam amicè & modeſtè colloquutus eſt. A Bucero autem ſalutatus, ſubridens aliquantulum reſpondit: *Tu es nequam & nebulo.*

Veſperi, priusquam cœnaretur, ſignificatur, Principem velle: ut Lutherus cum Oecolampadio, & Zwinglius cum Philippo ſeorſim de Euchariſtia colloquerentur. Id quod inſequenti die Veneris factum: ſed ſine fructu; Luthero & Philippo verborum Domini claritatem identidem rationibus, dictis Scripturæ, autoritatibus Patrum opponentibus: quam principii petitionem & Zwinglius & Oecolampadius affirmabant.

Conſultum igitur viſum Landgravio, Ulrico Wirtembergiæ Duci exuli, conſiliariis, ut Theologi publicè congrederentur. Congreſſi ſunt. Et poſtquam à Cancellario ad modeſtiam in diſſerendo ſunt admoniti, die Sabbathi & Dominicâ Lutherus, Oecolampadius & Zwinglius cauſam diſceptârunt.

Summam Colloquii Philippus Melanchthon ad Joannem Saxoniæ Ducem, Electorem Imperii perſcripſit his verbis:

Illuſtriſsimus Princeps, Landgravius Haſſiæ, hos, quorum adſcripta ſunt nomina, vocavit, ut Marpurgæ ad diem Michaëlis, Anno 1529. comparerent, & de Sacramento corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti unà colloquerentur.

Venerunt igitur Marpurgam primi Oecolampadius, Cinglius, Bucerus & Hedio: deinde D. Martinus Lutherus, Juſtus Jonas, Philippus Melanchthon: poſtremò Andreas Oſiander Noribergâ, Ioannes Brentius ex Salinis, & Stephanus Agricola Auguſtâ.

Poſtquam D. Martinus Lutherus venit, Landgravius ſeriò mandavit, ut D Lutherus cum Oecolampadio ſolo, & Cinglius cum Philippo etiam ſolo colloquerentur.

Juxta hoc mandatum hi unà contulerunt: ac D. Lutherus Oecolampadio multos articulos propoſuit, de quibus partim non rectè ſenſiſſet ac ſcripſiſſet, partim occaſionem rumoribus præbuiſſet, ut plures inde & majores errores ſecuturos eſſe metuatur.

De talibus articulis Philippus etiam cum Cinglio egit, hiſce videlicet: Cinglium non rectè ſcripſiſſe de morbo originis quòd non ſit peccatum, & quòd baptiſmus non ad id proſit, ut peccatum originis infantibus remittatur. Item de Cœna Domini, quòd corpus & ſanguis Chriſti non verè ſint in Sacramento: Item de uſu verbi & Sacramentorum, non docere eos quòd verbum & Sacramenta inſtituta ſint, ut per ea Spiritus ſanctus nobis detur. Quâ opinione recepta, miniſterium verbi & Sacramentorum in Eccleſia facilè extingui poſſe.

Fertur item, quosdam illorum non rectè ſentire de divinitate Chriſti.

Ad hæc Cinglius reſpondit: primùm de divinitate Chriſti, ſe ſemper ſenſiſſe, & adhuc ſentire, Chriſtum verum Deum & hominem eſſe: & alioquin de toto articulo Trinitatis ſe ſentire, ſicut Synodus Nicena docuerit: nec ad ſe pertinere, ſi qui in ſuperiori Germania incommodè locuti ſint. Indicabat etiam Hetzerum Anabaptiſtam, qui Conſtantiæ ſupplicio affectus eſt, contra divinitatem Chriſti librum ſcripſiſſe, quem ipſe (Cinglius) oppreſſerit, ne in lucem prodiret.

De cæteris articulis, videlicet de peccato originis, item, quòd Spiritus ſanctus non detur per verbum & Sacramenta: multum diſputatum eſt, ſicut res magni momenti ſunt, in quibus Cinglius libenter à ſuis ſcriptis diſceſſit. Deinde conferebatur de articulo Sacramenti Cœnæ Domini, de quo Cinglii & Oecolampadii argumenta in publica collocutione audita ſunt. Cum enim de hoc articulo privatim non convenisſet: voluit Illuſtriſsimus Princeps Haſſiæ, ut in ſuæ Celſitudinis & aliquot conſiliariorum præſentia de eo ageretur.

Inchoato igitur publico colloquio, indicabat Lutherus, neceſsitatem flagitare, ut de tota ſumma Chriſtianæ doctrinæ cum illis ageretur: nam in Cinglii ſcriptis multos errores inveniri: præterea parùm eos de juſtificatione docuiſſe, ut appareat propriam Evangelii doctrinam ipſis parum notam eſſe. Deinde proteſtabatur Lutherus, ſe ſcire, quòd de Sacramento rectè ſcripſerit, ac velle ſe in eo, quod ſcripſiſſet, permanere. Quòd ſi Oecolampadius & Cinglius aliquid contra veritatem ſe proponere poſſe exiſtimarent, id ſe audire velle & refutare.

Ad ea reſpondit Cinglius: Conventum hunc non ideò inſtitutum eſſe, ut de cæteris articulis conferretur, ſed tantùm de Sacramento, de quo ſi conveniret, velle ſe etiam de aliis cauſis colloqui. Ita articulus de Sacramento ſolus propoſitus eſt, ac tria præcipuè argumenta tractata ſunt.

Primum Joan. 6. Chriſtum dixiſſe, Caro non prodeſt quidquam. *Ideò non exiſtimandum eſſe, in Sacramento carnem Chriſti præſentem eſſe: quia carnalis manducatio nihil proſit.*

Hoc argumentum Lutherus ita refutavit: quòd verba, Caro non prodeſt quidquam, *non de Chriſti carne intelligenda ſint, quia priùs dixit* carnem ſuam vivificare; *ſed de carne ſine ſpiritu. Ideò addere Chriſtum*, Spiritus eſt qui vivificat: *ut oſtendat, noſtram carnem nihil prodeſſe, non intelligere ea quæ ſunt Spiritus Dei. Alioquin horrendum auditu fore, Chriſti carnem nihil prodeſſe.*

Deinde etiamſi concederetur, Chriſtum de ſua carne dixiſſe, Caro non prodeſt quidquam: *tamen Cinglianos non poſſe confirmationem ſuæ opinionis de Sacramento inde extorquere. Non enim aſſerunt hæc verba, Chriſti corpus non eſſe in Sacramento. Sed etiamſi concedatur; ea de Chriſti carne accipi debere, tamen illa intelligi poſſe, Chriſti carnem non prodeſſe iis qui non credunt: ſicut Auguſtinus etiam hæc verba interpretatur. Nam Chriſti ſententia eſt, carnem ſine Spiritu nihil*

hil prodesse. Ideò addit, Spiritus est qui vivificat.

Alterum argumentum Philosophicum, ex ratione ductum erat: Unum corpus non posse simul in diversis locis esse: Sed corpus Christi esse in cœlo, &c.

De hoc argumento longa rixa fuit. Lutherus ajebat rationem humanam non debere nec posse omnipotentiam Dei judicare. Cinglius dicebat, Deum non proponere nobis talia credenda, quæ prorsus comprehendi non possint.

Tales ineptæ voces ei excidebant, cùm tamen doctrina Christi multos incomprehensibiliores & sublimiores articulos habeat, videlicet, quòd Deus homo factus sit, quod hæc persona, Christus, qui verus Deus est, mortuus sit.

Dicebat etiam Cinglius, quomodo res tantæ per malos sacerdotes confici possent, ut Christi corpus eò perveniret.

Ad id Lutherus clarè respondit: non ex sacerdotis merito, sed Christi ordinatione illud fieri: Quia Christus mandaverit, ideò fieri: Ita etiam de efficacia verbi & sacramenti esse sentiendum. Et Donatistarum errorem esse, quòd Sacramenta non sint efficacia, quæ à malis sacerdotibus administrentur. Ad hæc nihil tùm Cinglius replicavit.

Tertium argumentum urgebat Oecolampadius. Sacramenta sunt signa: ideò intelligendum est, ea aliquid significare. Ideò hic etiam sentiendum est, corpus Christi tantummodò significari, non præsens adesse.

Ad hoc argumentum respondebatur: verè dici, Sacramenta esse signa: sed nos eis non alias significationes præter eas, quas Christus ipse tradidit, affingere, nec aliter ea interpretari debere. Item, quòd Sacramenta sunt signa, id præcipuè ita intelligendum esse, quòd annexas promissiones significent. Ut: Circumcisio præcipuè verbum Dei significat, à Deo ritui illi annexum, quòd Deus propitius esse velit. Ac si quis aliam significationem quærere vellet, videlicet quòd circumcisio mortificationem carnis denotet, inutilis hæc significatio futura est, si altera principalis significatio promissionis negligatur. Ideò non temerè significationes fingendæ sunt: sed videndum, quomodo verbum Dei seipsum interpretetur.

Postremò multa dicta Patrum lecta sunt, per quæ Cinglius & Oecolampadius se victoriam in causa sua obtenturos esse, sperabant. Erant autem generalia dicta, quorum pleraque nihil de Sacramento loquebantur: ut, corpus necessariò in loco esse, & spatium certum occupare: item, quòd Christus verum corpus habeat. Adversus ista, Illustrissimo Principi Hassiæ multa illustria dicta ex Patribus exhibita sunt, quæ docent, verum corpus & sanguinem Christi in Cœna Domini adesse.

Hæc summa est colloquii brevissimè comprehensa. Lutherus in sua sententia perstitit, verum corpus & sanguinem Christi in Cœna adesse. Adversa autem pars à sua opinione discedere noluit.

Petebant autem, ut Lutherus eos pro fratribus reciperet. Huic postulato D. Martinus nullo modo consentire voluit: Graviter etiam eos allocutus est, dicens, vehementer se mirari, quomodo ipsum fratris loco habere possint, si non doctrinam suam veram esse seriò sentiant: Sed hoc indicio esse, quod non existiment etiam ipsi, multum in hac causa situm esse.

Sed tamen, ut majora dissidia & turbæ averterentur, visum est, articulos aliquot consignandos esse, qui typis editi sunt.

In articulis illis Cinglius & Oecolampadius libenter in cæteris omnibus Lutheri sententiam sequuti sunt: de Sacramento tantùm sequi noluerunt.

Nimis enim longè progressi sunt in hac causa, ut difficulter gradum revocare possint. Spes tamen est, eos in hac etiam parte cessuros esse, si potestas aliqua vias idoneas suscipiat. Quod Deus gratiâ suâ fortunare dignetur.

Edita quoque est annis viginti pòst Lutheri de hoc Colloquio ad Jacobum Præpositum Bremensem epistola: ad quam Zwinglius & Oecolampadius mortui non potuerunt respondere. Sic autem illa habet: *Quod Sacramentarii jactant, me esse Marpurgi victum, faciunt more suo. Sunt enim non solùm mendaces, sed ipsum mendacium, fucus, & simulatio: quod testatur Carolostadius & Cinglius ipsis factis & verbis suis. Vides autem hos Marpurgi revocasse in articulis positis, ea quæ de Baptismo, Sacramentorum usu, similiter externo verbo, & alia quæ hactenus editis libris pestilenter docuerunt. Nos nihil revocamus.*

Ac cùm victi essent etiam in Cœna Dominica, noluerunt revocare hunc articulum, etiamsi viderent se non subsistere. Metuebant enim plebem suam, ad quam non licuisset reverti, si revocassent. Et qui non vincerentur? Cùm Cinglii unicum & totum argumentum fuerit, Corpus non posse esse sine loco & dimensione: cui ego ex Philosophia opposui, ipsum cœlum esse naturaliter sine loco, tam magnum corpus: nec dissolvere potuerunt.

Oecolampadii verò unicum fuit argumentum: Patres appellant signum, Ergo non est corpus. Multis verò verbis promiserunt, se velle nobiscum eatenus dicere, Christi corpus veraciter esse in Cœna præsens (at spiritualiter) tantum ut fratres appellare dignaremur, & simulare ita concordiam. Hoc quod Cinglius palàm lacrymans coram Landgravio & omnibus rogabat, dicens in hæc verba: Es sind keine leuth auf Erden, mit denen ich lieber wolt einig seyn, dann mit den Wittenbergern: *Nulli in terris sunt homines, cum quibus malim consentire, quàm cum Wittembergensibus: Summo studio & contentione egerunt, ut viderentur nobiscum concordes: ita ut hanc vocem nunquam ex me possent ferre: Vos habetis alium spiritum quàm nos. Ardebant toti, quoties hæc audiebant. Tandem id concessimus, ut articulo ultimo ponitur, ut fratres quidem non essent, sed tamen charitate (quæ etiam hosti debetur) nostrâ non spoliarentur. Ita indignissimè affecti sunt, quòd fratris nomen obtinere non potuerunt, sed pro hæreticis discedere, tamen sic ut pacem interim haberemus mutuis scriptis, si fortè Deus illis aperuerit cor. Hæc securè narrabis. Si ego sum Christi prædicator: imò si Christus est veritas, hæc etiam vera scribo, ut habeas quod mendacibus, si nolint*

quiesce-

quiescere, opponas. Incredibili enim humanitate & humilitate sese gesserunt erga nos. Sed, ut nunc apparet, omnia ficte, ut nos traherent in simulatam concordiam, & participes ac patronos facerent sui erroris. O astutum Satanam; sed sapientiorem Christum, qui servavit nos! Ego jam desii mirari, si impudenter mentiantur. Video eos aliud non posse: atque glorior isto casu, videns eos, regnante Satanâ, jam non insidiis sed palàm sese mendaciis prodere.

Pontificiis & Catabaptistis multum quoque displicuit qualiscunque Theologorum consensus Marpurgi factus: erantque qui existimarent: Helvetios omnia ea revocasse, in quibus perpetuum suum cum Luthero consensum essent professi.

Urebant hæc judicia Argentinenses & Helvetios. Martinus igitur Bucerus gravem consensus hujus Apologiam præfationi intertexit, quam Enarrationibus suis Evangelicis præfixit, & Academiæ Marpurgensi consecravit. In hac Apologia causas enarrat, cur ipse, Hedio, Zwinglius, Oecolampadius, Luthero fraternitatem obtulerint: cur item articulis Marpurgensibus subscripserint. Fraternitatem Luthero ideò oblatam scribit: quòd pariter cuncti fateantur, præcipuam esse & solam per se salutiferam manducationem spiritus, quæ fit per fidem: & quòd neutri inficias eunt, oralem Christi manducationem per se adeò saluti non esse, ut etiam perniciem adferat, si desit illa spiritalis. Deinde quòd nulla unquam Ecclesiarum pax constituta sit, si non in multis alii aliis dissentiendi à se facultatem faciant, salvâ tamen semper hac doctrinæ sacræ summâ, ut solâ in Christum fide justitia & salus petatur, solâque in proximos dilectione, sed eâ vivâ, Deus demereatur. *Hæc sanè*, inquit, *causa fuit cùm illic essemus, cur Luthero & suis societatem in Christo obtulerimus, atque apertis nos scripturis probaturos receperimus, & ex ipsorum officio esse, nos vicissim fratrum apud se loco dignari. Nunc scribunt quidam Christiani juris parùm consulti, nos illos orasse, ut fratres nos agnoscerent, quod strenuè nobis negatum sit. Idque scribunt de illis honoris causâ. Nos autem nihil puderet, etiam quemlibet, in quo Christi aliquid appareat, precari, ut fratris locum apud se concederet, si ad hoc, id precari, satis esset. Affirmabant illi sibi per conscientiam haudquaquam licere nos in fratres recipere: quapropter ineptum fuisset, eos orare, quo admisso, contra conscientiam suam fecissent. Non igitur ut in numerum fratrum nos adscriberent, sed ut audirent ex scripturis probantes, nos illis adscribendos esse, precati sumus.* Causam cur articulis Marpurgensibus subscripserint, indicat hanc: quòd de illorum sensu in colloquio privato convenerit. *Putavimus igitur*, inquit, *candoris Christiani esse, etiamsi maluissemus quædam aliis & luculentioribus verbis exposita, illis subscribere, ne videremur nodum in scirpo quærere, & morari verba, cum de re conveniret. Jam non per Germaniam solum circumferuntur ac volitant non paucorum epistolæ, quibus affirmatur, nos omnium eorum quæ antè docueramus, palinodiam cecinisse, solo articulo excepto de Eucharistia, quem & ipsum recantare parati fuerimus, nisi nos vulgi nostri metus deterruisset; orasseque illos, ne nos ad hujus quoque palinodiam urgerent, nisi vellent nos plebibus nostris occidendos objicere. Scripsit quidam, cujus jam suprà memini, in singulos articulos notas, quæ quidvis quàm Christianum pectus resipiunt. In primo articulo scribit nos retractasse, quæ impiè de sacra triade docueramus: cujus doctrinæ nullum unquam à nobis auditum verbum est, nedum lectum. In tertio horrendùm vapulat recantata ἀλλοίωσις Zwinglii: In quarto abnegatus sceleratissimus error de peccato originali. In octavo & nono damnata jam nobis pestilens doctrina de externo verbo & sacramentis, ubi & ad commentarios meos in Matthæum remittit. In tredecimo discessum est à sententiâ, quâ docuimus, templis aras & statuas ejiciendas: cùm tamen nihil ferendum in eo articulo confessi simus, nisi quod aperto Dei verbo non repugnet. Nobis autem, quantacunque sit parta nobis per Christum libertas, cum verbo Dei pugnat, fieri aut permitti in Ecclesia, quicquid pietatem non ædificat, sed potiùs remoratur. Hujusmodi autem esse signa, statuas & aras ibi duntaxat collocatas ubi adorantur, vel etiam ad monendum beneficiorum Dei habentur, libello recens in vernacula lingua edito, & mox in Latina quoque edendo, abundè comprobavimus. In aliis alia concessisse nos, contra ea quæ antè adseruimus, criminatur: sed in his, quos memoravi, magis sæviit. Alii contenti sunt sparsisse, nos in quatuor duntaxat, tertio, quarto, octavo, & nono sententiam mutasse, & vel ad hoc conventum illum nostrum profuisse: ut deprehensâ in his nostrâ ignorantiâ & errore, facilè jam videatur neque in dogmate de Eucharistia fidem nobis habendam. Quid autem, viri humanissimi, sunt calumniæ, si hæ non sunt? Equidem mihi persuadeo, hos Luthero rem dignè perpendenti, sicut & cordatis bonisque aliis, per parum histe suis mendaciis gratificari. Ipsi scitis de omnibus aliis articulis præter ultimum, ne verbum quidem coram illustrissimo Principe, & reliquo insigni illo auditorio (cui inter cæteros, religione nobilitate & prudentia præcellentissimos viros, aderat verè generosus Comes Wilhelmus à Fürstenberg, præstantissimus vestræ aulæ Senatus, Legati quoque illustrissimi Principis Saxonum Electoris, tum & præstabilium urbium, nostræ, Tigurinæ & Basiliensis, tùm ex vobis aliquot eruditionis judiciique exactissimi, præter alios quosque pietate & doctrinâ suspiciendos Ecclesiastas, quos vel illustrissimus Princeps vocaverat, vel ultrò desiderio pacis Ecclesiarum advenerant) communicatum esse, nisi quæ ego finito colloquio, exponens quid hic doceremus, de illis proposui. Quæ ab iis, quæ in nostris Ecclesiis docemus, quæque in lucubrationibus nostris orbi pridem judicanda obtulimus, nihil prorsus variant. Ea Lutherus etsi judicare nollet, neque etiam testimonium suum de eis dare, licet obnixè utrumque eum orasset, propterea quòd circa Eucharistiam non convenerat, ipseque inde colligeret, nos diversis spiritibus agi: eo tamen quod dicebat, alia haberi in nostris scriptis, satis significavit, non habere cur illa damnaret. Quanquam & in eo falsum ad ipsum detulerint, qui hoc ei persuaserunt, cujus qui ex vobis, præstantissimi viri, colloquio*

illi interfuistis, testes idonei esse potestis.

Joannes quoque Oecolampadius Bertholdum Hallerum Bernentium Evangelistam de Actis Colloquii Marpurgensis erudiens, *Comperta nobis est*, inquit, *frater, seculi nostri ingratitudo & malignitas. Nihil illi satisfacit: tam fastidiosi fastuosique palati est, ne dicam delicati: nihil relinquit inarrosum, etiamsi optimè fidelissimeque gestum. Offendimus passim carpentes omnia, quasi ipsi non nisi optima quæque sectentur. Ea propter nihil inexpectatum nuncias, narrans quòd cùm Papistæ, tùm Catabaptistæ ex Colloquio nostro Marpurgensi offendantur, imò glorientur, nos victos. Miramur potiùs, quòd non magis ineptiunt, & malignitatem suam produnt. Gratulari oportebat, & nihil non facere, si qua solida inter Ecclesiæ Doctores concordia renascceretur. Jam sunt, qui dolent, ubi aliqua pacis indicia spectant. Multum clamârunt anteà, tantis nos odiis dissidere, tamque impotentes affectuum nostrorum, ut nihil hostilius censeri queat. Nunc verò ubi pacificè convenitur, datisque dextris discceditur, etiamsi non toto negotio perfecto, alia habent quæ calumnientur. Verum morem geram tibi urgenti, ut quibusdam illorum sycophantiis respondeam: quò habeas, quibus illorum obturentur ora, qui in articulis nostris vellicandis tam acuti sunt. Ecce descendimus vocati ab optimo vereque Christiano Principe, non ob aliam quàm Eucharistiæ causam ventilandam. Erant enim qui putabant, in solis verbis esse dissidium, sententiam verò non admodum diversam & inconciliabilem. Atqui, ut perventum ad Colloquium, cùm privatum, tùm coram Principe, Lutherus ad alia, quæ concorditer confitemur, sese converiit. Mendax enim rumor, ne suspicioni imputem, traduxerat nos, quasi de Christo, deque Triade sanctissima, item de fide ac ministerio verbi parùm piè sentientes: & quales hinc inde in conventiculis suis Catabaptistæ καινοτομῶσι, comminiscuntur, imò reducunt errores. Responsum est illis: nos nec ob eam rem comparere; deque his, quæ rogabamur, ita piè sentire, ne sit quæ in nobis justo desiderent. Qui enim Christum unum verum & Deum & hominem fatemur, & fide in illum nos salvos fore speramus; ab hisce blasphemiis satis alieni sumus. Quamvis autem de hic non valdè pluribus coram Principe actum: attamen quoniam in re Eucharistiæ nondum etiam post triduanum Colloquium convenicebamus, visum est plerisque vel hoc orbi indicandum, in cæteris causis fidei, ut Articuli sonant, nullum inter nos esse dissidium. Et nihil quidem vi disputationis obtentum est: sed ut Articuli Zvvinglio & mihi prælecti, quædam verba duntaxat mutare petiimus, propter contentiosos quosdam, qui verba magis, quam verborum sensa urgent. Nihil igitur victoriarum utrinque, ubi nihil prælii vel digladiatiunculæ: quicquid clancularii obtrectatores illi effutiant. Videamus autem, quænam sint illa, quæ istis tam vehementer displicent.*

Principiò objiciunt, quòd nostram sententiam Conciliorum autoritate approbemus, qui hactenus nihil præter Scripturam admittere soliti simus. Sed dicant isti, ubi unquam Concilia rejecimus, verbi divini authoritate suffulta? Quin & alibi sæpè, propter eos, qui multum illis tribuunt, usi sumus illorum dictis. Sunt enim illa prima quatuor Oecumenica Concilia, quantum ad fidei dogmata attinet, verè sacrosancta, & in verbo Dei fundata, à nulloque fideli unquam rejecta. Execramur enim & nos Paulum Samosatenum, Arium, Eunomium, Sabellium, Nestorium, Eutychen & Dioscurum: contra quos illa congregata sunt. Placet confessio fidei Patrum. Sed quædam pro honestate morum statuerunt: illa eatenus recipimus, quatenus charitati libertatique Christianæ non præjudicant. En etiam apud Papisticissimos Canones illi vigorem suum amiserunt. Nos si charitatis regulam non prævaricamur, Conciliorum robur non enervamus. Et sic piè sentientes, quare contradiceremus? Quum illi non potiùs lenitatem commendant?

Deinde objiciunt illi, quòd verbo externo Spiritum ac fidem alligemus ordinatè loquendo: quasi Spiritus libertas, ut dum spirat, ubi vult, deordinatio sit. Hæc quì improperant, non intelligunt, quid dicamus ordinatum. Scis enim, duplicem esse potentiam Dei; unam absolutam, alteram ordinatam, ut vocant. Cùm igitur dicimus, Spiritum fidei per verbum nobis communicari, de solito ordine Dei loquimur; nolentes interim angusto limite divinam potentiam concludi. Hunc autem esse ordinem & morem Dei, docet Paulus dicens: Quomodo credent ei, de quo non audierunt? Quare ergo illi inferunt, quasi ex libertate deordinationem faciamus? Servat enim & sic suam libertatem Spiritus sanctus, ut solis electis se communicet. Quod si minùs admisissemus, nonne ministerium verbi, ut Catabaptistæ quidam, abstulissemus? Interim non derogamus potentiæ divinæ absolutæ, quòd etiam ante auditum verbum externum, hominem instruere possit. Eroinde non dicimus, gratiam Spiritus sancti esse alligatam, ut illi calumniantur: sed fatemur, Dominum per Spiritum sanctum cooperari prædicantibus, ut Marcus habet.

Quod tertiò apponitur, videtur non sine ratione fieri: & nos quoque non facilè assensissemus, nisi ex aliis conclusionibus sinceritas colliqueseeret. Non invenis in verbis nostris, quòd dicamus, cum his verbis, Qui crediderit & baptizatus fuerit, institutum esse Baptismum: priùm enim illum Christus sanctificârat, à Joanne tinctus; & Apostoli baptizârant. Jam quòd dicimus opus esse Dei, ideò fit: quia non ab homine institutus est, etiamsi externus sit & ab homine præstetur: sicut & Evangelium, quod docemus, non est humanum verbum, sed verbum Dei, siquidem ad imperantem Deum respicias: quemadmodum, si præco jubeat, quod rex præcepit; non præconis, sed regium verbum & opus est.

Item, quòd vellicatur, quia diximus, Baptismum non esse solam tesseram & nudum signum, quo Ecclesiæ accensemur: sed etiam fidem exposcimus: quum hoc negaremus? Est enim symbolum Christianorum. Et qui sunt Christiani, nisi qui in Christum credunt? Exposcitur autem fides vel jam præsens, vel quæ expectatur secutura: nihilominus est signum fidei. Ecce mi frater,

ter, si & Eucharistiam dixero tesseram fidei in Christum crucifixum, nunquid aberrabo? minimè. Nam aliogui mortem Domini non annuntiarem. Nunquid igitur quorundam hypocrisis Domini benedictionem evacuabit, ut ipsum sacramentum non sit tale tantumque sacramentum? Non est igitur, quòd vel Papistæ vel Catabaptistæ vincant, si pueris nondum adultis signum fidei detur. Atque adeò ipse non negârim, aquam Baptismi esse aquam regenerantem: fit enim puer Ecclesiæ, qui dudum ab Ecclesia non agnoscebatur.

Offendit etiam inquietos illos homines, quòd liberas traditiones relinquimus, si cum verbo Dei non pugnent. Et nec illius articuli pœnitère potest. Verbum enim Dei fidem ac charitatem complectitur: quas si cerimoniæ non lædunt, quare minùs tolerabiles sunt? alioqui nulla unquam nobis pax constabit. Similiter pacificus homo, qui rationem sacramentorum novit, facilè percipit, quomodo ad gratiam Dei per Baptismum recipiatur puer. Quos enim illa docent? num Deum? num pueros? Nec illum, nec hos: sed alios præsentes, qui hoc symbolo admonentur, puerum ad gratiam DEI pertinere. Non autem elemento aquæ, sed sanguine Christi, per spiritum, in fide dignitatem abluendi tribuimus. Neque ergò superstitionem dixerim mulierum, si infirmos pueros tingi festinent: nisi etiam calculum & judicium Ecclesiæ pro nihilo habere nolim.

Demum hoc verè contentiosè observatum est, quòd admittimus appellari Eucharistiam, Sacramentum altaris: quasi approbemus aras Papisticas vel Lutheranas, in quibus sacrificetur. Atqui nos pacis gratiâ nec sacrificii vocabulum abhorremus, si non subesset dolus. Quid mali igitur, si mensam Dominicam Altare vocemus? Appellamus igitur à lividis istis ad candidos lectores & Christianè cordatos, qualis tu. Habes igitur brevibus, opinor, quod petebas. Mihi non est animus omnium nugis posthac respondere. Tecum tamen, pro nostra familiaritate, hæc & alia libenter confero. Reliqua nostri & vestri nunciabunt Legati. Basileæ 10. die Januarii, Anno 1530.

Cùm igitur existimatum sit, non solum Lutherum, sed Melanchthonem etiam, in Actorum Colloquii Marpurgensis expositione, humani quid passum esse: contuli bonâ fide duo MSS. istorum Actorum; quorum alterum Helvetia, alterum Bibliotheca CL. VIR. Wilhelmi Schumanni JC. Consiliarii Archipalatini, meique in sacro Consistorio Collegæ honorandi, mihi suppeditârunt. Quorum fide si standum est, missis altercationibus, quæ in hoc colloquio intercurrerunt, realissima hæc fuêre:

Lutherus, factâ sibi à Landgravio exordiendi potestate, primùm de Deitate Christi, de duabus naturis in Christo, de peccato originali, de baptismo, de justificatione fidei, de potestate clavium, de verbo vocali, de purgatorio, & aliis nonnullis priùs differendum statuit, quàm de Eucharistia: quandoquidem & in illis à Saxonicis Theologis dissentirent Helvetii. Ad quæ Oecolampadius, se quidem sibi conscium esse respondit, quòd de articulis memoratis nihil à Luthero diversum unquam docuerit. Si qui sint, qui alicubi erronea protulisse videantur, illos defensionem sui ipsos suscepturos. In hoc quidem Colloquio de Cœna sacra agendum esse. Idem ferè respondit Zwinglius addens, extare suam de justificatione sententiam in eo libello, quem *de claritate verbi* edidisset. Itaque de Cœna Domini nunc agendum. Lutherus igitur de Eucharistia disputaturus, protestatur initio, se à litera verborum Domini, *Hoc est corpus meum*, ne latum quidem unguem recedere posse: qui contrà sentirent, argumenta causæ suæ proferrent.

Oecolampadius igitur primò omnium docet, negari non posse, in sacra Scriptura figuratas alicubi esse locutiones; ut metaphoras, metonymias, & id genus alias, in quibus voces aliud significent, quàm sonant: fieri igitur posse, ut & istis verbis, *Hoc est corpus meum*, figura insit; quemadmodum illis: *Joannes est Elias: Petra erat Christus: Ego sum vitis: Semen est verbum.*

Largiente hoc Luthero, pergit Oecolampadius, asseritque, oportere etiam verba Domini figuratè accipi, argumento hoc usus:

Quod Christus Joan. 6. rejecit, id in verbis Cœnæ non instituit.
Oralem manducationem corporis sui Christus Joan. 6. rejecit.
Ergo in verbis Cœnæ eam non instituit.

Lutherus assumtionem negat, affirmans; *non ipsam manducationem oralem, sed manducationis modum, crassum illum, qualis est carnis bovillæ aut suillæ, rejici.* Oecolampadius arreptâ inde occasione, de duplici verborum Christi intelligentia differit, humili sive carnali, & sublimi sive spirituali. *Humilem* sive carnalem verborum Christi intellectum eum esse, quem Lutherus asserat, à Christo repudiatum: spiritualem sive sublimem esse illum, quem Christus jusserit amplecti. Contrà Lutherus: fieri non posse nec debere, ut ad Spiritualem tantum intellectum verba Cœnæ referantur: siquidem remissio peccatorum, vita æterna ac regnum cœlorum carnalibus istis ac humilibus, ut appareant, rebus, per verbum Dei annexa sint.

Oecolampadius rursum, spiritualem manducationem tantùm præcipi Joan. 6. & ad salutem satis esse; corporalem nec præceptam, nec utilem esse contendit. Cui Lutherus: manducationem spiritualem se minimè negare, imò necessariam esse docere. At malè inde concludi, corporalem inutilem esse & non necessariam: cùm Christus, id quod negari non possit, eam instituerit, dicens, *Hoc facite*: cujus mandato parere pios omnes deceat, nec quærere, utile sit nec ne: quandoquidem satis constet, verba ejus ubicunque sunt, esse vitæ æternæ verba. *Si juberet*, inquit, *fimum comedere, facerem: satis sciens, hoc mihi esse salutiferum.* Uterque tandem protestatus est, se in sua sententia perseveraturum, quando neuter alteri satisfecisset.

Congressus deinde cum Luthero Zwinglius, præjudicii Lutherum accusat, protestantem, se à sua nolle decedere sententia: deinde præfatur, nihil se acerbè adversus Lutherum dicturum, nec meminisse velle eorum, quæ duriùs fortassis alter in alterum scripsisset: tantùm operam daturum, ut quantum liceret, veritas è tenebris erueretur: rogat

simul, ut propter hanc dissensionem crimen hæreseos nemini impingatur. Colligit deinde ex sexto cap. Joannis: quandoquidem Christus Judæorum errori, de carnis suæ manducatione orali, occurrere voluerit; verba illa, *Caro non prodest quicquam*, ad Christi manducationem oralem necessariò esse referenda. At hoc sibi minimè adversari Lutherus infert: probari enim tantùm, *carnem Christi manducatam esse inutilem*, quod de impiis concedat: & licet de piis quoque concederet, tamen non sequi, Christi corpus in Cœna non adesse, adeoque figuratè Cœnæ verba esse exponenda. Hoc igitur Zwinglio esse demonstrandum. Zwinglius, scripturas inter se esse conferendas, monet: tropos usitatos esse in Scriptura: ut cùm audis, *fratres Christi*: & signatum pro signo sæpè poni: ut Ezechielis cap. 5. de barbæ in tres partes divisione; ubi *est*, pro *significat*, accipitur: item, *Phase, est transitus*. Eandem verborum Cœnæ esse rationem: quod ex Joan. 6. docuit: ubi spiritualis manducatio præcipiatur, carnalis repudietur.

Lutherus: *frater*, pro *patrueli*, ex Scriptura probatur: sed hic, *Hoc est corpus*, tropus non potest probari. Allegorica esse, non significativa, quæ ex Ezechiele, ex Phase, proferantur. Spiritualem manducationem se agnoscere: sed illam corporalem non excludere. Atque hæc horis matutinis die Saturni acta.

A meridie Zwinglius cum Luthero congressus ursit hæc:

I. Christum Joan. 6. spiritualem manducationem inculcando, carnalem repudiasse: & ipsummet Lutherum in Postilla, Dominicâ Septuagesimæ, hæc Christi verba, *Caro non prodest quicquam*, non de carnali intellectu, sed de ipsa Christi carne exposuisse. Philippum etiam scripsisse in eundem locum, *verbo Christum tantùm manducandum esse.*

II. Patres orthodoxos verba Christi non ad cibum, sed ad resurrectionem retulisse.

III. Philippum in privato colloquio concessisse, *verba nihil aliud quàm significare:* quod si verum, utique corpus Domini non esse in pane.

IV. Tropum in verbis Domini necessariò statui: quia fidei articuli hoc velint; *Ascendit in cœlum, sedet ad dextram Patris.*

Respondit Lutherus:

Ad I. Hìc non agi, quid vel ipse, vel Philippus scripserint: ideò suorum se nihil hic defendere, nisi quatenus verbo Dei consentiat: hoc verò probandum, corpus Christi in Cœna esse non posse.

Ad II. Se id largiri libenter: sed inde non sequi, carnem Christi vel cibum non esse, vel inutilem esse.

Ad III. Verum quidem esse, quod Philippus dixerit, *verba tantùm significare:* sed cùm jussu ac nomine Dei proferuntur, tùm non solùm significare, sed simul etiam efficere atque afferre id quod significant. Atque hoc loco altercatio suborta de quæstione: *An malus sacerdos corpus Christi efficere possit, nec ne*: Zwinglio negante, Luthero affirmante.

Ad IV. Quæsivit Lutherus, cur non potiùs in verbis articuli, *Ascendit in cœlum*, quàm in verbis Cœnæ, *Hoc est corpus meum*, tropum fingeret Zwinglius. Respondente Zwinglio, verba symboli tropo non egere; subjecit Lutherus: nec verba Cœnæ.

Oecolampadius subsecutus, pugnavit his argumentis contra oralem corporis Christi manducationem:

I. Si ingressus in regnum cœlorum per solam regenerationem contingit, inutilis est corporis Christi in Cœna adhunc finem corporalis manducatio.

At verum prius Joan. 3. vers. 3.

Ergo & posterius.

Respondit Lutherus: Deum creandæ, erigendæ atque augendæ in nobis fidei plures modos ac rationes habere: si audiamus verbum vel publicè, vel privatim: si baptisemur: si vescamur corpore Domini: nec nostrum esse quærere hujus rei causas. Malè igitur colligi: *Regeneratio cœlum aperit:* Ergo *corpus Christi in Cœna non est, aut inutile est.* Imò ad istam manducationem omninò novum regeneratum hominem requiri, qui credat & verè manducare possit.

II. Christus reliquit mundum, ivit ad Patrem.

Non igitur corpore suo est in pane.

Respondit Lutherus ex Luc. 24. *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum*: unde intelligi voluit, quomodo Christus mundum reliquerit.

III. Per quod dogma spes resurrectionis nostræ tollitur, id erroneum est.

Sed per dogma de orali manducatione corporis Christi spes illa tollitur.

Ergo &c.

Minor probatur ex cap. 8. ad Romanos: *Scientes, quòd is qui Christum suscitavit ex mortuis, &c.*

Respondit Lutherus: istam spem non solùm non tolli ac eripi nobis istâ corporis Christi præsentiâ, sed multò magis erigi ac confirmari, cùm sit annexum promissæ gratiæ verbum. Tandemque ita concluśit: *Nos carnem valdè, imò omninò utilem habemus, quam nulla Scriptura, nulla expositio, nulla humana ratio, auferre nobis potest: si vos carnem inutilem habetis, id per me vobis licet: nos verbo Dei nitimur: verbum autem Dei dicit primùm Christum habere corpus; hoc credo: deinde idem corpus ascendisse in cœlum, & sedere ad dexteram Patris: hoc quoque credo: debet item hoc ipsum corpus esse in Cœna, & dari nobis ad manducandum; quod etiam credo. Quia Dominus meus Jesus Christus hoc facilè potest, cùm vult: & velle se in verbis suis testatur, quibus ego nitar constanter, donec ipse per verbum suum diversum mihi dixerit.*

IV. Verum corpus est in loco uno simul & semel. Corpus Christi est verum corpus.

Ergo, &c.

Respondit Lutherus: Mathematicum esse argumentum, quod non sit hujus loci: Scripturæ testimoniis opus esse.

V. Scriptum est Matth. 26. *Pauperes semper habetis vobiscum: me autem non semper habebitis.* Unde sic colligit Oecolampadius: *Secundum divinitatem gratiam ac potentiam suam omnibus semper & ubique adesse Christum: quando autem abfuturum se esse dicit, secundum humanitatem abesse: In Cœna igitur corporaliter non esse.*

Respondet Lutherus: argumentum hoc unum inter prolata omnia speciem quandam habere: verùm

rùm, si adversariis dictum hoc cum Cœnæ verbis videatur pugnare, quærit: cur non in hoc potiùs, quàm in verbis Domini tropum constituant. Hunc enim suo judicio germanum hujus loci sensum esse: *significasse Christum, se non semper nobis sic adfuturum, ut officiis nostris egeat: daturum verò pauperes, quibus suo nomine benefacere possimus*; rursum allegans illa Christi: *Hoc locutus sum vobis, cùm adhuc essem vobiscum.* (Hic quædam interjecta sunt, de vera Christum exaltatum considerandi ratione.)

VI. Si Christus corpus suum nobis dedit, ubique tale dedit quale habuit: habuit autem passibile ac mortale: non igitur corporalis, sed spiritualis manducatio requiritur.

Respondet Lutherus: argumentum esse rationis: corpus utile ad manducandum sibi proponi: an verò mortale vel passibile sit, quæ accidentia sint; nihilo magis se curare, quàm quâ veste Christus in Cœna indutus fuerit.

Zwinglius rursum, Mirum esse ait, *Lutherum tropum in verbis Cœnæ nolle agnoscere, & tamen Synecdochen statuere.*

Respondit Lutherus: hanc figuram non in sacra scriptura modò, verùm & in omni idiomate tam frequentem esse, ut eius usu carere minimè possimus. Est autem, cùm continens contentum secum trahit, & econtrà: ut si dicat rex servo, *adfer mihi gladium meum*, ubi simul etiam vaginam adferri vult, tametsi non expressè in verbis sic jussit. Ita & hæc figura in Sacramento admittitur, quando *panis* appellatur, cùm interim nihilominus *corpus* etiam significatur, & econtrà.

Tum Zwinglius sic collegit:

Si corpus Christi in diversis locis est, nosque ipsi conformes fieri debemus: Rom. 8. *utique & nostra corpora in eodem momento in pluribus & diversis locis erunt.*

Item, *si per omnia similis est nostri, in habitu nostro inventus:* Philipp. 2. *& nos in diversis locis esse non possumus:* ergo *nec ipse poterit, nimirum similis nobis existens.*

Respondit Lutherus: argumentum hoc à conformitate seu similitudine, ad præsens institutum nihil facere, esseque rursum *argumentum ab accidente ad substantiam:* quod etiamsi maximè valeret, tamen aliud non probaret, quàm similem nostrorum corporum cum corpore Christi formam fore: & simul non sequi necessariò, quòd & in potentia simus illius corpori similes futuri, nisi Deus ipse singulari consilio ac modo dispensare vellet. Deinde quantum ad secundum argumentum, quòd item ab accidente, ad substantiam ductum esset; *si ad hunc modum colligere vellent, probare eos facilè posse,* quòd uxorem, nigros oculos habuisset; quia esse in loco accidens est.

Tandem Lutherus verba testamenti proferens, *Hoc est corpus meum:* ea Germanicè sic reddidit: Meine allerliebste Herrn: Dieweil die Wort meines Herrn Jesu Christi allda stehen, Hoc est corpus meum: so kan ich warlich nicht vorüber, sondern muss bekennen und glauben, dass der Leib Christi da seye.

Ibi, Zwinglius illicò prosiliens: Ergo & vos, Domine Doctor, Christi corpus localiter ponitis in Cœna? Dicitis enim: Der Leib Christi muss da seyn, da, da. *Ibi* est adverbium loci,

Respondit Lutherus: Christi verba simpliciter se retulisse: nihil minus quàm ejusmodi captiones metuisse: quando autem sic captiosè agere vellet, sese de his, quemadmodum suprà, protestari: sibi cum Mathematicis rationibus nihil rei esse: adeoque adverbium *ibi* ex Cœnæ textu reiicere & repudiare. Verba sic sonare: *Hoc*, non *ibi*, est corpus meum. An verò in loco vel extra locum sit: hoc se nescire malle, quàm scire: siquidem Deus nondum revelaverit, nec quisquam mortalium probare possit.

Die Dominicâ manè Zwinglius & Lutherus congressi sunt: & Zwinglius quidem denuò ursit argumentum:

Corpus Christi est finitum:
Ergo *in loco.*

Lutherus denuò Mathematicas rationes reiicit, ad omnipotentiam DEI confugit.

Zwinglius: à *posse ad inesse* collectionem nullam esse: probandum, unum corpus in diversis locis esse. Cui Lutherus: id se jam sæpiùs istis verbis probasse, *Hoc est corpus meum.*

Zwinglius perpetuam illi petitionem principii obiicit: & ex Fulgentio probat, antiquitatis quoque hanc fuisse sententiam; *corpus Christi esse in uno loco.* Fulgentii testimonium eluit Lutherus affirmando, Fulgentium ibi non loqui de Cœna: probavitque iterum per verba Cœnæ, *Hoc est corpus meum*, corpus Christi in multis locis esse. Verba eius Germanica fuêre: Christi Leib mag seyn an vielen Orten: denn er sagt, das ist mein Leib: Da ist er nu im Brot. Ibi Zwinglius: Si ergo *ibi* est in pane, ergo *ibi* est ut in loco. En captum te habeo, Luthere. Ad quæ Lutherus: Sive sit in loco, sive non, Deo committo: hoc mihi satis est, *Hoc est corpus meum.*

Regerit Zwinglius: ipsissimam esse petitionem principiorum, & rixosam contentionem. Perinde enim esse, ac si quis identidem urgeat, ista verba clara esse, quæ Christus in cruce ad Mariam matrem pronunciavit, *Ecce filius tuus:* cùm tamen Joannem non Mariæ filium naturalem innuerit.

Respondendum esse ad quæstionem, *An corpus in uno sit loco?* Respondit Brentius: *esse in uno loco.* Zwinglius cœpit legere verba Augustini ad Dardanum: quibus profitetur, *corpus ne corpus quidem esse, nisi sit in uno loco.* Lutherus subjicit, Augustinum ibi non loqui de cœna Domini: conceditque; *corpus Christi non esse in Sacramento, tanquam in loco.* Unde illicò Oecolampadius concludit: *non igitur corpus Christi ibi esse corporaliter, vero corpore, quandoquidem proprietas corporis sit esse in loco.*

A prandio Oecolampadius repetit, quod Lutherus manè confessus fuerat, *corpus Christi non esse in Sacramento, tanquam in loco*: & humanissimis verbis petit, ut missis omnibus litigiis, declaretur *quomodo Christi corpus sit in Sacramento:* siquidem Lutherus manè confessus sit, corpus Christi esse ibi, sed non localiter. Estque iterum prælectum testimonium Fulgentii & Augustini. Ad quæ Lutherus: Ich lasse mich nicht weiter dringen, hoc est, non patior me ulterius cogi: *vos Augustinum & Fulgentium habetis: sed reliqui Patres à nobis stant.* Oecolampadius: *Nos verò audire Patres illos cupimus, qui nobis faveant. Scimus enim & illos nostræ esse sententiæ.* At Lutherus: *Non nominabimus illos: sufficiunt nobis*

nobis Christi verba, Hoc est corpus meum. *Augustinus quæ de hac causa scripsit, juvenis scripsit, & intricatè scripsit.* Oecolampadius protestatur: *non ideò à se citari Patres, quasi causam suam illorum autoritate velit tueri sed ut calumniam novitatis à sua doctrina repellat.* Adducit igitur alium locum Augustini, probaturus, *Christum corpus habuisse, quod in loco esse oportuerit:*

Verum corpus est locale:
Christi corpus est verum corpus:
Ergo *est locale.*

Respondit Lutherus: *sese jam antea ad hoc argumentum sæpiùs plus satis respondisse: si alia iis firmiora haberent, ea proferrent: istis argumentis à textu Cœnæ in aliam sententiam se abduci non posse.* Tùm Oecolampadius: *Si istis talibus moveri nolit, se frustra mille Patrum sermones prolaturum. Itaque satius sibi videri, ut à disputatione utrinque cessetur.* Lutherus hortatur Zwinglium & Oecolampadium, ut concordiæ studeant, & sibi assentiantur, clarissimo Dei verbo nitenti. Contrà Zwinglius, Oecolampadius & Bucerus protestantur coràm toto auditorio: *Lutherum suam de Eucharistia sententiam verbo Dei non defendisse: errorem ipsi liquidò ostensum; veritatem autem causæ tùm ex scripturis sacris, tùm ex antiquissimorum Patrum testimoniis, abundè satis esse demonstratam.*

Atque hic est finis Colloquii Marpurgensis, quod novus tùm morbus, *sudor Anglicus* nominatus, interrupit. Ne fructu omni caruisse videretur, conscripti sunt Articuli, in quos pars utraque consensit, controverso manente capite illo de modo præsentiæ corporis & sanguinis Christi in Cœna. Qui quidem Articuli cùm Zwinglio & Oecolampadio prælegerentur, petierunt illi quædam verba duntaxat mutari, propter contentiosos quosdam, qui verba potiùs quàm sensum urgeant. Sunt autem Articuli isti, de quibus convenit inter eos, qui nomina sua subscripserunt, die tertio Octobris:

I. Quòd utrinque unanimiter credimus & sentimus, unicum esse verum naturalem Deum, conditorem omnium creaturarum, unum in essentia ac natura, trinum in personis, videlicet Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, prorsus sicut in concilio Niceno decretum est, & ex symbolo Niceno passim in tota Ecclesia Christiana canitur & legitur.

II. Credimus, non Patrem, nec Spiritum sanctum, sed Filium Dei Patris, verum Deum, hominem factum esse, per operationem Spiritus sancti, sine virili semine, natum ex pura virgine Maria secundum carnem, perfectum corpore & anima, similem aliis hominibus, sine omni peccato.

III. Quòd hic Dei & Mariæ Filius, indivisa persona, Jesus Christus, pro nobis crucifixus, mortuus & sepultus sit, resurrexerit ex mortuis, ascenderit in cœlum, sedeat ad dexteram Dei, Dominus omnium creaturarum, venturus ad judicandum vivos & mortuos.

IV. Credimus peccatum originis ab Adamo in nos carnali generatione propagatum, tale peccatum esse, quod omnes homines condemnet, &, nisi Christus nobis opem suâ morte & vitâ tulisset, aternâ morte nobis in eo moriendum fuisse, neque unquam in regnum Dei & beatitudinem æternam pervenire potuissemus.

V. Credimus nos à peccato originis & omnibus aliis peccatis, & ab æterna morte redimi & liberari, cùm in Filium Dei Jesum Christum pro nobis mortuum credimus: nec sine hac fide, per ullum opus vel ordinem &c. ab ullis peccatis liberari posse.

VI. Quod hæc fides sit donum Dei, quod nullis præcedentibus operibus aut meritis impetremus, nec propriis viribus consequi nunc possimus. Sed Spiritus sanctus, ubi vult, dat & efficit fidem in cordibus nostris, cùm Evangelion seu verbum Christi audimus.

VII. Quòd hæc Fides sit nostra justitia coram Deo, propter quam nos Deus justos, probos & sanctos reputet, sine ullis operibus & meritis, & per hanc fidem nos à peccato, morte, inferno liberet, in gratiam recipiat, & salvet propter Filium suum, in quem credimus, & hac fide omnium beneficiorum, justitiæ ac vitæ Christi participes reddamur. Quare totus monachatus & vota, cùm prodesse ad salutem existimantur, damnata sunt.

VIII. Quòd Spiritus sanctus, de via ordinaria loquendo, nemini hanc fidem & donum suum largiatur, nisi præcedente concione seu verbo vocali, seu Evangelio Christi: sed per & cum verbo vocali operatur & efficit fidem, ubi & in quibus ipsi visum est. Roman. 10.

IX. Quòd baptismus sit Sacramentum ad hanc fidem (efficiendam & obsignandam) à Deo institutum. Et quia mandatum Dei, Ite, baptizate; *& promissio Dei*, Qui crediderit, *baptismo includitur: non nudum signum aut nota & tessera professionis Christianæ, sed signum & opus Dei est, in quo fides nostra requiritur, per quam regeneramur.*

X. Quòd hæc fides, per efficaciam Spiritus sancti, postquam per eam justificati & sanctificati sumus, bona opera per nos operetur, videlicet, dilectionem proximi, invocationem DEI & patientiam in cruce.

XI. Quòd Confessio seu petitio consilii (& absolutionis) apud Pastorem vel proximum suum, etsi non coacta, sed libera esse debeat, tamen valdè utilis (& experienda) sit mœstis & afflictis, vel in peccata aut errorem lapsis conscientiis, præcipuè propter absolutionem seu consolationem Evangelii, quæ vera absolutio est.

XII. Quòd Magistratus, leges civiles, judicia & ordinationes politicæ, ubicunque sunt, bonus & legitimus ordo sint, nec prohibiti sint, sicut aliqui Papistæ & Anabaptistæ sentiunt & docent: sed quòd Christianus, qui ad Magistratum vocatur vel nascitur, benè per fidem Christi salvari possit: sicut ordo conjugalis, patris & matris, domini & matrisfamilias, &c.

XIII. Traditiones, quæ sic nominantur, seu ordinationes Ecclesiasticæ, ab hominibus factæ, si non pugnent contra manifestum verbum Dei, liberè servari vel omitti possunt, prout homines sunt, cum quibus versamur, ita ut scandala non necessaria vitemus, & paci serviamus. Et quòd prohibitio conjugii sacerdotum, sit doctrina dæmoniorum.

XIV. Credimus & sentimus omnes de Cœnæ

DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, quòd utrâque ſpecie, juxta inſtitutionem utendum ſit: Quòd Miſſa non ſit opus, quo alter alteri, defuncto aut viventi, gratiam impetret: Quòd Sacramentum altaris ſit Sacramentum veri corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti, & quòd ſpiritualis manducatio hujus corporis & ſanguinis, unicuique Chriſtiano præcipuè neceſſaria ſit.

Similiter de uſu Sacramenti conſentimus, quòd ſicut verbum, à Deo traditum & ordinatum ſit, ut infirmas conſcientias ad fidem & dilectionem excitet per Spiritum ſanctum.

Etſi autem, an verum corpus & ſanguis corporaliter in pane & vino Cœnæ Domini præſens ſit, *hoc tempore non concordavimus; tamen una pars alteri Chriſtianam dilectionem, quantum cujusque conſcientia feret, declarabit, & utraque pars Deum omnipotentem diligenter orabit, ut nos Spiritu ſuo in vera ſententia confirmet. Amen.*

Martinus Lutherus.
Philippus Melanchthon.
Juſtus Jonas.
Andreas Oſiander.
Joannes Brentius.
Stephanus Agricola.
Joannes Oecolampadius.
Ulricus Zwinglius.
Martinus Bucerus.
Caſparus Hedio.

Atque hæc de Colloquio Marpurgenſi: de quo felicis memoriæ Princeps Philippus Landgravius Haſſiæ ſenior, anno 1566. Marpurgi ad Maximiliani Cæſaris legatum, Virum Nobiliſſimum Joachimum à Berge, Equitem Sileſium, ſtudiorum adoleſcentiæ meæ munificum olim Patronum, (ex cujus ore hæc ſcribo) non dubitavit dicere: *exiſtimare quidem multos, Colloquium iſtud ſine fructu abiiſſe: ſed vehementer eos falli. Nam & ſe, & Theologum ſuum Franciſcum Lambertum, veram de Euchariſtia ſententiam in eo agnoviſſe: & ſe vix adduci potuiſſe Auguſtæ, ut ſubſcriberet Confeſſioni Auguſtanæ, cum proteſtatione: non ſatisfieri ſibi in articulo decimo.* Nec abludunt hæc ab hiſtoria illius temporis. Nam & Acta Confeſſionis Auguſtanæ à Chytræo edita de Landgravii in Helvetiorum ſententiam propenſione abunde ſatis docent: & Franciſcus Lambertus, qui hactenus Luthero paulò fuerat addictior in cauſa Cœnæ, victus veritate verbi divini, ſententiam in Cœnæ negotio mutavit, idque ſignificatum univerſæ Eccleſiæ voluit Confeſſione eâ, quam jam moriturus Eccleſiæ Argentinenſis miniſtris commendavit, à quibus etiam publicata eſt.

COLLOQVIUM DANICUM voco, quod Regis Friderici auſpiciis Flensburgi, præſide Chriſtiano Regis filio, Holſatiæ Duce, præſente cum multis aliis Doctore Pomerano Paſtore Eccleſiæ Witembergenſis, inter Melchiorem Hoffmannum & Hermannum Taſtium fuit habitum: quorum ille ſtatuit, *Cœnam Domini eſſe corporis Chriſti pro nobis in mortem traditi ἀνάμνησιν; hic oralem manducationem & literalem ſenſum urſit.* Fuit autem altercatio veriùs quàm diſputatio, quod Acta germanicè anno 1611. edita teſtantur: quocirca nec meo nec lectoris otio in eâ deſcribendâ & legendâ abutar.

PORRO mira Evangelicorum hoc anno deprehenſa fuit CONSTANTIA.

in Terroribus,
Calumniis,
Contumeliis,
Periculis,
Exiliis,
Mortibus.

TERREBANT Evangelicos:

Edictum Spirenſe,
Reſponſum Cæſaris Proteſtantium legatis in Italia datum,
Pax inter Cæſarem & Gallum ſancita,
Cæſaris edictum in Belgio adverſus Lutheranos promulgatum,
Congreſſus Cæſaris & Papæ Bononienſis,
Fedus Ferdinandi Regis cum Quinquepagitis in Helvetia.

SPIRÆ in Imperii Comitiis, ſuperioris Conventus Spirenſis decretum, y) *ut in cauſa religionis ſe gerant ſinguli ordines, quò Deo & Cæſareæ Majeſtati rationem reddere poſſint*, abrogatum eſt: & Wormatienſe edictum de religione qui hactenus ſervaſſent, deinceps etiam ſervare: Cingliana doctrinam pariter abominari, Miſſam retinere: cæteri qui mutaſſent, nihil innovare usque ad Concilium, nec plures ſibi adjungere jubebantur.

y) Acta Comitiorum.

Huic edicto Joannes Saxoniæ Dux Elector, Georg. Brandeburgicus, Erneſtus Luneburgenſis, Philippus Landgr. Haſſiæ *proteſtationem* ſolemnem opponunt. Quibus ſe primi nominis civitates conjungunt, Argentina, Norimberga, Ulma, Conſtantia, Reutlinga, Winshemium, Nerdlinga, Sangallum. Unde PROTESTANTIUM STATUS multis annis appellati ſunt.

Occaſione edicti Spirenſis Oecolampadius ad Melanchthonem, qui in comitatu Saxonis erat, hanc ſcribit epiſtolam: *Magis abſentem literis interpellare tuam humanitatem, Melanchthon ornatiſſime, hactenus non ſum veritus: ſed priſtinæ familiaritatis neceſſitudinem qualibuscunque tandem Epiſtolarum amicarum, ſi non eruditarum, officiis conſervare ſtudui. Quantò magis mihi temperare non poſſum, quin propiorem inſalutatum non relinquam: & profectò id coràm facerem, ſiquidem vel pericula non prohiberent, vel ab Eccleſia mea commodè abeſſe poſſem. Nihil enim tuo colloquio in terris gratius optatiusque evenire poſſet multis certè nominibus, ſed hoc potiſſimùm, ut de rebus Eccleſiæ fideliter tecum agerem, ſi poſſent è medio tolli ſchiſmata quædam, nuper, non dico à quibus, invecta. Tùm ſanè jucundum mihi foret ex hac vita migrare, id quod opinor ex variis meis literis ad te accepiſti, niſi fortè malo infortunio nullæ ad te pervenerint, quod ſuſpicari licet ex perpetuo ſilentio tuo: nondum enim audiſſim inſimulare te, quem cuncti manſueto Chriſti ſpiritu præditum teſtantur, ita ſurrexiſſe ſupercilium, ut λιτὰς familiarium inauditas, ſine reſponſo dimittas. Itaque ſatis mirari non poſſum. Optima quæque de te mihi polliceor: & ne verbo quidem ſpes fovetur. Vereor tandem futurum, ut ſciam te amicitiæ renunciaſſe.*

At que

At quo pacto id facies, nisi & Christo valedicas, qui & ipse mihi πεφαλή? Persuasum enim mihi, nullum ex membris illius, qui illum verum & Deum & hominem fatentur ac credunt, beneque erga omnes eâ fide conspicuos affecti sunt, ab aliis membris, quæ idem Spiritus vegetat, abjici posse. Neque in hoc falli potero, utcunque fratrum imbecillitas officii sui interim parùm memor est.

Non ignoramus hic, quæ ὁ τίκτων, τὸ ἀντιχρίστου ἡ πρόδρομος, ἀλλὰ παρόντος κήρυξ istic fabricet Philippicâ (de Macedone inquam, non de te, nostro verè candido) fraude, ut nobis primùm negotium faciat, quò deinde & vos quoque invadat. Sed ante oculos pennatorum frustrà projicit retia. Equidem non mediocre cælestis patris benevolentiæ indicium censeo, quòd & tu in hoc præclaro Principum Germaniæ conventu amicis & piis suggerere valeas ea quæ pacis, & quæ in gloriam Christi. Proscribi cupit nescio quis Sacramentarios. Scilicet illi fidei sinceritas cordi est? & hoc pacto concordiæ consulet, si crassius & loqui & sentire περὶ τῶν μυστηρίων, quàm par est, inculcarit. Interim crepat multas Sycophantias, quasi nobis sit figura ac phantasma, non veritas Christus: quasi imbecillis, non omnipotens Christus: quasi unicum angulum occupans, ac non ubique sit ac portet omnia verbo virtutis suæ. Belle scilicet, si distinctiùs de naturis unius personæ loquimur, idcircò alteram negare videamur: & si divinitatem negemus passam, in sua natura, ideò cogamur negare etiam Christum Deum passum: & si asseramus, corpoream Christi dimensionem & quantitatem non esse ubique locorum; ideò inficiemur Christum, qui humanæ, quæ semel assumsit, nunquam dereliquit, non esse ubique locorum, non esse inter duos & tres in suo nomine congregatos, non esse in fidelium cordibus. Tales audio istic nostræ fidei interpretes ac calumniatores haberi.

At te oro per Christum, ut maledicorum hominum effrenem licentiam, quatenus licet, apud pios remoreris, indicando, non eò pertingere nostros sermones: imò addere hoc tutò poteris, neutiquam nos boni consulere, si quis dicat, velati Judam & pecus nos communem panem, vel solum Sacramentum edere, χάειν γὰς τὴν ἀόρατον μετὰ τῶν συμβόλων ὁρατῶν δίδομέν τε καὶ λαμβάνομεν ὥσπες πάντες οἱ πίστει γεγυμνασμένα αἰσθητήρια ἔχοντες. Et planè contumeliâ Apostolos affici semper diximus, si quis super eos solam igneam linguam & signum Spiritus consedisse dicat, negans interim verè participes gratiarum Spiritus sancti: quamvis nequaquam sentire potuerimus, igneam linguam esse substantivè Spiritum sanctum, sicut neque flatum: neque dubito, quin idem & vos catholicè affirmetis. Quidigitur hic tantum controversiarum? Unde hæc iterum volui tibi indicata, ut ostendere possis quibusdam, si ponant contentiones, non deesse viam, quâ concordia paretur Ecclesiis: atqui istis anathematismis, exsibilationibus, ac fulminationibus nihil proficitur. Interea tamen Deus suos non relinquet.

Porrò de statu Ecclesiæ Basiliensis, rumor cuncta nunciat, tametsi pleraque vanius. Unâ te gloriamur, ablatam discordem Christi prædicationem, & quòd Magistratus totus in hoc est, ut juxtà verbum Christi quàm purissimè sua plebs vivat, quicquid alii nugentur. Certè non est illis integrum expectare generale illud Concilium, ut interim conniveant ad plurimorum impietatem. Laborant item, ut gymnasium instaurent, literaque bonæ cum pietate plantentur. Vale, Basileæ prid. Cal. Aprilis, Anno 1529.

Responsum Melanchthonis quale fuerit, hæ ipsius ad Oecolampadium exaratæ literæ docent: *Aliquot accepi tuas Epistolas, quæ, quoniam exstant in eis multæ non obscuræ significationes veteris tuæ erga me benevolentiæ & voluntatis in amicitia constantissimæ, valdè mihi gratæ fuerunt: Nam meus animus idem est erga te, qui fuit semper. Ego autem, admiratione doctrinæ & virtutum tuarum incensus, semper & amavi te plurimum, & singulari quâdam pietate colui. Atque utinam ea essent tempora, ut frui hac nostrâ amicitiâ possemus. Sed incidit horribilis dissensio de Cœna Domini, quæ veterem consuetudinem officiorum, quibus inter nos certare solebamus, impedivit; benevolentiam verò erga te meam non labefecit. Itaque si quid in me desideras officii, tempora magis, quàm fidem meam accusare te velim.*

Quod ad causam, quam agis, attinet, valdè doleo ea de re dissensionem exortam esse, quæ à Christo ad glutinandam charitatem instituta est. Scis autem me hactenus magis extitisse spectatorem hujus fabulæ, quàm actorem. Et multas graves habui causas, cur non admiscuerim me tam odioso certamini. Intereà nulla alia cura ullius rei animum meum magis exercuit, quàm hujus negotii. Et non modò cogitavi ipse, quid in utramque partem dici posset, sed inquisivi etiam veterum ea de re sententias: Ego enim nolim alicujus novi dogmatis in Ecclesia vel autor, vel defensor existere.

Cùm omnia, quæ in utraque parte firmissima videntur, expendi, dicam pace tuâ, non tamen eo in sententiam tuam: Nullam enim firmam rationem invenio, quæ conscientiæ discedenti à proprietate verborum satisfaciat. Nihil autem ad hunc diem de hoc negotio scripsi: quia videbam futurum, quicquid scriberem, ut me allegari à Luthero tanquam doctrinæ testem, iniqui judices dicerent.

Nihil autoritatis in nostra sententia futurum erat, quia in alterius gratiam scripta viderentur. Sed spero, te melius de meis moribus sentire.

Ἐχθρὸς γὰρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.

Qualiscunque enim sum, certè nunquam amavi Epicureos istos, cujusmodi multi sunt hoc tempore, qui religionem irrident, & quibus voluptati est, de maximis rebus homines fallere.

Semper, ut scis, studiosus fui doctrinæ Christianæ: fuitque ob eam causam mihi cura, ut eam diligenter cognoscerem: nec sine parvo negotio, dum quæro, quid sequi tutò possim, extricavi me ex Scholasticis disputationibus, cujus rei nonnulla exstant testimonia.

Quòd si gratiam aucuparer, non ignoro, quàm multis

multos magnos & eruditos viros habeat vestra factio: horum amicitiam non contemnerem. Itaque si mihi vestra sententia de Cœna Domini placeret, simpliciter profiterer.

Vos absentis Christi corpus, tanquam in Tragœdia, repræsentari contenditis. Ego de Christo video exstare promissiones, Ero vobiscum usque ad consummationem seculi, *& similes, ubi nihil est opus divellere ab humanitate divinitatem: proinde sentio hoc Sacramentum veræ præsentiæ testimonium esse. Quod cùm ita sit, sentio in illa Cœna præsentis corporis κοινωνίαν esse. Cùm proprietas verborum cum nullo articulo fidei pugnet, nulla satis magna causa est, cur eam deseramus. Et hæc sententia de præsentia corporis, convenit cum aliis scripturis, quæ de vera præsentia Christi apud nos loquuntur: nam illa est indigna Christianis opinio, quòd Christus ita quandam cœli partem occuparit, ut in ea, tanquam incluſus carceri, sedeat.*

Tu colligis absurda multa, quæ sequantur hanc sententiam. Colligis etiam quasdam veterum sententias, quæ pro te videntur facere. Sed absurda minùs offendent eum, qui meminerit, de rebus cœlestibus ex verbo Dei, non ex Geometria faciendum esse judicium, quique tentatus didicerit, nullam esse rationem, quæ conscientiam satis docere possit, cùm à verbo Dei discesserit.

In iis locis, qui citantur ex veteribus, agnosco quandam esse dissimilitudinem; sed tamen ex his, si quis prudenter eliget gravissimorum authorum dicta, inveniet pleraque, quæ ostendunt hanc, quam nos sequimur, veteris Ecclesiæ, quatenus nobis nota est, communem fuisse sententiam: tametsi tu quidem, homo disertus, quosdam locos nimis callidè interpretaris, & ad tuam causam detorques.

Veteres, cùm de resurrectione disputant, allegant Cœnam, nec ineptè, meo quidem judicio: significavit enim Christus Apostolis, se resurrecturum esse, quia sui corporis κοινωνίαν instituit. Necesse enim erat, ut viveret corpus, quod nobis impartiendum erat. Quòd si veteres sensissent absens corpus repræsentari, quomodo inde probarent resurrectionem? quia, etiamsi non resurrexisset Christus, tamen absens corpus & consumtum repræsentari potuit, sicut in fabulis Hector repræsentatur. Sed non institui nunc disputationem: tantùm hæc scripsi, ut meam erga te benevolentiam perpetuam cognosceres; neque tamen volui, quid sentiam, dissimulare: Tequè rogo, ut consideres, quantam rem, quamque periculosam susceperis. Verum illud est, nimium altercando amitti veritatem: atque hæc multo magis periclitatur in his tam violentis concertationibus. Quare satius esset hac de re aliquot bonos viros in colloquium unà venire. Video quæ semina harum disputationum sparsa sint in veterum libris: sunt & in quibusdam nuper natis ante hunc tumultum.

Video causam vestram præsidiis ingeniorum niti, & vos habere studia theatri, non tantùm manifesta, sed occulta etiam: quæ haud scio, an efficaciùs vobis suffragentur, quàm manifesta. Satis nota est mihi tua modestia: quare non arbitrabar opus esse, ut te admonerem, ut cogitares, homines ingeniosos & prudentes interdum labi posse. Et in negotiis spiritualibus inprimis periculosa est ingenii fiducia. Scis scriptum esse: Abominatio apud Deum est, quicquid est sublime in mundo. Et multò plures sunt, quàm putentur, qui tantùm ea amplectuntur in religione, quæ ingeniis eruere ac comprehendere potuerunt. Postremò te rogo, ut hanc meam Epistolam, optimo atque amicissimo scriptam animo, boni consulas. Vale. Spiræ, Anno MDXXIX.

Opposuit huic Oecolampadius epistolam Apologeticam, eamque Philippo in Conventu Marpurgensi hoc eodem anno habito, coràm reddidit, tandemque eam publicam fecit, cùm Philippus emisisset Patrum de Cœna Domini à se collectas sententias. Sic autem habet: *Igitur, mi Philippe, si fieri omninò nequit, ut solitis inter nos certemus officiis, id quod gratissimum esset: boni consulamus, vel amicitiam illam nostram veterem in tantis temporum nostrorum difficultatibus ac periculis, manere salvam, & non labefactatam. Qua in re operam etiam ipse dabo, ut eam, quo ad spiritus hos regat artus, inviolatam conservem. Porrò hæc ipsa, ut ἀνυπόσχετος sit, exigit, ne vel respuantur quæ amicè admonent, vel intermittantur, quæ admonere possunt studia. Ea propter amica illa & diserta tua de cœna Dominica Epistola, animo perquam placido à me suscepta est: tametsi minùs persuaderet & intempestivè à typographo tuo invulgata sit: maluissem quidem non publicatam. Auspicatiora enim ac magis plausibilia, eruditi hactenus è tua officina retulerunt. Veruntamen animadvertens, quæ hodie secula sint, & quod tuum consilium, facilè indignationem excluſi. Sunt enim amicorum etiam delicta, si qua inconsideratiùs fiant, cùm infecta esse nequeant, vel oblivioni danda, vel æquissimâ interpretatione honestanda: id quod & de te mihi polliceor, siquidem in hac satisfactione quippiam desideraveris, etiamsi in lucem prodierit. Cavebo tamen ne prodeat, nisi de tua sententia antea certior reddar. Nunc Epistolæ tuæ respondebo, servans & ipse epistolarem brevitatem: tu judicio, quo præ aliis singulari præditus es, attentiore legas: videris enim hactenùs, ut liberè dicam, humanum quiddam passus: vel certè, nisi me omnia fallant, nostram de Eucharistia sententiam nondum habuisse perspectam. Non enim abhorrere à nobis oportebat, quasi novum aliquod dogma adferamus: neque enim vel Christi verbum à nobis negligitur, vel Patrum observabiles termini suo moventur loco, quandoquidem à nobis accuratiùs, quàm vulgo putant, sunt lecti. Dabis extortæ gloriatiunculæ veniam. Sunt etiam majore fide ac candore tractati, quàm ut calliditas vel γραφοτύραννις studium nostrum existimari debeat. Accipe igitur, quâ ratione in sacris scripturis, & in Ecclesiasticis scriptoribus versemur: & opinor, consilium hoc nostrum minimè te damnaturum. Indubitatum autem habe, nos nequaquam nostri ingenii viribus fisos: id quod primùm à religiosâ Patrum, quantum ad hanc rem pertinet, observantiâ cognosces. Nam ubi ambi-*

guum

guum & obscurum ac concisum quiddam alicubi scribunt, operæ precium duximus, eorum quæ scribunt, certam mentem ex apertissimis ipsorummet declarationibus cognoscere. Quid hoc, ero, via compendio tutius? Utique rectum factum fateris. Ecce passim obvium est, quòd Sacramentum corporis Christi ψιλῶς & sine additamento corpus & sanguinem Christi appellitant. Quoniam autem contentio orta est, quid de eo Sacramento sentiendum, nonne prudenter eò recurrimus, ubi dilucidius & copiosius de hoc tractant? quod & fecimus non sine judicio ac delectu, obvia quæque devorantes. Est inter alios applausibilis fidei, & dilucidæ enarrationis scriptor, Augustinus Hipponensis, quem super hac causa ut audiremus, dignum judicavimus. Persuasum enim est, si ille clarè nobiscum faciat, neutiquam à nobis dissensuros, quotquot illum antecesserunt, orthodoxos doctores, quibuscunque tandem verbis sententiam suam explicent. Quomodo enim ille diversum ab Ambrosio à quo initiatus est, doceret? Quomodo Cypriani Tertullianique, patriæ suæ clarissimorum scriptorum, fidem ignorasset? Quomodo Romanorum, Græcorum, & Ægyptiorum confessioni, quas alias citare non dedignatur, contradiceret? Ille igitur aurem vellicavit, & ab errore revocavit, cum diligentiùs expenderem, quid in tertio de Trinitate, quid in lib. 16. de doct. Christianâ, quid in Epistolis ad Bonifacium, Evodium, & Dardanum, quid adversus Faustum & Adimantum rescripserit. In quibus libris omnia palàm & dilucidè narrat: in eandem locutionum classem conjicit; Hoc est corpus meum, Anima est sanguis, Petra erat Christus. *Consuetudinem sui seculi fuisse testatur, Sacramenta rerum signarum vocabulis appellari solita. Probè monet, ne signa pro rebus accipiamus. Ostendit, verba & Sacramenta ejusdem efficaciæ, atque id genus multa. Unde non parùm miror, quo pacto hoc verbum tibi exciderit, quòd ad meam causam Doctores torqueam, qui me sibi tam potenter vindicant. Verùm quoniam disputationem devitamus uterque, conjectare inde potes, quod nostrum in tractandis Ecclesiasticis doctoribus studium sit. Itaque pluribus nunc molestus esse nolim. Unum, quod à te commemoratur, præterire silentio non licet. Veteres ais, cùm de resurrectione disputarent, allegasse Cœnam: nec ineptè. Significavit enim Christus, se resurrecturum esse, quia corporis sui κοινωνίαν instituit. Necesse enim erat, ut viveret corpus, quod nobis impartiendum erat. Quòd si veteres sensissent, absens corpus repræsentari, quomodo inde probarent resurrectionem? Hæc tua argumentatio. Non ignoro, mi Philippe, cùm Tertullianum, tùm Irenæum sic ratiocinari solitos: nec miror: sunt enim hæc Sacramenta, ut Nicenus Canon habet, τῆς ἡμετέρας ἀναστάσεως σύμβολα. Nonne & Paulus à baptismo colligit, nos complantatos in similitudinem mortis Christi, ut resurrectionis quoque consortes reddamur? Verum ad declarationem exemplo magis familiari utamur. Nonne & sponsa ostenso arrhabone conjugem sibi obligasse probat? nec secùs hic agitur. Etenim cùm panis, qui nobis corpus Christi repræsentat, naturam habeat alendi corpus: utique & cœlestis panis, si per fidem manducetur in se habet, ut vivificet ac pascat in vitam æternam, sicut apud Joannem testatur ipse de se.* Panis autem, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. *Jam corpus Christi quod manducatur fide & pro nobis fractum, & in cruce mortuum, minimè nos pasceret nisi divinum esset, & resurrexisset, nobisque resurrectionis causa fuisset. Quid igitur mirum, si à tanti Sacramenti symbolo nostra resurrectio colligatur? Origenes, ut est allegoriarum dives, etiam abunde probat: sed hæc nunc sufficiant. &c.* Vide integram epistolam Tom. 3. Epist. Zwinglii & Oecolampadii pag. 610.

Atque hæc occasione terribilis edicti Spirensis, ultrò citroque scripta.

z) Cæterùm terribile quoque fuit RESPONSVM Cæsaris, Protestantium legatis ad se in Italiam missis, Placentiæ datum: Velle nimirum se, ut Protestantes decreto Spirensi, ut & Wormatiensi, pareant: Nam alioquin fore, ut auctoritatis atque etiam exempli causâ severè in illos animadvertat. Quo cognito Protestantes sub finem Novembris de ineundo adversus vim federe Smalkaldiæ cœperunt deliberare.

z) Sleidanus.

a) PAX inter Cæsarem & Gallum mense Augusto sancitur, & illud ante triennium in Hispania factum de Lutheranis decretum repetitur ac denuò confirmatur.

a) Idem.

b) CÆSARIS edictum in Belgio Bruxellis decimâ quartâ Octobris promulgatur, quo emtores, venditores, lectores, impressores librorum Lutheranicorum damnantur, & pœna gravis decernitur iis, qui vel hospitio excipiant de religione suspectos, vel de eadem in colloquiis privatis mutire ausint.

b) Ex formula edicti.

CONGRESSUS Cæsaris & Papæ Bononiæ tertiâ Novembris factus est: ubi Papa non Concilii decretis, sed armis controversias censuit dirimendas: argumento usus: c) quòd *dogmata quædam manifestè falsa sint, ut Anabaptistica & Samosatenica*, quæ statim sint opprimenda: *quædam inextricabilia; ut de adoratione panis, de oblatione, de sacrificio Missæ: quædam dispensabilia Pontificis autoritate; ut laxatio votorum, concessio conjugii, ciborum promiscuorum.*

c) Tom. 5. Declam. Philippi pag. 87.

Lusit in hoc Pontificis consilium Marcellus Palingenius Stellatus, qui tùm in aula Ferrariæ Ducis Herculis II. floruit, in opere, quod *Zodiacum vitæ*, sive de moribus & studiis rectè instituendis Poëticè condidit. Ita enim canit sub finem ferè Capricorni:

- - Ilicet illic
Egregius juvenis Remisses astitit, omnes
Advenisse illum gaudent, lætèque salutant,
Atque rogant, quidnam Romanæ ageretur in urbe:
Cunctî luxuriæ atque gulæ furtisque dolisque
Certatim incumbunt, nostrique est sexus uterque

Respon-

Respondit: sed nunc summus parat arma sacerdos
Clemens, Martinum cupiens abolere Lutherum,
Atque ideò Hispanas retinet nutritque cohortes:
Non disceptando aut subtilibus argumentis
Vincere, sed ferro mavult sua jura tueri.
Concilium valeat, valeant commenta Lutheri:
Pontifices nunc bella juvant: sunt cætera nugæ.

d) FEDUS cum Ferdinando Rege pangebant in Helvetia Quinquepagici, acerrimi Evangelii hostes: cujus rei indignitate commoti Tigurini & Bernates copias suas in illos educunt. Sed finitimorum & Argentinensium interventu composita res fuit, & discessum ab armis: pactumque fuit, ne religionis causâ bellum inter ipsos esset. Hæc de terroribus.

d) Sleidanus.

Ad CALUMNIAS venio: quibus Evangelici ad unum omnes mirè hoc anno fuerunt deformati eo libello, quem Erasmus Roterodamus in gratiam Cæsaris ex Italia in Germaniam adventantis scripsit, in cujus aula fatetur ipsius fuisse tùm non paucos parùm sibi æquos. Præscripsit illi libello hunc titulum: *Contra quosdam, qui se falsò jactant Evangelicos.* Inter alia etiam atrociora: *Ego tibi*, inquit, *ex Evangelicis multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores. Excussæ sunt è templis statuæ: sed quid refert, cùm nihilo secius in animo colantur Idola vitiorum? nec video, quo consilio quidam tanto studio demoliti sint imagines, nisi ut esset conspirationis symbolum. Interim obtenditur horrendum Idololatriæ crimen. Sed quis nunc est tam lapis, ut putet lapidibus ac lignis inesse sensum? & si qui tales sint, quantulum erat negotii docere populum, imagines ad hoc tantum repertas, ut imperitis memoriam adjuvent, &c.* Scribit ibidem falsè, *Melanchthonem Lutherum sequi tanquam Aten Lite, componere studens quod illa turbavit.*

Atque hæc Erasmus, immemor sui ipsius, hoc est, præclari judicii hinc inde de Evangelicorum virtute & pietate in scriptis suis lati.

Abstersérunt has calumnias ab Ecclesiis reformatis eruditâ spongiâ Theologi Argentinenses. Melanchthon quoque à Joachimo Camerario monitus, ut ne quid amplius literarum daret ad Erasmum, respondit, se morem illi gesturum. e) *Et scis*, inquit, *me antea non magnopere ambivisse ejus amicitiam. Vide quantum judicii sit nostris inimicis. Illum amant, qui multorum dogmatum semina in libris suis sparsit, quæ fortasse longè graviores tumultus aliquando excitatura fuerant, nisi Lutherus exortus esset, ac studia hominum aliò traxisset. Tota illa tragœdia περὶ δείπνου κυριακοῦ ab ipso nata videri potest. Quàm non iniquus esse videri alicubi possit Ario & illius factioni, quam nos hic constantissimè improbavimus! Quæ litera in libris est magnopere digna viro Christiano, de Justificatione, de jure Magistratuum?*

e) Epist. ad Camerar. p. 128.

f) CONTUMELIIS Helvetii reformati perquàm multis affecti sunt. Nam Suitenses cives nonnullos Tigurinos, quum pecuniam sibi debitam reposcerent, verberibus affecerunt. Unterwaldii Tigurinæ, Bernæ, Basileæ & Argentinæ civitatis insignia ad patibulum suspenderunt.

f) Sleidanus.

g) Thomas Murnar, ordinis minorum, sacræ Theologiæ & utriusque juris Doctor, contumeliosissimos libellos in Tigurinos, Bernates, & omnes Evangelicos edidit: qui cùm judicio sistendus esset, Lucernâ turpiter profugit. In Conventu quoque Spirensi Faber Constantiensis ausus est in Evangelicorum ignominiam Philippo Landgravio Hassiæ falsè exprobrare, quòd ministrorum suorum aulicorum manicis intertextas voluerit literas istas, V. D. M. I. Æ. quas ironicè sic interpretatus est, *Verbum Domini Manet* Im Ermel, id est, *in manicis.* Quem tamen è vestigio Landgravius in ruborem dedit, non præmeditato sed valdè apposito responso: *Imò verò hoc sibi volunt illæ literæ; Verbum Diaboli Manet in Episcopis.*

g) Bullinger.

In PERICULO non parvo fuerunt: Simon Grynеus Spiræ, legati Protestantium Placentiæ, Michaël Cadenus Norimbergensis Parmæ.

h) SIMONI GRYNÆO Professori Heidelbergensi visum fuit Spiram vicinam venire, ut cum Philippo Melanchthone pauliſper versaretur. Ibidem aderat & Faber Constantiensis, qui magnâ vehementiâ resistebat puriori Ecclesiasticæ doctrinæ, & in hac vitiorum emendationi. Erat quædam Grynæo cum hoc necessitudo antiqua, quâ fretus accedit hominem, & cum eo primùm aliis de rebus familiariter colloquitur, deinde & sermones infert de iis, quæ erant in manibus. Monet hortaturque, ne veritatis hostis esse pergat, neu sese non modò cum eam oppugnantibus conjungat, sed his etiam authorem ducemque præbeat. Disputat cum ipso liberè, confidentiùs quoque aliquid dicit. Faber, qui valdè offenderetur oratione tali, dissimulare tamen omnia & jubere reverti ad se Grynæum, ut accuratius de tanto negotio disputarent. Narrat amicis hoc Grynæus: qui dissuadent reditum ad Fabrum, & rem periculo non carere ostendunt. Erat Philippus unà cum suo grege collocatus in hospitio domunculæ sacerdotis cujusdam senis, nequaquam mali hominis. Ibi Grynæus & ipse ferè semper esse consueverat. Venit eodem, fortè Grynæo absente, quidam eo habitu specieque ejusmodi, quæ dignitatem præ se ferret singularem, quæritque ex Philippo, ubi Grynæus sit. Modò, inquit Philippus, ille abiit. Vellem adesset, inquit hic: & scire se indicat, parari ipsi insidias, in quas incidere nollet virum bonum & doctum: sic enim prædicari. Ita ille, quisquis fuit, (nam cognosci id non potuit,) discessit. Revertitur panlò pòst Grynæus. Quem Philippus jubet redire Heidelbergam statim, neque diutiùs Spiræ commorari: ac miranti quæ esset festinationis tantæ causa, narrat omnia in via, cùm deduceret ipse eum ad Rhenum, quo loco Illustrissimus Princeps Elector Ludovicus Palatinus peculiarem trajectum instituerat. Et non diu pòst affuit armata quædam manus, ad comprehendendum Grynæum missa. Neque quisquam aliter suspicari potuit, quàm à Fabro ortum id, & tantum periculum Grynæo creatum fuisse.

h) Camerar. in vita Philippi pag. 114.

i) LEGATI Protestantium Placentiæ jubentur domi-

domi se continere, nihil ad suos perscribere, nec suorum quem aliquò mittere, capitis atque fortunarum denuntiatâ pœnâ, si secùs facerent.

i) Sleidanus.

k) MICHAELI CADENO Norimbergensi legatorum Protestantium uni Landgravius libellum eleganter adornatum, doctrinæ Christianæ summam paucis complectentem dederat, ut Cæsari daret. Is per occasionem, quum ad sacrum iret Cæsar, porrigit. Cæsar invicem episcopo cuidam Hispano, ut quid rei esset, cognosceret. Hic fortè in locum illum incidit, ubi Christus monet Apostolos, ne principatum affectent. Hoc enim ipsorum non esse professionis: & gentium reges usurpare sibi talem potestatem. Eum locum autor inter alia tractaverat, demonstrans, cujusmodi sit officium ministrorum Ecclesiæ: sed ille, quum obiter legisset, percontanti Cæsari sic referebat, quasi magistratui Christiano jus gladii tolleret libellus, & gentibus duntaxat, alienis à religione Christiana permitteret. Hac ergo de causa detinetur iste. Hoc etiam Granvellanus addebat, velle Cæsarem, ut idem scriptum exhibeat quoque Pontifici. Quum autem ipsum factum purgaret, neque satis commodum responsum ferret, & è sermone Granvellani periculum suum intelligeret, silentio conscendit equum, & celeriter Ferrariam, inde Venetias profectus, domum revertit.

k) Thomas Leodius in vita Friderici II. Palatini, MS. Sleidanus.

l) EXILIIS hunc annum decorarunt cives oppidi Imperialis ROTEVILÆ, ultra Danubium in Germania ad sinistrum Nicri fluvii siti. Ejecti enim sunt à Senatu trecenti octuaginta quinque viri, fœminæ, juvenes, senes, qui Papatu deserto Evangelicæ doctrinæ liberum exercitium petebant. Confederunt alii in Helveticis, alii in Imperii urbibus, alii in ditione Badensis Marchionis.

l) Chronicon Bulling. MS.

E Daniæ regno, finitâ disputatione Flensburgensi, dimittebantur Melchior Hoffman, Joannes de Campis, & Jacobus Heggius: quòd oralem corporis Christi manducationem, elevationem panis, manducationem indignorum agnoscere nollent.

MORTE suâ Evangelio testimonium veritatis perhibuerunt:

Ludovicus Berquinus, Lutetiæ Parisiorum,
Petrus Flistedius, Adolphus Clarebachus, } Coloniæ Agripp.
Wilhelmus Swollensis Mechliniæ,
Cives nonnulli Gamundæ.

m) LUDOVICUS BERQVINUS, vir spectatæ autoritatis in aula Francisci I. Regis Galliarum, cùm odio Guilielmi à Quercu Theologi Parisiensis propiùs applicaret animum ad studium veræ pietatis, rectè illam intelligere didicit. Multos igitur pios libros in Gallicam linguam transtulit, atque inter hos etiam Erasmi *Enchiridion Militis Christiani*, additis plerisque atque intermixtis, quæ propiùs ad lucem veritatis Evangelicæ pertinebant. Erasmus, qui se suo more ἀλλοπρόσαλλον semper ostendit, acriter expostulavit cum eo per literas, quòd non prudenter ageret, ejusmodi gravem utrique conflans invidiam, nullo, ut dicebat, pietatis fructu: proinde suam causam sic ageret, ne Erasmum admisceret. Sed Ludovicus, flocci hæc faciens, spretis etiam magni illius Budæi monitis, perrexit in professione veritatis, & accusatione impietatum Sorbonæ. Itaque captus, & laqueo præfocatus, mense Maio, crematur: quod mortis supplicium admirandâ animi constantiâ est perpessus, Lutetiæ in loco celebri, Greva appellato.

m) Acta Martyrum.

Erasmus ad Carolum Utenhovium Martyrium Berquini descripsit his verbis: n) *Ludovicus Berquinus proximis ipsius ad me literis promiserat aliàs ad te scripturum. Eas literas ne frustra expectes. Nam decimo Calend. Majas vitam morte commutavit, exustus Lutetiæ in Gravia. De causa nihil certi hactenus potui cognoscere. Tantùm audivi judicibus duodecim delegatam pronunciandi authoritatem. Quum instaret dies, hominem fuisse traditum carceri. Hoc parùm felix augurium. Pronunciatum est, ut exustis libellis & abjuratis articulis, lingua illi ferro perfoderetur, mox perpetuo carceri dederetur. Is auditâ præter expectationem atroci sententiâ, regem appellavit & Pontificem. Judices indignè ferentes appellandi verbum. Si non recipis, inquiunt, hanc sententiam, efficiemus, ne posthac quoquam appelles: & postridie pronunciarunt, illum flammis tradendum. Ajunt primum articulum fuisse, quod scripsisset, in rem esse pietatis, ut sacri libri in linguam vulgatam translati legerentur à populo, id quod Senatus fieri vetuerat. Adhibiti sunt satellites armati sexcenti, qui cohiberent si quid oriretur tumultus. Hæc qui retulit, præterea nihil certi potuit adferre: nisi quod ajebat, Guilhelmum Budæum, unum opinor e judicum numero, triduo priusquam damnaretur, privatim egisse cum Berquino, ut ab insanis, ut ajebat, erroribus resipisceret. Verùm hæc audivi tantùm, & quidem ab eo, qui multa narrabat audita, Montius noster, cujus religiosam nosti fidem, nihil aliud ausus est scribere, nisi quod oculis suis cominùs vidit. Aderat enim valdè vicinus, quum curru veheretur ad supplicii locum. Nec vultu, nec ullo corporis gestu dedit ullum animi perturbati specimen. Dixisses illum in museo de studiis, aut in templo de rebus cœlestibus cogitare. Ne tum quidem quum carnifex truculentâ voce crimen ac supplicium pronunciaret, quicquam de vultûs constantiâ mutare visus est. Jussus de curru descendere, nihil contatus descendit alacriter: nec erat tale quicquam in eo vel audaciæ, vel ferociæ, quale in maleficis nonnunquam gignit immanitas. Relucebat in eo mentis sibi benè conscia tranquillitas. Ante mortem verba fecit ad populum, sed unde nemo quisquam potuit aliquid percipere. Tantus erat satellitum fremitus, quem datâ operâ putant excitatum fuisse. Quum ad palum præfocaretur, nullus è turba acclamavit nomen Jesu, quod parricidis etiam ac sacrilegis acclamari solet. Sic omnium animos in illum excitarant, qui nunquam non adsunt, & nihil non possunt apud simplices & imperitos. Eat nunc qui volet, & Phormiones istos lacessito. Aderat illi Franciscanus quidam, quem adiit Montius rem expiscaturus, num vel moriens agnovisset errorem. Is ajebat agnovisse, asseverans se nihil omninò dubitare, quin anima illius transierit in quietem. At ego Franciscani dictis nihil habeo fidei: præsertim quum hoc sit istis solemne, post extinctum*

Etiam hominem spargere rumores, quòd in incendio cecinerit palinodiam: quò simul & vindicatæ religionis laudem auferant, & multitudinis invidiam calumniaque suspicionem effugiant. Nam quum Bruxellæ primitias immolassent, exustis duobus monachis Augustinensibus, tertio in carcerem reducto, & clàm interfecto, quum mirâ constantiâ mortem oppetissent, quæres judicibus gravem movebat invidiam, sparserunt ridiculam fabulam: unum ex illis apparuisse cuidam Augustinensi, qui nunciaret animas illorum esse incolumes, quòd in extremis resipuissent, videlicet jam in ipso incendio; idque factum precibus virginis matris. Nam & pridie visitationis exusti sunt, & Nicolaus Carmelita magno studio sacrificium hoc procurarat. Rogatus carnifex, ecquam pœnitentiæ vocem edidissent in rogo, negavit: sed quum ducerentur ad palum, clarâ voce testati sunt, se mori Christianos: & alligati palo admoto igni canere cœperunt symbolum fidei, mox doxologiam, Te Deum laudamus, *donec flamma vocem intercluderet.* Tandem ita concludit: *Damnari, dissecari, suspendi, exuri, decollari, piis cum impiis sunt communia. Damnare, dissecare, in crucem agere, exurere, decollare, bonis judicibus cum piratis ac tyrannis communia sunt. Varia sunt hominum judicia. Ille felix, qui judice Deo absolvitur.*

n) Libr. XXIV. epist. IV.

o) PETRUS FLISTEDIUS & ADOLPHUS CLAREBACHUS, homines literati, capti per hoc tempus tenebantur Coloniæ Agrippinæ, quòd de cœna Domini, deque cæteris dogmatis diversum à Pontificiis sentirent. Senatus ejus urbis habet jus, ut in carcerem ducat, quos oportet: vitæ autem necisque potestatem solus habet Archiepiscopus. Ac fieri potest, ut quos capitis damnavit Senatus, Archiepiscopi prætor absolvat. Illi verò per sesquiannum & amplius eo custodiâ detenti, nunc demum ab utrisque damnati fuerunt & exusti, magno cum gemitu plurimorum & commiseratione. Culpam ejus rei plerique conferebant in Theologos concionatores, qui suppliciis impiorum placandam esse clamabant iram Dei, novo morbi genere hos verberantis. Adolphus erat formâ liberali, facundus & eruditus. Quumque ducerentur ad supplicium, fidei suæ rationem explicabant, & Scripturæ testimoniis invicem sese confirmabant, ita quidem ut omnium oculi mentesque in iis hærerent defixi.

o) Sleidanus. Rabus prolixè historiam carceris, colloquiorum, mortis descripsit.

p) WILHELMUS Suollensis Christierni Danorum Regis aliquando minister fuerat. Is edita pulcerrimâ fidei suæ confessione ad Theologos Lovanienses, vicesimâ Octobris Mechliniæ in Brabantia flammis est traditus.

p) Joan. Bugenhagius historiam edidit anno 1530.

q) GAMUNDÆ (Imperii Germanici civitas est in Suevia) septem homines propter religionem interfecti sunt, præsidio ex Wirtembergia, dum id perageretur, præsente.

q) Crusius.

Sunt & alii hoc anno interfecti, de quorum mortis causa ambigitur.

r) BEBLINGÆ in Suevia cremati sunt septem homines, quibus hæresis Anabaptismi fuit impacta.

r) Crusius.

CONSTANTIÆ, quartâ Februarii, capite truncatur Ludovicus Hetzer, Anabaptistarum antesignanus, vir trium linguarum peritissimus, sed qui de multis fidei capitibus singulares opiniones habuit. Negavit divinitatem Christi, eaque de re libellum scripsit à Zwinglio suppressum, cuius autorem ipse sum tandem pœnituit. s) Causam supplicii de illo sumpti Blarerus in Anabaptismum rejicit, alii in crebra eius adulteria, quæ nonnunquam è Scripturis defendere sit ausus. t) Quorum omnium seriâ ductus pœnitentiâ, indignum se esse professus est, qui viam tereret ad supplicii locum ducentem. Fassus est in vinculis, se sæpius in precibus, largis profusis lacrymis, cum Deo quodammodo expostulasse, justificasseque eius potentiam, quòd talem homuncionem non castigare posset. Tandem occidendus, *jam*, inquit, *voti mei damnatus sum, postquam Deus me mihi ipsi ad extremum subtraxit, qui carnis ad peccandum irritamenta superare antea non potui.*

s) Ambrosius Blarerus in descriptione mortis Hetzeri.
t) Sebastianus Francus Chronici parte tertiâ.

Cæterùm Lutherus edidit hoc anno,

Catechesin minorem, mense Januario,
Catechesin majorem, Octobri:

Novum Testamentum latinum, cui nomen suum præscripsit, in quo veterem translationem correxit. In illo Latino Novo Testamento Lutheri, verba Petri Act. III. ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι, passivè redduntur hoc modo: *Jesum Christum oportebat cælo suscipi,* ὑπ' οὐρανῶ δεχθῆναι capi, ut Nazianzenus Orat. II. de Filio olim est interpretatus.

Hujus meminisse velim eos, qui hodie imperitè scribunt: passivam istius loci interpretationem apud nullum probatum Theologum reperiri.

ANNVS CHRISTI MDXXX.

ANno Christi millesimo quingentesimo tricesimo,

Confessio fidei Protestantium, quatuor item civitatum & Zwinglii, Carolo V. Cæsari exhibita.

Contentio super Eucharistia à Melanchthone renovata, sed per aliorum de ineundâ concordiâ consilia statim suppressa.

Ecclesiarum aliquot reformatio inchoata.

Argentinensium Evangelicorum in pauperes beneficentia orbi Christiano manifestata.

Doctrinæ Pontificiæ inclinatio in Anglia facta est.

CONFESSIONIS Fidei Protestantium historiam germanicè hoc ipso anno quidam edidit Augustæ, privilegio Cæsaris munitam. Exstat in Actis per GLAR. D. Hortlederum editis.

Descripsit eandem ante annos 40. Germanicè & latinè David Chytræus. Nec præteriit illam Sleidanus. Nos ex his & aliis summam rei succinctè annotabimus.

CÆSAR missis, mense Januario, Bononiâ ad status imperii literis, conventum indicit, qui ageretur Augustæ Vindelicorum ad VIII. Aprilis: & quoniam inter Evangelicos etiam ipsos quædam controversa essent, jubet omnes scriptis sententiam suam demonstare.

Saxo Elector Theologos Wittembergenses, Lutherum, Justum Jonam, Pomeranum, Melanchthonem, Torgam evocat: & ut summam doctrinæ universæ, quam profitebantur & sequebantur Ecclesiæ Saxonicæ, & cum his concordantes, informent, mandat. Lutherus igitur doctrinæ suæ summam septendecim his articulis comprehendit: ex quibus postea à Philippo Melanchthone retextis, & in commodiorem formam redactis, Confessio Augustana nata est.

Articulus I.

Quòd constanter & magno consensu apud nos doceatur, Unicum solum esse verum Deum, creatorem cæli & terræ: ita ut in hac unâ verâ divinâ essentiâ tres sint distinctæ personæ, videlicet Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus sanctus: &, Quòd Filius à Patre natus ab æterno, sit verè & naturâ Deus cum Patre: &, Quod Spiritus sanctus à Patre & Filio procedens, ab æterno sit verè & naturâ Deus cum Patre & Filio: sicut hæc omnia per Scripturam clarissimè & firmissimè demonstrari possunt. Joan. 1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat illud Verbum. Omnia per ipsum facta sunt. *Matth. 28.* Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti & *plura similia dicta in Evangelio Joannis.*

II. Quòd solus Filius Dei verus homo factus sit, conceptus de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, perfectus homo, corpore atque animâ constans: Et non Pater vel Spiritus sanctus homo factus sit, ut hæretici Patripassiani finxerunt. Et quòd Filius non tantùm corpus absque anima assumserit, ut Apollinarius erravit: Nam Christus ipse in Evangelio sæpè meminit animæ suæ, cùm inquit, Tristis est anima mea usque ad mortem. *Quòd autem Deus Filius homo factus sit, Joan. 1. clarè his verbis scriptum est:* Verbum caro factum est. & *Galat. 4.* Ubi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum, natum ex muliere.

III. Quòd Filius Dei, verus Deus & homo, Jesus Christus sit una indissolubilis persona, pro nobis hominibus passus, crucifixus, mortuus, sepultus, tertiâ die ex morte resurrexerit, ascenderit in cœlum, & sedeat ad dexteram Dei, Dominus omnium creaturarum: ita ut nemo credere vel docere possit aut debeat, quòd Jesus Christus tanquam homo, aut humana ejus natura tantùm pro nobis passa sit; sed cùm Deus & homo, non duæ, sed una inseparabilis persona sint, credendum est, quòd Deus & homo, vel Dei filius verè pro nobis passus sit, ut Paulus Roman. 4. inquit: Deus proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum *1. Cor. 2.* Si cognovissent dominum gloriæ, non crucifixissent, & *similia dicta plura.*

IV. Quòd peccatum Originis verè peccatum sit, & non solùm imbecillitas vel defectus, sed tale peccatum, quod omnes homines ab Adam propagatos condemnat, & à Deo in perpetuum separat, nisi Christus pro nobis intercedens, hoc peccatum, cum cæteris inde profluentibus, in se derivatum passione suâ expiasset, & penitùs sublatum in se ipso delevisset, ut Psal. 51. & Rom. 5. de hoc peccato clarè scribitur.

V. Cùm igitur omnes homines peccatores sint, peccato, morti, ac diabolo obnoxii: impossibile est hominem suis viribus aut bonis operibus se inde liberare, & coram Deo justificari: Imò ne quidem se præparare aut applicare potest: sed quò plura suscipit, ut se inde liberet, eò pejus sibi consulit.

Unicum verò medium est consequendæ Justitiæ ac liberationis à peccato & morte, sine omni merito ac opere nostro, CREDERE *in Filium Dei pro nobis passum, &c. Hæc fides est nostra Justitia. Nam Deus justos, sanctos & innocentes reputat atque censet, & remissione peccatorum ac vitâ æternâ donat omnes illos, qui hanc* FIDEM *in Filium ipsius habent, quòd propter Filium in gratiam recipiantur, ac filii Dei fiant: sicut hæc omnia S. Paulus & Joannes in suis scriptis opulentè docent. Roman. 10.* Corde creditur ad justitiam. *Joan. 3.* Ut omnis, qui credit in Filium, non pereat, sed habeat vitam æternam.

VI. Quòd hæc fides non sit humanum opus, nec propriis viribus eam consequi quispiam possit. Sed Dei opus & donum est, quòd Spiritus sanctus per Christum donatus in nobis operatur. Et hæc Fides, cùm non inanis & falsa persuasio cordis sit, ut hypocritæ habent: sed efficax ac viva res: multos fructus & opera bona profert: erga Deum, laudando, gratias agendo, invocando, docendo, prædicando: proximum, diligendo, juvando consilio, operâ, eleemosynis, mutuationibus: & adversa patienter tolerando usque ad mortem, &c.

VII. Ut hanc fidem consequamur, institutum est à Deo ministerium docendi Evangelii. Nam per Evangelium Deus hanc fidem, ejusque efficaciam, fructus & commoda nobis annunciari sinit: Et per Evangelion, tanquam per medium seu instrumentum, efficit fidem suo Spiritu sancto, ubi & quando ipsi visum est. Alioquin nullum aliud est medium, modus ac via fidem consequendi. Nam cogitationes omnes extra vel ante verbum prædicatum, quantumvis sancte ac bonæ videantur: meræ, mendacia & errores sunt.

VIII. Huic prædicationi verbi adjunxit Deus externa signa, quæ Sacramenta nominantur, ut Baptismus & Eucharistia, per quæ etiam unà cum verbo Deus fidem & spiritum suum exhibet & impertit, & confirmat omnes ad se confugientes.

IX. Quòd Baptismus primum signum sive Sacramentum in duabus rebus consistat, nempe aqua & verbo Dei, seu ut aquâ baptizentur homines, & verbum Dei unà pronuncietur. Nec tùm est vulgaris aqua in Baptismo (sicut Baptismi blasphematores jam docent) sed cùm verbum Dei aquæ adjunctum sit, & baptismus in verbo Dei fundetur, sancta, vivifica & efficax ablutio est, ac ut Paulus ad Tit. 3. & Eph. 5. scribit, Lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus sancti. *Et quòd Baptismus etiam infantibus porrigi & communicari debeat.*

Verbum Dei autem, quo fundatur Baptismus, Matth. 28. exstat: Euntes baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. *Item, Marc. 16.* Quisquis crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.

X. Quòd

X. Quòd in Eucharistia seu Sacramento altaris verè præsens sit in pane ac vino verum corpus & sanguis Christi, secundum verba, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus: *nec tantùm sit panis & vinum, ut nunc adversarii quidam contendunt. Flagitant etiam hæc verba & conferunt fidem, & excusitant eam in omnibus qui hoc Sacramentum seriò petunt, nec contra illud agunt: sicut & Baptismus cùm petitur, fidem adfert & largitur.*

XI. Quod Confessio privata non sit legibus extorquenda, sicut nec Baptismus, Cœna & Evangelion vi extorqueri debent, sed sit libera, ita tamen ut sciamus, quàm sit salutaris & necessaria afflictis conscientiis propter Absolutionem, hoc est, verbum & judicium Dei, quod in ea pronunciatur, quo conscientia à peccatis liberatur, & pacata ac tranquilla efficitur. Quòd etiam non necessarium sit, omnia peccata enumerare: sed illa tantùm indicari possunt, quibus cor maximè angitur & mordetur.

XII. Quòd una sancta Catholica Ecclesia in terris sit & maneat, usque ad finem mundi: sicut Christus inquit Matth. 28. Ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem mundi. *Est autem hæc Ecclesia nihil aliud quàm credentes in Christum, qui prædictos articulos verâ fide servant & profitentur, & propterea in mundo persecutionem & martyrium patiuntur. Nam ubi Evangelion purè docetur, & Sacramenta legitimè administrantur, ibi certè est vera Ecclesia. Et nequaquam certis legibus & externâ pompâ, certo loco ac tempori, personis vel gestibus alligata est.*

XIII. Quòd Dominus Jesus Christus in novissimo die venturus sit, ad judicandum vivos atque mortuos; ut credentes ab omni malo liberatos vitâ æternâ donet: incredulos verò atque impios pœnis afficiat, & cum diabolis in inferno æternis cruciatibus puniat.

XIV. Quòd interea, donec Dominus ad judicium veniat, & omnem potestatem ac dominationem abroget: magistratus politicus honore affici, & obedientia ipsi præstari debeat, velut status à Deo ipso ordinatus ad defendendos bonos & coërcendos malos. Quòd in tali statu Christianus legitimè vocatus, absque periculo & jactura fidei ac salutis animæ, benè vivere & servire possit.

XV. Ex his omnibus sequitur, doctrinam, quâ sacerdotibus & Ecclesiasticis conjugium & usus carnium ac ciborum prohibetur, & totam vitam ac vota monastica (cùm per ea Dei gratia ac salus animæ quæratur, nec libera permittatur) impiam & diabolicam doctrinam esse, ut Paulus 1. Tim. 4. eam nominat, cùm solus Christus unica via sit ad gratiam & animarum salutem.

XVI. Quòd præ omnibus cæteris abominationibus, Missa, quæ hactenus sacrificium & bonum opus judicata fuit, quo alteri gratia Dei & salus impetretur, abroganda sit: Et loco illius, divina ordinatio distribuendi Sacramentum corporis & sanguinis Christi, sub utraque specie, cuilibet ad propriæ fidei suæ confirmationem & propriam consolationem cuique necessariam celebretur.

XVII. Quòd Ceremoniæ Ecclesiasticæ, pugnantes cum verbo Dei, abolendæ sint: cæteræ autem liberæ permittantur, ut iis vel utamur, vel non utamur, secundum normam dilectionis: ne leviter absque gravi causa scandalum aliis præbeatur, & communis pax sine necessitate turbetur.

Cùm autem non obscuris Pontificiorum vocibus jactaretur, Cæsarem Gallorum regis & Romani Pontificis victorem, in Germaniam postquam venisset, Evangelicos omnes obtriturum: quæsitum est in Principum Protestantium consilio, utrum consultius esset: ad conventum indictum accedere; an armis Cæsari, antequam Alpes egrederetur, occurrere?

Lutherus, qui perpetuò pacis author suis fuerat, & constanter hactenus arma religionis prætextu sumi dissuaserat, sumpta etiam ex manibus aliquoties authoritate sua excusserat, constantissimè principes à fœdere & bello adversus Imperatorem in hac causa movendo deterret, & à Deo, cujus causa agatur, auxilium & defensionem petere & expectare firmâ fide jubet. Quam ut in suo ipsius, & Collegarum suorum ac Principum, aliorumque veritatem confitentium pectoribus excitaret & confirmaret, efficaces & firmas consolationes, opponendas periculis, quæ confessionem Evangelii comitantur, brevibus & nervosis propositionibus comprehensas collegit ac edidit: & Psalmum, *Deus noster refugium & virtus, adjutor in tribulationibus,* &c. Germanico carmine, Ein feste Burg ist unser GOtt, ein gute Wehr und Waffen &c. divinum planè robur animi, omnia pericula & terrores intrepido & excelso pectore despicientis, spirante: & numeris Musicis, qui tristem etiam & abjectum animum erigere & exhilarare, & velut ἐνθουσιάζειν possent, illustratum, in Ecclesiis decantandum evulgat.

Joannes igitur Dux Saxonum & Septemvir, cum Joanne Friderico Filio, Francisco Duce Luneburgico, Wolfgango Anhaldino; & Theologis, Luthero, Jonâ, Philippo, Spalatino, & Islebio, Torgâ movens Kal. Aprilis iter Augustanum ingreditur, & festo paschatos die Coburgi in Franconia celebrato, relicto ibi in arce Luthero, postridie Kalendas Maji primus omnium venit Augustam: die Maji tertiâ in templo Prædicatorum & S. Catharinæ Theologos suos publicè docere jubet: undecimâ Maji Confessionem, à Melanchthone in methodum certam redactam, ad Lutherum mittit, ejus judicium & censuram expetens. Respondit is: Apologiam (sic enim tùm Confessionem nominabant) à se perlectam, sibique eximiè placere, nec se quicquam in ea corrigere aut mutare posse. *Neque etiam,* inquit, *aliquid à me emendari conveniret. Ego enim tantâ moderatione & lenitate Styli uti non possum.*

Duodecimâ Maji Augustam venit Philippus Hassiæ Landgravius: qui postridie Erhardum Snepfium concionatorem suum ad D. Mauritium, & postea ad D. Ulricum docere voluit.

Urebat hoc Pontificios: itaque ad Cæsarem Oeniponte tùm agentem ea de re conqueruntur. Qui per legatum Saxonem hortatur, concionatores suos ut jubeat desistere. Lutherus & Melanchthon Cæsari morem gerendum suadent, hoc argumento: quòd Cæsar in sua urbe hæc talia mandare possit: cui tanquam domino non sit resistendum.

Idibus Junii Augustam accessit Cæsar: triduum

disputatum fuit de concionibus intermittendis: cumque Protestantes tandem 18. Junii dixissent; se tolerare velle, quod Cæsar in hac causa ordinet, approbare bonâ conscientiâ non posse: edictum fuit, ut utriusque partis concionatores desistant, donec de religione decidatur: Cæsar tamen aliquos constitueret, qui sine cujusquam contumelia doceant. Fuit hoc voce præconis denuntiatum, constitutâ pœnâ.

Vicesimâ Junii, sacro per Archiepiscopum Moguntinum celebrato, cui Elector Saxo officii ratione adfuit, præmissâ priùs fidei suæ de Missa confessione, Cæsar duo præcipuè capita Ordinum consultationi subjicit; de bello Turcico unum, de componendo Religionis dissidio alterum.

Cùm autem de Religione primùm deliberandum esse Principes censuissent: Electori Saxoniæ ejusque sociis mandatum est: ut fidei suæ Confessionem & sententiam de abusibus emendandis scripto comprehensam Cæsareæ Majestati offerrent.

Quatriduo pòst, XXIV. Junii à meridie in Senatu Imperii, assidente Carolo Cæsare, Ferdinando Rege, cæterisque Electoribus & Principibus, Clementis VII. Pontificis legatus Campegius Principes ad concordiam in religione & bellum Turcicum, prolixâ oratione hortatur. Qui ubi dicendi finem fecit, consurgens Elector Saxoniæ & conjuncti Principes, se juxta Cæs. M. mandatum, Confessionem fidei suæ, Latinè & Germanicè scriptam complexos esse, exponunt: quam publicè in confessu Imperii prælegere, & Cæs. M. exhibere cupiant. Cæsar sibi tradi scriptum, atque deponi jubet. Illi contrà, cùm non dubitent, multa de ipsorum doctrina, secus ac res habeat, ad Imperatorem & Principes delata esse, cumque in ea causa, ipsorum non modò existimatio & fortunæ omnes, verùm etiam animæ salus vertatur, se publicè audiri subjectissimè petunt. Cæsar se postridie eos domi suæ auditurum esse pollicetur, sed confessionem scriptam sibi statim exhiberi flagitat. Illi denuò, scriptum sibi, donec recitatum sit, relinqui, & in publico omnium Imperii ordinum confessu, confessionem suam audiri vehementissimè instant. Tandem Cæsar, ut scriptum, donec recitatum fuerit, retineant, assentitur: verùm non in publica audientia, sed in Cæs. M. S. palatio postridie illud recitari jubet.

XXV. Junii, quæ dies Sabbathi fuit, post meridiem, Joannes Dux Saxoniæ Elector cum filio Joanne Friderico, Georgius Marchio Brandeburgensis, Ernestus & Franciscus fratres, Duces Brunsuicenses & Luneburgenses, Philippus Landgravius Hassiæ, Wolfgangus Princeps Anhaldinus, & duarum civitatum, Noribergæ & Reutlingæ legati, confessionem fidei & doctrinæ Christianæ, quæ in ipsorum ditionibus & urbibus populo proponi soleret, summam in palatio Cæsaris, assidentibus Carolo, Ferdinando, & omnibus Electoribus ac Principibus, læto & alacri animo ac vultu publicè prælegi ac recitari per Electoris Saxoniæ Cancellarium jusserunt: qui clarè, distinctè, tardè, & voce adeò grandi & sonorâ eam pronunciavit, ut non tantùm in amplissima illa aula, verùm etiam in area inferiori & vicinis locis exaudiri potuerit.

Recitatione finitâ Cæsar per Fridericum Palatinum Protestantibus significat: se re in omnem partem diligenter excussâ ita responsurum, ut de clementissima sua in se voluntate nulli sint dubitaturi. Isti, gratiis demissè actis, petunt, ut causa pro rei magnitudine expendatur, tractetur. Deinde exemplum lectæ Confessionis scriptum Latinè & Germanicè per Electoris Saxoniæ Cancellarium Alexandro Sueisio Cæsaris Secretario exhibent, à quo Cæsar ipse illud accepit, & de sede sua descendens petivit à Principibus, ne se inscio aut non probante scriptum illud spargatur, vel etiam typis describatur. Ipse autem Confessionem exhibitam ad præcipuos statim Europæ Reges Christianos misit, & sententias illorum & consilia super ea scisitatus est. Legati etiam Regum singuli in suæ gentis idioma conversam in præcipuis Europæ aulis & urbibus eam distribuerunt: quâ ratione Evangelium latissimè in multas gentes est propagatum. Lutherus hoc nomine Saxoniæ Electori epistolâ quadam gratulatur: ubi ridet Pontificiorum stultam sapientiam, qui ministris Evangelicis interdixerint concionibus, nec viderint, Electorem Saxoniæ cæterosque Principes, recitatâ Confessione in Cæsaris & totius Imperii oculis longè efficaciùs concionatos esse, quàm vel decem concionatores, factâ illis in templis docendi potestate, concionaturi fuissent.

Cæterùm ad deliberationem de exhibita Confessione ubi ventum, discrepantes in Senatu Principum sententiæ sunt auditæ. Erant, qui decreto Wormatiensi standum, immorigeros armis coërcendos statuerent. Erant, qui Confessionem à viris doctis & piis examinari, & ex horum judiciis Cæsarem pronunciare vellent. Pars major huc inclinabat: Confessionis refutationem adornandam, quæ à Cæsare comprobata, Saxoni & sociis recitaretur. Totam deinde causam Cæsaris arbitratui permittendam, qui omnia in integrum restitui mandaret, usque dum legitimæ Synodi authoritate controversiæ essent dijudicatæ. Vicit hæc sententia: delecti, Joannes Faber, Joannes Eccius, Conradus Wimpina, Conradus Collinus, Joannes Cochlæus, Medardus Franciscanus, Augustinus Marius, architecti Refutationis illius, cujus publicatio in sextam ab exhibita Confessione hebdomadam dilata est.

Interea temporis Saxoniæ Elector feudum Electoratus & reliquarum ditionum suarum, pacta item dotalia cum Duce Juliacensi, sibi à Cæsare petens confirmari, hoc responsi fert: ni abjiciat novam doctrinam, neutrum obtenturum. Nihil territus Saxo, demissâ epistolâ causam suam Cæsari commendat, in qua non obscurè innuit, malle se fortunarum & dignitatum, quàm salutis æternæ, subire discrimen.

Lutherus Coburgi occupatissimus erat. Rogatus consulebat Electori Saxoniæ: ut ne judicio Cæsaris causam religionis committeret. Hunc enim honorem soli Dei verbo deferendum, ut sit judex controversiarum sacrarum. Certior deinde factus de Philippi Melanchthonis perpetuis suspiriis & lachrymis (quî curâ laudatissimâ afficiebatur, ne quid committeretur, quo & sua ad Deum conscientia vulnerari, & bona ad homines violari existimatio, & Reipublicæ pernicies incitari videretur) & ad illum, & ad socios epistolas scripsit, vividi spiritus & solatiorum cœlestium pleniissimas. Pontano Saxonis Cancellario proponit contemplandam pulcerrimam cœli concamerationem, nullis pilis & columnis impositam, & tamen non corruentem: densas item capitibus nostris sæpè magnâ mole impenden-

pendentes nubes, non decidentes tamen, sed velut torvo vultu nobis salutatis subitò diffugientes.

Philippum Melanchthonem tantùm non objurgat solando. Neque verò temperare mihi possum, quin duas præ reliquis ad ipsum scriptas epistolas integras hoc loco apponam.

Lutherus Philippo.

Gratiam & pacem in Christo, in Christo inquam, non in mundo. Ego tuas miserrimas curas, quibus te scribis consumi, vehementer odi, quòd sic regnant in corde tuo. Non est magnitudo causæ, sed magnitudo incredulitatis nostræ. Nam eadem causa major fuit sub Joanne Huss & multis aliis, quàm nobis. Deinde ut ut sit magna, magnus est etiam actor & author ejus: neque enim nostra est. Cur igitur sic perpetuò & sine respiratione te maceras? Si est causa falsa, revocemus: si vera est, cur facimus illum in tantis promissionibus mendacem, quibus jubet nos esse animo ocioso & dormienti? jacta, inquit, curam tuam super Dominum: prope est Dominus omnibus invocantibus eum, & qui tribulato sunt corde. *An iste temerè loquitur, aut ad bestias projicit? Ego etiam sæpiùs crucior, sed non perpetuò. Philosophia tua ita te vexat, (non Theologia) ea quæ & Joachimum tuum, qui simili curâ rodi videtur: quasi vestrâ illâ inutili curâ quicquam possitis efficere.* Was kan der Teuffel mehr, denn dafs er uns erwürge? *Quid inde? obsecro te, qui in aliis omnibus pugnax es, luctare etiam contra te ipsum, maximum hostem tuum, qui Satanæ tantum armorum contra te ipsum ministras. Christus pro peccatis nostris mortuus est semel: at pro justitia non moritur, sed vivit & regnat. Si hoc verum est, quis metus est pro veritate. At prosterneiur per iram Dei: prosternamur & nos simul, sed non per nos. Qui noster pater est factus, etiam erit liberorum nostrorum. Ego certè oro pro te diligenter: & doleo, te pertinacissimam curarum hirundinem, meas preces sic irritas facere. Ego quidem, quod ad causam attinet (stuperne sit an spes, viderit Christus) non valdè turbatus sum, imò spe meliore, quàm speraveram fore. Potens est Deus mortuos suscitare: potens est & causam suam laborantem servare, lapsam erigere, stantem promovere. Si nos digni non sumus, fiat id per alios. Si enim nos illius promissis non erigimur, obsecro quà alii jam sunt in orbe, ad quos pertineant? Sed aliàs plura, nisi quòd in mare aquas porto. Christus Spiritu suo nos omnes soletur, corroboret & doceat. Amen. Si audivero rem malè affectam apud vos fore & periclitari, vix continebo me quin advolem, visurus gyrum illum dentium Satanæ formidabilem, ut Scriptura dicit. Vale. 29. Julii.*

Altera.

Gratiam & pacem in Christo. Quid ad te potissimùm scribam, mi Philippe, planè ignoro: ita reverberant me cogitationes de tuis pessimis vanissimisque curis, ut qui sciam surdo fabulam narrari. Hoc facit quòd tibi soli credis, mihi & aliis non credis, magno tuo malo. Ego verum fatebor: fui in majoribus angustiis, quàm tu unquam futurus sis. Spero optoque nulli hominum, etiam ne istis quidem, qui jam ita sæviunt in nos, quantumvis scelerati & nefarii, ut mihi similes fiant: & tamen in his malis semper levatus sum, verbo freius, aliquando Pomerani, aliquando tuo, aliquando Jonæ & aliorum. Quare rogo, ut tu vicissim nos audias, qui certè nihil secundum carnem aut mundum, sed secundum Deum absque dubio per Spiritum sanctum loquimur. Simus nos viles: ne vilis quæso sit, qui per nos loquitur.

Soll es denn erlogen seyn, dafs Gott seinen Sohn für uns gegeben hatt, so sey der Teuffel an meiner stadt. Ist es aber wahr, was machen wir denn mit unserm leidigen verzagen, sorgen und trauren? *Quasi verò ille nolit in levioribus rebus adesse, qui Filium suum dederit; aut quasi Satan potentior sit. In privatis luctis inferior ego, tu autem fortior: contrà in publicis tu talis, qualis ego in privatis: si privatum dici debet, quod geritur inter me & Satanam.*

Nam tu vitam tuam contemnis, publicæ causæ metuis: Ego verò de publica causa satis magno & otioso sum animo, qui sciam certò, ipsam justam esse & veram, denique ipsius Christi & Dei. Non sic pallet rea peccato, sicut ego unicus sanctulus pallere & tremere cogor. Proinde penè securus spectator sum, & istos minaces tapistas non hujus facio.

Si nos ruemus, ruet Christus unà, ille regnator mundi: & esto ruat: malo ego cum Christo ruere, quàm cum Cæsare stare. Neque vos soli causam hanc sustinetis: certè fideliter vobis adsum gemitibus & precibus: utinam & carne liceret. Nam & mea est causa, & plus mea, quàm omnium vestrum: neque ullâ temeritate aut cupiditate vel gloriæ vel lucri tentata: quod testatur mihi Spiritus ipse, & hactenus res satis declaravit, declarabitque latiùs usque in finem.

Quare te per Christum oro, ne ita negligas promissa illa divina, ubi dicitur: Jacta super Dominum curam tuam, Expecta Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, &c. *quorum plenus est liber Psalmorum & Evangelium. Confidite, ego vici mundum.* Es wird ja nicht falsch seyn, das weifs ich fürwar, *quòd Christus sit victor mundi. Quid ergo victum mundum sic formidamus, qui victorem habemus?* Solt doch einer einen solchen spruch auf den knien von Rom oder Jerusalem holen. *Sed copiâ, assiduitate familiaritateque vilescit nobis*, das ist aber nicht gut. *Scio, imbecillitas est fidei: at oremus cum Apostolis, Auge nobis fidem Domine. Saltzburgensi Tyranno reddet etiam secundum opera sua Deus, qui te sic crucivit. At meretur aliud à te responsum, quale ego fortè dedissem.* Ey wolan, last sie machen, sie habens noch nicht aufsgemacht.

Sed scribo hæc frustrà: quia tu, secundum Philosophiam vestram, has res ratione regere, hoc est, ut ille ait, cum ratione insanire pergis, & occidis teipsum, nec vides prorsus extra manum tuam & consilium positam esse causam, etiam extra curam tuam velle agi. Et Christus prohibeat, ne in tuum consilium & manum, quod tamen pertinaciter velles, veniat. Tùm verò pulchrè & subitò periremus. Sed es heist: *altiora*

tiora te ne quæsieris, & scrutator majestatis gloriâ opprimetur, seu, ut Hebræus habet, Scrutans gravia gravabitur. Hæc ad te pertinent. Dominus Jesus servet te, ne deficiat fides tua, sed crescat & vincat. Ego pro te oro, oravi & orabo: nec dubito quin lim exauditus. Sentio enim illud Amen in corde meo. Si non fiet quod volumus, fiet tamen quod melius. Nam nos regnum futurum expectamus, ubi omnia fefellerint in mundo. Vale 30. Junii.

Idem Lutherus ad Archiepiscopum Moguntinum hoc tempore epistolam typis excusam misit Augustam, in qua Psalmum secundum interpretatur, & tandem hoc ab ipso petit agi: ut pax duntaxat Politica sanciatur, quandoquidem de concordia in Religionis negotio desperet. Frustrà etiam de restitutione omnium in integrum tractari. *Reddant priùs*, inquit, *Leonhardum Cæsarem, & omnes alios innocentes à se trucidatos: omnes animas, quas mendaciis suis turpiter seduxerunt: omnem pecuniam, bonaque omnia, quæ dolo malo rapuerunt: omnem honorem, quo Deum blasphemiis suis spoliarunt: tùm demum de restitutione agemus.*

Circa hoc tempus Erasmus quoque Roterodamus ad Cardinalem Campegium misit epistolam: quâ summo studio hoc agit, ne bello de dogmatibus transigatur. Existimabat Erasmus, ipsum tempus allaturum remedium malis immedicabilibus: itaque ex re futurum, si certis conditionibus sectæ ferrentur.

Tertiâ Augusti recitatur Confutatio Confessionis Augustanæ: cujus exemplum petentibus Saxoni & sociis, Cæsar, re deliberatâ, V. Augusti daturum se quidem ait, verùm eâ lege, ne quid ejus evulgent aut typis procudant.

Nolle etiam ampliorem ullam admittere disceptationem: & petere, ut ad suas partes aggregentur. Illi autem hac lege non se posse recipere demonstrant.

Inter hæc Landgravius Hassiæ Philippus, motus (ut Melanchthoni videtur) indignitate actionum, spe pacis abjectâ, paucis aliquot comitatus, noctu discedit, relictis legatis. Molestè hoc Cæsar tulit: & Senatui mandat, ne quem omnium per locum secretiorem urbis, qui noctu solùm patefieri solet, emittant. Et alterâ die cùm Saxonem atque socios evocasset, offensionem minimè dissimulat, & petit ut ad exitum ipsi permaneant: se nimirum, quod ad concordiam faciat, nihil esse prætermissurum. Illi purgant Landgravium per uxoris valetudinem: neque se discessuros, ajunt.

Ut igitur res eò facilius componeretur, Albertus Archiepiscopus Moguntinus, Joachimus Elector Brandeburgensis, Henricus Dux Brunsvicensis, & alii, Cæsarem orârunt: ut facultatem sibi intercedendi, & amicè inter Cæs. ipsius Maj. & Principes Protestantes transigendi præberet. Id cùm Cæsar permisisset, & nostri assensi essent, die VI. Aug. tractatio cœpta est.

Sed cùm neque tùm conveniret, post multam actionem, Idibus Augusti delecti fuerunt utrinque septeni, qui concordiæ rationes inirent. Ex Pontificiis erant, Episcopus Augustanus Christophorus Stadion, Henricus Brunsvicensis: Jure consulti duo, Cancellarius Colonienſis & Badensis: Theologi tres, Wimpinus, Eccius, Cochlæus. E Protestantibus erant, Georgius Brandeburgicus, Joannes Fridericus Saxo: Jureconsulti duo, Pontanus & Hellerus: Theologi tres, Melanchthon, Joannes Brentius, Erhardus Schnepfius. Inter hos de nonnullis convenit: sed de Missa, de conjugio sacerdotum, de Cœna Domini tota, de votis monasticis, de jurisdictione Episcoporum, præcipua erat controversia; maximè verò de Missa, deque votis: licet, quantum ad illud de potestate & jurisdictione Episcoporum, Saxones plus essent largiti, quàm Landgr. Luneburgicis & Norimbergensibus probaretur.

Quòd autem duriores quidam in utraque parte optatæ concordiæ, à qua utrinque non longè abessent, obstare existimarentur: visum est, remotis illis, per pauciores personas publicæ pacis & tranquillitatis amantes, denuò compositionem tentandam esse. Terni igitur soli utrinque delecti sunt: à Pontificiis Eccius, cum Cancellario Colonienſi & Badensi: à nostris Philippus, cum D. Pontano & D. Hellero.

Verùm & hac tractatione absque fructu finitâ, tota res ad Cæsaris cognitionem rursum devoluta est. Qui intereà, dum hæc ita geruntur, Georgium Brandeburgicum solicitat per Episcopum Moguntinum & alios ejusdem familiæ; Saxonem verò per Fridericum Palatinum, per Nassovium, per Georgium Truccesium, ut ab incœpto desistant. Saxonem quidem conatus est etiam ab aliis divellere, tanquam præcipuum: & petenti suæ ditionis inaugurationem, pro more Imperii, denegabat, nisi priùs cum Ecclesia Romana in gratiam rediret. Alteri verò denunciabat, nisi pareret, fore, ut Alberti sui nepotis ex fratre Casimiro tutela ipsi adimatur. Landgravio conati sunt persuadere, si Cæsari morem gerat, Ulricum Principem Wirtembergicum iri restitutum, & quam haberet cum Nassovio de Chattis controversiam, Cæsaris interventu posse componi.

Porrò Septembris die VII. Cæsar Protestantibus Concilium pollicetur; eâ lege tamen, ut interim eandem, quam ipse, quam alii quoque Principes, religionem sequantur. Illi, quòd Concilium non recuset, Cæsari agunt permagnas gratias: abolitos autem Ecclesiæ Romanæ ritus atque dogmata recipere, negant se posse bonâ cum conscientiâ. Cùm instaret vehementiùs Cæsar, nocte etiam Protestantibus ad deliberandum concessâ; nec quidquam illi de sententia mutarent; ad pacem autem politicam, usque ad Concilii tempus per Imperium colendam, promtissimos se ostenderent: Cæsar sumto denuo cogitandi spacio, delectisque qui de faciendo decreto deliberarent; Saxonem ad XVIII. Septembris diem abitum parantem, ut quatriduum solum exspectet, rogat. Quo elapso, in pleno Senatu Principum Cæsar Decretum jubet recitari: in quo præter cætera molestum Protestantibus fuit, quòd doctrina ipsorum, authoritate sacrarum literarum satis confutata diceretur. Itaque Pontanus Apologiam Confessionis offert, à Melanchthone Confutationi Pontificiæ, quantum quidem ex ea inter legendum memoriâ complecti potuerant Protestantes, oppositam: ex qua postea ab authore recognita, illa Apologia nata est, quæ hodie passim legitur. Eam ubi Fridericus Palatinus accepit, subnuente Cæsare, cui Ferdinandus aliquid ad aurem insusurraverat, reddit. Decreti item exemplum,

nisi simpliciter subscripturis, Protestantibus negat Cæsar permissum iri.

Post aliquot sermones ultrò citroque habitos, Elector Brandeburgicus, Cæsaris atque Ordinum nomine, atroci dictâ oratione, denunciat Protestantibus: datâ fide ordines promisisse, fortunas omnes Cæsari se communicaturos, & sanguinem ipsum atque vitam, ut negotio finem imponat: illum invicem omne robur atque potentiam huc esse collaturum: ac promisisse, non priùs iturum extra fines Imperii, quàm ad exitum res deducta sit. Id illi valdè sibi mirum videri, nec se causam eius rei dedisse testati: Deo re commissâ, Cæsaris se clementiæ commendant: atque ita petitâ dimissione, discedunt, relictis ibi consiliariis legatis. Antequam tamen abirent, purgarunt se per internuncios Saxoni & Landgravianis Moguntinus & Treverensis cum Palatino, de eo, quod Brandeburgicus de subministrandis auxiliis & communicandis fortunis ad propugnationem religionis esset locutus; iniussu suo factum id testati. Quam purgationem accepit Saxo, & ab se vicissim benevolentiam omnem expectari iussit.

Die Octobris XIII. civitatum legatis decretum recitatur semel atque iterum, negato eius exemplo petentibus. Approbantibus autem plerisque; Augustani, Ulmenses, Francofurdii, Hallenses, petito deliberationis tempore, decretum declinant, Concilium urgentes.

Faber autem & Eccius honorarium munus à Principibus petunt & impetrant, ob scriptam confutationem: operam quoque suam deinceps Pontificiæ religionis defensioni pollicentur. Nam hi, sicut alii plerique, cogitabant crescere de Luthero. Et Faber quidem postea Viennensem Episcopatum est adeptus à rege Ferdinando. Hinc illud Erasmi Roterodami facetum, quo dicere solebat, pauperem ac tenuem Lutherum locupletare multos.

Octobris die XXI. Saxonis atque sociorum legati demonstrant Moguntino: si religioni pax detur ad usque Concilium, se quoque pecuniam & opem in bellum Turcicum esse collaturos. Cùm ergo postridie in curiam essent vocati, recitata fuit formula pacis, in qua hi solùm erant comprehensi, qui decretum factum approbassent. De quo cùm orta esset disceptatio, res ad Cæsarem relata est, ipsis etiam legatis eum per libellum supplicem interpellantibus. Quo satis frigidè XI. Novembris respondente; legati scribunt epistolam ad omnes ordines, & quid actum sit paucis commemorant, ac petunt, ne sub exitum decreti, suorum Principum nomina reliquis inserantur: & quoniam de pace frustrà solicitarint, ad auxilia belli Turcici nihil à se posse contribui docent. Deinde, quia decreto cautum sit, ut ii solùm habeant locum in Imperii judicio atque Camera, qui decretum factum admiserint, mutari hoc petunt atque corrigi: nam alioqui nihil se posse conferre sumtuum, quos Camera requirit.

Tandem XIX. die Novembris Edictum promulgatur: quo jubentur omnes usque ad Concilii tempus vivere ex præscripto Ecclesiæ Romanæ: qui secùs faxint, in eos Cæsarem pro officio animadversurum.

Perculsi hoc edicto quàm plurimi, anxiè rei eventum expectabant. a) Philippus igitur Hassiæ Landgravius claris ad Pontanum Electoris Saxoniæ Cancellarium literis, suadebat, ut vel Principum vel Lutheri nomine libellus ederetur, qui orbi Christiano patefaceret: quàm fraudulenter in Comitiis Augustanis cum Protestantibus actum sit. Deinde scribit ad Lutherum, eumque hortatur, ut scripto aliquo gravi Germanos confirmet, ne difficultatibus temporum & hostilis potentiæ metu fracti animis cadant, & quam veram esse agnoverint doctrinam turpiter abiiciant.

a) Ex Archivis Cassellanis.

Atque hæc est historia celebris illius *Confessionis*, quæ ab urbe Augusta, AUGUSTANA meruit nominari, tantoque in pretio habita fuit à multis: ut dixerint: malle se de Pauli ipsius Apostoli, quàm de Confessionis Augustanæ doctrina dubitare. Mirari autem subit, quid judicii vel illis fuerit, vel hodie sit iis, qui literis & syllabis hujus Confessionis Carolo Cæsari Augustæ exhibitis ità anxiè inhærendum putant: ut ne apicem quidem citra crimen læsæ veritatis Evangelicæ immutari in ea debuisse statuant: cùm constet, Confessionem in summo metu, inter gemitus & lacrymas, à Theologis numero paucis, & iis ipsis nondum plenè per omnia fidei capita illuminatis, compositam esse. Testantur Acta; hoc egisse Evangelicos, ut quàm proximè ad Cæsaris, cuius gratiam captabant, sententiam se aggregarent. Testantur Acta: Lutherum & Melanchthonem multa Pontificiis indulsisse, quæ etiam sociis displiceront. b) Qua de causa laudatissimus Hassiæ Landgravius Philippus à Comitiis Lutherum per epistolam monuit: ut ne quid amplius adversariis largiretur, patrocinium ipsi pollicitus, si fortè apud suos periclitaretur. Itaque multa sunt prætermissa studio, quæ necessariò fuerant inserenda. Nec semel conquestus est Melanchthon: non habuisse se Augustæ, quibus cum sententias erudite conferre posset. Et memini virum minimè vanum, Hermannum Witekindum Professorem Mathematum in Academia Heidelbergensi, narrare nobis, audisse se ex ore Melanchthonis, cujus domesticus fuerat, cùm Augustæ quæsitum inter Evangelicos esset, utrum propositionem illam, *Solâ fide justificamur gratis*, tueri vellent nec ne, respondisse quendam Theologum: Omninò, omninò: addendum etiam, *frustrà*. c) Fuit & alius, qui, ut memorant Theologi Wittembergenses, non dubitavit affirmare, *ἀξίωμα, Solâ fide justificamur*, ex Platone & Catone quàm optimè posse declarari: siquidem Plato scripserit: Deum non tam externis gestibus, quàm virtute coli: & Cato idem sanxerit pervulgatis illis versibus:

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt:
Hic tibi præcipuè purâ sit mente colendus.

b) Ex archivis Cassellanis.

c) Im endlichen Bericht anno 1571. pag. 12.

Ipsum aureum Melanchthonis ingenium à scoriis Papisticæ doctrinæ nondum planè erat expurgatum. Itaque retinuit in Confessione sententiam Romanæ Ecclesiæ de substantiali & corporali Christi præsentia in Eucharistia: confitetur, se retinere Missas, easque magnâ reverentiâ celebrare: nec non ceremonias ferè omnes adhuc servare: addit, Confessionem non esse abolitam: corpus enim Domini non nisi exploratis & absolutis porrigi. Ad summam: in transsubstantiationis luto hæsisse adhuc Confessionis authores, & Confessio ipsa, & Apologia, & Lutheri scripta quædam docent.

In ipsa actione Augustana eluxit Caroli Cæsaris

insigniis moderatio: Joachimi I. Electoris Brandeburgici, & Georgii Saxoniæ Ducis virulentum in Evangelicos odium: Joannis Saxoniæ Electoris & Georgii Brandeburgici constantia: Philippi Landgravii solertia & pacis inter Evangelicos conciliandæ studium: Georgii Pontani Cancellarii Saxonici χρηστολογία, & Philippi Melanchthonis ἐπιείκεια.

d) *Cæsar*, scribit Melanchthon, *in tantis successibus, & rebus omnibus ad voluntatem fluentibus, moderationem animi tantam retinet, ut nullum ejus dictum aut factum paulò insolentius notari possit. Quem mihi Regum aut Imperatorum ex Annalibus proferes, quem secundæ res non mutaverint? In hoc uno non potuit indulgentia fortunæ animum à suo statu dejicere. Nulla in eo cupiditas, nulla significatio superbiæ aut sævitiæ animadverti potest. Nam, ut alia omittam, in hac ipsa causa religionis, in qua contra nos ab adversariis miris artibus incenditur, tamen hactenus nostros civiliter audivit. Interior verò ejus vita plena est honestissimorum exemplorum continentiæ, temperantiæ & frugalitatis.*

d) Epist. ad Silberbornerum.

Joachimus Elector Brandeburgicus & Georgius Dux Saxoniæ nil nisi minas spirabant & gladios, per Evangelicorum jugulum ituros. Contrà Joannes Saxoniæ Elector in ipsa constantia perpetuò sibi constabat. Et Georgius Brandeburgicus Marchio pio zelo exardescens inter cætera non dubitavit etiam hæc proferre: *malle se flexis ibi coram Cæs. M. genibus spiculatori cervicem feriendam statim præbere, quàm Deum & Evangelium ipsius abnegare.* Quâ voce auditâ Imperator placidissimè respondit: non de cervice cujusquam feriendâ agi, sed de intermittendis concionibus. Landgravius mirâ solertiâ se subduxit, idque unicè & in Comitiis & finitis illis egit, ut dissentientium Evangelicorum animi coalescerent. Ad Melanchthonem in colloquio quodam Augustæ hæc Eccii vox audita est: e) *Tua, Philippe, ἐπιείκεια, & Pontani χρηστολογία plurimùm adjuverunt causam vestram.*

e) Libr. epistol. Philipp. ad Camerar. p. 130.

Cæterùm cùm Argentinenses frustrà à Principibus Protestantium petiissent, ut excepto articulo decimo, Confessioni ipsorum subscribere ipsis liceret: peculiarem fidei suæ Confessionem, cum sociis Constantiensibus, Memmingensibus, Lindaviensibus, Imperatori per D. Casparem Hedionem obtulerunt.

Hæc Confessio publicè audita non fuit. Recitata autem fuit ejus Confutatio ab Eccio & Fabro conscripta: ad quam retundendam quatuor civitates Apologiam Confessionis edidere.

f) Utramque Zwinglius probavit, etsi patere eas nonnihil aliorum calumniis vereretur, ideoque parum tutum judicaret, ut ipse eas simpliciter admitteret. Et sanè negari non potest: Capitonem & Bucerum, qui jam tùm nil nisi concordiam cum Luthero meditabantur, usque adeo ambiguis de Cœna Domini phrasibus in Confessione illa usos fuisse: ut & in Helveticam & in Saxonicam trahi illæ sententiam possent: magno Ecclesiarum illarum, Argentinensis inprimis, malo. In qua, Doctore Pappo fatente, hodieque disputatur: utrum Confessio illa Zwingliana fuerit, an Lutherana? Nec convenit hic D. Pappo cum suo Marbachio. g) Hic enim pronuntiat Confessionem quatuor civitatum Augustæ quidem rejectam fuisse, ut Zwinglianam: sed re verâ Zwinglianam non esse, sed puram per omnia. Nec dissentit ab eo Capitulum Thomanum, quod Argentinæ anno millesimo quingentesimo septuagesimo quinto statuit: h) *Confessioni quatuor civitatum nihil derogandum esse, neque eam pro Zwingliana esse habendam, propter explicationem Principibus Swinfurti factam: eaque in re & magistratus Argentinensis, & Theologorum Præceptorum, Martini Buceri maximè, honori & existimationi consulendum.* i) Contrà Pappus multis argumentis comprobat: Confessionem quatuor civitatum Zwinglianam fuisse. Quam sententiam ipsa historiæ Ecclesiæ Argentinensis series confirmat.

f) Bucerus præfat. in Matthæum.

g) Libr. contra Danielem Tossanum.

h) Apologia Ordinationis Argentinensis pag. 75.

i) Ibidem pag. 408. & seqq.

k) Misit & Zwinglius ad Cæsarem suam ἐξομολόγησιν: in qua cùm Eccius duo illa præcipue reprehenderet, quòd Sacramenta gratiam nec conferant nec dispensent, quodque in sacra Cœna naturale corpus Christi ore non edatur: epistolam submisit ad principes in comitiis Augustanis congregatos, in qua suam sententiam pleniùs explicat, seque contra Eccii calumnias defendit.

k) Lavaterus.

CONTENTIO super Eucharistia hoc anno à Melanchthone renovata, sed per aliorum de incundâ concordiâ consilia, statim fuit suppressa.

Melanchthon sub tempus conventus Augustani scriptum edidit, quo sententias Patrum collegit, quibus corporis Christi corporalem in sacra Cœna præsentiam, adversus Zwinglium & Oecolampadium probari posse confidebat. Huic scripto vehementem præfixit epistolam Friderico Myconio nuncupatam, ex qua videre est, quemadmodum carnis affectus optimis quibusque etiam nonnunquam insidietur. Pacis autem conditiones initæ sunt Augustæ & Coburgi.

ORDO, quem mihi ipse præscripsi, nunc postulat: ut, quarum Ecclesiarum hoc anno facta sit renovatio, narrem.

Eâ de re cogitanti occurrunt, Waldenses in Gallia: Lubeca, Gottinga, Lunæburga, Lemgovia, Smalcaldia, Suerinum, Rostochium, in Germania: Wila, Glarona, Soloturum, Cæsaris sella in Helvetiâ: ubi non dissimulandus Ulmensium in Sueuia metus compressus, & Frisiorum motus sedatus.

l) WALDENSES in Provincia Gallica supra ducentos annos vixerant, è Pedemontio in Provinciam profecti, ubi magno labore terram sterilem fœcundam reddiderunt. In exiguâ cognitionis luce, insigni pietate Deum coluerunt, nullis parcentes sumptibus, sive libri Scripturæ parandi, sive optimo ingenio homines instituendi, sive ad longè dissita loca aliqui mittendi essent. Hi cùm intellexissent, Ecclesias in Germaniâ & Helvetiâ non paucas esse reformatas, hoc anno Georgium Maurelium Delphinatem Concionatorem suum, & Petrum Latomum Burgundum miserunt Bernam, Basilsam, Argentinam ubi cum Theologis communicarunt, Bertholdo nimirum Hallero Bernæ, Oecolampadio Basileæ, Bucero & Capitone, Argentinæ.

l) Acta Martyrum.

BASI-

BASILEAM cùm veniſſent, ſalutato Oecolampadio, ſtatum Eccleſiæ ſuæ expoſuerunt, & quibus de rebus ab eo vellent erudiri, indicarunt. Rem autem bonis gratiſſimam me facturum credo, ſi ipſiſſima ipſorum verba, quamvis à Romanâ elegantiâ non raro abhorrentia, quibus cauſam ſuam egerunt, retinuero: ut vel ex iis de piâ illorum hominum ſimplicitate, & ſimplice pietate judicium fieri poſſit.

Sic igitur illi ad Oecolampadium:

m) *Salve, mi Domine benedicte Oecolampadi. Quia multis referentibus ad noſtras aures percrebuit, qui omnia potest, affeciſſe te benedictione ſpiritus ſui; ut facilè ex fructibus cognoſcitur: ideo à longinqua regione animo vehementer exultanti ad te venimus, ſperantes atque multum confidentes prædictum ſpiritum per te nos illuminare, enucleareque multa, quæ noſtræ ignorantiæ ac pigritiæ culpâ ſunt nobis ambigua, etiamque admodum tecta: & hoc, ut valdè timeo, in gravem noſtri, &, quam tam inſufficientes docemus, plebis perniciem. Quandoquidem, ut rem ſemel capias, ſumus quælescunque doctores cujusdam plebis indigæ & puſillæ: quæ jam plusquam quadringentis annis, imo ut frequenter noſtrates narrant, à tempore Apoſtolorum, non tamen, ut facilè judicarunt quique pii, citra Chriſti ingentem favorem, inter ſpinas ſævisſimas commorata eſt, crebroque iisdem ſpinis puncta atque cruciata, prædicto favore liberata eſt. Quare ut nobis conſulas, debilesque nos conſolides (frater enim à fratre adjutus eſt ſicut turris fortis) audi, ſi cordi eſt, ritum, & qualemcunque ordinem, quem inter nos miniſtros habemus.*

In primis quotquot ſunt recipiendi inter nos, cùm adhuc ſunt apud ſuos, rogant genibus curvis non ob alium finem, quàm ut præ ſe ferant humilitatem, quosque inveniunt ex noſtratibus receptis, ut ſe ſi libeat, in miniſterium admittant; pro ſeque, ut digni tanto officio fiant, intercedant apud Deum. Et cùm in unum convenimus, annunciantur prædictorum rogationes omnibus fratribus audientibus. Et ſic prædictis, ſi habuerint bonum teſtimonium, omnium fratrum conſilio datur docendi locus. Verùm omnes noſtri recipiendi emanant ferè à beſtiarum cuſtodiâ aut ab agriculturâ: ætatisque viginti quinque, & plerunque triginta annorum, & prorſus literarum expertes. Et inter nos trium, aut ad ſummum quatuor annorum, tantùm duobus aut tribus menſibus hybernis probantur, ſi congruis præſtent moribus. Et etiam his menſibus docentur literas conjungere & legere: & memoriæ mandare omnia Matthæi & Joannis, omniumque epiſtolarum, quæ dicuntur Canonicæ, capitula, & bonam partem Pauli. Et poſthæc ducuntur prædicti recipiendi ad quendam locum, ubi nonnullæ noſtræ mulierculæ, quas dicimus ſorores, agunt vitam in virginitate. Et in hoc loco prædicti demorantur annum, & nonnunquam duos, incumbentes præſertim, ut verum fatear, operibus terrenis. Conſumpto autem hoc tempore, Euchariſtiæ ſacramento, impoſitioneque manuum, diſcipuli prædicti ſuſcipiuntur in Presbyterii & prædicationis officium: & hoc modo inſtructi ac edocti ad evangelizandum bini emittuntur. Verùm tamen talis mos obſervatur, ut omninò, qui prius ſuſceptus fuerit, ſequentem ſemper honore, dignitate & adminiſtratione præcedat, eique magiſter conſtituatur. Non audet enim ſequens ſine præcedentis licentiâ aliquid quantumcunque minimum, ut verbi gratiâ, bibere aquam, contrectare. Non tamen credimus eſſe peccatum, ſi ſecus dictus ſequens faceret: ſed quia omnia honeſtè & ſecundum ordinem facienda, ad hunc finem prædicta facimus. Inter nos nemo ducit uxorem: tamen, ut verum fatear,) tecum enim cum multâ fiduciâ omnia loquor) non ſemper caſtè nobiſcum agitur. Alimenta & quibus tegamur admodum ſufficienter, gratis, locoque eleemoſynarum nobis à plebeculâ quam docemus, adminiſtrantur. Diverſo manuum artificio ad plebis obſequium, & ut evitetur ocium, utimur: ſed, ut quod eſt dicam, plus ſat occupati hoc artificio, ſcripturas neſcimus. Aſſueto more quotidianis matutinis & veſpertinis temporibus, & ante & poſt prandium, anteque & poſt cœnam, & ad horam meridianam, & nonnunquam nocte cùm à ſomno excitamur, & poſt dictam concionem congregatâ plebe, genibus flexis per quartæ horæ ſpacium aut circa, in humiliatione à nobis orationes fiunt. At cùm manducare volumus aut bibere, ſemper ferè oratio Dominica dicitur. Verùmquidem orationes hujusmodi non facimus ſuperſtitione aliquâ aut fide inani, ſive alicujus temporis reſpectu, ſed ſolo Dei honore & animæ utilitate moti. Omnia noſtra temporalia, quæ ſatis affluenter ſolis eleemoſynis prædictæ, ut dixi, plebeculæ, ad victum noſtrum ſunt abundantia, communia inter nos miniſtros habemus. A viventibus plebanis, & frequenter in articulo mortis verſantibus, affluentes pecuniæ, & multæ aliæ res nobis exhibentur: quod accipere à morientibus mihi nunquam fuit cordi. In hoc tamen & in multis aliis tuam poſco rationem. Singulis annis ſemel omnes miniſtri acervamur in unum: ut generali conſilio agenda noſtra contractemus, & de loco in locum bini commutamur. Non enim plus quàm duos aut tres annos in uno loco commoramur: niſi fortè ſenes, quibus datur aliquando in uno loco commorari ad vitam. Præterea omnes, quæ nobis à plebecula ſunt donatæ pecuniæ, traduntur in prædicto conſilio generali in commune: quæ colliguntur à majoribus noſtris. Et ex illis pars diſtribuitur iter facturis, prout illis neceſſarium videtur: & pars nonnunquam dictæ pecuniæ egenis erogatur. Et priusquam ſejungamur à dicto conſilio, omnes invicem noſtrorum erratorum veniam petimus. Cùm quis in carnalitatis peccatum labitur: à noſtro conſortio foràs expellitur, ab officioque prædicationis prohibetur: illique ordinamus, in ſudore vultus ſui veſcatur pane ſuo. In hoc quoque multum poſco conſilium tuum. Hæc inter nos miniſtros: quæ tamen poſt in hanc patriam adventum meum, ut cognovi & edoctus ſum, maximè tui ſpiritûs limâ indigent.

Ad hæc credimus Deum trinum & unum: humanitatemque Chriſti creaturam: & ſic patre inferiorem: & per ipſam Patrem voluiſſe redimere generationem humanam: Chriſtum verò Deum verum & hominem.

Credimus etiam Sacramenta ſacræ rei tantummodò eſſe ſigna, aut inviſibilis gratiæ viſibilem

bilem formam: bonumque esse, hujusmodi signis & formâ nonnunquam, si possit fieri, fideles uti: hos tamen citra hujusmodi signa & formam posse fieri salvos tenentes. In hoc, ut audio, erravimus, credentes plura, quàm duo Sacramenta.

Nullum intercessorem esse apud Patrem omnipotentem, quàm Christum, procul dubio tenemus: virginem Mariam verò fuisse sanctam, humilem & gratiâ plenam pro se, & sic reliquos sanctos; & in cœlis expectare suorum corporum glorificationem in resurrectione mortuorum.

Post hanc vitam, patriam cœlestem & infernum esse tantùm, firmiter credimus: radicitùs Purgatorium ab Antichristo fictum abnegantes.

Confessionem peccatorum auricularem, non habentes ullum ad tempus respectum, utilem ducimus: modò hoc fine fiat, ut infirmis & ignorantibus, requirentibus consilium, consolationem & adjutorium sacræ scripturæ ordine exhibeat.

Charitatem sic ordinamus, ut supra omnia, etiam animam propriam, Deum unusquisque diligat: post quem supra cætera omnia animam propriam: post hanc verò animam proximi magis, quàm proprium corpus: post hanc verò proprium corpus magis, quàm proximi: post hoc proximi corpus magis, quàm res proprias unusquisque amet; docemus.

Omnia ab hominibus inventa: ut omnium sanctorum festa, vigiliæ, aquæ, quam dicunt, benedictæ, nonnullis diebus parcere à carnibus, & hujusmodi: & præsertim Missas semper pro nefanda abominatione coram Deo duximus.

Plebeculam nostram semel singulis annis, quia per diversos vicos habitat, adimus: ipsamque personam in confessione clandestinè audimus. Admonemusque conjugatos, ut invicem debito proprio honestè, & tantum ad medicinam, & non ad voluptatis societatem utantur: & tempore menstrui & puerperii, & cum jam instant partus à dicto debito se custodiant: & quantum possunt, ne sint in hujusmodi & reliquis suæ familiæ scandalo, caveant. Et denique in dicta confessione admonemus omnes secundum suam qualitatem & capacitatem, ut pro viribus se abstineant à peccatis, declarantes prout possimus doctrinam peccati à peccato. Cùm quis infirmatur, adimus illum vocati, admonitionibus & orationibus consolaturi: & nonnunquam adimus infirmantes invocati, scientes eorum indigentiam, ut eis spiritualiter & corporaliter subveniamus. Cùm concionamur, sumus duo simul sedentes: senior priùs loquitur, & postea alter. Et quia magistratum sive potestatem temporalem non ex nostratibus habemus; sed necessariò plebecula nostra, velit, nolit, ditioni infidelium submittitur: hortamur nostros, ut ex seipsis duos aut tres probos viros, quibus invicem concordentur, seligant.

Nostris autem admonitionibus & doctrinis pertinacitate & obstinatione obedire nolentes, excommunicamus à prasi populi & ab verbi auditione, ut confundantur; dicentes, non debere dari sanctum canibus, & ante porcos margaritas poni. Sunt enim plerique apud nos, quibus cùm datur accessus ad verbi auditionem, flocci-pendunt excommunicationem. Sacramentorum signa plebeculæ nostræ non nos, sed Antichristi membra administrant. Veruntamen nos eis quid significent Sacramenta spiritualiter, quantum in nobis est, reseramus: & ne ullo modo ceremoniis Antichristianis confidant: orentque, ne illis imputetur peccatum, quòd ad abominationes Antichristi audiendas & videndas ire cogantur; & ut hujusmodi abominatio, velociter confundatur, & veritas habeat locum, verbumque Dei currat. Præterea plebeculæ nostræ ne omninò juret, vetamus: neque ullo modo ducat choreas: omnesque genus ludi, præterquam arcus aut alicujus armaturæ: neque ullis cantilenis inanibus & lascivis delectetur: neque ullo vestitu, colore diverso, superfluo, scutulato, aut delicato, sive consciso utatur.

Plebecula nostra in bona parte simplex, rustica, & in agricultura suo pane vescens: multumque in locis, ob crebras persecutiones, dispersa: magnoque spacio sejuncta. Nam ab unius extremitate ad aliam intersunt plusquam octingenta milliaria; subditaque ubique ditioni, sacerdotibus infidelium. Tamen Dei gratiâ ex ea non effluit aliquis aut aliqua unquam: aut rarò qui suspendatur, ditioneque prædictâ emandetur, aut lupanaria sectetur.

Quæ subduntur, nobis multum sunt ambigua atque tecta.

Primò an inter verbi Dei ministros debeant ordinari dignitatum gradus: ut puta: Episcopatus, Presbyterii & Diaconatus. Videntur enim ab Apostolo Timotheo & Tito præcipi: & Christus caput ordinasse super Apostolos Petrum: interque ipsos Apostolos fuisse nonnullos, qui dicebantur columnæ. His tamen gradibus inter nos non utimur. Et an dictorum ministrorum sit judicare.

Secundò an à Deo ordinatum: potestates sive magistratus debere homicidas, latrones, & hujusmodi malefactores morte punire: an aliâ, quà viventes, & in asperitudine pœnitentes reddantur meliores. Dicunt enim nonnulli: potestatem ad hujusmodi punitiones, & non mortis timorem, gerere gladium: & Deum nolle mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.

Tertiò an leges civiles & hujusmodi ab hominibus inventæ, quibus circa temporalia mundus regitur, valeant secundum Deum: quia scribitur: leges populorum vanæ sunt.

Quartò an liceat nobis plebeculæ nostræ consulere; interficiant falsos fratres proditores, qui inter dictam plebeculam sæpiculè pullulant: cùm in hujusmodi non habeamus ullo modo, quâ puniantur tales proditores, ditionem temporalem. Exoriuntur enim, ut rem sanè intelligas, inter dictam plebeculam falsi fratres: qui clàm accedunt ad Antichristi membra: ut puta, monachos, Episcopos, ditionem temporalem, & hujusmodi dicentes: Quantum vultis nobis dare: & in manus vestras Waldensium doctores trademus: scimus enim ubi lateant: (non quidem ubique palàm apparere audemus.) Et sic inter eos conventione factâ, prædicta membra tempore nocturno veniunt cum manu armata ad nos capiendum, sæpè nemine sciente: quo fit, ut ex hoc plebeculæ nostræ gravis exoriatur persecu-

tio,

tio, & nos miseri plerumque uramur, & nonnunquam multi ex plebecula, aut alioqui ingens prædictis membris exhibeatur pecunia.

Quintò an liceat, illum cujus sua necessaria injustè retinentur, nulloque ea modo habere potest, à retinente quantum retinet, si fieri possit, ipso nesciente sumere: & an ullo modo fidelibus liceat, propter litem definiendam, infideles judices adire: quia illis per Paulum videtur prohibitum.

Sextò an hæreditas parvulorum, morientium sine testamento, suis matribus justè succedat: cùm scriptum sit: Si mortuus fuerit homo absque filio, hæreditas transibit in filiam ejus: & si non fuerit filia, transibit dicta hæreditas in fratres morientis: & si non fuerint fratres, dabitis hæreditatem patruis morientis: & si non fuerint patrui, qui magis proximus est hæreditabit. In quo loco, ut apparet, excluditur mater; & Apostolus inquit: Nec enim debent filii parentibus thesaurisare, sed parentes filiis. Præterea posset contingere pro parvo tempore ingens hæreditas: quæ postea, rursus nubentibus, transiret in filios secundi mariti.

Septimò an usura sit, quidquid ut dicitur, additur sorti: & an omnis mercacia, quâ aliquid, ut inquit Chrysostomus, citra laborem lucrisit, sit peccatum: & an omne juramentum sub peccati mortalis pœna sit prohibitum: dicente Christo: Omninò nolite jurare: sed sermo vester sit Est, est: Non, non: quidquid autem his abundantius est, à malo est.

Octavò, an hæc doctrina, peccatorum scilicet originalis, venialis & mortalis; & hæc ignorantiæ invincibilis, neglectæ, & crassæ, valeat.

Nonò, an pro mortuis plorare sit licitum: quia alicubi sanctos pro ipsis ploraſſe, & alicubi prohibitum esse legitur.

Decimò, an omnes parvuli cujuscunque gentis, qui non sunt rationis capaces, fiant Dei gratiâ & Christi passionis merito salvi: quia scriptum est: Sinite parvulos venire ad me, quoniam talium est regnum cœlorum. Et econtrà an omnes rationis capaces, non habentes Christi fidem, sint reprobi: quia scriptum; esse impossibile, sine fide placere Deo: & qui non credit Filio, non visurum vitam: sed Dei iram manſuram super eum.

Undecimò, an mulieres juvenes, requirentes & volentes vitam in virginitate agere, sint in religionem introducendæ: & an matrimonia possint licitè contrahi in omnibus gradibus inter consanguineos, extra illos, qui scribuntur decimo octavo Levitici.

Insuper nihil est, quod magis nos imbecilles conturbet, nostrâ tamen, ut cognosco, ignorantiâ, quàm quod audivi & apud Lutherum legi de libero arbitrio & Dei prædestinatione. Credebamus enim omnibus hominibus aliquid virtutis naturaliter inditum esse à Deo, cui tamen plus & cui minus: sicut experientiâ patet, hominem differre ab homine: & sicut videtur innuere parabola de talentis: & sicut etiam experientiâ videmus, herbis, plantis, lapidibus, cæterisque omnibus rebus inesse naturaliter virtutem propriam à Deo inditam, quâ ad multa possunt. Sic credebamus homines prædictâ inditâ virtute posse aliquid, eam tamen præstimulante & excitante Deo: ut ipse inquit: Ego sto ad ostium & pulso: & nolentem aperire illâ virtute inditâ & stimulatâ, tandem acceptorum secundum opera sua. Alioqui, si sic non est, non video, quomodo tot præcepta affirmativa & negativa, sicut disputat Erasmus, intelligi debeant.

De prædestinatione autem credebamus, omnipotentem infinitè ante cæli & terræ creationem præscivisse, quotquot salvi & reprobi fieri debebant: omnem tamen hominem fecisse ad vitam æternam: reprobos quidem fieri suâ culpâ; id est, quia noluerunt obcäire & servare mandata. At si omnia necessitate contingunt, ut Lutherus dicit: & qui sunt prædestinati ad vitam, non possunt fieri reprobi; nec econtrà: quia prædestinatio divina non frustratur: quorsum tot scripturæ, & prædicatores, & medici corporales? Nihil enim propter hæc minus aut plus fiet: quia necessariò contingunt omnia.

Indicabis insuper, si cordi sit, quæ sint cæremonialia & judicialia præcepta, & quomodo cognoscantur; & an penitùs per Christi adventum exoleverint: & an sensus allegorici sint admittendi, & si ad plebem docendam sint utiles: & qui sacræ Scripturæ in utroque Testamento sint veri libri, ut dicunt, Canonici: etiam quæ ad horum declarationem essent nobis, ad nostramque & plebis utilitatem volumina emenda: & qualis modus tenendus sit plebeculam docendo. In omnibus enim speramus, confidimus, & peroptamus per te ab Spiritu sancto dirigi, moderari, & illuminari: quoniam nostrarum, quemadmodum harum tuarum ovium, te oppido impastorem percupimus. Unus enim pastor, & unum ovile. Et sicut vos electionis se omnium debitorem cognoscebat: sic te verè illius imitatorem existimamus: quippe sicut hic, sic illic causa Dei agitur. Et sicut apud illum non est personarum acceptio: sic nec apud te, qui verè es illius vicarius, est ovium Christi respectus. O utinam inter nos firmâ essemus unitate conjuncti! & nos omnia tuo tuique simili consilio, quemadmodum vehementer indigemus, tractaremus. In omnibus tamen vobiscum convenimus: & à tempore Apostolorum semper de fide, sicut vos, sentientes concordavimus; in hoc solo differentes: quòd culpâ nostrâ, ingeniique nostri pigritiâ, scripturas tam rectè, quàm vos, neutiquam intelligimus. Idèo ad te dirigendi, erudiendi, ædificandi & docendi venimus. Omnibus Deus iadem.

m) Ex reliquiis Bibliothecæ Oecolampadii.

OECOLAMPADIUS adhæc scripto respondit in hanc sententiam.

Dilectis in Christo fratribus N. N.
Joannes Oecolampadius.

n) *Gratiam à Deo Patre, per Dominum Jesum Christum, in Spiritu sancto. Amen. Non sine magnâ in Christum voluptate accepimus à Georgio Maurelo, fidelissimo vestræ salutis curatore, quæ vestræ religionis fides, quique ritus: agimusque gratias optimo Patri nostro, qui ad tantam vos lucem vocavit his seculis, quibus totum fermè orbem tenebræ crassissimæ occupant, Antichristo supra modum prævalescente. Agnoscimus utique & in vobis Christum: proin-*

de ut fratres amamus: & utinam reipsâ animi nostri studium erga vos declarare possemus. Quid non, tametsi arduum, facere parati essemus? Nunc est, quod fraterno zelo vobis proponendum censemus: id precamur intelligatis, non imperioso supercilio scribi, sed commiseratione amicâ insinuari. Eximiâ quidem veritatis cognitione præ multis donavit, & spirituali benedixit vos benedictione, Pater Domini Jesu. Sed siquidem grati esse non cessaveritis, adhuc dives est, & amplioribus vos thesauris locupletare & perfectos reddere potest, ut adolescatis & vos in mensuram ætatis Christi. Ut enim multa in vobis probamus: ita etiam multa sunt, quæ emendata vellemus. Scitis, corde credi ad justitiam, ore autem confessionem fieri ad salutem: eos autem, qui Christum confiteri coram mundo erubuerint, olim, & à patre illius non agnoscendos fore. Quoniam Deus noster veritas est: eos qui sibi serviunt, in veritate, absque omni simulationis fuco servire sibi vult: Zelotypus est, nec patitur, ut cum Antichristo sui jugum trahant. Nulla illi cum Belial & tenebris participatio. Audimus autem, quòd metu persecutionum fidem vestram ita dissimuletis, & occultam habeatis, ut etiam communicetis cum infidelibus, & accedatis ad abominabiles illorum Missas, in quibus mortem & passionem CHRISTI blasphemari didicistis. Nam dum illi gloriantur suis sacrificiis satisfacturos se pro peccatis vivorum & mortuorum: quid reliquum, quàm quòd Christus non satisfecit unico sacrificio; & quòd Christus non est Jesus & servator, sed frustrà quodammodo pro nobis passus est? Jam si illius conspurcatæ mense participes sumus: & unum corpus cum impiis effici nos protestamur, licet amaro animo. Dumque Amen ad preces illorum subjungimus, an non Christum negamus? Quas non oportebat mortes præeligere? quod non supplicium potiùs ferre? imò inquam profundam inferni abyssum non intrare: quàm contra conscientiam attestari, quod impii blasphemant? Infirmitatem vestram scio: sed fortiores esse decet eos, qui se Christi sanguine redemtos cognorunt. Magis metuendus est, qui animam cum corpore in gehennam mittere potest. Quid ita soliciti sumus pro anima nostra? eritne illa pretiosior Christo? erimusne hujus vitæ illecebris contenti, & ad æterna gaudia non properabimus? Coronæ prostant, & nos ab illis vultum avertemus? Quis veram fidem nostram credet, si in persecutionis æstu deficiat? Augeat Dominus fidem vestram, oramus. Nos sanè mori mallemus, quàm hac tentatione vinci. Igitur hortamur Fratres, ut diligentiùs rem exquiratis. Etenim si licet sub Antichristo fidem occultare, licebit etiam cum Turca, licebit etiam cum Diocletiano ad aras Jovis vel Veneris adorare: & fortassis minori periculo. Licuisset igitur & Tobiæ, adorare vitulum in Bethel. Quæ igitur spes nostra in Domino? Vereor autem, quòd si Dominum non ut oportet honoraverimus, etiam omnem aliam vitam nostram simulationis fermento aspergi, tepidosque evomendos totos à Domino. Quomodo gloriabimur in cruce Domini, si tribulationis metu Dominum non glorificabimus? Non licet, ô Fratres, ab aratro respicere: non licet audire vocem malesuadæ uxoris, carnis inquam, quæ quamvis multa ferat, naufragium tamen in portu admittit. Sanè dogmata vestræ fraternitatis olim cognovimus, ex his quæ ante multos annos Vladislao Ungariæ regi responsa: quæ in his, quæ ad Christum attinent, planè catholica, & à nobis quoque recepta. Creditis enim nobiscum unum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, Creditis Filium Dei ante secula, in temporis plenitudine, Spiritu sancto conceptum: è Maria virgine fratrem nostrum factum: pro peccatis nostris mortuum: in corpore suo resurrexisse, & in cœlos ascendisse, sedentemque ad dexteram Patris rediturum judicem seculis. Creditis & Spiritum sanctum Apostolis missum, cujus virtute illi Ecclesiam congregarunt: in qua & peccatorum remissio est. Creditis denique & vitam fidelibus, & mortem impiis futuram æternam. In hac fide bene consentimus. De sacris etiam symbolis consone credimus. Decet autem, ut per ea in sanctam Ecclesiam congregemur, cum Ecclesiâ malignantium portionem non habeamus. A Papistis baptisatos non rebaptisamus, ut Catabaptistæ, absit. Sed synaxim illorum refugimus. Etiam nos præter Christum nescimus intercessorem. Humanas inventiones, quibus conscientiæ illaqueantur, quæve libertati spiritûs præjudicant, ut verè Antichristianas, abominamur. Magistratum secularem audimus in his, quæ contra Deum non sunt: honoramus etiam: etiam esse Christianum posse credimus: juramentum, si exigat, non negamus; non obstante eo, quod apud Matthæum legimus. Nihil enim ibi prohibuit Christus, quod per se non est peccatum: prohibuit malam conscientiam, avaritiam, iram, & vindictæ cupiditatem, mendacium omne, & perjurium. Dicere enim insensatum fratrem (ut Paulus fecit, & omnes Prophetæ, dum acriter invecti sunt in peccatores) non est contra mentem Evangelii: sic nec jurare in judicio, cum veritate & justitia, ut apud Hieremiam est. Juravit enim Deus ipse, & Abraham, & Paulus: nec reprehensibiles sunt. Similiter non ita austeri sumus, ut omnes mutuantes, & aliquid inde recipientes, usurarios dicamus. Christus enim avaritiam mentis damnat, quam nos non videmus. Alia præcepta omnia per legem charitatis interpretari nos vult. Item judices & magistratus seculares animadvertere in flagitiosos, & defendere patriam, viduasque ac pupillos gladio: non arbitramur legi divinæ contrarium. Hoc enim non agunt suo nomine, sed vicarii Dei sunt: & ab illo gladium, non à seipsis acceperunt. Contrà, qui seipsos gladio defendunt ultionis aviditate, inque propria causa, nequaquam juxta Evangelium agunt: quod jubet, ut in patientia possideamus animas nostras, & porrigamus dexteram percutienti sinistram. Ad hæc, civiles leges, quæ fidei & charitati non obstant, nequaquam aspernandas dicimus: illis enim pro judicialibus Mosaicis uti possumus. Judicialia non dicimus abolita, quantum ad mentem legislatoris attinet. Mens autem legislatoris est, servari justitiam, & honestatem publicam: quæ servatur in nationibus quibusdam melius per leges Cæsareas, quàm Mosaicas. Mo-

se

ses enim magis habuit rationem suæ gentis. Sicut cerimonialia quantum ad umbram abolita sunt: ita ut corpus habeamus, Christum scilicet; & quam ille docuit, justitiam fidei. Porrò nondum cognovimus, quomodo Christianus etiam infidelem coràm infideli jure convenire queat. Paulus certè vult, ne fratrem coràm infideli judice accusemus, vel litigemus. Rectè faciunt fideles, si suas causas inter se componant. Quod ad ministros Verbi attinet, probamus, quòd non quos vis assumitis, sed adultos, probataque vitæ viros. Sed, pace vestrâ, monuerimus. Videntur illi nonnunquam laboribus manuum, plus quàm res postulat, esse addicti: & horas, quas lectioni collocare debebant, artificiis impendere. Et sanctum est laborare manibus, sanctius verò ministrare Verbo. Nolebant Apostoli ministrare mensis, ne quid verbi Dei ministerio detederet. Paulus præcipit Tito: Intende lectioni: Nobis non est tentandus Deus, quasi citra studium suo Spiritu mirificè, sicut Apostolos, erudire nos debeat. Quamvis ad superstitias & philosophicas mundanasque disciplinas non hortamur: sat laboris habebunt in utroque Testamento.

Deinde neque hoc videtur ex mente Apostolorum, ut singulis triennijs mutetis ministros Verbi in alia loca. Discrimen enim est inter Apostolos & pastores. Apostoli mittuntur: Episcopi & pastores cum suis ovibus manere debent. Ita constituit Apostolus presbyteros oppidatim: quamvis pro Apostolis visitatores utilissimè constituantur. Porrò quòd illis prohibentur conjugia, non arbitramur esse ex spiritu Christi: neque enim donum illud summum, & Angelica vita, in carne plurimis concessum est. Unde fit, ut multorum conscientiæ malè habeant, & gravissima oriantur offendicula. Ne tanti faciamus, Fratres, æstimationem sanctimoniæ cum tanto periculo. Est & in conjugio continentia, quæ multum Deo placet. Fuerunt & Prophetæ & Apostoli conjugati, & nihilominus in ministerio verbi diligentissimi. Conjugium non perdit sacerdotes, sed ignavia, amor ventris, ac metus crucis. Idipsum etiam sentimus de virginibus cœnobitis, quæ nonnunquam quia uruntur, in pessimas tentationes incidunt: quibus esset satius nubere, non obstante stulto & infideli voto; quod nec ligat, nec à Deo approbatur. Etenim ubi in illis irrepit tanta hypocrisis, periclitatur simul tota ipsorum religio, amarescitque omne quod antea dulce in Christo: & durum sit, quod antea leve erat jugum. Nos sanè virginitatem maximi facimus: sed fictam, Deo abominabilem scimus. Absit autem, ut propter temporalia bona, tanta salutis commoditas omittatur. Utilius fuerit, pauperes & continentes in matrimonio, quàm divites in fœdo cælibatu esse. Poterint nihilominus bona ministrorum omnia esse communia, communiter ali liberi & uxores, & sui quibusque injungi labores. Demum, in ministris Verbi etiamsi desint dignitatum tituli & gradus, qui Papisticam pompam & fastum olent: nihil periculi: sint modo qui præsint, & qui ministrent: sint visitatores, qui aliàs Episcopi: sint Ecclesiastæ, qui aliàs prædicatores, & ministri Verbi: sint alii, qui adhuc eruduntur, discipuli. Quis autem modus in docenda plebe servandus sit, nostrum non est præscribere regulam: modò ea, quæ ad fidem & charitatem faciunt, doceantur: item cum humilitate & patientiâ crucis commendentur: apocrypha vitentur: contentiosæ etiam & curiosæ quæstiones, ex quibus rixæ & odia ac fastus. Unus scopus sit, gloriam Christi magnificè prædicare, & vitam innocentem instituere: vitiaque & inprimis hypocrisin & superbiam internam, quæ dat hæreses, & multos prodit, profligare. In Cànonicis Scripturis annumeramus, quinque libros Mosis, Josuæ, Judicum, Ruth, quatuor libros Regum, duos Paralipomenon, unum Esdræ, unum Neëmiæ: & hi quidem historici sunt. Job, Psalterium, Parabolas, Cantica & Ecclesiasten Salomonis: Esaiam, Hieremiam, Ezechielem, Danielem: & duodecim Prophetas juniores, Hoseam, Joëlem, Amos, Abdiam, Jonam, Micheam, Naum, Habakuk, Sophoniam, Aggæum, Zachariam, & Malachiam, ut Scripturas à Spiritu sancto inspiratas habemus. Judith, Tobiam, Ecclesiasticum, Baruch, duos ultimos Esdræ, tres libros Machabæorum, duo capita ultima Danielis, non contemnimus: sed non divinam cum cæteris illis autoritatem damus. In novo Testamento quatuor Evangelia cum Actis Apostolorum, & quatuordecim epistolis Pauli, & septem catholicis, una cum Apocalypsi recipimus: tametsi Apocalypsim, cum epistolâ Jacobi & Judæ, & ultimâ Petri, ac duabus posterioribus Joannis, non cum cæteris conferamus. Allegorias, quæ fundatæ sunt in Scriptura, & quæ stant cum analogia fidei, nec Scripturæ dignitatem extenuant, exosculamur: sed non arbitramur ita pro cujusvis somniatione effutiendas. Omnem eam doctrinam, quæ gratiam Christi magnifacit, libentius amplexamur. Liberum arbitrium, quatenus gratiæ repugnat, non approbamus: neque propterea necessitatem peccandi inducimus. Qui enim peccant, sponte & voluntariè peccant. Originale peccatum suam rationem habet. Neque propterea, quia tot præcepta ponuntur, major nostra virtus est: sed magna vis Spiritus, per quem operamur voluntatem Dei: & magna nostra ignavia, propter quam indigni censemur. Est quidem fati ratio apud Deum, quod immutabile, etiamsi omnia vobis mutabilia appareant. At non oportet vos ad arcana Dei attendere, sed ad verbum ejus, cui fidem habere debemus, per quod & salvabimur. Prædestinationem negare non possumus: falli eam non posse, certissimum est. Sed quid? nunquid injustus est Deus? nunquid propterea non est verax? Igitur humiliemur nos sub majestate ejus: illa enim superborum cervices deprimit: misericordia autem subvenit contritis corde, & auxilium à solo Deo requirentibus, non à carne & arbitrio suo, ut in omnibus gloria sit Dei. Cæterùm quid ad nos contentio Erasmi & Lutheri? Perditio nostra ex nobis est: salus tantummodo in Domino Deo nostro. Igitur, Fratres mei, quoniam tantum talentum à Domino accepistis, pergite, & ne respicite: sed gloriam Dei, vivendo justè, sobriè & piè prædicate: nec vincat caro in suam perditionem, sed vincatur in suam gloriam. Nam si illam hic

hic pro Christo perdiderimus, inveniemus eam in resurrectione justorum in æternam vitam, quæ nobis omnibus gratiâ Christi concedatur. Admonitionem hanc fraternam oro ne despicia tis: nolui enim aliquid loqui vel scribere, quod improbaturum putem Christum. Cætera narrabit Georgius Maurelus, verè nobis in Christo dilectus & observandus. Orate Deum pro nobis & Ecclesia nostra: nam & nos memores vestri erimus in Domino. Basil. 13. Octobris, Anno 1530.

n) Extat Tom. 1. epist. Oecolampad.

Hæc igitur per Valdensium legatos Basileæ acta sunt. In reditu autem Latomus Divione captus, & in carcerem conjectus est. Georgius verò solus Merindolium est reversus, cum libris & literis ac mandatis, quæ ab Ecclesiis Germanorum adferebat. Reversus omnia legationis suæ capita exposuit, eisque declaravit publicè, in quot & quantis erroribus versarentur, in quos veteres ipsorum ministri eos conjecissent. Populus his auditis tanto studio Ecclesiæ emendandæ commotus fuit: ut ex sociis, quos in Apulia & Calabria habebant, natu grandiores, & usu rerum peritiores acciverint, ut cum his de emendatione Ecclesiæ consilium caperent. Quod cùm resciviſſent, Præses Provinciæ, Episcopi, sacerdotes, monachi; non destitêre Valdenses omnis generis tormentis vexare & affligere: & excogitavit Joannes de Roma Monachus quidam crudelissimum tormenti genus. Implebat ocreas adipe ferveſcente, quas tibiis Waldensium aptabat, quos scamno alligatos & supinos interrogabat, eo modo, ut tibiæ eorum super exiguum ignem subjectum dependerent. Sed isra belua paulò post horrendâ morte periit, in tanto fœtore, ut nec ipse eum ferre posset vivus, & vix inveniretur, qui mortuum attingere & sepelire vellet.

De his Valdensium legatis Oecolampadius XVII Octobris hujus anni ad Bucerum scribit in hanc sententiam: o) *Venient ad te Valdenses illi, viri nimirùm perquàm pii, audituri & tuum in quibusdam consilium. Ostendent, quid illis responderim. Tu ne multis confabulationibus horas perdas, leges scripta mea: & vel illis probatiora dato, vel aliquâ commendatiunculâ approbato: ut sic à te in pace dimissi, sua corrigere incipiant. Tu pro humanitate tuâ illos tractabis. Quod si nunc tibi præ negociis non est integrum, injunges id provinciæ Capitoni.*

o) Tom. IV. epist. Zwinglii & Oecolampad.

p) LUBECÆ superiori anno Senatus Reipublicæ difficultates exposuerat, & novis tributis levari ærarii inopiam à civibus flagitârat. q) Cives cùm nova onera sibi subeunda esse viderent, vicissim hac occasione facultatem audiendi Evangelii liberam à Senatu in aliquot templis flagitandam esse judicant: & quadraginta octo cives ex suo corpore Senatui adjungunt, qui de rationibus & mediis colligendæ pecuniæ unà cum Senatu deliberarent, & Religionis negocium simul urgerent. Petunt igitur à Senatu, sinceros Evangelii præcones & Ecclesiæ ministros, consentientes cum pastoribus Hamburgi, Brunsuigiæ, Wismariæ docentibus, in templis constitui: verùm nihil impetrant. Cùm autem communitatem civium Senatus convocasset, ut articulos de rationibus contribuendæ pecuniæ, cum XLVIII. viris deliberatos, audirent & comprobarent: nullos articulos audire, nec pecuniam extra ordinem contribuere cives voluerunt, nisi ejecti ante biennium ministri revocarentur, & libera audiendi Evangelii facultas civibus concederetur. Senatus multis verbis deducere cives ab hoc proposito conatur, eosque Concilii intra sesquiannum indicendi, vel saltem Comitiorum Augustæ proximo anno indictorum determinationem expectare jubet: pericula etiam amplificat, quæ civibus, in terris Cæsaris Caroli V. cui molestissima hæc mutatio futura sit, negotiantibus accidere possent; ac tum quidem re infectâ civium conventum dimittit. Tandem ineunte anno 1530. ut civium animos offensos sibi reconciliaret, M. Andream Wilhelmi & Joannem Walhoff revocatos, præsentibus delectis civibus, conducit, & hunc in S. Mariæ, illum ad D. Petri piè docere, & ad pacem ac concordiam civium tuendam conciones dirigere jubet. Hic verò Canonicorum, monachorum & complicum furiis exarserat atro felle dolor: qui in concionibus publicis & sermonibus privatis, nihil præter seductores, hæreticos, impostores, sacrilegos, ferro & igne delendos, sonabant. Cives reprimi hanc maledicentiam, & disputationem ex verbo Dei coram Senatu institui, & non probantibus sua ex verbo Dei, silentium imponi à Senatu petunt. Collegium Canonicorum, his civium postulatis per Senatum ad eos delatis, recusant disputationem, & literas ab Henrico Duce Brunsuicensi ad Senatum & communitatem conficiunt, quibus se defensionem Collegii à majoribus suis fundati susceptum ostendebat. Postridie Calendas Aprilis, cives, quorum multi prioribus diebus in area templi cathedralis concurrentes, coërceri sacrificulorum & monachorum criminationes petiverant, à Senatu in curiam convocati impetrant, ut Pontificiis clamatoribus & monachis, quòd disputationem recusassent, suggestu deinceps interdicatur: ne quis deinceps ad concionandi munus, nisi à Senatu, & sinceris concionatoribus, & delectis civibus receptus, admittatur: ut volentibus Sacramento sub utraque specie uti, in templo D. Ægidii concessum sit: ut ceremoniæ veteres in templis & monasteriis usque ad exitum Comitiorum serventur: in quibus si non componatur causa religionis, Noribergensis Reipublicæ exemplum Lubecenses etiam sequantur: si quid inter Senatum & cives offensionum hactenus religionis causâ extitit: id sempiternâ oblivione obruatur. Quibus à Senatu comprobatis, cives summâ alacritate articulos de rationibus pecuniæ extra ordinem ad solvenda Reipublicæ debita colligendæ prælegi audiverunt, & promto animo subierunt. Eodem tempore, LXIV. cives, ex tota communitate lecti, qui in colligenda civium ex contributione pecunia, & aliis causis ad publicam Reipublicæ utilitatem spectantibus, ac præcipuè in doctrina Evangelii & legitimo Sacramentorum usu publicè instaurando, Senatui adjumento essent. Ex his duodecim viri, unà cum duobus senatoribus, Conrado Wibbikind & Henrico Castorp, & secretario M. Lamberto Becker, pridie Palmarum, Senatus nomine pastoribus & monachis in monasteriis significarunt, ut tantisper à suggestu abstineant, donec alia à Senatu mandata accipiant. Sic Evangelii concionatores soli suggestus omnes occuparunt, & Dominicâ *Misericordias Domini* primam Germanicam Missam in templo S. Ægidii celebrarunt. Die XXVII. Junii Missæ Pontificiæ,

Cantus

cantiones & ceremoniæ in monaſteriis; & die Viſitationis Mariæ etiam in templo cathedrali deſierunt. Initio Octobris mandatum Cæſaris ſenatui & civibus redditum eſt: quo LXIV. cives officium ſponte aſſumtum deponere, tota communitas doctrinam Lutheranam abiicere, Senatus veteres ceremonias in ſummo templo & cæteris & in monaſteriis reſtituere iubebantur. Quòd ſi ſenatus obedientiam debitam à civibus obtinere ſolus non poſſet: Archiepiſcopum Bremenſem, Ducem Brunſuicenſem, Epiſcopum Lubecenſem, Ducem Saxoniæ, Marchionem Brandeburgicum, & alios advocarent, LXIV. parere mandato, & ſe abdicare volebant. Verùm Senatûs rogatu tandem in officio manſerunt, & centum viri ex reliqua civium communitate eis adjuncti ſunt, qui in negotiis ad Religionem & Rempublicam pertinentibus Senatui adeſſent. Paulò pòſt Joannes Bugenhagius Paſtor Wittebergâ evocatus, ordinem concionum & rituum in templis ſcripto complexus eſt, & communem ſcholam in Cœnobio D. Catharinæ inſtituit, cuius Rector primus, Hermannus Buſcoducenſis, Conrector Eraſmus Sarcerius Roſtochio evocatus fuit. Ptochodochion etiam in Cœnobio D. Joannis inchoatum eſt. Sequenti anno ineunte, omnium præteritarum offenſionum ἀμνηστία inter Senatum & cives delectos ſancita, & concordia reſtituta eſt; cùm Senatus promitteret, ſe præſentem formam doctrinæ & rituum in Eccleſiis, à Bugenhagio deſcriptam, defenſuros eſſe.

p) Hermannus Bonnus Chronico Lubecenſi.

q) Chytræus Chron. Sax.

r) GOTTINGÆ, in Erici ſenioris Ducis Brunſuicenſis ditione, ſincerioris religionis ſemina hoc anno ſpargebant duo concionatores, quorum alteri *Nicolaus*, alteri *Fridericus* nomen erat; tantumque effecere: ut cives emendationem idolomaniæ & ſuperſtitionis Papiſticæ, quibus poſſent, precibus flagitarent. Aſſenſit Senatus volens nolens. Brunſuigâ igitur evocatur Henricus Wincelius: qui doctrinæ & rituum ordine certo conſtituto, & doctoribus ſinceris, Joanne Iſermanno, Joanne Sutelio, & aliis, quinque paræciis præfectis, Brunſuigam rediit.

r) Hamelmannus lib. 2. hiſt. Eccleſ.

s) LUNÆBURGÆ prima Pontificiæ religionis emendatio inchoata, & purioris doctrinæ ſemina ſpargi, & cœna Domini ſub utraque ſpecie porrigi cœpit in templo D. Nicolai, à Friderico Henningo & Henrico Ottone: quorum exemplum in aliis templis Hartwicus Eckenbergius, Joannes Lampadius, & cæteri ſequebantur. Cùm autem magno ſtudio, fervore ac zelo hi docerent, ac in Senatu virum veræ religionis amore & gravitate ac zelo præſtantem Hieronymum Witzendorfium patronum haberent, & cives pietatis ac doctrinæ ſinceræ ſtudioſi, miniſterium Evangelii, ut Lubecæ & Hamburgi, liberum permitti à Senatu aſſiduè flagitarent: Senatus tandem M. Stephanum Kempium ad primam Eccleſiarum conſtitutionem Hamburgâ evocat, qui prima præſentis ordinis Eccleſiæ fundamenta jecit. Poſtea Urbanum Rhegium ab Erneſto Duce Lunæburgenſi Auguſtâ recens adductum, ſibi aliquantiſper concedi flagitat. Is biennium Lunæburgæ commoratus, & hoſpitio Henrici Witzendorffii, fratris Hieronymi, uſus, inter varia cum Pontificiis, Colero inprimis præpoſito ad D. Joannem, certamina, officio ſibi commiſſo fideliter fungitur, & Eccleſiam puritate doctrinæ, populi frequentiâ, diſciplinæ ſanctitate, & rituum gravitate florentem & tranquillam, ſucceſſori ſuo Paulo de Rhoda tradit: cui poſt aliquot annos Stettinam revocato, Senatus de conſilio Urbani Syndicum urbis Chriſtophorum Hegendorfinum ſubſtituit: quo ſtatim defuncto, Fridericus Henningus, quem primum mutandæ religionis Pontificiæ autorem in urbe fuiſſe diximus, deinceps usque ad annum 1562. Eccleſiæ Lunæburgenſi, ſemper, Dei beneficio, tranquillæ & florenti, præfuit.

s) Chytræus Chronico Saxoniæ.

LEMGOVIÆ in Weſtphalia, invito tùm Comite Simone, doctrina Evangelii ſincerior recepta, & ad Brunſuicenſis Eccleſiæ formam ritus inſtituti ſunt.

SMALCALDIÆ in Comitatu Hennebergico Wilhelmus Comes reformationem Eccleſiæ molitus: ad quem Philippus Landgravius Haſſiæ Sigiſmundum à Brumburg mittit, de reformationis modo *cum Comite acturum. Ex archivis Caſſellanis.*

SVERINI, Canonicis in Cathedrali templo, Pontificiam religionem mordicus adhuc retinentibus, purior Evangelii doctrina, primùm in ſacello Georgii ante oppidum, deinde in templo Franciſcanorum arci vicino, ſub Henrici Principis Megapolitani patrocinio, ſonare cœpit. Ac inter primos Evangelii præcones Ægidius Faber fuit, cujus, *de idolo fictitii ſanguinis Chriſti*, Suerinæ aliquot ſeculis culti, libello, Lutherus præfatiunculam addidit. Donaverat guttam illam ſanguinis, ſeu potiùs cinnabaris grumum jaſpidi incluſum, Collegio in templo Suerinenſi, Henricus Comes Suerinenſis, Guncelini filius, magni theſauri loco acceptam à legato PP. Pelagio Cardinale Albanenſe, cùm inter cæteros viros militares Henricus, ad recuperationem urbis Hieroſolymæ profectus, egregium virtutis & fortitudinis ſpecimen edidiſſet, quod ſingulari præmio ornandum eſſe legatus cenſuerat. Is ſanguinis grumus ſingulis diebus Veneris certâ horâ monſtratus, aperire ſe, & in tres partes diduci, ac rurſus coire ſpectantibus videbatur. Quare magno hominum concurſu annos amplius trecentos cultus eſt: donec Henrico duce Megapolitano ſeniore mortuo, Joannes Albertus, fratris filius, ſolus ducatum Megapolitanum gubernans, ditionum ſuarum Eccleſias omnes ab idolis & cultibus Pontificiis repurgans, hunc quoque ſanguinem, exemplo Ezechiæ æneum ſerpentem deſtruentis, removeri juſſit ac comburi.

t) ROSTOCHIUM urbs eſt primaria Ducatûs Megapolitani. In ea hoc anno idola Papiſtica in publicis templis aboleri, & pura Evangelii doctrina deterſis ſordibus Pontificiis cœpit illuſtrari à Joachimo Slutero, quem deinde alii doctores ſecuti ſunt. Tandem ex omnibus etiam urbis monaſteriis cultus idololatrici, tùm piorum & fidelium miniſtrorum zelo, tùm politici magiſtratûs autoritate deleti ſunt, & publica vox veræ doctrinæ, & legitima Sacramentorum adminiſtratio ſubſtituta eſt in omnibus novem templis, quorum in ea urbe frequentia, & ædificiorum ſplendor aliquod etiam de majorum pietate teſtimonium præbet.

t) Oratio Chytræi de Roſtochio.

In HELVETIA plurium Eccleſiarum facta eſt hoc anno reformatio.

u) WILÆ Miſſa Pontificia cum altaribus, idolis & omnibus ceremoniis Papiſticis tollitur.

u) Stumpfius libr. 5.

x) GLARONENSES primi omnium fuerant, quibus

quibus in Helvetia per Zwinglium Evangelium purè fuerat annunciatum. A bello autem Capellensi, cùm multus ubique de religione sermo esset, hoc anno, feriâ secundâ Paschatis maximâ hominum multitudine confluente, altaria, idola, Missæ, & omnia his affinia abjiciuntur, ditioribus & potentioribus nonnullis in ista regione frustrà superstitionum Papisticarum patrocinium suscipientibus.

x) Bullingerus Chronico MS.

y) SOLOTURII dissidium grave inter cives oboriebatur; aliis Evangelii à M. Philippo Grotio pastore suo prædicati libertatem, quâ Bernenses, Basilienses & alii gauderent, expetentibus; aliis Canonicorum hortatu antiqua sacra retinere studentibus. Missi igitur Bernâ, Basileâ, Friburgo, Biennâ, disputatione publicâ rem transigendam decernunt. Ac Evangelici quidem ministri hæc Senatui offerunt themata, quæ in Synodo essent defensuri:

1) *Christus est unicum sacrificium pro peccatis nostris, idemque unicus noster advocatus: Missa, invocatio aliorum mediatorum, & purgatorium est ipsissima Christi abnegatio.*

2) *Traditiones humanæ eatenus obligant, quatenus verbo Dei innituntur.*

3) *Imagines, cum periculo adorationis in loco sacro positæ, sunt removendæ.*

4) *Ex sacra scriptura demonstrari nequit, corpus Christi realiter in pane Eucharistico præsens esse.*

y) Urstisius Chron. Basiliensi.

Hæc themata Senatus cum Canonicis communicavit, qui scripto responderunt, cui Apologiam oppositerunt Evangelici. Senatus lectis utriusque partis libellis, distulit disputationem in XVI. Octobris anni insequentis; permissâ interim ministro Evangelico concionandi libertate.

z) In Comitatu BADENSI ad Rhenum in CÆSARIS SELLA, (Kayfers Stul) multi favebant Evangelio, sed plures Papæ. Tigurini cùm fideles omni ope ac studio juvissent, ita accrevit illorum numerus, ut reformatio Ecclesiæ & ibi susciperetur.

z) Bullinger.

a) ULMENSES Cæsari Augustam venturo obviam miserant gratulatum, â quibus vix ægrè admissis Cæsar postulabat, ut à superioris anni protestatione discederent, seque deinceps postulata facturos sponderent. Magna in urbe consternatio subsequuta est. Zwinglius simulatque id rescivit, Ulmensium Evangelistam Cunradum Somium XXVI. Martii consilio instruit hac epistolâ.

a) Sleidanus.

b) *Referuntur ad nos quotidie literæ à vicinis vestris, puta Camboduneusibus & Memmingensibus atque aliis, plenæ querimoniarum ac desperationis: quòd scilicet ii, qui artibus suis effecerunt, quo minus consilium ineundæ caritatis Christianæ processerit, huc res seduxerint, ut jam adpertè N. metu facere se fingant, quæ faciunt: putà ut ab omnium amicitia, qui opitulari possent, abhorreant, ne Imperatorem scilicet non habeant propitium. Quem quæso ut poterint habere benignum, cùm eo usque perrexerint, ut referre pedem non possint, nisi negare Christum sustineant? Quumque hunc istorum metum video, sollicitus sum, ut semper, de vobis: non quasi verear, Deum vos deserturum esse: sed ne imperiti rerum (quod semper, ut scis, timui) vestri aliquid patiantur. Ut enim Suevicum genus naturâ vehemens est: ita subitò quoque, cùm quid insperato accidit, consternatur. Ad sum ergo iterum, consulturus rebus vestris: non consultus, sed certus nostram fidem vobis esse notam. Qui verbo præfecti estis, cavete digitum transversum à veritatis prædicatione abeatis: quamvis prudenter omnia. Sed simul testemini, vos paratos esse ad reddendum fidei ac doctrinæ vestræ rationem, coram Cæsare quoque: si modò liberè liceat, ac sublatâ omni vi, adire & conferre. Secundò, Non solos esse, qui sic doceatis, sed Lutherum, Oecolampadium, Zwinglium, cæteros multos: qui ut hujus prædicationis duces jure nominentur, vos autem populares ac gregarii tantùm: æquum esse, ut si præsentis doctrinæ ratio sit danda, sic palàm ac liberè fiat, ut non simpliciores opprimi potiùs, quàm rem expendi pro dignitate quisquam queri possit. Attamen pro vestra simplicitate, non detrectaturos satisfactionem coram Cæsare, si modo fide publicâ, cum cautione, quòd etsi hæretici esseris, nulla tamen vis metuenda vobis sit, ad Cæsarem vocemini. Hic ego ad Landgravium me offero, ut si ipse interfuturus sit hisce comitiis, ac me ad se venire jubeat, adfore. Non aliter facient Oecolampadius & omnes. Danda est opera, ut vestri saltem cum Landgravio aliquo pacto conveniant, quandoquidem à nobis abhorrent. Is enim multis modis commodare potest rebus vestris. Probulentas nostros ipse conveniam, ut quicquid opis possint ad vestram confirmationem, nihil sint obmissuri. Vos modò constantes ac intrepidi state. Nihil poterit in vos adversa potestas: major enim est, qui à nobis stat. Et proverbium habet: Quantò quisque est minacior, tantò minus nocet. Vale, & epistolam ipsam, vel descriptam, Symperto Memmingensi communica. Porrò alteram, quæ ad Scribam ejusdem urbis est, primo quoque tempore mittite. Vale, & consta. Tiguri: vigesimâ sextâ die Martii, Anno millesimo quingentesimo trigesimo.*

b) Extat Tom. IV. epistol. Zwingl. & Oecolampad.

Confirmat eundem Cunradum Somium Joannes Oecolampadius sequenti epistolio:

c) *Salutem in Christo. In tanto rerum disturbio, mi frater, nulla non minantibus adversariis, sæpenumero & tui, & Ecclesiæ tuæ memores sumus, quotquot hic Christum docemus. Tibi minùs: illi ut infirmiori, & Cæsarianam potentiam magis quàm divinam stupescere & admirari solitæ plurimum timemus, ne tota (ut aliæ quædam) retrocedat. Tibi constantiæ ac fortitudinis Spiritum precamur, ut pastori, & eximio servo Dei. Hærendum erit, quamdiu licebit innocenter. Proficimus enim nonnunquam, etiam ubi minimè proficere nos arbitramur: proditque cum incremento supra opinionem multiplici, desperatum semen. Nisi omnia fallant, Satan multum repugnans, in suum ruit interitum, nisi sponte à fratribus recipiatur. Quantum ego prophetias Patrum sanctissimorum intelligo, non promovebit Antichristi conatus, quantum nititur: & mirè exercendus*

est populus Dei. Quod si omninò indigna est verbo Dei urbs tua, & servari nequit in officio, alioque migrare cogeris: fidenter agito, memor promissionum Christi, & quam nequeat mentiri, Magister ac Dominus. Sunt & alibi domus & plenitudo domuum. Sunt fratres & amici, quos Dominus excitat. Et ego sanè pro mea parvitate, quod per charitatem tibi debeo (ut de veteri nostra consuetudine taceam) ne aliquid intermittam, probè studebo. Vale, & esto constans. Basileæ XVIII. Augusti.

c) Tom. IV. epist. Zwingl. & Oecolamp. p. 156.

d) In FRISIA Orientali Comiti Ennoni persuaserant nonnulli: Zwinglium Marpurgi à Luthero esse victum: non ferendos amplius Zwinglii asseclas in Frisia. Enno igitur publicam Ordinationem, quam sic vocant, Ecclesiasticam ministris Evangelii omnibus & singulis jubet prælegi, mandatque, ut deinceps secundum verbum Dei & articulos nuperi Colloquii Marpurgici doceant, exilium minitatus iis, qui secus facerent. e) Zwinglius ubi hoc audiit, illicò ad Philippum Hassiæ Landgravium scripsit, rogavitque, ut Comitem Frisiæ de Colloquio Marpurgensi erudiret, & Zwinglium à Luthero nequaquam superatum & confutatum esse testaretur. f) Ministri etiam Frisiaci ad Comitem se purgant de injustis accusationibus, scripto die Januarii decimâ quartâ Comiti oblato. Is innocentiam ipsorum agnoscit. Evangelium purè, ut antè, docetur. Anabaptistæ hac occasione intestinorum dissidiorum usi, effundunt se passim in Frisiam: sed à M. Aportano fortiter reprimuntur.

d) Emdanorum solida expositio Reformationis Frisicæ, germanicè.

e) Ex archivis Cassellanis.

f) Solida expositio Embdanorum.

g) ARGENTINENSIVM non possum quin hoc loco celebrem erga exules in summa annonæ caritate beneficentiam. Lotharingiæ Dux aliquot subditorum suorum millia proscripserat. Hi frondibus arborum & gramine campi vescebantur. Miserti horum Theologi Argentinenses, quotidianis concionibus suis pervicerunt Senatum, ut exules in urbem admissi tantisper alerentur, dum commodè aliò mitti possent. h) Memoriæ quoque proditum est à Caspare Hedione Theologo Doctore, anno 1529 quadrante anni, 2150 pauperes in Franciscanorum monasterio exceptos, iisque ibi de omnibus rebus necessariis prospectum fuisse, magno cum fidelium multorum labore, non minore nonnullorum propter fœtorem, vitæ periculo. Rursum à 24 Junii huius anni 1530 ad 24 Junii anni sequentis in Nosocomio pauperum (in der elenden Herberge) peregrinorum 123545. & ab anno 1531. ad 24 diem Junii 1532. 8579. hospites exceptos cibatosque fuisse.

g) Chronicon Bulling. MS.

h) Præfatione in librum Ludovici Vivis de cura pauperum.

i) In ANGLIA cùm doctrinæ, tùm potentiæ Pontificiæ magna hoc anno facta est inclinatio. Doctrina Pontificis Romani compluribus suspecta esse cœpit: posteaquam codicem sacrum vernaculâ linguâ legere potuêre: quod illis beneficium opera Guilhelmi Tyndalli obtigit, qui cùm lectis Lutheri libris Evangelicæ doctrinæ gustum percepisset, omni sibi studio in eo elaborandum duxit, ut cæteros quoque Anglos ad purioris doctrinæ amorem allectaret. Quâ fini Biblia sacra in sermonem Anglicum convertit, conversa Antverpiæ typis describenda, & sic descripta clanculùm in Anglia hinc inde disseminanda curavit. k) Id quod Episcopum & cæteros è clero (Pontificiæ præsertim doctrinæ addictiores) pessimè habuit; mendis quippe dicebant & erroribus infinitis scatere eam translationem, & in prologis alibique multa sacræ doctrinæ contraria contineri. Rex verò qui Papæ infensissimus jugum Romanum jam primo quoque tempore excutiendum decreverat, hac de re conquerentes, admonuit, ut mendas repurgarent, neque supprimere conarentur opus utilissimum; & ad detegendas fraudes Pontificis Romani (cuius onus tyrannidis, principibus cunctis jam cœperat esse intolerandum) apprimè necessarium. Convocatis igitur episcopis, & aliquot aliis è doctissimis regni sui viris negotium illis dat, novam translationem edendi, quam & tutò & cum emolumento subditi sui legere valerent.

i) Historia Ecclesiastica Foxi.

k) Annales rerum Anglicarum.

Memorabile est, quod de Tyndallo & novo eius Testamento refert Foxus. Cùm primùm, inquit, Tyndallus anno 1530 novum testamentum in vernaculam linguam appararet, ex quo magna copia repentè eorum librorum cœpit fieri: episcopus Londinensis Cutbertus Tonstallus, non vulgariter eà de re sollicitus, consilium captat cum mercatorum quodam Augustino Pakyngtono, de abolendis his novi testamenti libris. Ille cùm Tyndallo clàm faveret, episcopo hoc dabat consilii: nempè si exponeretur tanta pecuniarum summa, quanta sat esset coëmendis omnibus eius impressionis exemplaribus, facilè futurum, ut hujusmodi libri, ad unum omnes tollerentur. Nec mora, arrepto mox consilio, pecuniam exposuit episcopus. Mercator acceptam, Tyndallo tùm exulanti ad assem protinùs universam tradidit. Ex quo factum est, ut Tyndallo suppeteret, non solum quod sibi cæterisque ad victum sufficeret, sed quo majori etiam diligentiâ & librorum copiâ secundam posset editionem adornare.

Sub idem tempus cùm Georgio Constantino multa obiicerentur hæreseos nomine à Thoma Moro, jamque satis ille de vita periclitari videretur, promittit tandem Morus, in cæteris quidem omnibus propitium se illi fore, & condonaturum, modò unum quod rogaret, ingenuè vereque fateretur, nempè ut scire ab eo posset, unde Tyndallus, Joius, cæterique peregrè exulantes hæretici alerentur. Semper enim Morus id summo studio molitus est, horum hominum patronos, quâcunque posset ratione, expiscari. Tum ille: Visne, inquit, Domine, hac lege verum tibi prodam? Maximè verò. Dicam ergo, inquit, tu vide ut promissis stetur. Stipulatur ille. Episcopus, inquit, Londinensis unus omnium maximè irrogatâ ingenti pecuniæ vi, pro redimendis novi testamenti libris, cunctos istos hactenus aluit. Subridens tùm ille: Credo id equidem tibi, ita habere ut dicis. Idque adeò episcopo ipsi libros, tùm priùs empturienti, futurum præsagiebam. Itaque dimissus Constantinus impunè abiit.

Potentiam Romani Pontificis in Anglia maximopere minuit Rex Henricus. l) Nam anno superiori Thomam Volsæum Cardinalem, eundemque Pontificiæ dignitatis assertorem strenuum de summo honoris culmine dejectum everterat: quod sine sua venia & licentia, Legati nam à Papa autoritatem accepisset, eamque in Anglia contra regni ju-

ra ex-

ra exercuiſſet: m) Volſæo fruſtrà ad diploma regium provocante, quo ſibi legati Pontificii munus obeundi poteſtas à Rege facta eſſet. Hoc verò anno cùm in cauſa divortii Pontificem Clementem minùs experiretur clementem, ad vim converſus, publicâ præconis voce per univerſum regnum edixit, ne quis ſubditorum ſuorum aliquid omninò commercii haberet cum Pontifice Romano, neve aliquid acciperent ab eo, aut ad illum mitterent, præſertim pecuniarum, ſive per collybum, ſive aliâ quâvis ratione: Romanum enim Pontificem eſſe tyrannum, orbis terrarum prædonem, bellorum incentorem, & quovis alio magis, quam Vicarii Chriſti nomine dignum. Deinde quia ſibi à clero ob conculcatam hoc modo Pontificis autoritatem, nonnihil metuebat, hujus quoque vires infringendas eſſe cenſuit. Eodem igitur Clerum cum Cardinali Volſæo crimine condemnabat, quippe qui Volſæo, ut Pontificis Romani legato obtemperaſſet, atque ita eandem quàm Volſæus pœnam incurriſſet: quam ut Clerus effugeret, Cantuarienſis quidem Clerus centum librarum millia; Eboracenſis autem octodecim librarum millia regi dependit. Quibus minimè contentus rex, ſuggerentibus (ut autor antiquitatum Britannicarum exiſtimat) conſilium Thomâ Crammero, & Thomâ Cromwello, poſtulavit à Clero, ut ſe ſolum ſuum totiusque populi proximè ac ſecundum Chriſtum protectorem ſupremumque caput agnoſceret. Cui poſtulato, quamvis ægrè, tamen conſenſum eſt, ab utriusque provinciæ clero. Rex & pecuniam & titulum accepit, Pontificiis tacitè frementibus, Evangelicis in ſinu gaudentibus.

l) Antiquitates Britannicæ.

m) Annales rerum Anglicarum.

ANNVS CHRISTI MDXXXI.

ANNUM hujus ſeculi triceſimum primum decorârunt,

Glorioſa & penè miraculoſa proteſtantium ab imminente cervicibus ipſorum periculo liberatio.

Victorum in Helvetia Tigurinorum, Lubecenſium item invicta in religione conſtantia.

Nobiliſſimarum Imperii urbium in Suevia, ULMÆ & AUGUSTÆ plenior reformatio eccleſiaſtica.

Martyria fidelium in Galliâ & Angliâ.

Contaminârunt hunc annum Anabaptiſtæ & Servetus.

PROTESTANTES in Germania ob fidei Evangelicæ profeſſionem maximè periclitabantur. Nam & ab actione fiſcali non erant liberati, & propter decretum Auguſtanum omnium injuriis erant opportuni.

Re igitur in omnem partem deliberatâ, muniebant ſe adverſus calumnias & vim adverſariorum.

Adverſus calumnias muniebant ſe tùm publicatione Confeſſionis & ejus Apologiæ Carolo Cæſari Auguſtæ exhibitæ, tùm literis ad Reges Galliarum & Angliæ miſſis.

Confeſſio Auguſtana prima ſemel in quarto, iterum in octavo edita exſtat tùm alibi, tùm in hiſtoria Confeſſionis Auguſtanæ à Chytræo publicata, in Formula Concordiæ Bergenſi: denique in Centuria decima ſexta Hiſtoriæ eccleſiaſticæ Lucæ Oſiandri.

Literis in Angliam & Galliam miſſis utriusque regni regibus cauſæ ſuæ æquitatem commendabant Ordines Evangelici: quibus uterque Rex amicè quidem & blandè, ſed ita tamen reſpondit: ut Proteſtantes nihil inde auxilii ſibi polliceri poſſent.

Adverſus vim muniebant ſe tùm ſcripto gravi & erudito per Lutherum ad Germanos edito, tùm fœdere inter ſe inito.

SCRIPTO Lutheri hic præfixus erat titulus: Warnung an ſeine liebe Deutſchen. hoc eſt, *Admonitio ad Germanos ſuos.* In hoc libello Lutherus, ut perpetuum pacis conſervandæ ſtudium declararet, & à movendo bello adverſarios deterreret, & ſuorum animos confirmaret, magno & excelſo ſpiritu, & imperterrito ac invicto heroici pectoris robore, Germanos ſuos hortatus eſt, ut pacem colerent, nec impio huic edicto, in perſecutione veræ Evangelii doctrinæ, & innocentum principum ac eccleſiarum, armis ſuis juvandâ, obedirent: nec pro idolis, libidinibus, & aliis abominationibus Pontificiis pugnarent. Suæ etiam partis homines, ſi à Pontificiis bellum ipſis nomine Imperatoris inferatur, non quidem ad arma capienda incitat: verùm ſi armis reſiſtant, & vim vi repellant, non velut ſeditioſos traduci vult & condemnari: ſed velut neceſſariam ſui & ſuorum defenſionem ſuſcipientes excuſat. Ipſum etiam Edictum altero libello refutat.

FEDERIS ineundi gratiâ primùm Smalcaldiæ, deinde Francofurti ad Mœnum convenerunt hoc anno Proteſtantes. Inter eos, qui in fedus conſentiebant, deliberatum fuit, de ſuffragiis exquirendis, de ſubitariis auxiliis, de contribuendis pecuniis, de perpetuandis auxiliis, de deligendis Ducibus, de recipiendis illis, qui velint ſocii eſſe hujus federis.

Graves tùm controverſiæ exercebant Principes. Quærebatur enim, *utrum Cæſari, religionis ſincerioris profeſſores oppreſſuro, jure divino armis occurri poſſet nec ne?* Quærebatur, *ſi fedus adverſum Pontificios facere liceret, an etiam admittendi ad illud ii, qui diverſam à Saxonibus de Cœna Domini ſententiam tuerentur?* De utràque quæſtione non una & eadem erat Evangelicorum ſententia.

Quidam, *Evangelium gladio adverſus Cæſarem defendendum eſſe*, affirmabant: idque ideò, quia omnium Magiſtratuum ſit defendere ſuos ſubditos: & in medio ſint exempla, *Moſis*, interficientis Ægyptium: *Judicum*, allophylos reprimentium: *Davidis*, contra Saulum fedus ferientis cum Jonatha: *Maccabæorum*, Antiochum oppugnantium: *Conſtantini*, Licinio reſiſtentis. Sic Neronem & Maximinum à Senatu Romano hoſtem eſſe judicatum. Addebant, non eſſe participandum alienis peccatis, quod fiat niſi reſiſtatur: cultum Dei præponendum eſſe cultui Magiſtratus: ſubditorum majorem rationem habendam eſſe, quàm Magiſtratus: injuriam & violentiam notoriam, jure naturæ tollere obligationem ſubditorum ad Magiſtratum: Imperatorem conditionaliter imperare: itaque ſi violet pacta, non geri contra illum bellum, ut contra Magiſtratum, ſed ut contra latronem & Pontificis militem: Imperium Ariſtocratiam veriùs eſſe, quàm Monarchiam, atque hac de cauſa Principes non

non ad omnia Cæsaris mandata esse obligatos: graviorem esse Cæsaris tyrannidem quàm Turcæ, cùm hic corpora, ille animas eat perditum: ideoque meliori jure contra Cæsarem animas, quàm contra Turcam corpora defendi: Electorem & Principes non egere speciali mandato in hac causa, quia antea sint magistratus.

Contrà alii multis argumentis docebant, *Evangelicis nec fedus, nec bellum contra Cæsarem suscipere licere.* Neque enim resistendum esse potestati, sed vindictam Deo relinquendam: præsertim cùm Electores ipsi Magistratus sint quoad subditos suos, subditi autem quoad Cæsarem: Christianorum esse constanter profiteri, & fortiter pati, exemplo Christi, Apostolorum, primæ Ecclesiæ. Sancitum hoc esse in jure civili: neminem debere esse sui ipsius judicem: & injustiorem esse, qui verbera reddit: præterea inter causas exusti à Luthero Juris Canonici fuisse & has, quod in eo doceatur: *inferiores & subjectos posse suis superioribus contumaciter reluctari: nec præceptum, sed consilium tantùm esse Apostoli, quando voluit omnes homines regibus subjectos esse.* Subjungebant, si quis fortè pater filium suum ad idolorum cultum cogere nitatur, filio omnia perferenda potiùs, quàm obsecundandum patri, à defensione tamen, vel si plagas à patre accipiat, filio abstinendum. Eandem subditorum & Magistratus esse rationem. Frustrà objici illud: *Deo plus quàm hominibus obediendum.* Aliud enim esse non obedire, aliud vi resistere. Frustrà objici exempla *Mosis, Judicum, Jehu, Maccabæorum, Davidis:* siquidem Moses, Judices, Jehu singulari Dei jussu facta sua poterant defendere: Maccabæi non contra Magistratum suum, sed contra latronem Antiochum bella gessere: David non de religione, sed de promisso sibi regno subigendo laborabat. Frustrà objici: *permittere, cùm prohibere possis, est approbare.* Pati enim non esse idem quod permittere: & hac ratione Abelum homicidii, Lothum Sodomiæ, Martyres, Prophetas, Apostolos, Christum persecutionis reos futuros. *Omnia quidem impendenda esse ad Evangelii defensionem:* sed Evangelicè, non militariter: hoc est, patiendo, non repugnando. Cæsarem, utut pro Pontifice bellum gerat, Cæsarem tamen esse, quandoquidem non culpa, sed pœna, id est, depositio magistratum tollat. Turcam non esse magistratum nostrum, adeoque jure grassatorem illum oppugnari. Ad summam: fortitudinem Christianorum in silentio & spe repositam esse debere.

Atque hæ sunt rationes, quibus in utramque partem quæstio ista tùm fuit disceptata, excerptæ ex scriptis variorum, quæ nuper conjunctim à Cl. V. D. Friderico Hortledero Consiliario Saxonico magno patriæ bono sunt edita, volumine eo quò belli Germanici causas persequitur.

a) Lutherus hactenus constanter docuerat, *Magistratui non esse resistendum:* & exstabat ejus hac de re libellus. Cùm autem in hac deliberatione periti juris docerent, legibus esse permissum resistere nonnunquam; & nunc in eum casum, de quo leges inter alia mentionem faciant, rem esse deductam, ostenderent: Lutherus ingenuè profitetur, se nesciviss hoc licere: & quia leges politicas Evangelium non impugnet aut aboleat, uti semper docuerit; deinde, quoniam hoc tempore tam dubio tamque formidoloso multa possint accidere, sic ut non modò jus ipsum, sed conscientia quoque, vis atque necessitas arma nobis porrigat; defensionis causâ fedus iniri posse dicit, sive Cæsar ipse, sive quis alius fortè bellum ejus nomine faciat. Georgius verò Marchio Brandeburgicus, Norimbergenses, Heilbronnenses, etsi doctrinam profitebantur eandem, à federe tamen erant alieni. Quorum de federe sententiam Joachimus Camerarius comprobans vehementer objurgabat Wittembergenses, quòd priorem de quæstione illa sententiam mutassent. b) Cui Melanchthon, *Intidere,* inquit, *possunt occasiones, quæ cogant illo jure publico uti, non contra dominum, sed contra hos, qui titulo domini abutuntur, ut suum odium expleant.*

a) Sleidanus l. 8.
b) Libr. epist. ad Camerar.

Quærebatur deinde: *an qui diversum de Eucharistiâ ab Augustanâ Confessione sentiunt, in fedus recipiendi?* Et quidem cum Argentinensibus & aliquot Sueviæ civitatibus facilè fuit transactum. Cùm enim illi in Conventu Smalkaldico dogma suum de Cœna Domini in Comitiis Augustanis propositum uberiùs (hoc est, Lutheranicè) tunc explicassent, recepta fuit à Saxonicis ipsorum interpretatio, ipsique sequenti anno ad fedus sunt admissi. Joannes Pappus Doctor Theologus narrat: c) Theologos Argentinenses magistratui suo quærenti: si Cæsar pace eos tantùm gaudere vellet, qui Confessionem Augustanam amplexarentur, quid faciendum? respondisse: An der Lehr, wie die in der Confession und derselben Apologia verfasset, und wir sie auch aus andern Doct. Luthers Büchern erkennen, befinden wir nichts, an dem verständige Christen sich scheuen solten. Hoc est: *In doctrina Confessionis & Apologiæ Augustanæ, & ejus in aliis Lutheri scriptis explicatione, nihil invenimus, à quo prudentes Christiani abhorrere possint.* Swinfurti igitur, anno 1532. Argentinenses & aliquot præterea civitates Suevicæ, ut communi cum Protestantibus aliis pace fruerentur, Confessioni Augustanæ & Apologiæ subscripserunt, abjectâ non quidem publicè, sed tacitè, Confessione quatuor civitatum, & purissimâ de Cœna Domini doctrinâ, quam antea fuerant professi. Id quod Capito & Bucerus epistolâ ad Lutherum anno 1537. 19. Januarii datâ non diffitentur, in qua inter alia & hæc leguntur: d) *Nostra & pleræque aliæ Respublicæ, quæ Swinfurti vestræ Confessioni & Apologiæ subscripserunt, sustinere non possunt, ut nunc demum convenisse nos fateamur, quia tunc omnibus ministris suis seriò injunxerunt, ne quis aliter doceret, quàm in ea Confessione & Apologiâ vestrâ expressum est, idque nos hîc certè fideliter studuimus. Idem factum est & in aliis Rebuspublicis. Hinc vellent isti, de Concordia nostra testationem orbi sic fieri, ne cui videretur, cùm Confessionem & Apologiam Principum publicè receperint, verba dedisse, & in re tanti momenti non egisse sinceriter.*

c) Apologia Ordinationis Argent. german. p. 28.
d) Ibidem pag. 51.

Tulerunt hanc subscriptionem indignissimè tùm Helvetii, tùm per superiorem Germaniam quàm plurimi, quippè qui existimarent, plus metum hostilis

 poten-

potentiæ Pontificiorum, quàm veritatis ſtudium in hac Suevorum & Argentinenſium cum Saxonicis conjunctione valuiſſe. Wolfgangus Muſculus ſcriptis ad Bucerum literis non diſſimulabat, quid de Concordia iſta ſentiret: e) *Bucere*, inquit, *tu ſcribis ad nos, ſeceſſum eſſe à veſtris urbibus in Confeſſionem Saxonicam, eò quod vera habeat, nihilque aliud videatur prætendere, quàm quod Chriſtus in ſacramento Euchariſtiæ, vel corpus & ſanguis Chriſti in Cœna Domini diſtribuantur comedentibus, & quòd qui ſecùs docent, improbentur. Nobis verò de his verbis non tam anxiè curandum ſcio, quàm de illorum interpretatione, quâ ſcilicet Lutherani illa ponant. Atque hanc puto rationem fuiſſe, quòd huic Saxonicæ Confeſſioni in Comitiis apud noſtros habitis ſubſcribere noluerit. Me mirum in modum movet, quomodo hodie vera ſint Saxonicæ Confeſſionis verba, cùm tùm vera non fuerint, quando, ſi vera ſunt, magno Eccleſiarum emolumento admitti poterant. Adducitur Cyrillus, qui de manducatione carnis Chriſti loquitur, non carnali ſed ſpiritali, juxta cujus intellectum debeat Lutherus intelligi. Sed rogetur Lutherus ut ſe ipſum exponat. Imò videatur Apologia Saxonica, & habebimus longè diverſum. De hac re igitur, niſi volueritis Eccleſiam noſtram turbatiſſimam, imò non ſolùm noſtram Eccleſiam, ſed & optimos quosvis ſummè offenſos, & veritatem ipſam in tanto divinæ cognitionis ſplendore, vel ignorantiæ vel dubitationum nebulis obductam, ſummè neceſſarium erit, ut certum faciatis quocunque modo, quibusnam conditionibus illa concordia ſit conflata. Non eſt quòd fucis agamus, qui veritatis teſtes eſſe debemus, niſi malimus cum hypocritis hypocriſeos ſubire judicium, irriderique & explodi coràm univerſo mundo. Poſtremò vellem doceri, quale verbum habeant Lutherani, & quam Eccleſiam, & qualia Sacramenta, quibus omnibus nos careamus, ipſi verò tanquam in medici domo (ita ſcribis Bucere) medicamina ſalutis in promptu habeant. Nos prædicamus Chriſtum Jeſum, & hunc crucifixum, verbum ſcilicet ſalutis, deinde coimus in unum, oramus, admonemus ad vitæ innocentiam, Chriſtianâ profeſſione dignam, Cœnam Domini quàm poſſumus devotè celebrantes: in nomine patris, filii, & ſpiritus ſancti baptiſamus oblatos pueros, id quod puto & Lutherani faciunt, & vos non intermittetis. Quomodo hæc apud Lutheranos ſunt remedia ſalutis, apud noſtros verò innanes quisquiliæ? Sunt inter nos peſſimorum hæreticorum aliquot genera. Dolemus. Zizaniæ ſunt. Scandala ſunt, quæ eſſe oportet, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant. Sumus ideone diſſolutæ ſcopæ?*

e) Ex Autographo.

De Helvetiorum conjunctione difficilior erat quæſtio. Laudatiſſimus Haſſiæ Landgravius Philippus, Argentinenſes & aliquot aliæ civitates deſiderabant hoc unicè, ut Helvetii indefinitè, ſine ullius dogmatis exceptione, reciperentur. Landgravius etiam ſcriptum quoddam, in quo diſputabatur de incundâ Helvetiorum & Saxonum fraternitate, ad Theologos Witembergenſes miſit, ſi quid fortè vel iſtâ ratione obtineri poſſet. Sed reſtitit acriter Lutherus, fedus hujusmodi fore vanum, periculoſum, ſuſpicionis & offendiculi plenum, impium denique propter hæreſin de Sacramento, docens. Reſtitit & Norimbergenſis Senatus, qui Smalcaldiam ſcripſit, nullum cum Helvetiis fedus pangendum, niſi in doctrinâ conſenſus ſit. Ob quam cauſam Saxo fedus cum Helvetiis prorſus reſpuit.

Tot igitur modis inter ſe ſciſſi Evangelici in periculo hoc majori verſabantur, quòd vel omnes & ſinguli conjuncti non videbantur pares futuri viribus Caroli, cujus potentiam & felicitatem, ſuperati non ita pridem ab ejus milite & capti, Rex Galliarum Franciſcus, & Pontifex Romanorum Clemens VII. per orbem terrarum diſſeminarant. Hinc Melanchthonis illa ad Camerarium querela: f) *Chriſtus reſpiciat nos. Nulli generi hominum unquam periculum majus fuit, quàm nobis. Nec odia acerbiora fuiſſe unquam ullius factionis, quàm noſtri nominis, colligo. Itaque non alibi quærendum nunc eſt auxilium, quam apud Deum, qui exaudit gemitus pauperum. Multi exeunt libelli, qui prægravant nos.*

f) Libr. epiſt. ad Camerar. p. 158.

g) Ecce tibi autem iterum adimpletum Pſalmicum illud, *Mittit auxilium de cælo.* Qui Germanis imminebat Cæſar, tacito Dei juſſu à bello Germanico ad Turcicum avocatur, Turcarum Imperatore illo ipſo tempore in Hungariam & Germaniæ fines irruptionem faciente. Canes lingunt ulcera Lazari. Turca mitigat edictum Auguſtanum.

g) Pſ. 57. v. 4.

TIGURINORUM & periclitantium Lubecenſium invictam in religione orthodoxâ conſtantiam nunc memoro.

h) Tigurini dira ſunt paſſi hoc anno: de religionis tamen ſtudio nihil remiſerunt. Res ita habet: Quinquepagici nullis non contumeliis afficiebant Bernates & Tigurinos, ob novæ, quam ſic vocabant, religionis profeſſionem. Hi igitur locis omnibus occupatis atque clauſtris viarum, ne quid ad illos deveheretur alimoniæ, prohibebant. i) Rex Galliæ, Clareani, Friburgii, Solothurii, Appecellenſes, cùm res ad magnum aliquem motum ſpectaret, intercedunt, & pacis conditiones æquas proponunt, ſed fruſtrà. Cùm igitur Quinquepagici maximâ rerum neceſſariarum inopiâ premerentur, ſilentio conductis copiis, Tigurinorum præſidium celerrimè & prorſus inopinatò aggreſſi ſunt. Cumque ſubſidio venirent Tigurini ſuis laborantibus, ortum eſt ſubitaneum & tumultuarium prælium: in quo Tigurini ſuperati, multos ex ſuis deſiderarunt, reliqui terga verterunt. Cùm Tigurini poſt acceptam cladem, bellum, freti ſociorum auxiliis, inſtaurarent, denuò ſuperati & cæſi ſunt, multis tamen etiam apud Quinquepagicos deſideratis. Pace demum factâ per interceſſionem, hoc etiam fuit additum: quod nuper cùm Argentinenſibus atque Landgravio feciſſent fedus Tigurini, Bernates, Baſilienſes, ut ab eo diſcedant: idem de Ferdinando faciant Quinquepagici. Itaque redditis literis, quibus invicem tenebantur, diſſoluta fuit hæc utrobique confederatio.

h) Uritiſius.

i) Sleidanus.

k) In Cappellenſi prælio Zwinglius quoque occubuit. Nam Tigurinorum ita fert conſuetudo, cùm in hoſtem exitur, ut Eccleſiæ miniſter primarius unà prodeat. Zwinglius etiam vir fortis alioquin & animoſus, cùm ſecum reputaret, quòd

si domi resideret, ac prælium fortè fieret adversum, fore ut magnam ipse sustineret invidiam, quasi concionibus quidem accenderet hominum animos, in ipso autem discrimine remolleseeret: voluit omninò communem subire Martem. In corpus autem exanime valdè sævitum fuit, & vix etiam illius morte potuit odii acerbitas exaturari. l) Natus erat annos quadraginta quatuor, minor Luthero quatuor annis. Nunquam placuit illi commeatus amputatio. Itaque 26. Julii in Senatum venit, & ab eo abeundi Tiguro potestatem petit: monita enim sua negligi: in Senatu esse, qui Evangelii hostes, Quinquepagicorum optimi sint amici: nihil boni se sperare posse. Perturbatur Senatus, agit cum Zwinglio per delectos, ut ecclesiam ne deserat. Promittit se vel cum vitæ periculo mansurum, dummodò causa publica rectè agatur. m) Die Augusti decimâ Bremgartum venit ad Henricum Bullingerum Pastorem oppidi, ubi legatos Bernensium ad se vocatos graviter monuit, agerent prudenter: rem periculi esse plenam: Quinquepagicis alimoniam esse subtractam: si lex relaxetur, pertinaciores futuros; sin fixa maneat, diram consultricem esse famem: pessima autem quæque in Ecclesia metuenda, si superiores fierent illi.

k) Idem. l) Chronicon Bulling. MS. m) Idem.

n) Quatuordecim ante profectionem diebus bis pro concione dixerat, dum ferverent omnia: *Scio, scio, quid rei sit.* Es ist um mich zu thun: *ut ego tollar, fiunt omnia.* Imò & Cometen, quæ visa est per aliquot septimanas, in aurem susurravit amico, fatalem esse & sibi, & alteri cuipiam. Quod de Oecolampadio sunt interpretati. Qui prælio interfuere, testati sunt, Zwinglium prostratum prementium multitudine jam tertiò, sed in pedes semper restitisse: quartò fixum cuspide sub mento, & in genua prolapsum dixisse: o) *Ecquid hoc infortunii? Age corpus quidem occidere possunt, animam non possunt.* Milite cæsos spoliante repertus est Zwinglius adhuc vivus, supinus jacens, complicatis manibus, oculis in cœlum conjectis. Rogatus, num sacerdotem confessionarium vellet, abnuit capitis nutu: numne Mariam invocare vellet; itidem renuit capite, oculis semper in cœlum intentis. Quâ re commotus quidam, lethale illi vulnus, sed non agnito, inflixit. p) Ubi compererunt, Zwinglii cadaver esse: judicio militari condemnatum in quatuor partes secuere, & flammis comburendum tradidêre, quæ hostibus quodammodò mitiores tanti viri cordi pepercerunt, quod in cineribus illæsum inventum est. Ad hanc de Zwinglio primùm interfecto, deinde combusto historiam alluſit Theodorus Beza, quando hoc Zwinglium ornavit epitaphio.

Zwvinglius arderet gemino cùm sanctus amore,
Nempe Dei inprimis, deinde etiam patriæ;
Dicitur in solidum se devovisse duobus,
Nempe Deo inprimis, deinde etiam patriæ.
Quàm benè persolvit simul istis vota duobus,
Pro patria exanimis, pro pietate cinis!

n) Myconius in vita Zwinglii.
o) Bullinger.
p) Myconius.

q) Qui milites portiunculis à Zwinglii corpore resectis ocreas illeviſſe scribunt, suam produnt infantiam in historia Zwinglii, quem non pingui & obeso, sed gracili & macilento corpore fuisse dicimus. Æquè insulsi sunt illi, qui violentæ & cruentæ mortis Zwinglii argumento doctrinam ipsius impetunt: quos si audias, ipsi Apostolorum principes in primâ Catalogi hæreticorum paginâ tibi erunt locandi.

q) Compilatores Aug. Conf. historiæ.

De clade Tigurinorum discrepantia erant hominum judicia. Qui causas proximas spectabant, in proditores detonabant, quorum aliqui non ita multò post justas scelerum suorum pœnas luerunt. Qui animum paulò sublevabant altius, agnoscebant, ita humiliandos fuisse, qui omnem victoriæ spem in potentiæ suæ robore fixam haberent. Cujus culpæ affinem fuisse sanctum quoque Oecolampadium, vel epistola illa loquitur, quâ Simonem Grynæum Heidelbergâ Basileam vocans non dubitat scribere ista: r) *Helvetios inter se dissidere, prorsus periculo caret: potentissimæ civitates confederatæ sunt ad tuendam Evangelii gloriam: quæ repugnant, pauciores sunt & longè inferiores.* Cujus judicii procul dubio illi in mentem venit, quando victis Tigurinis ad Theologos Ulmenses scripsit: s) *Non inter minima bona recenseri merentur, humiliatio mentium nostrarum, & fiducia non in brachium carneum, sed in Deum ipsum. Quæ duo electi inde discunt.* Wolfgangus Musculus arreptâ inde occasione divinabat, & verè quidem, in Germania idem futurum. Hæc enim sunt illius ad Bucerum 30. Octobris hujus anni Augusta Vindelicorum scripta verbi: t) *Quin peccarint olim Helvetii mercenariam operam ad quævis vel impiissima bella locantes, agnoscunt quidem hodie boni, sed quota est eorum portio, quos ejus facti vel tantillum verè & seriò pœnituerit? Quod si Dominus illius peccati animadversionem instituere voluit, à quibus quaso, nisi à suis, ut solet, exordietur? Cur id fiat, mille sunt causa. Germania quoque multarum nationum spoliis referta discet tandem, quàm verè dixerit Propheta:* Væ, qui prædaris, nunquid & ipse prædaberis? *An adeò clanculum est, in Germania prædones sanguinarios, ut quisque plura aliarum nationum spolia reversus attulit, eò fuisse & esse hodie honoratiores? Præmisit Dominus verbum suum, quod quo loco habeatur, sole ipso clarius est. Quid sequetur, Bucere charissime? Si castigaturus est Dominus Germaniam, ut non dubito, quos quaso priores putabis sensuros flagellum? Nostri perpetuò gloriantur in multitudine & potentia quorundam, qui à parte nostra sunt, Principum, urbium, & nescio quarum nugarum. Verùm quàm id displiceat Domino, norunt pii. Ego non video, quo pacto possit Dominus nobis adesse illâ quâ nos vellemus, viâ. Quantum gloriæ accedet divino nomini, cùm multi vincunt paucos, potentes superant infirmiores? Enormis est Papistarum impietas simul & improbitas. Verum ideò etiam absque dubio sentient manum Dei omnium malorum ultricem. Sed nos quoque commisimus & committere non cessamus castiganda justo Dei judicio, quorum non adeò seriò nos pœnituit atque decebat veritatis & bonitatis divinæ gnaros.*

r) Tom. 4. epist. Zwingl. & Oecolampad. pag. 836.
s) Tom. 4. epist. Zwingl. & Oecolampad. pag. 981.
t) Ex autographo.

Et hæc quidem amici. Adversarii atrociùs de clade istâ judicabant. Erant qui Zwinglianos Evangelium vi dilatare voluisse, clamarent. Comprimit horum ora Oecolampadius: u) *Vanissimum est*, inquit, *quòd Evangelium sic velint nostri dilatare: non ita habent res. Tyrannis illa intolerabilis est: perditi semel essemus omnes, nisi opposuissent se nostri. Agitur omnium Evangelicarum Rerumpublicarum res. Objecerunt illi boni viri sua corpora, & pro nobis, & pro vobis. Quòd autem Pater cœlestis castigat nos, nostrum fuerit, juxta Prophetam, iram Domini portare: non enim irascetur in æternum.*

u) Ibidem pag. 982.

Rursum alii ex clade Tigurinorum religionis ipsorum falsitatem colligebant. Joannes Faber scripto publico cladem illam exaggerabat, & Tigurinos erroneæ doctrinæ pœnas luere gloriabatur. x) Cui respondit Henricus Bullingerus, mendacia ejus coarguens, & de religione non ex prospero aut adverso rerum successu judicandum esse, docens.

x) Vita Bullingeri.

Jam de ipsius Zwinglii occubitu qualia non dico adversariorum, sed etiam amicorum putemus fuisse judicia? y) *Apud Pontificios nostros*, scribit Musculus Augustâ Vindelicorum ad Bucerum, *tantum est tripudii, ut facilè crediderim in hoc insaniæ illos conjectos, ut quasi certissimum habeant, confecto Zwinglio, sese prorsus victores omnium evasisse.*

y) Ex autographo.

z) Lutherani quotidianis concionibus, epistolis, libris & carminibus victis insultabant, affirmantes Zwinglium ejusque discipulos contemptus sacramentorum meritas debitasque pœnas Deo hominibusque persolvisse. Numerum præliorum & cæsorum etiam admoniti augebant, ut doctrinam Tigurinorum odio & invidiâ gravarent. Multi, qui antè partes Zwinglii acriter defenderant, ærumnis Tigurinorum fracti, paulatim ad Lutherum deficiebant. Multi solo metu à libera hujus doctrinæ professione prohibebantur. Multorum dogmatum, à quibus Zwinglius alienissimus fuit, quæque strenuè impugnavit, originem ad ipsum quidam referebant. Odiosè in vulgo spargebatur, *Zwinglianos Christi præsentiam tollere è Cœna, vacua & inania ponere symbola, omnipotentiam Dei negare, fidem verborum Christi violare.* Tandem res eò deducta est, ut multi nimis gravi præjudicio, Zwinglii & Oecolampadii nomen, tanquam pestilentissimorum hæreticorum, vix audire dignati sint: & quæcunque ab eis profecta audiebant, nec visa, nec audita, nec lecta, condemnârint.

z) Lavaterus.

Jactabatur quoque passim in Zwinglii ignominiam Jacobi Mycilli Poëtæ Chronodistichon, Carionis etiam Chronico insertum:

OCCVbVIt patrIo beLLator CIngLIVS ense:
Et pressa est arMIs gens popVLosa sVIs.

Cui Hermannus Buschius hos opposuit versiculos:

Occubuit justus sævorum Cinglius ense:
Notus es & nugis vane Mycille, tuis.

AMICORVM Zwinglii, alii ejus ad militiam egressum mirabantur, alii super cæde ejus mirè discruciabantur. Qui Zwinglium militem egisse mirabantur, iis eruditè respondit Oecolampadius: a) *In Helvetiis*, ait, *non est novum, ut cum signis præcipuis egrediantur etiam primi sacerdotes, etiam armati. Non egressus est autem frater noster, ut dux militiæ: sed ut civis bonus, & pastor optimus, non detrectans mori cum suis. Quotusquisque obtrectatorum vel unciolam habet tam generosi spiritus? Nec egressus est sponte: deprecantem, uti liceat aliquantisper domi manere, non exaudiit Senatus: præsagiebat enim, & prædicebat adversa. Et urgebant, tantumque non rapiebant importuni: inter quos non defuêre proditores, pusillanimitatem objectantes, si defuturus esset comes. Et erat ille ut seculares alias artes, ita & militarem, non mediocriter edoctus.*

a) Tom. IV. epist. Zwinglii & Oecolampad. p. 980.

Quos discruciavit illius obitus, inter eos primus fuit Joannes Oecolampadius, quo cum dulcis fuerat Zwinglio per aliquot annos non verborum sed animorum amicitia. Expiravit ille Basileæ Calendis Decembribus hujus anni. b) Melanchthon suspicatur, animi dolore extinctum esse. Nec negârit forsan ipse, si loqui posset, Oecolampadius. Sic enim ille ad Martinum Frechtum & Cunradum Somium Ecclesiastas Ulmenses octavâ Novembris hujus anni: c) *Salvete in Christo. Non possum, ire inficias, fratres charissimi, possum me humanum quiddam, ut accepi, Zwinglium nostrum in crudelissimorum hostium manus venisse, tantaque sævitie discerptum: non ignarus, quanto cum tripudio mundi, quantoque cum offendiculo pusillorum, rumor ille divulgetur. Et consolabar quidem me ipsum, licet subinde calamitas calamitatem exciperet. (Non enim solus ille occubuit, sed ceciderunt cum eo & alii quidam memorabiles viri: Abbas Capellensis, & Commendator Kusnacensis: nec una strages fuit, sequuta est & altera ob fugam fœdior: in qua aliquot ex sociis desiderati.) Cogitabam enim rerum terrenarum vicissitudinem, & hos alioqui mortales potuisse vel peste, vel alio fato absumi, præcessisse quidem, nos verò sequuturos, etiamsi alio mortis genere. Quæ vulgum offendunt, ea si nullos alios turbarent, me minimè moverent: nota enim mihi est virorum illorum erga Deum hominesque fides, quæ non sinit illis malè esse. At dum veniunt mihi in mentem calumniæ, quibus simpliciores circumveniuntur & degravantur, unum id maximè dolet, quòd Apologiæ nullas aures inveniunt, calumniæ omnes præoccupant.*

b) Epist. ad Camerar.

c) Tom. 4. epist. Zwingl. & Oecolamp. p. 979. & 980.

Nec abludit ab hac suspicione morbi genus: anthrace enim correptus est, teste Simone Grynæo in vita Oecolampadii. Memini eodem morbo correptum fuisse Joannem Matthæum Doctorem & Professorem Theologum Wittenbergensem, & intra triduum animam exhalasse, cùm nihil tale cogitanti per Electoris Saxoniæ Christiani I. legatos munere docendi publico esset interdictum, anno 1588. Quod autem Lutherus anno 1533. libro de Missa privata scribere ausus fuit: se credere, *Oecolampadium ignitis Satanæ telis & hastis confossum subitaneâ morte periisse*, historia morbi & mortis Oecolampadii à Simone Grynæo, vel Lutheri judicio integerrimo viro contexta, abundè satis refellit. Nihil ibi Satanici, nihil ibi igniti:

sanctæ

ſancta autem cum liberis, ſancta cum Eccleſiæ miniſtris colloquia audias: nec ſubitaneâ morte, ſed poſt quindecim dierum decubitum, Oecolampadium eſſe ſublatum. Illud planè abſonum, quod Bucerus ad Martinum Lutherum teſtatus eſt: d) Oecolampadium ſibi & Luthero in cauſa Euchariſtica planè conſenſiſſe, poſtquam Coburgo Bucerus Baſileam ad Oecolampadium veniſſet. Negarunt Baſilienſes: negarunt Tigurini: contradicit Dialogus Oecolampadii paulò ante obitum ejus publicatus: contradicunt extremæ, adeoque cygneæ voces Oecolampadii, quibus miniſtris Evangelii verbique ſociis & Eccleſiæ primoribus advocatis valedixit, hujusmodi oratione uſus: e) *Quid ſit, videtis, fratres: Adeſt Dominus, venit, hinc jam nos abducit. Quæ cùm ita ſint, vocare vos priùs volui, & hanc animam cum charisſimis verâ in Dominum lætitiâ, verâ conſolatione exatiare. Quid igitur, ſervi Chriſti, quos idem erga Dominum ſuum amor, ſtudium idem, doctrina eadem conjunctisſimè copulavit, in extremo complexu dicemus? Parta ſalus, parta per Chriſtum omnis nobis regni Dei fiducia eſt, doctrina certa, pedibus noſtris lux parta: abeſſe procul omnem triſtitiam, omnem vitæ mortisque metum, omnem dubitationem & errorem decet. Solum hoc, fratres, eſt reliquum, hoc ſolum ſupereſt, fratres, ut Chriſti veſtigiis, quæ dudum ingreſſi ſumus, conſtanter fideliterque inſiſtamus, doctrinæ puritate primùm intactâ, vitâ deinde per omnia vivo Dei verbo conformatâ: cætera qui potens eſt, quique ſponte vigilat ſuâ, Chriſtus Dominus curabit, Eccleſiam ſuam tuebitur. Agite igitur, ô fratres, ſic luceat lux veſtra, ut in nobis glorificetur Pater Deus, illuſtre Chriſti nomen conſpicuumque luce vitæ & ſinceritatis veſtræ fiat. Agite, diligite inter vos verè, vitam hanc in oculis, in conſpectu Dei totam traducite. Fruſtrà verbis pietas inculcatur, veritate & luce vitæ opus eſt, veroque & cæleſti mentis ſpiritu, ſi fundere Satanam, ſi convertere in Dominum Chriſtum, mundum hunc præſertim velimus. Nam quæ ſurgunt, ô fratres, nebulæ, quæ ſe tempeſtas ingerit, quæ hominum alienatio, quæ impietas incumbit? Sed ſtare, fratres, durareque oportet: præſens ipſe ſuis rebus aderit Dominus. O ſi pericula unà ſubire, hanc animam pro veritate ſæpè effundere liceat! Sed licet, indiviſus amor eſt, & indiſſolubile in Chriſto vinculum, communia piis omnia inter ſeſe.* Hæc ita de pietatis communi cauſa. De ſua ſic paucis: *Corruptæ veritatis ſcelus, quod nobis imputatur*, inquit, *nil moror. Subeo jam bonâ per gratiam Dei conſcientiâ tribunal Chriſti: hic liquidum erit, Eccleſiam per nos non eſſe ſeductam. Cujus quidem ſententiæ conteſtationisque noſtræ teſtes vos relinquo, & ipſe hoc extremo ſpiritu confirmo.*

d) Apologia Argentinenſis Ordinationis pag. 45.
e) Grynæus in vita Oecolampadii.

Encomium hujus viri, cujus morientis ultimæ voces fuerunt, *Salva me, Chriſte Jeſu*, texuit Bullingerus præfatione in Iſaiam Oecolampadii: magnanimitatem & animum pro Chriſto moriendi cupidum celebrat Oſwaldus Myconius procœmio expoſitioni minorum Prophetarum Oecolampadianæ præfixo.

Sic igitur afflicta fuit urbs Tigurum clade ſuâ, cæde Zwinglii, obitu vicini Oecolampadii.

Afflixit eandem calamitas vicinorum nonnullorum, qui Evangelium non ita pridem fuerant amplexi, ſed poſt victoriam Pontificiorum libertate illâ privabantur. f) Inter hos erant BREMGARTENSES, quos deſerere cogebatur Henricus Bullingerus cum patre, fratre, & Gervaſio Scholaſtico Collega: g) WILENSES, apud quos per Abbatem Dithelmum omnia Pontificiorum ſacra ſunt reſtituta: h) RAPPERSWEILENSES, MELLINGENSES & PRÆFECTVRÆ LIBERÆ, quæ ad Papatum rediêre.

f) Vita Bulling.
g) Stumpfius l. 5.
h) Bullinger Chronico.

In hoc calamitatum publicarum & privatarum concurſu Tigurini receptam veritatis profeſſionem conſtanter retinuerunt: i) & ne quid detrimenti res ſacra pateretur, Zwinglio demortuo in profeſſione Theologica Theodorum Bibliandrum, in munere epiſcopali Henricum Bullingerum ſubſtituerunt, & hoc quidem de voluntate ipſius Zwinglii, qui in caſtra profecturus, Bullingerum, ſi quid adverſi ſibi accideret, ſucceſſorem nominârat.

i) Vita Bulling.

BUCERVS, & ejus inſtinctu Senatus Argentinenſis, ſub initium hujus anni per Erneſtum Ducem Brunſuicenſem & Luneburgenſem cum Luthero de concordiâ in negotio Euchariſtico egerant, ſed rejecti fuerant à Luthero ſcribente ad Ducem Erneſtum; *ex tali conciliatione* (qualem Bucerus propoſuerat) *mala longè majora exoritura eſſe, quàm ea ſint in quibus modò hæreant. Satis nunc eſſe, ſi mutuò admoniti & intellecti à ſcriptis pro & contrà abſtineant, donec ſolida concordia conſtituatur.*

Cùm autem à Tigurinis ad Capellas infeliciter pugnatum eſſet & Zwinglius cum multis egregiis viris occubuiſſet, eâque clade, qui paulò antè inter aliquot Helvetiæ civitates & Argentinam atque Heſſorum principem cojerat fedus, diſſolutum eſſet, Bucerus totam cauſam ſimul perituram putabat, niſi ſuperioris Germaniæ civitates, & inprimis Argentinam ſuam, alicujus novi federis præſidio muniret. k) Ac quia idem ſciebat, Saxones alioſque Confeſſionis Auguſtanæ ſocios à Zwinglii de Cœna Domini doctrinâ abhorrere, omnibus perſuadere conatus eſt, eandem fuiſſe Zwinglii & Lutheri ſententiam, ſed eos propter λογομαχίαν inter ipſos exortam non potuiſſe convenire. Atque hoc etiam ad miniſtros eccleſiæ Tigurinæ Bullingerum & Leonem Judæ perſcribere auſus fuit. l) At hi miſeriis ſuis minimè fracti, reſcribunt Bucero, eumque hortantur, no à tam manifeſta veritate, quam tot lectionibus, tot concionibus, diſputationibus & publicis Scriptis propugnârit, jam demum ad Lutheri dogma de corporali præſentia Chriſti in Cœna deflectat. Alios quoque eccleſiarum miniſtros per Sueviam crebris literis hortabantur, ne ærumnis Helveticarum eccleſiarum victi bonam cauſam defererent.

k) Gualtherus epiſtolâ MS. ad Ludovicum Comitem Wittgenſtenium.
l) Lavaterus Hoſpinianus.

m) LVBECA civitas maritima anno ſuperiori liberam Evangelii prædicationem admiſerat. Id ægerrimè tulit Carolus V. Imperator. Itaque Cæſareo

ſareo edicto publicato juſſit aboleri doctrinam Lutheri. Sed decimo octavo Februarii anni hujus 1531. cives numero centum ſexaginta quatuor cum Senatu egerunt, ut ille receptam Evangelii doctrinam & ceremonias defenderet, cæteræ quoque res omnes atque controverſiæ hac ratione compoſitæ eſſent: in cujus concordiæ pacificationisque teſtimonium quatuor cives Senatui obſides ſunt dati. Cæterùm in vigilia paſchatis duo primarii Conſules urbe exceſſerunt, inſcio ſenatu, qui tamen domi ſe continere juſſus, & ſic ſubitanea totius politici ſtatus Lubecæ facta eſt mutatio. Hoc ipſo anno Bruxellis alterum edictum Cæſaris Lubecum miſſum repetebat priorem de abroganda Lutheri doctrina ſententiam. Quod edictum motus quidem & turbas in urbe concitavit, conſtantiam fidelium in tuenda doctrina Evangelii non minuit. De Tigurinorum & Lubecenſium Conſtantia hactenus. Venio ad pleniorem eccleſiarum ULMENSIS & AUGUSTANÆ reformationem.

m) Chronicon Lubecæ Hermanni Bonni.

Sicut Eslinga, ſic Ulma hactenus Evangelium prædicari audierat, & Ulma quidem ab anno inde 1523. usque. Cùm autem Senatus contradictorias Evangelicorum & Papiſtarum conciones ferre amplius non poſſet, & verò Decretum Auguſtanum de nihil innovando in religionis negotio usque ad Concilium generale Vlmam quoque miſſum fuiſſet, Senatus ad omnes tribus miſit ſciſcitatum, utrum Decreto Cæſaris Auguſtano, an magiſtratus ſui urbici ordinatione in ſacris ſtare vellent? Reſponſum, Tribus in Senatus ordinatione acquieturas. Vocati igitur à Senatu Joannes Oecolampadius Baſileâ, Martinus Bucerus Argentinâ, Ambroſius Blaurerus Conſtantiâ, Zimbrechtus Memmingâ, Bartholomæus quidam Biberaco, quibus pleniſſima reformatio eccleſiarum tam in urbe quàm in ditione Ulmenſi eſt commiſſa.

Hi per feſtos Pentecoſtes dies in urbe & ditione Ulmenſi populum de via ſalutis erudiebant: deinde, volente ſic Senatu, capita doctrinæ controverſæ in octodecim themata ſive articulos conjiciebant, eosque convocatis ex urbe & agro paſtoribus & ſacerdotibus numero centum triginta examinandos dijudicandosque proponebant. Ex omni numero iſto unus D. Georgius Oſwaldus paſtor Geislingenſis & alter Cöllinus prior in cœnobio Franciſcanorum prodiere conteſtati, ſe Articulos illos Scripturæ adverſari comprobaturos: quod cum facere non poſſent, Oſwaldus etiam lege Martiani, *Nemo clericus &c.* cautum eſſe contenderet, ne quis Clericorum coràm plebe de religione diſputaret, rem iſtam ad Academias pertinere: Ulmenſes editis colloquii iſtius Actis in cœpto Reformationis opere perrexerunt, ac 16. Junii, conſentientibus & approbantibus civibus, Miſſam feriasque Sanctorum abrogârunt: decimâ nonâ & viceſimâ Junii, altaria, imagines, organa diruerunt: menſam in templo collocarunt, ſuper quâ Cœnam ſacram, Dominicâ Margarethæ diem inſequente, celebrarunt. Examinati deinde Eccleſiaſtici ii, qui Articulos octodecim approbarunt: rudiores abdicati, languidiores ob ſenium Magiſtratus liberalitati alendi commiſſi, dociles miniſteriis Evangelicis præfecti, qui ut melius in doctrinæ Chriſtianæ principiis informarentur, Martino Frechto Theologiæ Licentiato, Heidelbergâ hoc ipſo menſe Ulmam vocato, lectio latina hebdomadaria in choro templi cathedralis eſt demandata. PORRO Articulorum octodecim, quorum mentio facta; ſumma huc redibat:

I. *Hominem naturâ eſſe filium iræ: divina nec intelligere nec velle, adeoque liberum arbitrium in ſpiritualibus nullum eſſe.*

II. *Deum miſereri, quorum velit, & quorum miſeretur eos facere novos homines, per prædicationem Verbi vocatos.*

III. *Prædicationem Evangelii nihil aliud eſſe quàm annuntiationem gratiæ per Jeſum Chriſtum partæ & fide apprehendendæ.*

IV. *Omnes fideles per Spiritum coadunari in unum corpus, cujus caput ſit Chriſtus, nullus Papa.*

V. *In hujus corporis ſive eccleſiæ ſocietatem aſſumi nos per Baptiſmum, qui, cum ſit ſacramentum federis gratiæ, infantibus non poſſit denegari.*

VI. *Cœnam Domini celebrari in memoriam & annuntiationem mortis Chriſti & in pactum animæ ad vitam æternam. Transſubſtantiationem impium eſſe commentum.*

VII. *Sacra linguâ notâ vulgo celebranda.*

VIII. *Omnes eccleſiæ ordinationes debere conformes eſſe ſcripturæ: Humanas conſtitutiones neminem obligare in conſcientia.*

IX. *Imagines & idola in templis qui defendunt, eos certiſſimam idololatriam defendere.*

X. *Jejunia & preces eſſe opera ſpiritus voluntarii: ideo errare, qui iis modum & tempus volunt præſcribere.*

XI. *Omnes cibos cum gratiarum actione ſumptos bonos eſſe. Conjugium honorabile eſſe apud omnes.*

XII. *Vitam monaſticam eſſe defectionem à Chriſto & ejus doctrinâ: idcirco vota monaſtica pro nihilo habenda.*

XIII. *Peregrinationes ad Sanctos abrogandas; ſiquidem Deus ubique in ſpiritu & veritate invocandus.*

XIV. *Bona opera eſſe, quæ fiant in ſalutem & commodum proximi, non, quæ lapidi & ligno.*

XV. *Magiſtratum eſſe à Deo: ideo omnes, etiam ab Epiſcopis conſecratos, obligari jure divino ad obediendum politico Magiſtratui Chriſtiano.*

XVI. *Errare graviter, qui ſentiant, jure gladii contra malos Magiſtratui non utendum.*

XVII. *Juramentum legitimum Chriſtianis licitum eſſe, quos prophetæ prædixerint, verè in nomine Dei juraturos,* Iſa. 65. Jerem. 4. Pſalm. 36.

XVIII. *Divortia ex jure divino facienda. Clancularia promiſſa matrimonialia nulla eſſe.*

Reformatione feliciter peractâ Senatus Ulmenſis Scriptum publicavit, in quo facti cauſas expoſuit, quod inſcribitur: Gemein ausſchreiben und entſchuldigung eines erbarn Raths der Stadt Ulm, was ihne in göttlichen ſachen zu ſeinem Chriſtlichen fürhaben verurſacht habe. Ex quo Scripto, itemque ex Concione Jubilæa fidi Ulmenſium Evangeliſtæ

angeliſtæ Doctoris Cunradi Theodorici, bona fide hæc transſcripſimus.

AUGUSTA Vindelicorum Concionatores Evangelicos aliquot audierat hactenus. Venerant enim eo M. Michael Cellarius, D. Urbanus Rhegius, D. Stephanus Agricola, circa annum 1523. & 24. Venerat eodem Caſpar Huberinus ſacrificulus, anno 1527. Cum autem in conventu Auguſtano edictum fuiſſet, ut utriusque partis concionatores deſiſterent, donec de religione decideretur: Senatus miniſtris Evangelicis poteſtatem dedit vel quietè in urbe vivendi, vel aliò abeundi, dum Comitia durarent. His finitis, de Miniſtris, qui manſerant, reſtituendis, de iis, qui abierant, inter quos Michael Cellarius erat, revocandis cogitatum. Ac quoniam Wolfgangi Muſculi pietas & eruditio jam tum celebrabatur, vocatus & ille fuit Argentinâ. n) Fuit hic Muſculus patriâ Duſanus, natione Lotharingus, natus anno 1497. monaſterium Lixheim ingreſſus anno ætatis decimo quinto & adtrigeſimum usque in eo commoratus, lectis Lutheri ſcriptis cucullam exuit, uxorem duxit, Argentinamque anno 1527. profectus ibi nuptias celebravit, & uxore apud M. Theobaldum Nigri ancillari juſſa ipſe textoriam didicit: deinde annum integrum in pago Dorlitzheim, prope Moltzhemium Evangelium docuit, nullo ferè ſtipendio: tandem in ſummo templo Argentinæ Matthiæ Cellii Diaconus factus lectiones profeſſorum frequentavit, linguarum ſtudia excoluit, & in eruditiſſimum Theologum evaſit. Hic igitur Muſculus 22. Januarii hujus anni primam concionem habuit apud Minoritas, deinde præfectus fuit templo Crucis, in quo cum collega Joanne Ehingero Lavingano, M. Eliæ Ehingeri viri doctiſſimi, Bibliothecarii Auguſtani, avo docuit ſex illis annis, quibus adhuc ſex Papiſtica poſt revocatum poſtliminiò Evangelium in eccleſia Auguſtana hæſit. Hoc eodem anno Auguſtam conceſſerunt Argentinâ Sebaſtianus Meierus Theologiæ Doctor, ex ſacrificulo factus concionator Evangelicus, & Theobaldus Nigri, quorum ille ad D. Georgium, hic ad S. Huldrichum docuit. Venit & ex Franconia vir pius & pacificus Bonifacius Wolfhart, præco verbi ad Dominicanos deſignatus.

n) Vita Muſculi.

Fuit tum afflictus eccleſiæ Auguſtanæ ſtatus, non ſolùm propter ſchiſma Senatus & turbulenta conſilia Epiſcopi & Canonicorum, qui omnem Evangelii doctrinam ſubverſam & urbe exterminatam volebant; ſed etiam propter ipſorum Doctorum Evangelicorum de Cœna Domini diſſidia, aliis Zwinglii, aliis Lutheri ſententiam defendentibus. o) Commodùm autem accidit, ut Oecolampadius & Blaurerus ad reformationem Ulmenſis eccleſiæ profecturi Auguſtâ tranſirent (clam à civibus, ut nonnulli volunt, vel, ut alii, à Senatu invitati, componendi diſſidii gratia.) His præſentibus colloquium acre inter Concionatores inſtituitur: M. Cellarius, Muſculus, Sebaſtianus Meierus & Bonifacius Senatus & auditorii applauſum merentur: Urbanus Rhegius, Stephanus Agricola, Joannes Rana Doctores Theologi victi petunt dimiſſionem, quam facilè impetrant: Rhegius ad Erneſtum Luneburgicum, Agricola in Comitatum Manſfeldicum, Rana Noribergam, ſe receperunt.

o) Annales MS. M. Eliæ Ehingeri ſtudio confecti.

MARTYRIA ob orthodoxæ fidei conſtantem profeſſionem multi pii viri ſubierunt in *Gallia*, in qua Evangelii ſemina jam tum hinc inde erant ſparſa. p) Inter alios vivus combuſtus fuit Viennæ Stephanus Renier Franciſcanus, quod Nonnayæ provinciæ Vivaretianæ civitate in diœceſi Viennenſi ſuperſtitiones Pontificias liberè reprehendiſſet.

p) Hiſt. Gallica.

q) In *Anglia* ſævitum eſt in vivos pariter & mortuos. Seniculus enim quidam Buckynghamenſis ob porcinas per quadrageſimam deguſtatas ad ignis ſupplicium vocatus eſt. In mediis etiam flammis vitam Evangelio & teſtimonio Chriſti teſtificando expoſuit Thomas Bilnæus in Academia Cantabrigienſi à puero enutritus. Hic anno 1528. abjurare coactus eſt, quicquid contra autoritatem & faſtum Pontificis Romani diſſeminaſſet. Quo facto adeo nihil remiſit de ſuo prædicandi ſtudio, ut poſtea in majorem etiam eruperit vehementiam adverſus corruptelas pontificias. Autoribus igitur Thoma Moro & Richardo Nixo Epiſcopo Norvicenſi captus, capitis condemnatus, & incendio adjudicatus eſt.

q) Foxus.

Fertur Bilnæus pridie quàm in pyram imponeretur, in carcere dum pervigilat in precibus noctu, dormiente fortè cuſtode, ad lucernam accedens digitum in flammam immiſiſſe, experturus videlicet ardoris vim quo pacto ferendo eſſet. Qui ad primum lucernæ tactum, carne (ut fit) reluctante, cum forte retraxiſſet digitum, mox ille carnem ſuam caſtigans his verbis: *Quid*, inquit, *unius membri inuſtionem ferre non potes, & quo pacto cras totius corporis conflagrationem tolerabis?* ſimulque iterum inflammam digitum uſtulandum præbuit & pertulit. Hunc itaque in modum facto ſui periculo, poſtridie tantò majorem animum, velut domitâ jam carne, ad flammam perferendam attulit, ubi demum fortiter alacriterque expedito martyrii ſui curſu brabeῖον in cœlis æternum conſecutus eſt, egregiis ſuis dignum laboribus.

r) Guilielmus Waramus Archiepiſcopus Cantuarienſis, cum Guilielmi Thracii Armigeri Teſtamentum legiſſet, planè Evangelicum, Thracium quamvis mortuum pronuntiavit hæreticum, mandavitque ex humo denuo refodi quicquid hominis illius in ſepulcro ſupereſſet, atque in ignem projici. Qua immanitate Rex Henricus offenſus, à Doct. Parkero Cancellar. Vuigornenſi, actionis hujus barbaricæ procuratore mulctæ loco, mille coronatos exegit.

r) Idem Foxus.

CÆTERVM contaminarunt hunc annum Anabaptiſtæ & Servetus.

s) AVGVSTÆ Anabaptiſtæ aliquando in ipſum templum ingreſſi horâ concioni deſtinatâ, conſcenderunt ſuggeſtum ſuosque errores publicè profeſſi ſunt: quos Conſul interveniens, cum res ad tumultum ſpectaret, comprehendi & in carcerem duci juſſit.

s) Vita Muſculi.

ULMAM turbabant Petrus Kleiber & Joannes Gaſter, Anabaptiſtarum doctor, quem in colloquio Ambroſius Blaurerus Eslingæ in viam reduxit. Qui idem Blaurerus ad Ulmenſes, epiſtolam verè Apoſtolicam tum ſcripſit, eos cohortatus, ne ſe quovis

doctrinæ

doctrinæ vento circum ági paterentur. Literæ sunt perscriptæ Eslingæ 14. Novembris 1531.

t) BERNÆ quidam è coryphæis Anabaptistarum, Pfistermeierus nominatus, multa movebat: Verum disputatione publicâ convictus erroneas opiniones abjecit.

t) Bullinger de origine Anabaptistarum.

MICHAEL SERVETUS Hispanus Arragonius, hoc anno in publicum orbis Christiani theatrum prodiit, editis septem libris de Trinitatis erroribus. Annos deinde benè multos, quâ vivâ voce, quâ scriptis, nova sua dogmata disseminavit, divulgato tandem libro, quem *Restitutionem Christianismi* inscripsit, quem *Christianismi abolitionem* Theologi nostri appellârunt.

ANNVS CHRISTI M D XXXII.

QUÆ hoc anno digna memoratu occurrunt, sunt ista:

Pax prima Religionis in Germania, & hanc sequuta aliquot Ecclesiarum reformatio.

Propagatio Evangelii in Gallia & Sabaudia.

Oppugnatio doctrinæ Helveticarum Ecclesiarum de cœnâ Domini.

Propagatio Schwenckfeldianismi in Silesia.

Exilia, carceres & Martyria Evangelicorum nova.

Pœna divina sequuta persequutores Evangelii in Boëmia.

Mors Joannis Electoris Saxoniæ.

PACEM inter Cæsarem & Protestantes Albertus & Ludovicus Palatinus hoc faciliùs à Cæsare impetraverunt, quam Turca cum magno exercitu in Austriam irrueret. Hæc pax Schwinfurti est *tractari cœpta* Aprili Mense An. 1532. *Decreta* Noribergæ 23. Julii 1532. a) *Approbata* & constituta à Cæsare, Augusti die 2. eodem anno 1532. *Repetita & confirmata* Cadami primùm à Romanorum Rege, die lunæ post Joan. Baptistæ Anno 1534. Deinde Francofurti ab Oratoribus, Commissariis, & Intercessoribus Cæsareis, Aprilis die 19. an. 1539. *Sancita* communi omnium imperii ordinum consensu in Comitiis Ratisbonensibus anni 1541. *Prorogata* Spiræ anno 1542. *Iterumque mandata ac firmata* ibidem nova Cæsaris Regisque fide, anno 1544: *Præcepta* Wormatiæ, anno 1545. Adeoque *conservata ac propagata*, ad usque Caroli V. Cæsaris bellum Germanicum. Pacem hanc sequuta est reformatio Ecclesiarum in principatu Anhaldino, in urbibus, Osnabrugensi & Monasterienſi, plenior Bremæ & in oppido S. Galli.

a) Sleid. comm. libr. 8.

ANHALDINATVM tum gubernabant principes Wolffgangus & hujus patruelis tres fratres, Joannes, Georgius & Joachimus. b) WOLFGANGVS sub ipsa ferè initia repurgatæ doctrinæ in aulam Saxonicam venit, & exploratâ doctrinæ Lutheri veritate in Comitiis Augustanis primùm, deinde in conventu etiam Naumburgico 1561. Confessioni Augustanæ subscripsit: Servestam accersivit Lutherum ad docendum an. 1522. Monasterium quod München neweburg vocatur, reformavit anno 1528.

b) Ex Archivis Anhaldinis.

GEORGIVS anno 1526. præpositus, & paulò pòst ab Alberto Moguntino & Magdeburgico Archiepiscopo totius Archiepiscopatus Magdeburgici gubernator creatus, quam ex crebrâ Scripturæ & Patrum lectione agnovit veritatem, eam liberè coràm Alberto Cardinale aliisque Imperii principibus professus est: confutationem idolomaniæ Pontificiæ ipse scripsit, & Georgio Saxoniæ Duci legendam misit: Fratres denique suos Joannem & Joachimum principes Anhaldinos graviter est exhortatus, ut missis commentis hominum, eloquia Dei solius adamarent.

Hic est ille Georgius princeps, qui motis controversiis de religione, etsi multis piis sententiis assentiebatur: de toto tamen genere doctrinæ statim pronuntiare noluit, sed ardentibus & assiduis lacrymis à Deo petivit, flecti pectus suum ad veritatem, ac lacrymans sæpè hæc verba repetiit: c) *Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, & justificationes doce me:* qui deinde primus & unus ex omni principum numero fuit, qui subditos suos ipse & vivâ voce & scriptis editis de via salutis erudiret: qui denique à beato Melanchthone certitudinem futuræ vitæ adstruente hoc argumento, quod pios præmia, impios pœnæ ex justitiæ divinæ regula manerent, aliquando in publico auditorio (ex Bucholcero Melanchthonis auditore hoc habeo) nominatus fuit pro exemplo ejus viri cujus sanctitas & in perpetuo cœlibatu castitas, promissum in scriptura militibus. Christianis βραβεῖον in desiderato seculo certò expectaret.

c) Tom. 3. declam. Philippi pag. 151.

d) Hujus, inquam, hortatu fratres principes Johannes & Joachimus ministrum Evangelicum operâ M. Georgii Helti Forchemii Wittembergâ Dessaviam vocarunt mense Junio hujus anni. Fuit is M. Nicolaus Hausman, commendatus principibus ab Helto, à Luthero, à Melanchthone. Heltus Wittembergâ ad principes scribebat; sperare se Nicolaum fore talem pastorem, qui sit juxta cor Dei, qui pascat animas scientiâ & doctrinâ. Lutherus hoc illum epistolio commendabat.

An Herrn Johansen und Herrn Joachim
Gebrüdere Fürsten zu Anhalt.

Gnad und Friede in Christo. Durchleuchtige Hochgeborne Fürsten, und gnädige Herrn. Es kompt hie der fromme mann Magister Nicolaus Hausman, bey E. F. G. das Predigampt zu versehen, denselben befehl ich E. F. G. underthäniglich, es ist ein treu hertz und sittiger Mann, der Gottes Wort fein still und züchtig lehret und lieb hatt. Christus unser Herr gebe seinen reichen segen dazu, das er viel Frucht schaffe. Amen. Und bin ohn zweiffel, E. F. G. werden sich wohl wissen gegen ihm gnädiglich zu verhalten. Hiemit GOtt befohlen. Und was mein arm gebet vermag, das sey E. F. G. allezeit undertheniglich zuvor. Datum Wittenberg. Exaltationis crucis 1532.

E. F. G.

williger
Martinus Luther, D.

Melanchthon hoc:

Illustri ac generoso principi ac D. D. Joachimo Principi ad Anhald, Comiti Ascaniæ ac Domino Bernburgensi, Domino suo clementissimo.

S. D. Cum esset hinc ad Ecclesiam administrandam

dam in ditione Celsi. V. discessurus D. Nicolaus Hausman, contendit à me, ut sibi literas ad Cels. V. darem. Ego verò etsi non dubitabam, quin in tam generosis ingeniis ac naturis inter ceteras virtutes, summa insit etiam humanitas; tamen pudore deterritus essem à scribendo, si quid amico viro optimo vehementer petenti, negare potuissem. Primùm itaque oro, ut Cels. V. pro suâ prudentiâ atque humanitate dignâ Principe, boni consulat meam hac in re facilitatem. Deinde quanquam scio Cels. V. fratres Principes optimos, & Cels. V. eâ fide, gravitate, atque clementiâ præditos esse, ut hos, qui se ad fidem vestram ac tutelam conferunt, summâ pietate tueamini ac tegatis: tamen officii nostri est, id quoque verecundè rogare, ut testemur, nos agnoscere beneficium vestrum. Quare oro ut Cels. V. clementer excipiat atque complectatur hunc bonum virum, quem quidem comperietis sine ulla privata cupiditate, sine studio rixandi, in eo genere doctrinæ versari, quo verè illustrantur Christi beneficia, & in bonis mentibus vera pietas aliter Hunc cum audieritis, spero Cels. V. intellecturam esse id genus doctrinæ quod sequimur, immeritò à quibusdam, qui quod iniquissimum est, pronunciant de rebus incognitis, nullo non genere contumeliæ affici. Porro Cels. V. rem facit dignissimam bono Principe, qui religionis & aliarum literarum studia, quæ Reipub. sunt utilia, & amat & colit. Neque dubito, quin ingens utilitas ad Rempub. Christianam ex his studiis Vestris proventura sit, si quando Deus hos motus consilio & ratione componi concedet. Quam autem veriorem laudem & petere bonus Princeps potest, quàm ut Reipub. salutem, & religionis dignitatem adjuvisse intelligatur? Ego me Cels. V. reverenter commendo, eique polliceor, me pro virili daturum operam, ut ex his controversiis excerpam, atque illustriora faciam ea, quæ ad pietatem atque concordiam Ecclesiarum plurimum profutura sunt. Bene valeat Cels. V. Die Septembr. XIV. Anno 1532.

Cels. V.

Deditissimus
Philippus Melanchthon.

Cui cum princeps Joachimus gratiosissimè latinâ linguâ respondisset: Melanchthon hanc dignam lectu epistolam ad optimum principem exaravit.

Illustri Principi ac Domino, Domino Joachimo, Principi ad Anhalt Comiti Ascaniarum, Domino Bernburgensi, Domino suo clementissimo.

S. D. Postquam Cels. T. proximas meas literas boni consuluit, cujus rei gravissimum est argumentum, quòd tam amanter Cels. T. rescripsit, non dubitavi rursus hoc tempore ad Cels. T. literas dare. Ita mihi prædicat D. Nicolaus studium erga doctrinam Christianam in fratribus Cels. V. ac Cels. T. ut facere non potuerim, quin talem animum vobis etiam per literas gratularer. David inquit Psalmo 40. Quando ad Deum scuta terræ veniunt, exaltatur Deus valde. *Vocat enim Principes* scuta terræ. *Et quidem præfatus est:* Principes etiam congregari cum populo Dei Abrahæ. *Cum autem vates optimus senserit gloriam Dei illustriorem fieri, cum principes Evangelium amplectuntur, jure gaudemus, vos adeò incensos esse studio pietatis. Ac sperandum est, Ecclesiæ profuturam exemplum vestrum, ut gloria Dei fiat illustrior. Opto itaque, ut Christus studium vestrum ad universæ Reipub. salutem gubernet. Illud autem necessarium duxi scribere. Nollem hortari quenquam ad hoc genus doctrinæ in quo versor, si arbitrarer res exiguas, aut incertas, aut parum necessarias tradi. Nec principes decet amplecti curiosas & inutiles disputationes, quas Paulus κενοφωνίας appellat. Cum autem constet, res maximè necessarias ad consolandas conscientias, & ad veram pietatem, de pœnitentiâ, de abjiciendâ dubitatione, de certâ fiduciâ misericordiæ, & pleraque alia explicari, in quibus est summa pietatis, non possum non favere studio eorum, qui hanc doctrinam propiùs aspiciunt. Quod si Cels. V. considerabit, res universæ Ecclesiæ necessarias in hoc doctrinæ genere proponi, non dubito, quin pro vestrâ pietate erga universam Ecclesiam, consilia eorum nullo modo probaturi sitis unquam, qui res tantas delere atque opprimere conantur. Recudo nunc Germanicam Apologiam, quam spero multum lucis allaturam nostræ causæ. Cùm erit absoluta, mittam Cels. T. Commendo me reverenter & fratribus Cels. V. principibus optimis, & Cels. V. Bene valeat Cels. V.*

Cels. V.

Deditissimus
Philippus Melanchthon.

e) OSNABURGENSIS Episcopus hoc anno factus est Franciscus Comes Waldeccius. Is passus est à Senatu Augustanæ confessionis doctrinam & ceremonias in ecclesiam invehi, per Hermannum Bonnum Lubeca accersitum, cujus doctrinæ professio libera propter vicinas Anabaptistarum turbas, non parum impedita fuit.

e) Dresterus.

f) MONASTERII Bernhardus Rottmann primùm in suburbio, mox in urbe evangelizavit: Pontificii non sine minis urbe excedunt.

f) Crantzhemius.

g) BREMÆ verò, in templo cathedrali, Missa & cæteræ cantiones & ceremoniæ Pontificiæ, celebrari desierunt. In ea urbe jam decennium ferè propagationem Evangelii strenuè novi Ecclesiastæ cum collegis urgebant, & in Senatu, autoritate Meineri à Berken, Conradi Kenkelii, Henrici Esychii, Theodori Meier & aliorum Senatorum defendebantur. Archiepiscopus fremens & indignans, non tantùm quòd religionem & ritus usitatos mutassent, verùm etiam quod urbem ipso invito munirent, & cœnobium Paulinum suburbanum eâ de causâ destruxissent, horribiliter urbi minitabatur. Verum Ecclesiæ ministri nihilominus constanter docere; & Senatus ac cives urbem aggeribus ac fossis circumvallare pergebant, & se ad rationem factorum in jure reddendam offerebant. Sic aliquot annis fluentibus canonici in summo templo nihilominus adhuc sacra sua pontificio more servabant, donec aliis de causis mota in urbe seditione, & trucidato superiore anno commendatore Rodolpho Bardevischio & civibus primùm 40, deinde 104. Senatui in gubernatione adjunctis, cùm multa hi petulanter & seditiosè

adversus Senatus voluntatem patrarent, tandem Sacrificulorum in templo cathedrali, cantiones, missas, & alios ritus impios aboleri, & à sinceris Evangelii ministris, veram doctrinam in eâ doceri, & pios psalmos cani flagitant. Senatus gravissimè hoc institutum disuadet, nec ullam sibi jurisdictionem aut potestatem esse in Archiepiscopi templo aliquid constituendi, demonstrat. Rogat ne pacificationem, Swinfurdi inter Evangelicos & Pontificios ordines inchoatam, non necessariâ templi cathedralis occupatione, violent, aut perturbent, nec occasionem Henrico duci Brunsuic. Archiepiscopi fratri, ad Ratisbonensia comitia jam profecto præbeant, novas, adversus civitatem Bremensem, coràm Imperio, querelas instituendi. Satis multa cives templa habere, in quibus purè Evangelion doceatur, ut non necesse sit, archiepiscopi & canonicorum voluntates novis offensionibus exacerbare: Admonet de periculis, quæ civitati & privatis, mercaturæ causâ peregrinantibus, inde existere possint; Addunt se Ernesti ducis Lunæburgensis, & Urbani Rhegii Consilium expetivisse, qui disuaserint. Nec ullam civitatem aliam, quæ Evangelion sit amplexa, ne Magdeburg. quidem, aut Brunsuicenses, canonicorum templa occupasse. Civium orator, respondens. Senatus pusillanimitatem & languorem in verbo Dei promovendo reprehendit, nec homines aut pericula magis, quam Deum timenda esse disputat, cùm juxta prophetam *plures nobíscum sint, quàm cum hostibus*, nec se Urbani Rhegii, vel alterius consilium in hâc causâ requirere, cùm pater cœlestis Jesum Christum doctorem ipsis dederit, & audiri præceperit: Denuò igitur 104. viros Senatum rogare, ut Evangelium in templo cathedrali sinant doceri: nec velle communitatem civium id sibi negari, concludunt. Tandem itaque Senatu assentiente, decretum fit ex civium voluntate, quod ministerio stati significatur. Dominica igitur Palmarum, Jacobum Præpositum ecclesiæ superintendentem in templum cathedrale ad suggestum deducunt, qui Evangelium Dominicæ, de pompa ingressus Christi, & ejectione ementium & vendentium ex templo, quòd cum præsenti actione prorsus congruere videbatur, pro concione exposuit, & sequentibus diebus, Passionis Christi historiam explicavit. Ante concionem, cives chorum ingressi, libros canonicorum claudunt, ac ut deinceps sileant, & ceremonias suas omittant sacrificuli, mandant. Sic Missæ & ritus Pontificii in templo cathedrali Bremæ primum intermissi, in hodiernum usque diem non sunt restituti.

g) Chytræus Chronicon Bremense.

h) In MONASTERIUM oppidi S. GALLI cùm Abbas cum fratribus quasi postliminiò rediisset; Senatus interdixit civibus, 14 Aprilis ne pontificias missas aut conciones frequentarent edictumque cum comminatione pœnæ 6. Julii iteravit.

h] Annales Ecclesiæ oppidi S. Galli MS.

i) Hoc eodem anno cives PADEBORNENSES offensi impuriore vitâ & inverecundâ saltatione quorundam ministrorum Ecclesiasticorum cum civium uxoribus & filiabus, tumultum excitârunt: ob quem ab Episcopo civitas bis mille aureis mulctata, immunitatibus quibusdam privata, & in eas angustias redacta est, ut se nunquam Lutheri doctrinam admissuram esse fidem dare cogeretur. Sed sublato per mortem Erico Episcopo, nihilominus cives duo templa Evangelicis concionatoribus aperuerunt. Eligunt igitur Canonici Hermannum Colonienſem Episcopum, qui Padebornam ingressus, statim concionatores Evangelicos abduci in custodiam jussit, (qui tamen aberrante aurigâ in itinere Susatum pervenerunt, & à Senatu illius loci defensi sunt) sedecim cives Lutheranos in foro ultimo supplicio afficere jussit. Quod tamen, carnifice id facere detrectante, dilatum: nonnullis venia data; reliqui captivi in suis ædibus per annum integrum servati.

i) Dresserus.

PROPAGATVM porrò hoc anno est Evangelium in Galliâ longè lateque: In Sabaudiæ etiam urbe GENEVA.

In Galliâ tres quasi fontes aperti sunt, ex quibus benedictæ doctrinæ cœlestis aquæ, in aliorum agellos sunt derivatæ, AVRELIIS, BITVRIGIBVS, TOLOSÆ; AURELIIS & BITURIGIBVS erant jam aliqui, qui sinceræ doctrinæ gustum haberent. k) Cum autem Joannes Calvinus viginti trium annorum juvenis Aurelias propter Petrum de Stella celeberrimum tum Juris Professorem, Biturigas propter Andream Alciatum Mediolanensem, legum discendarum gratiâ veniret, & cum studio juris scientiam divinam; Biturigibus etiam, præceptore Meliore Wolmaro Rottvilensi Germano, Græcas literas conjungeret; multorum animi ipsius zelo confirmati sunt.

k) Hist. Gallica.

l) Tholosæ ut Christus innotescceret, Julius Cæsar Scaliger fecit, cui non Aginni modò civitas, in quâ consedit, sed Aquitania penè ipsa (piis ipsius domo tanquam hospitio utentibus) veræ pietatis instaurationem magna ex parte debet.

l) Beza in Iconibus.

GENEVÆ anno 1529. Gravis totius Reipub. adversus Petrum Balmensem Episcopum exarsit indignatio, quam augebat repetita probrosæ vitæ memoria, quæ apud omnes civitatis ordines odium ipsi conciliaverat, atque secuta ad Sabaudi partes defectio, turpissimi facinoris, in raptu virginis anno MDXXVII. quadragesimali tempore, designati, infamiam non eluebat. Hos inter rerum animorumque motus anno MDXXX. Evangelicæ veritatis semina, quæ antea latuerant, exerere sese, atque efflorescere cœperunt. Quamobrem Episcopalis fisci procurator XXVII. Martii apud Senatum institit, ut in Lutheranæ doctrinæ sequaces animadverteretur. Erat quidem tum temporis nomen illud odiosissimum, verùm qui petebantur, cives numero non pauci, conditione non è vulgò, libertate Reipub. privilegiis & jure civitatis freti, accusationem & delatorem non morabantur.

Anno MDXXXII. 9. Julii, typis edito programmate, per compita & plateas urbis affixis illius exemplaribus, doctrina justificationis, indulgentiarum & gratiæ, Jesu Christi nomine populo commendabatur. Sacerdotes Pontificii, cum sibi tantum detrahi, quantum Christi gratiæ tribuebatur, probè nossent, concerpendis libellis, adversus Lutheranos tumultuabantur. Quapropter emerserunt edicta, adversus Lutheranæ religionis professionem. Paulò pòst, Augusto, ejusdem anni, mense, Clementis Papæ indulgentias plumbeas promulgarunt, verè aureis & Christianis opponendas: scilicet

χρύσια

χρύσεα χαλκείων. Sabaudi, turbis urbem miſceri non magnoperè dolebant, ut factioni ſpecioſior eſſet ad invaſionem prætextus, ac inter Friburgenſes Religionis Papiſticæ tenaciſſimos & Genevenſes, hac occaſione, diſſidiorum ſemina ſpargerentur. Septembri menſe ſequenti, *Guilielmus Farellus*, & *Antonius Salnerius*, quum ex Pedemontio, quo renaſcentis Evangelii cauſa erant profecti, reverterentur, Genevam appulêre, literis Bernatum commendatitiis muniti. Reformationis, qualem Bernæ videbant, nomen excepere cives multi non inviti, etſi nonnullos, non tàm pietatis cura, quàm Romànæ tyrannidis odium movebat. Moniti Epiſcopales, Farellum & Salnerium, ad Epiſcopi forum trahunt: è Syndicis (qui annuus eſt. IV. Virûm in Rep. ſummæ dignitatis magiſtratus) duo, quibus Farellus & Salnerius ſancte pollicebantur, omnia doctrinæ ſuæ dogmata ex S. Scripturâ ſe comprobaturos, ut cuncta legitime, in judicio, procederent, & pacatè, adfuêre. Verùm ſecus accidit. Nam cùm judex his verbis ſententiam dixiſſet: SI DISPUTETUR, TOTUM *Noſtrum myſterium deſtruetur;* in Farellum conviciis actum eſt; *Quid tu, diabole nequiſſime, ad hanc civitatem perturbandam acceſſiſti? Non is ego ſum, quèm tu me vocas*, inquit Farellus: *Jeſum Chriſtum pro peccatis crucifixum & ſuſcitatum prædico: quique in ejus nomen credet, ſervabitur: hæc eſt legationis meæ ſumma: debitor ſum omnibus, auſcultare, & morem Evangelio gerere, paratis, hoc unum diſcupiens, ut ubique fidei vigeat obedientia: idcircò huc venimus, ut intelligeremus, utrum quis, in hâc civitate nobis audientiam commodare velit, fidei ac ſpei noſtræ rationem ubique reddituri, & ſanguine, ſi opus eſt, prædicationem noſtram etiam confirmaturi.* Tum ex aſſeſſorum numero unus latinè, *blaſphemavit*, inquit, *non amplius egemus teſtibus: reus eſt mortis; in Rhodanum, in Rhodanum: unum hunc Lutheranum necari præſtat, quàm turbas excitari.* Ad hæc Farellus. *Noli Caiphæ voces, ſed Dei verba proferre.* Hic pugno in os cæſus, cùm deliberaturi viderentur, ſecedere jubetur, ac diſploſo ſclopeto, à vicarii famulo, ſed fruſtrà, impetitur, Deo ſervum ſuum tuente. Syndicorum alter Farello favebat, alter eum ſpernebat. Epiſcopale conſilium vicit, ut urbe pellerentur. Excedunt igitur, civibus quibusdam comitati: ſed non ſine aliorum fructu, à Genevenſibus ejiciuntur. Nam in vicino tractu, ad lacum Lemanum, ut & Orbæ & Granſonii, Dei verbum diſſeminaverunt. Neque propterea interruptum eſt Genevæ, quod moliebatur opus vis humanâ major: Nam eodem circiter tempore, Antonius Frumentius, juvenis Delfinâs, urbem ingreſſus, publicè ſchedis affixis, ad ludum, quem aperiebat, literas docturus complures invitavit: ubi cum lectione & ſcriptione, grammaticesque rudimentis Chriſtianæ inſtitutionis fundamenta, feliciſſimè diſcipulorum animis inſerebat: quorum auctus numerus, murmura quoque multorum, adverſus illud doctrinæ genus concitavit, quo faſcinari dicebant eos, qui diſcendi gratia eo ſe conferebant. m) Frumentio (quo nomine illum, qui primus Indis Evangelii præco prohibetur fuiſſe, legimus appellatum) Chriſtophorus Bocquetus Franciſcanus, cùm tempore Adventûs conciones haberet, non adverſabatur. Ab hujus concione, in illius, ubi docebat, aulam multi tranſibant: quâ de cauſa tumultuari Sacerdotes, & die quadam ad Magdalenæ pulſatis campanis claſſicum canere, ita ut coitionem civium & Eccleſiaſticorum turbulentè factam, Magiſtratus, conjectis in carcerem ex utriusque ordinis numero nonnullis, ſedare cogeretur.

m) Socrat. l. 1. c. 19.

DVM hæc in Gallià & Sabaudia fiunt, interèà in Germania doctrina Helveticarum eccleſiarum de Cœna Domini variis technis oppugnatur. n) Nam qui pacem à Cæſare impetrârunt; Moguntinus & Palatinus Electores, ex Cæſaris ſententia Proteſtantes, cum Zwinglianis nihil commune habere volebant: Argentinenſes & Suevicæ civitates aliquot tacitè à ſuâ confeſſione recedebant: o) Lutherus, ne videretur ſententiam mutaſſe, & Zwinglio ſubſcripſiſſe, ſcribit ad Albertum Brandeburgicum Boruſſiæ ducem, eumque hortatur, ut Sacramentarios, eorumque doctrinam devitet, & intra ditionis ſuæ limites ſerpere nuſpiam patiatur: alioqui conſcientiam ſuam immani ſcelere aggravaturum eſſe, ſic ut nunquam fortaſſis illam pacare liceat. Et ſic primus violat pacta Marpurgica, & revocat ipſe quod ſuperiori anno ad Ducem Lunæburgenſem ſcripſerat, abſtinendum eſſe à ſcriptis contrariis. Id quod Tigurinos peſſimè habuit, qui idcirco & ipſi ſcribunt ad Boruſſum & ne quid ſeverius in fidei ſocios ſtatuat, petunt. Philippus quoque Melanchthon Bernhardum Rottmannum concionatorem Monaſterienſem per epiſtolam monet, ut non aſſentiatur Zwinglianiſmo: quia præſentia corporalis habeat analogiam fidei.

n) Sleidanus.

o) Compilatores hiſtoriæ Auguſt. Conf. Hoſpinianus.

Philippus Haſſiæ Landgravius, in conventu Swinfurtenſi, & Norimbergenſi hoc agebat, ut Zwinglii doctrina ne proſcriberetur. p) Conſtantienſes etiam Theologi ſuadent, non excludendos è fœdere Zwinglianos: Anhaldini & Mansfeldici Theologi decernunt, articulum de Zwinglianis & Anabaptiſtis generatim ita formandum, ut ne ipſi quidem Papiſtæ excludantur. Fruſtrà omnia. Tamen Bucerus non deſinit concordiæ negotium inter Proteſtantes & Zwinglianos urgere: à quo illum propoſito omnibus modis avocare nitebatur Wolffgangus Muſculus, cujus hæc inter alia legimus ad Bucerum verba: q) *Vrbani Rhegii factum* (quod ſcilicet Zwinglii ſententiam prius defenſam repudiarat) *multis etiam ſuorum, ſcandalo eſt. Ejus exemplo tibi multum timeo. Noli quæſo, mi Bucere, tale quid vel cogitare. Notum eſt nomen tuum Eccleſiis omnibus. Quod ſi vel tantillum declinaveris à recto, imò ſi hujus ſpeciem tantùm vel tantillum, præbere viſus fueris, incredibile eſt quantum offendiculi daturus ſis negocio Chriſti: homo es & tu, chariſſime frater, præter innumeros variarum tentationum occurſus non omnino nihil carnis habens, unde tibi ſummâ cautione ſub timore dominì præ aliis advigilandum erit. Emori mallem, quam candorem tuum obſcurari aliquo ſcandalo, non ſolum tuo, qui mihi ſemper es chariſſimus, ſed potiſſimum Evangelii nomine, cujus diffamia bonis quibusvis ipſa mors eſt. Ah Bucere, cave quæſo Lutheranos, quorum ſpiritum ipſa proſcindendi quoslibet libido, & pertinax ad-*

versum immeritos odium, satis prodit. Et in alia Epistola: *Salve charissime Bucere. Scimus, quo pacto Lutherus in sua confessione oretenus carnem Christi manducari asserat, nempe quod corpori Christi rectè adscribi possint, ea quæ panis fiunt, hoc est, videre, tangere, in os sumere, dentibus commolere & linguâ conterere, non quod hæc corpori dominico, sed quod pani fiant. Verum propter Sacramentalem unionem rectè ista corpori tribui, manere semper verum & indubitatum, corpus Christi, nec videri, nec tangi, nec ore manducari. Hoc pacto possemus & ferre, quod dicunt corpus domini ab impiis manducari, cum panem domini, qui cum corpore ejus sacramentaliter unitus est, manducant. Hi verò cum quibus nobis disputatio fuit, non hoc pacto de hac re loquuti sunt, sed pertinacissimè urserunt, corpus domini revera non solùm sacramentaliter comedi ore, dentibus premi, non tantum à fidelibus sed etiam ab incredulis. Cum verba Lutheri ex confessionis suæ libro, illis opposuissemus, respondebat Frosch:* Lutherus non est noster Christus. *Hinc factum est, optime Bucerè, ut duorum illorum sententiam agnoscere non potuerimus. Quis enim piorum feret hanc Christi blasphemiam suo consensu in vulgus spargi fidelium? Proinde, mi Bucere, non video, quomodo possit nobis cum hoc hominum genere convenire. Tu dum omnia pro candore tuo conaris, nihil aliud ab illis, qui non tàm concordiam, quàm dissidium persequi videntur, quàm subdoli & vafri impostoris infamiam refers. Et hæc agnoscenda sunt, & pro Christianorum, qui nusquam errent, gravitate adoranda? Scribis ad me, quid dandum sit apud illos de manducatione impiorum. Concedendum putas, illos qui non omnino athei sunt, sed creaunt Christum sibi offerri, ut Corinthii, corpus Christi manducare. Quid quæso dabis, ubi etiam exemplum Judæ proditoris opposuerint, quem æquè, ut alios Apostolos non solum panem domini sed & panem dominum comedisse asserunt, contra manifesta Augustini verba? Et quia illi quoque fatentur, Christum non esse locatum sub pane, putas tantum verborum inter nos pugnam esse, cum illi tam fortiter asserant; corpus Christi revera, tametsi non localiter, mirabili tamen quodam modo, quem ipsi etiam nesciant, sub pane virtute verborum inclusum esse: Et cum res hæc ad hunc modum se apud nos habeat, tu miraris, cur super eâ te rogem? Initia concordiæ foturum se recepit Lutherus, ut scribis. Sed quæso quid est, quod Philippus Wentzeslao Linco Nürnbergensi cuidam concionatori inter cætera scribit:* „*Buceri scriptum non approbavit* „*Lutherus. Significabis ergo Augustensibus con-* „*cionatoribus Ranæ & Agricolæ, ne subscribant* „*poëmati Buceri. Facilè potes suspicari, pro* „*tuâ prudentiâ, quas ob causas simulet hanc* „*concordiam Bucerus. His legibus, quas adhuc* „*scribit Bucerus, nondum potest fieri concordia.* „*Et tamen si largiantur nobis omnia, res ple-* „*na periculi fuerit, quia tantùm videtur ad* „*tempus simulata hæc correctio vel interpreta-* „*tio sententiæ Zwingli anæ. Hæc Philippus.* „*Hoc scilicet est fovere initia concordiæ! An-* „*non hoc magis est concordiam fugere & dissidi-* „*um fovere.*

p) Ex Archivis Cassellanis.

q) Ex autographo Epistolæ.

LIGNITII Silesiorum *Eckelius & Joannes Werner* Schwenckfeldianismum, *Eckelius* etiam Anabaptismum profitetur, & idcirco deponitur. Wernerus cum suis cœnam mysticam celebrat, sc. occultè: detegitur tamen ab orthodoxo pastore, M. Joanne Wunschelt Eckelii successore.

CONSTANTES Christi confessores hic annus plurimos habuit, quorum alii exiliis, alii carceribus, alii morte suâ veritatem Evangelii obsignarunt.

Philippus Marchio Badensis aliquot annos liberam Evangelii prædicationem in Marchionatu suo non solùm tulerat, sed pastoribus etiam demandarat. r) Quâ de re illi gratulatur publico scripto Joannes Suebelius, eundemque hortatur, ne respiciat Ægyptum; Diabolum non feriari. Quod autem bonus Suebelius metuit, id accidit hoc anno: Marchio deserto Evangelio ad Papatum redit: & ministros sinceri verbi eiicit, quorum aliqui Argentinam veniunt. Ideò Bucerus ad Suebelium: s) *Veniunt jam nobis novi exules, viri docti satis Spii, ex Marchionis ditione. Iterum enim exigit hic princeps ceremonias Papisticas. Quidam Cæsaris præsentiam causam putant. Ego autem vereor, ut statuerit se & suos sensim omni Evangelio exonerare. Argentinæ 4. Martii 1532.*

r) Extat Tom. 2. operum german. Schwebelii p. 64.

s) Centuria Epistolarum ad Schwebelium scriptarum epist. 48.

t) In Boëmia Georgius Eremita Equestris ordinis ex unitate fratrum Boleslavienstum in arce Pragensi in carcerem propter religionem coniicitur: è quo scriptæ ab illo epistolæ spiritus animosi plenæ hodiéque exstant.

t) Acta Fratrum unitatis MSS.

u) In Anglia tres juvenes suspendio sublati sunt propter dirutum idolum in oppido Dovercurt Essexiæ, proditore & accusatore Jacobo Darmello jurisconsulto. Exusti quoque sunt, Georgius Baynamus legisperitus, cum marsupiario quodam, & Richardus Bayfildus Monachus Buriensis. Et Baynamus quidem facibus & flammis sibi injectis lignea sarmenta ultrò obviis ulnis amplexus est, magnâ animi æquitate corpus supplicio exponens.

u) Foxus.

In Gallia *Joannes Cadurcus* Licentiatus legum accusabatur, quòd in urbe Lemovicum exhortationem Lutheranam die omnium Sanctorum instituisset; quod in vigilia trium Regum auctor fuisset exclamationis hujus: *Christus regnet in cordibus nostris*, quod introduxisset loco vulgaris illius: *Rex vivat:* quòd denique loco saltationum aliarumque vanitatum post cœnam ex scriptura quædam proposuisset. Hæc propter carceri inclusus, & sub initium mensis Junii vivus combustus est. Cum degradaretur, ut vocant, h. e. dignitate Licentiæ Juris exueretur, & Jacobinus quidam pro more sermonem ad populum habiturus, verba Pauli ex 1. Tim. 4. recitasset, in quibus S. S. disertim prædicit, *ultimis hisce temporibus aliquos contradicturos fidei, adhærentes spiritibus erroris & doctrinæ Dæmoniorum*, & hic bonus Jacobinus subsisteret; Cadurcus altâ voce clamavit: *ad sequentia, ad sequentia textus:* ad quem clamorem Jacobinus tantùm

tantùm non obstupuit. Ibi Cadurcus, si tu non vis, ego pergam, addiditque sequentia; *docentes mendacia in hypocrisi, habentes conscientias cauteriatas, prohibentes conjugia, jubentes abstinere à cibis, quos Deus condidit*, &c. statimque hæc verba auditoribus prolixè explicavit. Cùm in palatio mortis sententiam audivisset, exiens ad supplicium, latinè exclamavit: *ô curia iniquitatis, ô sedes injustitiæ*, sicque mortem constanter pertulit.

POENAM divinam, quæ persecutores Evangelii in Boëmia sequuta est, reticendam minimè duco. Nam qui crudelitatis in pios hactenus exercitæ, fuerant autores, miserabiles exitus ferè omnes habuerunt. Gallus Lacherus Administrator, tanquam publicæ pacis turbator & præcipuus præteritorum tumultuum autor, ante solis occasum Pragà, intra sex dies regni Boëmiæ finibus, intra 14. dies omnibus Ferdinandi Regis provinciis, Regis mandato exire jussus est: Magistro Passek Consuli civitate interdicitur: Notarius Berhowecius ira percitus apoplexia correptus, in Regis oculis concidit, & paulò post moritur. Subcamerarius Plauhnarius, à persecutione piorum Pragam reversus, cum lætus & benè valens à cœna cubitum iviſſet, postridie in loco secreto mortuus est. Quidam ex magnatibus (nomini propter familiam parco) cum in bellum Turcicum iturus, dixisset, se bello confecto curaturum, ut omnes Picardi regno pellerentur, bona eorum in fiscum redigerentur, cæso à Turcis exercitu inglorius rediit, nec in Ferdinandi conspectum ausus est venire. Ferdinandus ipse, cum infeliciter esset pugnatum, tristis admodum ad suos consiliarios dixit; *Miror quî fiat, quod omnes conatus mei infeliciter cedant.* Cui Austriacus quidam animosè respondit: *Quod omnibus seculis accidit Regibus ac Imperatoribus, idem tibi, ô Imperator, accidit.* Repete memoriâ historiam Regum Israëlis & Judæ, comperies, quod illis sanguinem humanum effundentibus & ad peccata conniventibus graves hostes divino judicio suscitati, quibus ipsi resistendo non erant. Si quando pugnam instituerunt, infeliciter pugnarunt. Neque igitur Tu aliam exspectes fortunam, nisi à proposito tuo in oppugnanda religione desistas.

JOHANNES Dux Saxoniæ Elector, pius princeps & constans Evangelii assertor moritur in oppidulo Schweinitz 3. Augusti, ætatis 63. Sepelitur Wittembergæ in templo arcis. Memoriâ dignum est, quod de pietate hujus principis Melanchthon retulit. Cum in primâ ecclesiarum inspectione nulli reditus in plerisque parochiis essent, Philippus cum delectis quibusdam, certos reditus attribuit Ecclesiæ Gothanæ & Isennacensi. Reversi in aulam Vinariensem, cum quæ à se gesta essent, recenserent, & rata haberi postularent, *ibi ego*, inquit Philippus, „*inter cætera citabam sententiam Jesaiæ, quæ tunc non erat nota multis:* „*Reges erunt nutricii tui, & reginæ nutrices.* Id ita placuit optimo seni duci Johanni, ut statim juberet locum indicari, ubi nam hæc sententia scripta esset. Valdè delectatus est illâ sententiâ, in quâ commonefactus est officii sui. Curavit etiam statim, ut rata haberi peterentur, antequam aulici quidam obturbarent.

ANNUS CHRISTI MDXXXIII.

HOc anno

Initium aliquod fit reformationis in Ducatibus, Juliacensi, Clivensi, Bergensi.

Progressus reformationis fiunt Genevæ.

Anglia jugum Papæ excutit.

Anhaldini principes ad defectionem ab Evangelio solicitantur: à Luthero in veritate confirmantur.

De Concordia passim locorum agitur, scribitur.

Monasterienses in urbem recipiunt Anabaptistas.

Solodurnenses in Helvetiâ ad Papismum redeunt.

Comes Frisiæ à Duce Geldriæ cogitur se conformare ad Augustanam Confessionem usque ad Concilium.

Germania & Scotia suos exules; Gallia, Sabaudia, Anglia suos Martyres celebrant.

INITIUM aliquod reformationis in Juliacensi, Clivensi, Bergensi Ducatibus, fecit Joannes Dux Cliviæ, qui scripto edito omnibus suorum Ducatuum & ditionum Ministris mandat, ut missis commentis hominum, verbum Dei populo prædicent, ceremoniis Antiquitatis retentis. Hoc edictum usque adeo placuit Erasmo, ut publicâ id epistolâ commendârit.

a) GENEVÆ fiunt progressus aliqui, vel præparatoria potiùs ad plenam reformationem. Kalendis enim Januariis ad Frumentium (cujus anno superiori facta mentio) audiendum, convenere tam frequentes, ut auditorum partem, angustiæ auditorioli vix caperent. Illico vox omnium una, & impetus, in Molardum plateam urbis maximam, Frumentium vocavit & traxit: impositumque scamno prædicare Dei verbum jusserunt, conceptis verbis conclamante populo, DOCE NOS DEI VERBUM: quod ille strenuè, fortiterque executus est: verùm cùm in multa verba, qui loquentis erat, & audientium fervor, sermonem produceret, Apparitorum præfectus, Senatus nomine, dicentem silere jubet: cui quum ille, nullis minis territus, DEO *potius quàm hominibus obtemperandum esse*, respondisset: non antè, quàm poscceret institutum, orationem absolvit. Mox ubi de capiendis Concionatoribus Senatus decretum fecit, adversariorum furori subreptus amicorum operâ Frumentius, aliò migrare coactus est. Hæc cum resciviſsent Genevensium socii Friburgenses, majora indies Reformationis incrementa veriti, per legatos significaverunt, se se fœderi valedicturos, nisi glisceṇti in Ecclesia mutationi maturè obsisterent. Quibus Senatus ut satisfaceret pro virili, ad extirpanda nascentis Religionis semina, incubiturus, Episcopi quoque vicarium officii commonefecit. Sed nihilominus perrexerunt Evangelici domatim conventus habere, ubi & scripturis legendis, & enarrandis operam navabant, qui cæteris peritia vel eruditione præstare videbantur. S. Synaxin in suburbano horto primùm celebraverunt, administrante Guerino quodam, antea quidem opifice, sed in Sacris literis non inerudito: qui hanc ob rem, flagrante Pontificiorum odio, sibi fugâ consuluit, &

paulò pòst in Comitatu Neocomensi Pastoris munere functus est. Monachum in Cœnobio Dominicanorum, pro concione Lutheranos proscindentem Olivetanus, qui in ædibus civis erat Pædagogus, publicè corripiens, licet in grave discrimen, oborta seditione, adductus, periculo tamen exemtus est. Hic posteà biblia, postulatu Convallensium Fratrum, in Gallicam linguam transtulit, quæ Neocomi excusa sunt.

a) Benedictus Turretinus.

Bernates, veritatis propagandæ studio accensi, per literas XXV. Martii datas, de injuriis Farello & aliis Evangelicis factis conquesti, animos jam ferocientes æstuantesque magis exacerbarunt: Quippe, cùm in Senatu de literarum argumento ageretur, gravissima in civitate exarsit seditio. Arma Canonici Clericique arripuerant, & jam concitatis populi animis faces subdebant: Plebs mota, Syndicos eodem traxit: Civis cujusdam domus, ubi cœtus Evangelicorum celebrabantur, concursu facto, petitur: Jam tormenta majora dirigebantur: Erumpunt qui eò loci convenerant è Protestantibus (quos fuisse autores expostulationis à Bernatibus factæ suspicabantur) vim vi repulsaturi. Clamor, Saxa, Minæ, furor utrinque, & cædes in proximo. Ex oppidanis sequester pacis nemo. Friburgenses mercatores, qui tum Genevæ degebant, socios & cives mutuam in perniciem hostilibus armis ruentes, ad pacis & concordiæ ineundæ rationes revocârunt, atque obsidibus utrinque datis, civilis tumultus sopitus est. Quam reconciliationem, certis capitibus comprehensam, Senatus ratam habuit: eorumque summa fuit: *Lex ἀμνησίας. Concionum norma Dei verbum. Interdictus carnis esus diebus Veneris & Sabbathi.* Verùm, ut in corpore concussu, non statim motus omnis residet, mox 4. Maji altera excitatur seditio, frementibus in Lutheranos Canonicis: Syndicus, qui moderaturus omnia, advolaverat, à Sacerdotali factione vulnus accepit in capite: Verlius Canonicus Friburgensis tumultûs autor, cæsus fuit: saucii utrinque non pauci. In carcerem ex} utrâque parte conjecti nonnulli, Friburgenses cædis Verlianæ reposcere ultionem: Bernates verò pacem suadere, cujus tutissimam rationem asserebant, si libera conscientiis in causa religionis optio relinqueretur. Episcopus Kal. Julii Genevam rediit; Friburgensium comitatu stipatus Ecclesiasticos, ob tumultum nexos solvit: Verlianæ cædis autores neci dari contendit. Hinc de Episcopi & Magistratûs jurisdictionis confinio altercatio mota est, cùm præter fas, & contra jura civitatis, Vicarius Episcopi judex novem cives in carcerem trusisset, è vinculis causam dicturos, Bernates Syndicos, Magistratumque hortabantur, ne Reipub. deessent, neve illius autoritatem imminui, & civitatis jura violari sinerent. Friburgenses Episcopum contrà acuebant, & inflammabant; vicit tamen Syndicorum causa, ita ut ipsorum potestati rei, qui vincti fuerant, traderentur.

Anno MDXXXIII. XV. Julii Episcopus à populo Genevensi, ob vim libertati factam, violatamque civitatis, in quam cooptari postulaverant, legem, indignabundo, & concitato sibi metuens, ab urbe sua sponte discedit; magnam, abitione suâ inter officiales Episcopi, & Magistratus urbanos, contentionum legetem relinquens. Sentiens autem, suo discessu, vires resumpturos Protestantes, Senatum per literas monet, ut Evangelicorum conciones impediantur, & Romana religio mordicùs retineatur: quod si fieret, se se pro viribus civitati fauturum, benevolè spondebat. Evangelicos turbulentis concionibus oppugnabat Vidus Furbitus, Doctor Sorbonicus, ex cœnobio Mommelianensi Dominicanus, qui Pontificiæ causæ ruenti suppetias laturus, Genevam venerat. Hominem, qui imprudenter divini verbi nomine & autoritate abutens, atrocibus calumniis Evangelicos & Bernates infectabatur, Frumentius in urbem reversus, & Alexander Camus, increpuêre: quamobrem hic exilio mulctatus est: ille verò, cùm deprehendi non potuisset, judicium effugit.

ANGLIA jugum Papæ excutit. Nam 25. Januarii Rex Boleniam suam ducit uxorem: matrimonium deinde Regis & Reginæ in publicis regni Comitiis pronunciatur irritum & incestum: postremò lex fertur: ne quis deinceps Romam sub quacunque etiam causâ provocet.

ANHALDINIS principibus gratulabantur de reformatione ecclesiarum suarum Wittembergenses: Lutherus inprimis Georgium principem Anhaldinum, præpositum Magdeburgicum hoc salutavit epistolio:

Gratiam & pacem in Christo. Meritò nominabo Te & Reverendissimum Episcopum (taceo Præpositum) & Clariss. Principem, optime & generose Domine, cum videam, te unum in toto Imperio, præsertim in eo gradu & statu positum, amare syncerîter, & promovere fideliter verbum Christi. Atque mihi sæpius miraculo fuit, idipsum cogitanti, & plane singulare Dei donum agnoscere cogor, quòd tua sponte cæperis urgere eam doctrinam in Populis tibi subjectis. Non adulor, neque palpo, (Deus scit) sed gratiam Christi in te tam mirabiliter erumpentem & fulgentem prædico & glorifico. Simul oro & ipsero totis suspiriis, quod is, qui incepit in pectore isto tantum opus suum, ipse quoque perficiet, etiamsi interim infirmitas in eo opere laboret, & à Satanâ, mundo & carne, vehementer vexetur & impetatur variis machinis. Sed ipse dicit: CONFIDITE, EGO VICI MUNDUM, victo autem mundo, victus est & princeps mundi: sicut victo regno, victus est rex. Victo rege mundi, victa sunt furor, ira, peccatum, conscientia, mors, infernus, & omnia quibus iste fortis armis confidebat. Igitur Deo gratias, qui dedit nobis hanc victoriam. In qua ego T. D. vivere & gloriari posse, usque in illum diem, magno cordis desiderio, & rogo & oro Patrem nostrum in cælis. Cui D. T. commendo, quàm diligenter possum Boni consulat T. D. G. hanc scribendi audaciam: Non enim potui me continere, quin hâc brevi epistolâ gratias agerem Deo, simul & gratularer dono Dei, quod in pectore tanti Principis radicatum intellexi Wittembergæ feriâ VI. post Lætare 1533.

D. T.

deditus

Martinus Luther. D.

Sed Pontificii, ut Principes Anhaldinos in fide Romano-Catholicâ retinerent, nihil non moliebantur. Inter alios JOANNES COCHLÆVS Dresdâ hanc ad principem Georgium misit epistolam:

Reverende Pater, Princeps illustrissime, Domine Clementissime:

S. Mini-

S. Minori nunc fiduciâ ad Celsitudinem Tuam scribò, quàm scripsi ante annum. Quamvis enim R.D.T. longe clementiùs & humaniùs mihi responderit, quàm meritus eram: sinistra tamen de Magistro Forcheym (quo usa est clementia Tua præceptore) fama, pro fiduciâ gravem mihi sollicitudinem ingerit, ne fortè Celsitudo Tua, plus æquo illi credens, faciat aut permittat aliquid, de quo doleant boni, lætentur mali. Satis sit illi, suam prodidisse animam (si non fallit fama) dum ab Ecclesiâ defecit ad sectam Lutheri: Non seducat alios, non suborñet declamatores, qui pium & simplicem populum, quam clarissimæ memoriæ Herois Princeps & Domina, Dn. Margaretæ Ducissa & Genitrix Tua, ab omni hæresi tot annis immunem, per Dei gratiam singularem, conservavit, à veteri Majorum nostrorum pietate abducant, in sectam & perfidiam Lutheri. Hac de re ad longum scripsi Opt. & Humanissimo Principi Celsi. Tuæ Fratri seniori, & juniori, libellos dehortatorios. Ad Celsi. Tuam tales scribere non ausim: non sanè quòd hic minus timeam à Lutheranorum dolis & insidiis, quàm illic: sed quòd incongruum videbatur, tantum Ecclesiæ Prælatum, qui hodiè vel cras futurus sit Episcopus, admonere palàm, ut à Lutherismo tot jam annis damnato sibi caveat tandem, cum propè interitum sit. Non satis est Rev. & Illust. Princeps, quod in corde tuo (quod spero) longè à Lutherismo sis alienus: verùm etiam debes præcavere, ne ulla species mali occasionem præbeat hominibus sinistrè suspicandi de fide tuâ. Id secretissimè ac fidelissimè scripserim Celsi. Tuæ; si M. Forcheym apertè (ut fama est) ad Lutherum defecit, tuque ejus familiaritate adhuc uteris, non effugies, quantumcunque celes, quin sias apud magnos amicos & cognatos tuos de Lutherismo suspectus, etiamsi cor habeas syncerissimum. Et non solùm apud Principes, verùm etiam apud Capitula, quibus eligendi Episcopi jus est & potestas antiqua. Si ergo audieris nunc sollicitatores Luthericos, qui falsâ fortitudinis specie juvenilem animum inflammare satagunt, ut abjectâ falsâ (ut ipsi dicunt) ceremoniarum religione, purum Evangelium sequaris, efficies quidem, ut quotidiè proveniant ad Celsi. Tuam epistolæ disertorum hominum è schola Philippi Melanchthonis, qui eam propter talem fortitudinem & magnanimitatem laudibus ad sidera tollent, ut possis ad horam gloriari in mundo supra omnes Episcopos & Prælatos Germaniæ, qui fidem servant antiquam: Sed non est illa laus fida, non solida, non stabilis. Deficiet citò sicut fumus, & tanquam flos agri sic efflorebit. Quantis (putas) laudibus ferebatur in cælum, à disertissimis & doctissimis Arianæ sectæ Episcopis Imp. Constantius, dum credens illis, persequebatur catholicos, quos illi contemtim Homousianos, sicut isti nos Papistas vocant, agnominabant? Quantis mox post eum Imp. Julianus (si modo debet Imperator dici perfidus desertor & Apostata) præconiis ad astra evectus est ab eloquentissimis tum Græcis tum Romanis Oratoribus, & Philosophis, atque Poëtis & Historicis paganis, quòd abjecta Galilæi & crucifixi (ut dicebant cum improperio contra nos) fide, Deos Romanos venerari cæpisset? Exultabant illi quidem ad horam in hoc mundo, sed ex ultione divinâ statim supervenit opprobrium sempiternum, ut Catholicorum quilibet dicere possit in eos: b) „Vidi impios superexaltatos & elevatos sicut cedros libani, & transivi, & ecce „non erant: quæsivi eos & non est inventus locus eorum. Una profectò Hilarii nostri invectiva omnes Constantii laudes obfuscavit. Una Gregorii Nazianzeni oratio in Julianum habita, vanas ejus laudes in sempiternam commutavit ignominiam. c) „Fili mi (inquit Rex Salomon) si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis: si dixerint veni nobiscum, insidiemur „sanguini, sortem mitte nobiscum, marsupium „sit unum omnium nostrum, fili mi, ne ambules „cum eis. Prohibe pedem tuum à semitis eorum. Pedes enim illorum ad malum currunt, „& festinant ut effundant sanguinem. d) Si à Christo Domino & Salvatore nostro reprehensi sunt Judæi, quòd ad horam potiùs exultare volebant in luce Johannis Baptistæ, quàm in Christum credere, ut haberent vitam æternam: quantò magis reprehendi posset Celsi. Tua, si persuasione Forchemianâ, aut prædicatione Hausmanianâ seducta, vellet nunc tandem ad horam exultare in Luce Lutheri, qui reverâ in tenebris ambulat, ut gloriari possint de Celsi. T. Lutherani, contra glorioßissimos Majores tuos, contra piissimam Genitricis Tuæ animam, contra tot cognatos & Affines Tuos Principes Clarissimos, in quorum confusionem Celsi. T. pars & appendix fieret Lutheri, infensissimi pariter & malignissimi illorum calumniatoris.

Si quæ objiciuntur argumenta, quæ à Celsi. T. censentur disquisitione digna, habes in propinquo Theologos Tui amantes & observantes, Franciscum & Mensingum, Hallis Vehum, Lipsiæ Ochsenfardium, viros vitâ & eruditione spectatos: Interroga illos, ipsi secretissimè (si velis) ad dubia Tua respondere poterunt. Si non satisfecerint objectionibus dicere poteris Ecclesiæ, quæ Basis est & columna (ut ait Apostolus) veritatis. e) Si autem interrogaveris ex amicis & desertoribus Ecclesiæ; verendum est profectò, ne Angelus Domini per aliquem Ecclesiæ filium dicat Tibi, quod olim per Heliam dixit Ochoziæ Regi Samariæ: Hæc dicit Dominus; f) „quia misisti nuncios ad consulendum Beelzebub Deum „Accaron, quasi non esset Deus in Israel, à quo „possis interrogare sermonem: ideo de lectulo, „super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Credat mihi R. & Illustr. Celsi. T. quam primùm de Ecclesiæ fide cæperis vacillare, jam infirmus es, & in lectulo ægrotantis in te fidei jaces. Quod si interrogaveris per M. Forcheim aut M. Hausman Wittembergensem illum Beelzebub, non descendes de lectulo illo, sed morte morieris, quia contra præceptum Domini à mortuo quæris veritatem. g) Hanc scribendi libertatem extorquet mihi Christiana charitas & antiqua Tuæ erga parvitatem meam Genitricis gratia, & bona opinio. Si cui ostenderit Celsi. T. ex iis, qui Luthericæ sunt farinæ, hanc meam epistolam, is mox in eam expuet, & meam detestabitur superbiam. (Sic enim vocabit hanc meam fidelem inter te & me solum admonitionem) quod talia ad tantum Prælatum & Principem

pem scribere præsumam. Ego autem benè spero, Rev. & Ill. Celsit. eâ esse gravitate & prudentiâ, ut facilè intelligat, nisi fidelis me amor & sollicitudo impellerent, potius tacere me & ab ipso scribendi tum ad Celsit. tum ad Illust. Principes fratres Tuos, labore quiescere posse. Quod si nunc forsitan minus placuerit hæc admonitio, placebit olim, ubi ad majora pervenerit Celsit. Per me certè nihil horum evulgabitur, si Cel. T. gratiosè in bonam partem acceperit. Scio enim me non solum timere, ne quid per dolos & insidias antiqui Draconis efficiant Lutherani, sed & alios quosdam Cel. Tuæ & fratrum Tuorum amantissimos vehementer angi, ne quid de optimâ constantiæ vestræ famâ per Lutheranorum communionem & cohabitationem decrescat. Si prorsus supervacua est hæc nostra cura, supplicissimè rogo, ut Cel. T. clementer mihi det veniam, & cogitet factum esse secundum illud Ovidii:

Res est solliciti plena timoris amor.

Ex Dresda, in festo Johannis Apostoli & Evangelistæ Anno à Christo nato MDXXXIII.

Rev. & Ill. Cel. T.

Devotus ac deditus

Joannes Cochlæus.

b) Psalm. 36.
c) Prov. 1.
d) Joh. 5.
e) 1. Tim. 3.
f) 4. Reg. 1.
g) Deut. 18.

Verùm Georgii principis pietas nihil commota his argumentis breviter rescripsit:

De me autem non est quod sis sollicitus, nisi quòd me tuis precibus juvari desiderem, quo Dominus gressus meos dirigere secundum eloquium suum dignetur, ne qua mihi dominetur injustitia, redimatque me ab hominum calumniis. Tantum abest, ut à sincerâ in Christum fide Catholicâque Ecclesiâ cujuscunque intuitu desicere velim. Opto te in Christo Jesu bene valere.

Honorabili D. Johanni Cochlæo S. Theologiæ Professori, nobis in Christo dilecto.

De CONCORDIA passim locorum agebatur, scribebatur, & quidem de Concordia Evangelicorum cum M. Luthero agebant Argentinenses, Augustani, Boëmi: Luthero hos admittente, contra illos fulminante.

h) Argentinensium Doctor Bucerus in constituendâ concordiâ inter Lutherum & Zwinglium magno studio laboravit. Mense Majo Bartholomæo Eontio Veneto (sic dicto quod Venetiis Evangelium docuisset) comitatus, Tigurum profectus est: & in Ministrorum Ecclesiæ conventu, sese à defectionis suspicione pergavit, ostendens, se de Cœnâ Domini hanc ipsam doctrinam adhuc retinere, quam hactenus professus esset, & in Bernensi disputatione contra adversarios defendisset: seque in ea Dei beneficio, ad extremum usque vitæ spiritum constanter permansurum esse. Videri autem sibi, quòd Lutherus verbis potiùs, quàm re ipsâ à Zwinglii dogmate dissentiat. Se enim certò scire, & comprobare posse, quod Lutherus non talem Christi in Cœna præsentiam asserat, quæ fidei capitibus adversetur. Hortabatur etiam Tigurinos, ne propter Lutheri epistolam ad Francofurtenses, acerbiùs quid contra eum tentarent vel scriberent. Illi acceptâ ejus excusatione, simul ex eâdem epistolâ ostendebant, quid sibi de Cœna Dominica prorsus sentire videretur Lutherus, quidque posthac ab ipso expectandum esset. Sè verò omninò constituisse, quod in ea doctrina, quam hactenus in Ecclesia & schola Tigurina tradidissent, Deo Duce & auctore, tantisper permanere velint, donec ex sacris literis aliter edoceantur. Interim quæcunque ad pacem faciant, salvâ veritate diligenter curaturos. Hisque Bucerum amicè & honorificè dimiserunt.

h) Hospinianus.

Augustani quoque Ministri Evangelici scriptum edebant, in quo ostendebant, in quibus articulis cum Luthero in doctrina de Cœna Domini consentiant & dissentiant; & quo modo conciliari possint.

Contrà Lutherus atrocem epistolam scribit ad senatum Francofurtensem, qua *Zwinglianos Archidiabolos* vocat, *è suggestu repellendos, ditione eiiciendos.*

Idem librum de privata Missa publicat: ubi describit colloquium suum cum Diabolo, in eo se de multis abusibus Missæ à Cacodæmone admonitum fuisse fatetur.

In eodem libro Oecolampadium ignitis Satanæ telis & hastis confossum subitaneâ morte periisse, scribere audet. Tigurinis decretum erat, utrique scripto respondere, & calumnias diluere: Sed Capitone intercedente, concordiæ & hoc dant, & apologiam suam supprimunt.

Wolffgangus verò Musculus cum Lutheri durum animum nulla ratione emolliri posse cerneret, Bucerum à quærendæ concordiæ instituto graviter dehortabatur.

i) *Impudentia*, inquit, *Lutheri nihil videtur aliud meditari, quam ut seipsum subinde magis atque magis invalescendo vincat. Quid quæso poterit insolentius fingi, quàm quod ad Francofurtensem senatum nuper expuit. Neque enim dubito quin legeris. Hoccine scilicet silentio fovenda erat multis jam bonis desiderata illa concordia, quàm tu annos aliquot tanto labore tam fideliter parturis? An non tandem experimur, quàm sit arduum convenire cum eo, qui nostram concordiam angue pejus odit, quique universo cupit orbi testatum, sibi cum nemine minus quam nobiscum, pessimis videlicet hæreticis, esse concordiæ? Quid quæso, cum hoc homine facies, quem quo magis ames & colas, eo majoribus videas furiis agitari? Ego, mi Bucere, nihil puto nobis aliud agendum, quàm, ut cum summâ patientiâ præstolemur æquam divini judicii lancem, quæ procul dubio palam faciet propediem, utra pars Christianæ modestiæ propius accesserit. Interibit aliquando, interibit vanissima hominis ostentatio,* ὃς ἑαυτῷ οἴομαι πέπνυται, οἱ δὲ λοιποὶ πάντες σκιαὶ ἀΐσσουσι. *Dicis autem* τοῦτο δὲ τὰς ἐκκλησίας ἀνατρέψει. *Scio & tecum summopere doleo, maximè hinc oriri Ecclesiarum pestem, unde Papistarum calamitas effluxit hactenus. Verùm nihil temere à Domino, tametsi à nobis subinde multa agantur imprudenter, ne quid dicam pejus. Consideranda itaque sunt judicia Dei, quæ nos vivo exemplo perdocent, quæ humilia sunt, sectantes, cum omni timore & sollicitudine in Ecclesia Dei versari. Mihi non est mirum, hinc nobis esse perni-*

perniciem, unde ſalutem quodammodo primùm hauſimus, hinc turbari, unde primùm refocillabamur; hinc oriri tenebras Chriſti Eccleſiis, unde primùm lux illa Evangelica reſplenduerat. Sic ſunt rerum vicisſitudines. Neque debebat hoc adeò nobis eſſe rarum: cùm hujus rei tam multa præceſſerint exempla. Vnde humano generi mortis initium? Vnde & vitæ, Nimirum ex Paradiſo. Sic ſolent plerumque ex optimis naſci peſſima. Ex angelis ſunt dæmones. Vnde Judæorum major peſtis? Ex civitate ſancta. Vnde Chriſti traditio? Non ex ordine Publicanorum, ſed Apoſtolico. Vnde Chriſtianorum pernicies hactenus? ex eâ urbe, cujus aliquando fides toti orbi innotuerat. Ad eum omnino modum videmus hodiè Eccleſiis Chriſti naſci exitium, niſi Dominus averterit non ex obſcuro quodam loco, ſed ex præclarâ & nominatiſſimâ illâ Wittembergâ. Contra Romanos, niſi fallor, Lutherus ipſe aliquando hujusmodi quidpiam ſcripſit, ignarus tum quid de ſe ſtatueret divina ſententia.

Et alia Epiſtola:

Lutherum mihi, optime Bucere, toties commendas. Utinam commendares illum ſibi ipſi, aut is pertinacibus ſuis furiis commendationes tuas non ſolùm mihi, ſed & plerisque bonis elanguidas non redderet. Admones ut conſiderem, ac judicem, quod Chriſtus per eum fecit & facit, non quod peccat. Agnoſco. Neque enim improbo, ſi quid boni habuit, vel hodiè quoque habet. Intereà tamen quî poſſim non deteſtari tam peſtilentis hominis furias, quibus non ſolum nos, ſed & hoc ipſum bonum quod habet, tam inſanè turbat? quod utinam non etiam extinguat, eoque rem deducat, ut juxta ſuum ipſius ſcriptum, hinc ſit potiſſimum proditionis vaſtationisque initium, unde erat ſalutis ac reparationis! Utinam, inquam, non hoc faciat! Fidem, inquis, docuit & docet, hanc Deus quàm ſolidè, quàm dextrè, quàm ignitè? Sed obſecro te, mi Bucere, videtur tibi hic fidem ſolidè tradere, qui de corporis Chriſti naturâ, deque illius divinitate, ita docet, imò impudenter contendit, ut neſcias quid Chriſtus fuerit, dum hîc eſſet, quidque nunc ſit, in cœlum receptus? Lege quæ ſcribit de localitate corporis Chriſti, eo loco quem indicaſti. Bone Deus, quàm perniciosè de Chriſto ſentit, ſi quod illic ſcribit, revera ſentit? An hoc non eſt duas in Chriſto naturas ita confundere, ut fidei noſtræ fundamenta, de incarnatione, de morte, deque verâ juxta hominem in cœlos exaltatione, prorſus aut ſubruat, aut reddat incerta? O quantò fideliùs fidem docuit Auguſtinus ad Dardanum; quàm longè aliud illic à Luthero agit.

Et paulò pòſt.

Conatus tuos exoſculor, quos agnoſco ſummè pios, oroque, ut quod moliris ſedulo moliaris. Neque enim ignoro, quàm ad Eccleſiarum reſtituendam concordiam faciat Wittembergenſium reconciliatio. Sed ſummopere doleo, quod omnes tui conatus per Lutheri improbitatem, non ſolùm fatigantur, ſed etiam totics impediuntur, ac propè franguntur. Non dubito quin ſcias quid proximo libello, quem de Miſſis privatis ſacrificiorumque conſecratione, ſcripſit, optimo Zwinglio imputet. c. 1. & Oecolampadio viro laudatiſſimo, c. 1. Ignoſcat illi Dominus. Quæ concordiæ ſpes poterit eſſe ab animo tam pertinaciter amaricato?

i) Ex autographo.

BOEMICI Fratres, quos falsò *Picardos* vocant, Luthero confeſſionem ſuam mittunt, cujus hæc inſcriptio: *Ratio fidei, cultuum ac ceremoniarum Fratrum in Boëmia & Moravia.* Hanc confeſſionem Lutherus Wittembergæ curavit excudi, & præfatione commendatoria ornavit: causâ additâ, quia declaraverint, ſe in ſacramento cœnæ verum corpus & verum ſanguinem accipere. Eodem anno confeſſio illa Tiguri edebatur. Muſculus igitur Auguſtâ ſcribit ad Fratres & quærit, utra ipſorum ſit germana? At Fratres cum de factionibus in Germaniâ audiiſſent, diſtulerunt reſponſum.

Hæc de concordiâ Evangelicorum.

De Concordiâ Evangelicorum & Pontificiorum agebat Eraſmus libello, quem hoc anno edidit, *de amabili Eccleſiæ concordiâ, ſuper enarratione* Pſalmi LXXXIV. Ibi enim formulam concordiæ præſcribit Lutheranis & Pontificiis, & non diſſimulat, ſe in utrisque requirere multum; utrosque certe ad officium revocat. Hunc libellum Theologi Argentinenſes in Germanicam linguam transferunt, Exemplaria per Germaniam ſpargunt; quod moleſtiſſime tulit Wolffgangus Muſculus. Epiſtola ipſius hoc loquitur, quam ſubjungo:

Salve, Bucere chariſſime. Libellum concordiæ Eccleſiaſticæ, quem iſthic ex latino vertiſtis, & in publicum emiſiſtis, operæ Geryonis, paululùm guſtavi. Diſplicet omninò inſtitutum hoc veſtrum. Quis ferret hujusmodi concordiam, niſi viſum ſit, ad vomitum revertendum? Nondum omnia legi, legam autem diligenter, ſignaboque quicquid mihi à veritate videtur diſcrepare. Anxiè timeo ne nimiâ concordiæ meditatione prolabamini, ut veritati agnitæ, prædicatæ, publicatæ, inculcatæ non admodum probè ſitis conſulturi: id quod Dominus avertat. Eccleſiam habetis magni ubique nominis. Eſtis in loco editiore, quàm putatis. Videte ne quid detis ſcandali electis Dei. Tametſi non adeo ſumus docti, ſi mundana reſpicias; arbitror tamen pro dono Dei gratuito, veritatem regni Chriſti, etiam veſtrâ iſthic operâ adjuti, non adeo obſcurè nos huc usque tenuiſſe, quàm & cogitamus gratiâ Chriſti in finem usque vobiſcum & omnibus electis inconcuſſam tenere & fateri, perpetique, quicquid Domino viſum ſit. Videmus, mi Bucere, qui ſint, cum quibus ſit ineunda concordia, neque enim adeò illos perditæ ſimul doctrinæ & vitæ pœnituit, ut vel latum unguem à propoſito ſint deflexi. Quid, quæſo, ſperabis? Stemus firmi à veritate, complectentes omnium eorum qui veritatem quæſierunt ex corde, ſocietatem & concordiam. Hanc qui noluerit, relinquatur Eccleſia Satanæ. Ex corde loquor, quia ſcio cui loquar. Maledicta ſit ea concordia, quæ non niſi veritatis & regni Chriſti præjudicio damnoque ſtatui poteſt. Sanctè beatus Oecolampadius in diſputatione Bernenſi admonuit, videndum, ut magis ſimus in Electorum Chriſti Eccleſiâ, quam ille tandem agniturus eſt, quàm in eâ, ubi ſalvâ conſcientiâ conſiſti non poterit. Quis non vellet concordiam? Sed rurſus quis

non videt eam esse adhuc hodie Pontificiorum conditionem, ut salvâ veritate conspirare cum illis non liceret? Video Erasmum totum in hoc esse ut ostendat, extra unitatem Ecclesiæ Christi salvari neminem, quæ unitas Ecclesiæ, si ita accipienda, ut referatur ad externam Ecclesiam, quid, quæso, faciemus parti nostræ, in quâ tot fideles, jam annos aliquot, ab hoc seculo migrarunt? An forte perierunt, quia cum externâ illâ Romanâ Ecclesiâ unanimes non fuerunt? Placeret hoc Eccio. Tibi verò non placere certò scio. Non negamus extra corpus Christi, Ecclesiam Christi, non esse salutem. Cum verò istud credamus, non respicimus ad externam aliquam Ecclesiam, certo loco collectam, sed ad eam quæ in Electis est, cujus caput Christus est. Quemadmodum enim fide constituimur membra Christi, ita & fidelium per spiritum Dei coordinatione copulatur, & regitur Ecclesia illa Christi unita, sanctificata & mundata, extra quam non est salus. Non quod illa salutem det, sed quod caput habeat Christum, qui salvator est corporis sui unus, ex quo vita & salus in membra diffluit, quo privatum esse capite, omnis salutis est expertem esse. Sed hæc omnia tu melius. Oro, mi Bucere, ut boni consulas, & cum poteris de hâc re respondeas. Vellem tandem hujusmodi libellis finem fieri. Vale. Saluta uxorem diligenter.

Augustæ 10. Novembris.

Musculus tuus.

MONASTERIENSES octavo Kal. Decemb. (clam tamen magistratu,) recipiunt Anabaptistas, Hi quale regnum ibi condiderint, erudite exposuit Lambertus Hortensius Historiâ de Anabaptistis. k) Invulgarant illi paulò ante opus *Restitutionis* titulo inscriptum. In hoc opus & saniem paradoxorum suorum ita digesserunt, ut qui contra sentirent, impii damnatique judicarentur.

k) Hortensius.

Paradoxa autem hæc erant: *Christi regnum ante ultimum diem rerum humanarum civile in terrâ futurum: hic soli sancti & justi, regibus ferro & vi sublatis, dominarentur. Id autem regnum esse jam cœptum Anabaptistarum. Magistratum omnem esse delendum: ei omnibus opibus obsistendum. Licet Christi Apostolis nullum gladii jus, nullaque regni civilis administratio, nulla item imperii stabiliendi potestas permissa sit; posteris tamen eorum sectatoribus, & iis, qui post illos docendi munus in Ecclesia susceptûri essent, civile imperium, & jus gladii traditum: potestatem factam, impium magistratum ferro absumendi pro libidine. In Anabaptistarum Ecclesiâ nullum impium inveniri: omnes sanctos esse. Neminem servatum iri, qui universas suas facultates in medium non conferret. Lege naturæ, cum qua lex divina non pugnet, fas jusque esse, multas habere uxores. Christum corpus ex Divæ virginis carne non induisse.*

SOLOTURNENSES circa annum 1531. liberam Evangelii prædicationem in urbem suam admiserant. l) Sub initium autem Novembris Anni hujus, obortâ inter cives seditione propter religionem, ad Papismum omnes tedibant: Ministrisque Evangelicis dimissis, idola, Missam, & alias Papistarum ceremonias quasi postliminio in templa sua reducebant.

l) Stumpfius lib. 7.

CAROLVS Dux Geldriæ, à nobili quodam Frisio provocatus bello, Frisiam orientalem infestat, victorque Comiti Frisiæ Ennoni inter alias pacificationis leges & hanc præscribit, ut ritibus Ecclesiasticis cum aliis reformatis Ecclesiis conformibus utatur, idque ad concilium generale usque: quod, nisi intra anni spacium celebretur, Comes Ducis consilia de salutaribus remediis audiat. Quinquennio post Geldrus moritur: Enno à duris pacis conditionibus liberatur.

EXVLES porrò suos Germania & Scotia, Martyres verò Gallia, Sabaudia, Anglia habuit.

m) In Germania Georgius Dux Saxoniæ mandat, ut cives Ducatûs Saganensis in Silesia, quem tum ille possidebat, qui ad audiendas conciones Evangelicas exirent, exilio multentur.

m) Annales Silesiæ Germanici.

Idem Georgius, cum è suis esse multos intelligeret, qui Cœnam Domini percipiendam esse dicerent juxta Christi mandatum, Ecclesiarum ministris injunxit, ut iis, qui tempore Paschali, de more veteri peccata sua confiterentur, & cœnam domini juxta Pontificum decreta sumerent, symbola quædam, ac veluti tesseras darent, quas illi post redderent Senatui: quô sciri posset, quinam Pontificium, qui verò Lutheri dogma sequerentur. Itaque Lipsiæ, quod est ejus regionis primarium oppidum, deprehensi fuerunt ad LXX. sine symbolis. Hi Lutherum antea consuluerant, quid facto opus esset: Ille per epistolam respondit, ut qui certò crederent integram sumendam esse cœnam, nihil agant contra conscientiam, & capitis discrimen potiùs adeant. Sic ergo confirmati perseverant, & citati à Principe, cùm eis propè bimestre tempus concederetur ad deliberandum, neque propositum mutarent, tametsi privatim singuli solicitarentur, ejecti sunt oppido.

In Scotiam Papa legatos mittit, monituros Regem, ne exemplo Angli avunculi sui ab Ecclesia Romana discederet. Rex de constantia sua promittit: in Lutheranos quæstio severè exercetur. n) Hinc Alexander Alesius Scotus, vir doctissimus in Germaniam venit, & multos annos Theologiam in ea docuit.

n) Bucholcerus.

o) In Gallia hoc anno cœperunt Martyribus linguas præcidere, ne ad populum possent loqui.

o) Acta Martyrum.

In eâdem *Alexander Canus* Abrincensis, ejuratâ Dominicanorum familia ad Evangelicos transiit, cumque Genevam venisset, ubi Farello docente Canonici Monachi sursum deorsum omnia miscebant, urbe cessit, & profectus per Segusianos in Galliam, venit Castilionem Ducatus Borbonicorum oppidum, indeque Matisconum, tandem Lugdunum, quibus omnibus locis iter faciens Evangelii doctrinam spargebat animo maximo, tantoque ut neque rem ullam suam, neque sanè vitam respicere videretur. Et Lugduni quidem in frequenti cœtu concionabatur. Captus autem à præfecto judiciorum, magna lætitia ad ignem ivit, adeò ut & Monachi nonnulli dicerent, *si hic salvus non esset, neminem mortalium salvum fore.*

In Sabaudia quidam ustulatus est, cujus Martyrium describit Rabus. p) In

p) In Anglia Joannes Frichtus juvenis eleganter doctus, & Andreas Huettus glorioſa morte de hoſtibus triumpharunt.

ANNVS CHRISTI MDXXXIV.

ILluſtris eſt hic annus,
Reformatione trium Ducatuum in Germania.
Diſputatione Genevenſi.
Decretis Anglicanis contra Pontificem Romanum.
Memorabili perſecutione Evangelicorum in Galliâ, Angliâ, Scotiâ, Daniâ; exilio, divexatione, accuſationibus horribilibus eorundem in Germaniâ.
Conteſtatione Baſilienſi & Conſtantienſi de veritate doctrinæ Euchariſticæ Zwinglii.
Interruptione & continuatione Concordiæ in negotio de Cœna Domini.
Novo congreſſu M. Lutheri & Eraſmi.
Tragœdia Anabaptiſtarum Monaſterienſi in Germania, & Monachorum Aurelianenſi in Gallia.
Vocatione Philippi Melanchthonis in Angliam & Galliam.

REFORMATI fuerunt tres inſignes Ducatus Germaniæ, Würtembergicus, Pomeranicus, Brunſuicenſis.

a) Occaſio reformationis Würtembergicæ fuit iſta: Cum Vlricus Dux Würtembergicus anno 1519. poſt mortem Maximiliani Imp. cui ſingulariter charus gratusque fuit, à Sueviæ confederatis Ducatu Würtembergenſi & Teccenſi per vim ejectus eſſet: ſolum Ducatum Mompelgardenſem Galliæ vicinum retinuit. Ibi cum exularet, nec tamen ab hoſtibus potentiſſimis, qui Burgundiam tenebant, ſatis tutus eſſet, tandem ad conſanguineum Principem, Philippum Haſſiæ Landgravium confugit, à quo perhumaniter & liberaliter tractatus, purioris religionis cognitionem ex Lutheri libris, & Haſſicis concionibus, maximè verò ex crebris cum Hartmanno à Cronberg (ad quem Lutheri extat epiſtola) colloquiis, & ejus viri cohortationibus, per Spiritus ſancti gratiam ita hauſit, ut ſibi exilium leve duceret: & patriæ poſſeſſionem, ſi Evangelii luce carendum fuiſſet, pro damno reputaret.

a) Ex conſignatione Eberhardi Bidenbachii: cujus verba hic retinentur.

Anno 1529. interfuit colloquio Marpurgenſi auditor diligens & diſcipulus docilis; & ſermones de religione cum Theologis miſcuit. Atque inde ab eo tempore ita Lutherum amavit: ut eum tanquam heroëm quendam admiraretur & coleret: & poſt aliquot annos Schmalcaldiæ graviter ægrotantem humaniter inviſeret, conſolaretur, & medicamentum pro levando calculi dolore ἐυπόριστον communicaret: cujus efficaciam Lutherus ſæpè commendaſſe perhibetur. Poſt diuturnum & grave quindecim annorum exilium, & acerbiſſima potentiſſimorum hoſtium odia, & comminationes graviſſimas, quæ propter religionem & Landgravio & Vlrico Duci acuebantur, tandem Anno 1534. juvante Deo juſto & miſericorde, armatâ manu ditionem avitam recuperavit, adjutus pecuniâ Gallicâ, milite Heſſo, duce belli Landgravio. Primo congreſſu ad Lauffen oppidum hoſtes peditatu & bellicis inſtrumentis inſtruktiſſimos, ſed equitatu non validо, quorum dux erat Philippus Comes Palatinus, Ferdinandi Regis in Ducatu Würtembergico vicarius & gubernator, fudit & fugavit, ac pauciſſimis diebus tota ditione potitus, nihil prius habuit, quàm ut Chriſto Regi gloriæ portas aperiret, & Evangelii ſinceram prædicationem ac legitimum uſum ſacramentorum introduceret. Itaque mox undique conquiſitis viris doctis & piis, Eccleſias & ſcholas, Academiam maximè Tubingenſem, liberaliſſimè à majoribus ſuis dotatam, & à ſe magnificè auctam reformati curavit. Ejus rei principes fuerunt Erhardus Schnepfius à Landgravio, Ambroſius Blaurerus à Conſtantienſibus, Joannes Brentius ab Hallenſibus, Matthæus Alberus à Reutlingenſibus, poſtremò & Valentinus Vannius à Georgio Marchione Brandeburgenſi exorati & miſſi. Ad ſcholæ reformationem adhibiti quoque fuerunt Philippus Melanchthon, Simon Grynæus & Joachimus Camerarius. Sed præcipui fuêre Schnepfius & Blaurerus, qui regionem, ita volente Duce, inter ſe partiti fuerunt, ut Schnepfius Stutgardiam inferiorem & nobiliorem partem Ducatûs gubernaret: Blaurerus Tubingam ſuperiorem & alpibus Suevicis vicinam moderaretur. Hactenus Bidenbachius.

Cùm autem Blaurerus & Schnepfius de Cœna Domini contrarias ſententias tuerentur; intra ipſa reformationis initia non leve diſſidium exortum fuiſſet, niſi Dux ipſe utroque audito incendium gliſcens reſtinxiſſet, & Blaurerus ſe idem cum Schnepfio ſentire & ipſi, & principi hoc ſyngrapho teſtatus eſſet:

Ich Ambroſius Blaurerus bekenn mit dieſer meiner Handſchrifft, daſs aus vermög dieſer wort *das iſt mein Leib, das iſt mein Blut*, der Leib und Blut Chriſti warhafftiglich, das iſt, ſubſtantivè ac eſſentialiter, non autem quantitativè vel qualitativè vel localiter im Nachtmal genommen ſey und gegeben werde. In vita Schwebelii ſcribitur, Bucerum Argentinâ ad comprimendum illud diſſidium evocatum fuiſſe. Narrat etiam Hoſpinianus, Bucerum omni diligentiâ & ſtudio controverſiam illam pacare ſtuduiſſe. Non dubito igitur, de conſilio Buceri obſcuram hanc confeſſionem, quam multi *revocationem* dixerunt, à Blaurero fuiſſe editam. Certè Bucerus epiſtolâ ad D. Schwebelium ſtrenuè confeſſionem iſtam defendit, Verba audiamus: *Narravit qui has literas attulit, ſpargi illic, Blaurerum recantaſſe; id profectò non eſt: convenit cum Schnepfio coram uno principe, verbis, quæ nos in ſe nunquam nec eſſe detrectaremus, quæ etiam non minus moderantur ſententiam Schnepfii, quàm Blaureri plenius exprimunt:*

Verum ſcilicet Domini corpus in Cœna eſſe.

Nam dum negas quantitatem adeſſe, qualitativè & localiter, & ſolum relinquis eſſentialiter & ſubſtantialiter, ut eſt in illorum mutua confeſſione, certè receptionem Chriſti carnalem ſuſtuliſti, quæ ſit ad modum hujus ſeculi: & ſtatuiſti eam, quæ MENTE percipitur: ſubſtantia ſiquidem & eſſentia, in ſe, non niſi à mente percipiuntur: ſenſibus percipitur quantitas & qualitas: Nos autem verum Chriſti corpus in ſua natura & ſubſtantia, quantitate, & qualitate & omnibus ad verum corpus pertinentibus confitemur: at non percipi tamen juxta ea quæ patent ſenſibus. Igitur eſſentialiter tantùm, non autem quantitativè.

Ita passim ad amicos Bucerus excusabat Blaureri confessionem, ad Musculum etiam, cujus hoc legi responsum:

S. Bucere doctissime. Confessionem Blaureri, eo sensu, quo scribis factam mihi videbar primum intelligere, neque dum de mente Blaureri aliud mihi promitto, quam his adverbiis, substantivè & essentialiter, *exprimere voluisse verbum substantivum* est, *non exponendum per* significat: *sed simplicissimè, ut verba habent, legendum*, hoc est corpus meum, *nimirum per modum traditionis, quem tu non infeliciter, spero, ursisti, & ut urgeas etiam imposterum feliciùs, nimirum ad justam concordiam, per Deum oro. Ita inquam de mente Blaureri nihil dum dubito. De Schnepfio verò non modicam hæsitationem literæ Blaureri injecerunt, qui illum nescio quæ crassa exegisse in primo congressu ad me scripsit. Timeo itaque in hoc ulcere non planè curato putridum quid delitescere, quod aliquando novo malo & minus curabili in superficiem ipsam utcunque curatam eruptùrum sit. Ah candida & sincera Christianorum debebant esse omnia. Sed ut scribis, quid faciemus? Non dantur hodie meliora. Oremus ergo, ut non illud, quod non est hodiè, cras minus esse possit: sed quod non est hodie cras magis esse queat.*

b) Adeò autem increbuit fama de revocatione Blaureri, & coactus sit publico scripto docere, se non recantasse. Voluit autem Dux ex formula Augustanæ confessionis religionem emendari, ideoque Blaurero tandem bona gratia Constantiam remisso, Schnepfium retinuit, eumque generalem totius Ducatus Episcopum & Consiliarium in sacris principem creavit. Cui adjunxit Valentinum Vannium, & Georgium Snitzlerum, qui Schnepfio in examine ordinandorum, & Ecclesiarum inspectione adessent. A Basilienſi Senatu impetravit Doctorem Paulum Constantinum Phrygionem pastorem ad D. Petrum, qui à Zwinglio & Oecolampadio veram religionem didicerat, virum pium & doctum, sed non disertum: hujus in professione collega fuit D. Balthasar Kephalinus, vir in scholastica Theologia egregie doctus. Brentius ad tempus tantùm ibi docuit. Sic duæ regionis metropoles ordinatæ sunt. Magna autem initio penuria fuit idoneorum ministrorum: cum Ducatus late pateret, quippe qui 48. civitates præfectorias, Amptsstädte, 14. oppidula minuta sed muris cincta, 400. pagos contineat. Itaque Principi maximæ obiiciebantur difficultates in constituendis ministeriis. Quapropter hinc inde à Principibus & civitatibus Imperialibus Augustanæ Confessionis ministros exorare, & tantùm non emendicare cogebatur. Prima cura erat ut celebrioribus oppidis primùm prospiceretur. In pagis sæpe satis indocti instituebantur, qui saltem ex probatis postillis explicationem Evangelii prælegerent: (Corvini Postilla tum præferebatur cæteris) & erat colluvies quædam hominum ex variis nationibus, Suevis, Francis, Thuringis, Saxonibus, Hessis, Rhenanis, Helvetiis, quæ res adversariis nostris Papistis multas ad calumniandum occasiones præbuit, qui sutores, sartores, textores, fabros, &c. præfici ministeriis vociferabantur. Sed sic erant tempora, & erat satius aliquos, quam nullos prorsus pastores ovibus præfici. Nam antea plus quam Ægyptiacas tenebras & Pharaonicum jugum Antichristi Romani, sub Austriaco regimine sustinuerant incolæ, homines naturâ simplices, ingenui, probi, & ad labores rusticos obeundos tolerantissimi: itaque ut saltem Catechismus, Psalmi Germanici, & prima rudimenta Christianismi instillarentur hominibus Papistico fascino antea dementatis, hic opus hic labor erat. Et non erant nulli, qui ad ollas Ægyptiacas respectarent, & Ferdinandum mallent habere Regem, quàm Vlricum Ducem, ii præsertim, quibus quæstuosa fuerat Pontificia idololatria. Sed perrumpebat heroicus animus Ducis, & Zelus Schnepfii ardentissimus per difficilima quæque impedimenta: & mitigabat Deus pericula, cum federi Smalkaldico se adjunxisset Ulricus, crescebat Ecclesia indies, & numerus piorum ac idoneorum ministrorum augebatur. Fremebant Episcopi, Constantiensis, Augustanus, Spirensis, Wormatiensis, Würceburgensis (nam ad has quinque diœceses pertinuerant antiquitùs omnes hujus Ducatûs parochiæ) sine ipsorum autoritate ordinari quotidie ministros, & plantari Dei vineam, hactenus incultam sentibus, spinis & tribulis obsitam. Sed eorum nulla habebatur ratio. In monasteriorum reformatione major erat difficultas. Nam cum antiquitùs sedecim Prælaturæ, ut vocant, huic Ducatui incorporatæ sint, & inter ordines provinciæ in Comitiis & publicis consiliis suum locum habeant Abbates; nec poterat justè, nec volebat pius & justus & sapiens princeps hoc corpus Reipub. convellere, & membra dilacerare, nec poterat tamen ad impietatem Pontificiarum idolomaniarum connivere. Inventa igitur media ratio est: qua & provincialibus satisfieret, & conscientiæ Principis consuleretur. Abrogata sunt omnia Pontificia sacra in monasteriis, & constituti ministri, qui sincerè docerent. Qui manere voluerunt monachi, his vitam in monasteriis exigere permissum fuit: qui deserere ordinem maluerunt, his 40. floreni annuatim constituti sunt, pro sustentatione vitæ. Aliquibus nec abire nec bibere libebat (ut est in proverbio) hoc est, neque in reformationem illam consentire, neque jus suum quod prætexebant, Principi resignare. Hi alibi sua latibula quærentes, tempore INTERIM magnas turbas huic Ducatui dederunt: cùm ex suis lustris prorepentes veteres nidos repeterent. Vnum & quidem maximi momenti in illa monasteriorum mutatione neglectum fuit: Scholæ nullæ fuerunt institutæ in Monasteriis, & bona monastica in fiscum Ducalem relata: quæ subsequentibus temporibus sub Duce Christophoro emendata fuère. Id tum in re non bona bonum fuit, quod monasteriorum fundi, qui sunt latissimi, & quartam fermè Ducatus hujus partem occupant, & reliqua illorum prædia & bona non dilacerata & inter aulicos & curiales, nobiles & officiales, ceu vestes Christi inter milites, divisa & discerpta fuerunt, sed integrè conservata, & reditus ex illis in fiscum Principis illati fuere. Nam si illud accidisset, quod in multis aliis regionibus accidit: nunc multis piis ministris & adolescentibus studiosis algendum esset. Sed ne nihil ex bonis illis Ecclesiasticis ad usus Ecclesiasticos converteretur: Illustrissimus Princeps primùm scholam Tubingensem munificentissimè locupletavit: sic ut in totâ Germaniâ non existimetur esse schola, quæ opulentiores & certiores reditus habeat

beat. Deinde ut miniſtrorum penuriæ conſuleretur, collegium, quod ducale ſtipendium appellatur Tubingæ inſtituit ex adoleſcentibus in hac ditione natis & educatis. Quod inſtitutum ita feliciter cecidit, ut deinceps ex hoc quaſi penu & copiæ cornu, idonei miniſtri ad Eccleſias & ſcholas prodierint: ac noſtra copia aliorum inopiæ ſubvenire potuerit. Numerus primus conſtitutus fuit 70. poſt 100. nunc ad 150. excrevit. Præterea Maulbrunnum Cœnobium ampliſſimum ſenioribus emeritis & ægrotantibus miniſtris quaſi hoſpitale & γηροτροφεῖον, ceu Prytanæum deputatum fuit. Succreſcebat nova & lata ſeges, & ridebat ager Domini: erat pulcra & pia inter miniſtros concordia, & rudioribus miniſtris paulatim vel morte ſublatis: vel alia occaſione diſcedentibus, ſubſtituebantur magis idonei, qui ex Academia Tubingenſi & ſtipendio cumprimis prodibant. Schnepfius enim jam quoque Tubingam fuerat vocatus, ut erudienda publicis lectionibus & concionibus ſcholaſtica juventute, omnibus Eccleſiis hujus regionis prodeſſet. Studgardiæ ei ſucceſſerat Valentinus Vannius Mompelgardenſis comitatus Eccleſias gallicas ſub gubernatione Ducis Chriſtophori, filii Ulrici, regebat Petrus Toſſanus Metenſis.

b) Bidenbachius in hiſtoria reformationis Wirtembergicæ MS.

c) POMERANIÆ Duces, Barnimus & Philippus, exeunte anno, comitia ordinum ſuorum Treptoviæ ad Regum habentes, communi conſilio & decreto, impiam doctrinam, abuſus & idola Papæ Romani abrogant, & veram Evangelii doctrinam, cum confeſſione Auguſtæ Cæſari exhibita congruentem, ac ceremonias ad ædificationem veræ pietatis & bonum ordinem utiles, libro ordinationis Eccleſiaſticæ tum comprobato expoſitas recipiunt: & præfecto viſitationi Joanne Bugenhagio & aliis, ea hyeme in oppidis paſſim eam inchoari, & Eccleſias ac ſcholas rectè conſtitui curant. Qui ordo Dei beneficio huc usque in Eccleſiis Pomeraniæ conſervatur.

c) Chytræus.

d) Philippus Dux Brunſuicenſis in Grubenhagen, Alberti filius, agnitam Evangelii veritatem publicè profiteri, & abuſus Pontificios, in Eccleſiis ſuæ ditioni ſubjectis ubique abolere cœpit, evocato ad conſtituendas Eccleſias, Nicolao Ambsdorffio, qui tùm parœcias in reliquo Ducatu, tùm collegia Canonicorum duo, Einbecæ ad D. Alexandrum & D. virginem, inſtitutis paſtoribus puram Evangelii doctrinam ſonantibus, emendat. Inter quos, Erneſto Brumeſtero, (qui cum D. Godſcalco Croppio, prima Einbecenſis Eccleſiæ Evangelicæ fundamenta jecit) viro docto, facundo, & in Collegiis, Romæ, Bononiæ, Florentiæ, Coloniæ olim verſato, & in Aula Philippi hactenus Evangelium docenti, partem inſpectionis Eccleſiarum commendat.

d) Idem.

e) HANOVERÆ etiam ſub ditione Erici Ducis Brunſuicenſis, emendatio religionis Pontificiæ publica, quantumuis diſſuadente Senatu & Principe, in Eccleſiis facta eſt. Etſi enim ſuperiore anno, cùm civium communitas, ſinceram Evangelii doctrinam in vicina ditione Lunæburgenſi, & urbe Brunſuicenſi, publicè ſonantem ſibi etiam concedi ſupplex flagitaſſent, & aſſiduè ac vehementer urſiſſent, Senatus cum Syndico & Paſtoribus aliquot urbe exceſſerat: tamen delecti ex Patriciorum ordine novi ſenatores, communicatis cum vicinis urbibus ac Erneſto Duce Lunæburgenſi conſiliis, ex Brunſuicenſi urbe, Autorem Sanderum, virum prudentem, doctum ac facundum evocant cui ſyndici munus commendant. Conſul præcipuus erat Antonius à Barkhuſen, cujus pietatem & zelum religionis veræ conſtituendæ ſingularem fuiſſe, Vrbani Rhegii ſcripta teſtantur. De cujus conſilio Rodolphum Mylium, qui Hervordiæ ſtudia doctrinarum olim rexerat, inſpectorem Eccleſiæ præfecit, adjuncto collega Georgio Scarabeo, qui primus ſemina veræ Evangelii doctrinæ, ſummâ cum modeſtiâ, fide, diligentia & gravitate, aliquot annos ſparſerat. Interea Ericus princeps profugorum Coſſ. & Senatorum querelis inflammatus, itinera & importationes in urbem aliquot menſes claudit: Cives ex vicinâ Erneſti Ducis Lunæburgenſis ditione commeatibus adjuti, munitiones urbis reficiunt, donec tandem principum aliquot & vicinorum civium interceſſione, princeps placatus, & profugi Senatores privatim in urbem redierunt menſe Auguſto. Rebus pacatis Urbanus Rhegius, Cellâ Saxonum evocatus, ordinationem Eccleſiæ Hanoverenſis quæ extat, conſcripſit, & deinceps, dum vixit, conſiliis ſuis rexit.

c) Idem.

GENEVENSEM diſputationem Bernates procurarunt. Summam rei narrabo verbis *Benedicti Turretini*, Theologi Genevenſium clariſſimi, amiciſſimi Symmyſtæ, Anno, ſcribit ad me, MDXXXIV. Kal. Jan. Dei verbum ſine Epiſcopi permiſſu prædicari vetat Vicarius: Biblia ſacra, tàm Gallicè quam Germanicè conſcripta comburi jubet. Non tamen feriabantur Farellus & Frumentius reduces, quibus ſeſe tertium comitem adjunxerat Viretus, quin imò tam gnaviter (etſi privatis è civium ædibus prodire non licebat, ut ſcribit Frumentius in ſua ad populum Genevenſem Epiſtola, quam operi, quod inſtituerat, hiſtoriæ reformationis præmiſit) Genevenſem agrum conſerebant, ut non ampliùs reformationis progreſſus, privatis parietibus contineretur. Bernates conviciis, quibus à Furbito è ſuggeſtu inceſſabantur, expergefacti, juſtaque ira perciti, niſi rabulæ petulantis effrænis lingua compeſceretur, confederationis initæ tabulas & inſtrumenta ſe remiſſuros eſſe, minitabantur. Quo nuncio Genevenſes attoniti, Furbitum cuſtodiæ tradiderunt. At Epiſcopales, hominem foro Eccleſiaſtico ſiſtendum repetebant; idem ipſum Friburgenſes urgebant: Bernates verò, cauſæ diſputationem alìò transferri non patiebantur. Tum diviſi contraria in ſtudia è S. P. Q. G. alii Bernenſium, quà amore, qua metu compulſi, ſtudiis Evangelicorum annuebant, alii verò Friburgenſium fœdere prælato, cùm Epiſcopo addicti eſſent, à Bernenſi confederatione malebant reſilire. Bernatum gratia fuit potior. Itaque Syndici priùs teſtati, de Epiſcopalis fori jure, nolle ſe tantillum delibare, ad cauſæ cognitionem & diſceptationem inſtituendam, dictâ die acceſſerunt. Bernatum Legati in CC. Senatu dixere, aliud ſe nolle, quàm ut hæreſis, cujus inurebantur notâ, deſignaretur: Concionatores adeſſe præſtò, qui calumnias diluerent: Ad Lydium S. ſcripturæ lapidem, ut jactabundus præ ſe velle ferebat Sorboniſta, in clamoſis ad populum concionibus, judicium ut exigeretur, obnixè flagitare. Non alio quàm veritatis divinæ amore, quam liberè ſonare volunt, adductam fuiſſe

rempub. Bernensem, ut Dominicanos falsorum miraculorum impostura sese venditantes, ejiceret: eodem jam quoque studio ferri erga concionatores Evangelicos, quibus si constet eos veritatis nomine, ad commenta sua abuti, parcere nulli velint. Furbitus præscriptione solenni, judicii periculum amoliebatur, sine superiorum permissu nefas esse in hanc arenam descendere, judicio seculari se non teneri: Doctorem nempe Sorbonicum se esse: Coram Pilato tacuisse Christum, &c. Legati excepêrunt, iniquum esse, ut qui nullam à superioribus maledicendi potestatem impetrasset, eorum sese ad elabendum autoritate communiret. Farellus & Viretus legatis conjuncti, hominis Factum præceptis & exemplis Petri, Pauli, ipsius etiam Christi retuderunt. In judicio autem Bernenses obiiciebant Sorbonico, quòd Christi vestes à quatuor carnificum generibus, videlicet *Germanis, Valdensibus, Arianis & Sabellianis* discissam fuisse dixisset; quòd eos qui Veneris & Sabbathi diebus, carne vescerentur, tanquam Turcis & canibus execrabiliores notasset: quòd apertè in Bernenses & fœdus cum iis factum invectus, eos hæreticos, & fautores eorum impurissimos ac sceleratissimos appellasset, utpote qui nec Deo nec Diabolo parêrent. Alia erant istius generis plurima, in quibus maledicæ linguæ procacitate & virulentia, Furbitus Rempublicam illustrem & fœderatam præpotentemq; lacerabat, atque animos quietis amantes, ad justissimam indignationem provocabat. Extat libellus de hâc disceptatione, eo tempore in lucem, Anno MDXXXIV. typis editus, qui rerum in hac causa gestarum seriem, ut simplicissimè, ita fidelissimè texit, ab homine conscriptus, qui etsi Pontificias partes non deseruerat, studio partium tamen adduci non potuit, ut narrationis ingenuæ candorem livore ullo obfuscaret. Neque hujus historiæ fidem labefactare potuit, qui nuper Cambiriaci prodiit è Capucinorum scriniis liber excusus, Anno MDCXI. mendaciorum struc, & anilium nugarum farragine turgens, ineptus juxtà ac malignus. Schemata, quibus scatet Commentarius hic, à Monialium Abbatissa, ut narrant, exaratus, sunt atrociissima convicia adversus Evangelicos, & ridicularum fabularum Emblemata inserta, quibus tenebræ ingentes imperitis rerum præteritarum offunduntur. Canes, Turci, Diaboli &c. nec mitius unquam nostrates appellantur. Tandem ut Bernatibus satisfieret, instituitur disputatio de religionis capitibus, quorum causa tam atrociter in protestantes Vidus detonuerat, habenda in CC. virûm, & amplissima omnium, quot in urbe vigebant, doctrina vel dignitate clarorum virorum coronâ. Disputatum est, de *Pontificis autoritate, Ecclesiæ in legibus ferendis potestate, & traditionibus, Episcopi & Presbyteri discrimine*, acriter utrinque argumentis adductis: Asserebat enim Furbitus, Pontifici Romano & Ecclesiæ fas esse, non pauca, quæ à Christo fuerant instituta, commutare: Neque minori pietatis affectu recipiendas Ecclesiæ constitutiones, quàm verbi divini decreta, etsi illas non posse ex Scriptura probari (quod se facturum ante gloriabatur) extrema disputatione, vi argumentorum compulsus, fateretur. Exitus hic fuit, Cùm Legati Bernensium XIII. Februarii prolatis in medium probationibus, testimoniis, confessionibus, & responsionibus, postulassent, ut pronunciarent judices; cumque Sorboniста reus, se quoque judicio stitisset, & subjecisset, hoc unum petens, ut concionem habendi facultas concederetur: Senatus consultum in hæc verba factum est: *Syndici XXV. & CC. viri, omnibus disputationis institutæ capitibus auditis & expensis; cum se judicio stiterit ac subjecerit Magister noster, cumque Vicarius hujus causæ disceptationem abjecerit ac repudiarit, ne jus in urbe silere videatur, Senatus consulto decreverunt, ut in D. Petri æde, Dominicâ die proximâ, eodem, quo pro concione articulos illos proposuit, loco, palinodiam canat, eo quod illum multa, quæ nulla Scripturæ divinæ autoritate nituntur, & Dei gloriæ, Bernatum dignitati, & omnium saluti contraria sunt, protulisse, constiterit.*

Febr. XV. cum Furbitum Bernensibus satisfacturum audituri convenissent omnes, ille spreto Senatus, præter omnium expectationem, decreto, orationem aliò convertit. Dicentem strepitus indignantium interrumpit. Magistratu jubente ducitur in carcerem, ubi; dum esset capitivus, nihil ei deerat, & tam ad victum, quam ad delicias, abunde subministratum ei fuit, præsertim à mulierculis superstitioni addictis, ut hoc ipsum non diffitetur Abbatissa, eo libro, de quo supra. Dum rationibus & argumentis, in amplissimæ Civitatis consessu pugnabatur; actum esse de Papatu, arbitrantes quidem è Pontificiis, motus in urbe novos excitant, in ipsorum perniciem non multo post redundaturos. Unius è Lutheranis cæde aliorumque vulneribus urbe commota, Evangelici ad Curiam adeunt: vim sibi fieri, invitos cogi se ad arma sumenda, clamant: Bernatum Legatorum præsentiâ & prudentiâ, tumultus componitur. Seditionis & cædis autor, *Johannes Porterius* Episcopi Secretarius comprehenditur; quâ occasione, cum illius excuterentur scrinia, conspirationis cum Sabaudo & Episcopo ad libertatem opprimendam conceptæ, argumenta manifesta deprehendantur, cujusmodi fuerunt, Episcopali sigillo obsignatum diploma, quo Gubernator in temporalibus Genevens. designabatur, & Ducales subscriptiones in albo, aliaque id genus. Quocirca etsi Pontificia religio nondum explosa esset, vicit tamen amor patriæ, & libertatis, nullo pretio æstimandæ charitas: ac licet Episcopus vitæ gratiam per literas faceret, cùm cædis, seditionis, Majestatisque convictus esset Porterius, & hoc etiam ipso crimine Episcopus ipse complicaretur: de reo, nulla prorsus habita Episcopalis indulgentiæ ratione, ut in proditores animadverti solet, X. Martii supplicium sumptum est. Itaque sub idem temporis momentum, hæc duo, non sine numine, concurrerunt, maximum ad reformationem momentum, allatura. Nam illæ, quibus exosa reddebatur religionis causa, criminationes fictæ, falsi evictæ & damnatæ sunt, & ea, quæ in præsentissimum discrimen Rempublicam vocabant, crimina Episcopalium gravissima detecta, in autorum capita reciderunt. Quamobrem jam Bernates, quod anteà, licet sæpe numero petivissent, nec dum tamen impetraverant, liberius deinceps efflagitare cœperunt, ut libera Genevæ religionis professio permitteretur, ac sibi saltem Genevam, jure societatis, commeantibus, aliquem è suorum concionatorum numero, audiendi potestas daretur. Senatus Episcopi veritus offensionem, anceps consilii, dilationibus rem protrahebat: verùm moræ impatiens civium manus, qui religionem puriorem amplexi erant, Kalendis Martii, templum quod ad Ri-

pariam

pariam portam cœnobio Franciſcanorum adhærebat, occupant, & Farello, ut publicè concionaretur, autores fuerunt.

Hæc verò Friburgenſes graviſſimè tulerunt, ac ſive ob prælatam Bernenſis Reipublicæ ſententiam, æmulatione, ſive ob autoritatis Papalis apicem Genevæ decuſſum, pertinaci erga ritus majorum ſtudio zeloque affecti, tabulas fœderis & germanitatis inſtrumenta Genevenſibus remiſere, Syndicis fruſtrà renuentibus, & ſocietatem cum amiciſſima olim Repub. initam, ad Reipub. jura contra vim Sabaudorum & Epiſcopum tutanda utiliſſimam, religionis cauſa reſcindi, mœrentibus. Ad libertatis defenſionem coaluerant in arctiſſimum fœdus hæ civitates: Libertas religioni patefecerat aditum. Hujus adventu, animi olim conjunctiſſimi, ceu gladio dividente, diſſociati ſunt. Et quod mirum magis, *quæ ſocietas, ad civitatis conſervationem, opportunè pacta, ex Dei conſilio, aliquandiu profuerat, eadem diſſuta, Reformationi viam ſtravit, multò quam ante fuerat, commodiorem.* Nam XXI. Maij, Riparii templi imagines dejiciuntur & confringuntur, Syndici autores indagant, quosdam capiunt, ſtatuas, eorum ſumptibus, qui deturbaverant, refici jubent: Sed indies augeſcebat, cum veritatis luce, doctrinæ melioris amor & autoritas, Altera verò ex parte tumeſcebat rabies inter Epiſcopales, nihil non auſuros, ut Magiſtratum urbanum, & religionem quæ adoleſcebat, funditus perderent. Erupit tandem furor, ſed irrito conatu, & exitu contrario. Nam, cum Sabaudi ductore Caballeſiorum præfecto, auſpiciis ducis, Epiſcopo, qui in hoſtilia caſtra tranſiverat, non abnuente, urbem terrâ lacuque, prid. Kalendas Sextiles, noctu adoriri conſtituiſſent: Pontificiis hoſtibus portas, uti convenerat, prodituris, detecta in ipſo propè dicti temporis momento, conjuratio, malum conſilium autoribus exitiale fuiſſe, demonſtravit. Etenim ſibi conſcii, non pauci è Pontificiis, urbem ſponte deſeruêre, & paulatim hoc exemplum ſequuti multi ex Epiſcopi factione egreſſi ſunt, non civili ampliùs tumultu, ſed aperto bello, patriam oppugnaturi, rati hâc viâ faciliùs ſeſe voti compotes futuros. Quo conſilio Epiſcopus XXII. Auguſti, Syndicos, Senatum, Populumque Genevenſem, hæreſeos & rebellionis notatos, anathematis fulmine percuſſit, commercium omne cum hæreticis interdixit, ducentos circiter cives proſcripſit, & eorum bona mirâ audaciâ publicavit. Sabaudi, (quamvis Carolus ab Helvetiis, rogatu Genevenſium, ne contra ea, quæ Paterniaci, anno MDXXXI. Kal. Jan. à diætetis, quibus ipſe ſe ſubjecerat, decreta fuerant, in Rempub. Genevenſem quicquam moliretur, monitus, conjurationem illam, ſe autore, negaviſſet eſſe factam) annonam importari prohibent, obſidione urbem ad extrema quæque redacturi. Ac ne quid furori deeſſet: Balmenſis Epiſcopale conſilium Genevâ jubet excedere, & aliò Pontificalis dignitatis ornamenta, ne in urbe excommunicata polluerentur, transferri curat; Senatus obſiſtens, ad Romanum Pontificem provocat. Has turbas, Helvetii, viciniæ & ſocietatis jure, affines, componere per Legatos, & conventus, variis indictos locis, nitebantur; ſed omnia fruſtra fuêre. Itaque cogebatur Senatus ineluctabili ultimæ neceſſitatis telo, ad Evangelicorum, qui libertatis erant aſſertores incorrupti, partes inclinare: quo tempore multi ex Gallia, ubi perſecutionum ardebant incendia, profugi in civitatem Eccleſiaſticorum, quamdiu paſſa fuerat, dominationi infenſam, tanquam in tutiſſimum aſylum, ſeſe recipiebant. Ita eventu ipſo compertum eſt, nullis machinis concitatiùs promoveri potuiſſe Reformationis negotium, quàm Epiſcopi implacabili odio, Eccleſiaſticorum inſanabili depravatione, atque inveteratâ Sabaudorum in Genevenſes malevolentiâ, quibus nimirum obicibus omnes veritati renaſcenti aditus obſtruere furens & fremens Satanas conabatur. *Nempe Deus omnipotens adverſariorum conſiliis & operâ, decretum & opus ſuum mirabiliter peragebat.*

f) In ANGLIA decretum eſt in Parlamento, de abroganda ſynodi autoritate in Canonibus Eccleſiaſticis condendis, niſi quatenus Rex eos ratos habuiſſet. Sancitum etiam, ut Epiſcopatibus vacantibus, ipſe novos Epiſcopos præficeret, neve quenquam aut eligi per Capitulum, aut conſecrari per Archiepiſcopum jam poſteà fas eſſet, quem Rex ſuis literis ad id muneris antea non deſignaſſet. Cumque multi quererentur, ſublatum nunc omne remedium leniendi rigorem juris Eccleſiaſtici per diſpenſationes, poſtquam omne cum Papa commercium interdictum eſt: Archiepiſcopo Cantuarienſi conceſſa eſt facultas ea perficiendi, quæ Papa jure olim potuiſſet, modo in gravioribus cauſis regius accederet conſenſus. Conſtitutum etiam, ut provocationes ab Archiepiſcopo ad Papam fieri conſuetæ, jam ad Regem transferrentur, cui liceret, per judices à ſe delegatos, omnes hujuscemodi lites ac controverſias terminare. Poſtremò lex adjicitur, quâ matrimonium Regis cum Catharina initum inceſtum denuò pronuntiatur, regni ſucceſſio ſoboli ex Anna natæ aut naſcituræ adjudicatur, & ſimul imperatum, ut omnes adulti per univerſum regnum ſacramento confirment, ſe hujuſce legis decreto obtemperaturos: qui aliter feciſſent, cunctarum rerum ſuarum jacturâ, & perpetui carceris pœnâ delictum luere eos oportebat. In univerſo regno duo duntaxat inventi ſunt, qui legi prædictæ auderent refragari: Fiſherus Roffenſis Epiſcopus, & Morus regni modò Cancellarius, viri hercle egregiè docti, ſed ſectæ Pontificiæ pervicaciſſimi defenſores, qui cum nulla ratione ſibi perſuaderi ſinerent, ut hujusmodi ſanctioni conſentirent, acti ſunt in carcerem, ubi integrum annum permanſerunt, donec tandem ultimo ſupplicio affecti ſunt. Menſe Novembri comitia Parlamentaria iterum habita ſunt, in quibus (quod nuper in Synodo decretum fuerat) latâ lege ſancitum, *Eccleſiæ Anglicanæ caput ſupremum Regem dicendum*, & omnium criminum coërcitio ad ipſum delata, quæ ad fori Eccleſiaſtici cognitionem ſpectare ſolebant, ſic ut, qui dimidiatus princeps hucusque extiterat, diviſa inter ipſum & Pontificem Romanum autoritate, legitimum imperium, & ſolidam integramque poteſtatem jam primum nactus, nunc demum regnare videretur. Regi etiam tunc temporis conceſſæ cunctarum promotionum Eccleſiaſticarum primitiæ: hoc eſt, ut epiſcopatus vel ſacerdotii nuper adepti fructus omnes, qui toto inſequenti anno colligerentur, fiſco regio addicerentur: aut ſaltem (quod eodem recidit) annui fructus dimidium per totum deinde biennium.

f) Annales rerum Anglicarum.

PERSE-

PERSECVTIONES Evangelicorum vix alio anno magis memorabiles occurrunt.

Nam apud GALLOS hic annus in proverbium abiit, & *annus* publicè Parisiis, *pragrammatum, affixionam, & inscriptorum* nominatus fuit. Res ita habet: Gerardus Rufus Margaritæ Franciſci Galliæ Regis ſororis, Navarræ Reginæ auſpicio, & Coraldus & Perthaudus, aliique clariſſimi viri, Lutetiæ Evangelium publicè & liberè profitebantur, idque in magna populi concurrentis frequentia. Uſſit hoc Sorboniſtas, itaque in eo laborârunt, ut Doctoribus iſtis omnibus concionibus interdiceretur. Illi tantâ injuriâ Reipublicæ Chriſtianæ commoti, concionem in privatam & domeſticam docendi rationem æquali ferè ſucceſſu profectuque convertunt. Sorboniſtæ igitur rurſum obtinent, ut Doctoribus Evangelicis etiam privata iſta docendi ratione interdiceretur. Præcipiti igitur quodam animi impetu nonnulli auditores Genevam mittunt, & programmata quædam in Miſſæ deliria & rituum hujusmodi Papiſticorum ludibria characteribus excudi curant. Atque hæ inſcriptiones, prudentioribus improbantibus, imprudentioribus exoptantibus, Lutetiæ compitatim affixæ ſunt, in vulgus item ſparſæ, idque Menſe Octobri. Quod adeò indignè Rex Franciſcus tulit, ut atroci edicto, omnes qui in tenuiſſimam aliquam ſuſpicionem incidiſſent, comprehendi juſſerit. Hinc miſerabilis Eccleſiæ facies, & luctuoſæ multorum mortes ſunt ſubſecutæ.

Et ſic quidem Acta Martyrum: *Joannes Sturmius*, qui tum Lutetiæ vixit, epiſtolâ ad Melanchthonem Lutetiæ pridie Nonas Martii ſcriptâ, hiſtoriam facti his commemorat verbis:

Si in amicorum negotiis tibi aliquando literæ meæ fuerunt gratæ, ſi unquam bonorum virorum res ſalvas eſſe cupiviſti: eò majori curæ tibi hæ eſſe debent, quò magis in communi ſalute & tranquillitate retinendâ verſantur. Ut enim in turbulentiſſimis maximeque perniciosis tempeſtatibus jactamur, ex optimo & pulcerrimo ſtatu, cujus nobis viri prudentes auctores fuerunt, in maximas calamitates & ſummas ærumnas ineptiſſimorum hominum conſiliis delapſi ſumus. Scripſi tibi ſuperiori anno, quam pulcrè ſtaremus, quàm benè de Regis æquitate ſperandum eſſet: gratulabamur tum nobis invicem: ſed eam occaſionem homines furioſi propè omnem abſtulerunt. Per Menſem enim Octobrem, quod non ſatis eſſe putarunt, læta fieri principia: quòd metuerunt, parum multos fore ſuarum partium, niſi aſtutis, ut ipſis videbatur, ſed ut res indicat ſtultiſſimis & ſeditioſiſſimis rationibus regna & gentes perturbarent; libellos uno tempore de Ordinibus Eccleſiaſticis, de Miſſa, de Euchariſtia, per univerſam ferè Galliam nocte in omnibus angulis affixerunt, immanibus & tragicis exclamationibus. Ante Regis etiam conclave agglutinarunt, quo certiora & magis perniciosa pericula crearentur. Nam perturbatus hâc re populus, territæ multorum cogitationes, concitati magiſtratus, inflammatus Rex, graviſſima judicia conſtituerunt. Nec immeritò, ſi tamen ea in re ſervari modus poſſet. Ex conſciis quidam deprehenſi, pœnas dederunt, quidam maturè ſibi conſulentes, aufugerunt. Qui ad ſe ea pericula non ſpectare putabant, qui non contaminati erant eo ſcelere, hi etiam inpartem pœnarum veniunt. Delatores & quadruplatores publicè comparantur: cuilibet ſimul & accuſatori & teſti in eadem cauſa eſſe licet. Non vana ſunt, quæ ſcribo, & ſic habeto, me nec omnia ſcribere, nec ita ſcribere, ut ipſarum rerum luctuoſiſſima conditio requirit. Octodecim uſtulati ſunt; plures capti idem ſupplicium expectant; Serpunt quotidiè latiùs pericula, neque quisquam eſt, qui bonus ſit, qui neque extimeſcat calumnias ac judicia, neque dolore indigniſſimorum ſpectaculorum conficiatur. Regnant adverſarii veſtri, & eò magis, quòd juſtis de cauſis obtinuiſſe videantur, ut in pacandis ſeditioſe concitatis rebus regnent. In tot tantisque malis ſolum hæc ſpes nos jam reficit. Si immanis iſta ſeveritas populo diſplicere incipiat, ſi Rex intelligat, nimium ſitire calamitoſorum hominum ſanguinem, à quibus alieniſſima deberet eſſe vindictæ cupiditas, (odio enim magno, non æquitate agere videntur,) ſi videat μιαιφόνους hominum mentes; inclinabit, ut ſperamus, ejus animus, & meliora capiet conſilia. Eſt hoc exiguum ſolatium; ſed tamen non diffidimus Deum eſſe, qui moderaturus ſit has tempeſtates, & portum aliquem perfugiumque oſtendat, qui nobis viros bonos adhuc reſervat, qui gratiâ & autoritate plurimum poſſunt, qui aliquando liberè, quod cogitant, audebunt dicere. Hujus rei nobis iſtud eſt indicium. Per Langios, quorum familiam tibi notam eſſe credo, obtinuimus, quò in nos qui Germanici nominis ſumus, minus odioſè animadverteretur. Edixit Rex, ut quicunque ex Germanis coërcerentur, in re capitali, una cum cauſa & actis, in Germaniam, quisque ad ſuum principem remittantur.

g) In ANGLIA Henricus Rex veritus, ne religionis potiùs quàm tyrannidis Pontificiæ pertæſus, à Papa deſciviſſe videretur, ut ſe ab omni ſuſpicione vindicaret, Luthero aut novorum dogmatum autoribus favendi; ſævire cœpit in id genus hominum, quod hæreticos vulgus appellat, & ignibus cremandos dedit, non ſolum Batavos quosdam Anabaptiſtas, ſed etiam verâ pietate inſignes aliquot viros.

g) Annales Anglici.

h) In SCOTIA Jacobus V. Rex, menſe Auguſto, acriter in Lutheranos inquirit. Quidam coacti publicè recantare: nonnulli, quòd citati non adeſſent, exules pronuntiati, duo cremati, quorum alter *David Straio* ejus criminis omnino purus erat: ſed cùm in Decimis publicano ſolvendis paulò pertinaciùs ageret, Lutheraniſmi accuſatus, pœnas commentitii criminis luit.

h) Buchananus lib. 14. rerum Scoticarum.

In DANIA cùm poſt Friderici Regis obitum, Senatus regni, in quo Epiſcopi præcipuum & ſummum locum obtinebant, electum Regem Johannem, Friderici Regis filium, puerum in Lutheranâ hæreſi, ut nominabant, educatum, averſarentur, & ad novi regis electionem non properarent, ſed de adminiſtrando aliquantiſper per ſe ipſos regno, & hæreſi Lutheranâ ex urbibus Hafniâ, Malmogiâ & reliquis regni oppidis, extirpandâ, decretum ſuperiori anno feciſſent: magno in mœrore & ſollicitudine civitates (in quibus rex Fridericus paſſim liberè veram Evangelii doctrinam, quantumvis frementibus & invitis Epiſcopis, prædicari jam ab anno 1527. permiſerat,

miserat, & civitati Malmogiensi duorum Monasteriorum ædificia mœnibus inclusa, ad Reipublicæ usus concesserat) constitutæ erant. Promulgebatur nomine Senatûs regni edictum, ut ante certam diem, ex omnibus oppidis & pagis Lutherani concionatores dimitterentur, & alii Catholici pastores ab Episcopis probati, reciperentur. Addebat Archiepiscopus Lundensis *Tobernus Bilde*, publicam proscriptionem Lutheranorum, & quoscunque poterat, carcere & exiliis multabat. Magistratibus civitatum deprecantibus respondebatur, totius regni Senatûs decretum esse, quod mutare nec possent, nec vellent. Cùm igitur Senatus Hafniensis & Malmogiensis in his angustiis hærerent; à Christiano Holsatiæ duce, Friderici Regis filio petunt, ut fratris minorennis nomine regni curam suscipiat: se utramque urbem Hafniam & Malmogiam statim ipsi patefacturos esse. Is respondet, se Holsatiæ suæ administratione contentum, Daniam non expetere, quæ Regem jam electum fratrem Johannem habeat, cui juramentum fidelitatis regni ordines jam præstitissent. Verùm Episcopi, & illis addicti proceres, nec Johannem, nec Christianum Regem, qui graviùs Episcopos quàm rex Christiernus unquam fecisset, oppressurus esset, unquam recipere, sed se ipsos regnum administrare velle, affirmabant.

i) OSNABURGÆ propter Anabaptisticos furores in urbe Monasterio grassantes, quibus occasionem præbuisse initio permissa Evangelii prædicatio libera videbatur, omnes Evangelii concionatores, confessioni Augustanæ palàm adhærentes, dimissi sunt: in qua urbe jam ab anno 1521. purioris doctrinæ semina sparsa vigebant. *Gerardus* enim *Hekerus*, Theologiæ Doctor, Augustinianus senex, quo olim præceptore Lutherus Erphordiæ usus fuerat; statim post primas Lutheri, *de indulgentiis & pœnitentia, & traditionibus humanis*, disputationes, taxare Pontificias superstitiones, Osnaburgæ in suo monasterio cœpit: quod in summo templo etiam *Liberius Missingius* verecundè & modestè: liberiùs autem & apertiùs *Johannes Pollius* Poëta, Rector scholæ templo adjunctæ, faciebat. Itaque aliquantò pòst à canonicis Pollius dimissus, in vicina ditione Teckelnburgensi, sub Conrado Comite, primus Ecclesiarum διακτὴς fuit. Pollio Alexander Meppensis, à Joanne Murmelio celebratus, in Osnaburgensis scholæ gubernatione successerat. Quo tempore Adolphus Clarenbachius Lennepensis, etiam Evangelion Joannis & alia, accedere ad se volentibus, extra ordinem interpretatus est. Is ab Episcopo Erico pulsus, Coloniam venit, ubi ob constantem Evangelii confessionem ignis supplicio affectus, beatam martyrii coronam adeptus est. In templo D. Catharinæ, Joannes quidam Hadepollius, jam ab anno 1525. docuerat, qui Wilelmum Santfurdum collegam habuit, tum quidem ab Episcopo Erico ejectum, & privatim civium liberos erudientem, sed qui post aliquot annos Episcopi Francisci Waldechiani aulicus concionator factus, instaurandarum in urbe Osnaburgâ & tota diœcesi Ecclesiarum autor fuit. Antequam verò concionatores Osnaburgâ dimissi essent, sex Anabaptistæ, Monasterio Osnaburgam, passim in plateis & alibi concionantes, emissi, à Senatu capti, ac Episcopo traditi sunt. Sex illi emissarii, in foro nummos aliquot unciales, in signum oblatæ pacis & consortii suæ religionis, sparserant. Quibus uno in latere, duo gladii decussatim in se mutuo incidentes, impressi erant: & adscripta verba: IN REGNO DEI VNUS REX DIRECTVS, VBIQVE VNVS DEVS, VNA FIDES, VNVM BAPTISMA, & in ambitu, nomen urbis *Monasterii*, & annus MDXXXIV. In altero latere, dicta Joannis. **Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi regnum Dei. Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.**

i) Chytræus.

Cùm in custodiam jussu Senatus ducti essent Psalmos Germanicos cecinerunt, ac plurimi ex vulgo civium fortunam eorum, quos homines pios & sanctos esse judicabant, miserati, magno numero confluentes accinuerunt: Cùm autem quolibet Psalmo finito, captivi, ut ad seditionem cives concitarent, numerum plurimorum millium huic sectæ initiatorum proclamarent: deinde cantando pergerent: atque ita civium concurrentium multitudo augeretur: hortatu concionatorum & senatus autoritate ac comminationibus, cives singuli in suas domos ægrè redierunt. Ex Anabaptistis unus, *Henricus Grase*, supremi consulis colloquium expetivit. Quo impetrato, cùm cæteri concaptivi, operâ illius Consulem suæ sectæ adjungendum sperarent, altâ voce exclamant: *Pater nunc mitte Spiritum tuum sanctum.* Is verò ridens eorum stultitiam, per consulem, si vita ipsi donetur, fidelem operam suam Episcopo obsidenti Monasterium in prodendis sociorum consiliis, & maturanda urbis deditione, defert. Se enim cum compedibus & catenis Monasterium redire velle, ac præ se ferre, ut Petrus ab angelo, ita se mirabiliter à Deo ex carcere eductum esse, & vaticinari velle, certò divinitùs hostes ab urbe depulsum iri.

Interea explorandis eorum consiliis, de omni urbis statu fideliter Episcopo relaturum esse. Senatus cùm Principi Episcopo per literas omnia indicasset, petenti captivos, & recognitionem danti, privilegiis urbis nihil hoc facto præjudicatum iri, noctu Iburgum miserunt: ubi quæstionibus examinati, & supplicio capitis affecti sunt reliqui; unus ille in urbem exploratum missus, fidelem operam Episcopo præstitit, & in aliis etiam urbibus, ut Westaliæ & alibi, Anabaptistarum se armantium, conspirationes senatibus, jussu Episcopi indicavit, ac ne opem ferre obsessis possent, impedivit. Quo tempore Vrbanus Rhegius librum ad Osnaburgenses, in quo præcipuos Anabaptistarum articulos verbo Dei accuratè refutat, editum, ac Lutheri commendatione ornatum misit. Episcopus autem, crebris ad Osnaburgenses literis, cives de contagiis Anabaptistarum, & Psalmis Germanicis in Ecclesia cathedrali præcipuè, & ad S. Johannem canendis, dehortatus est. In reliquis duobus templis, quorum Senatus patronus erat, utcunque puriorem doctrinam toleravit, modò in ceremoniis nihil sua autoritate mutarent; se enim piam Ecclesiarum ordinationem in tota diœcesi uniformem instituere omninò decrevisse, quod octennio pòst demum perfecit.

DIVEXABANTVR Dux Henricus Megapolitanus & Principes Anhaldini, ob receptam Evangelii doctrinam.

k) Henricus Megalburgicus scribit ad Philippum Hassiæ Landgravium, & queritur fratrem suum Albertum auxiliis Regis Ferdinandi (cujus mandata

unà mittit) conari restituere Papatum: petit consilium: quod illi Landgravius scripto communicat.

k) Ex Archivis Castellanis.

l) Anhaldinos principes D. Joannem & Joachimum fratres, ut causam Evangelii desererent, variis argumentis urgebant Albertus Elector Moguntinus Cardinalis, idemque Archiepiscopus Magdeburgicus: Joachimus Elector Brandeburgensis & Georgius Dux Saxoniæ: Sed illi ab illustrissimo principe Georgio Anhaldino, fratre pientissimo Magdeburgensi præposito confirmati, constantiam tali familiâ dignam præstitere.

l) Ex archivis Anhaldinis.

Accusabantur hoc tempore ii, qui doctrinam Helveticarum Ecclesiarum de Cœna Domini amplexabantur, & carnalem corporis Christi manducationem reiiciebant, horribiliter, accensebanturque Anabaptistis Sacramenta flocci facientibus, seditiones concitantibus. m) Ideò Chytræus scribit, in Saxonicis urbibus mandata fuisse promulgata adversus Anabaptistas & Sacramentarios seditiosos. Et Ferdinandus Rex mense Augusto Pragâ scripsit ad Electorem Saxoniæ: se certissimorum hominum relatu aliquoties intellexisse, in multis imperii locis hæresin Zwinglii indies augescere: quo rumore non leviter perturbatus sit, ac metuere sese, nisi mature huic malo occurratur, tristissimam piarum conscientiarum seductionem, adeoque totius Ecclesiæ perniciem, & damnum prorsus irreparabile, nec non etiam Imperii ordinum defectionem ac diminutionem, & præcipuè erga Magistratus contumaciam, rebellionem, ac seditionem inde exorituram esse. Ad ista igitur incommoda avertenda, summe necessarium sese ducere, ut huic incendio tempestive, antequam latiùs sese diffundat, & dum etiam sine sanguine & communis patriæ damno ac vastatione coërceri possit, pro virili occurratur. Sibi ita visum esse, extremam & inevitabilem necessitatem exigere, ut Electorem transactionis illius admoneat, quæ Kadami inter se & ipsum, ac plerosque alios instituta sit: & quidem nominatim in hoc articulo, ubi religionis sit facta mentio: quo cautum fuerit, ne Sacramentarii in Imperii ditionibus ferantur aut tolerentur (Sacramentariorum autem vocabulo Zwinglianos intelligi, omnem honorem ac dignitatem venerabili Sacramento detrahentes) Quod si igitur Elector in locis suæ potestati subjectis, ubi secta hæc invaluerit, aut invalitura videatur, privatâ operâ amicas tractationes, illius abrogandæ ac depellendæ causasuscipere possit, nulli labori eâ in re parcat, se similiter nihil intermissurum.

m) Chronico Saxoniæ.

n) Franciscus etiam Galliarum Rex, cum suam in Evangelicos carnificinam ad Principes Germanos, quorum ille tum amicitiam ambiebat, excusare vellet, hoc unum σεφὸν Φάρμακον, autore Guilielmo Bellaio Langæo, reperit, ut sese non nisi in Anabaptistas, pro verbo divino suum tantùm spiritum jactantes, & omnium Magistratuum contemptores animadvertisse diceret. Quod dedecus veræ religioni inustum non ferens Calvinus juvenis 25. annorum, ejus edendi libri occasionem arripuit, quem institutionem religionis Christianæ inscripsit, opus ut incomparabile, ita admirabile ad omnem posteritatem futurum.

n) Vita Calvini.

ZWINGLII doctrinam de cœna Domini verissimam esse contestati sunt Basilienses in confessione editâ, & Theologi Constantiæ congregati. Basilienses ab Argentinensibus edocti, traduci se hoc nomine passim, quod Cœnam sine Christo habeant, monitique ut confessione editâ calumnias hujusmodi retundant, invulgant hanc Ecclesiæ suæ de Cœna Domini Fidem: *Confitemur, Dominum Jesum sanctam suam Cœnam instituisse, ad memorandam sanctam suam passionem cum gratiarum actione, ad annunciandam mortem suam, atque ad testificandam Christianam charitatem, & unitatem cum verâ fide. Et sicut in baptismo (in quo nobis ablutio à peccatis, quæ tamen à solo Patre, Filio & Spiritu sancto perficitur, per ministrum ecclesiæ offertur) vera aqua manet: ita etiam in Cœna Domini (in qua nobis cum pane & vino Domini verum corpus & sanguis Christi, per ministrum Ecclesiæ præfiguratur & offertur) panis & vinum manet. Creàimus autem firmiter, ipsummet Christum cibum esse credentium animarum ad vitam æternam, & nostras animas per veram fidem in crucifixum Christum, carne & sanguine Christi cibari & potari, ita ut nos corporis sui, tanquam unici nostri capitis membra, in eo, & ipse in nobis vivat, quibus in novissimo die, per eum & in eo in æternum gaudium & beatitudinem resurgemus.*

Basilienses iidem, ut suam cum Ecclesia Tigurina concordiam toti orbi patefacerent, hoc anno Carolostadium Tiguro honorifice evocant, & successorem D. Pauli Constantini Phrygionis, in professione Theologicâ, designant. Libet hac de re ipsius Carolostadii literas adscribere, ut de viri integritate vel hostibus constet.

o) *Eximio pioque viro D. Osvvaldo Myconio, Basileæ concionantium primario, fratri & patrono carissimo.*

S. Literas tuas heri, vir eruditissime Domine Henricho Bullingero tradidi. Fratribus igitur hodie congregatis visum est, eam rem ad magistratum deferendam; proinde duo delegati, Dominus Bullingerus & Præpositus, qui assumpto me, vices consulis gerentem, consulunt, an sat sit minorem senatum convenisse, qui consuluit utrique Senatui rem exponendam, condictusque est dies procrastinus, quo Deo volente gratiam agemus pro beneficiis, vestram vocationem cateraque prolaturi. Nec dubito dimissuros me, nisi oberit Domini Bullingeri commendatio, qui ex musca me facit elephantum. Quod celare tibi, vir amantissime, nolui, præsertim ubi intellexi, Chunradum isthuc profecturum; reliqua mox. Oblata navis hinc isthuc natatura ab aliis conducta, quæ supellectilem, uxorem & liberos avehet. Quare Dominum Marcum precor, ut ædes impetret, atque si fieri potest, unà cum horto. Tiguri die Maii 28. Anno 1534.

Tuus Carolostadius.

o) Ex authographo.

p) Theologi Constantiæ mense Decembri congregati, missam eò Tigurinorum confessionem de Cœna Sacra, nempe, (*carnem Christi non nisi fide mandicari, Christum secundum humanam naturam in certo cœli loco degere: in Eucharistia autem fide adesse, modo Sacramentis proprio, qui modus res quidem verè præsentes faciat, non is-*

mus

men carnaliter, ſed ſpiritualiter, ut ſola fide percipiantur) univerſi approbarunt, ſolis Bernatibus quasdam loquendi formulas reprehendentibus. Univerſos cum dico, intelligo Baſilienſes, Scaphuſianos, Sangallenſes, & octo Suevicarum Eccleſiarum, Auguſtæ, Ulmæ, Memmingæ, Conſtantiæ, Campidoni, Iſnæ, Lindaviæ, Biberaci, primarios miniſtros, qui ſynodo interfuerunt, Tigurinorum ſententiam probarunt, & prolixè de ſuo erga ipſos amore promiſerunt.

p) Hoſpinianus.

CONCORDIÆ Euchariſticæ negotium interrumpebat Lutherus & Ambsdorffius: continuabat Bucerus.

Lutherus enim cum propter librum contra miſſam privatam ſuperiori anno editum, Semipapiſtis & Lutheranis nonnullis videretur inclinare ad partes Helveticas, craſſiſſmam edidit fidei confeſſionem iſtam: *Denuò coram Deo & univerſo mundo confiteor, me non dubitare, ſed certò credere (in quâ fide etiam, Chriſti gratiâ & auxilio, ad extremum usque diem perſeveraturus ſum) in celebratione Miſſæ (ſive ſacramenti aut Cœnæ Dominicæ adminiſtratione) juxta Chriſti ordinationem, vel apud nos Lutheranos, vel in Papatu, aut in Græciâ vel India facta (ut maximè etiam Papiſtico errore atque abuſu, una tantum ſpecies in Paſchatis feſto, aut alio communicationis tempore offeratur) ſub ſpecie panis adeſſe verum corpus Chriſti, in cruce pro nobis traditum; & ſub ſpecie vini adeſſe verum illius ſanguinem, in remiſſionem peccatorum noſtrorum effuſum. Nec eſſe ſpirituale aut fictitium corpus & ſanguinem, ſed verum ac naturale illud corpus, quod de ſanctiſſimâ veriſſimaque virginis Mariæ carne, absque virili conſuetudine, ſolâ S. Sancti virtute conceptum & natum eſt. Quod corpus & qui ſanguis Chriſti nunc in cæleſtibus ad dextram Majeſtatis DEI conſidet, in divinâ illâ perſonâ quæ vocatur CHRISTVS JESVS verus atque æternus Deus, una cum Patre, à quo ab æterno genitus eſt, &c. Et illud quidem corpus, illumque ſanguinem filii Dei Domini noſtri Jeſu Chriſti non ſolùm ſancti & digni, ſed peccatores etiam & indigni verè tractant atque accipiunt corporaliter (licet modo inviſibili) manibus, ore, calice, patinâ corporali, & id genus rebus viſibilibus, quæ in Miſſa, cum Sacramentum datur & ſumitur, adhiberi ſolent.*

Ambsdorfius evulgatis quibusdam propoſitionibus edixit: Nullam prius concordiam cum Argentinenſibus & Zwinglianis ineundam eſſe, quàm in doctrinâ ſuâ contra Lutherum hucusque concionibus & ſcriptis propugnatâ, ſeſe erraſſe confeſſi ſint: alioquì niſi hoc faciant, hominibus videri poſſe, quaſi ad illorum errorem accederent Lutherani, & non ipſi ad Lutheranorum veritatem.

Contrà Bucerus nihil non agere: ut concordia ſanciretur. In Haſſiam â Philippo Landgravio vocatus cum Melanchthone agit: ubi Bucerus ſuorum ſententias de Cœnâ Domini adfert. Melanchthon Epiſtolâ ad Camerarium ſcribit: *ſe fuiſſe nuncium ſententiæ & opinionis aliorum, non ſuæ.* Scribit etiam Bucerus ad Monaſterienſes, & quaſi ſub tertiâ perſonâ reiicit Zwingliana nonnulla tanquam erronea. Scribit ad Robertum Epiſcopum Abricenſem, & quo modo cum Luthero concordare poſſit, indicat. A Baſilienſibus fidei confeſſionem, à Conſtantienſibus indictionem ſynodi impetrat, Blaurero in Würtembergico Ducatu ambiguam & obſcuram de Cœna Domini confeſſionem præſcribit, omnia propter concordiam.

INTER Lutherum & Eraſmum recruduerunt certamia: ſed duo illi minore hominum expectatione, quàm ante decennium concurrerunt. Nimirum Ambsdorffio hortanti, ut non contra Vicelium, ſed Eraſmum, è quo Vicelius omnia ſua furaretur, calamum ſtringeret, obſequutus Lutherus, Epiſtolâ bene longâ Eraſmum adoritur, obiicit illi inſcitiam & malitiam voluntariam: Catechiſmum ejus Satanico artificio compoſitum eſſe ait: Methodum Eraſmi nihil niſi irriſionem Chriſti & omnium rerum ab eo geſtarum affirmat. Vellicat Eraſmum, quod in Epiſtolâ de Philoſophiâ Chriſtianâ Novo Teſtamento additiâ, ſcribat, *Chriſtum demiſſum, ut perfectius præſtaret omnia:* & præfatione in Hilarium: *Nos audemus S. ſanctum appellare Deum, quod veteres auſi non ſunt. Damnat denique* omnia Eraſmi ambigue dictâ.

q) Huic deinde ſcripto reſpondet Eraſmus, & aſpere quidem: nam omnium rerum maxime timebat, ne gratiam & autoritatem amitterent ſua ſcripta.

q) Sleidanus.

TRAGOEDIÆ Monaſterienſis epitaſis in hunc annum incidit: Anabaptiſtæ Monaſterii forum armati occuparant & munierant: unde Eccleſiaſtici & cives reliqui, inſidias & cædem ſibi parari facile intelligebant. Proinde & ipſi ſe in cœmiterio transfluviano adverſus vim retinctorum armarunt, principe & paganis in auxilium vocatis. Sic utrinque in armis per eam noctem excubarunt. Poſtridie pagani ante auroram ſuo more armati adſunt ad quælibet parati. Princeps verò cum ſe tàm ſubitò armare non poſſet, adventum differt. Interea Anabaptiſtæ, principis adventum metuentes, hoc ſibi ſtudio habent, ut tranſactione diſſidium ſubitò, priusquam princeps adſit, ſopiatur. Agitur itaque utrinque per feciales de pace, & datis utrinque obſidibus, pax canina initur, inde quisque poſitis armis ſuos penates repetit. Mox anabaptiſtæ, rupto federe, portarum claves poſtulant & accipiunt. Cumque divites jam eſſent egreſſi, pro ſuo arbitrio in urbe graſſantur. Tandem ad eam magnitudinem ſecta crevit, ut jam ejus aſſeclæ non clanculum, ſed palàm ad urbis imperium renderent. Rebus itaque omnibus jam confirmatis, bonos & innoxios cives, exutos omnibus, urbe in exilium pellunt, ſoli urbe omniumque profligatorum bonis potiuntur, & hanc, cum obſidionem metuerent, magis magisque muniunt, eamque novam Hieroſolymam appellant, templa fœdant, ſacra profanant, dejectis conſulibus & ſenatoribus pontificiis, ſceleratiſſimos quosque ſubſtituunt; iis quoque tandem remotis duodecim cauſarum emergentium judices (quos ſeniores in Iſraël vocant) eligunt, quibus omnium rerum poteſtas committitur. Hinc iterum ea forma Reipublicæ in monarchiam per Johannem Bockelium Leydanum, hominem admodum verſipellem, commutata eſt, cum ſe regem, & Kniperum Dollingum ſibi vicarium conſtitueret, omnes urbis opes invaderet, polygamiam introduceret, eamque contra multorum civium reliquorum ſententiam defenderet, auream argenteamque monetam cude-

ret, concionatores in varias mundi partes dilatandæ sectæ suæ causa emitteret, qui omnes ad unum interficiuntur. Tandem hic rex, cum proditionem, suæ urbis timeret, duodecim duces creavit, inter quos Episcopatus & principatus Germaniæ nondum occupatos partitus est. Hos portis urbis primùm præfecit. Sed urbem enormi impietate & contumacia, aliisque sceleribus. Deo suoque Principi factam rebellem, Franciscus in quadragesima obsedit. In sumptus belli tota diœcesis exactiones aliquoties pendit, ac multis militibus desideratis frustrà aliquoties urbs oppugnatur. Inde Princeps auxiliis ab Imperio sibi decretis adjutus, belli compendium quærens, septem castellis, vallo & fossa interpositis & communitis, urbem cinxit, & sic oppidanos constrinxit & arctavit, ut neque exitus neque ingressus in urbem cuiquam patuerit. Unde tanta paulatim rerum necessariarum penuria in urbe esse cœpit, ut omnibus absumptis, canes, feles, glires, ranas, mures, & ea, à quibus natura hominis abhorret, in cibos verterent, neque à propriorum liberorum esu abstinerent, & multi fame extinguerentur. Ideò ad arma inutiles urbe expulerunt.

r) Aureliis Monachi Franciscani cum nec petita ab urbis Prætore silvam cædente & divendente ligna gratis, nec speratam ab ejus uxore apud se sepultæ prædam accepissent, novitium quendam adolescentem supra testudinem templi collocant, qui spiritum mutum repræsentans, intempesta nocte, cum Monachi ad demurmurandas preces more consveto venirent, magnum excitat strepitum, rogatusque adhibitis exorcismis, qui esset, quid vellet, signo dato demonstrat, se esse spiritum uxoris prætoris, damnatum propter Lutheranismum: velle, ut corpus loco sacro sepultum effodiatur, & aliò transportetur. Invitantur cives nonnulli ad preces nocturnas, futuri testes rei, Franciscani panem azymum cum reliquiis omnibus. Divorum aliò transferunt, & missas ibi suas peragunt. Monachi nolunt, ut quis supra testudinem ascendat, petente hoc Episcopi vicario. Prætor ad Regem profectus rem omnem commemorat. Monachi traducuntur Lutetiam; novitius spe veniæ promissa, totam actionem ordine recensет: latâ sententiâ damnatur, ut Aureliam reducti & in carcerem conditi, publicè deinde producerentur ad primarium templum, & ad eum urbis locum, ubi supplicia sumuntur de maleficis, atque ibi suum scelus ipsi profiterentur. Sed quæ illis ipsis fortè diebus incidit in Lutheranos persequutio, & ab hâc, & à graviori pœnâ Franciscanos liberavit.

r) Sleidanus.

MELANCHTHON literis monitisque fiebat certior, adventum suum in Britanniam magnoperè expeti, & futurum, ut ab ipso Rege accerseretur. Orabantque amici, ne recusaret, nec gravaretur illud iter suscipere, à quo sanè animus ipsius neutiquam abhorrebat. Verùm Regem matrimonium suum secundum, non religionem probare voluisse Germanis, eventus docuit: Ideò Melanchthon undecimâ Martii Anno 1535. ad Camerarium scribit: *de Anglia fortasse isthic multa feruntur, patere eam doctrinæ purioris religioni* ἦλθε δὲ πρὸς ἡμᾶς ξένους τις πεμφθεὶς ἐκ τῆς Βρεταννίας, μόνον διαλεγόμενος περὶ τοῦ δευτέρου γάμου τοῦ βασιλέως, τῶν δὲ τῆς ἐκκλησίας πραγμάτων οὐ μέλει, ὡς φησι, τῷ βασιλεῖ, *sed hoc boni habet, sævitia nunc nulla ibi exercetur contra studiosos melioris doctrinæ.*

s) In Gallià quoque fuerat quorundam studio effectum, ut Rex non alienus à Philippo Melanchthone videretur. Itaque non modò amici institère literis suis, ut in Galliam ad Regem proficisceretur (persuadere conati in congressu colloquio que cum Rege Melanchthonis, non Galliæ solùm, sed pene orbis terrarum salutem esse positam) verum hoc etiam obtinuerunt, ut ipse Rex missis literis ad Philippum clementissimè eum invitaret ad congressum suum. Promiserat etiam Philippus de profectione suâ Barnabæ Voræo, tum hâc tum aliis de causis in Germaniam misso. Quod ut Elector Saxoniæ rescivit, Philippo secundùm copiam veniendi in Galliam petenti denegat, & planè præcidit, literis missis severè scriptis: in quibus hoc potissimùm movit Philippum, & à consilio itineris Gallici deterruit, quòd ostendebatur, verendum esse, ne istâ profectione non modò nihil fructuosè perficeretur, sed ne detrimenta majora acciperentur, & causæ darentur, quibus publica Germaniæ quies turbaretur; neve adeò ipsius Principis quædam negotia redderentur difficiliora. Hoc omnino periculum in se recipere ille noluit. Itaque cum magno dolore multorum, etiam nonnullorum reprehensione cum Voræo, quemadmodum Rex voluerat, non est profectus. Erant autem qui Regem Galliæ hoc egisse judicarent, ut hoc prætextu in societatem suam Principes Germanos alliceret, qui in Italia bellum gerere & occupare Mediolanum cupiebat. Quos minimè falsos fuisse, vel inde constat, quòd Regi posteà ista res curæ non fuit, & Galliæ regnum deinceps atrocius suppliciorum sævitiâ est vexatum.

s) Camerarius in vita Philipp.

ANNUS CHRISTI MDXXXV.

HIc annus est *natalis celeberrimæ Ecclesiæ Genevensis & Alsaticarum sub ditione Georgii Comitis Wurtembergici:*

Emortualis verò regni Retinctorum in Westphalia, & Cœnobiorum in Anglia:

Jaciuntur etiam fundamenta Concordiæ Bucero-Lutheranæ:

Gallus in Evangelicos: Anglus in Pontificios sævit: Tyndallus in Brabantia martyrii gloriâ ornatur.

GENEVA quantis motibus ab anno inde 1529. concussa fuerit, dictum suprà. Hoc verò anno singulari Dei gratia emersit ex fluctibus decumanis, & quo pressa fuerat hactenus, Antichristi jugum abjecit. Rem non ingratam lectori fecero, si Benedicti Turretini amicissimi fratris narrationem pertexuero.

Cùm Episcopus, inquit, bruto fulmine iram, virusque suum in Genevenses effudisset: non clàm, ut antea, & salvâ Pontificis reverentiâ, sed apertè jam, ac liberè favere cœpit Evangelicis Magistratus: agnovit enim, nullam esse civitatis, dignitatis, & vitæ adversus versipellem & subdolum hostem tuendæ rationem, quàm si, carnis consilio rejecto, Deum sequeretur. Quotquot erant turbulenti, & seditionum motarum, machinationumque initarum sibi conscii, ab urbe egressi, infensis in patriam animis impetrata ab Episcopo & Sabaudo potestate diri-

dispiendi civium bona, in Rempubl. arma convertère.

Castellum Peneyanum ad Rhodanum occupant, unde excursionibus, prædationibus ac latrociniis itinera, suburbia, villas, & agrum finitimum devastatione fœdabant.

Et, ne quid flagitii reliquum facerent, conscientia scelerum ferociores facti, Majestatis inviolabilem dignitatem, & vitæ necisque jus in captivos, ut omnia suo arbitrio gererent, usurpare non sunt veriti. Quæ compulerunt senatum, ut de iis, siquidem illi nullum sibi veniæ locum, nullam spem ad saniorem mentem regressus reliquerant, tanquam de perduellibus statueret.

Neque cessabant Sabaudi, altera ex urbis parte dispositis præsidiis, cives in angustias & maxima discrimina coarctare.

Erant tum, multis in locis, mœnia vetustate collapsa, urbs nudata munimentis, & omni apparatu bellico destituta; Ideò, ut faciliùs sese tutarentur oppidani, cùm nec vires nec opes suppeterent, nec amplissima suburbiorum spatia exigua militum corona defendi possent; consilium cœperunt suburbia, quæ erant maxima, diruendi. Quod citò factum: sed non sine gravissimis querelis. S. Gervasiano excepto, monasteria & templa diruta sunt, quæ extra mœnia sita. Sed res bellicas, alterius enim instituti sunt, missas facio; Papatus ruinas, & incrementa Evangelii in urbe spectemus.

Multorum infidebat animis, superstitiosa erga idolum B. Virginis, cui ædes erat sacra, veneratio, quæ profundas radices in mentibus ignaris agebat, miraculorum deprædicatione falsorum confirmata.

Hujusmodi autem erant ista prodigia. Invaluerat mos, infantes acerbâ morte defunctos ad B. Virg. deferendi, spe vitæ recuperandæ; atque ibi opera & arte muliercularum pluma labiis demortui imposita leviter movebatur. Eædem anus fomentis quibusdam, infantulis vitâ jam privatis, sudorem & lotium exprimebant. Tum, Miraculum patratum esse, pulsatis nolis, Monachi clamitabant. Senatus verò, de re ipsa accuratiùs deliberatione instituta, fraudes & dolos muliercularum deprehendit, atque XI. Maji 1535. ne imposterum talia committerentur, lege cavit. Jacobus Bernardus, Franciscanorum Cœnobiarcha, de veritate doctrinæ purioris certior factus, re cum Farello, & concionatoribus aliis communicatâ, paucis Thesibus comprehensam Orthodoxæ religionis fidem editione proponere, & publica disputatione instituta, cum iisdem, propugnare se velle, Senatui significavit, à quo impetravit, ut 30. Maji, die Dominicâ, publica & celebris institueretur *συζήτησις*. Excusæ Theses, Canonicis & Sacerdotibus exhibitæ, Lugdunum ac Gratianopolim missæ, atque ad earum examen convocati omnes, quibus disquisitio veritatis non esset ingrata, & fide publica interposita, amicè & honorificè invitati.

Themata hæc fuerunt:

1. *Justificationem peccatoris per unum Jesum Christum obtingere.*
2. *Unum Deum, adoratione religiosa, esse colendum.*
3. *Ecclesiæ constitutionem atque administrationem à verbo Dei, ut â fundamento suo, nec aliunde pendere.*
4. *Peccatorum expiationem plenè & abundè sacrificio, quod Christus obtulit, præstitam.*
5. *Unicum esse Dei & hominum Mediatorem Jesum Christum.*

Unde hæc Consectaria eliciebantur.

1. *Errare quotquot suis operibus justificandi vim arrogant.*
2. *Sanctorum & imaginum cultores idololatras esse.*
3. *Traditiones humanas ac Pontificias, quæ Ecclesiasticæ nuncupantur, esse perniciosas.*
4. *Missam & preces pro defunctis ad salutem nobis nihil conferre.*
5. *Sanctorum patrocinia perperam excogitata esse.*

Die constituta Maji 30. in Cœnobii Franciscani Auditorio, magno omnium concursu, celeberrimoque in conventu haberi cœpit instituta disputatio, atque in multos dies, ut nihil in excussum prætermitteretur, continuata est.

Delegati à Senatu aderant, quibus id curæ datum fuit, ut omnia ritè, nihil perturbatè gereretur. Aderant quatuor notarii, qui rationes & responsiones fideliter exciperent.

Pro Pontificiis *Carolus* Sorbonista, & *Chappusius* Civis Genevensis dimicabant. Uterque post multas altercationes victus, ingenuâ confessione veritati cedere maluit, quàm pertinaciter obluctando, vim conscientiæ facere: atque non professione tantum, sed etiam prædicatione, quibus erant complexi, sententiam confirmáverunt.

Sed interea aliud armorum genus acuebat Satan. Nam cùm Romanenses suam rationibus vinci causam persentiscerent; ex illis quidam mulierculam, ejus animo explorato, subornant, ut domum, in qua commorabantur Ecclesiastæ, latenter subrepat, & in interiorem familiam admissa veneno cibum mensæ apponendum inficiat. Illa, cùm nomen Ecclesiæ datura videretur, in familiam civis subingressa heram primùm veneficio sustulit: Mox, eâdem ratione Farellum & Viretum oppressura, offæ aconitum miscuit, quâ degustatâ, Viretus vitæ discrimen adiit, cæteris qui abstinuerant, salvis. Deprehensa non ivit inficias, eò se Religionis specie, certorum hominum suasu, impulsam fuisse. Venefica morte mulctata XI. Jul. MDXXXV. Commovit hoc facinus, suâ novitate, arrectas ad singulos casus omnium mentes, & ob criminis atrociatem odio & invidia in sacerdotes derivatis, amorem erga Pastores Orthodoxos auxit.

Episcopus Balmensis, exuto Pastorali animo, Imperatoriam personam induens, literis 30. Maji datis, Peneyanos, ut animose in suscepto contra Remp. duello pergerent, hortabatur: illorum enim saluti, & suæ caulæ neutiquam se de futurum: militem eam ob rem conscribi, & Sabaudiæ Ducem impensè favere. Ac sanè, cùm eò tempore Genevensem agrum Sabaudica ditio omni ferè ex parte ambiret, commeatum intercludebat, & milite oppida nos ab exitu arcebat.

Helvetii cum Sabaudo, de violatis conventionum legibus, expostulabant. Ille, culpa in Episcopum rejecta, æquitatis studium præ se ferens, suos à vi Genevensibus inferenda edicto revocavit: sed imperio, occultis, ut res ipsa docet, instructi mandatis obsessores, neglecto, nihilo segnius bellum gerebant.

Evangelici Pastores, & Cives plurimi à Senatu obnixè petebant, ut, quando, quæ potior esset de Religione sententia, disputatione constitisset, expensis ratio-

rationum momentis,& rei totius cognitione ſuſcepta,ſecundùm veritatem judicio accuratè inſtituto, ſententia lata, Decretum conderet. Suſpenſum Senatum rationes multæ Politicæ detinebant, & humana conſilia deliberationem morabantur: quocirca protelationibus exitum cauſæ,qui innumeris difficultatibus involutam cernerent Rempubl. metu graviorum,differre conabantur.

Quinimò Julii XIII. Farellus ad Magdalenæ conciones habere prohibitus eſt. Ille ad CC. provocavit: mox,non ſine populi approbatione, in Cathedrali templo Petri, quod in Magdal. nequiverat,dicit ad populum. Aegrè ferebat Magiſtratus,tam citò res tantas agi: neque fervor ille prudentiæ finibus contineri poterat. Verùm impetus ibi non ſtetit: *Ruina ruinam traxit*. Doctrinâ Pontificiâ ſubnervatâ, ſuperſtructa dilabebantur. Auguſti VIII. Cives nonnulli, & puerorum turba, in templa facta irruptione,imagines convellunt,dejiciunt,ſtangunt: animadvertere in plebeculam,quæ,*Bonum factum*, conclamabat, Senatus,qui jam Idololatriam repudiaſſet,non audebat. Ampliùs tamen de iis, quæ tantæ ſtragi ſupererant,Idolis, deliberandum cenſet, ne temerè Eccleſiaſtici ritus immutarentur: ſed tandem,ne quod ſuarum erat partium,Magiſtratus Chriſtianus omitteret,Miſſam celebrari X.Auguſti S.Cto prohibuit & Cœnobiorum bona, ob exorientes ſubinde tumultus, deſcribi juſſit.

Biduo pòſt à Senatu Epiſcopi vicarius, Judex, Canonici & ſacerdotes accerſiti fuerunt,data illis facultate,ut ſuam,de habitâ diſputatione, ſententiam; & ſi quæ ad cauſæ confirmationem argumentorum ſupereſſent robora, proferrent. Reſponderunt cæteri, ſe homines rudes & imperitos, nihil adjiciendum habere; hoc unum tantùm urgere, ut, *More majorum*, vivere liceret. Vicarius & Canonici audaciùs, inſtitutæ diſputationis nullam ſe habere rationem: neque audire, quæ ibi præpoſita fuiſſent, velle,nedum ut amplecterentur & approbarent.

Qui Pontificiorum ritus non ejeraverant, paulatim ex urbe dilabebantur: & ad Sabaudi,qui ad ſe complures invitabat, ditionem & partes tranſibant: Moniales S. Claræ,quæ pertinaciter ſuperſtitioni affixæ, paucis è ſuarum numero, quæ libertatem, honeſtasque nuptias impuro Cælibatui prætulerant,relictis,Anneſiacum,quò vocabantur,honeſtè à Senatu dimiſſæ, ſeſe cum ſuis bonis receperunt. Hoc autem erat callidum hoſtium conſilium, urbem lento bello conficere, viribus & viris amicitiæ religionisque blandâ ſpecie,multis ad ſe vocatis,civitatem exhaurire.

Quamobrem coactus eſt Magiſtratus,licentiam è civitate effluendi edicto coërcere, inuſta ignominiæ transfugis nota. Pacis componendæ,in Badenis comitiis, rationes quærebantur; at nullæ repertæ. Neque enim cum perduellibus, & juratis patriæ hoſtibus, qui capitales exercebant cum civibus inimicitias,ad paciſcendum adigi potuit Senatus:adde,quòd Peneyanis (non magis, quam Pœnis) & Allobrogibus fides haberi non poterat. Illi enim laturi, non accepturi leges, omnes honeſtas conditiones recuſabant,& de Epiſcopi conſilio cum Genevenſibus,in æquas conventiones deſcendere, nefas eſſe contendebant.

Dux verò,pacis & tranquillitatis, cui ſtudere ſe dicebat,nomine, machinationes & aggreſſiones obvolvebat, quibus hoc anno non deſtitit afflictiſſimam urbem & oppidanos divexare.

Has inter anguſtias, Deo mirificè Eccleſiam naſcentem & tenellam protegente, procedebat Reformationis opus XV. Octob. Senatus, è Pontificiis & Eccleſiaſticis eos, qui nondum emanſerant, iterum vocat,&,ne ſe inauditos damnari quererentur,ſanctè obteſtatur, ut nihil omitterent, quod ſuæ cauſæ favere videretur: Illis obmuteſcentibus,nihilque præter contumaciam, opponentibus, adminiſtratio ſacrorum omnis, ut indignis & ineptis adempta, & pontificalium veſtium geſtatio prohibita fuit.

Cum veritatis ſtudio,ex lege charitatis,pauperum curam conjunxêre: Idcirco XIV. Nov. in populi Comitiis, Monialium Cœnobium, Xenodochio dicatum eſt. a) Quippe primus creatus eſt Oeconomus,ſuo patrimonio decedens Xenodochium locupletavit.

a) Claudius Paſta.

Rebus Genevenſium hoc diuturno bello attritis, in maxima nummorum penuriâ, de nova moneta cudendâ, conſilium cepit Senatus: qua occaſione, quod antea fuerat urbis, non ſine futuri eventus omine, ſymbolum: POST TENEBRAS SPERO LVCEM, verbis ex Jobo b) deſumtis conceptum, unico verbo adempto, mutârunt, in hoc inſigne divinæ gratiæ præconium, POST TENEBRAS LUX: Quæ inſcriptio ſervata poſtea ſemper,& Genevenſis Reip. inſignibus circumpoſita, cœleſtis lucis poſtliminiò redditæ illuſtre poſteris fuit, eritque monumentum. Nam cùm olim, vigente Ethniciſmo, Geneva fuiſſet Apollini ſacra, ut videre eſt in veteribus Inſcriptionibus, c) Chriſtiana religio, *Apollyonem* illum extinxit, & *Solem Juſtitiæ* Chriſtum piorum clypeum ſcuro impreſſit.

b) Job. c. XVII.

c) Argentinenſes anno MDCXVII. à Reformatione inchoata ſeculari, nummum cum eadem inſcriptione cuderunt.

Noviſſimè verò, verbi divini luce tenebris Antichriſtianis ſuccedente, inſculptum *Jeſu* nomen retinuerunt; ſed cùm lucem ſperare ſe Majores, in umbra ſiti, etſi aliud cogitantes; verè tamen dicerent: illi, quibus Oriens ex alto ſplenduit; cum tota omnium temporum Eccleſia,gratulationis communis voces in hoc argumento, uſurpare non dubitaverunt. In altera verò nummi facie hæc erant adſcripta; *Deus noſter pugnat pro nobis*.

Nondum erant in civitate, ſuperſtitioni antiquitùs deditâ, repreſſa ob ejectam Miſſam quiritantium murmura. Hanc ob rem in Curiam tertium citantur Sacerdotes, poteſtate factâ, ut quemcunque maximè probarent, ad Pontificiorum dogmatum defenſionem,virum eruditionis fama celebrem, Papatui patrocinaturum accerſerent; ſin minùs, veritati demùm pacatè cedere jubebantur, ac vel ſacris orthodoxorum intereſſe, vel ab urbe, quæ verbum Dei, fidei ſuæ normam profitebatur, emigrare.

Canonici paulò antè ſedes commutarant. E ſacerdotibus pauci remanſere, quibus, quoad vixerunt, alimenta ex publico data ſunt. Annonæ caritas in dies urbem urgebat: quocirca profugorum & damnatorum Majeſtatis uxores, atque Eccleſiaſticorum ſcorta, quorum erat in urbe numeroſa ſupellex (ut hic Pontificii Cœlibatus individuus comitatus eſſe ſolet) turbam imbellem & noxiam expellere X. Dec. decreverunt.

Cæte-

Cæterùm dum oppidani, propter disposita non procul ab urbe hostium præsidia, agro prohibentur, otii pertæsii, Decembri mense, Pontificiorum sacra opertanea & cryptas scrutari, & in lucem promere cœperunt.

In D. Petri, magna cum veneratione *Antonii Brachium* asservari dicebatur. Adorabatur, oscula figebantur, &, quò major esset religio, in causis gravioribus ad thecam juramentum exigebatur; sed cùm productum est, *Cervi veretrum* pro *Antonii Brachio* repertum est. O sacrum, non ridiculum modò, sed detestabile, & verè pudendum! Ad majus altare, in eodem templo, *Cerebrum Petri* colebatur; nemo dubitabat, & blasphemia fuisset, titulo fidem non habere: Sed cùm excussus est nidus, & accuratiùs observatus, pumex repertus est. Lepidos scilicet homines, imo lapideos, excordes, & sine cerebro, & impios, qui tam fœtidas nugas popello venditarent.

Gervasiani templi primario altari *Nazareni Celsi*, & *Pantaleonis* sacrosancta subesse corpora perhibebantur, quos in numerum divorum per ἀποθέωσιν, Canonizationem Pontificiam referri sacerdotes postulabant. Quia verò non nisi miraculis prolatis & probatis Albo sanctorum inscribuntur, hinc pro virili nitebantur aliquod à Beatis extorquere miraculum: veritati quod deerat, arte supplebant. Foramini proximo jubebant aures admovere plebeculam, unde confusus hominum inter se colloquentium rumor exaudiebatur. Eidem loculo superstitiosi coronulas immissas, cùm ibi hærerent, extrahere & recipere nequibant. Latebant enim meatus subterranei, & cavernulæ artificiosè commissæ, ita, ut minimo aurulæ impulsu sonum inclusus in tubulis aer ederet: unci quoque subtiles erant annexi, qui firmissimè injecta detinerent.

In Dominicanorum Cœnobio reperta est vetustissima tabula cum effigie monstri septicipitis, & X. cornibus horribilis, cui subjacebat Pontifex, & labes igni impositus, Episcoporum, Monachorum, &c. turba refertus. Versus adscripti legebantur.

Judicabit Judices Judex generalis:
Hic nihil proderit dignitas Papalis,
Sive sit Episcopus, sive Cardinalis,
Reus condemnabitur, nec dicetur qualis.
Hic nihil proderit quicquam allegare,
Neque excipere, neque replicare.
Nec ad Apostolicam sedem appellare,
Reus condemnabitur, nec dicetur quare.
Cogitate miseri, qui, vel quales estis:
Quid in hoc judicio dicere potestis:
Idem erit Dominus Judex, Actor, Testis.

Hæc depinxit Jacobus Jaqueri, de civitate Taurini, in Pedemontio, Anno Domini millesimo quatercentesimo primo.

Fraudes impurissimæ hominum, religionis authoritate abutentium sic in lucem protractæ, incredibile dictu, quantum Pontificiorum regnum subruerint, & sacerdotalem ordinem exautoraverint.

XVII. Decemb. Farello suadente, Senatus in calamitosissimis temporibus, precum publicarum indictione, ad Numinis opem implorandam se ac populum accinxit.

In doctrinæ apud se repurgatæ & beneficii hujus divini memoriam Respubl. Genevensis monumentum æneum fieri, & ad Curiæ valvas erigi curavit.

QUUM, ANNO MDXXXV, PROFLIGATA ROMANI ANTICHRISTI TYRANNIDE, ABROGATISQUE EIUS SUPERSTITIONIBUS, SACRO SANCTA CHRISTI RELIGIO, HIC IN SUAM PURITATEM, ECCLESIA IN MELIOREM ORDINEM, SINGULARI DEI BENEFICIO, REPOSITA: ET SIMUL PULSIS, FUGATISQUE HOSTIBUS, URBS IPSA IN SUAM LIBERTATEM, NON SINE INSIGNI MIRACULO, RESTITUTA FUERIT: SENATUS POPULUSQUE GENEVENSIS, MONUMENTUM HOC PERPETUÆ MEMORIÆ CAUSA FIERI, ATQUE HOC LOCO ERIGI CURAVIT: QUO SUAM ERGA DEUM GRATITUDINEM, AD POSTEROS TESTATAM FACERET.

ALSATICAS ecclesias ditionis suæ Georgius Comes Wirtembergicus d) reformaturus petit à Tigurinis Theologum idoneum: Missus igitur fuit ad eum D. *Erasmus Fabricius*, vir singulari eruditione & pietate præditus, e) qui annis circiter tribus cum dimidio, illius loci ecclesiis & clementiæ ejus fideliter servivit. Successit ei D. *Matthias Erbius*, qui iisdem Ecclesiis summa fide & indefesso studio præfuit. Ac quandiu piissimus Princeps vixit, eadem doctrina & ritus Tigurinæ Ecclesiæ conformes in illis locis remanserunt: Et quo tempore edicto Cæsareo in urbibus Germaniæ quædam religionis immutatio facta fuit, constanter in veteri doctrina & simplicitate rituum perseverarunt; atque Illustrissimus Princeps eo tempore in Helvetia, & quidem Tiguri plerunque commoratus, Bulling. amanter complexus, ejus consilio in gravissimis de religione controversiis usus est. Ac anno Domini 49. vehementer de *Joan. Brentio* apud Bull. & alios Tiguri conquestus est. Et inter alia dixit: *Non absque causa metuo, ne in Ducatum Wirtenbergicum confusionem aliquam invehat, & homines piè affectos à fidei simplicitate abducat.* Et cùm istorum commemoratione (qui ejus in pietate & fide Christi zelus erat) graviter commoveretur, addebat: *Nemo quantumvis doctus aut eruditus nos ex statione, quam modò tenemus, dimovebit. Speramus item, Deum omnipotentem nos corroboraturum, ut in veritate agnitâ in finem, usque perseveremus: prohibiturum denique ne novis hominum commentis seducamur.* Et hæc quidem Bullingerus & alii nonnulli ex ore ejus coràm audivere. Imò tanta fuit hujus Principis in fide & religione, quam Helveticæ Ecclesiæ profitentur, constantia, ut Bucerum, *concordiæ* causam inter Lutherum & Helveticas Ecclesias sedulò quidem agentem, non autem absque gravi multorum suspicione, qui verebantur, ne is nimio pacis & concordiæ studio abreptus in Lutheri partes plus nimiùm inclinaret, & causam in se claram atque perspicuam novis dicendi formulis implicaret, sive (ut loquebantur) obscuriorem redderet, adeoque propriam, & priùs ab se traditam doctrinam, non pristinâ sinceritate atque constantia prædicaret; gravibus literis hortaretur, *ut sui memor caveret, ne veritatem pro mundi captu astutius hinc inde flectendo, inconstantiæ notam sibi ipsi inureret. Hoc enim non posse absque gravi præjudicio fieri: ipsum verò hoc agendo plurimùm derogaturum existimationi suæ: ex quo non posset non gravis remora Dei verbo objici cum multorum scandalo, quod tandem*

tandem multis perditionem pariat: Alioquin ipsum sibi ipsi contradicturum. Exemplum literarum Tiguri adhuc extat, quæ datæ fuerunt Rihenwilæ 23. Febr. anno 1535.

d) Vita Bullingeri.

e) Hospinianus.

f) REGNI Retinctorum in Westphalia finis hic fuit: Post diuturnam *Monasterii* obsidionem, nocte S. Johan. Baptistæ, Hensulo Langstrato milite gregario transfugâ præeunte, per fossam & portulam minorem, vallum versus patentem, quingenti milites, duce Wilkino Stedingio viro nobili & audace, qui præfecturas Cloppenburgum & Delmenhorstam postea rexit, introducti sunt: qui portâ urbis, quæ crucis dicitur, patefactâ, exercitum intromiserunt. Urbe captâ, victores miserandam in Anabaptistas lanienam exercent, occidunt sine discrimine omnes, præter mulieres & pueros. Capita execrandæ factionis, *Bernardus Knipperdollingus* indigena, *Bernardus Krechtingus* pastor quondam Gylthusianus, & rex ipse *Johannes Leidanus*, cum regiis suis insignibus, corona, sceptro, calcaribus, annulis, & torquibus aureis capiuntur. Author verò & Coryphæus hujus sectæ, *Bernardus Rothmannus*, vivus in hostium manus non devenit, sed in prima urbis invasione bipennè dissectus, inter cadavera repertus est. Anabaptistarum bona in usum diœcesis & compensationem damni dati confiscantur, quorum venditioni viri octo ex omnibus statibus præficiuntur. Capita seditionis, Rex, Knipperdolling, & Bernardus Krechtingus, ad supplicium Monasterium reducuntur, atque ibi, episcopo & magnâ populi concione præsente, in proscenio in fori medio extructo, candentibus forcipibus dilaniati, & ferreis caveis inclusi, & ad turrim S. Lamberti suspensi, suæ impietatis & temeritatis pœnas dederunt. Ac per aliquot annos, post recuperationem urbis, in Anabaptisticæ sectæ reliquias princeps animadvertit, donec radicitùs eos in diœcesi suâ extirparet.

f) Chytræus.

g) COENOBIA in Anglia Rex evertere jussit, ut eorum opibus præsentem prementemque inopiam sublevaret, ac partem prædæ ex iis collectæ proceribus suis dividendo à sectâ Pontificiâ penitus eos divelleret, quibus nempe cum ecclesiâ Romanâ reconciliatis acceptam prædam denuò reddendam prævidebat. Emissi igitur homines subdoli, qui per universam ubique Angliam in vitam & mores monachorum regiâ fulti authoritate inquirerent. Immane quantum flagitiorum in hoc ferarum latibulo repertum à Cromwello & cæteris, quibus id negotii demandatum est. Pauci feruntur inventi tam immunes à scelere, ut oppugnantium consiliis reniti ausi fuerint: & nonnullorum propalata turpitudo universum ordinem exosum adeò apud vulgus reddidit, ut magnum facinus nunquam patratum arbitrer leviori molimine, quàm hoc cœnobiorum Anglicorum excidium.

g) Annales rerum Anglicarum.

h) FUNDAMENTA Concordiæ Bucero-Lutheranæ hoc anno hoc ferè ordine jacta sunt: Primò Bucerus & unà cum eo Augustani confutant propositiones Amsdorffii, Concordiam dissuadentes, & in illâ ipsâ confutatione se nonnihil inflectunt ad sententiam Lutheri. Deinde Landgravius Hassiæ Cassellas i) vocat Melanchthonem & Bucerum, ut sententias utriusque partis expendant, & quomodo conciliari possint, judicent. Tum Melanchthon, qui hoc anno priorem suam de cœna Domini sententiam mutavit (scribit enim ad Camerarium, k) *se Cassellis fuisse nuntium sententiæ alienæ:* scribit ad Brentium: *multa veterum scriptorum testimonia esse, quæ absque ulla ambiguitate vocum explicent mysterium Cœnæ Dominicæ de typo & locutione tropica:* scribit, *se cruciari, quod multi in Galliis & alibi propter hanc sententiam interficiantur, talibusque judiciis multi applaudant sine verâ ratione, & furorem tyrannorum confirment:* monet Brentium, *ut hac de re nihil temerè statuat, sed deliberet σὺν τῇ παλαιᾷ ἐκκλησίᾳ, cum veteri Ecclesia:* scribit, *inter adversarios esse multos* optimos viros) l) Brentium & alios Concordiæ minus æquos per epistolas mitigat. Postremò Bucerus proficiscitur Augustam, & aliquandiu in Ecclesia parochiali D. Joan. concionatus Senatui ansam dat: *Gerjonem Sailerum* Medicum, *& Casparum Huberinum* Theologum omnium Augustæ concionantium literis instructos Witebergam ad Lutherum mittendi, & spe Concordiæ sanciendæ Urbanum Rhegium Augustam revocandi. Qui cum stationem suam Luneburgicam deserere nollet, loco ejus missus est *M. Joannes Forsterus*, civis Augustanus, Diaconus tum Witenbergensis.

h) Hospinianus.

i) Epistolæ Philippi.

k) Exstant epistolæ istæ non uno in loco.

l) Crusius.

Lutherus cum in declaratione Buceri à Melanchthone Cassellis acceptâ acquiesceret, & audiret præterea, ab Augustanis de consilio Buceri peti concionatores Lutheranicos, jam nihil amplius simulatò agi existimat. m) Amicissimè igitur scribit ad Argentinenses Theologos, ad Senatum Augustanum, ad Nicolaum Gerbelium: promittit omnibus de se optima, cupitque conventum indici, in quo re totâ plenissimè deliberatâ Concordia desiderata confirmetur.

m) Exstant apud Hospinianum & alios epistolæ istæ.

REX Galliæ etsi Germanorum societatem quærebat, de sævitia tamen nihil remittebat. n) Ideo Melanchthon, ad Camerarium: *τὰς κέλτας πάνυ μαίνεσθαι ἀκούω: sed quicquid erit, hac me consolatione sustento, quòd scio, ἔτι δεῖ τὴν ἐκκλησίαν μιμεῖσθαι τὸ δεσπότου θλίψεις.* Contra Rex Angliæ in Pontificios sæviebat. Cùm enim sibi tanquam supremo capiti Ecclesiæ sacrorum proventuum *annatas*, ut vocant, decimasque persolvi imperaret, quotquot huic decreto reclamabant, perduellionis rei peragebantur, & Regem ecclesiæ Anglicanæ sub Christo supremum caput agnoscere detrectantes, ad crucis supplicium passim damnabantur. o) Maji quarto hanc, neque aliam ob causam ad patibulum suspensi sunt 3. cœnobiorum præfecti, *Joannes Hongthonus* Carthusianorum Londinensium, *Augustinus Websterus* Beuolensis, & *Thomas Laurentius* Examiæ Priores, simulque cum illis, *Richardus Reginaldus* Monachus & Theologiæ Doctor, ac *Joannes Hailus* Tristeturisthensis Vicarius. Decimo deinde octavo Junii, *Exmæus, Maddelmorus*, *Nudigatus* Monachi tres Carthusiani, eandem ob causam, consimilem pœnam subierunt. Quatriduóque postèà *Joannes Fischerus* Episcopus Roffensis (propter insignem eruditionem & vitæ sanctimoniam in magna apud plebem habitus veneratione) securi publicè percussus est, & caput

conto

conto affixum, ſupra Pontem Londinenſem collocatum. De tanto viro, &(quod in noſtris hiſtoriis rarum) Antiſtite ſacrato ſupplicium ſumendi, occaſionem dediſſe viſus eſt Papa, qui ut incarcerationis nunc annuæ moleſtias, honoris novi acceſſione ſolaretur, Cardinalem Maji 21. hominem creavit. Quod ſimul ac auditum eſt, accelerandi ſupplicii cauſa extitit. Sexto demum Julii *Thomas Morus* pertinaciæ Fiſcherianæ conſors, pœnam luit eandem, capite truncatus. Hic fuit ille *Morus*, cujus opera & alia plurima opuſcula, tàm Latinâ quàm vernaculâ linguâ conſcripta notiorem reddiderunt eruditionem quàm ut à me opus ſit prædicari. De moribus ejus qui ſeveriſſimè judicarunt, dicacitatem ſolam reprehenderunt, tanquam ad ſales & facetias (ne dicam ſcommata) promptiorem, quàm tanti viri gravitatem deceret, quibus nempe in ipſâ quidem calamitate, & mortis articulo vix, aut ne vix abſtinuit: Siquidem carceris cuſtodi ſummum corporis indumentum tanquam ex conſuetudine ſibi depoſcenti, pileum tradidit: Tonſori pro opera navata jam damnatus nihil à ſe deberi contendit, *Regis eſſe illud caput dicens, quod raſerat: ut ſui juris eſſe probaverit, ampliſſimam mercedem relaturum.* Pegma ſive locum ſupplicii conſcenſurus, manum præcedenti cuidam porrexit, & *aſcendentem* (inquit) *adjuves quæſo, ad deſcenſum quod attinet, non ſum ſollicitus.* Cervicem verò jam jam cædendam poſtquam ſupra ſtipitem ſubjectam protenderat, barbam (quam prolixam alebat) manu amovit, capitis, non item barbæ amputandæ poteſtatem carnifici factam, renidenti vultu profeſſus.

n) Epiſt. ad Camer. p. 340.

o) Annales rerum Anglicarum.

p) GUILIELMUS *Tyndallus Anglus*, qui utriusque Teſtamenti libros in vernaculam ſuam linguam tranſtulit, poſt multos exantlatos labores, Antuerpiæ opera & proditione Angli cujusdam (ut quidam ſuſpicantur) *Philipſii*, at non ſine epiſcoporum procuratione à Lovanienſibus Theologis captus, atque in carcerem abreptus eſt. Interim D. *Cromelius* literis ſæpe ac diligenter ad Lovanienſes perſcriptis, omni conatu eum eripere ſatagebat. Demum poſt annuam cuſtodiam per Lovanienſes eductus ad ignis ſupplicium, poſtquam ad palinodiam nullâ ratione nec ille adduci, nec ipſi ab errorum pertinaciâ abduci potuerunt, Bruxellis latâ mortis ſententiâ judiciariâ, Wilfordiam Brabantiæ oppidum pertrahitur exurendus, ubi cum magnâ conſtantia vitam invictus Chriſti martyr, & *Anglorum*, ut non immeritò à quibusdam nuncupatur, *Apoſtolus* poſuit in Domino.

p) Foxus.

FINIS Secundæ Decadis.

INDEX I.

LIBRORVM, TRACTATVVM, SCRIPTORVM, CAPITVM, ARGVMENTORVM,

ut lector uno intuitu, quid quinque partibus hujus operis contineatur, cognoscere queat.

PARS I.

Hermanni von der Hardt Introductio generalis in quinque partes historiæ Reformationis.

Ulrici Hutteni OYTIS, s. NEMO, cum præfatione.

Ejusdem Epistola ad Julium Pflugk, qua illius temporis conditio depingitur.

Historia Certaminis inter Erasmum, & Albertum Carpensem, propter N. Testamentum ab illo editum. pag. 1

Herm. von der Hardt Introductio in hanc historiam Certaminis. ib.

Erasmi Epistola scripta an. æt. 34. in Scoti barbariem, & scholasticæ Theologiæ tricas. 2

Erasmi defensio pro Valla, pro jure versionis, & usu linguarum. 4

Ejusdem Encomium Moriæ in Scholasticorum ineptias. 7

Erasmus per Johannem Sylvagium Caroli V. Consiliariis anno 1514. ætat. 49. adscribitur. 8

Erasmus ab Ernesto Bavariæ Duce per Urbanum Regium Ingolstadium invitatur; quod declinat. 11

Idem pro Carolo V. Principis Christiani institutionem scribit. 14

Idem Enarrationem Psalmi I. acrem abusuum in Ecclesiis & Academiis regnantium censuram, edit. 17

Idem molitur Novi Testamenti, & Hieronymi editionem. 19

Certamen inter Erasmum & Martinum Dorpium, de bonis literis, jure versionum &c. interea dum N. Testamentum imprimeretur. 20

Continuatio ejusdem Certaminis inter Mart. Dorpium & Thomam Morum 24

Fabritius Capito ab Erasmo animatur, ad promovendas bonas literas. 29

Erasmi ad Capitonem Epistola. 30

Novum Testamentum per Erasmum cum versione & notis editur Basileæ 1516. 73

Vindiciæ Erasmi ad Leonem X. & Waramum, propter editam novam versionem. 87

Hieronymum in publicam lucem emittit Erasmus anno 1516. 39

Editio N. Testamenti Viris prudentibus non displicuit. 42

Erasmus a Francisco I. Gallorum Rege Lutetiam vocatur. 44

Lis inter Erasmum & Guil. Budæum ob phrasin N. Testamenti. 46

Alia Conflictatio inter Erasmum & Fabrum Stapulensem, ob voculæ cujusdam versionem. 49

Displicuit Scholasticis Novi Testamenti editio. 53

Bulla Leonis, super impressione librorum, lecta in decima sessione Concilii Lateranensis. 56

Stunica, Hispanus, in Erasmi N. Testamentum invectivas scribit, quas Cardinalis Ximenes edere prohibuit. 60

Collegium triilingue Buslidianum Erasmi Consilio Lovanii fundatur, Goclenio & Rescio primis linguæ Latinæ & Græcæ professoribus. 61

Collegia linguarum Tornaci, Lutetiæ, Oxonii. 71

Martini Dorpii resipiscentis publica confessio, de fructu humaniorum literarum, pro Erasmo. 74

Erasmi ad Dorpium gratulatoria. ib.

Dorpii ad Rhenanum epistola. 75

Dorpii ipsa confesio, de laudibus Pauli, de literis sacris ediscendis, de eloquentia, de pernicie sophistices, de sacrorum codicum ad Græcos castigatione, & linguarum peritia. 76

Dorpii apud Erasmum deprecatio. 87

Henricum Glareanum Erasmus in Galliam ablegat, ad docendas bonas literas. 87

Erasmus edit querimoniam pacis. 89

Idem scribit Paraphrasin Epistolæ ad Romanos. 92

Idem respondet Anonymo in primam N. Testamenti editionem invehenti. 93

Enchiridion militis Christiani cum Apologia de novo emittit. 95

Novi Testamenti altera & luculentior editio ab Erasmo instruitur. 101

Erasmi Consilium pro rebus Lutheri tranquille componendis. 163

Erasmus in Lutherum scribere a multis compulsus, diu detrectavit. Tandem

dem de voluntatis humanæ viribus cum eo congreditur. 106
Origo & progressus Certaminis inter Albertum Pium Carporum Principem, & Erasmum. 107
Epistola Erasmi ad Albertum de veris Reformationis principiis, impia Sacerdotum vita, Theologorum supercilio, Monachorum tyrannide. 113
Alberti Pii Responsio longa ad Erasmum, quod Erasmus bonis literis suscitatis, Novo imprimis Testamento edito, reformationi ansam dederit; cum exhortatione, qui in Lutherum scribat, cui ad reformandum occasionem dedisset. 114
Erasmi Responsio nervosa ad Albertum. Apologia pro bonis literis, & Lutheranam rem non clamoribus sed morum emendatione componendam. 163

PARS II.

R *Euchlinus* in librum Athanasii de variis quæstionibus, ad quæst. ultim. pro linguis & bonis literis. pag. 1
Lutheri ad Reuchlinum Epistola, pro Reuchlino. ib.
Erasmi ad Hochstratum epistola, de causa Reuchlini. ib.
Herm. von der Hardt introductio in historiam Reuchlini, an Reuchlinus fuerit ansa reformationis. 2
Erasmi ad Hochstratum epistola pro linguis. 13
Ejusdem ad Pirkheimerum literæ, de Apologia Pirkheimeri pro Reuchlino. 14
Ejusdem ad Grimanum epistola, pro magnis Reuchlini in rem publicam meritis. ib
Compendium historiæ Reuchlinianæ ex Sleidano. 15
Reuchlini Augenspiegel, s. speculum oculare, quo continetur,
1.) *Origo* certaminis inter Reuchlinum, & Pfeffercornium. 16
2.) *Consilium* Maximiliano Cæsari datum, pro libris Judæorum non abolendis. 20
3.) *Solutio* argutiarum LII. quæ potuissent Reuchlino objici. 35
4.) *Apologia* contra mendacia triginta quatuor Pfeffercornii. 46
Reuchlini defensio Consilii Maximiliano dati, Moguntiæ, Spiræ & Romæ, contra calumniatores Colonienses. 53
Acta judiciorum inter Jacobum Hochstratum, & Joannem Reuchlinum. 94
Libellus accusatorius Hochstrati, contra Reuchlini oculare speculum. ib.
Causæ suspicionis ad recusandum Hochstratum tanquam suspectum. 96.
Materiæ pro justificanda appellatione productæ. 102
Libellus Joan. Reuchlini coram judice Apostolico in secunda instantia super oculari speculo: contra fratrem Jacobum Hochstraten Inquisitorem propositus, quando in termino utrisque partibus dato ad hinc inde libellandum frater ille neque libello suo in prima instantia proposito adhæsit, neque de novo libellavit. 106
Sententia pro speculo oculari contra Hochstratum. 114
Cætera hujus processus. 115.
Bilibaldi Pirkheimeri epistola Apologetica pro Reuchlino. 130
Reuchlini ad Nuenarium epistola de speculo suo oculari, & tumultu Colonienssium. 138
Hermanni Comitis Nuenarii Responsio ad Reuchlinum, qua Colonienses & Hochstratus ridentur. 139
Hermanni Buschii ad Nuenarium epistola pro Reuchlino. 143
Ulrici Hutteni epistola ad Eundem pro Eodem. 145
Præfatio Nuenarii ante Eleutherii Byzeni Triumphum Reuchlini. 147
Eleutherii Byzeni seu Ulrici Hutteni Encomium & Triumphus Reuchlini ob devictos Colonienses. 148

PARS III.

H *Erm. von der Hardt* Introductio in memoriam emendationis publicæ. pag. 1.
SERMO I. de corrupto Ecclesiæ statu, Seculo XV. 3
Sermo II. de corrupto Cleri statu circa tempora Constantiensis Concilii. 8
Sermo III. habitus in Concilio Constantiensi anno 1415. Domin. XVII. post Trinit. 11
Sermo IV. habitus a Vitali Episcopo Tholonensi, anno 1417. Domin. judic. 17
Sermo V. dictus in Conc. Constantiensi a Nicolao de Javvir, an. 1417. domin. XVII. post Trinit. 26
Sermo VI. factus per Henricum Kaltisen. S. Theol. Profess. in Concilio Basileensi,

enſi, an. 1434. in feſto Simonis & Judæ. 38

Sermonis VII. *Excerpta*, facti per Matthæum Roeder, ſ. paginæ Profeſſ. in Concilio Conſtant. in Eccleſiaſticorum Simoniam & ambitionem, pro reformatione ſerio proſequenda; anno 1415. die 30. Decembr. Domin. I poſt nativ. Chriſti. 42

Sermonis VIII. *Excerpta*, dicti a Theodorico de Monaſterio, Prof. Theol. de neceſſaria morum in Eccleſiaſticis reformatione, in laudem Sigismundi, Ludovici Comitis Palatini, & Caroli Malateſtæ, legati Gregorii XII. In Concil. Conſtant. ſeſſione XIV. Anno 1415. 4to Julii. 45

Sermonis IX. *Excerpta*, cujus hæc in Mſcto reperitur inſcriptio: Sermo utilis & profundus, de Statu Eccleſiæ, ejusque alto dominio, nec non de depreſſione ac perditione ejusdem. Anno 1415. Dom. XV. Trinitatis. 48

Sermonis X. *Excerpta*, dicti an. 1415. Domin. XVI. Trinit. 49

Sermonis XI. *Excerpta*, contra Exemptos & Simoniacos, dicti a M. Hotrico Abendon, Prof. Theol. Oxonienſi, an. 1415. Dom. XXII. poſt Trinit. 53

Sermonis XII. *Excerpta*, dicti in Concil. Conſtant. per Joan. Zachariam, ordinis Auguſtini, an. 1415. die 26. Decemb. 55

Sermonis XIII. *Excerpta*, habiti in Concil. Conſtant. an. 1415. Domin. IV. poſt Epiph. 57

Sermonis XIV. *Excerpta*, pronuntiati a. Theodor. de Monaſterio, an. 1461 Domin. Septuag. 85

Sermonis XV. *Excerpta*, facti an. 146 die 1. Martii. 60

Sermonis XVI. *Excerpta*, dicti an. 1416 Dom. Jud. 91

Sermonis XVII. *Excerpta*, habiti an. 1416. feſto Pentec. 63

Sermonis XVIII. *Excerpta*, dicti in feſto Epiph. an. 1417. ib.

Sermonis XIX. *Excerpta*. dicti an. 1417. d. 28. Febr. 64

Sermonis XX. *Excerpta*, dicti ab Hugenetto de Metis anno 1417. die 4. Aug. 66

Sermonis XXI. *Excerpta*, dicti anno 1418. in feſto Purific. Mariæ. 69

PARS IV.

Herm. von der Hardt Introductio in Partem IV. qua diſquiritur, num indulgentiæ primam reformationis occaſionem ſuppeditarint: agiturque ibi de Tecelio, indulgentiarum propola, ejus libello, diſputatione Lutheri, aliisque non minus jucundis quam ſcitu neceſſariis. pag. 1

Diploma indulgentiarum Leonis X. 14

Excerpta ex Tezelii ſummaria inſtructione Sacerdotum, ad prædicandas indulgentias. ib.

Diſputatio D. Martini Lutheri Theologi, pro declaratione virtutis indulgentiarum. 16

Joannis Epiſcopi Chiemenſis, Salisburgenſis Archiepiſcopi Suffraganei, in volumine, quod dixit *Onus Eccleſiæ* decimum quintum Capitulum, *de indulgentiis & remiſſionibus.* 18

Herm. von der Hardt Introductio in Philippi Melanchthonis primos Rerum Theologicarum Locos A. 1521. opus rariſſimum. 28

Philippi Melanchthonis loci Theologici. 30

De hominis viribus & libero arbitrio. 32

de peccato. 34

de lege. 4

de divinis legibus. 421

de Conſiliis. 44

de Monachorum votis. ib.

de lege judiciali & cærimoniali. 45

de humanis legibus. ib.

de Evangelio. 48

de vi legis. 51

de vi Evangelii. 53

de Gratia. 54

de juſtificatione & Fide. 55

de charitate & ſpe. 63

de diſcrimine Veteris ac Novi Teſtamenti. Item de abrogatione legis. 66

de veteri ac novo homine. 70

de peccato mortali & quotidiano. ib.

de Signis. 71

de Baptiſmo. 72

de Pœnitentia. 73

de privatis confeſſionibus. 75

de ſacra cœna. ib.

de Magiſtratu. 76

de Scandalo. 77

PARS V.

Herm. von der Hardt Introductio in Annales Sculteti. pag. 1

Ejusdem hiſtoria Reformationis Eccleſiæ Judaicæ per Judam Maccabæum, ex *Dan.* XI. XII. 5

Abrahami Sculteti Annalium Evangelii renovati decas prima, ab an. 1516. ad a. 1526. 19

Ejusdem Annalium decas ſecunda ab anno 1526. ad 1536. 94

INDEX II. AUTORUM.

Quod si nonnulli Autores hoc in Indice non comparent, quorum tamen sunt allegata verba, illos lector benevolus in Indice tertio quærat.

Numerus Romanus innuit *partem* seu *Tomum*,
Arabicus *paginam*,
Litera *a*, *columnam primam*,
Litera *b*, *columnam alteram*,

Ubi Numerus Romanus deest, ibi proxime antecedens subintelligitur.

Achilles V,56.a
Acta *Baderi* V,56. b 64. b
Comitiorum V,147.b
Conventus Norici V, 61. b
Fratrum unitatis V,182.b
Orlamundensia V,71.a
publica V,47.a 48.a 58.a 67.b
Strausii V,56.b
Wormatiensia V,36.b
Alberus V,76.b
Alcoranus II,75.a
Annales *Anglicani* V,38.a 83.a 93.b 169.b 170.a 193.b. 194.b 202.a 203.b
Annales *Gorlicenses* V,84.a
Hannovici V,84.b
Silesiaci V,188.b
Suevici V,89.a
Archiva V,38. a.b 47.a 48.a 65. b 66. a.b 87.a 114.b 138.b 159 b 169.a 178.a 182.b 196.a
Athanasius II,65.a 72.a
Augustinus I,80.a.b 81.a.b 82.a II,23.a 31.a 65.a III,4.a

Bebelius V,23.b
Bernhardus III,13.b 50.a
Beza V,180. b
Bidenbachius V,191.a
Blaurer (*Ambros.*) V,153. b
Bodinus V,36. b
Boemia pia V,63.a 80.b
Britannicæ Antiquitates V,21.b
Brugensis (*Paul.*) II, 21.a 24.a 25 b 35.a 47.a
Bucerus V,25.a 40 a 109 a 117. a 124.b 132 b 160.b. 175.a 182.b
Buchananus V,194.b
Bucholcerus V,23.a 40.b 47.a 56 b 72.b 188.b
Bugenhagius V,153.a
Bullingerus V,37.b 57.b 178.a vid. etiam *Chronicon*.

Camerarius V,37.b 45.a 61.b 71.a 80.b 83.b 151.b 198.b
Caminæus V,24.a
Capito (*Wolf. Fabrit.*) V,22.b 30 a 35. a. b 40. a 42. a 65. b 90 b 97. a 128. b
Carolostadius V,45. a
Catalogus *haereticorum Romæ editus* V, 61.b
Cato III,8.a
Chemnitius IV,5.
Chronicon *Bremense* V, 48.a 66 b 114. a 128. a
Chronicon *Bullingeri* V,21.b 22.a 24.b. 42.b. 46. a 59.b 61.b 63 a.b 70.a 84.b 89. a 90. b 96 b 97 b 114.b. 115.b 118.a 127 b 128. 137.b 138.a 152.a 168.a 169 a 173.a 175.b
Chronicon *Hennebergii* V,52.a
Lubecense V,21.b 128 b 167.a 176.a
Norimbergense V, 86 b
Silesiæ V,109. a
Thuringiæ V, 49. b 56. b
Vallis Joachimicæ V, 39. a
Chrysostomus II,72.a III,3.4.13.
Chytræus V,23.a.b 33.b 39.b 48.a 49.a 52.a 55.b 56.b 59.b 61. b 64.a 66.a.b 67.b 85.b 90.a 110.b 117.a.b 138 b 167.a.b 170 a 180.a 191.a.b 196.a 202.a
Cochlæus V,36.b 37. a
Cranzheim V, 46. a. b 55.a 67.b 73.a 118.a 121.b 179.b
Crispinus V, 63. a
Crusius V,56.a 67.b 153.a 202.b
Curæus V,42.b 46.a 79. b
Cyprianus II,72.a
Cyrillus II,71.b 75.a

Dresserus V,23.b 32.a 38.b 40 b 59.b 179.b 180. b

Eberbachius V,45.a
Eberus V,36.b
Ehinger V,177.a
Embdanorum *solida expositio* V, 169.a
Emmius (*Ubbo*) V,36.a 113 b 118 a 131.a
Epistolæ Belgicæ V.133.a
Erasmus I, 2.8.9.10. 13. & 59. II, 1.13.14. V,21 b 25.b 27.a 33.a b 40.b 41.a 42.b 61.a 62.b 70 b.71.b 75. a 83.b 120. a.b 121. a 153.a

Flacius V,101.a
Foxus V, 114. a.b 134. a 169. b 177. b 182.b
Francus (*Seb. ist.*) V,153.b
Funccius V,85. b

Gassarus V,47.a 56.a 115.b
Gerson II,35.b
Gregorius M. III,5.a. 8.b
Grynæus V,175. a
Gualterus V,175.b
Guicciardinus V,21, b

Hamelmannus V,38,b 66.a b 67, a 85.a 128.a.b 129.a 167. a
Hedio V,50.b 169.a
Hemmingius V,64.b. 65.b
Henelius V,87.b
Hennebergeri *Chronicon* V,65.b
Henningus V,47.a 56.a 115.b
Herbrandus V,56.a
Herodotus II,65.b
Hieronymus II,21.b 23.a 27.a 30. a 31.a 32.a.b 51.a 60.a 74.b III,18. a.b
Historia *Confessionis Augustanæ* V, 173.b 181.b
Historia *Ecclesiastica Galliæ* V,61.a 63.a 90.a 134.a 177. b 180.b
Historia *Reformationis S. Gallensis* V,126.b. 127.b 137.b 180. a
Homerus II,65. b 66.a
Hortensius V,37.a.b
Hortleder V,110.b 112.a 153. b 171.a
Hospinianus V,175. b 181.b 186 202.a.b
Huitfeldius (*Arnold*) V,33.b 52. a 65.b

Iacobi *Antverpiensis historia* V,39.a

Lambertus (*Franciscus*) V,63.b
Langus V,38. a
Lavaterus V, 72.a 74. b 76 b. 90 a 124. b 174. a 175.b
Leo judæ V,22.a
Pontifex V,33.a
Lucanus II,72.b
Lutherus II,20.b 22 a 23.b 24.a 25.a 26.a 27.b 28.a.b 29.b 30 a.31

a 31.a.b 32.a.b. 33.a 34.a 38. a 40. a.b 41. a.b 42. a.b 43. a.b 44. a.b 45.b 46.b 52.a 55. a 58 a 59.a.b 62.b 63. a.b 65.b 66.a 67.a.b 71.a.b 72.b 73.b 74.a 76. a.b 80.b 82.a.b 83.a 86.b 88.b. 90 b 92.b 93.a.b 103. a.b 104.a 115 a 116.b 120.a 121. a.b 130. a 133 b 134.b 135.a
Lydius V,61.b
Lyra II,26.b

MAjus (*Joh.Henr.*) II,11
Mæthesius V, 21.b 26.b 40. a
Matthias (*Petrus*) V,21.b 23.b
Megander V,126.a
Melanchthon V,24.a 25.b 30.a 39 b 40.b 41.a 45. a 81.a.b 103. b 117.b 120.a 121.a 133.a 134.b 150 b 151.a 160.a 171.b 172.b 178.b 202. b
Meteranus V,39.b
Mirandula II,74. b
Monumentum *instauratæ religionis* V,70.a
Mosellanus V,28.b
Myconius V,24.b 30.b 173. a

NAzianzenus II, 60. a 61. a 74 a

OEcolampadius V, 35. a 40.a 49.b 50.a 51.a 68.b 70. a 89 b 135.a 137.a 166.a 174. a.b
Osiander V, 170.b

PAlingenius (*Marcel.*) V,150.b
Pancirollus V,20.b
Pappus V,89.b 133.a 160.b 171.b
Petrus Blesensis III,20. 22.a
Porphyrius II,72.a
Prudentius II,74.a

RAbus V, 49.b 58.a.b 59.a 61 b 63.a 90.b 114.b 121.a 134 a 152.b 153.a 160.b 188.b
Raimundus II,24.a
Raymundus de Remund. V,55.b
Renneisen (*Nicol.*) V,120.a
Reuchlinus II,1.2. 4. 5. &c.
Rhenanus I,63
Richardus III,5, b
Rudingerus V,23. a 70.b

SAccus V,24.a 85.a
Schæfferus V,117.b
Schützius V, 49.b 114.a
Schwebelius V,34.b 51.b 52. a 56 57.b 62. a 182. b
Sedulius II,74.a
Sleidanus II,15. IV,5. V,21.b 24.a 36.b 38.b 42.b 43.a 45.a 55.b 57.a 58.a 61.b 63.a.b 73.b 82.b 95.a.b 96.a 117.a 118.b 121.a 122. a 124.b 126.a.b 127.a 135.a 136.a 150.b 151.a.b 152.a 153.a.b 168 a 171.b 172.b 173.a 178.a 181.b 197.b 198.a
Sneppius (*Erhard.*) V,76. a
Socrates *Historic.* V,181.b
Stumpfius V,21.b 52.b 69.b 89.a 137. b 152.a 167.b 175.b 188.b
Sturmius (*Casp.*) V,61.b
Sturmius (*Joh.*) V,46.b 47.a b. 52.a 67.b 68.a 117.a
Summarischer Begriff zu Strasburg V,22.b

THuanus V,95.b
Tigurinæ Ecclesiæ codex V, 31.a 35.b
Turretinus (*Bened.*) V, 184.a 191 b 198.b
Typotius V, 83.b

VIta *Bullingeri* V,114. a 138, a 174.a 175.b 202. a
Calvini V,196.a
Munsteri V, 137. a
Musculi V,177.a.b
Myconii V,67.a 117.a
Pellicani V,57.a 58.a 114.a
Urspergii *Paralipomena* V,24.a
Ursisius V,38.b 57.a 68.b 69.a 75 a 97.b 119.a 122.a 137.a 168. a 172.b

WAserus V,69.b
Wolfius V,37. a

ZWInglius V, 22.a 30.b 31. b 36 a 46.a 49.b 55.b 58.a 70. a 72. a 73.b 74.b 78.b 88.b 96 b 97.a 115.b 116.a,b 120.a 126 b 128. a 133.b 138.a 150. b 168.a 173.b 174.b

INDEX III. RERUM.

Notatio numerorum videatur ante Indicem II.

Abendon (Hotrici) Sermo in Concilio Constantiensi dictus III,53
Academia Wittembergensis V, 21.a
Francofurtensis *ib.*
Adriani Papæ contra Lutherum molitiones V,42.a.b
minatur Friderico Saxoni 57.b
obit 61.a
judicia de eo *ib.*
Adrianus Professor linguæ Hebraicæ Lovaniensis I,64
Agathias Professor linguæ latinæ I,69
Agricola (Rudolph.) V,21.a
Albertus Brandeburgicus reformationem suscipit V, 52. a
Dux Porussiæ 85.a.b
apologiam edit 112.a
Albertus Mogunt. Archiepiscopus Hutteri scripta supprimit, V,33.a
Indulgentias promulgat 41. b
Rescribit Luthero 42.a
sævit in Evangelicos 63.b
Albertus Pius, Carporum Princeps,
Erasmo infensus I, 107
respondet Erasmi literis 108.114
historia certaminis inter Eum & Erasmum 108--112
integra Alberti epistola 114. & sqq.
animus ejus in Erasmum 115
quid sensit de libro ejus de libero arbitrio 127
ipsi nervose ab Erasmo responsum 163
Alchymia II,28. a
Aleander I,106.107
ejus vox ad Caracciolum V,37.a
Alexander M. de eo Danielis vaticinium V,5
Ἀλλοίωσις V,129.b
Aloisia persecutrix V, 82.a
Alsatiæ reformatio V,201.b
Altenburgico in comitatu Ecclesiæ reformantur V,84.b
Ambachius (Melchior) exulat V, 133.a
Ambsdorfius (Nicol.) V,56.b
Magdeburgenses docet 66.a
alibi 191.a
concordiam Eucharisticam interrumpit 197.a
Anabaptistarum origo V,37. a
doctrina *ib.*b
cum iis Lutherus confligit 45.a
Carolostadium probant 72.a
Tiguri tumultuantur, cum Zvvinglio disputant, sed coercentur 77. a
Basilea & Waldshuti se movent 77.b
Tiguri iterum coercentur 78.a
in Ecclesia Sangallensi magnos progressus faciunt 78.b 79.a
Moraviam ingrediuntur 79.b
Sueciam 112.b
Wormatiæ VII. articulos proponunt 115.a

in Sileſia & Bavaria ſunt. *ib.*
in Helvetia tumultuantur *ib.*
& in Suevia *ib.*b
& Auguſtæ 115.b 177. b
Ulmæ *ib.*
Bernæ 178.a
Monaſterii regnum condunt 188.a
Osnabrugæ nonnulli capiuntur 195
obſidentur 197. b. 198.a
expugnata urbe ſupplicio afficiuntur 202.a
Angliæ lux Evangelii oritur V, 169. a.b
jugum Papale excutit 184.b 193.b
Anhaldinatus reformatio V, 178 a.b
Pontificii contra moliuntur 184. b. 185. 196. a
Annæbergæ docet Myconius V, 67.a
Annalium uſus V, 19
Antiochus Epiphanes, de eo Danielis amplum vaticinium V,9.&c.
ejus acta initio regni 10
acta cum Philometore 10.11
cum Judæis 11.12.13
templum profanat 14.15
Antiochus Magnus apud Danielem V,7.8
Antiochus Theos apud Danielem V,6
Antverpiæ unus Chriſtianus V, 31.a
Jacobus Chriſtum ibi docet 39.a
perſecutio oritur 43.a
primi martyres 60.a.b.63.a
novi Prophetæ 91.a.b
Aportanus in Friſia Evangelium annunciat V,36.a.169. a
Arbitrium liberum quid IV,32
Argentinenſis reformatio V,46 b. 47.a
continuatur 56.b
Parochus uxorem ducit 57.b
Epiſcopus reformationi reſiſtit 64.b. 65.a. 67.b
Lutherum ad pacem hortantur Argentinenſes 76,a
progreſſus Evangelii 87.b
forma celebrandi ſ. coenam 89.b
turbæ propter miſſam abrogandam 126.127.a.135.a
Argentinenſium beneficentia 169. a
Saxonicæ confeſſioni ſubſcribunt 171. b
Argyropyli dictum V,21.a
Arnſtadii Evangelium docetur V,50.a
Auguſtæ Evangelium prædicatur V,47.a. 56.a
reformatio inſtituitur 177.a
Auguſtanus conventus V,156-158
Auguſtanorum de ſ. cœna ſcriptum V,186.b

BADERUS (Joan.) Concionator Landavienſis V,64.b
Baptiſmus IV,72.a
Baptizandi ritus Nordlingæ Waldshuti, &c. V,89.a.b
Baſileæ Evangelium progreſſus facit V,35.a. 38.b
a Senatu lectores Theologiæ conſtituuntur 57.a.58.a
certamen ob miſſam, quæ permittitur 118.b
Baſileenſes a Capitone conſolatoriam accipiunt 119. a.b
in multis Eccleſiis idola ſubvertunt 127.b
Miſſa aboletur, idola comburuntur, ope civium coacto ſenatu 135. 136
edunt confeſſionem de S. coena 196. b
vocant Caroloſtadium. *ib.*
Baumgartnerus (Chriſtianus.) IV, 7
Beblingæ VII. homines cremantur V,133. a
Belgica perſecutio. v. *perſecutio.*
Benedictus XIII. ſ. Petrus de Luna, ad defectionem ab eo incitatur Synodus Conſtant. III, 23. a
comparatur Lunæ obſcuræ 56. a
Bernatibus Evangelium annunciatur V, 49. a
edictum magiſtratus 57. a. 97 b
revocatur, & Evangelium creſcit 118. a
diſputatio indicitur *ib.*
& habetur 122. & ſq.
publica reformatio inſtituitur 126. a
Bernhardus martyr V, 90. b
Berquinus (Ludov.) martyr. V, 152. a, b.
Biblia Complutenſia I, 34. V, 21 b
Bibliander (Theod.) V, 175. b
Billicanus (Theob.) Lutheri doctrinam improbat. V, 134. b
Bilnæi (Thomæ) martyrium. V, 177. b
Biſchofs heim reformatur. V, 119 b
Biſchofs-zell reformatur V, 137 b
Blankefeld (Joan.) Archiepiſcopus Rigenſis. V, 63. b. 64. a
Blaurerus (Ambroſius) V, 126, b 177. b
in reformatione Würtembergica adhibetur 189. b
ejus revocatio ib. 150. a
Boemi fratres. v. Fratres.
contra Boemos decreta Pontificiorum. V, 80. a. b
martyres Boemi 114. b. 134. a
hoſtium poena 183. a
mittunt Luthero confeſſionem. 187. b
Bonifacius (Bernhardinus) fidei confeſſor naſcitur. V, 24. a
Boquinus (Petr.) Theologiæ Profeſſor V, 132. a
Borrhaus. vid. *Cellarius*.
Bremenſis reformatio V, 48. a 66. a
Canonici ſibi ſilentium imponunt 114. a
progreſſus reformationis 128. a
templum cathedrale ab Evangelicis occupatur 179. b. 180 a
Bremgarten reformatur. V, 138 a
reformatio impeditur 175. b
Brentius innoteſcit V, 47. b
de Miſſa diſſerit 56. a
de S. Coena 104. a
edit exegeſin in Johannem contra Zvvinglium 131. b
de ea judicia 132. a. b
Briſmannus, Poruſſiæ reformator V, 52. a
Briſſonetus (Guil.) V, 55. b
Brixius (Germanus) I, 44. 45
Brunſvigæ prædicatur Evangelium V, 66. b
reformatur 128. a. 191. a. b
Bruxellæ primi martyres V, 60 a, b
Buceri de Luthero ſententia V, 25. a
ad aulam Palatinam ſe confert 40. a
Argentinam venit 47. a
ejus fama 68. a
Sententia de S. coena 72. b
Brentio reſpondet 106. a
tentat conciliationem inter pugnantes de S. Coena 106 b. 132. b
defendit ſe contra Lutherum 108. a, b
edit Dialogum inter Sebaldum & Arbogaſtum 130. a
Sententiam mutat lecta magna confeſſione Lutheri 132. b
adeſt colloquio Marpurgenſi 119. 146
docet Zwinglii & Lutheri de S. Coena eandem fuiſſe ſententiam 175. b
Concordiæ negotium urget, invitis aliis 181. b. 186. b
Tiguri ſe purgat 186. a. b
multus eſt iterum in negotio concordiæ 197. a
fundamenta ponit concordiæ Buce-

Bucero-Lutheranæ 201. b 202. a
Budæi lis cum Erasmo I, 46. 47
Bugenhagii conversio mirabilis V, 38. 39
Zvvinglium impugnat 74. a
Dantiscum vocatur 86. b
Bullingerus V, 31. a. 114. a. 138. a
Tigurum evocatur 175. b
Buschius (Herm.) exagitat apologiam Hochstrati. II, 143. 144
Buslidianum linguarum collegium Lovanii ab Erasmo institutum I, 63
Byzenus (Eleutherius) v. *Huttenus*.

C*Abalam* excolit Mirandula. II, 29. a
& Reuchlinus 134. a
num libri Cabalistici comburendi 29. a
Cadenus (Michael) Legatus Protestantium. V, 152. a
Cæsar (Leonh.) martyr V, 121. a b
Cæsaris-Sella urbs reformatur V, 168. a
Calvinus innotescit V, 180. b
edit institutiones 196. a
Cantabrigiensis Academia efflorescit I, 72
Canus (Alexander) martyr V, 188. b
Capella in Helvetia reformatur V, 114. a
Capito (Wolf. Fabrit.) edit Grammaticam Hebraicam I, 32
vita ejus V, 22. a. b
Consilium Luthero datum 27 b
Luthero scribit, & Erasmo propter Lutherum 30. a
Oecolampadii secessum in Coenobium ægre fert 35. a
in aulam Moguntinam vocatur 35. b
Lutherum hortatur ad modestiam *ib.*
favet Evangelio 42. a
Argentinam venit 56. a
accusatur, sed defendit se 58 a. b
ejus fama 68. a
sententia de s. coena 72. b
hæreseos accusatur 76. b
Hagenoam reformat 85. a
Zvvinglio scribit propter litem de S. Coena 106. b
Capnio. vid. *Reuchlin.*
Caracciolus fidei confessor nascitur V, 24. a
Cardinales III, 23. a
Caro quid notet Paulo IV, 37
Carolostadius V, 24. b
Lipsiæ cum Eccio disputat. 28. 29
Acta Wittembergensia 40 a. b.
origo dissensionis inter Eum & Lutherum 44. b
docet in pane non esse ipsum Christi corpus. Hinc bellum Sacramentarium 70. b
alio secedit 70. b
a Luthero ad pugnam provocatur 71. a
ejus doctrina de s. coena *ib.* b
libellos edit, hinc motus 71 72
Luthero conciliatur 76. a. b
cum eo iterum in arenam descendit 130. a
ejus ad Schvvenk-feldium epistola *ib.*
in Helvetiam proficiscitur *ib.*
Basileam vocatur 196. b
obit 130. b
Carolus V. Imperator, favet literis I, 9
Erasmum sibi adjungit Consiliarium *ib*
ejus vox de clero V. 23 b
Lutherum audit Wormatiæ 36. b
Eum proscribit 37. a
in Belgio persecutionem movet 39. b
insistit edicto Wormat. 61. b
pacta cum Francisco 95. a, b
Papæ Autoritatem diminuit *ib.*
duriter excipit Protestantes 150. b
cum Gallo pacem init *ib.*
edictum Bruxellis edit contra religionem *ib.*
cum Papa Bononiæ congreditur *ib.*
Augustæ conventum indicit 153. b
audit confessionem Protestantium 156. a. b
ejus refutationem adornat *ib.*
sollicitat Protestantes, ut coeptis desisterent. 158. b
ejus moderatio 160. a
bello Turcico implicatur 172 b
pacem init cum Protestantibus 178. a
Carolus Sabaudiæ Princeps favet Evangelio V, 52. b
Carpentarius (Georg.) martyr V, 121. b
Castellanus martyr V, 63. b
Cautius (Jacob.) Anabaptista V, 115. a
Cellæ docetur Evangelium V, 67. a
Cellarius (Martin.) Anabaptista V, 37. b
se Borrhaum vocat *ib.*
Ceratini (Jac.) laus I, 70. 71
Charitas IV, 63. a
Chasidim V, 16
Christiernus Daniæ Rex, Evangelium admittit V, 33. b
exul Lutherum audit 52
Christus
num alius in Talmude, a Servatore nostro memoretur. II, 89
epistola nomine Christi ficta ad Basileense Concilium III, 38
ejus ad inferos descensus V, 135. a
gutta sanguinis ejus 167. b
Ciconia Anabaptista V, 37. b
Clarebachius (Adolphus) martyr V, 153
Claræ imagines tolluntur V, 126. b. 167. 168. a
Claymondus (Joan.) Theologus I, 71. 72
Clemens VII. Pont. V, 63
ad persecutionem incitat 82. a
Cæsarem impugnat 95. b
Clericus (Joan.) martyr. V, 63. a
Clerici unde, III, 27. b
eorum dignitas *ib.*
intemperies & lascivia 28. a, b 29
vitia alia 30. 31
avaritia 48. a
a gregibus absunt & pecuniam Romæ dilapidant 54. a
modi illiciti, quibus ad dignitates perveniunt 55. a
impietas, Simonia, impœnitentia 65
fastus 68. 69
vita impia 1. 2 V, 23. b
vid. etiam *Corruptio, Ecclesia, Pontifices, Sacerdotes.*
Clivensi in ducatu fit initium reformationis V, 183. b
Cochlæus (Joan.) revocare tentat Georgium Anhaldinum a reformatione V, 184. b. 185
Codurcus (Joh.) martyr V, 182. b
Cœlius Calcagninus I, 107. 108
Colbius (Franc.) Bernæ prædicat. V, 118. a
Colloquium misericordiæ & veritatis, coram DEo judice III, 39. b
Colloquium Augustanum V, 158 a. b
Badenense 96. b. 97. a. 118. a
Bernense 118. a. b. 122—124
Danicum 147. a
Frisicum 112. 113
Frisicum alterum 117. b
Genevense 191
Genevense alterum 199
Hassiacum seu Homburgense 97
Lipsiense

Lipsiense 28
Marpurgense 138--146
Rhæticum 96
Tigurinum 57
Coloniensis insurgunt Reuchlino II,58.a
eorum laus 60.b
Consilium Cæsari datum 61.b
literæ Reuchlino scriptæ 64.68
speculum oculare damnant 105
Consilium, ne id facerent 106
Scripta Lutheri comburunt V, 31.a
Flistedium & Clarebachium igni tradunt 153
Comander (Joan.) in Rhætia prædicat V,84.b
disputat 96.a.b
Comitia in Germania habentur, quibus edicto Wormatiensi interceditur V,95.b.96.a
Concilia possunt errare IV,46.b
Concilium v. *Synodus.*
Concilium Basileense
Ad id ficta Jesu Christi epistola III,38
de eo dictum : *Parturiunt montes* 40.a
Simile est statuæ Nebucadnezaris *ib.*
& ficui sterili *ib.*
Concilium Constantiense,
cur institutum III,11.a
reformationem in crastinum differt 22.a.b
admonetur sui officii 42
ad tollendum Schisma & Simoniam 44.b
Encomium Patrum Concilii *ib.*
alia de Eo 57.a
comparatur arcæ Noachicæ 60
ejus membra nolunt se reformare 64.65.66
Concionum materies secul. XVI. V,23.b
Concordiam inter Evangelicos multi tentant V,186.a.b
interrumpitur a Luthero 197.a
fundamenta Concordiæ Bucero-Lutheranæ 202.a
vid. etiam *Bucerum*, qui multum in negotio concordiæ laboravit.
Confessio privata IV,75
Confessio Augustana
ejusque historia V,153--159
ejus confutatio 156.158
Apologia *ib.*
pretium 159.b
editio 170.a.b
Confessio Basileensis V, 196 b
Frisica 130 a.b
Lutheri 197.a
Marpurgensis 146.a.b
Quatuor civitatum, an Zvvingliana? 160.a.b
Silesiaca 131.a
Consilia IV,44
Constantiæ Evangelium docetur V,69.b
Ecclesiæ reformantur *ib.*
Controversia de s. cœna vid. Sacramentarium bellum.
de Persona Christi, & communicatione idiomatum, V, 116.b
Corruptio Ecclesiæ Sec. XIV. & XV. III. 1.2. 19. 20. 22. 43. 44.45. 62.63
vid. etiam *Clerici.*
Cotbus Evangelium audit V,50.a
Cragius (Joh.) Mindæ prædicat. V,158.a
Granzii (Alberti) vox ad Lutherum V,23.a
Greilsheim Evangelium audit V, 50.a
Creuzer (Joh.) Argentinæ Evangelium docet V,22.b
Critius (Andreas) Episcopus Plocensis V.83.b.126.b
a Cronberg (Hartman.) Evangelii defensor V,46.b
in exilium pellitur 59.b
Crux in cœlo V,24.a
Cygneæ auditur Evangelium, V, 67.a

D*Aniæ* Evangelium annuntiat Martinus V,33.b
progressus 52.a
impeditur 64.a.b.65.b.194.b
Dantisci Evangelium prædicatur V,49.86
Concionatores expelluntur 114.a
Delphis quis Evangelii Status V, 50.a
DEus peccata permittens, peccati non fit Autor V,92.b
Diabolus apud quosdam reformationis Autor V,138.a
Dialectica I, 80.b
Diepholdiani comitatus reformatio V,128.a
Disputatio. vid. Colloquium.
Dorpius (Martinus) Erasmum aggreditur I,20--24
iterum impugnat 24
a Thoma Moro refellitur *ib.*
ad sanam mentem redit, & pro literis humanioribus solennem confessionem edit 74--76
Erasmo se conciliat 87

E*Ccius* cum Carolostadio, & Luthero Lipsiæ disputat V, 28.29
Romam se confert 31.b
bullam Germaniæ infert excommunicatoriam, sed irridetur *ib.*
Autor Colloquii Badensis, 96 97
Confessionem Augustanam confutat 159.a
Ecclesiæ profanatio III,41.a.b.42
eam nemo curat, ejus hostes ipsi Ecclesiastici 48.b
miseria 50.a.b
ei majora mala imminent *ib.* 62.b
ejus bona male dispensantur 63. 67. vid. etiam *Clerici*, & *corruptio.*
Edictum Augustanum V,158.159
Spirense 147.b
Wormatiensi derogatur. 51.b
Ratisbonæ confirmatur 62.a
Edzardus Frisiæ Princeps V.36.a
obit 130.b
Eimbeccæ reformatio V,66.b
Eleutherius Byzenus v. *Huttenus.*
Elisabetha Brandeburgica exulat V,133.b
Elisabetha Daniæ regina, moritur V,93.a.b
Eloquentia discenda I,76.78.80
Embda. vid. *Frisia.*
Epistolæ obscurorum virorum II, 8.9
Erasmus Roterodamus
posuit ova Lutherus excluſit I. 2.113
ejus in literis profectus *ib.*
Scotistas falsè irridet 23
defendit Vallam ob editas in N. T. annotationes 4--6
edit *Encomium Moriæ* 7
Philippo Austriaco dicit panegyricum 8
Fit Consiliarius Caroli V. 9
amat Gallos *ib.*
Basileam secedit 11
Ingolstadium vocatur, sed renuit 11-13
scribit *institutionem Principis Christiani* 14
exponit Psalmum I. 17
molitur editionem N. T. 19
defendit se contra Dorpium 20-22
Capitoni scribit 29
edit N. Testamentum 33-37
Leoni scribit de N. suo T. 37
edit Hieronymum 39
in Galliam vocatur, quod renuit 44-46
lis ipsi cum Budæo 46
cum Fabro Stapulensi 49
scribit Bovillo, suumque Testamentum defendit 53
a Stunica impugnatur 60
instituit collegium trilingue 62
ejus cum Nicolao Egmondano litigia 68
Dorpio scribit sibi conciliato 74.75
scribit *pacis querimoniam* 89
edit Paraphrasin epistolæ ad Romanos 92
anonymo multa obiicienti ob N. T. editionem respondet 93

Enchiridion militis Christiani denuo, & cum Apologia in lucem emittit 95
alteram instruit N. T. editionem, eamque luculentam 101
consilium dat pro rebus Lutheri tranquille componendis 103
congreditur cum Luthero de viribus liberi Arbitrii 106
queritur de Alberto Carpensi 107
eidem scribit *ib.* 113
reliqua historia certaminis inter Erasmum & Albertum 108-112
num Erasmus occasio vel causa reformationis 116
ludit rebus humanis & divinis 117. 118
accusatur, quod Luthero se non opposuerit 120. b
modestiæ accusatur libellus de libero arbitrio 127
nervose ad omnia respondet Alberto 163. & seq.
Hochstrato scribit pro Reuchlino II, 1. 2
ejus in Græcis eruditio 3
iterum Hochstrato scribit 13
& Pirkheimero 14
& Grinæano propter Reuchlinum *ib.*
multa contribuit ad reformationem IV, 1. 2
N. Testamentum edit V, 21. b
ejus de Luthero judicium 27. a
scribit Friderico Saxoniæ Electori 28. a
cum eodem de Luthero loquitur 32. a
Consulit Peutingero *ib.*
ei Lutherus non satisfacit 33. a
indignatur Oecolampadio, Monacho facto 35. a
quid senserit de bulla Papæ, & Cæsaris proscriptione 37. a
medius agit 40. 41
improbat Lutheri negotium 42. b
edit librum de arbitrio 62
Luthero respondet Hyperaspiste 103
ægre fert libellum de se in sententia de S. Coena a Leone Judæ editum 107
Pellicano indignatur 108. a
alterum hyperaspistæ librum emittit 120. a
Cur se Evangelio non adjunxerit *ib.*
ejus de Luthero judicium ad Georgium Saxonem *ib.*
ludit in causa Eucharistica *ib.*
Basilea decedit 137. a
traducit Evangelicos 151. a
edit librum de Ecclesiæ concordia 187. b
Luthero aspere respondet 197 b
Ἐρευνᾶν quid II, 25. a
Erfurti Evangelium prædicatur V, 38. a
Esch (Ioan.) martyr V, 60
Esdras sacros libros compilavit V, 19
Eslinga Evangelium audit V, 56 a
Evangelium quid IV, 48. 49
discrimen legis & Evangelii 50. 51
vis Evangelii 53
Eucharistia quid IV, 75
celebrandi ritus alicubi sec. XVI. V, 89. b
Exemti III, 53. a

FABER Constantiensis V, 151. b
Confessionem Augustanam refutat 159. a
Farellus Basileæ disputat, sed exigitur V, 68. b
magnus Zelotes 70. a
Genevæ expellitur 181. a
redit 191. b
veneno tentatur 199. b
promovet reformationem *ib.*
Feldkirchius Sacerdotum primus uxorem ducit V, 41. a
Ferdinandus Austriæ Dux Luthero adversus V, 42. b
persequitur fideles 61. b
cum Quinque-pagicis foedus init 151. a
fortuna ei adversa 183
contrarius est Reformatis 196
Fide justificamur I, 158. a
Fides quid IV, 55. 56
ejus efficacia 62. b
Firnius (Anton.) V. 58. b
Flander (Henr.) martyr V, 134. a
Flistedius (Petrus) martyr V, 153 a
Forchemii evangelizatur V, 89. a
Franciscanorum fraus in fingendo spectro detegitur V, 198
Francofurti ad Moenum Evangelium prædicatur V, 47. a
progressus 86. b
Fratres Boemi V, 22. b. 55. a
vid *Boemi*, & *Piccardi*.
Fridericus Daniæ Rex, Evangelium amplectitur V, 52. a
propagat 65. b
Fridericus Elector,
crucem in coeloconspicit V, 24
Lutherum defendit 31. a. b
obit 92. b
ejus laus 93. a
Fridericus Silesiæ Princeps reformat Ecclesias Lignicenses, & scholam illustrem ibi condit c

V, 118. 131
Frisia Orientalis, reformationem suscipit V, 36. 85
progressus, invitis licet monachis 112. 113. 117
dissidia seminantur 130. b
editur Confessio a Theologis 131
ob colloquium Marpurgense turba oritur 169
bellum a duce Geldriæ infertur 188. b
Frumentius (Anton.) Genevæ Evangelium prædicat V, 181 183. 191
Furbitus Genevæ tumultuatur V, 192

GALATINUS (*Petrus*) defendit Reuchlinum, opere de arcanis Catholicæ veritatis II, 9. 10
Gallia audit Evangelium V, 55. a
persequitur fideles 134. a
lux hinc inde Evang. spargitur 180. b
Gemundenses martyres V, 153. a
Genevenses reformationem instituunt V, 126. b
motus oritur 180. 181
crescit, & vix sedatur 183. 184
alii motus interni & externi 191
disputatio instituitur 192
reformatio promovetur 193
& perficitur modo mirabili 198—201
Georgius Anhaldinus Princeps V, 178. b. 184. b. 185. a. 186. a
Georgius Eremita, Confessor V, 182 b
Georgius Marchio Brand. edictum promulgat de reformatione V, 109. 110
ejus constantia 160. a
Georgius Saxoniæ dux, V, 29. b
infensus Evangelicis 160. a
astute deprehendit Lutheranos 188. b
Georgius Wertheimicus Comes, Evangelio favet V, 51. a
Glareanus (Henr.) I, 87. V, 137. a
Goclenius (Conr.) Professor Lovanienses I, 65. 66
Goldbergæ Schola erigitur V, 55. a
Gorlicium reformatur V, 84. a
Goslariæ evangelizatur V, 38. 128
Gothæ evangelium auditur V, 67 a
Gottinga reformatur V, 167. a
Græci exules literas Italiæ important V, 20. b
Grase (Henr.) Anabaptistarum proditor V, 195. b
Gratia quid IV, 54
Gratianopoli evangelizatur V, 55 a
Greichgæa evangelizatur V, 47. 119

Grynæus (Simon.) linguæ Græcæ Professor V, 137. a
ejus periculum Spiræ 151. b
Gustavus Sueciæ Rex, regnum suum reformat V, 110-112

H*Agenoa* reformatur V, 85. a
Halæ Suevorum evangelizatur V, 47. b
missa abrogatur 56. a
Halberstadii evangelizatur V, 38 b
Hallerus Bernensium præco V, 49. 118
Hamburgi evangelizatur V, 38 55. 128
Hamiltonus (Patrit.) martyr V, 134. a
Hannovera reformatur V, 191
Hanoviæ lux Evang. infertur V, 84
propagatur 138. b
Hassia reformatur V, 102. a
Hausman (Nicol.) V, 178. b
Hedio Theologiæ Doctor V, 35 a. 49. b. 56. a
cum Pontificii persequuntur 59
Helvetii Lucernæ ob religionem conveniunt V, 63
instituunt Badenæ colloquium 96. 97
ad fœdus Protestantium non admittuntur 172
approbant Tigurinorum confessionem 196. b
Henricus VIII. Angliæ Rex, contra Lutherum scribit V, 37 b
incitat Erasmum 62. a
persecutor fidelium 82. b
Lutherum scripto exagitat 83. a
imminuit potentiam Papæ 169. 170. 184. b. 193. b
Henricus Bremensium Evangelista V, 59. b
occiditur 63. a
Herborn (Nicol.) Sermones I, 2
Herisovia reformatur V, 137. b
Hessus (Ioan.) V, 52. b
disputat 67
Evangelista Uratislaviensis 87
Hezer (Ludov.) capite truncatur V, 153
Hieronymum edit Erasmus I, 22 39. 40
Hilten inclinantis Papatus prædictio V, 21. b
Hirschfeldiæ lucet Evangelium V, 52. b
Hochstratus,
ad eum Erasmi pro Reuchlino epistola II, 1. 2
cujus speculum oculare igni addicit 7. 8. 94
provocat ad Papam 8
ejus Schedæ Romæ conculcantur *ib.* 10
impugnat artem Cabalisticam *ib.*
Acta judiciorum inter eum & Reuchlinum *ib.* 94
citat Reuchlinum Moguntiam *ib.*
recusatur a Reuchlino 96
nihilominus procedit 97. 98
a Leone impeditur 99. a
processu reiterato non comparet 102. b
ejus processus annihilatur 104
excommunicationi subditur, nisi se sistat 114
Romam citatur 117
contra eum decernitur 118-129
a Reuchlino, Nuenario, Buschio, Hutteno exagitatur 138. 139 143. 145. 151. sqq.
obit V, 121. b
Hofmeister Scaphusii docet V, 49. a
Holsatia reformatur V, 117. a
Hoyensis Comitatus reformatur V, 66. b
Hubmeier Anabaptista V, 77. b
Hugenetii de Metis Sermo in Concilio Constant. III, 66
Huglinus martyr V, 114. b
Hugo Episcopus Constantiensis, Zvvinglium persequitur V, 42. b
Hungaria reformationem anhelat V, 51. 117
Hussi Vaticinium V, 21. b
Hutteni scriptum, NEMO. I, *post. præf.*
ad Pflugium epistola *ib.*
edit epistolas obscurorum Virorum II, 8. 9
gratulatur Reuchlino sub Eleutheris Byzenj nomine II, 148 149. & seqq.
ad Nuenarium scribit pro Reuchlino 145
Papæ insurgit V, 31. 32. 46. b 59. a
obit 61. b

J*Acobus* Confessor V, 39. a
Jawir (Nicolai de) Sermo in Concilio Constant. III, 26
Jeverensi ditioni Evangelium infertur V, 67. a
Imaginum cultus defenditur I, 152. b
Indulgentiæ an originem dederint reformationi IV, 1
historia indulgentiarum Teceliі 2-4
diploma Leonis X 14
enormitas 14. 15
a Luthero impugnantur 16
de iis sententia Joannis Episcopi Chiemensis 18. & sqq.
Joachimica in Valle Evangelium prædicatur V, 39. a
Joachimus Brandeb. infensus Evangelicis V, 160. a
Johannes Anhaldinus Princeps V, 52. a 178. b
Johannes Chiemensis episcopus indulgentias oppugnat IV, 18 19. 27
Johannes Fridericus uxorem ducit V, 117. a
Johannes Meldæ patitur ob Evangelium V, 60. a
Johannes Misnensium Episcopus obviam it indulgentiis IV, 6. V, 23. b
ei negotium est cum Baumgartnero *ib.*
Johannes Saxoniæ Elector, visitationem Ecclesiarum instituit V, 117. a
Constantia in conventu Augustano 160. a
mors & pietas 183. a
Jonas (Justus) edit Lutheri libellum de Eucharistia V, 107. a
Jonathan unde III, 47. a
Jonerus (Wolfg.) V, 52. b
Isenaci evangelizatur V, 49. 56
Isenmannus V, 56. a
Islebius (Joh. Agric.) Melanchthonem invadit V, 121. a
Judas Maccabæus per Michaelem apud Dan. XII, designatur V, 14
reformat Ecclesiam 15-17
Judæorum libri quotuplices II, 20
quinam abolendi 21. 54. 85. b
num Talmud. 22-29
quoad religionem non subsunt Christianis 29
num Cabalistici *ib.*
num exegetici *ib.*
num Cantica & preces 30. a
num philosophici *ib.*
objectiones solvuntur:
1) Scripti sunt contra Christianos 30. b
2) JEsum convitiis onerant 31. a
3) Falsitatis accusantur *ib.*
4) Judæi per libros suos in sua religione confirmantur 32 33
novem incommoda, quæ ex abolitione judaicorum librorum oriri possent, recensentur 33
Judæi concives Christianorum 36 a. 48. b. 62. b
alia argumenta Reuchlino objecta solvuntur 37-46
an cum Judæis communio ineunda 49. b
an Christum calumnientur 50. a
non subjiciuntur inquisitioni 62. a
Judæorum fautores 76. a. b
cur favere iis debeamus 77
an

an contra Christianos precentur. vid. *Meschunimadim.*
Jupiter. Jovem num peperit Maria Virgo II,71.72
multa de Jove *ib.*
num Jesus Jupiter *ib.*
Jus gentium IV,45
Justificatio IV,55
Justitia per fidem a Luthero credita V,22.a
Juterboci Evangelium innotescit V,133.b

K*Altisen* (Henr.) mirabilis Sermo in Concilio Basilensi III,38
Keisersberger V,22.23
Kempe (Steph.) Hamburgi prædicat V,55.b
Kleppen V,38.a
Knipperdolling Anabaptista V, 197.b, 202.a

L*Aici* administrant Missam III, 28.a
Lambertus monachus V,59.b
ejus paradoxa, de quibus Homburgi disputatum 98.99
de colloquio Marpurgensi judicium 147.a
Landavii evangelizatur V,56.b
Landspergii de orali manducatione contra Lutherum scripta V,104.a
Laurentius monachus mendax 112.113
Lemgovia reformatur V,67.b
Lempus (Joh.) II,98
Leo Judæ V,57.a
tentat componere bellum sacramentarium 106.b
Erasmo respondet 109.a
Leo X. Pont.
ejus laus I,20.37.38
bulla de non edendis sine censura libris 55
Reuchlino favet II,10
diploma indulgentiarum IV, 12 14
emittit Tecelium V,21.b
& Miltitium contra Lutherum 28
quem anathematizat 31
Alberto Brandenburgico rosam auream donat 32.b
moritur 37.a. 41.b
Lex triformis III,3
Lex quid IV,41
Lex naturæ IV,41.b
divina 42
moralis *ib.*
judicialis 45
ceremonialis *ib.*
humana *ib.*
discrimen legis & Evangelii 49.50
vis legis 51
abrogatio 66
Liber Recti Deut. XXXII. V,19
Libri Judæorum. vid. *Judæus* & *Talmud.*
Lignitii evangelizatur V,55. 67 118
Schola conditur *ib.*
confessio editur 131
Linguarum utilitas I,22.II,1.13
conditio Seculo XIV I,33.34
collegium linguarum Lovanii ab Erasmo institutum 62
Tornaci. Parisiis 71
Oxonii *ib.*
an a linguis nascatur periculum, alia de linguis 86
linguæ Hebraicæ neglectus II, 3.4
eam revocat Reuchlinus *ib.*
Literæ Germaniæ noxiæ I,128
instauratæ seculo XVI. II,3. V,20
Livonia Evangelium amplectitur V,48.52 b 65.b
Loci Theologici IV,31
Lombardus I,33
Lovanii collegium linguarum instituitur I,61
Scripta Lutheri comburuntur V,31
Lubecæ evangelizatur V,128
reformatio instituitur 166
turbæ propter Cæsaris edictum 176
Ludovicus Hungariæ Rex V,42 62
Ludovicus Palatinus, qui præsens fuit Concilio Constantiensi, ejus laus, & cum Jonathane comparatio III,46
Ludovicus Palatinus reformat V, 52.a
Luneburgum reformatur V,167. a
Lusatia reformatur V,84.a
Lutherus
Eum reprehendit Albertus Carpensis I,121
alia de eo reformationem spectantia 122
Reuchlino scribit I,1
Tezelium aggreditur IV,3.4
disputationem primam edit *ib.*
non tam indulgentias, quam modum improbat 5.8
Si Lutherus tacuisset, alii scripsissent *ib.*
Lutherus ante Tezelium emendationis ponit fundamenta *ib.*
Scholasticos impugnat 9
compendium doctrinæ ejus ante Tezelium 11
ipsa contra Tezelium disputatio 12--16
Tecelio primum resistit V,21.b
Theologiam Germanicam cum præfatione edit *ib.*
quid senserit de justitia fidei *ib.*
Theses contra Tecelium affigit 23
ejus doctrina *ib.*
deterretur a reformandi proposito & confirmatur *ib.*
adversariis respondet 24
Heidelbergæ disputat 25
Leoni scribit humiliter *ib.*
& Episcopo Brandeb. *ib.*
cum Cajetano Augustæ disputat 26
ejus animus *ib.*
de Erasmo judicium *ib.* 27
Leoni iterum scribit 28
Erasmi amicitiam ambit *ib.*
cum Eccio disputat *ib.*
Scripta 1519 *ib.*
utramque speciem exhibendam docet 31
Scribit Carolo V. Episcopis Moguntino & Mersburgensi 31
respondet Colonienfibus & Lovanienfibus *ib.*
Leoni se purgat *ib.*
multorum patrocinio tegitur *ib.*
anathemate percutitur 32
decretales comburit *ib.*
Papam Antichristum esse docet 33
Thurzoni scribit *ib.*
Wormatiam venit 36
proscribitur a Cæsare 37.a
conditur in arce Wartberg *ib.*
Alberto Moguntino scribit 41
Melanchthonem contra novos prophetas erigit 43
Wittembergam revertitur *ib.*
damnat acta Carolostadii, & missæ abrogationem 44
Anabaptistas oppugnat 45
Episcopos reprehendit *ib.*
Capitoni respondet *ib.*
Boemos consolatur *ib.*
Henrico VIII. respondet *ib.*
edictum Wormatiense pro se interpretatur 51.b
Sabaudo Principi scribit 52.b
Livonos confirmat *ib.*
de Piccardis quid senserit 55
formulam Missæ edit 56
accusatur in conventu Norico 58
Iconomachis contrarius est 70
& Carolostadio; cujus doctrinam de s. cœna impugnat. Hinc bellum sacramentarium 70
turbatur successu doctrinæ Carolostadianæ 72
Concilium improbat *ib.*
deponit Cucullum 73
libros edit *ib.*
Rusticos tumultuantes officii monet *ib.*
Carolostadio respondet 74
Argentinensibus de isto deque Zvvinglio scribit 75
recipit Carolostadium *ib.*

nuptias celebrat. de quibus varia judicia fuerunt 80.81
demisse Henrico VIII. scribit, sed mox dolet 82
Albertum Mogunt. ad reformationem hortatur 85
dedicat Deuteronium Episcopo Sambiensi *ib.*
edit Cantica Germanica 90
ejus notabilis ad Antvverpienses epistola 91. 92
scribit librum de servo arbitrio 102
num eum revocaverit 103
de s. cœna contra Zvvinglium scribit 103
Bucero indignatur 107
ejus liber: *Quod verba Christi*: Hoc est corpus meum: *stent firma & immota* 115
quid scripserit de hyperaspiste 120
edit confessionem magnam de s. cœna 129
violentam Georgio Sax. mittit epistolam 134
respondet ad quæstionem: *An liceat occidere Pseudo-Prophetas* 134
&, *an de voluntate DEi imperscrutabili docendum* 135
adest colloquio Marpurg. 139
N. Test. latinum edit 153
ad pacem hortatur 155
solatur Melanchthonem 157
scribit Archiep. Mogunt. 158
edit Warnung an seine liebe Deutschen 170
excludit Helvetos a fœdere 172
commendat Hausmannum 178
Georgio Anhaldino scripsit 184
Reformatos vocat Archidiabolos, & horribiliter contra eos intonat 186
edit crassam de s. cœna confessionem 197
adoritur Erasmum *ib.*
acquiescit declaratione Buceri, hinc fundamenta Concordiæ 202

M*Agdeburgi* evangelizatur V, 48. 66
Magistratus officium IV, 76
Malatestæ (Caroli). laus III, 47
Malcuth Zadin, מלכות זדון II, 23 38
Mantelius (Ioan.) exul V, 133. a
Manzius Anabaptista V, 77. a
submergitur 115
Maria Hungariæ Regina Luthero favet V, 117
Maria virgo an Iovem peperit II, 71
ejus laus immodica III, 60
ejus imago Genevæ miracula patrasse fertur V, 199
Martha, martyr V, 121
Martinus Danorum Evangelista V, 33. b
Mausim apud Daniel. V, 13
Maximilianus Cæsar II, 149
ejus de Leone dictum V, 32
Megapolitanus ducatus reformatur V, 65
divexatur 195
Melanchthonis loci Theologici IV, 28
curiosa nonnulla de hoc libro 28. 29
de ipso Erasmi præsagium V, 21
Wittembergam vocatur 25
de eo Lutheri & Erasmi judicia *ib.*
interest disputationi Lipsiensi 129
scribit Thurzoni 34
nonnulla edit 41
Capitoni scribit *ib.*
quid dixerit de pugna ob s. cœnam 72. b
de libero arbitrio 103
edit visitationem Saxonicam 117
ejus ob certamen Lutheri & Erasmi verba 120
adest colloquio Marpurgensi 139
Oecolampadio respondet 148
Confessionem Augustanam componit 154
valde sollicitus est 157
fermentum Papisticum non plane ejecit 159. b
bellum Sacramentarium ab eo movetur, sed mox extinguitur 160
commendat Hausmannum Principi Anhaldino 178
in Angliam vocatur 198
& Galliam, sed negatur ei ab Electore discessus 198
adhibetur in opere concordiæ; sententiam mutat de s. coena 202
Melander V, 128. a
Meldæ evangelizatur V, 55. 60
Melzæ Evangelium innotescit V, 67
Meritum congrui IV, 39. a
Meschummadim, משומדים, II, 23 a. 38. a. 47. 89. 90
Meyeri (Petri) hostis Reuchlini Icon II, 145. b
Meyeri (Sebastiani) retractatio V, 68
Michael Dan. XII. est Iudas Maccabæus V, 14
Miltenburgi evangelizatur V, 48
persecutio oritur 58
Mindæ fit initium reformationis V, 138
Minim מינים, qui II, 23
Minquiz (Nicolai) violentia V, 134
Mirandula (Picus)
Cabalæ operam dat II, 29
ad reformationem hortatur V, 24
Missæ defensio I, 154. 155
perperam ab uno celebratur III, 28. abrogatur. V, 38. b. 40. a. 44. a. 56. a
Moguntiæ prædicat Hedio V, 49
Moibanus (Ambros.) Uratislaviæ prædicat V, 87
Mompelgardi prædicatur V, 128
Monachi defenduntur I, 132
vota IV, 45
mores turpissimi V, 202
Monasteria 40. in Anglia diruuntur V, 93
destructorum pœna *ib.*
alia diruta 202
Monasterii Evangelium prædicatur V, 179
Anabaptistas recipit 188
obsidetur 197
expugnatur 202
Moneta Anabaptistarum V, 195
Moniales fiunt matres-familias V, 57
Morus (Thomas) defendit Erasmum contra Dorpium I, 24
quis V, 169. b
occiditur V, 193. 203
Munsterus (Sebast.) V, 137. a
Münzer (Thomas) Anabapt. V, 37. b
scribit contra Lutherum 73. a
Murner (Thomas) V, 151. b
Musculus (Wolf.) Bucero scribit V, 172
breviarium vitæ ejus 177
Augustam vocatur *ib.*
de negotio concordiæ Bucero scribit 181
quem dehortatur *ib.* 185
eidem scribit de Erasmi concordia 187
de revocatione 190
Myconius V, 24. b
excommunicatur 67
Dusseldorpii docet 117

N*Emo*, scriptum Ulrici Hutteni I, *post præf.*
Nesenus (Guil.) I, 65. 67. 68
Nicolaus Egmondanus, adversarius Erasmi I, 64. 68. 69
II, 87
Nizachon V, 67
Noerdlingæ evangelizatur
ritus baptizandi, & communicandi 89
Norimberga reformatur V, 47. 58 67. 86
Northusa reformatur V, 85
Nuenarius Reuchlini defensor II, 9 exagitat

exagitat Hochstratum 139. 142
ejus præfatio Reuchlini encomio præfixa 147

Oecolampadii vita & ortus V, 22. 30
in monasterium secedit 35
de Luthero quid sensit 39.b
scribit librum de Confessione 40
taxat Hedionem 49
missam removet 50
Basileæ lector Theologiæ 57.59
docet magno zelo 68
creatur pastor 69
Carolostadium defendit 72
libellum edit de: *Hoc est corpus meum.* 75
dubius est *ib.*
respondet Suevis *ib.*
cum Anabaptistis disputat 77
cum Eccio Badenæ 97
edit libros de Eucharistia & anti-syngramma contra Suevos 104
iterum illi res est cum Anabaptistis 115
demuo respondet Luthero de s. cœna 116.a
item ejusdem Confessioni magnæ 129
consolatur exules 133
respondet quæstioni de descensu Christi 135
adest colloquio Marpurgensi 139
Melanchthoni scribit occasione edicti Spirensis 174
eique respondet ad objectiones de s. cœna 148
respondet Waldensibus 163
scribit de iisdem Bucero 166
Somio consulit 168
dolet Zvvinglii cædem 147
obit *ib.*
fabula Lutheri de ejus obitu *ib.*
num consenserit Luthero in causa Eucharistica 175
Ortwinus Gratius Reuchlinum impugnat II, 8
epistolæ ejus *ib.*
ejus laus 71.a. 151.a
Osnabrugi evangelizatur V, 179 195
Otherus (Jacob) Bellum sacramentarium componere tentat V, 132
Oxonii linguarum collegium instituitur I, 71

P*Aderbornæ* ob religionem tumultus oritur V. 180
Palatinatus reformatio V, 52
Papæ Autoritas defenditur I, 140
qualis eligendus III, 24
ejus infallibilitas 51
an ob solam hæresin deponi possit 58
ejus avaritia 63
Parabolæ in s. scriptura, Talmude, Poetis, Alchymicis usitatæ II, 27.b
Parisiense linguarum collegium I, 71
Pavanas (Jacob) martyr V, 90
Pauli epistolarum utilitas I, 76
eloquentia 77. 78
doctrinæ excellentia 82
Paupertum nulla ratio III, 67
Peccatum quid IV, 34
originale *ib.*
vis & fructus 35
mortale & quotidianum 70
Pellicanus (Conrad.) V, 58. 106
Erasmo respondet 109
Tigurum vocatur 114
Persecutio Anglica V, 177. 182. 189 194
Antvverpiensis V, 43. 60. 63
Austriaca V, 62
Bavarica V, 63
Belgica V, 90
Boemica V, 62. 80. 114. 134
Danica V, 194. 195
Gallica V, 82. 134. 188. 194
Helvetica V, 42 90
Lotharingica V, 63
Miltenbergensis V, 58
Pomeranensis V, 39. 48
Scotica V, 188. 194
Valdensis V, 166
Petri primatus III, 65
vid. *Papa.*
Pfeffercornius Reuchlini hostis, diploma pro abolendis judaicis scriptis extorquet II, 6. 7. 17
edit den Handspiegel 16. 18. 46 56
defendit se contra epistolas obscurorum virorum 8
Surripit consilium Reuchlini Maximiliano datum 55
ejus encomium 57. 150
Philippus Austriacus Erasmo favet I, 8
Philippus Badensis Marchio ad papatum redit V, 182
Philippus Hasiæ Princeps, veritatem Evangelicam amplectitur V. 83
Hasiam reformat, coacta Synodo 97
Scholam condit 117
bellum minatur episcopis 133
Marpurgi colloquium indicit 138
ejus de hoc colloquio judicium 147
falsè excipit Fabrum Constantiensem 151
discedit Augusta 158. 160
ejus opera pro religionis concordia 181
Piccardi, Boemi Fratres ad Lutherum mittunt V, 55. 187
Pirckheimerus (Bilib.) Reuchlini defensor II, 9. 14
ejus Apologia 130--138
Pistorius (Johan.) martyr V, 90
Poena quadruplex IV, 18
æterna *ib.*
purgatorii *ib.*
castigatoria 20
Evangelica 21
Canonica 22
a quanam liberent indulgentiæ? 20. & sqq.
Pœnitentia IV, 25. 26. 73
Pomeraniæ Evangelium annunciatur V, 39. a
progressus 48
reformatio 191
Poncherius Episc. Paris. Erasmum laudat I, 44
Pontanus Saxoniæ Cancellarius V, 158. 160
Pontifices quinam? III, 8
unde assumendi 9
eorum qualitates *ib.* 10
corruptio *ib.*
vid. *Clerici* & *Sacerdotes.*
Porussia reformatur V, 52. 65. 85
ordinatio Ecclesiastica publicatur 112
Prælatorum ignorantia III, 49
innumera vitia 51. 54. 57. 58 67
vid. *Pontif.* & *Sacerdotes*
Preces horariæ I, 150
Prieras (Sylvester) IV, 24
Protestantium origo V, 147
eorum Legati Placentiæ in periculo 151
Augustæ exhibent confessionem 155
discedunt inde 159
muniunt se scriptis & armis 170
scinduntur variis quæstionibus 171
pacem cum Cæsare ineunt 178
Pseudoprophetæ an occidendi V, 134
Ptolemæus Lagi *Dan.* XI. V, 5. 6
Philadelphus *ibid.* 6
Evergetes *ibid.* 6. 7
Philopator *ibid.* 7
Epiphanes *ibid.* 7. 8
Philometor *ibid.* 9
Purgatorium, ex eo nullæ liberant indulgentiæ IV, 19. 20

R*Andallus* martyr V, 114. a
Rechenberg (Cunradus a) V, 24
Reformati, an in foedus Smalcaldicum admittendi V, 171
magis ac magis a Lutheranis distinguuntur 181
& alienantur 186
Sacramentariorum & Anabaptistarum nomine traducuntur 199

Reformatio Ecclesiæ Judaicæ per Judam Maccabæum *Dan.* XI. & XII. V,15. & seqq.
Reformatio Ecclesiæ necessaria II,2. III,1. 2. 43
cujus ope promota II,3. III,1. 2
dilatio III,22
quomodo instituenda 23. 61
Autor Spiritus S. III,49
acceleranda 50
impedimentum 62
an initium reformationis indulgentiæ IV,1. 2. &c.
Regiomontana reformatio V,65
Regius (Urbanus) I,12
ad Lutheri castra transit V,134
Reichel (Joh.) martyr V,121. b
Reliquiæ memorabiles Genevæ repertæ V,201. a
Renata Ludovici XII. filia V,127
Renier (Steph.) martyr V,177
Renneisen (Nicol.) præco Evangelii, ejus doctrina de S. cœna V,119
Rescius (Rutg.) Græcæ linguæ Professor I,67
Resius (Henr.) convertitur V, 113
disputat contra Pontificios 117
Reuchlini Encomium II,1
primus Hebraica docet, & Grammaticam scribit 3. 4
& Lexicon 5
objectionibus respondet 5. 6
molitiones Colonienſium 6-8
consilium ejus ad Cæsarem de Judæorum libris 7. 20. 54
edit den Augenspiegel 7. 17. 56
vid. *Speculum oculare.*
id Colonienses igni addicunt 7. 8
Parisiis comburitur *ib.*
provocat ad Papam 8
ab eo defenditur 9. 10
Edit opus de arte Cabalistica *ib.*
compendium historiæ ejus ex ipso 12. 13
ex Sleidano 15
in speculo oculari ostendit Pfeffercornium mendacia XXXIV. protulisse 47
ejus in Hebraicis profectus 49
defendit se contra Colonienses apud Cæsarem 53
Literæ ad Colonienses 68
Acta judiciorum inter eum & Hochstratum 94
citatur ab Hochstrato *ib.*
non comparet *ib.*
ideo damnatur speculum oculare 94-96
recusat Hochstratum, ut inimicum suum 96. 97
Moguntiam venit 98. a
provocat ad Papam 98. 99
qui jubet processum de novo institui 99
Contra Colonienses Reuchlinus se munit 105
defendit speculum oculare 106-112
a Pirckheimero defenditur 130
Nuenarium de Actis suis instruit 138
triumphus ejus ab Eleutherio Byzeno compositus 148. 149
Rhæti fundamenta ponunt reformationis V,84
disputationem instituunt 96
reformant 127
turbæ excitantur 127. 128. 137
Richardus Episcopus Wintoniensis II,71
Rigæ reformatio V,63. 64
Ræblinus Basileæ docet V,33
Roederi (Matth.) Sermo in Concilio Constant. III,42
Romæ omnia venalia III,20
Babylonia 41
Rostochium reformatur V,167
Rotweilæ urbis cives exulant V, 152
Rusticanum bellum V,73
Ryeux (Dionysius de) martyr V, 134

Sacerdotes defenduntur I,135 & seqq.
eorum dignitas III,4. 12. 13
corruptio, scelera innumera &c. 7-14-16
vid. *Clerici*, *Pontifices.*
Sacramenta quid IV,71
quot 72
Sacramentarii vid. Reformati.
Sacramentarium bellum V,70. 71 74. 103. 104. 115. 116. 129. 130 132. 160. 197
Salnerius (Anton.) V,181
Samsonis immanis impudentia V, 30
Sangalli Evangelium agnoscunt V, 49. 70
idola exturbantur 126. 137. 180
Scaliger (Jul. Cæs.) V,180
Scania audit Evangelium V,117
Scandalum IV,77
Scaphusii evangelizatur V,49
reformatur 69
ingens idolum comburitur 137
Schærer (Henr.) martyr V,134
Schisma Seculi XV. III,19. 20 43. 44. 45. 51. 57
Schnepfius V,189. 190
Scholastici I,18. 23. 25. IV,8. 9
Schover (Arsacius) Confessor V, 59
Schuch (Wolf.) martyr V,90
Schwebelius V,31. 46. 52. 128
Schwenckfeldius V,72
ejus doctrina, assecla, obitus 79. 80
Schwenckfeldianismus V,182
Scotia perstat in Papismo. V,188
Scotistas irridet Erasmus I,2. 3
Scriptura S. præcipue legenda I,80
an omnibus permittenda 129
ejus contemtus III,58
Scripturæ S. loca exposita
Esai. LII,11. III,11
Ezech. XXII,26. III,3
Daniel. XI. & XII. V,6. 7
Joh. V,39. II,24
1. Cor. XI,19. II,22
Eph. S. IV,1, III,26
Seid Wilkum an a Judæis pervertatur II,23
Seleucus Nicanor Dan. XI. V,5. 6
Callinicus *ibid.* 6. 7
Ceraunus *ibid.* 7
Philopator *ibid.* 9
Servestæ Evangelizatur V,48
Servetus (Michael) hæreticus V, 178
Sickingen (Francisci a) Evangelii propugnator V,46
missam removet 50
perit 51. 61
Sigismundi Cæsaris laus III,44. 45
cum Davide comparatur 46
labor in Concilio Const. 55
Lunæ claræ assimilatur 56
Silesia Evangelium audit V,46 52. 53
progressus 87. 109
impedimentum 188
Simonia viget III,18--20. 41. 44
Smalcaldia reformatur V,167
fœdus Smalcald. 170
Solothurii dissidium ob religionem V,168
cives ad Papismum redeunt 188
Somius (Conrad) V,168
Speculum oculare Reuchlini, acta cum eo II,8. 16. 35--46 56. 94. 95. 105. 106--112. 129 130
vid. *Reuchlinus.*
Speiser Apostata V,56
Spenglerus martyr V,114
Speratus (Paulus) V,59
Spes IV,63
Stapulensis (Faber) cum Erasmo ob voculam N. T. certat I, 49
ubiquitatem fingit V,70
exulat 114
Stifelius (Ordo) V,38
Stoer (Steph.) disputat. V,69
Stolpæ evangelizatur V,48
Stubnerus Anabaptista V,37
Stunica Erasmo insurgit I,60
Suavenius V,36. 48
Suecia reformatur V,83. 110--112
Superstitio incredibilis V,23
Symphorianus Argent. V,47
Synellius (Gerard.) V,117
Syngramma Suevorum V,75. 103
Synodus discrepat a Synagoga III, 11
Synodus Frauenfeldensis V,138
Homburgensis V,97
vid. *Concilium.*

Swollenſis (Wilh.) martyr. V,153

Talmud an comburendum, multaque alia de eo II,21 22. 23. 24. 25. 26. 27. 36. 50. 51
num Jeſus in eo memoratus Servator noſter 89
Tecelius indulgentiarum propola, ab ipſo Pontifice non emiſſus IV,2
ejus impudentia 3. 12. 14
impugnatur a Luthero 3. 4 & V,21. 23. 24
moritur 29
Teklenburgici comitatus reformatio V,85
Teſtamentum N. ab Eraſmo editum, acta cum eo I,34. 35 36. 40. 53. 54. 57. 59. 60. 101 119
Teſtamenti Novi ac Veteris diſcrimen IV,66
Theodorici de Monaſterio Sermones in Concilio Conſtant. III, 45. 58
Theologia qualis Seculo XVI. V, 23
Theologus & *Theologiſta* quomodo differant II,59. 60. 61. 150. 151. 152. &c.
Thracius (Wilh.) V, 177
Thurzo Vratislav. Epicopus favet Evangelicis V, 33
obit 34
Tigurini Zwinglii doctrinam amplectuntur V,35
Colloquium inſtituunt 57
perſiſtunt in ſua doctrina 63
reformant Eccleſiam 69
Miſſam abrogant 87
Scripturæ lectionem inchoant 88
forma celebrandi ſ. coenam 89
acta alia reformationis 96.127
bacchanalia abolent 137
bellum cum Quinquepagicis 172
adverſo Marte pugnant, *ib.*
etiam Zwinglio cæſo *ib.*
judicia de hac clade 174
eorum confeſſio multis in locis approbatur 196
Toggenburgicus comitatus reformatur V,27
Toledoth Jeſu II,35
Tonſtallus litem inter Eraſmum & Budæum ſedare conatur I,48
Tornaci linguarum collegium inſtituitur I,71
Traditiones defenduntur I, 123 149
impugnantur IV,46. 47
Træger (Conrad.) Paradoxa edit V, 65
impugnatur 67. 68
Transſubſtantiatio V,23. 31
Tungarus Reuchlinum oppugnat II, 6. 7. 58. 69. 71. 93. 151. &c.
Tyndalli N. Teſtamentum V, 169
martyrium 203
Typographiæ inventum V,20

Valle annotata in N. T. I,4
ab Eraſmo defenditur 5. 6
Ubiquitatis nativitas V,170
V. D. M. I. Æ. quid V, 151. b
Velamma Schumadim oratio Judæorum contra Chriſtianos II,38. 47. 89
vid. *Meſchummad.*
Vergara (Franciſc.) I, 65
Verſiones approbantur I,84
vulgata vitioſa I,54. 85
corrigitur a Reuchlino II, 6
Viennæ evangelizatur V, 49
Vinariæ diſputatur V,56
Virtutes in Gentilibus IV,35
Vitalis Epiſcopi Tholonenſis ſermo in Concilio Conſtant III, 17
Vitodurenſis reformatio V, 89
Ulmæ reformatio V,150. 138. 163. 176
Ulricus Dux Wurtembergicus reſtitutus, reformat V,189
Ulſenius martyr V, 90
Voes (Henr.) martyr V,60
Voigt (Joh.) Confeſſor V,59
Volſæus Cardinalis V, 169. 170
Voluntas an libera IV, 32
Scholaſticorum 34. 38
Voluntas Dei imperſcrutabilis V, 135
Vota I, 155. IV, 44
Monachorum IV,45
Uratislavienſium reformatio V,33. 42. 46. 52. 53. 54. 57. 67 87
Urſula Munſterbergenſis exulat V,133

Waldenſes in Helvetiam mittunt V,160
iisdem reſpondetur 163
perſecutionem patiuntur 166
Waldshuti reformatio incipit V, 70
ritus baptizandi 89
Waramus I,39 V,177
Weibelius martyr V, 90
Weiſ evangeliſta V, 50
Weiſſemburgi evangelizatur V, 47
Wendelmut foemina martyr V, 121
Wilæ evangelizatur V,50.167
Wincler (Georg.) martyr V, 121
Wiſmariæ evangelizatur V, 66
Wittembergæ celebritas V, 24
miſſa abrogatur 38
& celebratur lingua Teutonica 90
Wormatiæ evangelizatur V, 38
Wurtembergicus ducatus reformatur V,189. 190

Xerxes Dan. XI. V, 5
Ximenis Cardinalis editio Bibliorum I, 34
Stunicam ab impugnatione Eraſmi impedit 61
obit *ib.*

Zachariæ (Joan.) Sermo in Concilio Conſtantienſi. III, 55
Zaſii ad Lutherum epiſtola V,34
Zellius Argentinæ reformator V, 146
accuſatur 58
Zwinglii ortus V, 22
evocatur zum Einſideln 24
Eccleſiæ Tigurinæ Antiſtes 30
quomodo Eccleſiam reformavit *ib.*
diſſuadet excommunicationem Lutheri 31
eius animus 35
defendit ſe contra Hugonem Conſtantienſem 46
Hallerum confirmat 49
ſcribit Petro Sebevillæ 55
Tigurino colloquio adeſt 57
Bernæ accuſatur 58
uxorem ducit 69
Caroloſtadium defendit 72
doctrinam de ſ. cœna promulgat *ib.* 74
Bugenhagio reſpondet *ib.*
judicium ejus de Syngrammate Suevorum 75
cum Anabaptiſtis diſputat 77. 78
in ſomnio confirmatur in doctrina de S. Cœna 88
inde ortæ calumniæ *ib.*
Tiguri ſ. ſcripturam prælegit. *ib.*
ejus cum Eccio lites 96. 97
multa ſcribit contra oralem manducationem 105. 106
contra Anabaptiſtas 115
iterum multis Luthero reſpondet in cauſa ſ. cœnæ 116
multi ſententiæ ejus accedunt 110
Lutheri Confeſſioni magnæ reſpondet 129
adeſt Colloquio Marpurgenſi 139
quid ſenſerit de Confeſſione quatuor urbium, & Auguſtana 160
Cæſari mittit exomologeſin *ib.*
Somio conſulit 166
ad prælium Capellanenſe egreditur. Cur? 172. 173
præſagia mortis ejus *ib.*
occiditur & crudeliter laceratur *ib.*
Pontificiorum, Lutheranorum, amicorum de hoc caſu judicia, fabulæ 174.

93.A.2.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Hardt, Hermann <<von der>>,

Historia literaria reformationis in honorem iubilaei 1717

Francofurtum u.a. 1717
2 H.ref. 34
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10328889-9
VD18 14477696-001